UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

D. Ioannes Evangelista. Rodolphi Gvaltheri Tigurini in Euangelium Iesu Christi secundum Ioannem Homiliæ CLXXX.

Gwalther, Rudolf

[S.l.], 1568

VD16 W 1038

urn:nbn:de:hbz:466:1-71827

Visual Library


UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Nr. 97a.

D. IOANNES EVANGELISTA.

RODOLPHI GVALtheri Tigurini in Euangelium Iesu Christi secundùm Ioannem Homiliæ CLXXX.

Coll. Soc.tis Iesu Paderb. 1661

ACCESSERVNT OPERI INDICES DVO *Rerum & Locorum Scripturæ, quæ hoc libro explicantur.*

Sum ex libris Ioannis Nicij Ori.



IESVS

Ecce agnus ille Dei, qui tollit peccatum mundi.

TIGVRI

EXCVDEBAT CHRISTOPHORVS FROSCHOVERVS, M. D. LXVIII.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

AMPLISSIMO ET MAGNIFICO VIRO D. IOANNI STEIGERO

CONSVLI BERNENSI ET ROTVLI SEV ROLlæ Antuatium Domino, RODOLPHVS GVALTHERVS Tigurinus gratiam & pacem à Deo patre per IESVM CHRISTVM Dominum nostrum.

QVOD *Faustum Felixq; sit, prodit sub amplißimi nominis tui auspicio Steigere COS. dignißime, Ioannis Apostoli Euangelica historia, nostris homilijs vtcunque illustrata. Sed quod pleriq; scriptores in operum suorum præfationibus facere consueuerunt, vt & lucubrationum suarum rationem reddant, & dedicationis causas exponant, id mihi quoque faciendum esse video, cùm procul dubio non defuturi sint, qui meum hoc institutum admirentur, aut etiam reprehensione dignum existiment. Alijs enim actum egisse videbor, quòd eum Sacræ Scripturæ librum exponendum susceperim, in cuius expositione olim feliciter laborarunt nõ pauci ex priscis ecclesiæ doctoribus, & quem nostro etiam seculo Euangelicæ doctrinæ instauratores suis commentarijs illustrauerunt. Alij verò hoc absurdè nimis & præter decorum abs me fieri dicent, quòd Theologici argumenti librum viro politico & (vt ipsi loquuntur) alijs negotijs ab hoc argumento alienißimis occupato nuncupare audeam. Cæterùm non difficile erit vtriq; respondere, si rem ipsam inspicere, et priuatos animi sui affectus, interea dum illis respondero, deponere velint. Quod quia non omnes facturos scio, sufficiet mihi, si tibi Steigere ampliß. tuiq; similibus, qui cum pietate & incorrupto animi iudicio experientiam atque vsum rerum ecclesiasticarum et politicarum coniunxerunt, mei instituti rationem reddam: quod qua potero breuitate & perspicuitate facere constituí.*

Quoad primum, officij & functionis meæ ratio me excusare potest, quæ monet, vt quicunque in ecclesiæ ministerio constituti sunt, studia & labores suos omnes ad Scripturæ Sacræ explicationem conferant. Hæc enim verbum illud Dei continet, quod solum in ecclesijs annuntiari, & (vt Apostolus monuit) ita secari debet, vt non tam publicæ ecclesiarum ædificationi quàm priuatæ singulorum hominum institutioni & consolationi seruiat. Neque hic aliquem absterrere debent eorum labores, qui ante ipsos hoc saxum voluerunt. Nam quod aliâs quoque me dixisse memini, tanta est huius agri fœcunditas, & tam inexhaustus in eo latet frugum omnis generis thesaurus, vt in illis inuestigandis atque eruendis nullum studium superuacaneum, nulla industria nimia, nullus labor inutilis esse posit. Et quia æternæ sapientiæ spiritu dictantem secuti sunt prophetæ et apostoli, diuina planè Methodo & admirabili breuitate omnia ea complexi sunt, quæ omnium locorum

& temporum moribus conueniunt, & ad omnes ecclesiæ aut singulorum credentium casus siue euentus accõmodari possunt. Seruierunt ergo prisci Patres suæ ætatis hominibus, et immortalem laudem meretur illorum industria, quæ verum & orthodoxum Scripturæ sensum aduersus sui seculi errores atq; hæreses asseruerunt. Prodest itẽ nobis etiam illorum scripta diligẽter inspexisse, vt ex illis ecclesiæ ueteris faciem agnoscamus, simulq; discamus quid nobis facto opus sit, si quid simile nostris temporibus accidat. Attamen meminisse oportet, illos non omnia dixisse quæ dici poterant: quia ut illud tũc facerent, minimè necesse fuit, & hoc infiniti laboris opus esset, cui nulla hominis ætas sufficeret. Debemus ergo nos illorum vestigijs insistere, non autem laboribus eorum ad otium ignauum abuti, sed obseruare diligenter, quid in illorum scriptis nostri seculi moribus potißimum seruiat. Quod ut faciamus, res ipsa nos admonet, quando constat ecclesias hodie neq; leuioribus neq; paucioribus certaminibus, quàm olim exerceri. Quàmuis autem omnis Scriptura (vt Paulus ait) θεόπνευστος, id est, diuinitus inspirata & ad institutionem hominum vtilis sit, debent tamen eius interpretes & publici ecclesiarum ministri eos potißimùm libros deligere, quorum doctrina præsentibus scandalis maximè mederi et ab ecclesijs pericula imminentia auertere potest. Quod me nõ omnino imprudenter obseruauisse patebit, qui Euangelium IESV CHRISTI secundùm Ioannem exponendum suscepi, si quæ hodie est conditio ecclesiæ paulo attentius cõsideretur. Nam vt infinitos multorum errores, absurdißimas quorundam superstitiones, et inextricabiles de multis rebus hominum contentiosorum cõcertationes præteream, quæ pijs vndiq; negotium faciunt, et doctißimorum quoque ingenia fatigant, duo præcipuè sunt, de quibus passim et nõ sine graui simplicium atq; infirmorum scandalo cõtenditur: De hominis nimirum iustificatione, vel salutis humanæ causa: Deinde de ipso Seruatore nostro IESV CHRISTO, cuius cognitionem veram Satan olim quoq; per varias et multùm inter se diuersas hæreses obscurare conatus est, hodie verò easdem quasi ex inferis reuocat, permittente hoc Deo, qui nostram socordiam & ingratitudinem, hominum contentiosißimorum improbitate vlciscitur. Turbantur in vtraq; controuersia multorum animi, multi etiam boni & in summa authoritate constituti fluctuant: qui cùm se rerum dubios et incertos esse fateantur, plures alios secum trahunt, vt ipsi etiã dubitare, uel impostoribus aures præbere, aut proprio ingenij acumine freti, diuinæ Maiestatis arcana curiosius scrutari incipiant. Atqui vnus Ioãnes hîc sufficere poterat, qui quæ de vtraque controuersia in Scripturis hinc inde traduntur, suo hoc scripto Euangelico ita in compendium cõtraxit, vt argumentum hoc ex professo tractauisse videri queat: nimirum occulta spiritus suggestione excitatus, vt omniũ seculorũ homines antidoto præsentißimo saluberrimoq; præmuniret. Quod vt euidentius cerni possit, de vtroq; articulo paucula dicenda sunt.

De hominis iustificatione & salutis siue beatitudinis humanæ causa, ve-

tus

tus iam olim concertatio fuit, quæ gentium quoque Philosophos exercuit. Intellexerunt enim plerique illorum, summum hominis bonum & ipsam felicitatem in coniunctione cum Deo consistere, qui vt solus verè bonus est, ita quoque omnis boni fons est vnicus. Viderunt præterea, neminem cum illo coniungi posse, nisi quem ipse integrum sceleriscque purum iudicarit. Et quia ingenium humanum natura ad malum procliue, & plerosque hominum apertis quoque sceleribus pollutos esse videbant, vnanimi consensu statuerunt, iustificatione opus esse, qua ab omni sceleris reatu absoluantur, quicunque cum Deo coniungi, & beatitudinem veram assequi cupiunt. Cùm autem hucusque rectè sentirent, à vero tamen aberrauerunt, & in sectas sciſsi sunt, quando iustificationis modum voluerunt constituere. Quia enim seipsos & naturæ suæ corruptionem non agnoscebant, hominem suis operibus iustificari putarunt: et quia hæc non eiusdem generis sunt, alij quidem in virtutis studio, alij in præclarè & fortiter factis, alij in sacrificijs & magnifico Deorum cultu iustificationis modum constituerunt. Similis error Iudæos quoque veteres dementauit, quos in sacris et ceremonijs Mosaicis peccatorum remissionem, veram item iustitiam & reconciliationem cum Deo quæsiuisse, prophetarum sermones testantur. Posteris verò temporibus paulò ante Christi in carnem aduentum exorti sunt Pharisæi, qui in Philosophorum scholis (quas Iason Pōtifex Hierosolymæ primus instituerat) edocti, liberum hominis arbitrium, & ex eo operum merita docebant, quibus consisti, quam nobis Deus offert iustitiam incurabili contumacia aspernabantur. Et tanta fuit erroris istius vis, vt inter eos quoque, qui Christo nomen dederant, locum inueniret, & uix multa apostolorum cura atque industria corrigi, atque ex hominum animis extirpari potuerit. Succreuit autem rursus sub annum incarnati Filij Dei quadringentesimum decimum octauum, instaurante illum Pelagio Monacho Romano, qui doctrinam de Lege, de peccato, de gratia Dei, traditionibus planè pharisaicis corrupit. Oppoſuerunt se illi fortissimè D. Augustinus, Hieronymus & Ambrosius, & publica Synodorum authoritate illius doctrina damnata est, inter quas Carthaginensis & Mileuitana præ alijs celebres fuerunt. Sed ne tunc quidem tantum efficere potuit sanctorum Patrum industria, quin nouissimis hisce temporibus idē error repullularit, quando non sine diaboli suggestione factum est, vt Philosophorum libri in Christianas scholas reducerentur, & ex illis præcepta peterentur de moribus, quæ ex Dei verbo Sacris literis comprehenso peti debebant. Rursus ergo paulatim apud plerosque radices egit sententia de hominis viribus, de libera nostri arbitrij potestate & nostrorum operum meritis. Nec enim difficile est illa hominibus persuadere, qui innata gloriæ cupiditate ad ea aspirant, quæ cum laude coniuncta esse videntur. Fouit insuper & auxit errorem istum spes quæstus, quem falsi antistites ex illo vberrimum enasci videbant, si iustificationis meritum non modò in virtutum moralium operibus, verumetiam in sa-

cris externis constitueretur, quæ mox ab illis magno numero aucta sunt, vt aucupium haberent copiosius. Itaq; sub Romanis Pontificibus sententia ista publicè recepta, & inter Christianæ religionis articulos ascripta fuit. Et hodie illam multi ita tuentur, vt Legis diuinæ vsum aboleri, publicam morum honestatem euerti, preces item & vniuersa pietatis exercitia è medio auferri clament, si quis hominem ex semetipso nihil boni posse, salutem verò omnem ex vnius Dei gratia pendere dicat, qui propter Filij sui, IESV CHRISTI, meritum pro iustis ducat eos, qui hunc fide vera amplectuntur. Et hic quidem magna contentione causam hanc agunt aduersarij: non vident autem, aut saltem videre nolunt, ipsos Christi iustitiam & meritum euertere, Dei gratiam euacuare, & humanæ salutis fundamenta conuellere, dum suam iustitiam stabilire, & suorum operum merita propugnare instituunt: quod olim Iudæos quoque & Iudaizantes Christianos fecisse, Paulus non vno loco testatur.

Est ergo error hic nocentissimus, & circa hunc ferè versatur totius controuersiæ cardo, quæ nobis hodie cum Papistis intercedit. Nam si hunc auferas, sua sponte concident quæcunq; illi de inuocatione et intercessione Diuorum, de peregrinationibus, de purgatorio, de ieiunijs, feriis, uotis monasticis et similibus nugantur. At non multa altercatione opus erit, si Ioannes dilectus ille Christi discipulus audiatur, qui & propriis verbis & ipsius Christi doctrina luculenter ostendit, quid nos in hac causa sentire aut credere conueniat. Nam in ipso libri sui limine de IESV CHRISTO loquens ait: In ipso vita erat, & vita erat lux hominum. Item: In sua venit, & sui eum nõ receperunt: Quotquot autem receperunt eum, iis dedit ut liceret filios Dei fieri, iis nimirum qui credidissent in nomen ipsius: Qui nõ ex sanguinibus, neq; ex voluntate carnis, neq; ex voluntate uiri, sed ex Deo nati sunt. Et rursus: Deũ nemo vidit vnquam, Vnigenitus ille Filius, qui est in sinu Patris, ille nobis enarrauit. Quæ verba si propius inspiciãtur, mox patebit omnes homines damnari, vt qui ad salutem propriam ex semetipsis nihil conferre possint. Si enim Deum nemo videt, et is neq; sensu carnis neq; ingenij acumine comprehendi potest, si itẽ filij Dei non ex sanguinibus, non ex carnis aut cuiusquam hominis voluntate nascuntur, utiq; uanissimũ est, quicquid aduersarij de nostris viribus & humanæ naturæ facultatibus ex Philosophorũ scholis proferunt, nisi prius Deum nostris uiribus cogi posse euincãt, ut nos ille ex se regeneret. Rursus, si in Christo uita illa est, quæ sola mentes hominũ illuminat, extra illum in nobis ipsis nihil aliud quàm tenebras & mortem inueniemus. At non hæc modò scribit Ioannes, sed mox subijcit: Lex per Mosem data est, gratia & ueritas per Iesum Christum facta est. Vbi Legem quidẽ à Deo per Mosis ministerium promulgatam esse fatetur, neque uerum eius usum abolet, gratiam uerò & veritatem, id est, ueram Legis impletionem, quæ Dei iram placat nosq; cum illo in gratiam reducit, non alibi quàm in uno Christo nobis monstrat. Quòd si his addamus,

addamus, quæ ipse Christus in hoc libro de regeneratione apud Nicodemum, de gratuita Dei dilectione & fidei dono, de seipso item vnico salutis fonte, vnico pane vitæ, vnica luce mundi, vnico gregis ecclesiastici pastore, ostio & via salutis vnica disserit, omnino fatendum erit, iustitiam & salutem nobis ex sola Dei gratia per IESVM CHRISTVM *obtingere, qui vt vnicus gratiæ Mediator est, ita sola fide potest apprehendi. Consentiunt his, quæ paßim in prophetarum & apostolorum scriptis habentur, neque alia constitui potest certa salutis fiducia, quàm quæ Christo nititur, quem prophetarum & apostolorum fundamentum Paulus vocat. Interim ista doctrina neque preces neque alia Christianæ pietatis opera abolentur. Qui enim salutis fontes in se vno nobis aperit Dei Filius, idem nos fidem, qua ipsum apprehendimus, operibus testari iubet, & qui his carent, eos palmitibus confert, qui quòd aridi sint & nullum fructum ferant, ex vite resecari & in ignem conijci solent. Monet item, vt qui eius merito abluti sunt, pedes abluant, & quotidianos lapsus atque vitia, quæ nobis ex huius seculi consuetudine & innata corruptione asperguntur, aßiduo pœnitentiæ studio abstergant. De quo cùm in toto hoc opere paßim dicatur, hic consultò breuiores sumus, contenti hoc monuisse, Ioannem suo libro Euangelico omnia ea plenè et perspicuè complecti, quæ ad dirimendam controuersiam de iustificatione pertinent, & proinde librum hunc dignißimum esse, quem hodie omnes ecclesiarum ministri interpretentur, & quem omnes legant vel audiant, qui superstitionibus liberari, & in veritatis cognitione proficere cupiunt.*

Cæterùm quia salutem omnem in vno IESV CHRISTO *contineri ipse etiam Satan non ignorat, non modò superstitiones inuehere studet, quibus hominum mentes ab illo abstrahat, sed ipsum fidei orthodoxæ caput aggreditur, dum illius cognitionem obscurare satagit, ut longè alium animo concipiamus, quàm ille reuera sit. Nouit enim veterator ille astutißimus, eos Christi nomine atq; fide nequicquam gloriari, qui non talem agnoscunt, qualem in Scripturis Spiritus sanctus prædicat. Olim ergo viuentibus adhuc apostolis hæreticos complures excitauit, quorum alij æternam illius diuinitatem, alij humanæ naturæ veritatem negarunt, multi circa vtriusq; naturæ coniunctionem disputationes perniciosas instituerunt, dum vel illas cõfuderunt, vel personæ vnitatem lacerarunt, aut alia absurdißimarum opinionum portenta commenti sunt, quibus primitiuam ecclesiam aliquot seculis infestatam & fœdè conuulsam fuisse historici docent. Eluxit in his confutandis veterum Patrum fides et singularis industria, qui tam priuatis disputationibus quàm scriptis publicis errores istos arguerunt. Et quod olim per Isaiam promiserat Deus, ecclesiæ nutritios excitauit Christianos Imperatores, qui veritatis doctrinam publica authoritate tutati sunt. Attamen hìc quoq; factum est, quod apud Matthæum de spiritu immundo ex sua possessione eiecto dicitur. Nam nouißimis hisce temporibus ad suas artes reuersus, veteres hæreses*

postliminio reducere studet, neq; vllus tam fœdus error est, quem nõ nouo aliquo fuco depictum incautis & nihil huius cogitantibus obtrudat. Audiuntur enim, qui ne de IESV CHRISTI *diuinitate quid humilius sentire videantur, hanc à Mediatoris officio excludunt: qui dum hoc ad solam eius humanitatem restringunt, illius meritum prorsus euacuant, cuius omnis dignitas atq; virtus ex eo dependet, quòd qui hæc aut illa propter nos fecit & passus est, non nudus homo, sed etiam in eadem persona æternus & verus est Dei filius. At horum errori dum alij incautius occurrunt, sacrosanctæ & adorandæ Trinitatis mysterium vellicant, & non obscurè tres in Deo essentias siue substantias, & proinde tres Deos fingunt. Inferunt se his medij Seruetani, qui veterem Arianismum instaurant, quando Filium Patri coæternum esse negant, tantumnon illud Arij palàm profitentes,* ἦν πότε ὅτε οὐκ ἦν λόγος καὶ πρὶν γεννηθῆναι οὐκ ἦν. *Id est, Erat, scilicet Pater, quando non erat Sermo, & priusquàm hic nasceretur, non erat. Qui quantum mali dent nascentibus primùm & teneris adhuc ecclesijs, non sine acerbissimo dolore experimur. Accedunt his alij, quos Sacramentaria contentio abripit, vt post Marcionis & Eutychis vestigia declinent, quando Christi corpus Deificatum somniant, et illud suis proprietatibus exuunt, sine quibus eius veritas nullo modo potest consistere. Enascuntur ex his contentiones acerbissimæ, quæ eò nocentiores sunt, quòd intra ecclesiæ pomeria inter eos exercentur, qui coniunctis copijs Anthichristianas superstitiones expugnare, & puriorem veritatis Euangelicæ doctrinam longè lateq; propagare debebant At hos quoque omnes Euangelista noster confutat, qui Christum ita describit, vt ex nullo Scripturæ Sacræ libro illius cognitio clarior & certior peti possit. Quò nonnullos veterum ego respexisse arbitror, quando illi Aquilam tribuerunt, quæ & visus acumine & volandi dexteritate reliquas uolucres omnes longè superat. Nam ad eundem modum Ioannes spiritus luce illuminatus, teterrimas Ebionis & Cerinthi (qui illo adhuc superstite hæreses sparserunt) nebulas penetrauit, imò eiusdẽ spiritus alis quasi supra nubes euectus, in ipso statim libri sui initio mysteriũ hoc nõ minus dilucidè quàm breuiter explicat, & ita de Patre et Filio loquitur, vt omnem contendendi occasionẽ ijs præripiat, qui carnis sensum atq; intellectum verbi diuini magisterio subijcere voluerint. Sic enim scribit: In principio erat Sermo ille, & Sermo erat apud Deum, & Deus erat ille Sermo: Hic erat in principio apud Deum. Quibus verbis Filium (quem Sermonis nomine denotari, extra controuersiam est) non modò Deum esse disertè docet, verumetiam illius æternitatem constanter asserit. Nam Sermo (inquit) erat in principio. Id est, non cœpit esse, neque vnquam factus est, sed iam tunc erat, quando mundus hic primùm creabatur: imò tunc erat, quando tempus nondum cœperat esse: et proinde æternus sit oportet. Oblatrẽt nunc nobis Seruetani canes vt lubet, nos Ioãnis uerba urgebimus, quoad illi nobis principij principiũ aliud ostẽdant, quando filius esse cœperit. Ioannes certè eundem ab omni rerum creatarum,*

rum, quæ aliquando esse cœperunt cùm prius non essent, ordine eximit, quando quòd prius dixerat repetēs ait: Et Sermo ille erat apud Deum: cui nimirum coæternus atque coessentialis est, vt ab eo diuelli aut separari non possit, nisi hunc sua Sapientia & Sermone spoliare libeat. Vnde olim sancti Patres in Sardica Synodo (cui D. Athanasius etiam interfuit) circa annum nati Christi CCCLI. collecti procul dubio suum decretū desumpserūt, quod apud Theodoretum eiusmodi legitur: μηδὲ ποτε πατέρα χωρὶς τοῦ μὴτε υἱὸν χωρὶς πατρὸς μήτε γένεσθαι μήτε εἶναι δύνασθαι. Id est, fieri non potest, vt vel Pater vnquā sine Filio, aut Filius sine Patre fuerit vel sit. Non autem verbis tantùm nudis aut inanibus ista Ioannes de IESV CHRISTO pronuntiat, sed quod dicit argumentis quoque validissimis confirmat. Omnia (inquit) per illum facta sunt, & sine eo factum est nihil quod factum est. Item: In ipso vita erat, et vita erat lux hominum. Vitæ nomine vim illam viuificā intelligit, quam soli Deo inesse, philosophi quoq; & poetæ olim confessi sunt, qui nos in Deo esse, viuere & moueri dixerunt. Nec tamen de vulgari modò vita loquitur Ioannes, quæ nobis cum belluis communis est, sed ea, quæ simul mentes nostras illuminat, vt vera Dei cognitione instauratæ in eodem verè viuant, & æternùm gaudeant. Atqui constat vnanimi totius scripturæ & verè sapientum consensu, solum Deum omnium, quæ vnquam facta sunt, creatorem, adhæc vitæ tam mortalis huius quàm immortalis unicum authorem esse. Cùm ergo hæc ipsa Scripturæ de Christo prædicent, Deus sit oportet, verus (inquā) Deus, nō alienus aut diuulsus vel separatus à Patre, nisi quoad personarum distinctionē, sed illi coæternus et consubstantialis. Nisi enim hoc fateamur, principium et fundamentum religionis labefactabimus, quod omnium Scripturarū authoritate probatur, Deum scilicet vnum esse, non duos, non tres aut etiam plures, vt olim gentes somniauerunt. Quòd si his coniungamus, quæ ipse Dominus noster, IESVS CHRISTVS, apud hunc Euangelistam nostrum de diuinitate sua æterna disserit, quam aduersus hostes suos, præstantissimos tunc temporis in Iudaica gente viros, rationibus firmissimis, Scripturæ item veteris authoritate & operum suorum testimonio abundè probat, nimium impudentes & apertos ueri Dei hostes esse apparebit, quicunque æternam illius Deitatem adhuc negare audent. Quia autem de Sermone isto æterno postea idem Ioannes pronuntiat, Et Sermo ille caro factus est: non minus euidenter humanam quoque naturam in Christo exprimit, quam præfinito tempore ille ex Maria virgine assumpsit, vt nostræ salutis atque redemptionis Mediator fieret. Carnis enim potius quàm hominis vocabulo vti voluit, vt uerum hominem & nobis per omnia similem factum esse doceat: non quòd Deus esse desierit, sed quòd in diuinæ personæ vnitatem hominem assumpserit, vt Paulus ad Hebræos loquitur. Itaque paucis uerbis plenam & perfectam descriptionem IESV CHRISTI Ioannes proponit, & illum in una eademq; & indiuisa persona Deum simul & hominem esse docet, Deum

quidem ab æterno ex patre genitum, hominẽ verò factum ex Maria virgine, cùm tempus illud constitutũ aduenisset, quo humanum genus redimi oportebat. Quam doctrinam Patres orthodoxi in Nicæno Concilio aduersus Arij blasphemias constanter defenderunt, & posteris quoq; temporibus omni studio in hoc incubuerunt omnes pij, vt in ecclesijs pura & integra seruaretur: quorum fidem & constantiam hodie etiam tam ministri ecclesiarum quàm pij magistratus imitari debent, qui Christianam religionem saluam & incolumem manere cupiunt. Cæterum quia Ioannes Euangelista æternum Dei Filium ita hominem factum esse docet, vt quam semel assumpserat carnem neque deposuerit vnquam, neque etiam quæ illi propria sunt mutarit: simul eos quoq; confutat, qui illam in diuinitatis naturam abijsse, & cum hac per omnes mundi totius partes diffundi aut omnipræsentem esse contendunt. Quod vnum si probè obseruetur, Sacramẽtariæ etiam cõtentioni, quæ ecclesias iam nimis diu infeliciter turbauit, finis imponi poterit. Tam multa enim tamq; luculenta de Christi ex terris discessu testimonia congerit, & rursus meriti eius virtutem & spiritus sancti præsentiam, qua ille suam ecclesiam regit, sic prædicat, vt non difficile sit videre, quid pij in hac cõtrouersia credere, quid item fugere aut aspernari debeant. Iterum ergo dico & constanter affirmo, nullum alium Scripturæ Sacræ librum esse, qui Domini & redemptoris nostri IESV CHRISTI atq; fidei Christianæ mysteria euidentius exponat, & cuius diligens lectio ad dirimendum nostri seculi controuersias magis necessaria sit, quàm istum, quem intimus ille & dilectus discipulus spiritu sancto authore et impulsore conscripsit. Nihil ergo abs me temere, nihil præter officium factum est, quando hunc ecclesiæ, quam mihi Deus credidit, hoc potißimùm tempore interpretatus sum. Volui autem meas in illum meditationes scriptis mandare, vt amicorum votis satisfacerem, qui me frequenter monente, vt quod semel cœpi facere in enarrandis Sacræ scripturæ libris, porrò facere pergam.

Qua fide autem & diligẽtia in hoc scribendi genere hucusq; versatus sim, piorum esto iudicium, quod ego maximi facere consueui, vt qui labores meos ecclesiæ & pijs omnibus vtiles esse cupiã. In præsenti certè affirmare possum, me hoc vnum spectauisse, vt D. Euangelistæ, vel ipsius Iesu Christi potius, mentem assequerer, et omißis spinosis disputationibus, singula lectorum siue auditorum institutioni et consolationi accommodarem, prout nostri seculi mores postulare videbantur. Itaq; non statim protuli, quod primo intuitu optimum esse apparebat, sed diligẽter inspexi et legi interpretes cùm veteres tum recẽtiores, quoscũq; videre potui: quorum nomina interdum adducere libuit, D. Augustini imprimis & Cyrilli, non quòd in diuinis humanam authoritatem aliquid valere putem, sed vt constet omnibus, nihil in nostris ecclesijs tradi, quod veteri ecclesiæ inauditum fuerit. A nostri seculi scriptorum nominibus consultò abstinui, & nunc quoq; abstinendum puto, ne quos in faciem laudare videar: interim non pudet fateri, me multorum lucubrationibus vehe

menter

menter adiutum esse, sæpe etiam eorum verbis vsus sum, quos authoris sensum propius attigisse videbam. Hoc illi non ægre ferent sat scio, quando mihi de illis persuasum est, eos non alium sibi studiorum suorum scopum proposuisse, quam vt in cognitione Scripturarum nō modò vulgus instituāt, verum etiam in eodem stadio secum decurrentes symmystas adiuuent. Et notum est illud Pauli: Spiritus prophetarum prophetis subijciuntur.

Porrò nostras hasce lucubrationes tibi Steigere Consul dignißime imprimis dedicare volui, vt sub tui nominis clarißimi patrocinio in lucem exeant: cuius consilij certa mihi ratio constat. Fuit vterque alteri iam inde à iuuentute notißimus, & cùm ante annos triginta tres in vrbe nostra bonis literis operam dares apud sanctißimum senem D. Conradum Pellicanum, quo hospite & præceptore domestico vtebaris, ea inter nos amicitia tunc coaluit, quam tu pro tua humanitate in hunc vsque diem saluam atque stabilem esse voluisti, sicuti non vno officij genere abunde testatus es. Merebatur ergo iampridem tua beneficentia, vt meum quoq; amorem & animi mei gratitudinem ipse vicißim aliquo officio publicè testarer. Ad quam rem munusculum aliquod literarium & Theologicum mihi cumprimis idoneum esse visum est, cùm tu literas cùm Græcas tum Latinas à puero colueris, & studiorum tuorum finem semper tibi præfixum habueris verum Dei cultum, qui non aliunde quam ex prophetarum & apostolorum libris rectè discitur. Quapropter eos minimè hic curo, quibus absurdum & indignum videtur, si de rebus sacris apud magistratus & principes viros sermo fiat, aut ijsdem libri de religione scripti offerantur. Sunt enim hi indigni qui audiantur, quando se non tam sacrorum omnium quàm eorum, quæ ad rempub. pertinent, rudes & imperitos esse produnt. Volunt quidem isti magistratus obseruantißimi videri, sed ijdem hunc extrema contumelia afficiunt, quando principes viros procul à sacris relegant, & quantum in ipsis est, pro prophanis ducunt eos, quos Deus sibi præ alijs consecratos esse voluit, quos circa religionem & Dei cultum imprimis debere occupatos esse, finis admonet, ad quem ipsos in tota sua functione respicere decet. Est is populi salus & reipub. conseruatio. Quis verò ignorat, ista ab vnius Dei nutu pendere? Beatus populus (inquit Dauid) cuius Deus est Iehoua. Et Isaias de Christi regno vaticinans inter alia dicit: Gens & populus, qui tibi non seruierint, peribunt. Nunquam igitur suo officio rectè fungetur magistratus, neq; ad functionis suæ finē pertinget, nisi verum Dei cultum et fidei puritatem in populo promoueat atq; tueatur: quæ duo cùm sine doctrina conseruari non possint, de huius veritate principes viros quàm maximè solicitos esse conueniet. Intellexerunt hoc olim quotquot inter gentes paulò rectius sapuerunt. Plato enim tum denique respub. beatas & felices fore dicebat, si aut philosophi præessent, aut qui præsunt philosopharentur. Cicero autē Romanæ eloquentiæ et sapientiæ facilè princeps, cùm multa passim dicat in philosophiæ laudem, tamen quasi parum alibi dixerit, in 5. Tusc. om-

nem humani generis felicitatem illi acceptam ferre non dubitat, quando in eâ iusmodi verba erumpit: O uitæ Philosophia dux, ô virtutis indagatrix expultrixq; vitiorum, quid non modò nos, sed omnino vita hominum sine te esse potuisset? Tu vrbes peperisti, tu dissipatos homines in societatẽ vitæ cõuocasti. Tu eos inter se primò domicilijs, deinde coniugijs, tum literarũ & vocum communione iunxisti. Tu inuentrix legum, tu magistra morum & disciplinæ fuisti. Tu vitæ tranquillitatem largita nobis es, et terrorem mortis sustulisti. Scimus autem philosophiæ vocabulo studium veræ sapientiæ comprehendi, quam in rerũ diuinarum & humanarum cognitione veteres consistere dixerunt. In qua sententia Cic. quoq; fuisse apparet, quando Philosophiæ non modò legũ inuentionem, morum disciplinam, humanæ vitæ societatẽ, coniugiorum item & sermonis communionẽ, verumetiam vitæ tranquillitatẽ et securum mortis contemptum tribuit, quæ duo sine vera Dei cognitione & illius cultu non possunt consistere. Rectè ergo de philosophiæ effectis et vtilitate iudicauit, in eo autem falsus est, quòd Scripturæ sacræ & uerbi Dei imperitus, sapientiam illam ueram hominum industria & acumine acquiri posse credidit. Quòd si uerò tantum ille tribuit inani sapientiæ existimationi, qua philosophi olim claruerunt, quantis putas laudibus ueram illam & omnibus numeris absolutam sapientiam euexisset, quæ in sacris literis traditur, si aliquam habuisset eius cognitionem? Non autem eos modò sic sensisse putabimus, qui natura ad otium literarium propensi, à foro & negotijs turbulentioribus abhorruerunt: sed uulgò hoc olim inter gentes receptum fuit, ut Reges diuinæ sapientiæ studio & oraculorum Dei cognitioni imprimis uacarent, et sacrorum quoque cura penes eosdem esset, cuius rei exemplum Moses in Melchisedecho proponitur. Et notum est illud Vergilij de Anio dicentis:

Rex Anius, rex idem hominum Phœbiq; sacerdos.

Et quanto studio ueteres Romani Deorum suorum cultum conseruatum uoluerint, nemo ignorare potest, qui historias eorũ uel obiter inspexit. Errarunt quidem illi omnes, quòd & Deum uerum ignorauerunt, & cultum eius in superstitionem commutarunt, attamen apud illos semper firmum ratumq; manſit principium istud pietatis, Rempub. sine religione felicem et saluam esse non posse, & ideò illius curam ad principes potissimùm pertinere putarunt. In suo autem populo Deus inter sacerdotum & regum officia diligenter quidem distinxit, attamen inter eosdem summam studiorum coniunctionem esse uoluit, & constat ex sacra historia, Iudæorum res nunquã tã felices fuisse, quàm si quando sacerdotes in officium suum probè intenti fuerunt, hos autem audiuerunt Reges, & vnanimi cum illis studio uerum Dei cultum defenderunt. Nec mutata est hæc ratio sub Christi aduentum, neque etiam mutari debuit, ut in prophetis est uidere, qui Reges ecclesiæ nutritios fore uaticinantur, & notus est Psalmi secundi locus, quo Dauid illos monet, ut Dei filium exosculentur & reuerenter colant. Obseruarunt hoc

olim

olim Christiani principes, inter quos primus locus meritò debetur Constantino Magno, qui vt ecclesijs post diuturnas persecutiones pacem dedit, ita Dei cultum & fidem in Christum studiosissimè propagauit, ideoq; victorijs & Imperij splendore illustris fuit. Hunc adeò non puduit res sacras tractare, vt ad eas potissimùm se diuinitus vocatũ putaret, sicuti eius actiones & epistolæ testantur. Nam vt Socrates Eccles. hist. libro primo, capite nono tradit, ad Macariũ Hierosolymitanum episcopum sic scripsit: ὅτῳ ἀεὶ καὶ πρῶτῳ καὶ μόνος ἔστι μοι σκοπὸς, ἵνα ὡς πρὸ ἑαυτοῦ ὄσιμέραι καινοτέροις δώμασιν ἡ τῆς ἀληθείας πίστις γνωρίζηται, ὅτῳ καὶ ἐν ψυχαὶ πάντων ἡμῶν περὶ τὸν ἅγιον νόμον σωφροσύνη καὶ ὁμογνώμονι πολιτείᾳ ἀσφαλέστεραι γίγνονται. Id est, Hic mihi primus & vnicus scopus est, vt quemadmodum vera fides seipsam quotidie nouis miraculis demonstrat: ita etiam omnium nostrûm animæ prudentia & vnanimi circa sanctam Legem studio alacriores fiant. Et rursus in alia epistola ad ecclesias idem Constantinus hæc habet: τοῦτον πρὸ πάντων ἔκρινα ἐμοὶ σκοπὸν προσήκειν, ὅπως παρὰ πᾶσι μακαριωτάτοις τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας πλήθεσι πίστις μία, καὶ εἰλικρινὴς ἀγάπη, ὁμογνωμόντε περὶ τὸν παγκράτη θεὸν θυσίᾳ τηρῆται. Quorum verborum sensus est: Hunc scopum mihi præ omnibus conuenire iudicaui, vt apud beatissimos catholicæ ecclesiæ cœtus vna fides, & syncera charitas, vnanimisq; erga Deum omnipotentem religio siue pietas conseruetur. Secuti sunt huius vestigia pij successores, Gratianus & Theodosius, qui cum Scripturis sacris veterum quoque Patrum scripta, per hæreticos falsarios corrupta, conquiri & restitui curauit, sacra impia aboleuit, idolorum templa euertit. & propter syncerũ pietatis studium à Deo miraculosè adiutus est contra Eugenium & Arbogastum, quorum copias ventorum turbines & procellæ turbarunt, vt ipse victoria potiretur, quam vix sperare ausus fuerat. Extant de hac versus Claudiani:

O nimiùm dilecte Deo, cui militat æther,
Et coniurati veniunt ad classica venti.

Debet his adnumerari Theodosius Secundus, qui noui testamenti libros sua manu descripsit, eorum partem aliquam quotidie legit, manè item cum coniuge & sororibus precationes facere & Psalmos canere solitus fuit. Neque minus laudis meretur Martiani pietas, qui in Imperij fastigium euectus, nihil potius habuit, quàm vt Eutychis doctrina cognosceretur, quæ tunc temporis ecclesias vndiq; turbabat. Quare synodo indicta Chalcedonem episcopos conuocauit, & ne turbulenti quidam alios in dicendis sententijs impedirent, ipse disputationibus interfuit, & memorabilis est eius protestatio ad episcopos: Nos ad confirmandam fidem, non ad ostendendam potentiam, exemplo Constantini Imperatoris pij, Synodo interesse volumus, vt inuenta veritate, dissidia tollantur. Possem huius generis exempla multa commemorare, quæ docent curam religionis ad magistratus imprimis pertinere, et proinde nihil præter officium facere ecclesiarum ministros, qui suas lucubrationes illis nuncupant, vt & ipsi earũ lectione magis excitentur, & sua authoritate illis fidem

maiorem concilient. Fecerunt hoc olim sancti Patres, & ante hos Diuus Lucas Euangelista suos de IESV CHRISTI et apostolorũ historia libros Theophilo, viro illustri & magistratum gerenti, inscripsit: nimirum quòd & huius pietas ita mereretur, & vt ex eo pij omnes exemplum & consolationẽ peterent. Tantorum igitur virorũ exemplis fretus mordaces Momos facilè contemno, qui vt nihil quàm quod ipsi faciunt rectum putant, ita inuidiæ fascino excæcati omnium aliorum dicta et facta malignè carpũt. De te verò amplißime COS. spes mihi certa est, te hunc meum conatum pro animi tui candore æqui boniq; consulturum esse. Amauisti hucusq; bonas literas, pietatem verò & puriorem veritatis doctrinam ita colis, vt eo nomine pijs omnibus semper charus, patriæ autem singulari ornamento fueris, quæ te iuuenẽ adhuc ad publica munera adhibuit, in quibus ea fide & industria versatus es, vt magna cum laude & communi ciuium tuorum fauore ad supremum in magnifica Bernensiũ Repub. gradum ascenderis. Quem ita tueris, vt prudentiam & pietatem tuam cũ singulari modestia coniunctam boni omnes prædicent. Te certè Euangelicæ veritatis fidum patronum esse testantur, quicunq; in ecclesijs Bernensibus publicè docent. Quapropter suo quoq; fauore te prosequitur Deus, & suæ erga te promissionis probè memor est: Honorantes me honorabo. Perge igitur cõstanter in instituto hoc tam sancto, et memineris donorũ Dei, quæ hic in te contulit amplißima, non alium vsum meliorem & quæstuosiorem esse, quàm vt eius honori, doctrinæ veræ propagationi & ecclesiæ conseruationi seruiant. Quicquid enim mundo & carni impenditur, id vel nimium ferè est, vel etiam noxium. In Dei cultu autem & veritatis cognitione nullum studium superuacuum, aut noxium vel inutile esse potest. Suscipies ergo meum hunc laborem eo animo, quo & me semper complexus es, et quo piorum omnium studijs fauere consueuisti. Etsi enim te in IESV CHRISTI & euangelij eius cognitione eò vsq; profeciße sciam, vt mea institutione nequaquã opus habeas, gratam tamen & acceptam tibi fore spero qualemcunque hanc gratitudinis significationẽ atq; publicum nostræ erga te obseruantiæ testimoniũ. Deus Opt. Max. te cum inclyta Bernensium Repub. sua virtute seruet, spiritu suo regat, & dona sua in te augeat ad sui nominis gloriam & communis patriæ conseruationem. Amen. Tigu-

ri pridie Idus Martias. Anno incarnati Filij Dei

M. D. LXV.

INDEX RERVM ET VERBORVM IN HIS HOMILIIS MEMORABILIVM.

Ablutio pedum 280. 275
Abnegatio Christi 355. b. 377. 289 eius causæ 359. fructus 356. b. pœna 268. b. 15
Abnegatio nostri ipsius 258. 266. b
Abrahami fides 182. b
Abrahami filij qui? 164. b
Absolutio à peccatis 148. b
Adoptio filiorum Dei 9
Adoratores veri & falsi qui 64
Adulterij peccatũ 143. 143. b. 144. b 145. pœna. 144. 144. b. 145
Adulterium spirituale 170
Aegrotorum officium 223
Aegrotis quæ officia debeantur 223
Aenon qualis locus 49
Aeterna vita 290. b. 246. b
Affectus Christi 233. b
Affectus quomodo reprimendi 388
Affectuũ humanorum vis 226. b 188. 348. b
Afflictio piorum 222. b. 320. 332. b
Afflictiones quomodo ferẽdæ 190. 236. b. 379. b. 346. 327. 315
Afflictionum causæ 87. 101. 22. b
Afflictionum ratio & modus 353 259. 307. b. 328. 185. b. 200. 76
Afflictionum remediũ 230. b. 101. b
Afflictionum finis & vsus 71. b. 186 305. b. 398. b. 333. 354
Afflictorum commiseratio 315. b
Afflictorũ officium 259. b. 260. 223. de Afflictis quomodo iudicandum 222. b
Agni paschalis esus 383
Agnorum sacrificia qualia 16. b
Alcibiadis consilium Pericli datum 48
Alexandra mater Hircani Pharisæorum fautrix 56
Ambitionis malum 289. 269
Ambitiosorum inanis gloria 181
Amen, iuramentum Christi 82
Amoris Dei simul & mundi discrepantia 374
Amoris mutui fructus 315
Amicitiæ veræ lex 313. fructus 313. b
Anabaptistarum errores 23. 249
Angeli Christo ministrant 388. b
Angeli quando super Christum descenderint 24
Animæ sitis 135. cibus 106. b
Animam seruandi vera ratio 257. b
Animarum conditio 381
Animarum immortalitas 81. b
Animas non dormire 81. b
Antichristianum Concilium 358
Antichristianum examen 193. b
Antistites falsi 33. b. 138. b. 356. b
Antistitum ecclesiæ officium 30. b
Antistitum falsorum tyrannis 362
Antistitum verorum & falsorum notæ 204. b
Antonia arx Hierosolymis 30. b
Apollinaris error 42. b. 10. b
Apostasiæ à Christo pœna 309. b
Apostoli veri & falsi 93. b
Apostoli patresfamiliâs 379
Apostoli quare nõ instituti in scholis 126
Apostoli signa fecerũt maiora quã Christus 295. b
Apostoli qui & quales à Domino in mundum mittantur 391. b. 392
Apostoli quomodo omnia reliquerint 398. b
Apostolorum Christi ignorantia 387
Apostolorum doctrinæ authoritas 52. b. 343. 408
Apostolorum in docendo indefessus labor 67
Apostolorum officium 319
Apostolorũ præposterus zelus 297
Apostolorum simplicitas 283. 284
Apostolorum successores 23. 121
Apostolorum vocatio 20. 21. 21. b
Apostolis quomodo potestatis claues datæ 393
Apostolicæ doctrinæ perfectio 336. b. 324. b. 325. 291. b. 303 veritas 382. b
Aqua viua Christus 59. 135
Aquæ lustralis descriptio 27. b
Arrianorum error 77. b. 396. b 305. b. 300
Arrogantiæ detestabile malũ 275. b
Athanasij fides & constantia 211. b 139. b
Augustini de Iuda proditore dictũ 249
Augustini fides & constantia 211. b
Auaritiæ malum 166. 245. b. 248
Auaritiæ effectus 349
Aulicorum mores 358. 374. 356

B

Bachanalia 124
Balaami de venturo Christo vaticinia 65
Baptismi authoritas 55. b
Baptismi in regeneratione vsus 40
Baptismo paruuli non arcendi 55. b
Baptizare in spiritu sancto quid 18
Barcochabas Messias Iudæorum 93
Barrabas latro Christo præfertur 368. b
Beatitudo vera in quo consistat 397
Benedictio omnis vnde proueniat 399. b. 401. b
Beneficentiæ studium 97. 379
Berrhœensium conuersio 68. b
Bethabara qualis locus 16
Bethsaida ciuitas 21. b
Bibliothecæ 92
Bona Ecclesiastica 248. b
Bona opera 398. b. 249. b
Bona qua ratione à Deo impetrentur 27
Bonauenturæ libri falsi 29
Bonum summum hominis in quo consistat 292. b

C

Caiaphæ prophetia 242
Calumniæ quomodo ferendæ 35. b
Cana Galileæ vrbs 25
Capernaũ Christi ciuitas 29. b. 30
Carnis prærogatiua ad salutem nõ prodest 123
Cæcitas humana 187. b. 188. b. 202. b
Cœna Bethanienſis 246
Cœnæ Dominicæ vsus 112. b. 114
Charitas fraterna 52 222. b. 288
Charitas perfectio legis 287
Charitatis lex quatenus seruanda 268. b. 315. b
Charitatis mutuæ leges 312. b 315. 280
Christus agnus Dei 16. b. 19. 383
Christus an animam humanam receperit 10. b
Christus an baptizauerit 49. 55. b
Christus vnicus noster cibus 104
Christus à quibus ferè damnetur 374. b
Christus creator omnium 4. 5
Christus crucifigitur 375. b
Christus cui oues suas pascendas commiserit 404
Christus Deo patri cõsubstantialis 78
Christus Ecclesiæ sponsus 51
Christus ostium 208. b. 206. b
Christus exemplũ vitæ nostræ 280
Christus flagellatur & spinis coronatur 369. b
Christus fons aquæ viuentis 135
Christus iudicij extremi dominus 82. b. 83
Christus in terram scribit 145. b
Cristus in vna persona Deus & homo 11
Christus legis consummatio 380. b
Christus legi subditus 88. 148
Christus lux mundi 149. b. 186. b
Christus mediator noster 24
Christus ministerij Ecclesiastici author 392
Christus non tollit iudicia aut scelerum pœnas 146
Christus nunquam prædicatur frustra 36
Christus omnium promissionum

finis 131.b
Christus panis vitæ 112.106.106.b 98.b
Christus pastor ouium 200.205. 212.351.209.b.210.b
Christus an opes habuerit 248.b
Christus peccati expiatio 17.17.b 246.b
Christus propheta 99
Christus quanti fecerit matrem suam 26.b
Christus qua ratione verè cognoscatur 388.b
Christus qualis post resurrectionem suam 389.39
Christus quare crucifixus 45.b
Christus quare orauerit 235.237
Christus quare à Iuda prodi debuerit 282
Christus quare in mundum venerit 202.b
Christus quare mortem horruerit 259.b
Christus quare sacerdotibus Iudęorum exosus 240
Christus quare sui cognitionẽ mundo neget 299.302
Christus quatenus imitandus 148
Christus quomodo præsens sit in terris 250
Christus quomodo mãducetur 107
Christus quomodo neminem iudicare dicatur 148
Christus quomodo in nobis habitet 300
Christus Rabbi, Doctor, & Magister noster est 232.b
Christus resurrectio & vita 230.b
Christus rex & sacerdos 9.b.24
Christus regnum sibi oblatum respuit 100.b
Christus vbique suos habet 244
Christus verus Deus & homo 120.b
Christus verus noster pontifex 260
Christus vera imago patris 294.b
Christus via veritas & vita 292
Christus vitis vera 307
Christus vniuersalis omniũ redemptor 360.b
Christi agni & oues 404.b
Christi antecessores, quales 207
Christi ascensionis vsus 117
Christi captiuitas 353.b.348
Christi caro quomodo edatur 107
Christi caro quomodo nihil prosit 117.b
Christi caro non manducatur ab indignis 114.b
Christi cibus qui sit 66.b
Christi cognitio vnde ꝓueniat 110
Christi conuiuium cum discipulis à resurrectione sua celebratum 401.b
Christi corporis præsentia in terris 250.298.322
Christi corporis proprietas 250
Christi crucis titulus 376
Christi Deitatis vsus 270
Christi discipulorum nota 19.20
Christi diuina potentia 155.b
Christi diuinitas per incarnationẽ non exinanitur 11.b
Christi doctrina qualis 111.b.116
Christi ecclesia vnica est 213
Christi ecclesiæ primitiæ 141.b
Christi ecclesiæ fines 212.b
Christi ecclesiæ typus 101.b
Christi & Dei patris vnitas 86.b
Christi & mundi spiritus 298.b
Christi fratres qui 29.122.b
Christi fuga 56.243.b
Christi glorificatio 260.b
Christi hostes qui & quales 349
Christi humilitas 208.b.274.b
Christi infirmitas 57.259.b.260
Christi in iudicium aduentus 47
Christi innocentia 175
Christi iudicium iustum 86.b
Christi lachrymæ 233.b
Christi latus transfigitur 381.b
Christi miraculorum vsus 96.251
Christi mors acerba 378.379.b
Christi mortis causæ 245.274
Christi mortis fructus 242.b.261
Christi mortis typi 264
de Christi morte prophetiæ 264
in Christi morte signa 160.383
Christi omnipotentia 79.b.90
Christi opera diuina 90.295
Christi operum finis 199.220.b
Christi oues qui sint 204.b.205.b
Christi ouium notæ 205.b.206.b
Christi ouile vnicum 212.b.213
Christi passionis vsus & finis 43.b
Christi spiritus perturbatio 283
Christi paupertas 57.b
Christi potentia 19.21.b.30.b.33 40.b.147
Christi præcepta quæ sint 297.b 311.b.312
Christi qui maximi hostes 371.b
Christi regnum hominum incredulitate non euertitur 8.b.108.b
Christi regnum quale? 163.b
de Christi regno opiniones noxiæ 363.b
Christi resurrectio à mortuis 385.b
Christi resurrectionis fructus 391.b
Christi sepultura 383.b.384
super Christi sepulchrum Veneris templum ædificatum 56
Christi sequelæ fructus 209
Christi serui qui sint 280.b.247
Christi sors in his terris 96.b.122.b 129.378
Christi sponsi amici 51.b
Christi spiritus qualis 54
Christi successores & vicarij 298
Christi typi legales 43.b 44.45
Christi vera cognitio 210.396
Christi vera dilectio 258
Christi veri discipuli 319.b.100.b
Christi vincula 354.b
Christi vulnerum cicatrices 395.b
Christi zelus pro domo patris 33
Christo Barrabas latro præfertur 368.b
Christo quomodo benefaciendum 384.b.250
ad Christum quare pauci conuertantur 108.266
Christum quomodo apprehendamus 270.b.107
in Christum quomodo credendum 270.221.290.b.233
Christum quomodo verè amemus 274
à Christo deficientium pœna 309.b
Christo in cœlis agente quomodo fruamur 110.296.135
in Christo solo saluamur 270.b
in Christo quid quærendum 254. 103.b
in Christo quomodo coniungamur 242.b
in Christo quomodo maneamus 310.311.162
in Christo quomodo lux credentibus tribuatur 265
Christianus quis? 162.b.169
Christiani hominis vita 278.104
Christiani nominis inanis gloriatio 169
Christiani quare persequantur 364.b
Christiani quibus calumnijs maximè grauentur 363
Christianorum dignitas 302.b
Christianorum Encænia 215.b
Christianorum fides qualis? 270
Christianorum hominum nota 293. 136.257
Christianorum ignauia 218.b
Christianorum luctus qualis esse debeat 229.229.b
Christianorum officium 263.b 167.b 271. 300.b 247. 46.b 205.b 206.b 258.b 248.b 231.b.232
Christianorum opera 90
Christianorum pascha 244
Christianorum persequutiones 320
Christianorum priuata vltio 358.b
Christianorum qui maximi hostes 364.389.b
Christianorum reformatores 32
Christianorum sepulturæ 234.b
Christianorum sors in hoc mundo 354.354.b 206.b 317.390.b
Christianorum zelus pro Ecclesia 33
Christianis quando fugere liceat 243.b
Christianis religionem suam defendere licet 366
Christianismus totus in quo consistat 297
Christiana libertas 163.b
Christiana vnitas & concordia 344
Christianæ charitatis regula 287. 187.b
Christianæ doctrinæ certitudo 313.b.41.b
Christianæ dilectionis modus 312.b

Christianæ fidei vetustas 207.b
Christianæ libertatis effecta 167
Christianæ patientiæ lex 365
Christianæ religionis summa 19.b
certitudo 367.b
Cibi & potus vsus 98.b
Circuncisio veterum 129.b
Circuncisionis modus & ratio 64
Claues regni cœlorum 393
Claues Romanorum pontificum quales 393
Cognitio Dei vera 335.347
Cognitio futurorum vnde petenda 325.b
in Cœlum ascendere quid 42.b
de Cœlo disputationes inutiles 291
in Cœlo mansiones & loca 290.b
Coloniæ Samariam deductæ 85
Concilium Antichristianum 358. 241.360.b
Conciliorum authoritas 240.b
Conciliorum indicendorum ratio 33.b.34.
Concordiæ veræ ratio 343.b.275
Confessio fidei vera 24.196.b 268.231.202.190.191.b.181.b.182. 258.254.396. falsa 268.181.b.182
Confessionis fidei necessitas 268
Confidentiæ pœna 289.b.355.b
Coniugium spirituale 51.b
Coniugij prophanatio 25.b
Coniugiorum mos vetus 26
Conscientia bona 152
Conscientiæ testimoniũ 152.271.b
Conscientiæ vis magna 147
Consortium impiorum noxia 359
Cõtentiones in ecclesia vnde 49.b
Conuersionis veræ exemplũ 386.b
Conuersorum officia 66
Conuiuium ecclesiæ nuptiale 29
Conuiuiorum vsus 247
Corona Christi spinea 369.370
Corporum resuscitatio 84.b.85
Correptio errorum libera esse debet 128.b
Correptio fraterna 87.b.41
qualis esse debeat 172.391.395. 282.b.283.b
Creationi omnium finis 186
Credentes quomodo non iudicentur 47
Credentium paucitas 266.b.42
Crimina quomodo diluenda 177
Crucis Christi vsus 262.b
Cultus diuini vera ratio 53.b.64. 310
Cultus qui damnandi 63
Curiositatis pœna 355.b.406

D

DEus an author peccati? 274.b
Deus certo ordine vitæ huius casus disponit 353
Deus credentes non iudicat 47.b
Deus damnans non accusandus 48
Deus fidem exiguam non spernit 161.b
Deus hostes suos eludit 137.b
Deus inuisibilis est 13.b
Deus largitor omnium 98
Deus non est causa perditionis nostræ 267
Deus non respicit personam 208.b
Deus nostris fructibus glorificatur 310.286
Deus omnia perfecta & bona condidit 173
Deus orphanorum pater 299.b
Deus omnia videt 225.b.185
Deus pater in filio agnoscitur 80. 111
Deus peccatores quomodo nõ audiat 198.b
Deus perpetuo & semper operatur 77
Deus quare opem suam interdum differat 224.227
Deus quare parabolis in scripturis vtatur 306.b
Deus quomodo nos trahat 110.b
Deus quomodo venire & abire dicatur 302.b
Deus suos nunquam negligit 253. 359.b
Deus vbique suos habet 37.139
Deus veritas est 152
Deus vnde cognoscatur 400.b
Dei bonitas 97.119.403
Dei cognitio vera 91.155.b.181.b. 182.294.b.331.b.335
Dei cognitionis causa 110
finis 347
Dei contemptus origo omnis impietatis 168
Dei cultus non ex hominum arbitrio pendet 17.b
Dei domus quæ? 266.b.33
Dei domus vasa 167
Dei donorum ratio 136.b.220
verus vsus 73.348
Dei electio gratuita 314
Dei electorum certus est numerus 108.b
Dei erga homines misericordia 360.
amor 330.b
Dei filiorum adoptatio 9
Dei filiorum notæ 171.b,175.b
Dei gloriæ studium 232.249.b
Dei gratia libera est 90.b.56.b.103
Dei gratia quomodo recipiatur 265
Dei gratiæ contemptorum pœna 156.b
Dei honor homini non est tribuendus 78
Dei iudicia iusta 86.b
Dei iudiciorum seueritas 271.b
Dei obedientia 186.b.232.b
Dei omnipotentia 82.285.b.235
Dei opera propria 90.105.227
Dei operum vsus 251.29
imitatio 77.b
Dei patris & filij vnitas 153.300. 294.b
Dei patris & filij eadem essentia 78 79.86.b
Dei patris vera imago Christus solus 294.b
Dei præceptorum obseruatio 311.b 297
Dei prouidentia 63.b.200.132.b. 233.225.b.77
Dei prouidentiæ vsus 353
Dei profectio in periculis 290.b
Dei tractus qualis 110.263
Dei vera agnitio quæ? 388.b.155
Dei verbi contemptus 109.b.106.b
Dei verbi contemptus pœna 93.b. 122
Dei verbi expositio qualis esse debeat 118
Dei verus cultus 105
Deo plus quam hominibus obediendum 138.251
Deum videndi cupiditas 294
Deum quomodo tentemus 234.b
de Deo opiniones variæ 386.b
Deitas Christi 201.b
Deitatis Christi vsus 270
Deorum pluralitas 60.b.292.b.
Dedicationes templorum 215.b
Defectionis à Christo pœna 309.b
Diabolus homicida 173
Diabolus mundi princeps 262. 306
Diabolus quare cœlo eiectus 173
Diabolus quomodo nos tentet 359.b
Diabolus quomodo victus & eiectus dicatur 263
Diabolus quo perducat homines 369.b
Diaboli astutia in oppugnãdo Christo 10
Diaboli desideria quæ sint 172.b
Diaboli filij qui sint 172.173.b. 174
Diaboli insidiæ 148.b
Diaboli impotentia 172.b
Diaboli seruitus 166
Dies nouissimi tempus 84
Dilectio Christi erga suos 274
Dilectionis Christi nota 297
Dilectio fraterna 222.b.275.b
Dilectionis fraternæ officium 280
Dilectionis fraternæ cõmoda 315
Dilectionis fraternæ lex 287.288
Discipuli Christi veri qui & quales 19.b.20.23.
Discipuli Christi iussu baptizant 49.b
Discipulorum Christi concordia 398.b
Discipulorum Christi functio 406
Discipulorum Christi ignorantia 387
Discipulorum Christi nota 288
Dissidia ecclesiæ vnde nascantur 49.364
Diuinæ legis obseruatio 128.b
Diuinitatis personarũ distinctio 153
Diuinitas Christi 269.b
Diuorum adoratores 329.405.b
Diuorum intercessio 330.b.256
Diuitiarum vanitas 141.b.238
Diuitiarum legitimus vsus 248.b. 284.b
Doctrina Apostolica 382.b

& 343.336.b.303.b.282.324.b
Doctrina Euangelij semper eadem 158.b
Doctrina Christi de cælo & eius mansionibus 291
Doctrina Christi dura 116
Doctrina Christi diuina 295.126
Doctrina Christi quare exosa 116. 157.b
Doctrina pro tẽporis ratione temperanda 123
Doctrina quæ damnanda 192.b. 126.b
Doctrina salutis quibus maximè reuelatur 198.b
Doctrina veritatis quomodo filij huius seculi efficiantur 367.b
Doctrina vera quomodo proponenda 159.357.b
Doctrina vera non mutanda 113.b
Doctrinæ apostolicæ perfectio 303 336.b
veritas 382.b
Doctrinę Christi authoritas 202.b.
Doctrinę Christianę certitudo 40. b.357.b.313.b.43
Doctrinæ Christianæ scopus 141
Doctrinæ Euangelicæ effectus 203. 303.b
Doctrinæ Euangelicæ necessitas 251
Doctrinæ Euangelicæ ignorantia 158
Doctrinæ Euangelicæ summa 178
Doctrinæ Papisticæ censura 127.b 165.138.b
Doctrinę verę notę 127.325.b.152.b
Doctrinæ veræ contemptus 93.b
Doctrinæ veritas ministris asserenda 151.b
Doctrinæ veritatis oppressores 197.b
Doctor noster Christus est 232.b
Doctoris boni typus 134.b
Doctores veri & falsi 93.b.392.b
Domesticorum perfidia 282
Dominus dominantium 365.b
Donorum discrimina 50.295.b 400.b.136.b
Donorum fidei dispensatio 384
Donorum Dei vsus 50.b.348.98.73

E

EBrietatis peccatum 28.28.b
Ebrietatis pœna 353.b
Ecclesia Christi quomodo colligatur 213
Ecclesia Christi vnica est 213
Ecclesia cur semper persequutionibus exerceatur 48.b
Ecclesia domus Dei 167
Ecclesia filia Zion 253.b
Ecclesia macula nõ caret 245.307. 121.167.249
Ecclesia suam sedem semper apud aliquos habet 227.b.268.244
Ecclesiæ antistites falsi 248.197
Ecclesiæ achitecti 33
Ecclesię dissidia vnde 49.b.59.204
Ecclesiæ doctrina qualis esse debeat 126
Ecclesiæ Christi fines 212.b
Ecclesiæ Christi primitiæ 141.b
Ecclesiæ Christi typus 101.b
Ecclesiæ conditio in his terris 19. 96.b.299.b
Ecclesiæ consensus & vnitas 343.b 344
Ecclesiæ conuiuium nuptiale 29
Ecclesiæ & fidelium vera nota 302
Ecclesiæ fides vera quæ sit 297.b
Ecclesiæ fundamentum Christus 355
Ecclesiæ fures 248.b.207.209.b
Ecclesiæ hostes 211.b.245.b.349
ab Ecclesia discedere quantum noceat 394
Ecclesiæ Iudaicæ miser status 240
Ecclesiæ lupi 211.b
Ecclesiæ membra 167.302
Ecclesiæ ministrorũ officium 232
Ecclesiæ misera corruptio sub Papatu 392.b
Ecclesię nocentissimi hostes 348.b
Ecclesiæ nostri temporis miser status 357
Ecclesiæ nundinatores 30.b.31
Ecclesiæ oeconomia 51.b
Ecclesiæ opes 148.b.155.b.284
Ecclesiæ primitiuę persequutiones 314.b
Ecclesiæ quis verus pastor 205
Ecclesiæ reformatio quomodo sit instituenda 31.31.b
Ecclesiæ sors in mundo 370 378
Ecclesiæ scortatio 32.b
Ecclesiæ sponsus Christus 51
Ecclesiæ tyrannis vnde 69.b
Ecclesiæ vnitas 243
Ecclesiastici ministerij author 392
Ecclesiastici ministerij ratio 49.b
Ecclesiastici ministerij typus 399.b
Ecclesiastici muneris difficultas 403.b
Ecclesiasticorum dissidiorum causæ 204
Ecclesiastica ministrorum potestas 393
Ecclesiasticæ disciplinæ vsus 195
Eleemosynæ leges 250
Electio Dei gratuita 188.314
Electio Dei libera est 58.b
Electionis modus 388.b.281
Electi quomodo à Deo trahantur 110.b. 213
Electorum Dei numerus 108.b
Electorum ecclesia vnica est 213
Electorum & reproborum discrimen 400.120.48
Electorum fidei imbecillitas 29. 288.b.71.b
Electorum in cœlis conditio 402
Electorum nota propria 205.b.175 206.b.207. b
Electorum obedientia 401
Electorum vocatio 23
Electos suos Deus vbiq; habet 37
Eliæ fortitudo 139.b
Encænia Christianorum, Iudæorum & Papistarum 215.b
Ephraim ciuitas 243.b
Epicuræorum impius error 77
Episcopi & Cardinales non sunt Apostolorum successores 121
Errores quomodo confutandi 219
Errorum omnium causa 387
Euangelium an dissidiorum causa sit 136.102.b
Euangelium Ioannis 2.b
Euangelium nunquam frustra prædicatur 132.b
Euangelium persequutionibus tolli non potest 314.b.200.315.b
Euangeliũ quare exosum 116.194.b
Euangelium quid sit 153.b
Euangelij abusus 89
Euangelij authoritas à quo pendeat 42.272
Euangelij æstimatio apud impios 368.b
Euangelij calumniatores 193
Euangelij contemptus quantũ peccatum 319.b
Euangelij contemptorum pœna 70
Euangelij dignitas 118.408
Euangelij effectus 203.402.268
Euangelij hypocritica professio 182
Euangelij inanis gloriatio 169
Euangelij messis 67.b
Euangelij præcones 1.b
Euangelij prædicatio vnde inchoanda 323
Euangelij qui maximi hostes 203.b
Euangelij seminatores 68
Euangelij totius summa 307.b
Euangelij veritas & certitudo 152 154.158.b
Euangelij vetustas 183
Euangelij vinum 28
Euangelio quomodo mundus afficiatur 367
Euangelici de quibus maxime rebus accusentur 363.372.176.b
Euangelici qui sint 169
Euangelica fides 162
Euangelicæ historiæ finis & vsus 408
Euangelistæ quatuor 2
Examen facinorosorum 196
Excommunicatio 195.200.b.320
Exæcationis pœna 351
Exorcismi Papistarum 308
Externa pietatis exercitia 30.63

F

FEstum tabernaculorum 122.b
Festorum dierum abusus 124
Fides cur rara in terris 94.b
Fides Dei donum est 110.105
Fides firmissimum consolationis argumentum 290.366
Fides medium salutis nostræ 135
Fides non ex hominum authoritate metienda 138
Fides non est absq; fructu 169
Fides non temeraria est 201

Fides patrum veteris Testamenti 183
Fides qua ratione acquiratur 343
Fides quid sit 44
Fides vera quæ sit 107.44
Fides sacramentis iuuatur 45
Fides salutis nostræ medium 278.b
Fidei abnegatio 355.b
Fidei abnegationis pœna 268.b
Fidei abnegationis causa 359
Fidei certitudo 201.b.41.b
Fidei effectus 258.b.61.69
Fidei confessio 258.231.133
Fidei conseruandæ ratio 35.b
Fidei vera constantia 199.258. 192.b.193
Fidei donorum dispensatio 384
Fidei & salutis ordo 183.201.b
Fidei gradus & incrementa 254. 161.b.163
Fidei humilitas 223.b
Fidei inanis gloriatio 169
Fidei infirmæ exempla 235.229. 229.b
Fidei inutilis professio 181.b.182
Fidei impedimenta 37.23.b
Fidei libera confessio 196.b.197
Fidei obedientia 189.21.b
Fidei perseuerantia 308.162.310
Fidei præmium 45.209.81
Fidei proprium 20.396
Fidei remoræ quæ 41.269
Fidei, spei, & charitatis perfectio 52
Fidei natura 201
Fidei vera ratio 290.b.80.b.297.b 135.b
Fidei necessitas 150.b
Fidei veræ finis 135.b.107.b
Fidei veræ integritas & constantia 192.b.193
Fidei veræ nota, charitas 288
Fidei veræ vetustas 207.b. 183.b
Fidei virtus magna 114.b
Fidem exiguam Deus non spernit 161.b.71.b
ad Fidem nemo cogitur 119
Fide sola saluamur 217.270
Fide vera qui donentur 216.b
Filij Dei qui sint 242.b.265.b
Filiorum Dei adoptio 9
Filiorum Dei notæ 171.b.109.175
Filiorum diaboli nota 172.b
Fideles quomodo non iudicentur 47.b
Fidelium conditio in terris 176.b
Fidelium dignitas 302.b
Fidelium infirmitas 288.b
Fidelium mortis fructus 214
Fidelium officium 82.b.247. 267.271.222.205.b
Fidelium pascua 209.b
Fidelium paucitas 42.141.b. 266.b
Fidelium vnitas & concordia 343. 344
Fortitudo quæ vera 290.148
Fornicatio spiritualis 170
Fractio panis 98
Fratres Christi 122.b
Fraterna charitas 222.b
vide Charitas fraterna
Frugum prouentus vnde 28
Funerum quæ ratio habenda 228. 384.b.234
Fuga ministrorum quando licita 184.56.122
Fuga pestis tempore an licita 312
Fuga quãdo licita Christiano 243.b
Furti atrocitas 204.b

G

Galilæa Gentium quæ 25
Galileæ descriptio 20.b
Galilæorum infamia 22
Gaudium verum & tristitia vera 328.b.312
Gazophylacium qualis locus 155.b
Gentium cæcitas 187.b
Gentium de Deo opiniones 155.b
Gentium de Dijs suis opiniones 372
Gentium de Euangelio iudicia 367
Gentium Dei ignorantia 294.b
Gentium vocatio 56.66.256.263. 212.b.213
Gentilium Deorum pluralitas 60
Generis & maiorum fiducia noxia 165
Gladij vsus licitus 353
Gloria Dei & hominum 269
Gloriæ inanis studium 94.b.264
Gloriæ huius mundi vanitas 281
Glorificatio Christi 285.285.b
Grãtia Dei immensa 103
Gratia Dei libera est 90.b.56.b
Gratia Dei quomodo recipiat 265
Gratia Dei salutis nostræ fons 366.b
Gratiæ & legis differentia 13.b
Gratiarum actio 98.236.b
Gratitudo vera 98.162.246.28

H

Hæreditatum rixose diuisiones 377.b
Hæreseum origo 35
Hebionis & Cerinthi hæresis 2.b
Heinrychi Imperatoris nuptiæ 26
Hierosolyma filia Zion 253.b
Hierosolyma Iudeæ metropolis 30
Hierosolymitani templi extructio 34.b prophanatio 31
Historiarum quæ vera lectio 174
Homo μικροκόσμος 5
Homo quam ad errores sit proclivis 407
Homo quibus à brutis differat 40
Homo quomodo à Deo trahatur 110.b
Homo quomodo Deũ tentet 234.b
Hominis abnegatio 258
Hominis affectus boni 234
Hominis cæcitas 163.188.b 202.b.266.b
Hominis Christiani officium 104
Hominis cibus duplex 106.b
Hominis corrupta natura 9.38. 236.94.104
Hominis ingratitudo 205.b.206
Hominis liberum arbitrium 163. 163.b.277.b.309.356
Hominis mors duplex 81
Hominis opera qualia 105
Hominis praua voluntas 40
Hominis regeneratio 9.b.277.b. 308
Hominis summum bonum in quo consistat 292.b
Hominis virium facultas 15
Hominis vera purificatio 361.b
Hominis vita quomodo seruetur aut amittatur 257.b
Homini Dei honor non tribuendus 78
Homines omnes serui nascuntur 163
Homines quomodo doctrina veritatis afficiantur 367.b
Homines quare nõ omnes in Christo saluentur 5
Hominum cultores quam sint miseri 270
Hominum damnatio vnde 48
Hominũ de Deo opiniones 388.b
Hominum incredulitas verbo Dei nihil derogat 42.53.b
Hominũ indurationis causa 266.b
Hominum in diuinis ignorantia 39
Hominũ maxima pars damnat 267
Hominum victus Deo curæ est 399.b.401.b
Homines quo perducat Satan 359.b
Honores salute nõ impediunt 70.b
Humani ingenij cæcitas 5.22. 59.b.97.105.b.155.157.b.158.159
Humana superbia pernitiosa 209
Humanæ carnis zelus 352.100
Humanæ redemptionis modus 262
Humanæ vitæ miseria 156.b.132.b
Humanæ vitæ tempus 225
Humanarum virium imbecillitas 277.b.356
Humani generis conditio 187.b 270.b.262
Humanorum affectuum vis quanta 388
Humanitatis officium 256.b
Humilitas Christi 274.b.275
Humilitas vera 95.209.223.b.275 279.301.b
Hospitalitatis officium 247.228.b
Hostes Christi qui & quales 349
Hostium Christi mores 349.350 pœna 350.b.124.b.132.154.b
Hydria carnis humanæ typus 66
Hydriæ purificationis 27.b
Hypocrisis vis 268.b
Hypocritarum ambitio 23.b
Hypocritarum mores 91.b.151. 203.b.361.b nota 93.b
Hyssopi vsus in sacrificijs 380

I

Iacobi patriarchæ scala, qualis typus 24
Idololatriæ peccatum 170
Iesus Nazarenus rex Iudæorum 367.b
Ignatij martyris constantia 67.b

Ignorantia Christi malorum omnium origo 152.b
Ignorantia non omnis excusatur apud Deum 317.b
Ignorantia non omnis damnanda 254
Imaginum vsus 44
Impij carnem Christi non edunt 114.b
Impij quo prætextu veritatem persequantur 218.b
Impij semper inter pios sunt 121
Impiorum commercij noxa 359
Impiorum contumacia non fraudi est pijs 306
Impiorũ Euangelij contẽptus 368
Impiorum felicitas 272
Impiorũ grauis pœna 271.b.147. 122.b.156.b.383
Impiorũ hominum sermones 234.b
Impiorum impotentia 132.b
Impiorum ingenium 151.193.349
Impiorum legibus non obtemperandum 251
Impiorum sors & misera conditio 265.160.b
Impiorum nota 175.b.207
Impiorum superbia 199.b.373
Impœnitentia nostri sæculi 140.b
Impœnitentiæ peccatum 40.b.76
Impœnitentium conditio misera 265
Impietatis origo 168. 157 gradus 283.b pœna 267.351
Impostores quomodo à veris doctoribus dignoscendi 191.b.93.b
Incredulitas hominum Christi regno nihil derogat 42.53.b. 108.b
Incredulitatis malum 95.108.193
Incredulitatis causa 266.b
Incredulitatis pœna 47.b.55.271
Incredulitatis remedium 95
Indurati quomodo tractandi 62
Indurationis pœna 351
Infantes baptizandos esse 55.b
Infantibus apud veteres cœna domini data est 114
Ingenij humani tarditas 97.163
Ingratitudinis malum 194.b.248 pœna 350
Inimici quomodo corripiẽdi 281.b
Inobedientiæ pœna 94.398.b
Inquisitores hæreticę prauitatis 133
Intemperantiæ malum 98.b
Intercessio sanctorum 237.256
Intercessio nostra Christus 237
Inuidiæ malum 152.b
Inuocatio diuorum 236
Ioannes Baptista 5.b.88.b
Ioannes Euangelista quis fuerit 2
Ioannes quare ante Christum missus 6.b
Ioannis Baptistæ doctrina 49.b fides & integritas 51
Ioannis Baptistæ & Christi discrimen 51
Ioannis Euangelistæ ætas 19 fides & integritas 407.b
Ioannis Euangelium quare cœnæ dominicæ descriptionem non habeat 114
Ioannis Hircani res gestæ 58
Israelitæ veri qui 23.23.b
Iudas Apostolus quis? 301
Iudas proditor an carnem Christi comederit 115
Iudas proditor quis fuerit 245.b
Iudas dux hostium Christi 348.b
Iudas quare Christũ pdiderit 245
Iudæ impudentia 283
Iudæ inuidia 247.b
Iudæ imitatores 248.248.b
Iudæ malitia vnde 274.b
Iudaici populi status ante Messiæ aduentum 13.b
Iudaicę ecclesiæ ãtistites falsi 356.b
Iudæi Abrahæ filij 164.b.168.b
Iudæi filij diaboli 172
Iudæi fornicatores 170.b
Iudæi latronem Christo prę ferunt 368.b
Iudæorum de Christo iudicium 130.b
Iudæorum Dei ignorantia 181.b
Iudæorum detestabilis impietas 375.b.368.164.371
Iudæorum dignitas 181.b
Iudæorum Encænia 215
Iudæorum incredulitas 94.105.b 264.108
Iudæorum in religione inconstantia 93
Iudæorum interitus 89 & miserrima conditio 265
Iudæorum reformatores Romani 32
Iudæorum reiectio 309.317.b
Iudæorum sacerdotes impij 122
Iudæorum Schem hamphoras 358
Iudæorum sectæ 125
Iudicium extremum 81.b.85.86
Iudicij extremi tempus 84
Iudicia non temere præcipitanda 362.b.363.b
Iudicia Dei iusta 86.b.87
Iudiciorum apud veteres consuetudo 374
Iudiciorum Dei seueritas 271.b
Iudiciorum inæqualitas 143
Iudiciorum optima ratio 191.b
Iudices dij dicuntur ibidem
Iudicum officium 363.b.362.362.b 145
Iudicum seueritas noxia 146.b
Iuliani impietas 35.106.b
Iustificatio hominis vnde 278.b
Iustificationis vera ratio 148.b
Iustitia nostra Christus 277.b 265.b
Iustitiariorum ingenium 151
Iurisiurandi vsus 196

L

Laborum benedictio 399.410.b
Lachrymæ Christi 233
Lachrymarum ratio 233.b
Latrones & fures ecclesiæ 270. 209.b
Lazari resuscitati historia 222
Lex charitatis quatenus seruanda 268.b.287
Lex Iulia contra adulteros 144.b
Lex naturæ 40
Lex peccati 239
Lex non abrogatur per Christum 148
Legis consumatio quæ 380.b.312
Legis Dei obseruatio 128.b
Legis diuinæ contemptus 145.b
Legis & gratiæ collatio 13.b
Legis opera non iustificant 135
Legem cur dederit Deus 62
Leges de alendis pauperibus 250
Leges honestæ contra otium 398.b
Legales typi Christum adumbrantes 43.b.44.45
Lenitate erga infirmos vtendum 38
Liberalitas quæ laudabilis 250
Liberum arbitrium hominis 163 277.b.356.309
Liberorum institutio 141
Librorum sacrorum perfectio 397
Librorum verus vsus 92
Libertas vera 163.b.163.b.167
Libertas vera vnde obtingat nobis 167
Libertatis Christianæ effecta 167
Libertatis dignitas 166
Libidinis vagæ euentus 26
Locá & mansiones in cœlis 291
Lucis filij qui? 265.b
Lucis in Christo dispensatio 265
Luctus fidelium vera ratio 388. 234.229.a.& b.
Lupi ecclesiæ ex ecclesia oriuntur 245.b
Lupi rapaces qui dicantur 211.b
Lupanarium author 25.b
Lux mundi, Christus 149.b

M

Magistratus authoritas 368.b
Magistratus officium 30.b.87
Magistratus potestas vnde 373
Magistratus socordia in puniendis adulteris 144.b
Magistratibus quatenus obediendum 137.b.251
Malchi auricula abscinditur 352.b
Malchi similes qui sint ibid.
Mali semper bonis mixti sunt 249
Malo an resistendum 218
Mala nõ faciẽda vt bona eueniãt 36
Manasses sacerdos Apostata 58
Manna qualis panis fuerit 106
Manichæorum error 303.b.172
Maria Christi mater nõ intercedit pro nobis 27
Maria virgo obediẽtię exemplũ 27
Maria Magdalenæ fidei præclaræ exemplum 389
Marię erga Christũ beneficentia 24
Mariæ & Marthæ fides 231.233
Mariæ virginis paupertas 378.b
Mariæ virginis summa constantia & fortitudo 378.b

Mariam virginem non esse adorandam 379.b
Martyrum in tormentis constantia 259.b
Matrimonium spirituale 51.b
Mendacij pater diabolus 173
Mendacij peccatum 196.194.b
Mendicorum impudentia 74
Mercenarij pastores 211
Meritum hominis 81.188.223.b
Meriti fiducia 46.314.104.b 105.301.b.277.209
Metus remedium 290
Messias quis & quid 19.b
Messias templi & ordinis Leuitici reformator 30.b
Messiæ aduentus qualis ibid.
Messiæ abnegatores Iudæi 375
Messis Euangelij 67.b
Messores fidi qui sint 68.b
Ministri mali quantum noceant 122
Ministri mercenarij qui 402
Ministri quanti faciedi 69.b.123.b
Ministri quomodo & quales mittãtur 392.b
Ministri verbi quomodo iudicandi 69.b
Ministri veri & falsi 93.b.204.b 205.207.209.b.211.b.127
Ministrorũ authoritas 69.b.153.b
Ministrorũ authoritatis abusus 50
Ministrorum conditio 176.211.b
Ministrorum cõtemptus vnde 70
Ministrorum ecclesiæ negligentia 403.b
Ministrorũ inconstantia & metus 124
Ministrorum legitima vocatio 6. 131.b.37
Ministrorum magnifici tituli 408
Ministrorum officium 12.16.16.b 18.b.19.30.b.76.87.b.100.b.113.b 116.b. 134.b. 141. 148. 152.b. 153. 159.172.186.b. 205.232. 211.249. 254.279. 272.b.314. b. 315. 351.b 391.392.b. 406
Ministrorũ ecclesiæ παῤῥησία 116.b
Ministrorum persequutio 316.b
Ministrorum piorum præmium 68
Ministrorum potestas ecclesiastica 393
Ministrorum vera constantia 357.b
Ministris quando fugere liceat 122 243.b
Ministerij ecclesiastici author 392
Ministerij ecclesiastici difficultas 403.b
Ministerij finis 18
Ministerij partes 49.b
Ministerij typus 399.b
Ministerij Ecclesiastici ratio 89 16.106.161.391.b
Ministerij dignitas 242
Miracula ad martyrum tumbas facta 29
Miracula cur hodie non fiant 25
Miracula falsa quæ 29
Misericordia in pauperes 73.b
folio 250.227
Missæ Papisticæ confutatio 380.b
Missio ministrorum legitima 37.b
Modestia in docendo 152.b
Monachum facit desperatio 60.b
Monachorum hypocritica sanctimonia 361.b
Monachorum insolentia 40.b
Monachorum sectæ 162.b
Morbi in pios quoq; cadunt 222.b
Morborum & afflictionum causa & finis 186
Morborum quæ ratio habenda 312.b.76.223
Morborum vincula salutaria 354
in Morbis quo confugiendum 223
Mors animæ & corporis 81
Mors Christi voluntaria 348.b
Mors homini acerba est 405.b
Mors piorum beata 226.160.b
in Mortis articulo quid agendum 285.b
Mortis corporalis nostræ ratio 45.b.81.b.156.b.179.214.230.b 258.264.273.b.381.b
Mortis Christi acerbitas 378.b
Mortis Christi causa 274
Mortis Christi ratio 273.b.213.b
Mortis Christi veritas 382
Mortis Christi typi 264
Mortis Christi vsus 264.b
Mortis Dominus Christus 238
Mortis hora certa 132.b
Mortis metus 258.260
Mortis nostræ consideratio 273.b
Mortis sanctorum fructus 405.b
Mortui non damnandi 60
Mortui quomodo deflendi 234.b
Mortuorum resurrectio 82.84.b 230
Mortuorum spiritus an consulendi 251.b
pro Mortuis an sacrificandum? 228
à Mortuis reuersi num Dei verbo contraria dixerint 252
Morientium consolatio 305.b.328 346.379.b.380.b.388
Morientium spes resurrectio 229.b
Moses Cretensis 93.b
Moses propheta 99
Mosis authoritas 154.b
Mosis discipuli qui? 198
Mosis & patrum vana fiducia in Iudæis 112
Mulierum dignitas 387.b
Mulierum officium 58.b.222.b
Mulierum ornamenta 246.b
Muliebris fidei summa fortitudo & constantia 378.b
Mundus non agnoscit Dei filios 158.b
Mundus quare pios persequatur 321.316
Mundus vt veritatis doctrina afficiatur 367.b
Mundi & Christi spiritus 298.b
Mundi finis 84
Mundi honorum & gloriæ vanitas 181
Mundi huius facies misera 354.262
Mundi incredulitas Christo nihil derogat 8.b
Mundi ingenium circa religionem 99.b.28.b
Mundi iniuriæ quomodo ferendæ 177.b
Mundi lux, Christus 149.b
Mundi peccatum 17
Mundi princeps diabolus 262
Mundi regnorum instabilitas 365.b
Mundi summa ingratitudo 318.b 218.266.b
Mundi studium 89
Mundi tenebræ 149.b
Mundi totius innouatio 295.b
Mundi væcordia 93.b
in Mundum quare Christus venerit 202.b.333

N

NAthanael Christo adducitur 21
Nathanael cur non inter Apostolos sit cooptatus 23
Naturæ humanæ conditio 38.b.40
Nazareth ciuitas 21
Nazarethanorum ingratitudo 70
Nazaræi qui & quales fuerint 376
Nicodemi integritas 139
Nobilitas generis ad salutem non prodest 123
Nobilitas vera quæ 169.50.b 52.b
Nomina cur mutarint veteres 20
Nominum impositio 6
Nouatianorum error 278.b
Nundinatores ecclesiæ 30.b.31
Nuptiæ à Christo cohonestatæ 25
Nuptiæ in Cana Galileæ 24.b
Nuptiæ spirituales 51. 25
Nuptiarum honestus vsus 26
Nuptiarum parabola 51.b
Nuptiale conuiuium Ecclesiæ 29

O

OBedientia quæ vera 186.b 161.137.b.257
Obedientiæ exemplum Maria virgo 27.19
Obedientiæ veræ fons 182
Obedientiæ præmium 280.b
Obediendum simpliciter Deo 97.b
Odij inueterati quanta vis 58.b
Officia quæ Christo sint grata 247
Omniscientia Christi 23.b
Opera hominis perfecta 105
Opera quæ verè bona 308.b
Opera sabbati 77.b
Operum Dei finis 29.295
Operarijs fidis Deus benedicit 399
Opes & honores fidei impedimenta 37
Opum ecclesiasticarum origo 384
Oratio quomodo à Deo exaudiatur 237
Orationis piæ impedimenta 236
Orationis fidelium effectus 260.b
Orandum quomodo 296.b 330. & 333.b & 346. & 328.b
Orantes Deus audit 236. & 236.b
Orantium gestus quales? 236
Orientalium in excipiendis hospitibus consuetudo 247

Orphanorum pater Deus 299.b
Orphanorum quæ cura habenda 379
Otium Christiano fugiendũ 398.b
Oues Christi quomodo pascendæ 404
Ouium Christi notæ 207.b.205.b 206.b
Ouium Christi simplicitas 231
Ouium natura 206.b.216.b

P

PAnis fractio 98
Panis vitæ verus 106.b
Papæ pontificatus 242.b
Papatus fons & origo 104.b
Papatus miseria 265
Papatus stultitia 15
Paphnutij constantia & fortitudo 139.b
Papistæ scripturis abuntur 136.b
Papistarum ambitio 92.b.94.b
Papistarum exorcismi 308
Papistarum impudentia 165
Papistarum hypocrisis 196
Papistarum manifesti errores 138.b
Papistarum querelæ contra Euangelium 124.b
Papistarum zelus 92.b.128.b
Papistica excommunicatio 195
Papisticæ doctrinæ examen 127.b 138.b.165
Papistice religionis incõstantia 37.b
Parabola vitis 307
Parabolarũ in scripturis ratio 306.b
Parentum officium 141.173.b.232
Parentum pius amor 379
Pascha Christianorum 244.b
Pascha Hierosolymitanum 30
Paschalis agni esus 383
Paschale sacrum 17
Passionis Christi finis & vsus 370.b 375.b
Pasce oues meas 404
Pascere quid sit 404.b
Pastor Ecclesiæ vniuersalis quis ibidem
Pastor ouium Christus 205.299.b 210.b
Pastores veri 205.207.209.b 240.b falsi 204.205.209.210. 211.b
Pastorum officium 210.404.b
Pater Deus in filio agnoscitur 80
Patris nomen quibus conueniat 171
Patrum de Resurrectione fides 230
Patrum fides quæ fuerit 183
Patientia in afflictionib. 315.b.353.b
Patientia in amissione bonorum 378
Patientia quæ ministros deceat 151
Patientiæ Christianæ lex 365
Patientiæ fructus 258.259
Patientiæ veræ exẽpla 57.74.358.b
ad Patientiam quæ nos mouere de beant 236.b
Patriæ quanta cura haberi debeat 21
Patrispassiani 4
Paupertatem non ignominiosam esse 378.b
Pauperum subuentio 250.284 & protectio 97
Pax quæ vera 305. 312. 304.b. 161. 168.268.b
Peccati atrocitas quanta 260.371.b
Peccati expiatio 291.b
Peccati lex 239
Peccati mors 239
Peccati natura & conditio 356
Peccati pœna 57.185.b.267
Peccati seruitus 166.163.166.b
Peccati pœna quam sit necessaria 146.b
Peccati vis 40
Peccatorum ablutio 81.b.382
Peccatorum agnitio 62.b & 135 217.b 360
Peccatorum alienorum iudicium 185.b
Peccatorum correptio 76.87.b
Peccatorum gradus 284
Peccatorum licentia 369.b
Peccatorum remissio 81.148.b 277.b.142.403
Peccatores an à Deo exaudiantur 198.b
Peccantium differẽtia 198.b.203.b
Pecuniarum legitimus vsus 248.b
Pedum ablutionis historia 275.278
Perditionis hominum causa 48
Pericula subterfugere licet 122
Perseuerantia in fide vera 162.b
Persequutiones quomodo ferendæ 365.b
Persequutionum causæ 318.b.332.b 364.b
Persequutionibus Euangelium tolli non potest 314.b.315.b
Persequutorum Christi, pœna grauis 374.b
Persequutorum officium 390.b
Persequutorum solatium 366
Personarum Diuinitatis distinctio 153.b
Pestis an morbus contagiosus 312.b
Pestem an fugere liceat ibidem
Petrus Apostolus quis 20
Petrus non est fundamentum ecclesiæ 355
Petri inobedientia 276.b
Petri confidentia 288.b.355
Petri curiositas 406
Petri erga Christum verus amor 401
Petri imperfecta fides 288
Petri lapsus & abnegatio 354.b 355.359.355.b
Petri martyrium 405
Petri pœnitentia 360
Petri zelus in defendendo Christo 352
Petro quomodo oues Christi commissæ sint 404
Pharisæi nostri sæculi 41.56. 199.b
Pharisæorum secta 36.b
Philautiæ quanta vis 151
Philippus Apostolus quis 21
Philippi Macedonum regis modestia 354
Philonis Iudæi error 118
Pietatis præmium 97.209 & 210
Pij etiam morbis infestantur 222.b
Pij mortem non metuunt 179
Pij mundo exosi quare 316
Piorũ afflictiones 320.322.b.328.b
Piorum cum impijs consortium 355.b
Piorum facta non temere iudicanda 32.b
Piorum humilitas 223.b.301.b.209
Piorum in aduersis constantia 87
Piorum in cœlis conditio 402
Piorum infirmitas 224.227.331.b 390.b.394.396
Piorum inter medios hostes defensio 359.b
Piorum labores frustranei 398.b
Piorum luctus qualis 234
Piorum mors beata 160.b
Piorum nocentissimi hostes 348.b
Piorum qui maximi hostes 189.b & 364
Piorum sepulturæ quæ ratio habenda 384.b
Piorum socordia 349
Piorum vincula salutaria 354
Piorum vnitas & concordia 343.b 344
Pijs an malo resistere liceat 218
Pijs non fraudi est impiorum contumacia 300
Pijs quando fugere liceat 56
Piorũ fors & conditio in his terris 101.b. 122.b. 231.b. 299.b. 332.b 384.354.354.b.371.390.b
Pilati iustitia 362. Iniustitia 367.b 369.b
Pilati imitatores qui sint 369.b.373
Piscina Probatica 73
Pœnitentia hominis vera 278.148 b.135
Pœnitentiæ veræ indicia 403.360
Polycarpi constantia 192
Polygamia an licita Christianis 25.b
Pontificatus Iudaicus & Papisticus 242
Pontificum Concilia 358
Pontificum Iudaici populi dignitas 240.242
Pontificibus num oues Christi pascendæ commissæ sint 404
Prædestinatio Dei 109.110.388.b
Prædestinationis Dei vsus 110.b
Prædicatio Euang. vnde inchoanda 323
Precum effectus 260.b.237.
Precum necessitas 40.333.334
Precãdi vera ratio 26.b.198.b.223.b 236. 296. b. 328.b. 333.b. 334.346
Princeps mundi diabolus 306
Principes quare parum in fide proficiant 269
Principum assentatores 358
Principum elatus animus 400.b

Prophetæ veri & falsi 207.205.209
Prophetæ veteris & noui Testamenti 99.b
Prophetarum de Christo oracula 180.b
Prophetarum doctrinæ authoritas 52.b
Prophetia Caiaphæ 242
Prophetia de Christo 371.b
Prophetiæ de morte Christi 264
Prouidentia Dei 77.132.b.200. 225.b.63.b
Prouidentiæ Dei ratio 65.b
Prouidentiæ Dei vsus 353
Proximus quantũ diligendus 312.b
Pseudo Euangelici 30.369.b
Pseudo prophetæ qui 402
Ptolemæi Philadelphi bibliotheca 92
Ptolomæi Philadelphi scripturæ sacræ studium 68.b
Pupillorum pater Deus 299.b
Purgatorius ignis 81.b.381
Purificatio Iudaica 244
Purificatio quæ vera 361.b.277.b
Purificationis hydriæ 27.b

R

RAbbi qualis titulus 19.b
Redemptionis mysteriũ 377.b
Redemptionis per Christum modus 262.b
Redemptorum officium 263.b
Reformatio ecclesiæ quomodo instituenda 31.31.b
Reformationum hostes 34
Regenerationis nostræ modus 39. 39.b.40.277.b.necessitas 38
Regenerationis semen 366.b
Rex regum Christus 365.b
Reges plerũq; Christo infesi 374.b
Regum & principum ambitio 94.b
Regnum Christi quale 256.b.365.b 366.377
Regnum Dei in his terris 19.b
Regni Christi ciues 366.b
Regni Christi initium 19
Regni Christi propagatio 109
Regni Christi termini 256
Regnorum Christi & mundi huius collatio 365.b
Regnorũ mundi vicissitudo ibid.
Regula dilectionis fraternæ 287.b
Regula fidei nostræ 135.b
Regula recte viuendi 225.b
Regulares omnes conseruãdi 258
Religio gentilis impia 262
Religio in quæstum mutata 31
Religio nõ omnis saluat 150.206.b
Religio omnium vetustissima 65
Religio quæ vera seu falsa 63.b 292.b
Religio non ex hominum autoritate metienda 138
Religio vera quomodo promouenda 232
Religionis auitæ imitatio præposteра 19
Religionis Christianæ certitudo 367.b
Religionis Christianæ summa 19.b
Religionis cognitio extra Christum nulla 131.b
Religionis cõtemptorũ mores 370
Religionis dissidia 113.b.192
Religionis neglectus 368.b
Religionis papisticę incõstãtia 27.b
Religionis vera & falsa cognitio 131
Religionis veræ puritas 262
Religionis veræ remoræ 269
Religionẽ defẽdere licet 366.357.b
Religionum diuersitas vnde 292.b
Reproborum & electorum mores & discrimen 48.b.179.120
Reproborum interitus 156.b
Reproborum nota 175.b
Resurrectio Christi à mortuis & fructus eius 385.b
Resurrectio & vita Christ⁹ est 230.b
Resurrectio mortuorum 81.b.82. 84.b.230
Resurrectio piorũ spiritualis 387.
Resurrectiõis author Christus 226
Resurrectionis Christi fructus 301.b.291.b
Resurrectionis mortuorũ compro batio 85
Resurrectionis nostræ ratio 229.b 264.b.387
Resurrectionis vniuersalis typus 238.b
Romani, Euangelij persequutores maximi 374.b
Romani seueriſſimi iustitiæ vindices 362.b
Romanorũ Pontificum claues 393

S

SAbbati obseruatio 75.77.192
Sabbati prophanatio 76.b.77.b
Sabbati vsus apud Iudæos 32.b
Sacerdotes falsi 241.b
Sacerdotũ in ecclesia Iudaica corruptio 240
Sacerdotum serui quales 356.358 352.352.b
Sacerdotes quare Christo inuisi 240
Sacerdotum tyrannis 194.b
Sacerdotij dignitas 242
Sacramenti altaris confutatio 28.b
Sacramẽta an conferãt salutẽ 106
Sacramenta ministrorum causa nõ sunt contemnenda 55.b
Sacramenta verbo Dei inferiora sunt ibid.
Sacramentorum & ministerij Ecclesiastici ratio 196
Sacramentorum externus vsus ad salutem non confert 281.b
Sacramentorum finis 18
Sacramentorũ vsus 382.b.188.45. abusus 398
Sacrorum apud Iudæos prophanatio 30.b
Sacrificiorum genera 64
Sacrificiorum pro defunctis superstitio 228
Sacrificulorum & monachorum insolentia 40.b
Salus gratuita est 13.24.38.b.104. 188.314
Salus hominis æterna 4
Salus honorib.nõ impeditur 70.b
Salus quomodo ex Iudæis 63.b
Salutis certitudo 81.46.153.246. 217.285.b.345.306
Salutis doctrina quibus maxime reueletur 198.b
Salutis doctrinæ facilitas 66.b
Salutis nostræ fundamentum 16
Salutis humanæ compendium 109
Salutis impedimenta 59.b.60.61.b
Salutis mysteriorũ vsus 40.b.370.b
Salutis nostræ fons & origo 366.b 48.49.45.b.46.382
Salutis nostræ medium 278.b
Salutis nostræ ordo 277.201.b.183
Salutis studium ardens 121
Salutis ratio vera 17.69.79.80.107 163.148.b.158.b.202.b.208.b 212.b.270.239.292.b.377
ad salutem nemo cogitur 119
Salutem quare pauci assequantur? 266.b
de Salute alterius non temere iudicandum 118.b
de Salute non curiosẽ inquirẽdum 406
de Salute nostra quomodo loquendum 234.b
Sãctorũ authoritas in ecclesia 52.b
Sanctorum dona singularia 392.b
Sanctorum humilitas 301.b
Sanctorum intercessio 256
Sanctorũ labores frustranei 398.b
Sanctorum mortis fructus 405.b
Sanctorum socordia 349
de Sanctis quid iudicandum 7
Samaritanorum religio 63.b
Samaritanorum & Iudæorum inimicitiæ 56.b.58.176
Samaritanæ admiranda conuersio 66.62.b
Samaritanæ cum Christo colloquium 57.b
Satan insidiator salutis nostræ 141
Satan lupus 211.b
Satan mundi princeps 226
Satan quatenus à Christo vict⁹ 263
Satanicarum illusionum vis 407.b
Satisfactio pro peccatis 148.b
Scala cœli Christus 24.b
Scandali infirmorũ remedium 48
Scenopegiæ festum 122.b
Schismata & contentiones in religione 125
Scortationis peccatum 62.143.b
Scripturę sacrę abnegatores 394.b
Scripturæ sacræ abusus 35.136.b
Scripturæ sacræ expositio qualis esse debeat 118
Scripturæ sacræ veritas 174.b
Scripturæ sacræ vsus & finis 32.b
Scripturę solũ Christũ spectãt 91.b
Scripturarũ de Christo testimonia 180.b
Scripturas qui reijciant 91.b.154.b
Sæculi nostri corruptio 232
Sectæ Monachorum 162.b
Sectarum causa 50.b

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Seminatores Dei qui sint 68. 68. b
Sepultura Christi 383. b. 384. b
Sepulturæ nostræ ratio 238. 234. b
Sequela Christi 96
Sergius Secundus Papa os porci 20. b
Seruetanorum impietas 221
Seruitium quod nam Christo gratum 247
Seruitus peccati 166 eius pœna 166. b
Seruitutis miseria 166
Seruitutis ratio 163
Sybillarum de Christo oracula 65
Signa ad martyrum tumbas quare facta 29
Signis quatenus fides adhibenda 192. b
Sichar oppidum 56. b
Sichemitarum conuersio 66. 69. b
Siloa fons 188. b
Simon Petrus quis 20. vide Petrus
Sitis spiritualis 135
Sittim vallis vbi 59
Solomonis porticus 216
Solon lupanarium author 25. b
Spartanorum castitas 144
Spiritus Christi & mundi 298. b
Spiritus Sancti æternitas 136
Spiritus sanctus, Christi vicarius 298
Spiritus Sanctus cur columbæ specie apparuerit 18
Spiritus sanctus quando non fuisse dicatur 136
Spiritus sancti baptismus 18
Spiritus sancti donum 322. effecta 322. b. 135. b. 54
Spiritus sancti dona imparia 136. b
Spiritus sancti descriptio 298. b
Spiritus sancti missio 136
Spiritus sancti notæ 325. b
Spiritus sancti officium 303. b
Spiritus Sancti operatio 40. b 324. b. 201. b
Spiritus sancti qui sint capaces 298. b
Spirituum bonorum probatio 177
Spirituum responsa 251
Stuprum quid 143
Summum bonum hominis in quo consistat 292. b
Superbus vestitus 378
Superbia hypocritarum 199. b
Superbiæ malum 94. 256. b. 368. b 275. b 275. 209
Superstitionum omnium vanitas 717. b
Superstitionũ ortus 40. 407. 104. b
Suppliciorum quæ ratio habenda 381. b

T

TAbernaculorum festum 122. b
Temperantia 98. b
Templi Hierosolymitani extructio 34
Templi & ordinis Leuitici reformatio 30. b
Templorum dedicatio 215. b
Templorum vsus & abusus 357. b
Tempus humanæ vitæ certum 225
Tentationũ diaboli gradus 369. b
Tentationum solatium 46
Testamenti noui prærogatiua 63. b
Testamenti veteris & noui scriptores 154. b
Testamenti veteris & noui prophetæ 99. b
Testamenti vtriusque consensus 68. b
Testimoniorum vsus 146
Theodosij Imperatoris reformatio 32. b
Thomæ apostoli incredulitas 394
Thomæ pia fidei confessio 396
Timor Dei verus & falsus 102
Titulorũ splendor inanis 220. 407
Tractus diuinus 110. 110. b
Traditiones humanæ 126. 159. 272 291. 297. b. 304
Trinitatis mysterium 298. b. 303. 319. 26
Trinitatis personarum distinctio 135. b
Tristitia quæ uera 328. b
Trophonium antrum 246. b
Turcarum hæresis 135. b
Typi legales Christum adumbrantes 43. b. 44. 45
Tyrannidis in ecclesia origo 69. b
Tyrannorum interitus 350. b
Tyrannorum crudelitas 362

V

VAllis Cedron 348
Vbiquitarij & Transubstantiatores 391. 291
Verbum Dei nunquam frustra prædicatur 36. 132. b
Verbum Dei quare à paucis recipiatur 157. b
Verbum Dei quomodo audiendum 82. b. 178. b
Verbum Dei quomodo proponendum 159
Verbi Dei abusus 89. b 136. b 308. 264. b
Verbi Dei authoritas 42. 71 89. 154. b. 219. 272. 282. b
Verbi Dei certitudo 252. 397
Verbi Dei contemptus 109. b. 367. b 168. 381. b
Verbi Dei contemptus pœna 70. b 93. b 122. 556. b. 243. b. 299. 271. 317. b
Verbi Dei finis & vsus 397. 179. 268. 314. b
Verbi Dei illusores 106. b. 145. b
Verbi Dei prædicatio quàm necessaria 257
Verbi Dei ratio quæ habenda 55. b
Verbi Dei semen 39. b
Verbi Dei turpis neglectus 256
Verbi Dei uera auditio 91
Verbi Dei veri doctores 392. b
Verbi Dei virtus 290. 137. b. 261. b 307. b. 308.
Verbo Dei carentiũ miseria 286. b
de Verbo Dei iudicia varia 260. b
Veritas est Christus 292. b. 293
Veritas opprimi nequit 200. 138
Veritas quo prætextu persequatur 218. b
Veritatis cognitio 162. b
Veritatis doctrina publicè proponenda 357. b
Veritatis hostes quomodo tractandi 151. b. 281. b
Veritatis hostium ingenium 170. 132. pœna 241. 254. b 196. 271. b 122
Veritatis hostium pertinacia 164. 154. b. 199. b
Veritatis odium vnde 37
Veritatis fors in hoc mundo 191
Veritati simpliciter credendũ 175
Vestitus quæ ratio habenda 279
Via ad salutem Christus est 292. b 293
Victus domestici finis 67
Victus noster Deo curæ est 399. b 401. b
Vincula Christi 354
Vindictæ cupiditas 370. b. 358. b
Vinum Euangelij 28
Vinum ex aqua facit Christus 28
Virginitas vera quæ 52
Vita æterna quibus cõferatur 230. b
Vita cœlestis 290. b
Vita hominis quomodo seruetur aut amittatur 257. b. 258
Vitæ æternæ status qualis 346
Vitæ emendatio nõ differenda 265
Vitæ cœlestis imago 402. 246. b
Vitæ certum tempus singulis constitutum est 225
Vitæ humanæ miseria 150. b. 132. b
Vitæ humanæ retributio 85. b
Vitæ nostræ exemplum Christus 280. 226. b
de vita æterna inepta iudicia 264. b
Vnitas Ecclesiæ 343. b
Vocatio Apostolorum 127
Vocatio Gentium 66. 56. 212. b 213. 57. b. 263. 256
Vocatio ministrorũ legitima 37. b 131. b
Vocationis nostræ quæ ratio habẽda 353
Vocationem suam quisq; sequatur 407
Vtopiæ fabricatores 291
Vulgi ingeniũ circa religionẽ 99. b

Z

Zelus carnis peruersus 99. b. 100. 352
Zelus quid? 33

INDEX LOCORVM SACRAE SCRIPTVRAE TAM VETERIS QVAM NOVI Testamenti, qui passim ab authore in his Homilijs exponuntur.

GENESIS.

SEPTIMO die quieuit Deus ab omni opere suo, &c. 77
3 Crescite multiplicamini implete terram 25.b
3 Multiplicando multiplicabo dolores tuos, cum dolore paries filios &c. 328
4 Maior est iniquitas mea quàm vt remitti queat 60
8 Figmenta cordis humani praua sunt 38.b
19 Sodomæorum ad ædes Lothi excæcatio 350
24 Domine Deus heri mei Abraham, fac obsecro auspicatũ sit quod cœpi 26
26 Benedicentur in semine tuo omnes gentes 69.b
28 Egressus itaque Iacob de Beer Seba 24
33 Ibiq; constituit aram, inuocauitq; ibi fortem Deum 62.b 56.b
41 Natiuitas Manassis & Ephraim 243.b
48 Et ego dedi tibi portionem vnam super fratres tuos 56.b

EXODI.

3 Moses calceos exuere iubetur 171
4 Filius meus primogenitus est Israel 170.b
12 Non confringetur vllũ os ipsius 382.b
33 Non videbit me homo & viuet 23.b

LEVITICI.

20 Vir qui adulterium committit moriatur 144
23 Lex de festo tabernaculorum 122.b

NVMERORVM.

5 Lex de zelotypia 144
19 Adducant ad te buculã rufam sine vitio 27.b
21 Et profecti sunt de monte Hor 43.a

DEVTERONOMII.

6 Dominus Deus pepigit fœdus nobiscum in monte Horeb non cum &c. 55.b
8 Vt introeatis & possideatis terram quam iurauit 55.b
9 Audi Israel tu transis hodie Iordanem vt ingrediaris 55.b
24 Quod si longior fuerit via quã tu sis ferendo 31.a
16 Obserua mensem Abib, vt facias Pasla Domino Deo tuo 30.a
17 Secundum os duorum aut trium testium, morte multetur facinorosus 153.b
18 Prophetã excitabit vobis Deus vester è fratribus vestris 53.a.99.
23 Ne sit scortum in Israel 62.a
27 Hi stabunt ad benedicendum populo 62.b
28 Benedictus eris in ingressu tuo & in exitu tuo 209
28 Domum extrues & non habitabis in ea &c. 377.b
28 Percutiet te Deus cæcitate, palpabis in meridie vt cæcus 267
30 Non est in cælis, quis ascendet nobis 42.b

IVDICVM.

9 Num deserto musto meo quo exhilaro & deos & homines 28.a

I. SAMVELIS.

2 Dominus occidit & viuificat 28.b
15 Melior est obedientia quam victimæ 276.b.item 336

II. SAMVELIS.

24 Ego peccaui, oues autem istæ quid fecerunt? 211

I. REGVM.

4 Loquutus est Solomon de stirpibus à Cedro Libani vsq; ad hyssopum quæ ex pariete progerminat 380
8 Alienum quoque qui è longinqua regione venerit exaudies 256

II. REGVM.

6 Syriorum oculi detinentur ne Heliszum videant. 350

ISAIAE.

1 Si peccata vestra fuerint vt coccus niue albiora reddentur 278.
2 Ex Zion exibit lex, & verbum Domini de Ierusalem 63.b
5 De vite labrusca proferente 380
5 Væ his qui mane surgunt vt sectentur siceram 28.a
6 Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus exercituum 396
6 Excæca cor populi huius, & aures eius obdura, &c. ne forte audiant. 171.b
7 Achaso regi promittitur Christus auxiliator. 8.22
8 Num populus à Deo suo requireret p viuis & mortuis? 251
9 Terra Zabulon & Nephtalim vergens ad mare vltra Iordanem &c. 20.b
9 Puer natus est nobis &c. 371.b
11 Prodibit surculus de trunco Iesse, & & flos de radicibus eius 54.a
11 Terram virga oris sui percutiet. 359
11 Cõmorabitur lupus cum hœdo &c. 212.b
11 Plena erit terra scientia Domini 329
14 Quomodo decidisti de cœlo Lucifer fili auroræ 173
35 Tunc aperientur oculi cæcorum & aures surdorum reserabuntur 133.241
40 Vox clamans in deserto, parate viam Domino 15.b
40 Pascet gregem suum vt pastor &c. 210.b
42 Linum fumigans non extinguet 38
42 Ego Dominus, Hoc est nomen meum, & gloriam meam alteri non dabo 26.b
42 Dabo te in fœdus populi in lucem gentibus vt aperias oculos cæcorum 149.b
43 Ego ego solus ille sum qui deleo transgressiones tuas 393
43 Ponam viam in deserto, & flumina in solitudine 59
44 Euge caleo, ignẽ vidi 356.b
45 Deus iustus & saluans nullus præter me 262.b
49 Leue sit, quod seruus meus sis ad erigendas tribus Iacob 67
53 Passionis Christi historia 264.
53 Quis credidit prædicationi nostræ? 266
53 Tanquam ouis ad mactationem ductus est 17
53 Generationem eius quis enarrabit? 130
63 Domino placuit ipsum infirmando atterere, vt vbi posuerit animam suam, videat semen, proroget dies, &c. 264.b
54 Et erũt omnes docti à Deo 111
55 Cogitationes meæ non sunt cogitationes vestræ 256. & 62.b
57 Iustus perit & nemo corde reponit 234
58 Frange esurienti panem tuum 250
59 Spiritus meus nunquam recedet de ore tuo neque de ore seminis tui 208.b.314

61 Spiritus Domini super me est eo quod vnxit me 104
61 Christus cęcorum oculos aperiet 5.b
63 Abraham non nouit nos 236

IEREMIAE.

3 Tu scortata es cum amatoribus multis 169.b
7 Filij colligunt ligna & patres incendunt ignem 130.b
23 Hoc nomen eius, quo vocabũt eum IEHOVA iustitia nostra 396.& 217
23 Currebant & non mittebam eos 205
31 Inferam legem meam in interiora eorum 329

EZECHIELIS.

3 Ministri speculatoribus conferuntur 12.b
13 Væ illis qui consuunt puluillos omnibus axillis manuũ &c. 323.b
14 Quicunq; abalienatus fuerit à me, eum vastabo vt sit in signũ & prouerbiũ &c. 267
15 Quid fiet ex ligno vitis præ omnibus lignis? & ex palmite qui arefactus nullum fert fructum? 309.b
16 Venæ tuæ & natales tui de terra Chenaanæi 55.b
16 Cumque te preterirem, videremq; te proculcatam 51.b
18 Filius non portabit iniquitatem patris 185.b
20 An non in via patrum vestrorum polluti estis 60
33 Nolo mortem peccatoris &c. 403.& 360
34 Crassum & pingue comedunt &c. 402.& 212
34 Suscitabo super oues pastorem vnum 219

DANIELIS.

12 Doctores splendebunt vt splẽdor firmamenti 68

HOSEAE.

1 Abijt igitur & duxit Gomer filiam Diblaim 24.
2 Auferat scortationes suas à facie sua 32.b
2 Ibo, sequar amatores meos qui dant mihi panem meum 170
13 Ex te Israel perditio tua, salus autem tua ex me est 108

IOELIS.

2 Effundam spiritum meũ super omnem carnem &c. 325.b
3 Omnes riui Iuda manabunt aquis, & fons de domo Domini 59

AMOS.

3 Leo si rugiat quis non timebit &c. 316.186.b.151
7 Ego non sum propheta neque filius prophetæ, sed homo pecuarius 126
3* Quia nõ facit Dominus Deus quicquam nisi reuelet arcanum suum 47
8 Ecce ego mittam famem in terram, non famem panis, sed audiendi verba Dei 286.b

MICHEAE.

5 Et tu Bethlehẽ Ephrata &c. 22
5 Exitus eius ab initio à diebus æternitatis 130.b

HABACVC.

2 Væ ei qui potum prębet socio suo 28

ZACHARIAE.

1 Ne sitis sicut patres vestri 60
4 Oculi eius discurrunt per omnem terram 56
9 Dicite filię Zion ecce rex tuus venit &c. 253.b.208
11 De pastoribus ignauis 212
12 Effundam super domum Dauidis, spiritum gratiæ, & respicient ad me quẽ confixerunt 383
13 In illo die aperietur fons domui Dauid ad peccatũ &c. 277.b.382

MALACHIAE.

1 Si pater sum vbi est honor meus 297
2 Labia sacerdotis custodient scientiam &c. 138.b
2 Maledictio sacerdotũ 197.212
3 Ecce ego mitto legatũ meum qui purgabit viam ante me 30.b

IOB.

1 Nudus egressus ex vtero matris nudus etiã reuertar 238
19 Scio quod redemptor meus viuit 183.b

PSALMORVM.

2 Astãt reges terræ & principes consilia capiunt aduersus Iehouam 349.b.350
2 Qui habitat in cœlis irridebit eos, & Dominus 56
2 Ego constitui regem meum super Zion 365.& 31
2 Filius meus es tu & hodie te genui 54.371.b
2 Sapite ô reges erudimini Iudices terræ seruite Domino in timore 383.b
7 Incidit impius in foueam quã fecit 147
8 Ecquid est homo mortalis vt memoriam eius habeas? 223
8 Gloria & decore coronasti eũ, & constituisti eũ super 54.b
9 A dextris tuis cadẽt mille à sinistris vero decẽ millia 312.b
22 Dominus pastor meus est & non egebo 209.b
22 Dispertiuerũt vestimenta mea sibi 377.b
26 Dominus lux mea & salus mea à quo timerem? 290
27 Vbi pater meus & mater mea destituunt me, Dominus colligit me 332
32 Verbo Domini cœli facti sunt & spiritus oris eius omnis exercitus eius 3.4.b.136
32 Quoniam tacui contabuerunt ossa mea &c. 317.b
34 Reuereminí Dominum quoniã nihil deest illis qui eum timent 401.b.22
36 Iuuenis fui & senui nec vidi iustum derelictũ &c. 401.b
41 Beatus qui intelligit super ægroto 223
41 Qui edit mecum panem sustulit aduersus me calcaneum suum 282
44 Diffusa est gratia in labijs tuis 137.b
45 Solium tuum in æternum stabit 264.54
45 Filiæ regum inter nobiles tuas, astat cõiunx ad dexteram 51
45 Audi filia & vide, inclina aurẽ tuam obliuiscere populi tui 52
45 Deus tuus vnxit oleo lætitiæ præ consortibus tuis 31.104
46 Dominus nobis suffugium & robur est 290
51 Ecce enim in iniquitatibus cõceptus sum & in peccatis peperit 38.b
51 Expiabis me hyssopo & mundabor &c. 380.246.b
55 Non hostis erat qui me probro afficiebat. Sed tu homo secundũ æstimationem cordis mei 189.b
56 Fugas nostras numeras & lachrymas meas colligis 236.b
58 Tunc pedes lauant in sanguine impiorum 327.b
61 Dominus Deus adiutor meus non timebo quid faciet mihi homo 46
71 Deus iudicium tuum regi da, & iustitiã tuã filio regis 54
73 Parum abfuit quin nutassent pedes mei &c. nam vrebat me æmulatio 87

81 Ego dixi dij estis 219
84 Etiam passer inuenit sibi domicilium 20
85 Audiam quid loquatur Dominus 52
89 Semen eius in æternũ erit 264
94 Tenebris circumseptus sum nec quisquã videt me 225.b
103 Recordatus est quoniam puluis sumus 57
104 Qui rigat montes è cœnaculis suis 28
105 Nolite tangere vnctos meos 351.b
110 Dominus emittet virgam potentiæ suæ è Zion 31
110 Iurauit Dominus & non pœnitebit eum vt tu sis sacerdos in æternum 264.21
110 De torrẽte in via bibet & propterea caput attollet 179
111 Memoria iusti æterna erit, &c. 376.b
116 Pretiosa est mors in conspectu Domini 405.b
121 Leuo oculos meos ad montes vnde nam veniat auxilium meum 332.b.3
123 Ad te leuo oculos meos qui habitas in cœlis 333.b
128 Vxor tua erit similis viti fructiferæ 27.b
129 Si iniquitates obseruaueris Domine 47.b
139 Quo discedam à spiritu tuo? 136
197 Misit verbum suum & sanauit eos 5

PROVERBIORVM.

2 Si voce tua institutionem vocaueris tunc intelliges timorem Domini 201.b
6 Quia zelus est furor viri & nõ parcet, si vindictæ occasio offeratur 144
8 Cum ipse præpararet cœlos aderam 4.b
10 Non occidit Dominus famæ animam iusti 97
10 Memoria iusti laudem habet, impiorum vero nomen fordet 376.b
10 Qui beneficentiam sectatur inueniet vitam 250
17 Qui pauperi illudit probro afficit factorem eius 378.b
21 Sacrificium impiorum est abominatio 198.b
26 Ne respondeas stulto secundũ stultitiam eius 35.b
28 Qui subtrahit aurẽ ne audiat legem, eius oratio execrabilis est 198.b
29 Deficiente prophetia dissipatur populus 41.b
31 Non est sapientia aut prudentia contra Dominum 147

ECCLES.

3 Omnia suũ tempus habent 125

CANTICORVM.

6 Sexaginta sunt reginæ &c. vna illa est columba mea 213

MATTHAEI.

3 Hic est filius meus dilectus 13.b
4 Vt impleretur quod dictum fuit 20.b
5 Beati qui persecutionem patiuntur &c. 220.b
5 Luceat lux vestra coram hominibus &c. 310
5 Percussi in vham maxillã obuertite alteram 358.b.218
6 Panem nostrum quotidianum da &c. 50.b
6 Quærite ante omnia regnum Dei &c. 399.b.67
7 Non omnis qui dicit mihi, Domine Domine intrabit 36. 69.169.
8 Domine non sum idoneus vt tectum meum subeas 71.b
8 Domine permitte mihi prius vt abeam, & sepeliam patrẽ meum 20
9 Fides tua te saluam fecit 44
10 Cum autem intrabitis domũ, salutate illam, & si quidem fuerit digna &c. 36
10 Simplices estote sicuti columbæ, prudentes veluti serpentes 36.243.b
10 Non vos estis loquentes, sed spiritus patris qui in vobis est 52.b
10 Cum persequuti vos fuerint in vna ciuitate, fugite 56
10 Quod dico vobis in tenebris dicite in luce 159.12.b
10 Quicunq; mei puduerit in natione hac adultera &c. 268
10 Et inimici hominis erunt domestici eius 189.b.282.348
11 Ioannes autem cum audisset in carcere facta Christi, misit 49.b
11 Beatus est qui in me non offenditur 53.b
11 Gratias ago tibi pater quod absconderis hæc à sapientibus 110.b
11 Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis 135.13
12 Tum spiritus ille oberrat per loca arentia & deserta 263
12 Ecce mater tua & fratres tui foris 26.b
13 Propterea per parabolas loquor eis quia videntes non vident 267
13 Zizaniorum parabola 309.b
15 Frustra me colũt docentes statuta hominum 297.b
16 Tibi dabo claues regni cœlorum &c. 393
19 Sinite pueros ad me venire quoniam illorum est regnũ 55.b
23 Vnus est doctor vester nempe Christus 232.b
24 Patrem vestrum neminem vocetis in terra &c. 171
25 Venite Benedicti in regnum 46.b
28 Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra 54.b

MARCI.

3 Et iussit Iesus discipulis suis, vt nauicula sibi deseruiret 67
6 Obibat autem vicos vndiq; circumiacentes 70
7 Pharisæi & Iudæi nisi crebro lauerint 27.b
11 Quæcũq; petitis credite quod accepturi sitis 330
12 Docete eos seruare quæ ego tradidi vobis 52
16 Surrexit non est hic 42.b

LVCAE.

1 Dabit illi Dominus Deus solium Dauid patris sui regnabitque &c. 365.b
1 Quod in te nascetur sanctum vocabitur 42.b
2 Positus est ille in signum cui contradicatur 53.b
3 An nescietis quod in ijs quæ patris mei sunt 26.b
4 Et venit Nazareth vbi erat nutritus intrauitq; 70
5 Exi à me Domine nam homo peccator sum 301.b
6 Si cæcus cæco dux fuerit ambo in foueam cadunt 41.b
7 Rogabat autem quidam Pharisæus vt cibum caperet cum ipso 67
8 Seminatoris & seminis parabola 178.b
10 Qui vos audit, me audit 37.b
10 Samaritani parabola 312.b
11 Beati qui audiunt sermonem Dei & custodiunt illũ 396.b
12 Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ accensæ 52
14 Quis enim est ex vobis qui velit turrim ædificare 19.b
17 Si habueritis fidem vt granum sinapi 28.b
18 Filius hominis cum venerit, num inueniet fidem in terra? 72
21 Videte ne corda vestra grauentur crapula 28
22 Dispono vobis sicut disposuit mihi pater &c. 345.246.b
24 Ita oportuit prædicari in eius nomine pœnitentiam & remissionem peccatorum folio 393

ACTORVM.

3 Vos sanctum & iustũ negastis & petijstis virum homicidam 368.53
4 Non est aliud nomen hominibus sub cœlo datũ 43.b.292
5 Nónne si seruasses prædiũ manebat tibi? 284.b
5 Deo plus obedire oportet quã hominibus 251.316
5 Hunc principem & seruatorẽ Deus exaltauit dextra sua 47
7 Et occiderunt eos qui prænunciabant aduentum iusti illius 53
9 Saul Saul cur me persequeris 344
13 Separate mihi Paulum & Barnabam ad quod eos aduocaui 205
13 Notum sit vobis viri fratres, quod per hunc remissio peccatorum &c. 13.b
14 Dij assimulati hominibus descenderunt ad nos 372.b
17 Per ipsum mouemur, viuimus & sumus 5
20 Attẽdite gregi in quo vos spiritus sanctus cõstituit 403.b
20 Protraxitq; sermonem vsque in mediam noctem 67

AD ROMANOS.

1 Euangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti 272.b
2 Non qui audiunt legem sed qui faciunt iusti sunt. 128.b
2 Ecce tu Iudæus cognominaris & acquiescis in lege &c. qui doces alium teipsum non doces 146.b.38
3 Quem proposuit Deus propitiatorium interueniente ipsius sanguine &c. 46
3 Arbitramur hominem iustificari per fidem 44.b
4 Certa pfuasione accepta, quod is qui promiserat potens esset &c. 72
5 Iustificati ex fide pacem habemus ad Deum 347.304.b
5 Afflictio patientiam parit, patientia experientiam 45
5 Si cum inimici essemus, reconciliati fuimus Deo 46.b
5 Per vnius obedientiã iusti constituimur multi &c. 348.b
6 Cui vos sistitis seruos, eius serui estis &c. 166
6 Cũ essetis serui peccati, liberi eratis iustitiæ 167.b
6 Quem fructum tunc habebatis in his de quibus nunc erubescitis 160.b
6 Nunc liberati à peccato, mancipati autem Deo 61
7 Noui quod non habitet in me bonum 38.b
7 Miser ego homo quis me eripiet ex corpore isto mortis 277.b
8 Nulla nunc cõdemnatio his qui sunt in Christo Iesu 47.b
8 Deus mittens filium suum per peccatum damnauit peccatum in carne 11
8 Intelligentia carnis mors est 40.b
8 Si quis spiritum Christi nõ habet hic non est eius 298.b
8 Hæredes quidem Dei cohæredes verò Christi 286
8 Spiritus postulat pro nobis suspirijs inenarrabilib. 236.b
8 Quos præscijt hos prædestinauit quos prædestinauit eos etiam vocauit 109
8 Si Deus nobiscum quis contra nos? 302.b.304.b
8 Qui proprio filio nõ pepercit, sed pro nobis omnib. 46.b
8 Quis intentabit crimina aduersus electos Dei? 17.b
8 At in omnibus superamus per eum 51.b
9 Veritatẽ dico attestante mihi conscientia mea 152
10 Corde creditur ad iustitiam ore fit confessio ad salutem 268.231
10 Fides ex auditu est, auditus verò per verbum Dei 343
10 Quomodo prædicabunt nisi missi fuerint 392
11 Si Deus naturalibus ramis nõ pepercit ne forte nec tibi parcat 309
12 Cum omnibus hominibus pacem habentes quantum in vobis est 305
13 Non est potestas nisi à Deo 373
13 Nemini quicquam debeatis nisi vt alij alios diligatis 287
13 Nox progressa est dies autem appropinquauit 150.b
14 Tu quis es qui condemnas alienum famulum 118.b
14 Vnusquisq; in sensu suo abundet 41
14 Regnum Dei non est cibus & potus sed iustitia &c. 118
15 Quæcunq; scripta sunt ad nostrã vtilitatem scripta sunt 261.b.318.b

I. AD CORINTHIOS.

1 Animalis homo nõ percipit ea quæ sunt Dei. 198
1 Prædicamus Christum crucifixum, Iudæis offendiculum, Græcis stultitiam 264
1 Videtis enim vocationem vestram fratres 19
1 Qui factus est nobis sapientia à Deo iustitia, sanctificatio, & redemptio 300
2 Glorificãtes me glorificabo 285
3 Neq; qui rigat, neque qui plantat est aliquid, sed Deus qui incrementum dat 111
3 Ministri sumus per quos credidistis, & vt cuiq; 68
4 Mihi verò ꝑ minimo est quod in vobis dijudicer 249.b
4 Quid habes quod non accepisti? 45.b.314
4 Spectaculum facti sumus mundo & angelis & hominibus 354.b
4 Et si multos pædagogos habetis in Christo sed non multos patres 171
5 Nam & pascha nostrum immolatum est, Christus 273.b
7 Propter fornicationem, suam quisq; vxorem & proprium quæq; maritum habeat 25.b
7 Ab infideli coniuge nõ statim discedendum 118.b
7 Vnusquisque in ea vocatione in qua vocatus est, maneat 23.295.b
8 Nobis vn° Deus, ex quo omnia & vnus Iesus Christus per quem omnia 78
9 An non habemus potestatẽ sororem vxorem circunducendi? 25.b
10 Omnes eandem escam spiritualem manducauerunt 207.b
11 Quisquis ederit panem indigne reus erit &c. 114.281.b
12 Huic quidem per spiritum datur sermo sapientiæ, alij verò &c. 24
13 Ex parte cognoscimus & ex parte prophetamus 4
14 Peregrinarum linguarũ vsum reijcit 377.48.b
15 Plus alijs omnibus laborauj, at non ego sed gratia Dei &c. 400.b
15 Si Christus non est suscitatus inanis est fides vestra 385

II. AD CORINTH.

1 Gloriatio nostra hæc est testimonium conscientiæ nostrę &c. 152
3 Non sufficientes sumus cogitare aliquid ex nobis 309.68
4 Etiam si externus homo corrumpitur internus tamẽ renouatur quotidie 327
5 Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, posuitque in nobis verbum hoc reconciliationis &c. 1
6 Ecce nunc tempus acceptum, ecce nunc dies salutis 265
6 Quæ concordia Christo cum Belial? 271
6 Vos templum estis Dei viuentis &c. 302.b

10 Arma militiæ noſtræ non carnalia ſunt 326.353
11 Zelotypus ſum erga vos Dei zelotypia 51.b
11 Quis affligitur & ego non affligor? 33
12 Membrorum corporis vnitate ad dilectionem mutuam hortatur 315
13 Experimentum quæritis in me loquentis Chriſti 161

AD GALATAS.

1 Si hominibus placerem Dei ſeruus non eſſem 316
2 Viuo iam non ego ſed viuit in me Chriſtus 114.b.293
3 Adeò amentes eſtis, cum ſpiritu inceperitis 64
4 Quomodo cõuertimini denuo ad infirma & egena elementa 64
4 Quemadmodum tunc is qui ſecundum carnem natus erat perſequebatur eum qui ſecundum ſpiritum natus erat 168
5 Fides per charitatem operatur 288
6 Dum tempus habemus operemur bonum 187

AD EPHESIOS.

1 Quemadmodum elegit nos in ipſo antequã iacerentur fundamenta mundi 45.b
1 Gratos ſibi fecit nos in dilecto 54
2 Sed Deus qui diues eſt in miſericordia propter multã charitatem ſuam 46
3 Orat vt per fidem Chriſtus in cordibus noſtris inhabitet 114.b
4 Vnus Dominus vna Fides vnũ Baptiſma &c. 242.b
4 Quoſdã autem dat prophetas quoſdam apoſtolos 208.b
4 Creſcamus in illo per omnia qui eſt caput Chriſtus, ex quo totum corpus compactum &c. 343.b
4 Vos didiciſtis Chriſtum ſi modo eum audiſtis &c. ſicut eſt veritas in Ieſu 366
5 Sitis igitur imitatores Dei tanquam filij dilecti 48.b
5 Eratis quondam tenebræ, nunc aũt lux in Domino &c. 150
5 Ne inebriemini vino in quo luxus eſt 28.b
5 Mundatam lauacro aquæ per verbum 39.b

AD PHILLIP.

2 Si qua conſolatio in Chriſto explete meum gaudium vt ſitis vnanimes 275.b
2 Chriſtus Ieſus cum eſſet in forma Dei non rapinam duxit 54.b
2 Ideo exaltauit eum & nomen accepit quod eſt ſupra omne nomen 213.b
2 Omnes quæ ſua ſunt quærunt non quæ Chriſti Ieſu 211
3 Propter quem omnia prø damnis duxi habeoq; pro ſtercoribus 9.401
3 Ad cognoſcendum illum ex virtute reſurrectionis 34
3 Erũt corpora noſtra ſimilia glorioſo corpori Chriſti &c. 85
4 Omnia poſſum in eo qui me confortat 309.b

AD COLOSSEN.

1 Per eũ condita ſunt omnia 4.b
2 Inhabitat omnis plenitudo diuinitatis 34
3 Vita noſtra in Chriſto abſcondita eſt 300.b

I. AD THESSALON.

2 Accepiſtis non ſermonem hominũ ſed ſicut erat verè ſermonem Dei 52.b
4 De aduentu Chriſti in iudicium &c. 291.b
5 Omnia probate quod bonum eſt tenete 303

II. AD THESSALON.

2 Ideo mittet illis Deus efficacitatem deceptionis vt credãt mendacio 93.b

I. AD TIMOTH.

1 Chriſtus Ieſus in mundum venit vt peccatores 57.b
2 Vnus Deus, vnus mediator 27
3 Seruabitur tamẽ liberos gignẽdo ſi mãſerit in fide &c. 328
4 Prohibentium contrahere matrimonium, iubentium abſtinere à cibis 25.b
4 Corporalis exercitatio paululum habet vtilitatis 118
4 Eſto forma fidelium in ſermone in conuerſatione &c. 205
5 Si quis fidelis habet viduas ſufficienter tribuat eis 284
5 Aduerſus presbyterum accuſationem nõ inſtituas niſi ſub duobus aut tribus teſtib. 395

II. AD TIMOTH.

1 Scio cui crediderim, & eũ poſſe depoſitum meum in illum diem ſeruare 152
2 Si cum Chriſto morimur cum eo viuemus 405.b
2 Nouit Deus qui ſint ſui 389
2 In magna autem domo nõ ſolum ſunt vaſa aurea & argẽtea ſed lignea 167
2 Seruum Domini oportet eſſe manſuetũ erga omnes 249
3 At tu mane in iis quæ didiciſti 252.158.b
3 Semper diſcentes & ad cognitionem veritatis non peruenientes 294
4 Erit tempus quo doctrinam ſanam non ſuſtinebunt 93.b

AD TITVM.

2 Per omnia teipſum præbe formam bonorum operum 205
2 Illuxit enim gratia Dei ſalutifera omnibus hominib. 46
3 At poſtquam bonitas & amor erga homines apparuit ſeruatoris ibidem
3 Non ex operibus iuſtis, ſed ex ſua miſericordia ſeruauit nos 314

AD HEBRAEOS.

1 Chriſtus ſplendor gloriæ & character perſonæ dicitur 3.b
1 Chriſtus ſemen Abrahæ aſſumpſit 10.b
2 Vnde debuit per omnia fratribus ſimilis reddi 57.234
4 Viuus eſt ſermo Dei, & penetra bilior omni gladio ancipiti 307.b
9 Per proprium ſanguinem ingreſſus eſt ſemel in ſacrariũ 382
10 Qui aſpernatus fuerit Moſi legem abſq; miſericordia 48
10 Memores eſte vinctorum tanquã vnà cũ illis vincti 315.b
13 Quorum animaliũ ſanguis offerrebatur eorum corpora extra caſtra comburebantur 375.b
13 Honorabile eſt coniugiũ, ſcortatores & adulteros iudicabit Deus 144.25.b

IACOBI.

2 Oſtende mihi fidem tuam ex operibus tuis 288
4 Amicitia mundi inimicitia eſt cum Deo 316

I. PETRI.

1 Cum ſciatis vos nõ caducis rebus velut argẽto redemptos eſſe &c. 17
1 Qui prædordinatus quidem fuerat antequam conditus eſſet mundus 45.b
1 Renati non ex ſemine mortali ſed immortali 10.308
2 Vos autem genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta &c. 72
2 Chriſtus paſſus eſt relinquens nobis exemplum vt ſequamini veſtigia eius 297.b

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

II. PETRI.

1 Spiritu ſancti impulſi loquuti ſunt ſancti Dei homines
2 A quo quis ſuperatus eſt huius ſeruus eſt 163
2 De lapſu diaboli 173

I. IOANNIS.

1 Deus lux eſt & tenebræ in eo non ſunt vllæ 150.b
1 In ipſo vita erat & vita erat lux hominum 330
1 Sanguis filij Dei emundat nos ab omni peccato 277.b 382.
2 In mundo ſunt cupiditas carnis, libido oculorum, & faſtus vitæ. 258.b
3 Omnis qui natus eſt ex Deo peccatum non facit 308
3 Nam qui ſeruat præcepta eius in eo habitat & ipſe in eo 300
3 Non diligamus verbo neque lingua ſed opere & veritate 287.b
4 Dilecti, ſi nos ita dilexit Deus, debemus & nos alij alios diligere 46.b
4 Ne cuiuis ſpiritui credatis 303
4 Probate ſpiritus an ex Deo ſint 159
4 In hoc eſt charitas non quod nos dilexerimus Deum &c. 330.330.b
4 Per hoc patefacta eſt charitas Dei in nobis quod filiũ &c. 46
5 Si teſtimonium hominum accepimus, teſtimonium Dei maius eſt 54
5 Scimus quod filius Dei venit & dedit nobis mentem vt cognoſcamus illum qui verus eſt &c. 366

II. IOANNIS.

1 Non arte cõpoſitas fabulas ſecuuti notam vobis fecimus Chriſti virtutem &c. 382.b

EX APOCALYPSI.

3 Hæc dicit ſanctus & verax qui clauem Dauidis 393
13 Agnus immolatus ab origine mundi 8
14 Hi qui cum mulieribus non ſunt coinquinati 25.b
18 Reddite illi ſicut & illa reddidit vobis 197
18 Exite de ea populus meus 201.b
20 Locus de reſurrectione mortuorum & extremo iudicio 84.b.

FINIS.

IN EVANGELIVM IESV CHRISTI SECVNDVM IOANNEM HOMILIAE RODOLPHI Gualtheri Tigurini.

HOMILIA I.

POST EXPOSITOS DVODECIM PROPHETAS, QVOS *Minores vocant, deinceps diuinæ gratiæ auxilio & vestris precibus, fratres in Domino charissimi, fretus, Euangelium Iesu Christi, quod secundùm Ioannem inscribitur, interpretari instituì. Quod vt faciam, duabus potissimùm rationibus adducor. Prima, quòd Malachias, qui vltimus veteris testamenti scriptor est, suam prophetiam læto & euidenti oraculo concluſit, quo Ioannis Baptistæ aduentum atq; ministeriũ describit, quem noui testamenti, adeoq; euangelij, primum præconem fuisse scimus: itaq; vetus testamentum cum nouo coniungendo, nos ab illo ad huius lectionem transmittit: quæ non aliunde commodius & vtilius inchoari potest, quàm ab eo libro, qui Iesu Christi cognitionem & vniuersa fidei atq; salutis nostræ mysteria omnium perfectissimè comprehendit, vt suo loco demonstrabitur. Altera mei instituti ratio est, quòd prophetarum oraculis, quæ hucusq; audiuimus, lux maior accedet, quando reipsa & verè præstita atq; impleta videbimus, quæ illi seculis aliquot ante prædixerunt. Facit hoc plurimùm ad fidei confirmationẽ, qua nobis hodie inter grauissimas diuersissimarum opinionum controuersias, & vndiq; imminentia pericula cumprimis opus est. Sed priusquàm ad Euangelistæ verba accedamus, paucula quædam de Euangelio primùm, deinde de huius scripti authore, Ioanne, hoc Sermone dicenda erunt.*

Euangelij vox (vt alibi quoq; annotauimus) Græca est, & Latinis bonum seu fauſtum lætumq; nuntium significat. Illam verò spiritus sanctus nõ sine grauissima ratione prædicationi vel doctrinæ de gratia Dei nobis in Christo exhibita accõmodare voluit, vt ea euangelium vulgò diceretur, cùm quòd hæc sola isto nomine digna est, vt quæ sola mentes in desperationis præcipitio constitutas erigere & consolari potest: tum vt nos ad huius studium excitet, ne quæ ad animorum consolationẽ & hominis beatitudinẽ faciunt, alibi in rebus friuolis atq; perituris (vt mũdo & affectibus carnis dediti facere consueuerunt) quæramus. In quo cum salutis nostræ cardo maxima ex parte versetur, non vocem modò euangelij, sed rem ipsam paulò diligentius inspexisse proderit: vt nimirum intelligamus quid euangelio contineatur, quibus partibus prædicatio illius constet, quisue illius finis aut scopus sit, vtq; homines ad illud amplectendum præparatos siue affectos esse oporteat. Quæ omnia tunc rectius intelligemus, si Christum ipsum & Apostolos de hoc mysterio loquentes audiamus.

Euangelium quid sit, & cur sic dicatur doctrina de Christo.

Inter hos ergo primus Ioãnes prodeat, cuius scriptum aggredimur: qui euangelicæ doctrinæ summam breui epistola complecti volens, sic orditur: Quod erat à principio, quod audiuimus, quod vidimus oculis nostris, & manus nostræ contrectauerunt de Sermone vitæ: Et vita manifestata est, & nos vidimus, & testamur & annunciamus vobis vitam illam æternã, &c. Testandi verbo vtitur, vt doctrinam de Christo non vulgare aliquod nuntium, sed testimonium graue & fide dignum esse ostendat. Paulus verò eandem verbum reconciliationis vocat. 2. Corinth. 5. Deus (inquit) erat in Christo mundum reconcilians sibi, non imputando eis peccata ipsorum, posuitq; in nobis verbum hoc reconciliationis. Et alibi euangelium dicit esse potentiã Dei ad salutem omni credenti. Rom. 1. Rursus ab eodem euangelium gratiæ Dei dicitur, quando se ministerium accepisse ait à Domino Iesu, ad testificandum euangelium gratiæ Dei. Acto. 20. Christus verò ipse doctrinam istam euangeliũ regni dicere consueuit, Dei nimirum seu cœlorũ regnum intelligens. Potest ex hisce omnibus euangelij definitio talis constitui: Euangelium est testimoniũ gratiæ Dei exhibitæ in Christo, vero & æterno

Euangelij definitio.

Dei filio, qui iuxta veteres promissiones homo factus, suæ mortis & resurrectionis merito atq; virtute nos redemit, & patri reconciliatos eidem per fidei obedientiam consecrauit, vt ille in nobis regnum obtineat, nosq; olim cum illo in cœlis regnemus. Est hæc plena & perfecta definitio, omnia ea complectens, quæ ad euangelij & salutis nostræ cognitionem, imò etiam ad huius doctrinæ commendationem faciunt: quod facilè patebit, si singulas eius partes excutiamus.

Testimonium gratiæ.

Vbi primùm occurrit, quòd testimonium gratiæ Dei dicitur. Quo epithero ita gaudet Ioannes, vt in Apocalypsi propter testimonium Christi eos affligi dicat, qui propter euangelium persecutionem sustinent. Neque ab ipso hoc confictum putabimus, sed ex spiritus suggestione Christum magistrum secutus est. Quia enim ille Apostolos suos testes dixit, meritò quam illi prædicarunt, doctrina Christi testimonium dicitur. Facit autem hæc prior pars bifariàm ad euangelij commendationem. Testimonij enim vox illius veritatem & certitudinem asserit aduersus eos, qui doctrinam hanc in dubiũ vocant, aut falsi insimulant. Si enim cuiles leges testibus legitimis atq; iuratis fidem habere iubent, imò cùm Deus in ore duorum aut trium testium omne verbum consistere, & inde controuersiarum cognitionem petendam esse doceat: quæ temeritas fuerit, diuino numine afflatos & infinitis miraculis cõmendatos Christi testes reijcere? Neq; enim in illis hæret contumelia ista, sed in Dei filium redundat, cuius illi ministri fuerunt. Quin ipsum Deum patrem (vt Ioannes docet) mendacij insimulant, cum non aliud de Christo illi prædicarint, quàm quod ille cœlitus de ipso testatus est. Deinde ab vtilitate etiam doctrina hæc commendatur. Quia enim testimonium gratiæ Dei est, animos iræ diuinæ metu fluctuantes placat, & salutis certos reddit: quo nullum potest bonum excellentius homini in terris agenti accidere. Quicũq; ergo euangelium vel negant vel abijciunt, hi & Dei & publicæ salutis hostes sunt, & se dignos esse produnt, qui à Dei gratia perpetuò excludantur.

Euangelij partes.

Obseruabis deinde in euangelij definitione quod de Christo gratiæ illius mediatore dicitur: quòd nimirum homo factus, suæ mortis & resurrectionis merito atq; virtute nos redemerit, à peccatis nimirum & horum supplicio, morte æterna, & patri reconciliatos eidem nos per fidei obedientiam consecrarit. Docent ista, quibus partibus constet euangelium, & quomodo inter homines prædicari debeat. Primus locus historiæ debetur, quæ Dei filium incarnatum & hominem factum fuisse docet, et illius in carne mortem atque resurrectionem, quam glorioſa in cœlos ascensio mox secuta est, describit. Secundum locum incarnationis istius & eorum, quæ in carne fecit & passus est Dei filius, fructus obtinet: qui est, vt liberati ex peccati & diaboli seruitio Deum colamus in fide vera & vitæ sanctitate, atque illi nos totos consecremus. Et has quidem euangelij partes ipse Christus constituit, quando à mortuis resuscitatus discipulis ait: Sic scriptum est, et sic oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis tertio die, & prædicari in nomine eius pœnitentiam & remissionem peccatorum. Luc. 24. Euangelij ergo præcones sunt, quicunq; cum Christi Iesu historia illius vsum fideliter tradunt, homines à peccatis seriò reuocãt: interim verò non in nostræ naturæ viribus, sed in vnius Christi merito monstrant quæcunq; ad salutarem illam à peccatis conuersionem & eorundem remissionem faciunt. Quotquot verò ista vel discerpunt & mutilant, vel extra Christũ ostendunt, pro euangelij doctoribus haberi nullo modo possunt.

Euangelij finis.

Facit huc quod postremò in definitione de euangelij fine adijcitur: Vt ille in nobis regnum obtineat, nosq; olim cum illo in cœlis regnemus. Nec enim obedientia fidei consistere potest, nisi suo spiritu in nobis regnet Deus, & reluctantes voluntati suæ carnis affectus reprimat. Quare orantes ex Christi mandato dicimus: Adueniat regnũ tuum, fiat voluntas tua, &c. At qui Deum admittunt, vt in ipsorũ mortali corpore regnum obtineat, ijdem hac vita defuncti, quoad animas, in cœlos subuolant ad æterni & cœlestis regni cõsortium, ad quod olim corpora quoq; ipsorũ subuehentur, quãdo à mortuis resuscitata beatam immortalitatem induent. Et horum quidem consyderatio simul admonet, quales esse oporteat eos, qui euangelium cum aliquo fructu audire & verè amplecti cupiunt. Sciant homini mortificatione carnis opus esse, vt regenerari & innouari possit ad cœlestis illius regni & vitæ æternæ participationem. Deinde verò euangeliũ attentè audiant, quod in vno Christo nobis monstrat quæcunq; nobis ad istum finem sunt necessaria. Neq; se ab illius studio vllis hominũ traditionibus, aut mundi huius illecebris reuocari, vel vllis periculis absterreri patiantur. Hæc enim vnica illa & vetustissima salutis ratio est, quã primis parentibus in paradiso Deus tradidit, quamq;

quamq; postea sæpe repetitis promissionibus, typis item legalibus & prophetarum oraculis confirmauit: quam demiq; post peractum in Christo salutis negotium apostolorum ministerio per totum orbem diuulgari voluit. Per hanc seruati sunt olim patres, huius exhibitionem videre cupierunt prophetæ, & eandem suo sanguine confirmarunt martyres, quorum memoria hodie apud omnes Dei cultores sancta & celebris habetur. Procul ergo valeant, quicunq; hanc nouis additionibus peruertere conantur. Quòd si verò propter hanc mundo renunciare, bonorum huius seculi iacturam facere, & omne genus periculorum subire cogimur: cogitemus breui transiturum mundum hunc, & facilem esse eorum iacturam, quæ durabilia nõ sunt, huius autẽ vitæ afflictionibus æternam vitæ cœlestis & nunquam intermorituræ remunerationem esse propositam. Addamus huic consyderationi ardentes atq; assiduas preces, & mox Deum tam sancto studio minimè defuturum sentiemus, qui suo spiritu efficiet, vt euangelij semen in animis nostris germinet & fructus salutares ferat.

Transeamus nunc ad alterum huius Sermonis caput, vt de Ioanne euangelici istius scripti authore dicamus. Est enim hoc singulare bonitatis diuinæ argumentum, quòd doctrinã hanc Deus nõ modò viua voce prædicare, verumetiã scriptis mandari voluit, ne vel tota intercideret, vel aliunde accersitis traditionibus corrumperetur. Excitauit autem historiæ de Christo Iesu et reparata salute humana scriptores quatuor: duos nimirũ ex Apostolorum numero, Matthæum & Ioannem: & totidem ex ijs, qui Apostolis fideliter conuersati, ex illorum relatione res omnes probè didicerũt; Marcum scilicet & Lucam: quos ideò prioribus adiunxit, ne quid ab his ex composito scriptũ videri posset, neue spiritum sanctũ solis Apostolis datum esse, aut his è vita sublatis cessauisse putemus. Inter omnes verò istos primatum facilè tenet Ioannes, de quo aliquid dicendum est, non quòd euangelij authoritas ab eius scriptore dependeat, sed vt in electo hoc Christi organo Dei bonitatem agnoscamus, & magis afficiamur eorum lectione & auditione, quæ ab illo in nostram institutionẽ cõscripta sunt. Fuit ergo Ioannes Zebedæi filius ex Salome, quam Iosephi ex priori vxore filiã fuisse veteres tradunt. Habitauit Bethsaidæ, quod Galilææ oppidum est, ad lacũ Tiberiadis, vbi cum patre & fratre Iacobo rei piscatoriæ vacantẽ & retia sarcientem ad apostolatũ vocauit Christus, & ab eo tempore sibi familiarissimum habuit, adeò vt dilectus discipulus vulgò diceretur. Nec pauca vel vulgaria extant fauoris Christi erga hunc argumenta, cùm illum rebus grauissimis testem adhibuerit: vtpote miraculo resuscitatæ Iairæ filiæ, transfigurationi in mõte Thabor, et agoni suo extremo ad montem olieti. Hinc factum, vt etiam ipse dominum & præceptorẽ suum amore vehementissimo prosequeretur, quem non minus perspicuis argumentis testatus est. Nã in vltima Cœna super pectus Domini recubuit, & cum illo capto omnes diffugissent, hic mox nouis animi viribus collectis illum secutus est in atrium pontificis vsq;, neq; ab eo tempore illum amplius deseruit, adeò vt solus ex discipulorum grege astiterit in cruce morienti. Cuius fidei & amoris amplissima præmia accepit à Domino. Ipsi enim Christus iam moriturus matrem suam cõmendauit, virginem (vt Augustinus ait) virgini, quo nomine D. Cyprianus illum Mariæ cubicularium vocauit. Adhæc vidit eodẽ tempore in latere Christi aperiri fontem illum salutiferum, quem per Zachariã promiserat Deus, qui credentium peccata & menstruam immunditiem, id est, inhærentem nobis & hæreditariam naturæ corruptionem abluit. Cùm verò post ascensionem Domini cum reliquis Apostolis spiritum sanctum accepisset, hic quoq; in illo virtute maiori operatus est. Per ipsum etenim & Petrum primum miraculum est editum in claudo, qui ad portam templi Speciosam deponebatur: & tunc quoq; Ioãnis facundia atque imperterrita dicendi libertas toti Hierosolymorum Senatui admirationi fuit. Et quanta fide atque constantia ab eo tempore perrexerit Christi causam agere, ex eo patet, quòd solus dignus visus est Apostolis, qui cum Petro Samariam mitteretur, cum illis Philippus Christũ prædicauisset: vbi nouis signis claruit, & per illius ministerium spiritum sanctum credentibus Samaritanis Christus contulit. Tandem in Asiam duce spiritu profectus, quàm plurimas illic ecclesias collegit, quibus tempore diutissimo præfuit. Constat enim illum omnibus apostolis superuixisse: quod fieri non poterat, quin multa aduersa videret atque pateretur. Vidit ergo suæ gentis implacabile odium, seu rabiem potius, qua Christi doctrinam persequebantur. Vidit Neronis edicto excitatam contra Christianos persecutionem, quæ plerosq; apostolorum, & inter hos Petrum et Paulum sustulit. Vidit horrendum vrbis Ierosolymæ excidium & luctuosam Iudaicæ reipub. dissipationem, cum

De Ioanne Apostolo & Euangelista.

infinitis alijs, quæ ipsi procul dubio morte acerbiora erant. Tandem cum Domitianus, homo crudelis & impius, diuinitatis affectator, stirpisq; Dauidicæ acerrimus hostis, alteram contra Christi cultores persecutionem instituisset, Ioannes quoq; ex Asia Romam pertractus, & in oleum feruens demersus est, sicuti vetustissimus scriptor, Tertullianus testatur. Cùm autem nihil ex eo mali pateretur, in Pathmum Aegei maris insulam relegatus est, vbi librum de fatis Ecclesiæ, quem Apocalypsim vocant, ex Christi reuelatione conscripsit. Quo tempore epistolas quoq; ab illo scriptas fuisse crediderim, vt eos in fide confirmaret, quos viua voce docere non poterat. Cùm autem Domitiano à suis occiso, illius acta propter crudelitatem intolerabilem rescinderentur, Ioannes quoq; ab exilio reuocatus Ephesum rediit, & tunc rogantibus illum Asiæ episcopis euangelium Iesu Christi conscripsit. Mouit illos, vt hoc officij ab illo postularent, Cerinthi & Hebionis hæreticæ de fidei mysterijs traditiones, qui Iesum ex Iosephi semine natum, et postea cùm ab Ioanne baptizaretur, Christum in illum descendisse docebant, vnà cum multis alijs, quibus æterna filij Dei diuinitas et nostræ salutis fundamenta conuellebantur. Cessit ergo Ioannes sanctis piorum fratrum petitionibus, et sublimiori volatu ipsos quoq; cœlos penetrans, luculento & diserto dicendi genere ea exposuit, quæ ad asserendam Iesu Christi saluatoris nostri diuinitatem faciunt. Quo nomine illum Christus filium tonitrui dixit, nimirum ob altiuolantis doctrinæ grauitatem, qua hominum mentes percelluit. Sed & alia quædam suæ historiæ interseruit, quæ à tribus prioribus Euãgelistis omissa fuisse videbat. Nam vt ab æterna Christi diuinitate orditur, ita ea quoq; cõmemorat, quæ priusquam Baptista in carcerem conijceretur ab illo facta sunt, quorum mentionem aut nullam aut perquàm obscuram reliqui faciunt. Et ordine quidem commodissimo progreditur. Primò enim summatim proponit ea, quæ Christum verum & æternum Dei filium atq; olim promissum humani generis redemptorem esse demonstrant. Deinde vt vocatis aliquot discipulis Messiæ officio fungi cœperit, docet. Partitur autẽ narrationem istam secundum profectiones, quibus Ierosolymam ascendit Christus, & quid in vnaquaq; istarum memorabile ab illo factum sit, narrat. Et sicuti miracula deligit celebriora, quæ grauissimarum disputationum occasionem præbuerunt; ita in disputationibus & concionibus Christi describendis plurimùm immoratur, vt ex illis discamus quis nobis omnium eorum vsus esse debeat, quæ ille fecit & passus est. Postquam verò opus hoc suum absoluit Ioannes, paulò post anno ætatis nonagesimo nono (vt plerig; veterũ tradunt) in Domino obdormiuit, & iuxta Ephesum sepultus est. Fuit is annus Traiani Imp. quartus, à Christo autem nato centesimus secundus, & ab eiusdem morte sexagesimus octauus: quo tempore iam longo rerum vsu edoctus Ioannes sciebat, quæ nam ecclesiæ cumprimis necessaria essent cognitu, & quibus illa quàm minimè carere posset.

Et hæc quidem de Ioanne paulò fusius dicenda fuerunt, vt ex ijs primò Dei bonitatẽ agnoscamus, qui in hominem obscuro loco natum & nullo huius seculi splendore insignem, sui spiritus dona tam liberaliter effundere dignatus est, & eiusdem ministerio etiam hodie in ecclesia sua instituẽda vtitur. Etsi enim rogãtibus Asiæ episcopis (vt supra diximus) quos illius seculi hæreses vexabãt, librum hunc scripserit, longius tamen extenditur diuinæ prouidentiæ consiliũ, quæ scripto hoc ecclesiam aduersus omnia impiorum & fanaticorum de Christo commenta instruere voluit. Magna sit ergo eius apud nos authoritas, & si Christum verè diligimus, attenti audiamus, quæ ex spiritus suggestione dilectus ipsius discipulus & istorum omnium oculatus testis nobis tradidit. Imprimis verò finem eum nobis proponamus, quem ipse Ioannes monstrat, dicens: Hæc scripta sunt, vt credatis quòd Iesus est Christus ille filius Dei, & vt credentes vitam habeatis per nomen eius. Ipsi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

CAP.

CAPVT I.

HOMILIA II.

IN principio erat Sermo, & Sermo ille erat apud Deũ, & Deus erat ille Sermo. Hic erat in principio apud Deũ. Omnia per illum facta sunt, & absq; eo factum est nihil quod factum est. In ipso uita erat, et uita erat lux hominum: & lux ista in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.

GRAVIS admodũ & obseruatu dignissima est Saluatoris nostri Iesu Christi sententia, quam crucis suppliciũ aditurus inter orandum pronuntiauit: Hæc est, pater, uita aeterna, ut cognoscant te solũ uerum Deum, & quem misisti Iesum Christũ. Vt enim totam salutis rationem breuiter comprehendit: ita Christi cognitionem omnibus necessariam esse docet, qui seruari volunt. Nam sicuti in corporum morbis pharmaca, quæ illis medentur, nouisse oportet: Ita cum primis eum agnoscamus necesse est, qui animabus sub peccatorum æstu laborantibus medicinã solus adhibet. Est verò hoc insigne bonitatis Dei argumentum, quòd medicum hunc & seruatorem nostrũ iam inde à prima rerum origine patribus manifestauit, & quæ illis locutus est, imò quæcunq; ille in terris propter nos fecit aut passus est, literis consignari voluit, ut inde petant omnes homines, quæ salutiferæ illius cognitioni seruiunt. At nobis in eius inuestigatione uersantibus ij libri potissimum perlegendi sunt, qui illam quasi ex professo simpliciter & compendiose tradũt. Inter quos primas partes facilè meretur euangelica historia ab Ioanne Apostolo conscripta. Quia enim is Christo (ut nuper dictũ est) familiarissimus fuit, & postea excellentiori spiritus virtute instructus fuit, sicuti ipsius facta testantur, nihil eorum illum latere potuit, quæ ad veram & salutarem Christi Iesu cognitionem faciunt. Deinde quia postremus omnium ad scribendum animũ appulit, cùm & hæreses perniciosæ contra veritatis doctrinam inuectæ essent, & ipse persecutiones graues unà cum tristi & diuturno exilio pro Christi nomine sustinuisset, facilè vidit, quæ nam euangelij partes diligentiori illustratione indigebant, & in quibus Christi cultores cumprimis exerceri oporteat. Facit præterea ad scripti huius commendationem methodus siue ordo, quo ille commodissimo utitur. Initio enim quis sit Christus docet, & quare in mundum hunc venerit. Et quia tunc diuersæ hæreticorum opiniones circumferebantur, quorũ alj æternam filij Dei diuinitatem conuellere nitebantur, alij verò (ut ex eiusdem Apostoli epistola constat) illum in carnem uenisse, & hominem verum factũ esse negabãt: ita illum initiò describit, ut verum Deum simul & hominem in una indiuisa persona esse ostendat, qui in mundum venerit, ut vitam & salutis lucem hominibus miseris afferret. Deinde historiam contexit, in qua cùm dictis tum factis illius euidentissimè probat, talem illum esse, qualẽ initiò dixit. Siue ergo Ioannem authorem, siue scripti huius rationem consyderes, librum hunc commodissimum esse fateberis, è quo purior Christi Iesu cognitio, ceu ex fonte limpidissimo hauriatur. 1. Ioan. 4.

NVNC verò his præmissis ad loci modò recitati explicationem accedamus, cuius summa vel status est: Iesus Christus, de quo scripturus sum, est verus patriq; consubstantialis Dei filius, adeoq; Deus verus ab æterno. Et hoc quidem euidenti demonstratione confirmat, quæ tribus ferè argumentis constat. Nobis autem istorum hic usus esse debet, ut nostræ fidei dignitatem agnoscamus, et inter quæuis pericula in eius confessione constanter perseueremus. Argumentum & usus præsentis loci.

Primũ argumentũ ab ipsa essentia vel substãtia Christi petit, dum ita orditur: In principio erat Sermo, & Sermo ille erat apud Deum, & Deus erat ille Sermo, &c. Vbi priusquàm argumentum ipsum excutiamus, voces quædam inspiciendæ veniunt. Sermonis vocabulo Christũ, Dei filium denotari totus contextus docet, & plerique confitentur. Græci λόγον dixerunt, cuius vocis significatio est varia. Nunc enim pro ratione, nunc pro oratione aut sermone sumitur. Veterum plerique Verbum interpretantur, quod tolerabile erit, si per Verbum orationem aut sermonem totum intelligas. Voluit autẽ Ioannes hoc nomen Messiæ aut Christo, Dei filio, tribuere: primò, quòd vetus scriptura illum eodẽ olim denotarat (notũ est enim illud Dauidis: Verbo Domini cœli facti sunt, &c. Item: Misit Verbũ suum, & sanauit eos) deinde, quòd inter Hebræos olim Messias vulgò sic diceretur Ab æterna essentia probat Christi Deitatem. Sermo. Psal. 33. et 107.

(vt quidam rectè annotarunt) vt qui promissum Dei est, in quod patres totis animis respexerunt. De vocabuli ratione multi argutè philosophantur, & illo omnis passionis expertem filij Dei generationem significari putant. Simplicior autem & solidior eorum ratio mihi videtur, qui Sermonem dici arbitrantur, eò quòd per hunc pater semper hominibus locutus est: quodq; per illum sese & voluntatem suam manifestat. Vt enim sermo animi nostri verissimus index est: ita Deus pater in nullo alio verius & rectius quàm in filio perspicitur: quo nomine illum Apostolus ad Hebræos splendorẽ gloriæ & characterem personæ illius vocauit. Et ipse idem non obscurè innuit, Philippo dicens. Qui me videt, patrem videt. Deinde Principij quoque vocem non vno modo accipiunt interpretes. Quidam Deum patrem intelligunt, qui rerum omnium principium, fons & origo alibi appellatur. Sed hoc in præsenti nimis coactum est, nec video, cur Ioannes initiò statim voluerit obscuriori vocabulo vti, cùm paulò post Deum ipsum diserte nominet. Pleriq; nostrûm æternitatem denotari putant, & ex illa argumentum deduci aiunt, quo Christi diuinitas probetur. Quod etsi verum sit, non tamen sequitur, quòd principij vox per æternitatem exponi debeat. Neq; aliqua solida ratio appareret, ob quam voce vsus sit Apostolus, quæ æternitati nequaquam conuenit. Cum enim æternum dicatur, quod principio & fine caret, quomodo quod æternum est, principij nomine declarari potest? Et frustra hæreticis obijciuntur argumenta, quæ scripturis sensum dubium, aut saltem obscurum obtrudunt: eò quòd ex ijs illi nouam rixandi occasionem arripiunt. Ego igitur principij vocem simpliciter in sensu proprio accipio (quod et Theophylactus fecit) nimirum ipsum Ioannem secutus, quo non alius potest huius dicti interpres melior produci. Is enim epistolam suam ab eodem Christo exordiens, de quo hic loquitur, sic ait: ὃ ἦν ἀπ' ἀρχῆς, id est, quod erat ab initio, quod audiuimus, &c. Ἐν ἀπ' ἀρχῆς dicit, quod hic ἦν ἀρχῇ dicitur: quæ locutio non aliter quàm de rerum creatarum, adeoque ipsius temporis initio intelligi potest. De eodem igitur hic quoque loquitur Ioannes, neque ideò minus firmum est argumentum, quo æternam Christi essentiam atq; diuinitatem asserit: imò & firmius est & simplicius, minusq; obnoxium hæreticorum cauillis, si verba singula in sensu germano & proprio accepta aduersus illos constanter vrgeamus. Dicit enim Ioannes: In principio erat Sermo. Quasi diceret: Non cœpit cum mundi huius machina, imò cùm (vt Moses ait) Deus in principio crearet cœlũ & terram, iam tum Sermo iste erat. Quòd si iam erat in ipso principij puncto (vt ita loquar) cùm tempus ipsum primùm esse inciperet, vtique nullis temporum finibus continetur, & proinde æternum sit oportet. Consultò igitur ERAT dixit, non FVIT, neq; FACTVM EST, vt illud ab omni eorum numero eximeret, quæ tunc cœperunt esse aut fieri, & illius essentiam æternam, initio & fine carentem, exprimeret. Si enim in principio omnis creaturæ iam erat Sermo ille, quod nam obsecro illi principium aliud tribuemus? Vel num principij principium fingemus? quod quàm absurdum sit, Cyrillus quoq; annotauit. His itaq; explicatis argumenti huius veritas nobis patebit, quod est eiusmodi: Quod ab æterno est, Deus est: Christus est ab æterno: Ergo Christus Deus est. Maior demonstratione miuimè opus habet, quando nobis non cum gentibus res est, quæ deos credebant, quorum natales & cunabula in terris monstrabantur. Iam pridem enim explosa est illa stultitia, vt nec inter Turcas locũ habeat. Si qui tamen contendendi libidine accensi adhuc oggannunt, respondeant illi, quid namq; præter Deũ ab æterno fuerit, priusquàm mundus hic esse cœpisset? Quod cùm non possint docere, illud fateantur oportet, Deum esse quod ab æterno est. Minorem verò, qua Christum ab æterno esse diximus, Ioannes ista ratione probat, quod in principio erat, cùm nihil dum esse cœpisset. Et mox addit: Et Sermo ille erat apud Deum. Quibus verbis illum ab omni creaturarum ordine eximit, & simul hæreticis respondet, qui æternam Filij essentiam asserentibus oggannibant: Vbi ergo erat Filius, cùm neque locus esset, neq; tempus? His (inquam) respondens, ait: Apud Deum erat, cui nimirum vnione substantiali ab æterno fuit & est coniunctus, iuxta illud: Ego & pater vnum sumus. Non enim apud Deum esse dicitur Sermo ille ea ratione, qua angeli aut sancti cœlites apud illum sunt: sed quòd illi essentialiter vnitus est. Et sanè à patre filius diuelli nulla ratione potest, nisi Deum sua sapientia & sermone spoliare velimus. Quia ergo Christũ ab æterno esse probauit Ioãnes, rectè infert: Et Deus erat ille Sermo: Vel vt alij legũt: Et Sermo ille erat Deus. Vt verò argumento hoc Christi Iesu diuinitas asseritur, secundùm quam patri coæternus & cõsubstantialis est: ita simul filium à patre distinguit quoad personas, adeoq; totum Trinitatis adorandæ

mysterium

Hebr. 1.
Ioan. 14.
Principium.

mysterium continet. Si enim apud Deum patrem est Sermo ille, distincta ab eo persona seu ὑπόστασις sit oportet. Quod quia obseruatu cumprimis necessarium est, non contentus hoc semel dixisse, posteà idem repetit: Hic erat in principio apud Deum; Nimirum ne quis ex ista doctrina occasionem haberet confundendi personas patris & filij: quod olim Sabellius & plures alij fecerunt, quos cõmuni vocabulo Patrispassianos dixêre, eò quòd sublata personarũ distinctione, patrem pro nobis passum esse assererent. At quomodo apud patrẽ erat filius, si non distincta ab hoc persona est? Rursum, cùm à patre & filio procedat spiritus sanctus, qui tamen ab ijsdem nunquam diuellitur aut separatur, hunc quoq; quoad personam distingui constat, & ita in indiuisa atq; inconfusa vnitate tres personæ aut ὑπόστασις (vt vetustissimi patres loquuntur) existunt, adeoq; vnitas in trinitate, & trinitas in vnitate inuenitur. Quod mysterium cùm ex ijs euidenti & irrefragabili cõsequentia colligatur, quæ scripturæ sacræ de vno Deo, patre, filio & spiritu sancto, tradunt, idem tamen humanæ rationis captum longè exuperet: nos illud humiliter adorare decet, non autem curiosius vel audacius eius ratione inuestigare. Hic enim præcipuè locum habet illud Pauli: Ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus. Item, nunc cernimus per speculum & per ænigmata, olim autem coràm mysteria hæc intuebimur. Neq; nobis statim absurdum & fide indignũ videri debet, quod nostræ rationis acumine inuestigari nequit. Quàm multa enim sunt in rerum natura, quæ ita esse scimus, cur autem vel qua ratione ita sint, neq; dicere neq; cogitando assequi possumus? Animam corpori nostro vnitã esse sentimus, & diuersas vtriusq; operationes experimur: quis verò philosophorũ vnquã deprehẽdit, qua ratione, aut quo vinculo duæ diuersissimæ naturæ, salua & inconfusa vtriusque proprietate, in vnam personam coeant? Cur ergo incredibile videatur in adoranda Deitate tres personas haberi distinctas quidem, sibi tamen coæternas atque consubstantiales? Sed omissis istis, quæ nullis verbis pro sua dignitate explicari possunt, videamus potius, in quem vsum nobis seruiant, quæ de Christi Iesu æterna & diuina essentia dicuntur. 1. Cor. 13.

Et primò quidem ad asserendam euangelicæ doctrinæ & fidei nostræ dignitatẽ hæc faciunt. Accusant hanc Iudæi, & nos nudo homini confidere clamant, nec Dei verbis terreri, qui per Ieremiam olim dixit: Maledictus qui fidit homini, & facit carnem brachium suum. Deinde inter Christiani nominis professores hodie nouitatis in religione accusantur, qui salutis spem in vno Christo collocandam esse docent. Sed vtramq; calumniam paucis hisce verbis diluit Apostolus. Quia enim Christum docet verum Deum esse, satis euidenter ostendit, rectè & piè facere eos, qui illi confidunt. Rursus, quando illum ab æterno esse testatur, nouitatis crimine omnes eos liberat, qui illum suum seruatorem atque redemptorem esse credunt. Quò & illud facit, quòd in hoc Deus primis parentibus salutis spem omnem monstrauit, & quòd ex spiritus sancti suggestione de illo locuti sunt quotquot vnquam salutis doctrinam verè & synceriter tradiderunt. Nulla ergo fides antiquior, nulla salutis doctrina vetustior inueniri potest, quàm quæ vnico hoc Dei filio, Iesu Christo, nititur. Nouas verò salutis rationes sequuntur, & nouis ducuntur traditionibus, quicunque salutem extra Christum quærere consueuerunt. Facit præterea locus iste ad asserendam salutis nostræ certitudinem, quæ hoc argumento validissimè confirmatur. Si enim ab æterno est Christus, & nos in illo Deus elegit, priusquàm mundi huius fundamenta iacerentur: vtique salus quoque nostra æterna, & proinde immutabilis, firma & solida est. Nam non mutatur Christus, sed est idem heri & hodie, & vsque in secula. Fieri ergo non potest, vt vel mutetur, vel euertatur, quæ huic innixa est salutis humanæ ratio. Itaq; ad hunc modum consyderatus locus hic, plurimùm consolationis affert, qui intuitu primo nimium ieiunus & sterilis esse apparet. Vsus æternitatis Christi. Ierem. 17. Hebr. 13.

Sequitur secundũ diuinitatis Christi argumentũ, quod ab effectis aut operibus illius petit, sic dicens: Omnia per illũ facta sunt, & absq; eo factũ est nihil quod factũ est. Ex quibus perspicuitatis ergò argumentũ ita formabis: Deus est creator omniũ: At omnia creata sunt per filiũ aut Sermonem hunc, de quo loquimur: Ergo Sermo ille est Deus. Maior probatur Mosis testimonio & vnanimi totius scripturæ cõsensu, quæ Deum vniuersam huius mundi machinam ex nihilo produxisse docet, & philosophorum errorem validissimè confutat, qui illam ab æterno fuisse, & in æternũ mansuram esse contendunt. Minorẽ quoque ex veteri scriptura depromit Ioannes. Huc enim referri debet tota Creationis mundi historia, quæ omnia per Dei verbum facta fuisse testatur. Cui adde quod suprà Ab effectis probatur Christi Deitas.

ex Psalmo adduximus: Verbo Domini cœli facti sunt, & spiritu oris eius omnis exercitus eorum. Nam etsi illic cœli soli nominentur, Synechdochica tamẽ est locutio, quæ omnia quæ sub cœlo sunt, comprehendit. Et Solomõ de æterna & cœlesti sapientia, hoc est, Dei filio, loquens, inter alia sic ait, Prou. 8. Cum ipse præpararet cœlos, aderam; & cum describeret circulum super faciem abyssi. Cum firmaret desuper nubes, et cum solidaret fontes abyssi. Cum poneret mari legem suam, ne aquæ præterirent præceptum eius, & cum constitueret fundamenta terræ, &c. Nihil ergo hic nouum dicit Ioannes, sed ex ijs, quæ olim per diuinos homines spiritus sanctus pronunciarat, seruatoris nostri, Iesu Christi deitatem asserit. Consentit huic vas electionis, Paulus apostolus, qui ad Colossenses scribit: Per eum condita sunt omnia quæ in cœlis sunt, & quæ in terra, visibilia & inuisibilia, siue throni, siue dominia, siue imperia, siue potestates: omnia (inquam) per eum & in eum condita sunt. Addit autẽ Ioannes confirmationis causa: Et absq; eo factũ est nihil, quod factũ est. Ita enim illum rursus vnà cum spiritu sancto ex creaturarũ ordine eximit, & eos confutat, qui mundum per Christum, ceu instrumentum, conditũ esse dicunt: cuius sententiæ olim Arianos fuisse legimus. Si enim illo Deus ceu instrumento vsus est, illum prius factum fuisse oportet, vt instrumentum eiusmodi posset esse. At nihil absq; eo factum esse clamat Apostolus, nec rationi consentaneum est, aut illum à seipso factũ esse, aut suipsius creatorem esse dicamus. Neq; semper particula, PER, instrumentalem causam, sed efficientem quoq; interdum denotari, vel vnicus Pauli locus docet, qui de Deo patre loquens ad Romanos inquit: Nam ex eo, & per eum, & in eum sunt omnia. Per illum omnia esse ait. Quis verò tam vecors est, vt Deum suipsius instrumentum esse, aut Paulo tale quid vnquam in mentem venisse dicat? Quid ergo prohibet, quò minus hîc quoq; simili locutione Christum creatorẽ describi dicamus, cùm argumento validissimo illius deitatem Ioannes prius demonstrauerit?

Coloss. 1.

Quid prosit Christum agnoscere mundi creatorem.

Porrò faciunt hæc quoque ad demonstrandam salutis nostræ certitudinem & ad fidei confirmationem. Si enim ab illo facta aut creata sunt omnia, idem ille omniũ Dominus & gubernator agnoscendus erit. Est ergo omnipotens, nec quicquam contra illum possunt quæcunq; in toto mundo habentur. Testatur hoc ipse, quando sibi omnem potestatem datam esse ait in cœlo & in terra. At cùm idem suum auxilium nobis polliceatur, & quòd nobis præsens adesse velit vsq; ad mundi consummationem: nõ est quòd vel mundi huius vel diaboli conatus aut vires pertimescamus. Vt vt enim contra Christum & illius cultores insaniant, nunquã tamen oues ex illius manu eripere poterunt, quas sanguinis sui pretio acquisiuit. Et qui vniuersam totius mũdi machinam ex nihilo producere potuit, idem rebus afflictis opẽ afferre poterit, etsi nulla eius spes in humanis supersit. Præterea officij quoque ista nos admonent, vt Dei bonitatem agnoscamus qui verbo suo æterno res omnes in nostrum vsum condidit. Vbiq; ergo bonitatis diuinæ & Christi redemptoris nostri imago occurrit, & proinde nequaquam opus est, vt illius memoriam simulachris contra illius præceptum factis conseruare studeamus. Vtamur autem omnibus istis cum fide & gratiarum actione, nec in diuini nominis contumeliam ea conuertamus, quæ ille vt nobis inseruiant, condidit. Adhæc nullius creaturæ nos tædeat, vt propter illam Dei creatoris sapientiam vel voluntatem accusemus. Nec enim credendum est, aliquid in nostram perniciem factum esse ab eo, qui iuxta æternum patris decretum se totum pro nostra salute impendere voluit. Quòd autem nonnulla hominibus infesta & noxia sunt, id nostro vitio fieri cogitemus, qui illa aduersus nos armamus. Aequum enim est, vt cùm Deo creatori & redemptori nostro debitum negamus officium, suum quoq; obsequiũ ea nobis denegent, quæ ille propter nos creare dignatus est. Hinc ergo originem ducunt pestilens aëris corruptio & morborum variorum examina, aquarum inundatio, terræ sterilitas, & omnis generis animalium incursiones, quibus infestamur. Magnum tamen in his omnibus diuinæ bonitatis argumentum est, quòd minutissimas vilissimasq; bestiolas ferè contra nos armat Dominus, vt ea occasione nostrã infirmitatem citius agnoscamus, & nostræ superbiæ pertæsi sub illius potenti manu humiliemur. Pertinent huc quæ de Pharaone per ranas & muscas infestato, de Philistæis per mures deuictis, de vrbibus nonnullis per cuniculos euersis, de potentissimis item tyrannis per vermes & pediculos erosis leguntur. Sed de his alibi commodius dicetur.

Ab adiacentibus probatur Deitas Christi.

Transeamus nunc ad tertium argumentum, quo Christi deitatem Ioannes asserit. Petitur ab adiacentibus, cùm ait: In ipso vita erat, & vita erat lux hominũ, &c. Vitæ nomine vim viuificam intelligit,

intelligit, quæ in omnibus creaturis, tam animatis quàm inanimatis conspicitur. Inest enim herbis & plantis omnibus virtus quædam crescendi, proferendi semen vel fructificandi, operandi item contra morbos. Idem de gemmis dici potest, & multis alijs, quibus anima prorsus nulla inesse videtur. Quòd si animalia inspiciamus, non sine admiratione & stupore considerari possunt illorũ vires, motus, ingenium, quo nonnulla in futuris cognoscendis homines ipsos sua solertia superant: in ijs maximè, quæ tempestatum vicissitudines spectant. In homine autem tantæ apparent animæ vires, vt nõ temerè hunc olim sapientes μικροκόσμον, quasi mundi totius epitomen dixerint. At cùm hæc captum humanum procul excedant, diuinam esse oportet virtutem illam, quæ ista in creatis omnibus operatur. Ab ea ergo argumentum ducit euangelista, quod ita formabis. Deus solus omnia viuificat: At vitam quoq; confert Christus: Ergo Christus est Deus. De maiori plura dicere non est opus, nisi illud Pauli adijcere libeat: Per ipsum mouemur, viuimus & sumus. Minorem verò ex veteri scriptura desumptã esse, Moses abundè docet, qui Dei verbo herbas, reptilia, volucres, animalia deniq; omnia creata esse, & ex eo vim suã accepisse scribit: Vnde Paulus rectè de illo dicebat: Ipse est ante omnia, & omnia per illum consistunt. Rursum verò in his non modò veram Christi Iesu deitatẽ obseruare debemus, verumetiam officij nostri meminisse, vt cùm ex illo vitam hauserimus, totum eius cursum iuxta illius præscriptum instituamus: neúe nos vllis minis aut conatibus mundi ab instituto patiamur reuocari, cùm nec viuere, imò ne spiritũ quidem ducere possint absq; Christo, qui tam insolenter aduersus illum & illius cultores ferociunt: imò vt primùm illis spiritum vitalem Deus eripuerit, expirant (vt Psaltes ait) & in puluerem suum reuertuntur. Neq; graue nobis videatur vitam pro Christo deponere, cùm & hanc & nosipsos totos illi debeamus, & ille mortalis vitæ iacturã beata immortalitate nobis compenset.

Actor. 17.

Coloss. 1.

Cæterùm ne quis per Christum corporis modò vitam cõferri putaret, quæ ferè nobis cum bestijs communis est, ad animarum vitam atq; salutem illius merito partã, transitum facit Ioannes, quãdo addit: Et vita erat lux hominum. Id est, de eiusmodi vita loquor, quæ hominum mentes quoq; illuminat, & cœlestium æternorumq; bonorum capaces reddit. Ita verò vitæ beneficiũ, quod nobis cõfert Christus, à reliquorum animalium vita distinguitur, & nos in illo ea quærere docemur, quæ ad immortalem atq; æternam felicitatem faciunt. Addit amplificationis ergò: Et lux ista in tenebris lucet. Tenebras vocat mentium excæcationem & ignorantiæ caliginem, quæ ex peccato primorum parentum enata, in nos quasi hæreditario iure deuenit, de qua Paulus loquens ait: Animalis homo, id est, qui non alia quàm naturali luce præditus est, non est capax eorum, quæ sunt spiritus Dei. Etsi enim scintillas aliquas & quædam verioris cognitionis principia nobis reliquerit Deus, tanta tamen affectuum caligo est & tã densæ carnis nebulæ in nobis exurgunt, vt ex nobis ipsis nihil certò cognoscere possimus in ijs, quæ ad regnum Dei faciunt. Docent hoc philosophorum scripta, qui cùm ingenij acumine & dicendi facultate instructissimi fuerint, de summo tamen hominis bono tam ineptè & ridiculè disseruerunt, vt eos nullis rectius quàm in tenebris palpantibus contuleris. Idem in scholasticis theologis est videre, qui salutis mysteria philosophicis disputationibus inuestigare voluerũt, non contenti ea lucerna, quam in scripturis spiritus sanctus proponit. Porrò rationis & intellectus excæcationem voluntatis corruptio sequitur, vt nec ea velit homo, nec etiam velle possit, quæ Deo probantur, neq; ad ea amplectenda vires ex seipso habeat aliquas. Meræ ergo tenebræ sunt in hominibus. Tantus autem è contra lucis in Christo exhibitæ splendor est, vt in tam densis tenebris luceat, neq; per illas obscurari possit. Docet hoc res ipsa, quando luce hac totum orbem breuissimo tempore illuminatum esse scimus, nequicquã contra hanc luctantibus impijs, qui tenebras suas retinere maluissent, & luci huic nouas quotidie nebulas offuderunt. Et potest hoc inter diuinitatis Christi argumenta non postremo loco collocari. Nisi enim diuina fuisset lux ista, nunquã potuisset tantis tenebris superior fieri. Interea nos hîc admonemur, in solo Christo quærendã esse lucem scientiæ & sapientiæ, quæ nos in veræ iustitiæ vijs ad vitam æternam dirigat. Hic enim nobis à Deo factus est sapientia, teste Apostolo, & in illo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ reconditi, &c.

Christus uitæ æternæ author est.

Cæterùm dicat aliquis: Si tanta tamq; efficax lux est Christus, cur ergo non omnes illuminantur? cur maior hominum pars tenebris immersa per vitiorum & superstitionum horribiles Labiryn thos oberrat? Huic itaq; quæstioni respõsurus Ioannes, mox subijcit: Et tenebræ eam non compre-

Cur luce in Christo non omnes fruantur

henderunt. Non ergo lucis hoc vitium fuit, sed hominum, quorum alij hæreditaria ignorantia excæcati, luce ista non potuerunt vti, cæcis similes, qui Solis luce frui nequeunt: multi quoq; malignè eam fastidierunt, eò quòd illam suis prauis studijs aduersari viderẽt, de quibus Christus ipse infra cap. 3. disseret. Et sanè tanta est ignorantiæ nostræ caligo, vt lucem illam Christi percipere non possimus, nisi simul Deus medicam manum adhibeat, & oculos errorum velis & squamis obtectos nobis aperiat. Cui rei Christum quoq; destinatum esse Isaias docet, quando illum oculos cæcorum aperire dicit, & idem ipsemet testatur, cùm se in mundum veniisse ait, vt qui non vident videant. Et hæc quidem in huius loci expositionem dicta sint, quo apostolus æternam & Deo patri consubstantialem filij deitatem asserit. Extant huius testimonia infinita passim in prophetarum & apostolorum scriptis, quæ enumerare longum foret: neq; illorum recitatione opus est, cùm ipsa opera audituri simus, quæ illum Deum verum esse abundè testabũtur. Nos potius istorum vsum obseruemus, & primò quidem Dei bonitatem exosculemur, qui filium suum vnigenitum nostræ salutis ergò in carnẽ mittere, imò in mortem tradere voluit: deinde eundem agnoscamus solum redemptorem nostrum, illum inuocemus, illum colamus in spiritu & veritate, in fide autem eius constantes simus & inuicti, ne illius merito partam salutem nostro vitio amittamus. Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.

Isa. 61. Ioan. 9.

HOMILIA III.

Fuit homo missus à Deo, cui nomen Ioannes. Is uenit in testimoniũ, ut testaretur de luce, ut omnes crederent per ipsum. Non erat ille lux illa, sed missus erat) ut testaretur de illa luce. Erat lux illa uera, quæ illuminat omnem hominem uenientem in mundum.

QVoniam Ioannes Apostolus hoc suum opus euangelicũ in eum maximè finem conscripsit, vt ex eo pij discerent, quid de Iesu Christo humani generis vnico redemptore, nos sentire & credere conueniat, quibus item argumentis conuinci debeant, qui illius vel deitatem vel salutiferæ incarnationis mysterium negare audent: quales illo tempore multos fuisse nuper diximus: Ab initio statim summam eorum præmittit, in quibus vera & solida illius cognitio consistit. Nam Deum verum esse docet, qui præfinito tempore homo factus in mundum venerit, vt suo merito humanum genus redimeret. Atqui Deum verum esse, tribus euidentissimis argumentis demonstrauit, quæ plurimùm faciunt ad asserendam fidei nostræ dignitatem atq; certitudinẽ. Vetustissima enim illa sit oportet, cùm eo nitatur, qui Deo patri coæternus est, & quem is ab ipso exordio rerum nobis seruatorem promisit. Certa item & inuicta est, cùm idem ille omniũ creator sit, & proinde sua prouidentia atq; virtute res omnes gubernet. Cæterùm quia apostoli plerisq; inuisi erant, & quidem Iudæis potissimũ, qui ipsis, quasi nouæ fidei et prius inauditæ religionis authores essent, vbiq; turbas concitabãt: ijs quæ dixit, Ioannis Baptistæ testimonium subijcit, & hunc quoq; de Christo eadem docuisse demonstrat. Neq; hoc facit absq; graui ratione, cùm summa esset apud omnes Ioannis authoritas: sicuti ex eo patet, quòd sacerdotes Christo ipsos de Ioannis baptismo interroganti nihil respondere audent: ne vel quod verum erat confitendo contra seipsos testimonium dicerent, vel aliquid cõtumeliosius dicendo in Ioannem, à populo lapidarentur. Et Iosephus tradit, tantam virtutis existimationem apud Iudæos illum sustinuisse, vt pleriq; illius indignæ neci acceptam ferrent cladẽ, quam Herodes ab Areta socero suo acceperat. Prudenter ergo illius testimonio vtitur euangelista: & mox eadem occasione ad salutis per Christum nobis acquisitæ mysteria explicanda transitum facit. Vsus loci totius est, vt discamus doctrinam apostolicam de Christo, testimonijs solidis et minimè dubijs, imò diuinis, niti, & proinde non debere repudiari.

Ioannis Bapt. commendatio.

Porrò Ioannis testimonium producturus, illum prius describit, ea potissimùm cõmemorãs, quæ ad eius commendationem faciebant. Fuit homo (inquit) missus à Deo, cui nomen Ioannes: Is venit in testimonium, vt testaretur de luce, &c. Primùm ab eius vocatione orditur, ne quis illius testimonium, vt hominis vulgaris & nullius pretij, reijceret. Dicit ergo missum esse à Deo, id est diuinitus ad hoc

ad hoc officium destinatum fuisse, nec quicquam aliud feciſſe, quàm quod ab illo in mandatis acceperat. Possunt autem ad huius dicti confirmationem multa afferri, quæ Apostolum hoc verè dixisse ostendunt. Et huc quidem pertinent prophetarum oracula, qui ante Messiam, venturum prædixerunt præcursorem quendam in spiritu & virtute Eliæ, vt omnium mentes ad illum dignè excipiendum excitet. Quæ oracula de Baptista debere exponi, Gabrielis archangeli & ipsius Christi testimonijs admonemur, sicuti in postremo super Malachiam sermone demonstrauimus. Deinde Ioannis natiuitatem singulari reuelatione Deus per angelum prædici voluit, ne quid in ea fortuitum putaretur. Tertiò miraculis eandem pluribus nobilitauit. Cùm enim hanc promitteret angelo non crederet Zacharias, repentè obmutuit, vt nec populũ, à quo expectabatur, posset alloqui. Deinde præter omnem expectationem illum concepit Elizabet, quæ prius sterilis fuerat. Præterea sexto à conceptione mense in vtero matris exilijt, cum ex spiritu sancto grauida Maria virgo illam salutatũ venisset. Tandẽ in illius natiuitate Zacharias spiritu repletus linguæ vsum recepit, & Dei laudes carmine prophetico decantauit. Adde his omnibus educationem, & quæ in puero eluxerunt non vulgaris indolis argumenta, incomparabile item virtutis studium, & minimè dubitabis à Deo missum fuisse, cùm impijssimi quoq; singularẽ in illo spiritus sancti virtutem vel inuiti agnouerint. Etsi verò Ioannis missionem tot & tantis argumentis comprobari oportuerit propter ministerij excellentem dignitatem cui illum destinauerat Deus: simul tamen obseruabis, legitima vocatione & missione opus esse omnibus, qui ecclesiæ ministeriũ obire volunt. Quomodo enim prædicabunt, si non missi fuerint? Rom. 10. ait Apostolus. Et apud Ieremiã aliquos damnat Dominus, quòd nõ ab ipso missi cucurrerint. Quia Ierem. 23. enim ministerium hoc spiritus sancti donis quàm maximè opus habet, ille autem homines prauis affectibus præoccupatos afflare dedignatur, fieri non potest, quin aut palàm falsi doctores sint, aut sine fructu doceant, quicunq; non expectata Dei vocatione sese in illius sortem intrudunt. Sed & ijdem postea laborum mole & periculorum metu oppressi turpiter deficiunt, quando illorum fidem ecclesia maximè requirit.

Secundò nominis quoq; meminit euangelista, dicens: Cui nomẽ Ioannes. Ita verò fieri oportebat, Ioannis nomẽ. partim ne de teste aliquo obscuro & omnibus ignoto loqui videretur: partim quia hoc quoq; ad præsentem causam cumprimis faciebat. Illi enim ex Dei mandato istud nomẽ imposuerat angelus, priusquam in matris vtero conciperetur, & idem illius ministerio optimè conueniebat. Hebræis etenim à gratia denominatur, & Latinis Gratiosus dici potest. Atqui nomine hoc dignissimus fuit, qui fontẽ gratiæ & mediatorem salutis nostræ primus prædicare, imò præsentẽ digito monstrare debebat. Facit autem hoc exemplum ad asserendam Dei prouidentiã, quam per omnia extendi vel hinc constat, quòd ne nomina quidẽ hominibus temerè imponuntur. Extant enim huius generis multa in vtroq; Testamento. Et sancti patres olim huius rei rationem diligentissimam habuerunt, vt recens natis vel ex memorabili aliquo euentu, vel alia ex causa eiusmodi nomina imponerent, quæ tam ipsos quã ex se natos veterum Dei beneficiorũ & sui simul officij admonerent. Qui mos etsi hodie obsoleuerit, & paucis ab ipso Deo sua nomina imponantur, laudem tamen & obseruationem diligentẽ meretur vetus ecclesiæ consuetudo, qua recens natis in baptismo nomina induntur. Nam ne istud quidẽ absq; Dei prouidentia fit, quæ ita nostrum officium nobis in mentem reuocat. Quoties enim nominis nostri recordamur, toties simul occurrit cogitandi occasio, nobis illud tunc datum esse, quando in baptismo Christo & ecclesiæ eius nomen dedimus: & proinde nostrarum partium esse, vt Christi auspicijs aduersus mundum & huius principem militemus.

Tertiò ab officij dignitate Ioannes cõmendatur. Dicit enim euangelista: Hic venit in testimo- Ioannis officiũ. nium, vt testaretur de luce, vt omnes crederent per ipsum. Fuit hoc addendum, vt omnibus constaret, Ioannem non priuato affectu prorupisse, vt Christo testimonium ferret, sed à Deo in hoc fuisse excitatum & missum. Meritò enim suspecta eorum fides est, qui non requisiti, nec legitimè in forum producti, sua sponte ad testimonium dicendum prodeunt. Ne quis ergo Baptistam ex eorum numero fuisse putaret, illum à Deo productum dicit, vt de luce illa testaretur, Christo nimirum, qui vt nos saluti restitueret & eius cognitione illuminaret, in mundum venerat. Simul verò testimonij huius finis indicatur, cùm addit: Vt omnes crederent per ipsum. Id est, Ideo Ioannem misit Deus, vt eius prædicatione omnes excitati, Christũ Iesum agnoscerent, & fide vera amplecterentur, qui aliàs illũ

Isa. 40.

non fuissent obseruaturi. Consentiunt hæc quoq; oraculis prophetarum, qui Ioannem vocant Vocem clamantem in deserto, quam ideò excitarit Deus, vt omnes Christo aduentanti viam præparent, & illum qua decet reuerentia & fide excipiant. Est autem nobis hoc loco non ociosè obseruandum prouidentiæ Dei consilium, qui promissum Saluatorem non sine præcursore eiusmodi in mundũ venire voluit, qui de illo testimonium ferret. Etsi enim ille (vt suo loco audiemus) non accipiat testimonium ab homine, neque humanis suffragijs opus habeat, qui ipsa est Veritas: ita tamen nostræ imbecillitati cõsulere voluit, cui vix quicquam sufficit, & externis adminiculis opus habet. Et sanè si illorum temporum conditionẽ spectes, ita fieri omnino oportebat. Constat enim Iudæos multo tempore doctrina vera destitutos fuisse, cùm vltimus prophetarum fuerit Malachias, qui annis quadringentis ferè Christi incarnationem præcessisse videtur. Interea in diuersas sectas scissus erat populus Iudaicus, & sacerdotum auaritia traditiones plurimas inuexerat, quibus non modò vera legis cognitio, verumetiam promissiones & prophetiæ de Messia obscurabantur: adeò, vt plerique regem aliquem putarent venturum, qui deuictis hostibus Iudæorum, inter illos regnum constitueret, quale olim Dauidis aut Solomonis fuerat. Nunquã ergo Iesum Christum agnituri fuissent pro Messia, nisi grauissimi alicuius testis authoritate excitati fuissent, qui veteres promissiones illis in mentem reuocaret, Messiam illis ceu digito monstraret, & ita filiorum corda (sicuti Malachias de illo prædixerat) ad patres reduceret, in eum videlicet respicere docens, quem patres omnes cõstanti fide expectarant. Est itaq; hoc præclarum diuinæ bonitatis argumentũ, qua omnibus seculis misericors ille pater vsus est, & etiamnum hodie vtitur, dum quotidie filio suo testes fideles suscitat, qui hominum mentes excitent ad illum amplectendum, vt in ipso salui fiant. Addit his signa & prodigia, quibus tam promissiones quàm minas suas confirmat. Execrabilis autẽ & nulla excusatione digna est hominum contumacia, qui nullis rationibus flecti possunt, sed in Christo oblatam veritatis lucem improbè aspernantur. Attamẽ sui officij hic meminerint ministri omnes, & sibi idem à Deo iniunctum cogitent: Nimirum vt Christo testimonium ferant, qui nobis à Deo patre saluator & redemptor venicus datus est. Hac ratione Christus ipse Apostolos suos testes vocat. Testimonij autem huius finis esto, vt omnes in Christum credant, & per ipsos edocti in illo vno omnem salutis suæ fiduciã collocent. Magna igitur cura opus est, ne falsi testes fiant, & dicendi libertatẽ sibi vel metu, vel ambitione, aut alijs prauis affectibus eripi patiantur. Si enim in causis ciuilibus tam atrox falsi testis culpa est, vt Solomon illum Deo exosum esse dicat: quis non Dei & hominũ odio, aut etiam æterno exitio dignum dicat ecclesiæ ministrum, qui falso doctrinæ testimonio gloriæ filij Dei derogat, & salutis rationem vel obscurat, vel omnino euertit? Faciunt hoc, qui sua somnia & hominum traditiones cum euangelio commiscent, & quos vni Christo adducere debebant per errores & ambages circunducunt, ne ad puriorem illius cognitionem possint peruenire. Dabunt illi haud dubiè graues suæ impietatis pœnas. At non minor eorum culpa est, qui fideles Christi testes scurriliter explodunt, & pro mendacibus exibilant. Est hoc hodie frequens admodum, quando publicè impostores & hæretici dicuntur, exilijs mulctantur, ferro & igne crudeliter necantur, qui Christo Iesu veritatis testimonium ferendo, in hoc vno omnia monstrant, quæ nobis ad salutem consequendam necessaria sunt. Sed quia in ipsum filium Dei iniuria ista redundat, illius vindices manus isti nunquam effugiunt.

Distinguit inter Ioannem et Christum.

Cæterum vt Ioannem Baptistam propter veritatis euangelicæ hostes magnificè commendari oportuit: Ita nonnullorum nimiam & æquo maiorem de illo existimationẽ reprimi vel corrigi necesse fuit, qui illi inhærendo Christum negligebant. Scimus enim initiò statim aliquos fuisse qui vitæ exemplo & noua doctrinæ eius maiestate atque vehementia perculsi, illum Messiam esse putarunt. Sed & discipulos eius stulta æmulatione accensos, Christo populi concursum & discipulorum multitudinem inuidisse, postea audiemus. Imò cùm iam per multas gentes euangelium prædicassent Apostoli, passim reperti sunt, qui in Ioannis baptismo seu doctrina acquiescebant, de Christo & fide in illum non multùm soliciti, sicuti de Apollo & Ephesijs nonnullis Lucas in Actis scribit. Et est hac mundi infelicitas, vt Dei ministros vel impiè reijciat vnà cum veritatis doctrina, vel illos ad superstitionem vsq; admiretur atq; colat: cuius rei exempla cùm vetera tum recentia passim occurrunt. Vt ergo huic errori medeatur Euangelista noster, docet nunc apertius, quis Ioannes fuerit, & quantum illi

tum illi tribui debeat. Non erat ille (inquit) lux illa, sed missus erat, vt testaretur de luce. Quibus verbis aperte inter Ioannem & Christum distinguit, quem non sine emphasi lucem illam vocat, & sensus est: Fuit quidem Ioannes missus à Deo, fuit illi non temere à gratia nomen inditũ, fuit donis instructus excellentissimis, adeoq; lucerna ardens fuit, sicuti à Christo ipso nominatur: non tamẽ fuit vera illa & essentialis lux, quæ ex sese existit, et ex seipsa illuminandi vim habet: sed illius testis modò & præco fuit, ad hoc missus, vt in tenebris sedentes in veram illã filij Dei lucẽ adduceret. Quo loco docemur, quid de sanctis Dei ministris iudicare & sentire debeamus. Ornat illos scriptura præclaris omnino elogijs. Dicuntur enim lux mundi, sal terræ, lucernæ ardentes, patres qui in Christo regenerent, legati Christi, deniq; seruatores: neq; illo honore fraudandi sunt, qui animas suas pro Christo & publica salute deposuerunt. Simul tamen cauere oportet, ne Messiæ honorem & gloriam in illos transferamus, cùm ipse olim per Isaiam clamarit: Ego Dominus, hoc est nomen meum, & gloriam meam alteri non dabo. At Christi Iesu gloria est, quòd illum nobis Deus ab æterno humani generis redemptorem constituit, quòd illum nobis fecit sapientiam, iustitiam, sanctificationem, satisfactionẽ & nostræ redemptionis pretium: quòd ille vnicus apud patrem mediator, aduocatus atq; intercessor est, quòd deniq; in illo solo omnes gratiæ et salutis thesauri cõtinentur, neq; aliud sub cælo nomẽ est, in quo nos saluari oporteat. Hæc quia partim Deitatis opera sunt, partim ad incarnati filij Dei mysterium pertinent, nulli alij tribui debent, quantæcunq; sanctitatis fuerit. Nam qui hoc faciunt, & in Dei legem peccant, qui ne quos nobis deos alienos faciamus prohibuit: & sanctorum exemplis atque doctrina conuincuntur, qui vt vnum Deum colere, & per nomẽ Iesu Christi inuocare docuerunt: ita ab imperitis sibi oblatos honores eiusmodi fortiter aspernati, imò totis animis detestati sunt. Nota sunt enim quæ de Ioanne & Petro Apostolis, de Paulo item & Barnaba in Actis cõmemorantur. Sed & Baptista (vt suo loco audiemus) aduersus suos discipulos Christo suam gloriam constantissimè asseruit, inter alia dicens: Illum oportet crescere, me verò minui. Et Paulus, cùm Corinthios suis doctoribus ita addictos videret, vt ab illis denominari vellent, & propter illos ecclesiæ vnitatẽ scinderent, ad vnum Christum illos remittit, de se verò & symmystis suis loquens, ait: Nihil nisi ministri sumus, per quos credidistis, & vt cuiq; Dominus dedit. Hodie multi sanctos in cælis iam agentes pro diis colunt, interea verò illorum fidem atq; doctrinam hæreseos accusant, Iudæorum planè similes, qui prophetarum monumenta studiosè ornabant, Christum verò persequebãtur, cui illi omnes testimonium tulerant. Atqui vtinam hic pedem sisteret infelix superstitio, quam eò vsq; progressam videmus, vt impurissimis hominibus ea tribuantur, quæ solius Christi sunt, quòd nimirum peccata remittere, cælo locare, & vitam conferre possint. At si ista Ioanni negata fuerunt, qui Christo teste sanctissimus & maximus fuit omnium, qui ex mulieribus nati sunt, quid obsecro de illis sentire conuenit, quorum flagitiosa libido notior est, quàm vt prolixa redargutione opus habeat?

Quomodo iudicandum de seruis Dei.

Isa. 42.

Porrò quod de Ioanne dixerat magis confirmat Christi ampliori præconio, quod mox subijcit: Hic erat lux illa vera, quæ illuminat omnem hominem veniens in mundũ. Ita enim hunc locum legendũ puto: neq; istam expositionem Græca veritas respuit, sicuti ex patribus Augustinus quoq; annotat, quàmuis in suis super Ioannẽ tractatibus vulgatã lectionẽ sequatur. Quæ etsi nihil absurdi habeat, quæstionibus tamen ineptis & curiosis occasionẽ præbuit, sicuti apud Cyrillũ est videre. Ex nostris verò nonnulli, dum se vix expedire possunt, quomodo omnes mox vt in mundũ nascuntur, Christus illuminet: de naturæ lege & rationis luce ista exponũt, cuius nemo hominum omnino expers sit. Quod etsi nõ omnino malè dicant, & hoc quoq; ex Christi beneficio nobis obtingere cõstet, in præsenti tamen Ioãnes alius quid spectare videtur, et de salutifera illa luce loqui, quã Dei filius in carne manifestatus mũdo intulit. Sensus ergo verborũ est: Ego hic non de luce vulgari loquor, qualis in hominibus cernitur, qui diuinitus illuminati, veritatis cognitione, doctrina itẽ & virtutis exemplo alijs prælucent: sed de vera atq; essentiali luce ago, quæ omnis luminis causa & origo est, vero nimirũ & æterno Dei filio, qui homo factus in mundũ venit, & salutifera Dei atq; salutis cognitione oẽs illuminat et exhilarat, qui ipsum vera fide amplexãtur. Quod cùm de Ioãne nõ possit dici, qui quicquid lucis habuit, aliunde habuit, nec aliquem propria virtute pro suo arbitrio potuit illuminare, ille pro luce illa vera non agnosci debet, neq; in illo hærendũ est ijs, qui salutiferæ illius lucis consortes fieri cupiunt. Est verò hoc nouũ diuinitatis Christi argumentũ. Quia enim solus Deus lux illa vera est,

Christus lux.

Lib. 1. de peccatorum meritis & remissione cap. 25.

Malach. 4.

quæ tenebras mentiũ discutit, & per viam vitæ æternæ deducit: eadẽ autem de Christo verè et rectè prædicatur, quem propheta ideò Solem iustitiæ nominat: idem certè Deus sit oportet. Facit autẽ ad eius cõmendationẽ, quòd omnẽ hominẽ illuminare dicitur. Est hoc partim de eius virtute et potentia intelligendum, quæ omnibus illuminandis sufficit: partim de eius liberalitate aut gratia, qua lucem suã per euangeliũ oĩbus offert, immerentibus quoq;, sicuti omniũ seculorũ exempla testantur. Quòd enim non omnes illuminantur, nõ Christi vitio, sed illorũ culpa fit, qui oblatã sibi lucem respuunt, & ad salutares illius radios, vt lippientes solent, oculos suos occludũt. Quòd si verò omnes homines per Christũ illuminari oportet, omnes illos prius in tenebris esse constat, nec lucẽ in se vllam habere, priusquàm illis Christus innotescit. Et eodẽ argumento tam ij cõuincuntur, qui hominẽ suis viribus salutem consequi posse docent: quàm qui vnum quenq; in sua religione saluari contendunt, modò bona animi intentione feratur. Quid enim cæcus videat in tenebris? Aut quid Christũ venire, & mori, et resurgere opus fuit, si quæuis religio, aut nostri animi intentio ad salutẽ consequendã sufficiebat? Cõmendatur præterea nobis Dei bonitas per modũ illuminationis, quẽ Ioannes exprimit, Christi videlicet aduentũ in mũdum. Cum enim nos non possemus ad Deum ascendere, vt salutis in illo cõsortes efficeremur: ille ad nos descendere voluit, vt nostræ carnis particeps factus, quam in se habet lucem atq; vitã nobis cõmunicaret. Quid ergo de illius bonitate dubitamus? aut putabimus ne illũ frustra ad nos descendere & extrema quæq; pati voluisse? Quia verò nobis illuminandis venit Christus, nostrum fuerit, abiectis operibus tenebrarũ in luce ambulare, vt filios lucis decet. Ita enim professioni nostræ respondebimus, & in cælis olim luce atq; vita nunquã intermoritura fruemur cum Iesu Christo Domino nostro: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.

HOMILIA IIII.

In mundo erat, & mundus per ipsum factus est, sed mundus eum non agnouit. In sua uenit, & sui eum non receperũt. Quotquot autem eum receperunt, dedit eis potestatem, ut filij Dei fierent, nempe ijs, qui credunt in nomen eius: Qui nõ ex sanguinibus neq; ex uoluntate carnis, neq; ex uoluntate uiri, sed ex Deo geniti sunt.

Diligenter quidẽ & magnificè nostri Saluatoris maiestatẽ atq; virtutẽ Ioannes prædicauit, docens illũ æternũ & patri consubstantialẽ esse Dei filium, mundi totius & omniũ quæ in mundo sunt creatorẽ, vitæ authorẽ vnicũ, deniq; optatissimã illam & verè salutarẽ lucẽ, quæ suo in mundum aduentu omnes homines illuminet. Conueniunt hæc ijs, quæ olim prophetæ de Christo prædixerunt, & quæ passim in Apostolorũ scriptis fusius explicantur. At ista prædicãtibus Apostolis duo ferè obijciebantur. Primum, si talis est Christus, cur tam serò terris innotuit? & cur Deus infelix hominum genus tot seculis errare & cæcutire passus est? Alterũ, si tanta est lucis istius efficacia, quam in Christo Deus exhibuit, vt omnibus illuminandis sola sufficiat, quî fit, quòd tam pauci per eam illuminantur, & maior hominum pars in suis moribus atque statutis perseuerat? Imò ne ipsi quidem Iudæi, ex quibus ille natus est, illum agnoscunt. Erant ista non parua scandala, quibus euangelicæ prædicationis cursus valde impediebatur: nec Apostolorum modò temporibus quæstiones istæ motæ sunt, sed eadẽ hodie etiã passim audiuntur. Clamãt enim nostri aduersarij: Si vera est, quã noui isti euangelici prædicant, doctrina, quis nõ errasse videat maiores nostros, adeoq; mundũ totũ, qui doctrinam istam tot seculis ignorauit? At quis pius aut cordatus dixerit, Deum hoc tam diu passurum fuisse? Item, si Dei verbum est, quod isti annuntiant, cur non fructus fert maiores? cur non agnoscitur à viris doctissimis & sapientissimis, quales hodie multi passim inueniũtur? cur in illis locis, vbi maximè sonat, ferè exosum est ijs, qui opibus, honoribus et dignitate alios excellũt? Hæc (inquã) & multa huius generis hodie dicuntur, & olim quoq; dicta fuisse scimus. At omnibus hisce inpræsentiarum loco Ioannes respondet, & primò quidem docet, Christum iam olim quoq; suam virtutem exeruisse, nec vnquam suo defuisse officio: hominum autem vitio factum fuisse, et adhuc fieri, quò minus ipsius luce salutifera fruantur. Deinde ostendit, hominum cõtumaciam illius dignitati aut regno nihil derogare, cùm non defuerint huc vsq; qui illũ dignè reciperent, neq; in posterum defuturi sint, quos ille

omnes

omnes salutis & summæ felicitatis participes reddat. Vbi paucis verbis comprehendit, quæcunque alibi fusius dicuntur de tota nostræ salutis ratione. Est itaq; locus hic multa consyderatione dignissimus. Nam & scandala tollit, quæ hodie multos impediunt, & nos grauissimis rationibus excitat ad amplectendum Christum, in quo vita & salus nobis per Euangelium offertur.

Ad vtramque obiectionem simul respondet: & primam quidem directè negat, alteram verò per criminis translationem diluit. Ad priorem pertinet, quod ait: In mundo erat, & mundus per ipsum factus est. Quæritis (inquit) cur nunc demum mundo innotuerit Dei filius quem prædicamus, vel cur Deus humanum genus tam diu errare passus sit? Atqui ille iam inde ab exordio rerum in mundo erat, neq; vnquam sic latuit, vt non aperta suæ virtutis argumẽta protulerit. Ratio qua hoc probet, subijcitur: Nã mũdus per ipsum factus est. Frequens enim hoc est Hebræis vt copulatiua particula pro causali aut rationali vtantur: quod ipsum hic fieri, verborum contextus satis euincit. Est enim argumentum à Dei natura desumptũ, qui non creat modò, sed abs se creatis præest, et illa virtute & sapientia sua fouet, conseruat atque regit. Cùm ergo per æternum illum Dei Sermonẽ mundus hic cõditus sit, nunquã eum ille deseruit, sed vbiq; in eius conseruatione atq; gubernatione se præsentem exhibuit. Potest hoc infinitis exemplis demonstrari, quæ & machinam ista[illegible]undi totius & vniuersum genus mortalium, Christi, promissi mediatoris & seruatoris beneficio seruatum esse testantur. Qua enim ratione factum dicemus, quòd in diluuio genus humanum non totum perierit, cum omnis caro (ut scriptura loquitur) viam suã corrupisset? Num hoc Noæ merito ascribemus? At hunc quoq; in peccatrice imagine ex Adamo progenitum, & affectibus obnoxium fuisse, illius ebrietas abundè docet. Et scriptura illum coram Deo gratiam inuenisse ait: Quid verò gratia opus erat, si seruari merebatur? Quòd si gratiæ huius causam quæras, non aliam præter promissum illud semen inuenies, in quem Noa respexit, & proinde per fidem iustitiæ hæres factus est, vt Apostolus ad Hebr. testatur. Ergo iam tum Christus suã virtutẽ in seruando mundo exeruit. Deinde qua ratione factũ putas, quòd Deus populũ peculiarẽ sibi delegit, Iudæos nimirũ, quos salutis promissionibus, lege & cultu externo instruxit? quòd propter illos Aegypto primùm benefecit, deinde propter eosdem illã plagis horrendis afflixit? quòd incurabili cõtumacia rebellantes non excidit? quòd bello captos ab exilio Babylonico reduxit? quòd cõtra hostes vndiq; insurgẽtes defendit? quòd denique imperantibus terræ illorũ Romanis, rempub. tamen & ecclesiã inter illos conseruauit? Hæc certè sine mediatoris alicuius intercessione & merito fieri nõ potuerũt, cùm illi suis sceleribus Dei irã quotidie prouocarẽt. Qui cùm inter homines tunc nullus fuerit, necessariò hoc omne Dei filio acceptũ ferri debet, qui ex illa gente præfinito tempore carnẽ assumpturus erat. Docẽt hoc prophetarũ oracula, quæ frequenter monent, Deũ propter filiũ suum promissum redemptorẽ, ipsis propitiũ fore. Quò cumprimis referri debet, quòd Isaias regi Achas Christũ auxilio fore pollicetur, cùm ille à Syris simul & Israelitis bello peteretur. Taceo nunc propter Iudæorũ gentẽ seruata simul & euersa esse potentissima Assyriorũ, Babyloniorũ, Persarũ & Græcorũ imperia: quibus exemplis non obscurè testabatur Dei filius se illius gentis protectorẽ esse, ex qua tandẽ homo nasci debebat. Sed & in Apocalypsi agnus dicitur immolatus ab origine mũdi, eam nimirũ ob causam, quòd meriti sui virtutẽ ad primos vsq; parentes extenderit. Rectè ergo dicit Ioãnes, saluificã illam lucẽ semper in mundo fuisse, & suã virtutẽ atq; prouidentiã euidentissimis argumentis prodidisse. Addit autẽ: Sed mundus eum nõ agnouit. Quibus verbis crassæ ignorantiæ, vel etiã voluntariæ cæcitatis reos agit omnes homines, qui tot modis sese proferentẽ lucẽ nec videre nec amplecti voluerint, sed se ipsis manifestantẽ partim carnali sua sapientia decepti, partim prauis affectibus seducti, turpiter sint aspernati. Ita ergo concedit aduersarijs, quod secũdo loco obijciebant, vt simul crimẽ in homines transferat, quorũ vitio hucusq; factũ sit, quò minus proficeret lux ista, quã tam magnificè prædicarat. Cõmune verò totius mũdi scelus Iudæorũ exemplo amplificat, cùm addit: In sua venit, & sui eũ nõ receperũt. Quasi diceret: Nemo mihi gentiles meos Iudæos obijciat, cùm quod vos dicitis ego lubens cõfitear. Tanta enim fuit in excipiendo Christo mundi vecordia & ingratitudo, vt cùm ille in sua veniret, sui quoq; illũ nõ receperint, qui eius domestici cẽseri poterãt. Et hæc quidẽ de Iudæis dicit, quos Christi peculium vocat, quia patribus illorũ promissiones de illo datæ fuerũt, quia ex illis secundũ carnem nasci debuit, quia denique inter illos prædicauit, & illis primis in carne sese exhibuit, adeò, vt se ad solas Israelis oues

Christum ab ipsa rerum origine suam uirtutem exeruisse docet.

Hebr. 11.

Isa. 7. 8. &c.

Apoc. 13.

missum diceret, quo nomine à Paulo Apostolus Circuncisionis nominatur. Veniendi enim verbo hîc nõ modò incarnationẽ significari puto, sed simul omnia cõprehendi, quæ iam incarnatus inter Iudæos fecit aut passus est: doctrinam nimirum, miracula, mortem, resurrectionem, & quæcunq; alia ab Euangelistis cõmemorantur. In quibus tam manifesta promissi Messiæ indicia eluxerunt. vt in ru-
Ioan. 7. di populo voces istæ audirentur: Christus cùm venerit, num signa plura edet his, quæ hîc edidit? Et sacerdotum serui, cùm concionantem audiuissent, heris suis dicebant: Nunquam sic locutus est homo sicut hic homo. Quin ipsos sacerdotes non semel cùm miraculis tum doctrina illius conuictos obstupuisse multoties legimus. Adeò tamen ista nihil profecerunt, vt atrocibus conuitijs laniatum, & postremò captum inq; Concilio Seniorum atq; Sacerdotum condemnatum Pilato, homini prophano, & ab ecclesia Dei alieno tradiderint: neq; antea aduersus illum furere desierunt, quàm eum in cruce suspensum viderent. Imò ne morte quidem eius acerbissima illorũ rabies exaturari potuit, cùm in hunc vsq; diem illius nomen atq; doctrinã persequantur. Hæc omnia fatetur Ioannes, ita tamen vt inuidiã omnem à Christo & illius prædicatione in hostes illius, Iudæos imprimis deriuet. At nobis istorũ vsus esse debet, ne illorum clamoribus offendamur, qui hodie nobis (vt initiò dictũ est) eadem obijciunt. Nunquam enim ita præualuerunt tenebræ sub Antichristo, quin scintillæ & lucernulæ aliquot multorũ animos illustrarint. Mansit equidẽ in vulgo oratio Dominica, Symbolum Apostolorũ, Decalogus & euangelicæ historiæ notitia. Nec vllum fuit seculũ, quod nõ illustres aliquos Veritatis testes habuerit, quorum multi sanguinẽ pro Christo fuderunt. Passus est ergo Deus mundum cæcutire & errare, quia hîc cæcutire & errare voluit. Nec cui mirum debet videri, Christum in suis cultoribus exibilari, & doctrinã eius, cuius ministri sumus, explodi, cùm ipsum olim coràm docentẽ & miraculis suis plurimos quotidie iuuantem, non modò prophanæ gentes, verumetiam Iudæi reiecerint, qui promissionibus & lege atq; prophetarum oraculis superbiebant, quæ omnia in illo vno suum habent complementum. Manet perpetuò suum mundo ingeniũ, vt sibi sapiant homines, & carnis iudiciũ secuti non nisi vanis & turpibus delectentur, & proinde veritatis lucem odio implacabili persequantur. Non ergo meliorẽ sortem, quàm Christi fuerit, nobis polliceri debemus. Imò mirum potius videri debet, in tam deplorata mundi totius cõditione aliquos reperiri, qui gratiæ Dei
Matth. 11. gustu pellecti in Christi partes concedant. Sed ita impletur quod Christus dixit, paruulis & insipientibus reuelari mysteria regni cælorũ, quæ sapientes huius seculi nimis superbè fastidiunt. Neque tamen subsistamus in Iudæorum contumacia atq; ingratitudine: sed simul cogitemus, quàm horrendis modis illos vltus sit Deus, quando amissa libertate, patria, repub. & ecclesia extorres oberrant, & simul repudiati à regno Dei, à spe salutis quoq; exciderunt. Quod ipsum eueniet omnibus, qui simili proteruia oblatam sibi veritatis lucem aspernantur. Quomodo enim ex oleastro desumptis surculis parcat Deus, qui naturalibus ramis parcere noluit? Vide Rom. 11.

Mundi incredulitas Christo nihil derogat.

Cæterum ne mundi incredulitas & Iudæorũ contumacia Christi causæ & regno aliquid derogasse videretur, mox ostendit Ioannes, non defuisse interea aliquos, qui diuinitus illuminati illũ recepérint, & salutis in illo participes facti sint. Quotquot autẽ receperũt eum (inquit) dedit eis potestatẽ vt filij Dei fierent: Qui nõ ex sanguinibus, neq; ex voluntate carnis, &c. Indefinitè loquitur, & sicuti prius Iudæorũ simul & reliqui mundi ingratitudinẽ accusauit: ita nunc omnes credentes, tam ex gentibus quàm Iudæis cõprehendit: vt ostendat Christo adeò nihil decessisse ob detestabilẽ illã impiorum hominũ contumaciã, vt hac potius occasione regnum suum, quod prius angustis Iudææ finibus concludebatur, per totũ orbẽ dilatarit, & suæ gratiæ dona in gentes omnes effuderit, sicuti olim prophetæ prædixerunt. Nec etiam Dei electis fraudi fuisse docet reproborum hominum malitiam, quando illi nihilominus filij Dei facti sint, & in Christo salutem inuenerint. Sunt hæc plena dulcissimæ consolationis, quando cogitamus Christi regnum hominum ingratitudine & rebellione non euerti, sed potius propagari. Habet enim Deus semper sua illa septem millia, de quibus Eliæ loquebatur, & quò magis furit mundi impietas, eò longius & latius disperguntur Christi fideles, qui plures hinc inde ecclesias per eam occasionem excitant. Exemplum huius rei nobis exhibet persecutio, quæ Saulo authore Hierosolymis excitata pios dispersit: quorum alij in Samariam, alij in Phœniciam & Antiochiam, nonnulli in Cyprum vsque delati, euangelium prædicauerunt. Quod cùm sæpè aliàs factum sit, neminem terrere debet aduersariorum nostrorum furor, qui ipsi quidem Chri-

stum

stum reijcere, & seipsos ab illius communione excludere possunt, obstare verò non possunt, quò minus ille ad se vocet & saluos faciat, quos in illo pater elegit, priusquàm mundus hic fundaretur. Cæterum continetur postremis hisce Euangelistæ verbis tota nostræ salutis ratio, tribus capitibus comprehensa. Primò enim docet quis Christi Iesu fructus sit, aut quid ille suis conferat. Deinde qui nam illo fruantur, ostendit. Tertiò vnde ea homini facultas obtingat, qua & Christum & in hoc salutẽ amplectitur. Nos de singulis ex ordine dicemus, quæ ad huius loci interpretationem faciunt.

Quoad primum, ait: Dedit eis potestatẽ, vt filij Dei fierent. Periphrasi adoptionis beneficiũ describit, quo nos Deus in Christo in filiorũ suorum numerũ recipit. Est hoc maius quàm vt vel verbis exponi, vel cogitatione cõprehendi possit. Attamen magna ex parte illius excellentia cognoscetur, si quales nos natura simus, cõsyderes: Filij iræ nimirũ & dãnationis, qui cum Deo reconciliari (quantum in nobis erat) nõ poteramus, vt nos vel seruulorũ, nedũ filiorũ loco haberet. Quia enim Adam peccando peccati seruus factus erat, sui similes filios, id est, peccati seruos genuit. Et hinc est illa naturæ corruptio, quã scriptura passim accusat. Ait enim: Figmentũ cordis humani malũ est ab adolescentia sua. Gen. 8. Noui quod non habitet in me, id est, in carne mea bonũ, Video legẽ in membris meis, rebellantem legi mentis meæ, & captiuũ reddentem me legi peccati. Rom. 7. Non sumus idonei ex nobis ipsis, ne ad cogitandũ quidem, &c. 2. Cor. 3. Quæ omnia sanctissimi quiq; de semetipsis ingenuè fatentur, imò iustitias quoq; suas instar sordidorũ centonum esse aiunt: nimirum propter labes quæ ex naturæ corruptione illis cohærent. Impossibile ergo erat, vt Deo vniremur, qui summũ bonum & absolutè purus atq; sanctus est. At quod nobis factu impossibile fuit, filius Dei præstitit, qui vt nos suos fratres & Dei filios faceret, ipse hominis filius factus est, & cùm nostrã causam in se suscepisset, suæ mortis merito peccata nostra expiauit, diaboli imperiũ euertit, naturæ corruptionem partim sustulit, partim ne nobis imputetur effecit, deniq; suo sanguine ablutos patri suo reconciliauit, & adoptionis spiritum animis nostris inseruit, in quo clamamus, Abba pater. Rom. 8. Est autẽ hæc non inanis dignitas, sed oẽs veræ beatitudinis partes sibi coniunctas habet. Si enim filij Dei sumus, vtiq; hæredes quoq; erimus, hæredes quidẽ Dei, cohæredes autẽ Christi. Promittit hoc ille dicens: Vbi ego sum, illic volo etiã sit minister meus: Item, Ego dispono vobis, sicuti disposuit mihi pater meus regnũ: vt edatis & bibatis super mensam meã in regno meo, &c. Quid verò hic aliud quàm cœlestis & æterni regni cõsortium pollicetur? de cuius gloria, maiestate & beatitudine propheta dixit: Quæ oculus non vidit, & auris non audiuit, & in cor hominis non ascenderunt, quæ præparauit Deus diligentibus se. Vnde simul colligitur, salutẽ, cuius nobis Christus author est, perfectã esse, neq; vllis adminiculis opus habere, quibus nos illã vel fulciamus vel perficiamus. Adhæc de Dei erga nos amore indulgentissimo ista abundè testantur. Qui filium habet vnicũ, eumq; dilectissimũ, nõ facilè alios adoptat, ne in plures partes distrahatur hæreditas: neq; fratres nouos filius sibi cooptari volet. At Deus filio vnigenito & naturali nõ contentus, vt suæ bonitatis diuitias declararet, ex misero mortalium genere, imò ex hostium suorum numero, filios adoptauit: et vt illi apud Deum locum haberent, filius ille vnigenitus nostræ miseriæ consors fieri voluit, vt primogenitus inter multos fratres efficeretur. O liberalitatem exemplo carentem. O bonitatem incomparabilem. O charitatem inexhaustam. O indulgentiam plus quàm paternam: quæ si quem ad redamandum patrem hunc non excitat, ad exosculandum filium non rapit, non item ad quæuis pro illo ferenda animat: næ ille Thracijs niuibus frigidior est, & nec hominis, nedum Christiani hominis, nomen meretur.

In Christo adoptamur in filios Dei.

Isa. 64.

Ioan. 12.

Luc. 12.

Isa. 64.

Secundò quibus nam detur tanto beneficio frui, indicatur. Omnibus nimirum, qui Christũ recipiunt. Non est enim personarum respectus apud Deum. Et in Christo non est Iudæus neq; Græcus: non mas neq; fœmina: nõ seruus, neq; liber, &c. Mox verò, vt qui nnm illi sint intelligamus, per expositionẽ subijcit. Nempe ijs, qui credunt in nomẽ eius. Solis ergo credentibus Christus est salutaris, & soli illi adoptionis beneficiũ sentiunt. Ratio huius dicti est, quia nõ alio organo, quàm fide Christus apprehendi potest, vt nobis vniatur. At cùm simpliciter posset dicere: Ijs qui credunt in ipsum: maluit dicere: Ijs qui credunt in nomẽ eius. Ita enim plus quiddam dicit, & fidei veræ modũ seu regulam exprimit: quæ est, vt talẽ agnoscamus, qualis prædicatur in scripturis, & qualis ipso nomine suo describitur. Nomẽ filij Dei incarnati est IESVS CHRISTVS: Et Iesus quidẽ dictus est, priusquàm in matris vtero conciperetur, quod saluatorẽ significat. Christi verò nomen ab officio illi fuit

Adoptio quibus contingat.

impositum, & saluandi modũ sive rationem exprimit. Idem enim est quod Vnctus, & Hebraicæ voci, Messia, respondet. Vngebantur autẽ ex Dei instituto olim Sacerdotes & Reges Vncti ergo seu Christi nomen accepit filius Dei, vt se nostrum Sacerdotem & Regẽ esse testaretur. Et sanè vtroq; officio probè fungitur. Sacerdotẽ enim egit, cùm doceret, oraret, & seipsum in ara crucis pro nobis offerret: Regẽ verò, cùm nos ex diaboli tyrannide assereret, leges vitæ ferret, bonis cœlestibus ditaret. Imò hæc omnia adhuc præstat, cum ecclesiã suam, adeoq; singulos fideles, quotidie verbo & spiritu suo doceat, pro illis apud patrẽ intercedat, sacrificij sui meritũ illis applicet, eosdẽ ex hostiũ tam visibiliũ quàm invisibilium manibus asserat, tueatur, regat, donis spiritualibus exornet, de impijs verò dignas scelerum pœnas exigat. Ideò sacerdos æternus & rex æternus dicitur, cuius regnum finem nõ habeat. Qui talem agnoscunt firmo & constanti animi assensu, & proinde docentẽ audiunt, intercessione illius & mortis merito nituntur, mandanti obediunt, in illo deniq; vno quærunt quæcunq; ad vitam & salutem necessaria sunt: ij revera credunt in nomen eius, & hac fide illum apprehendunt, vt per ipsum filij Dei & cohæredes illius efficiantur. Hinc est quòd fides iustificare, vivificare, saluare, & ad regni cœlestis hæreditatem subuehere dicitur. Quod cùm multi de nuda & inani fidei professione intelligant, nos salutis rationem nimis facilem comminisci vociferantur: cùm revera nihil magis arduum, nihil difficilius, imò homini impossibilius sit, quàm fide vera Christum amplecti, sicuti in sequentibus Euangelista docebit.

Vnde facultas illa obtingat, qua Christus apprehẽditur?

Sequitur enim, vnde ista facultas sit, vt credendo Christum apprehendamus, & in illo filij Dei efficiamur. Qui non ex sanguinibus, neq; ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo geniti sunt. Quibus verbis ita nos ad vnius Dei gratiam remittit, vt omnia excludat, quæ in nobis præclara & alicuius momenti esse videntur. Inter quæ primum locum sanguini, vel sanguinibus tribuit. At sanguinis nomine cognationem, quæ consanguinitas multis dicitur, denotari notius est, quàm vt demonstratione opus habeat. De generatione ergo carnali et generis prærogatiua loquitur, cui quantum tribuant homines, quotidie audimus. Hinc enim superba illa nobilitatis ostentatio: hinc successionis maiorum à multis seculis repetitæ commemorationes: hinc insolens generositatis fiducia, quam vestitu, gestu, verbis, factis, insignibus, & infinitis alijs rebus vanissimi homines produnt. Sed apud Iudæos eò vsque progressa erat ista insolentia, vt salutis rationem ex generis prærogatiua pendere putarent, & propter illam reliquas gentes omnes contemnerent. Ideò nunquam non in ore habebant patrem suum Abrahamum, quasi ex illo genitum esse ad salutem sufficeret. Quorũ similes sunt, qui hodie salutem in eo consistere arbitrantur, quòd ex parentibus Christianis sint prognati, nec interim de Christiani hominis officio vnquam cogitant. Sed omnibus istis Ioannes respondet, & filios Dei ex sanguinibus nasci negat, adeoq; carnalem generationem apud Deum nihil momenti habere testatur, vt propter illam nos ad cœlestem filiorum suorum dignitatem euehat. Quid enim illa faciat ad salutem, cum polluta sit, & naturæ corruptionem ex primo parente, ceu hæreditario iure, in nos transfundat? De illa certè Dauid loquebatur Psal. 51. En ego in iniquitate formatus sum, & in peccato concepit me mater mea. Peccatores ergo nascimur et filij iræ, non filij adoptionis, qui ad hæreditatem cœlestem admitti mereantur. Vnde Tertullianus olim rectè dicebat: Christiani fiunt, non nascuntur. Est itaq; inepta planè & stulta istorum hominũ gloriatio & fiducia, qui in salutis negotio carnis natiuitati aliquid tribuunt: vt illorum quoq;, qui ecclesiæ titulum & primatum sibi vendicant, eò quòd Apostolorum successores sint. Quid enim nuda successio faciat, cùm ex sanctissimis progenitum quoq; esse nihil prosit?

Addit autẽ Ioannes: Neq; ex voluntate carnis, neq; ex voluntate viri. Comprehendit hic simul omnes hominis facultates & quæcunq; ab illis dependent: Intellectum, voluntatẽ vel animi propensionem, studium & institutum, dicta deniq; & facta omnia, et his quoq; nihil profici docet. Quomodo enim filios Dei faciat intellectus noster, cùm animalis homo non percipiat ea, quæ sunt spiritus Dei? Quomodo ad tam sublimem dignitatem voluntas nostra aspiret, quæ nisi à Deo mutetur & trahatur, semper mala est? Quibus item viribus eò vsq; enitemur, qui ex nobis ipsis ne ad cogitandũ quidem sumus idonei? Quibus deniq; operibus tantã dignitatẽ merebimur, quam nec oculus vidit, neq; auris audiuit, quæq; omnem humanæ mentis cogitationem longè superat? Rectissimè ergo hoc quoq; membrũ adiecit Euãgelista, quòd adoptionis diuinæ ius neq; ex voluntate carnis, neq; ex voluntate viri

viri, id est, cuiuscunq; hominis dependeat. Qui ergo sunt, inquis, quibus tanto beneficio frui datur? Audi: Qui ex Deo geniti sunt. Noua igitur generatione, vel regeneratione opus est, sicuti ipse Christus cap. 3. prolixè docebit. Hæc cùm nobis non aliundè quàm ex Deo contingat, ita ad illum nos remittit Apostolus, vt illius causam in gratuito eius amore atq; misericordia nobis cõmonstret. Hac enim ille motus immortale & æternum verbi sui semen animis nostris inserit, quod spiritu viuificatum nos regenerat in filios Dei. Ita Petrus hoc mysterium exponit, quando Christianis scribebat: 1. Pet. 1.
Renati non ex semine mortali, sed ex immortali, per sermonem Dei viuentis & manentis in æternum. Quia tamen de regeneratione ista alibi plura dicenda erunt, hoc in præsenti annotasse sufficiat, non alios salutis in Christo consortes fieri, nisi qui illum fide amplexantur, & ita Dei filij fiunt: tales autẽ non facit vel carnalis generatio, vel nostra voluntas aut facultas aliqua, sed solius Dei illud opus est, qui ex gratia nos adoptat, & filij sui vnigeniti cohæredes facit. Vnde colligimus, salutem nobis nullo nostro merito, sed ex mera Dei gratia per fidem in Iesum Christum obtingere, quæ doctrinæ euangelicæ & apostolicæ summa est. Affert autem horum consyderatio certissimam animi fiduciam, quæ de salutis certitudine nos dubitare non patitur, cùm illam ex gratiæ Dei inexhaustis fontibus manare sciamus. Affert quoq; consolationem in tentationibus dulcissimam, ne de eius in nos studio & amore dubitemus, qui nos in filios adoptare dignatus est. Nouit enim infirmitatem nostram, & vt pater indulgentissimus nostri miserebitur. Adhæc officij quoq; ista nos admonent, vt nimirum nostræ dignitatis memores, filiorum Dei ingenium referamus, illum amemus, colamus atq; obseruemus, ne propter nos nomen eius malè audiat. Ita enim regni cœlestis hæreditatẽ consequemur in Christo Iesu Domino nostro: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.

HOMILIA V.

Et sermo ille caro factus est, & habitauit inter nos. Et uidimus gloriam eius, gloriam (inquam) uelut unigeniti à patre: plenus gratiæ & ueritatis.

QVemadmodum Deus vniuersam salutis nostræ rationem in filio suo vnigenito complexus est, quem ideo incarnari & hominem fieri voluit, vt illius merito redẽpti nos ipsi vniamur: Ita publicus & communis noster hostis Satan, omnibus seculis in hoc fuit, vt veram de Christo doctrinam mendacibus commentis vel obscuraret, vel etiam omnino euerteret, ne illo cognito & per veram fidem apprehenso homines salui fiant, quos ipse æterno exitio secum damnatos vellet. Ideò olim viuentibus adhuc apostolis, veris & oculatis Christi testibus, Cerinthum & Hebionem excitauit, qui æternam eius diuinitatem negarent: alios item, qui eiusdem incarnationem in dubium vocarent, vel de naturarum in illo vnione quæstiones & disputationes mouerent, quæ ad labefactandam simplicium fidem tendebant. Et quamuis isti olim ab Apostolis & horum successoribus abundè confutati sint, non tamen quiescit hostis ille noster, sed passim per ambitiosos rixatores noua semina spargit, ex quibus non veteres modò hæreses, verum etiam noua & inaudita prius impijssimarum opinionum monstra enascuntur. Vt iam eos omittamus, qui etsi ea confiteantur, quæ de Christi Iesu diuinitate & eiusdem incarnatione ex sacris literis edocemur: de illius tamen merito nihil soliciti, vel Epicuræos agunt, & Christianam professionem turpissima scelerum licentia prophanant, vel salutem suis operibus aut aliorum meritis acceptam ferunt, & ita Christum sibi inutilem reddunt, vt olim de Galatis circuncisionem Christo coniungentibus Apostolus scribebat. Est ergo diligenti consyderatione digna prima huius scripti euangelici pars, qua Ioannes summatim complectitur quid pij de Christo credere & sentire debeant: Nimirùm, quòd Deus simul & homo sit, qui & ipse vitam lucemq; in sese habeat, & sua virtute tam vitæ quàm lucis illius saluificæ consortes, adeoq; Dei filios faciat omnes eos, qui ipsum vera fide amplexantur. At quia de his nunquam satis dici potest propter nostri ingenij tarditatem, non contentus ijs quæ hucusq; dicta sunt, eadem in epitomen aut summam breuiorem nunc contrahit, rursum docens, quomodo in mundum hunc venerit Dei filius, & qua ratione nobis vnitus sit, vt nos quoq; in ipso Dei filij efficiamur. Quæ ita proponit, vt & incarnationis ipsius mysterium & diuinam eiusdem maiestatem simul comprehendat.

Incarnationis filij Dei mysterium.

Summa omnium est: Et sermo ille caro factus est, & habitauit inter nos. Comprehendit paucis hisce verbis omnia, quæ de filij Dei incarnatione apud Matthæum & Lucam dicuntur, qui conceptionem ex spiritu sancto, natiuitatis Iesu Christi historiam, vnà cum omnibus quæ hanc comitata aut consecuta sunt, copiosè exposuerunt. Breuitatem verò suam eiusmodi verbis compensat, quæ singula ad huius mysterij explicationem plurimum momenti conferunt. Primò enim ἐκτικῶς ait: Sermo ille (tantum enim valet articulus Græcus, qui hoc loco habetur) quasi diceret. De quo tam magnifica locutus sum, qui ab æterno erat, per quem omnia creata sunt, qui vitã & lucem omnibus propria virtute confert, qui deniq; Dei filius, adeoq; Deus verus est, & miseris mortalibus hoc largitur, vt etiam ipsi Dei filij efficiantur: is (inquam) caro factus est. Carnis autem nomine totum hominem comprehendit. Solet enim hac Synechdoche scriptura crebrò vti, vt vel animæ vel carnis vocabulo totum hominem, anima & carne vel corpore constantem denotet. Sic Iacob cum septuaginta animabus in Ægyptum descendisse dicitur. Et in Leuitico frequens est ista locutio: Anima si peccauerit, &c. cùm nemini dubium sit, de toto homine illic agi. Rursum in diluuij historia legitur, omnem carnem corrupisse viam suam: Et in Psalmis omnis caro dominũ benedicere vel prædicare iubetur. In quibus locutionibus absurdum esset animam excludere, cùm sine hac caro nec peccare, nec Deum prædicare posit. Perinde ergo hoc est, ac si dixisset Ioannes: Sermo ille homo factus est. Carnis tamen vocabulo vti maluit, quæ hominis pars est abiectissima & suapte natura mortalis atq; corruptioni obnoxia, vt Dei erga nos amorem indulgentissimum clarius exprimat, & filiũ Dei nõ modò humanã naturã, sed in illa omnes simul infirmitates & miserias suscepisse doceat, quibus nos dum in hac carne viuimus, exercemur, adeoq; nobis per omnia (solo peccato excepto) similem factũ fuisse, sicuti in epistola ad Hebræos Apostolus docet. Nihil ergo locus iste Apollinario & eius discipulis patrocinatur, qui Dei filium carnem solam assumpsisse dicunt absq; anima humana, eò quòd huius locum suppleuerit diuinitas. At quomodo poterit homo dici Christus, si potissima & præstantissima hominis parte caruit, quã si auferas, cadauer erit, qui prius homo dicebatur? Aut quomodo animarum redemptor erit, si animam ipse non habuit? Vel quid ipsi respondebunt, dicenti: Nunc anima mea turbata est? Item, Mœsta est anima mea vsq; ad mortem. Nũ diuinam naturam animi passionibus subijcient, aut illam mortis terroribus turbatam fuisse dicent? Vides ergo longè aliud voluisse Ioannem, quando dicit carnem factum esse Dei filium, quàm quod isti inde concludunt. Nec etiam oscitanter præteriri debet, quod ait: Sermo ille caro FACTVS EST. Nam non eo sẽsu hoc intelligendum est, quasi Deus esse desierit, aut diuina natura in humanã, siue in carnẽ sit commutata: vt cùm aqua vinũ facta fuisse dicitur. Sed vt personæ vnitatem exprimeret, hac locutione voluit vti, ne quis quando Christum Deum simul & hominem prædicari audit, duas in illo personas fingat, alteram quidem Dei, alterã verò hominis: quod Nestorium olim feciisse scimus. Sensus ergo Apostoli est: Sermo ille, quem Deum verum & æternum esse demonstraui, etiam homo fieri voluit: non quidem diuinitatis commutatione in humanam naturam, sed huius assumptione: neq; desijt esse quod erat, sed quod non erat simul factus est, vt iam Deus simul & homo sit, qui prius Deus tantummodo erat. Et ita locum hunc Paulus exponit, quando illum semen Abrahami assumpsisse (non autem in illud diuinam naturam cõmutatam esse) scribit. Etsi verò ista ad demonstrandam veram filij Dei incarnationem possint sufficere, addit tamen declarationis & confirmationis ergò: Et habitauit inter nos. Græcè legitur ἐσκήνωσε, quod non tam habitare, quàm sub tabernaculis vel tentorijs commorari significat, quod Latini vna voce dicunt tendere, vt apud Vergilium:

Hebr. 1.

Hic Dolopum manus, hic sæuus tendebat Achilles.

Agit autem hoc loco Ioannes de filij Dei conuersatione in terris, & militari seu castrensi vocabulo vsus est rectissimè, cum nostra quoq; vita in scripturis militiæ comparetur: vt partim illum nobis per omnia similem & omnium certaminum consortem factum fuisse ostendat, quibus in huius vitæ militia exercemur: partim vt innuat, illius conuersationem in terris non perpetuã esse debuisse, sed tantisper durare, quoad peracto nostræ redemptionis negotio, ex nobis assumptam carnem in cœlos subueheret. Et ideò non præsentis temporis verbo, sed Aoristo vtitur, quo tẽpus iam elapsum significatur: nimirũ, quòd iam tunc, cùm ista scriberet, Christi in terris conuersatio, quoad carnẽ desijsset. Faciunt ergo ad huius particulæ explicationem Pauli verba, qui Christum per omnia fratribus similem

milem factũ scribit: & quòd ipse, cùm iam mortis hora instaret, se posthac in mundo fore negat. Vide Hebr. 2. & 4. Ioan. 16. Et hæc quidem in verborum expositionẽ dicta sint, quibus filij Dei incarnationem Ioannes describit: nunc ergo ad rerum, quæ his continentur, consyderationem transeamus.

Christus in una persona Deus & homo est.

Et primò quidem docemur, quid de Christi persona siue essentia secundùm scripturas credi debeat. Audiuimus enim ipsum ab æterno Deum esse patri consubstantialem. Rursus hominẽ factum audiuimus, non quidem deitatis exinanitione aut commutatione, sed carnis assumptione. Vnus ergo & idem Christus in vna eademq; persona, Deus simul & homo est. Deus quidem (vt D. Athanasius in suo symbolo scribit) ex substantia patris ante secula genitus, & homo ex substantia matris in seculo natus: Perfectus Deus, perfectus homo, ex anima rationali & humana carne subsistens. Ita verò vnitas personæ agnoscenda est, vt cum distinctis in ea naturis, diuina & humana, vtriusq; eiũ operationes seu proprietates probè distinguamus. Ita enim ipse Christus monet, quando multa inter se in speciem pugnantia dicit, quæ nullo modo conciliari possunt, nisi naturarum in illo distinctionem obseruaueris. Nam qui paulò ante mortem dixit: Iam non sum in mundo, & Expedit vobis vt vadam: Idem iam discessurus ait: Ecce ego vobiscum sum vsq; ad consummationem seculi. Et qui dicit: Pater & ego vnum sumus: alibi ait, Pater maior me est. Sunt hæc in speciem contradictoria: sed si naturarum in Christo propria obserues, facilè illa conciliabis, & primò quidẽ cum D. Augustino dices: Secundùm præsentiã maiestatis, semper habemus Christum: secundùm præsentiam carnis, rectè dictum est, Me autem non semper habebitis. Ad alterum verò cum D. Athanasio respondebis: Æqualis patri secundùm diuinitatem, minor patre secundùm humanitatem. Interim tamen rectè per Idiomatum communicationem de toto Christo dicitur, quod reuera alterius modò naturæ est. Hoc quia olim multi non obseruarunt, in errores horrendos prolapsi sunt, vt aut Christi diuinitatẽ labefactarent, aut humanitatem eius euerterent. Et hodie nonnulli, dum propter personalem vnionem (vt ipsi loquuntur) Christi corpus perinde vt illius diuinitatem vbiq; præsens esse contendunt, cælum quoq; in terras detrahere coguntur, & superainferis miscere, & contra Augustini regulam ita hominis diuinitatem astruunt, vt corporis veritatem auferant.

Cur Christus Deus simul & homo sit.

Porrò frustra hæc de filij Dei incarnatione & duarum in illo naturarum vnione dicuntur, nisi cur talem fieri oportuerit Dei filium, intelligamus. Causas ergo huius mysterij scripturæ diligenter ostendunt, quibus inspectis totam nostræ salutis rationẽ his inniti patebit. Primò enim, quia filium nobis aduocatum & mediatorem constituerat Deus, illum nostræ naturæ consortẽ fieri oportuit, vt & nostram causam susciperе posset, & inter diuersissimas sibiq; inuicẽ planè cõtrarias partes, Deum videlicet & homines, Mediatoris officio fungi. Nec enim illorum furiosis cõmentis subscribimus, qui diuinam Christi naturam à Mediatoris munere excludunt, ne filium patre minorem, & illi seruiliter supplicantem faciant. Etsi enim secundùm humanã naturam Christus mortuus pro peccatis nostris perlitarit, & secundùm eandem oret atq; inuocet: omnes tamen illæ actiones non aliunde suũ apud patrem pondus atq; dignitatem habent, quàm quòd à filio illo vnigenito & summè dilecto procedunt. Deum ergo simul & hominem illum esse oportuit, vt & nos eius maiestatem carne velatam sustinere, & Deus pater filij sui intercessionẽ ratam habere posset. Deinde quia Legis maledicto omnes homines tenebãtur, vt ab eo liberaremur, Dei filium incarnari opus erat, vt ille præstaret, quod nobis propter ingenitam nostræ carni corruptionem impossibile erat. Et hunc incarnationis Christi fructum Paulus annotauit, cùm ad Romanos octauo cap. sic scriberet: Nam quod impossibile erat legi, eò quòd infirmabatur per carnem, Deus proprio filio misso in similitudine carnis peccatricis, etiam per peccatum (id est, per Christum, qui incarnatus pro nobis peccatum, vt alibi loquitur, vel hostia pro peccato factus est) damnauit peccatum in carne, &c. Præterea, quia caro nostra polluta adeoq; totus homo prophanatus erat, Deus filium suum hominem fieri voluit, vt per illum nos toti sanctificaremur, perinde vt cum ignis ferrum candescens in suam quasi naturam commutat (quo simili Cyrillus in huius mysterij explicatione vsus est) siquidem & qui sanctificat & qui sanctificantur ex vno sunt omnes, sicuti Apostolus ad Hebræos cap. secundo loquitur. Cohæret his, quòd ibidẽ mox subijcitur, Dei filium oportuisse participare carni & sanguini, vt per mortem, quam pro nobis ipse insons subijt, aboleret eum qui mortis habebat imperium, hoc est, Diabolum, & liberos redderet quotquot metu mortis per omnem vitam obnoxij erant seruituti. Per mortem enim, quæ peccati stĩ

2. Cor. 5.

pendium esſ, nobis imperabat diabolus. At cùm Christus suæ mortis merito peccata nostra expiarit, vtiq; ex duro illo diaboli imperio nos simul asseruit, neq; nobis mors posthac formidãda, sed potius
Ioan. 5. exoptanda est, eò quòd credentes ex illa transeunt ad vitam æternam, sicuti Christus infra pollicetur. Adde his omnibus, quòd Dei filius homo fieri debuit, vt nos per ipsum filij Dei efficeremur, vt nostram carnem cœlis inferret, & ita nos certos redderet de regni cœlorum hæreditate, quam nobis scripturæ passim promittũt. Vidit hoc olim Tertullianus, vetustissimus scriptor, qui in libro de Resurrectione carnis sic ait: Quemadmodũ nobis arrhabonem spiritus reliquit, ita & à nobis arrhabonem carnis accepit, & vexit in cælum, pignus totius summæ illuc quandoq; redigendæ. Et mox ceu victor exclamat: Securi estote caro & sanguis, vsurpastis & cœlum & regnum Dei in Christo, &c. Hi (inquam) incarnationis Christi præcipui fructus sunt, ex quibus cùm nostra salus dependeat, nõ sine causa huius doctrinæ satan semper insidiatus est: cuius consilia & conatus non parùm adiuuãt, qui hodie illam suis disputationibus in dubium vocant, &c.

Vsus incarnationis Christi. Cæterùm nobis horum omnium hic vsus esse debet, vt cùm ista nobis solus Christus præstiterit, nos huic soli omnem nostræ redemptionis gloriam transcribamus, & illius merito confisi in tentationibus & aduersis spem salutis firmam & inuictam conseruemus. Quis enim de Dei bonitate posthac dubitet, qui nec filio suo vnigenito pepercit, sed pro nobis illũ tradidit? Quis de Christi filij Dei fide desperet? aut illum frustra incarnari & tot aduersis exerceri voluisse suspicetur? Factus est ille reuera Immanuel, quando ex carne nobis assumpta inter nos conuersatus est, & neq; carnem nostram
Isa. 7. deposuit, sed in cœlis illam considere fecit, neq; nos deseruit, sed sua deitate & spiritu nobis adest. Possumus ergo verè dicere cum Paulo: Si Deus nobiscum, quis contra nos? At simul officij nostri ista nos admonent, ne tanti beneficij immemores dignitatẽ nostram prophanemus, & diaboli mancipia vel organa faciamus corpora nostra, quæ Dei filius suæ incarnationis merito sanctificauit, vt ad cœlestis gloriæ hæreditatem idonea redderet. Præterea quemadmodum Christus in terris nõ perpetuas & certas sedes fixit, sed quasi sub tentorio agens commissum sibi munus administrauit, & hoc defunctus in cœlos abijt: Ita nos meminerimus, nullam nobis in terra esse permanentem ciuitatem, vitam verò hanc peregrinationis instar esse, & proinde nos ad cœlestem patriam, spretis & relictis terrenis omnibus, contendere debere. Et hæc quidem de incarnationis filij Dei mysterio pro temporis angustia dixisse sufficiat.

Deitas per incarnationem nõ exinanitur. At ne quis per incarnationem, exinanitam putaret deitatis gloriam & maiestatem, huic etiam suspicioni Ioannes occurrit, dicens: Et vidimus gloriam eius, gloriam (inquam) velut vnigeniti à patre, &c. Quasi diceret. Etsi Dei filius homo factus sit, et omnes nostræ carnis imbecillitates in se receperit, minimè tamen Deus esse desijt, neq; ex eo aliquid incommodi passa est illius deitas: quin potius in assumpta carne & humili ista inter nos conuersatione, non obscura eius indicia apparuerunt: quæ nos non obiter vidimus, sed propiori intuitu diligenter spectauimus (tantùm enim valet Græca vox, qua in præsenti vtitur) & palàm in illo deprehendimus gloriã velut vnigeniti filij Dei, id est talem vidimus, qualem esse cõueniebat verum & naturalem (vt sic loquar) Dei filium. Ita enim illum distinguit à nobis, qui Dei filij facti sumus ex adoptione gratuita. Et mox exponit, quæ illa diuinæ virtutis & gloriæ indicia fuerint: Nimirùm quòd plenus esset gratiæ & veritatis, id est, quòd illi pater gratiam non secundùm mensuram dedisset (sic ipse posteà exponit) sed in illo aperuisset gratiæ suæ fontem, qui in omnes credentes redundat: & in illo suum complementum habeant, quæcunq; Deus olim patribus promisit. Quòd si verò interroges, vnde hoc deprehendere potuerint Apostoli, infinita huius generis euangelica historia cõmemorat. Huc enim referri debet solennis Christi, quæ in baptismo facta est, inauguratio, quando cœli aperti sunt, & in specie columbæ super illum descendit spiritus sanctus, & vox patris audiebatur: Hic esſ filius meus dilectus, in quo mihi complacitum est. Fuit istud indicium tam illustre, vt Baptista de illo præmonitus, ex eo Messiam hunc esse
Psalm. 45. Matth. 7. Ioan. 7. agnosceret, vt infra audiemus. Eòdẽ pertinet diffusa in labijs eius gratia (vt Psalmi verbis vtar) & nunquam antea comperta doctrinæ authoritas, qua rude etiam vulgus & sacerdotum serui perculsi, in illo aliquid plus quàm humanũ admirabãtur. Huc etiam referri debet repetitum in monte Thabor patris testimonium, quando coram discipulis tribus clarificatus apparuit. Adde his miracula, quæ illum morbis, dæmonijs, ventis & vndis imperare, & peccata remittẽdi potestatẽ habere,

& pro-

& proinde Dei filium, adeoq; verum Deum esse, euidentissimè demonstrarũt. Et in morte èius signa sunt edita, quæ Centurioni, homini barbaro & militari hanc vocẽ extorserunt: Verè homo iste erat filius Dei. Secuta est mox resurrectio, quam deitatis Christi testimonium esse, Paulus ad Romanos monuit. Accessit omnibus istis gloriosa in cœlos Ascẽsio, quæ triumphi instar fuit, quo se peccati, mortis & diaboli victorem esse declarauit. In his (inquam) viderunt Apostoli diuinam Christi Iesu gloriam, & ex his didicerunt, illum esse vnigenitum Dei filium, in quo gratiæ fontes aperti & promissiones omnes impletæ sunt. Hic verò nobis etiam istorum omnium vsus esse debet, vt intelligamus in solo Christo nobis ea exhiberi, quæcunq; de humani generis redemptione olim prædicta & promissa fuerunt. Frustra enim Christi nomine gloriantur, & illius miracula & resurrectionem & ascensionem in ore habent, qui interim Dei gratiam locis, temporibus, sanctorum reliquijs, suis aut aliorum meritis, & frigidissimis ceremonijs astringunt: aut salutis incerti, de Dei promissis adhuc dubitant. Agnoscamus ergo nos Dei bonitatem incomparabilem, qui filium suum carnem assumere, & in illa diram atq; infamem crucis mortem subire voluit. Et cùm ille sit plenus & in omnes credentes exuberans gratiæ fons, in quo promissiones omnes (vt Paulus inquit) sunt Etiam & Amen, illo vno contenti, in illo solo quæramus quæcunq; ad nostræ salutis causam faciunt. Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen. Rom. 1.

HOMILIA VI.

Ioannes testatur de eo, & clamauit, dicens: Hic est de quo dicebam, Qui post me uenit, prælatus est mihi, quia prior me erat. Et ex plenitudine ipsius omnes sumpsimus, & gratiã pro gratia. Quia Lex per Mosem data est, Gratia & Veritas per Iesum Christum facta est. Deum nemo uidit unquam: Vnigenitus ille filius, qui est in sinu patris, ille enarrauit.

Diligenter hucusq; exposuit Apostolus summam eorum, quæ nos de Iesu Christo sentire & credere conuenit; Quòd nimirùm sit verus Dei filius, patri coæternus & consubstantialis, qui iuxta veteres promissiones homo factus fidelissimè præstiterit, quæcunq; olim de salute humani generis promissa & prædicta fuerunt. Quia autẽ initiò Ioannis Baptistæ meminerat, & hunc quoq; eadem de illo testatum esse dixerat, in præsenti testimonia illius recitare incipit, ex quibus quatuor præcipua commemorantur: & ita ad historiæ euangelicæ narrationem transitum facit, cuius initium ab Ioanne fieri oportuisse alibi diximus. Et hoc quidem loco summã eorum proponit, quæ Baptista de æterna Christi diuinitate, deq; illius officio tradidit, quibus postea pleniorem omniũ, quæ ab illo dicta & facta sunt, expositionem subijciet. At hìc nos meminisse oportet, testimonia hæc nõ ideò produci, quòd Christus illis opus habuerit, sed vt nostræ infirmitati cõsulatur, quam eiusmodi fulcris iuuari oportet. Et multùm prodest, nos in huius loci & similium consyderatione crebrò versari, qui breui cõpendio docent, quis nã Christus sit, & quàm excellentia bona in illo nobis pater cælestis cõtulerit.

Commendatur Ioannis testimonium.

Ioannes (inquit) testatur de eo, & clamauit, dicens, &c. Faciunt ista ad testimonij huius commendationẽ. Nam testandi verbo vtitur, ne quis verba hæc Ioanni temere excidisse putaret, sed illum seriò, & quidem non sine religione, quasi testem iuratum, ista locutũ sciremus. Et testatur ait, non testatus est, vt testimonij illius fidem & infallibilem veritatem exprimat, quæ perpetuò duret, suamq; in ecclesia authoritatem habeat, licet iam olim à Ioanne sit pronunciatum. Deinde illum clamauisse dicit, vt primò quidem ostendat eum fuisse, de quo Isaias olim dixerat: Vox clamantis in deserto, &c. deinde apertam & ingenuam dicendi libertatem in illo commendat, qua in commisso sibi munere sit vsus. Et hæc ad arguendam Iudæorum peruicaciã facit, qui etsi in illo spiritus sancti & missionis diuinæ aperta indicia viderent, illum tamẽ disertis verbis & pleno ore (vt aiunt) de Christo testantem audire noluerunt. Porrò Ioannis exemplo ministri ecclesiarum omnes de suo officio admonentur. Meminerint ante omnia, se Christi testes esse, cùm illis cõmissa sit euangelij prædicatio, quam testimoniũ esse diximus nuper de gratia Dei in Christo exhibita. Studeant ergo veritati, ne

testes falsi deprehendantur, & figmentis suis non modò gloriæ Christi derogent, verumetiam publicæ saluti officiant. Deinde non mussitent nec obscuris vel ambiguis verbis auditorũ aures demulceãt, sed clament, & clamore suo aures simul & animos hominũ penetrent, ne quis suis vel vitijs vel erroribus ignorantiam possit prætexere. Sic enim Isaiæ præcipit Dominus: Clama ex gutture, ne cesses, exalta instar tubæ vocem tuam. Et apud Ezechielem ministri speculatoribus conferuntur, quorum est aduentantes hostes vel tubæ sono, vel alio signo euidenti & omnibus cõspicuo prodere. Nec aliam esse ministrorum noui Testamenti conditionem, ex Christi verbis patet, qui Apostolis dixit: Quod dico vobis in tenebris, dicite in luce: & quod in aurem auditis, prædicate in tectis. Et Paulo inter Corinthios trepidanti dicebatur: Loquere, & ne taceas. Quibus verbis illũ admonebat Dominus, ne obscurius loquendo eorum similis fiat, qui nihilo plus proficiunt, quàm si omnino tacerent. Et sanè requirit magnam & inuictam dicendi libertatem mundi huius peruersitas, qui vt ex vitijs & erroribus summam voluptatẽ capit: ita surdis ferè auribus negligit quæcunq; suis desyderijs aduersari sentit. Clamore igitur, vel etiam tonitru opus est, vt vel inuiti expergefiant, qui in suis sordibus alioqui perituri erant.

Isa. 58.
Ezech. 3.
Matth. 10.
Acto. 18.

Ioannis primũ de Christo testimonium.

Porrò audiamus primum Ioannis testimoniũ, quod clamando promulgauit. Sunt eius duæ partes, quarum prima quis nam Christus sit, docet: altera, quid boni idem ille miseris mortalibus conferat. Primam his verbis exponit: Hic est, de quo dicebam, Qui post me venit, prælatus est mihi, quia prior me erat. Patet autem ex his, Ioannem prius sæpe & multis de Christo concionatũ fuisse, antequam is in publicũ prodijsset (quod facto opus fuit, ne quis illius personæ aliquid dari putaret) hæc autem dixisse, cùm Christum vel aduentantem vel auditoribus cæteris iam permixtum videret. Nam ὁ ἐκτικῶς ait: Hic est de quo dicebam. Et simul in mentem illis reuocat, quæ aliàs dixerit. Quod ipsum ministri omnes imitari debent, vt non contenti semel dixisse aliquid, ea frequentius repetant & inculcent, quæ cognitu & obseruatu necessaria sunt. Quid verò illud est, quod de Christo Ioannes dixit? Qui post me venit, prælatus est mihi, quia prior me erat. Plerique interpretum hæc de vtriusq; ætate exponunt, sed rectius de ministerio exposueris, vt sensus sit: Ego quidem prior docui, & ad me populus omnis confluxit, & nunc demùm iste in publicum prodire incipit, & proinde me sequi meusq; discipulus videri posset. Sed longè aliter res habet. Hic enim mihi prælatus est, id est me multò excellentior est, & dignitate præstat, nec inuitus ego illi palmam cedo. Et simul causam huius dicti subijcit: Quia prior me erat. Ita verò aliquid in Christo plus quàm humanum esse innuit, adeoq; de illius diuinitate testatur. Cùm enim constet Ioannem quoad ætatem sex totis mensibus Christo maiorẽ natu, & in docendi quoq; ministerio priorem fuisse, idem tamen Christum se priorem esse testetur: vtiq; diuinam in illo naturam agnouit, secundùm quam ante secula ex patre est genitus. Idem ergo hic Ioannes dicit, quod postea Christus Iudæis: Priusquam Abraham fieret, ego sum. Voluit autẽ ab hoc ordiri Ioannes, vt populum, quem nimia sui admiratione captum videbat, ad Christum remitteret, cuius præcursor à Deo erat factus. Ita enim solent sancti nulla suæ gloriæ vel authoritatis ratione habita, vnius Dei gloriã asserere, & à quibusuis superstitionibus rudes ac imperitos auocare, vt nuper fusius est dictum. HIC verò obseruabimus præterea, quòd ad Christum suos auditores remittit Ioãnes, licet illum ætate simul & docendi ministerio præcederet. Ergo in religionis & salutis causa, nihil vel vetustati vel successioni tribuendum est, sed ad vnum Christum respicere, & ab illo vno omnes pendere conuenit: qui etsi secundùm carnem ante annos demum mille quingentos & sexaginta quinq; ex Maria natus sit, tamen quoad diuinam naturam omnibus prophetis & patriarchis prior est, & ex illo isti hauserunt quicquid in illis fuit diuinæ cognitionis. Desinant ergo nobis hodie suam vetustatem cum priscis suis patribus atq; Concilijs obijcere aduersarij. Nec enim de eo nobis lis est, quid per annos iam octingentos aut etiam amplius plerique senserint: sed num quæ illi nobis obtrudere conantur, cum doctrina Christi conueniant, qui patres omnes & Concilia omnia præcesserit.

Ioan. 8.

Quid Christus suis conferat.

Sed transeamus ad alteram huius testimonij partem, qua docetur quid boni nobis Christus conferat: quod etsi in multas species diduci posset, omnes tamen illas Ioannes duobus capitibus comprehendit. Et primum quidem ad eius expositionem facit, quòd illum dixerat esse plenum gratiæ & veritatis. Dicit enim: Et ex plenitudine ipsius omnes sumpsimus, & gratiam pro gratia. Plenitudinis

nomine

nomine significatur fons inexhaustus bonorum omnium, in quibus hominum beatitudo atque felicitas consistit. Hunc ergo nobis in Christo apertum esse ait, qui nobis etiã Paulo teste, à Deo factus est sapietia, iustitia, sanctificatio et redemptio. At plus quiddam dicit Ioannes, quàm si ista in Christo contineri, aut etiam nobis offerri dixisset. Loquitur enim in omnium, quotquot vnquam fuerunt & futuri sunt, electorum persona, & illos omnes vnà secum infra Christum subsidere vult, vt iste solus emineat. Perinde ergo est ac si dixisset: Iesus Christus, de quo vobis loquor, non fons modò & origo boni est, sed etiam fons est in omnes credentes exuberans atque redundans: & solus quidem ille fons est, adeò vt quicquid vnquam boni habuerunt sancti, aut etiam num habẽt, vel qui post nascentur habituri sunt, huic vni acceptũ ferri debeat, qui plenitudo ipsa est, quæ etsi cõtinuo fluxu in electos Dei redundet, nunquã tamen deficit neq; exhauritur. Et mox quid acceperint, exponit: Gratiam pro gratia. Quæ verba multiuariàm exponuntur. Diuus Augustinus fidei donum gratuitum intelligit, quod Deus alia gratia, vita nimirum æterna remuneret: & ea occasione multa doctè & piè de gratia Dei, vnica nostræ salutis origine, aduersus nostrorum operum merita disserit. Cyrillus veteris & noui testamenti gratiam significari putat, quòd nimirum in eius locum, quæ veteribus affulserat obscurius & imperfectius, per Christum luculentior & plenior gratia successerit. Ex nostris quidam de gratia Dei, qua is Christum prosequitur, hæc exponunt, propter quem nos quoque sibi gratos & acceptos habeat. Et hi quidem omnes piè sentiunt & verè dicunt hæc omnia. Quia tamen non crediderim Ioannem de salutis nostræ mysterio tam obscurè loqui voluisse, cùm in omnibus alijs perspicuitati studeat, illorum sententiæ accedo, qui hac locutione gratiam abundantissimam & nouis quotidie accessionibus redundantem denotari arbitrantur, ac si dixisset: Gratiam supra gratiam. Hic enim sensus plenitudini optimè conuenit, quæ hic Christo tribuitur.

Cæterum singulari & assidua meditatione dignissima est hæc Ioannis sententia. Primò enim nostræ miseriæ nos admonet, & carnis confidentiam reprimit, qua non alia est in salutis negotio pestis nocentior. Si enim ex Christi plenitudine sancti acceperunt quicquid in illis boni est, nihil illos ex semetipsis proprium habuisse constat. Quid ergo de nobis sperabimus, qui illis nullo modo sumus conferendi? Vidit hoc Paulus, qui hominem omni facultate aliquid bene agendi sic spoliat, vt nos ex nobisipsis ne ad cogitandum quidem idoneos esse dicat. Et rursum gloriosulis illis suarũ virium ostentatoribus respondens, ait: Quid habes quod non accepisti? Quòd si accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? Et sanè, si singuli hominum seipsos inspiciant, se instar primi parentis nudos, miseros & omnis boni egenos esse deprehendent, cùm nec cælestia sapere, nec voluntatẽ suam ad illa inclinare, multò minus autem suis viribus illa consequi possint. At depressas suijpsius cognitione mentes eodẽ dicto Ioannes erigit atq; solatur, cùm in Christo Iesu plenitudinem ostendit, id est, fontem gratiæ, ex quo licet hauserint iam multis seculis sancti patres quæcunque ad salutem consequendam necessaria sunt, adhuc tamen plenus est, & ad omnes eos redundat, qui per fidem ad illum appropinquant. Et hunc fontem nobis patere, ipsius promissiones docent, quibus nos ad sese inuitat. Christi enim vox est: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego vos quiescere faciam. Si quis sitit, veniat & bibat: & aqua quam ego ei dabo, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. Neque nos pretij magnitudine absterret, sed gratis offert potum & cibum salutiferum. Nam per Isaiam clamat: O vos omnes qui sititis, venite ad aquas: & vos, quibus non est pecunia, venite: comparate & comedite: emite sine argento & sine pretio vinum & lac, &c. Sunt hæc plena dulcissimæ consolationis, quæ eò excellentior est, quòd qui nos inuitat, simul fidem in nobis accendit, qua sola duce ad illum venire possumus. Simul autẽ omnibus superstitionibus euertendis hic locus sufficit, quarum hoc quasi fundamentum est, quòd quæ in vno Christo inueniri possunt, alibi monstrantur. Imprimis autem eorum impietas confutatur, qui vulgi superstitiosa stoliditate ad quæstum abutuntur, dum nostrorum operum meritis & pecunia redimi docent cælestia illa dona, in quorum fruitione salus nostra consistit, remissionem scilicet peccatorum, iustitiam, satisfactionem & vitam æternam. Opponamus ergo sententiam hanc omnibus ijs, qui nos aliò ablegant: & si vel Christi cultores vel sanctorum imitatores esse volumus, ad Christum nos tam amice inuitantem accedamus, & illorum uestigia sectemur, qui omnes ex eius plenitudine acceperunt. Curemus autem

Loci huius usus.

Isa. 55.

ne gratiam hanc in vanum acceperimus, & vocationem nostram vitæ innocentia & serio pietatis studio testemur.

Mosis & Christi comparatio. Acto. 13.

At non ignorabat Ioannes, quantum Mosi suo Iudæi tribuerent, cuius discipuli esse ac dici volebant: quare præoccupatione vtitur, qua Christum cum illo confert, & quantum inter vtrumq; interſit, docet. Quia lux, inquit, per Mosen data est, Gratia & Veritas per Iesum Christum facta est. Causali particula præcedentibus hæc connectit, vt ostendat, ideò de Christi plenitudine omnes accipere oportere, quia Moses, quo nullus hucusq; fuerit præstantior in domo Dei minister, nihil huius præstare potuerit. Et legem quidem per hunc datam esse fatetur, sed ex illa salutē hominibus obtigisse negat. In hoc autem prudenti planè & circumspecta modestia vtitur, ne Iudæorum animos exasperet, dum non simpliciter legi negat salutis rationem, sed in Christo illam commonstrat. Et hanc quidem Gratiæ & Veritatis nominibus comprehendit, quæ duobus præcipuis legis capitibus opponit. Habet enim lex præcepta & ceremonias, siue ritus sacros. Præceptis tota doctrina de vno Deo colendo & adorando, de moribus rectè formandis, de vitæ totius institutione, deque reipublicæ & iudiciorum administratione continetur: & coniunctæ sunt his promissiones, quæ ipsorum obseruatoribus omnia læta & Deum propitium pollicentur. In ceremonijs externus cultus consistebat, in quo salutis promissæ typi & sigilla continebantur. Ac si vtrumque consyderes, neutrum ex his salutem conferre poterat. Quia enim præcepta obedientiam perfectam, imò totum animum, & omnes hominis facultates exigunt, nostram potius impotentiam arguunt, peccati conuincunt, & proinde iram & mortem operantur, dum nos iram Dei & mortem meruisse docent, sicuti Paulus ad Romanos 7. & 8. cap. diligenter ostendit. Ceremoniæ verò salutem (vt diximus) adumbrabāt quidem, illam verò adeò non conferebant, vt non rarò propter illas Deus litē cum patribus instituerit, & eos cum suis sacris repudiarit. His ergo omnibus Christum opponens Ioannes, per hunc gratiam & veritatem obtigisse dicit: & gratiæ quidem nomine misericordiam Dei et gratuitam peccatorum remissionem intelligit, quæ per legem conuictis & contrito corde ad Deum conuersis in Christo confertur: per Veritatem verò res ipsas significat, quæ typis legalibus adumbrabantur. Itaq; in vno Christo ea monstrat Ioannes, quæ lex præstare non potuerit, & idem paucis verbis dicit, quod Apostolus Paulus postea apertius & copiosius exposuit, cùm in Synagoga Antiochena diceret: Notum sit vobis viri fratres, quòd per hunc (Iesum Christum scilicet) remissio peccatorum vobis annuntiatur: et ab omnibus, à quibus non potuistis per legē Mosis iustificari, per hunc omnis qui credit, iustificatur. Vbi rursum confutantur, qui ceremonijs & operibus secundum hominum traditiones peractis se seruari putant. Si enim lex à Deo per Mosem tradita hoc præstare non potuit, num illud hominū commenta præstare dicemus? Imò si à Mose ad Christum transire oportuit olim eos, qui salutem consequi cupiebant, quæ obsecro insania fuerit, hodie hoc relicto in hominum verba iurare, quorum vocatio nec aliquo Dei oraculo, nec vllis signis confirmatur?

Acto. 13.

Christus Dei cognitionem tradit.

His expositis, videamus alterum fructum, quem nobis Christus confert, de quo Ioannes sic concionatur: Deum nemo vidit vnquam: Vnigenitus ille filius, qui est in sinu patris, ille enarrauit. Sensus est, Christum vera Dei cognitione homines instruere, quæ sola via est, per quam ad aliorum bonorum & ipsius salutis communionem peruenimus. Et quàm insigne quamq; necessarium sit hoc Christi beneficium, eo docet, quòd nemo hominum vnquam Deum viderit vel cognouerit, suam nimirum rationem & carnis intellectum secutus. Deum quidem olim vidisse dicuntur patres & prophetæ: sed hoc non de ipsa Dei essentia, sed typis atque formis debet intelligi, quibus ille se ipsis pro temporum ratione manifestare dignabatur. Nam perpetuò ratum manet, quod Mosi ipsius faciem videre cupienti respondit. Non videbit me homo, & viuet. Neque hoc de oculis modò corporeis dici putabimus, sed ea etiam mentis & rationis nostræ cæcitas atque hebetudo est, vt ex nobis ipsis quid Deus sit, quæq; eius voluntas sit, & per illum constituta nostræ salutis ratio, nequaquam inuestigare aut cognoscere possimus. Necesse ergo fuit, vt magister & doctor daretur, qui quæ nostrum captum superant, nobis traderet. Est is Iesus Christus, quem Moses olim prophetam illum magnum fore dixit, quem omnes audire debeant: & quem pater cœlitus nobis commendauit, quando dicebat: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacitum est: Is ergo (inquit Ioannes) enarrauit nobis de Deo, quæ nemo hominum neque sensu neque ratione percipere poterat.

Exod. 33.

Et hoc

Et hoc illum potuisse, & etiam nunc posse docet, cùm ait: Vnigenitus ille filius, qui est in sinu patris. Vnigenitum vocat, quia non adoptiuus filius est, quales nos sumus, sed solus & vnicus, quem pater nobis incognita & ineffabili ratione ab æterno genuit. In sinu autem patris esse dicitur, propter vnionem substantialem, qua patri indiuulsè coniunctus est, & quòd illi quasi à secretis & à consilijs est, quo nomine æterna Dei sapientia vocatur. Talis verò cùm sit, nihil illum latere potest, & proinde docere etiam potest, quæcunque de Deo & eius voluntate nobis cognitu necessaria sunt. Neq; de eius erga nos studio aut voluntate quisquam dubitet, cùm ideò incarnari & inter nos conuersari voluerit, vt & mysteriorum istorũ interpres simul & humani generis redemptor fieret. Hæc vt Dei bonitatem magnificè commendant, ita doctrinæ euangelicæ veritatem & certitudinẽ infallibilem asserunt, vt de ea nemo pius dubitare possit. Et possumus sententiam istam omnibus ijs opponere, qui vt euangelij doctrinam eleuent, interrogant: Et quis ista reuelauit? quis primus ista docuit? aut quis vnquam in cœlos ascendit, & Deo fuit à consilijs, cùm hanc salutis rationem institueret? His (inquam) responderi potest: Vnigenitus ille filius, qui est in sinu patris, ista enarrauit. Quòd si verò alicui huius authoritas sordet, valeat ille & sordescat, donec olim magno suo malo experiatur vera esse, quæ Apostoli ex filij Dei ore nobis tradiderunt. Nos verò à Deo datum magistrum audiamus, neque vllos admittamus, qui ab hoc diuersa tradunt. Si enim solus Christus ista enarrare potuit, fallantur oportet, quicunq; ex semetipsis noua proferunt, aut ab alijs conficta recipiunt. Confutantur itaque hoc ipso argumento omnes sectæ, quæ à Christo & per hunc nobis monstrata salutis via abducunt. Nam vt vnus Christus verus est diuini illius atq; æterni consilij interpres: ita solus etiam via est, per quam ad patrem venitur, & bonorum cœlestium hæreditas acquiritur. Horum itaque memores, viam istam constanter sectemur, neq; nos aberrare patietur is, qui vt illam aperuit, ita in ea ambulantibus se ducem atque protectorem præbere consueuit. Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

HOMILIA VII.

Et hoc est testimonium Ioannis, quando miserunt Iudæi ab Hierosolymis Sacerdotes & Leuitas ut interrogarent eum: Tu quis es? Et confessus est, & non negauit, confessus est inquam: Non sum ego Christus. Et interrogauerunt eum: Quid ergo? Es tu Elias? Et dixit, Non sum. Es tu Propheta ille? Et respondit, Non. Dixerũt ergo ei: Quis es? Vt responsum demus ijs, qui miserunt nos. Quid dicis de teipso? Ait: Ego uox clamãtis in deserto: Dirigite uiam Domini, sicut dixit Isaias propheta. Porrò qui missi fuerant, erant ex Pharisæis. Et interrogauerunt eum, ac dixerunt ei: Cur ergo baptizas, si tu non es Christus, neq; Elias, neq; Propheta ille? Respondit eis Ioannes, dicens: Ego baptizo aqua: sed in medio uestrûm stat, quem uos nescitis. Ipse est is qui post me uenit, qui prælatus est mihi: cuius ego non sum dignus, ut soluam talceamenti corrigiam. Hæc in Bethabara facta sunt trans Iordanem, ubi Ioannes baptizabat.

OMnes Euangelistæ historiam Domini nostri Iesu Christi ferè ab Ioannis Baptistæ prædicatione exordiuntur: eam nimirum ob causam, ut illam cum ueterum prophetarum oraculis conuenire ostendant, quibus docetur Messiam præcursorem suum habiturum esse, qui prædicatione & doctrina sua omnium mentes ad illum dignè excipiendũ excitet. Inter alios autem in recitandis illius testimonijs diligentissimus est noster hic Euangelista: qui tamen ne nimia verbositate pios grauaret, non omnia descripsit, quæ ab illo de Christo dicta sunt, sed ex illorum numero quatuor potissimum testimonia delegit, quæ vt alijs illustriora fuerunt, ita plenè continent omnia, quæ ad huius rausæ cognitionem faciunt. Primum fuit, quod in publica populi ad se confluentis concione tulit, de

quo in proximo Sermone diximus. Sequitur secundũ, quod ad se missis legatis reddidit, & quod hoc nomine maiorem authoritatem meretur, quòd nec temerè illi excidisse videri potest, nec coram rudi & ignobili vulgo datum est, sed apud eos, qui cùm summã eruditionis & pietatis existimationẽ apud omnes sustinerent, authoritate quoque omnes excellebant. Constat autem tota hæc actio duabus partibus: & priori quidem de seipso agit Ioannes, & falsò de se conceptam multorum opinionem confutat: altera de Christo testatur, & sui simul ministerij rationem illis reddit.

Ierosolymitani legatos mittũt ad Ioannem.

Priusquàm verò ad ipsam actionem veniamus, de legatis ad Ioannem missis aliquid dicendum erit, qui de his agendi occasionem præbuerunt. Venit enim hic consyderanda illorum temporum & populi Iudaici conditio, quam corruptissimam fuisse alibi diximus. Cùm enim incurabili illorum malitia offensus Deus prophetiam ab illis abstulisset, sacerdotum ambitione & auaritia, non modò cultus externus prophanatus, sed doctrina quoque impuris atque falsis hominum traditionibus corrupta vel adulterata fuit. Qua occasione insuper factum est, vt in sectas diuersas scinderentur, qui vnius Dei cultores esse, & vnam eandemq; cultus ab illo præscripti formam obseruare debuerant. Concurrebant tamen in hac tam fœda ecclesiæ dissipatione non obscura indicia, quæ Messiæ aduentum iam præ foribus adesse testabantur. Nam quod Iacob prædixerat, ablatum erat sceptrum ab Iuda, & prophanis gentibus parebant, qui Dei peculium censebantur: ad metam suam peruenerant Danielis hebdomades, sub quarum finem ille Messiam venturũ esse prædixerat: Magi item ex Oriente per stellam deducti, illius iam nati prædicatione omnium mentes in spem & metum excitarant: auditæ quoque erant in templo Simeonis & Annæ prophetissæ confessiones, quibus Christo recens nato testimonium reddiderant: & insuper pastorum sermonibus illius natiuitas longè lateq; erat diuulgata. Accedit his omnibus Ioannes, cuius natales magnum quid initiò statim portenderant, & qui nunc nouo vitæ religiosioris exemplo, & doctrinæ inusitata libertate, baptismi item administratione, populum totum in sui admirationem pertrahebat, vt certatim ad eum omnes confluerent, & (vt Lucas annotauit) illum de vita rectè instituenda & salutis ratione interrogarent: neque deerant, qui ipsum Messiam esse suspicarentur. Hic ne in tanta omnium expectatione, imò etiam animorum & studiorum contentione (quæ rebus nouis plerunque coniuncta esse solet) Ierosolymitani antistites, penes quos summa religionis et publicæ salutis cura esse debebat, suo officio deesse viderentur, ad Ioannem legatos mittunt, qui in illum & doctrinam eius inquirant. Mittunt autem non vulgares aut infimæ sortis homines, sed publica authoritate graues, Sacerdotes nimirum & Leuitas, & quidem Pharisæos, qui propter sanctitatis & iustitiæ speciem inter sectas excellere putabantur. Neq; reprehensionem aliquam mereretur factũ hoc Ierosolymitanorũ antistitum, siquidem bona fide & animo syncero causam istam egissent. Decet enim antistites ecclesiarũ, vt speculatorum instar vigilent & attendant, ne qui nouis dogmatibus seducantur, aut ecclesiæ vnitas atq; pax per ambitiosos & ineptos rerum nouatores perturbetur. Et vtinam istos hodie imitarentur Episcopi, & per legatos idoneos publicè in piorum ministrorum doctrinam & mores inquirerent, priusquàm contra illos carnificum manus ferro & igne armarent, vel ad Concilia infidiosa euocarent, quorum authoritate non ministros modò, sed ecclesias, sed vrbes illustres, imò totas quoque nationes opprimere atque pessundare conantur. Cæterum istos quoque, etsi speciem iuris egregiè obseruarint, dolo malo & insidiosè egisse, ex omnibus circumstantijs apparet, & ipsius Christi verba testantur, qui infra cap. 5. de hac ipsa legatione loquens, ait: Vos misistis ad Ioannem, & is testimonium reddidit veritati. Ego autem non ab homine testimoniũ accipio: sed hæc dico, vt vos salui sitis. Ille erat lucerna ardens & lucens, vos autẽ voluistis ad tẽpus exultare in luce eius. Ex quibus verbis apparet, illos legationem hanc non alia de causa instituisse, quàm vt suis rebus consulerent. Quia enim malæ fidei possessores erant, & proinde non poterant non terreri, quoties aliqua mutatio imminere videbatur: Ioannem in suas partes pertrahere studuerunt, & illi honorem aliquem deferunt, vt eius authoritate ad stabiliendam tyrannidem suam abutantur. Quod cùm minus succederet, & Ioannes ipsorum hypocrisim publicè accusaret, sicut Lucas & Matthæus tradunt, aperti hostes facti sunt. Discamus nos in illis nostri seculi personatos antistites agnoscere, qui similiter sibi omnẽ potestatẽ in ecclesia vendicant. Simulant hi quoq; se ex officio omnia agere, & ardens veritatis studium profitentur.

Ergo

Ergo in tanta opinionum diuersitate Inquisitores instituũt, Concilia generalia indicunt, legatos à latere mittunt, ita denique omnia sua instituunt, vt illos Christi causam seriò agere iuraueris. Interim sua quærunt, ne ex malè quæsito dominio deijciantur. Quòd si artes suas patefactas, & piorum animos constantiores esse vident, quàm vt eiusmodi laruis terreantur, mox ad vim conuersi, minas spirant & arma proferunt, quibus veritatis lucem restinguant. Factum hoc iam seculis aliquot, & idem hodie fieri nemo non videt, nisi qui & sensu & ratione omni destituitur. Studio igitur & vigilantia opus est, ne artibus illorum circumuenti socordiam nostram frustra posteà deploremus. Sed ipsam actionem videamus, quam duabus partibus constare supra diximus.

Prima Ioannem, quis ipse sit, interrogant. Et quantum ex illius responsione colligi potest, quæ runt, num Christus sit, id est, promissus ille & iam multis seculis expectatus populi redemptor? Eum verò se esse Ioannes negat, id quod diligenter admodum annotauit Euangelista. Confessus est (inquit) & non negauit. Pleonasmus liberam, apertam & constantem veritatis confessionem significat. Neque simplici Pleonasmo contentus, addit: Confessus est inquam, Non sum ego Christus. Ergo ingenuè reiecit oblatum sibi honorem, & ne vno quidem verbulo Christi nomen aut gloriam in se transferre conatus est. Nec temere hoc tanta diligentia Apostolus testatur. Est enim magnum fidei veræ argumentum, qua Ioannes grauissimam tentationem vicit, qua illum Satan ab officio suo auocare, & simul Christo honorem suum eripere voluit. Nouit enim astutissimus veterator, generosiores quoque animos gloriæ cupiditate ardere, & non alia re facilius superari, quàm qua olim Adamus deceptus cecidit. At vicissim quid Christo sponso debeat, secum expendit Ioannes, neque fallaces illas auræ popularis blanditias admittit. Quàm autem dissimilis est eorum, qui impostoris eiusmodi delectantur, & taciti in sinu gaudent, quando reges & principes superstitione irretitos ad pedum suorum oscula procumbere, & apud se quærere vident, quæ in solius Dei potestate sunt. Sed magno illis constabit hoc suum gaudium, quando vt malæ fidei serui in tenebras exteriores eijcientur. Discant ministri ecclesiarum Ioannis modestiã imitari, & fidei suæ præmium ferent æternum.

Ioannes Christi honorem abs se reiicit.

Cæterum pergunt interrogare legati, & dicunt: Quid ergo? Es tu Elias? Ita verò ad prophetiam Malachiæ respiciunt, qui Eliam Messiæ præambulonem fore dixerat: falluntur autem cõmuni errore, quem apud Iudeos tum inualuisse scimus, quòd Thesbitem illum reuersurum putarent, quem curru igneo è terris subuectum esse, sacra historia testatur. Huic ergo ipsorũ opinioni Ioannes respondens, se Eliã esse negat, cùm ignorare non posset, se illum ipsum esse, de quo Malachiæ oraculũ habetur. Itaque nec mendacium dicit: nec Christo contrarius est, qui ipsum Eliam fuisse testatur. Elias enim erat, quatenus in spiritu & virtute Eliæ officio functus est, cui illum Deus destinauerat. Rursum Elias non fuit, qualem inepti illi prophetarum interpretes somniabant. Iterum verò illi interrogant: Es tu Propheta ille? Quo loco articulus Græcus, quem Latini per pronomen demonstratiuum exprimunt, satis docet, illos non simpliciter interrogasse, num ex veterum prophetarum numero, vel num nouus aliquis propheta sit à Deo legitimè vocatus atque missus, sed de Propheta quodam singulari, quem venturum putabant: eo nimirum, quem Moses patribus promiserat, dicendo: Prophetam de medio tui, ex fratribus tuis, sicuti me excitabit tibi Dominus Deus tuus: illum audietis. Quærunt ergo, num Propheta iste sit Ioannes, & ita suam ignorantiam egregiè produnt. Cùm enim illic de Christo loquatur Moses (sicuti Petrus & Stephanus in Actis docent) illi inter hunc & Prophetam illum distinguunt. sicq; ostendunt se præcipua Messiæ officia ignorare. Solet hoc euenire personatis ecclesiæ pastoribus, vt si nemo illos arguat, ipsi insciitiam suam ineptissimis quæstionibus & propositionibus publicè prodant. Quid enim hodie aliud faciunt, qui de Papæ authoritate, & num ille errare possit, interrogant? qui item circa sacramentum altaris (vt illorum verbis vtar) quæstiones mouent: Num accidentia sint sine subiecto? Num duæ substantiæ in vno & eodem subiecto possint subsistere? Quid agendum de pane mystico, si ægrotus sumptum denuo exponat? Quid ex illo arrodant mures aut tineæ? Vnde in illo tineæ & vermiculi nascantur? & sexcenta alia, quibus libros suos, tantumnon plaustrales impleuerunt. Quis enim non videat, homines istos sacras literas ne à primo quidem limine salutauisse, neque simplici veritati studere, sed tenebris perinde vt talpæ cauernis suis subterraneis delectari? Sed omissis

Ioannes neq; Elias neque Propheta.

Acto. 3. & 7.

illis ad Ioannem reuertamur, qui Prophetam quoque illum se esse negat. Vnde illi non sine bile inferunt: Quis ergo est? vt responsum demus ijs, qui miserunt nos. Vix enim credas quàm impatienter doleat sanctis istis & delicatulis patribus, si non illico pro ipsorum arbitrio respondeas, aut illos aliquandiu dubios & suspensos teneas. Ideò hi quoque iam satis pro imperio agere incipiunt, quasi Ioannes sui instituti rationem illis reddere teneatur. Respondet autem ille, non vt ipsorum libidini satisfaciat, sed quia hoc Christi gloria exigebat. Ego (inquit) vox clamantis in deserto: Dirigite viam Domini, sicut dixit Isaias propheta. Poterat simpliciter dicere quis esset, sed Isaiæ oraculum adducit, quod cap. 40. habetur, vt simul illis occasionem præbeat cogitandi de temporum illorum statu, deq; officio quod ab illis Deus requirat. Quasi diceret: Scitis opinor, quid olim Isaias de Messia & redemptione populi, cuius ille author futurus sit, prædixerit. Venturum scilicet ante faciem eius præconem, qui in deserto clamet, & alta liberaq; voce doceat, vt omnes ad illum excipiendum sese præparent. Atqui præco ille ego sum. Non ergo longa inquisitione opus est, sed in hoc vestræ salutis cardo iam versatur, ne vocem meam aspernemini, sed aduentantem Messiam dignè excipiatis, &c. Docentur hoc Ioannis exemplo ministri, quomodo de semetipsis loqui, & sui ministerij rationem reddere debeant. Poterat ille multa in suijpsius commendationem dicere, cum & summi sacerdotis filius esset, & natales eius Deus non vno miraculo exornasset, & ob vitæ sanctimoniam apud omnes in summo pretio haberetur. Sed omissis istis omnibus, de hoc agit, cuius causa missus erat, & quod ad publicam omnium salutem faciebat. Hoc si hodie obseruarent Episcopi, imò etiam qui euangelici doctores haberi volunt, maiori cum profectu in commisso sibi munere versarentur. At quia plerique titulos ambiunt magnificos, & pro gloria priuata amarulenter digladiantur, concidit interea Dei honor, & salutis iacturam multi faciunt, pro quibus illi vigilare debebant. Obseruabimus præterea præparatione & viarum, id est, vitæ, & studiorum purgatione opus esse ijs, qui Christum dignè excipere, & illo ad salutem frui volunt. Vt enim natura à Deo alieni sumus, ita in huius mundi deserto viuimus, qui passim curarum sentes, vitiorum scrobes, obliquas errorum semitas, & tritissima voluptatum auia obijcit, quæ & nos à Christo auocant, & illũ ne ad nos accedere possit, remorantur. Hæc igitur tollenda sunt è medio, nec illi audiri debent, qui euangelij prætextu ad peccandi licentiam abutuntur. Plura de hac re in Marco nostro diximus, vbi etiã Isaiæ locũ prolixius sumus interpretati. Vide Homil. 2.

Ioannes Vox clamantis.

Videamus nunc alteram huius actionis partem, qua & illi suam ambitionem apertius produnt, & Ioannes de Christo testimonium ferens, simul sui quoq; ministerij rationem reddit. Nouam enim quæstionem mouent, & dicunt: Cur ergo baptizas, si tu non es Christus, neque Elias, neq; Propheta ille? Videri quidem volunt iure agere, sed improbè dissimulant quod de Isaiæ testimonio dixerat, in illud solum intenti, quòd se Christum & Eliam & Prophetam illum à Mose promissum esse negarat. De baptismo autem quærũt, quòd iniquum & impium, adeoq; schismaticum esse putarent, absque publico Sacerdotum cõsensu nouos ritus inducere: neque interim obseruant, nouum illud doctrinæ genus nouo etiam sacramento diuinitus confirmari debuisse. Est hoc proprium ijs, qui semel sibi omnem in ecclesia potestatem vsurparunt, quòd nemini quicquam licere volunt, qui non in ipsorum verba prius iurauerit. Sed grauiter admodum illis Ioannes respondet. Ego baptizo aqua, sed in medio vestrûm stat, quem vos nescitis, qui (vt alij Euangelistæ annotarunt) baptizabit spiritu sancto & igne, &c. Quorum verborum sensus hic esse videtur: Iniquius vos ferre video, quòd ego aqua baptizo ad pœnitentiam. Sed quid fiet, quando ille veniet, cuius ego seruus & præco sum, qui similiter vobis nec consultis neque rogatis plus quiddam & præstantius faciet? Ego enim symbolum modò externum administro, ille reipsa, quod hoc adumbratur, præstabit. Stat ille iam in medio vestrûm, sed vos, quæ vestra est oscitantia, illum adhuc ignoratis, &c. Ita verò illorum & arrogantiam & ignorantiam perstringit, & breui futurum docet, vt ex malè vsurpato ecclesiæ dominio dejiciantur. Et mox ne quod fidelis serui officium intermittat, ad Christi laudes redit, & hunc se absque vlla comparatione maiorem vel præstantiorem esse testatur. Ipse est (inquit) qui post me venit, id est, qui tam ætate quàm docendi officio me sequitur, & tamen mihi in tantum prælatus est, vt me non dignum fatear esse, qui calceamentorum eius corrigias soluam. Quæ locutione viliſſimum seruitium denotare voluit, vt se totum extenuet, & illorum errori medeatur, qui (vt sæpe iam diximus)

Ioannes sui ministerij rationẽ reddit, & de Christo testatur.

mus) ipsi nimiùm tribuebant. Elucet hic iterum sanctorum modestia, & quàm alieni sint ab insolenti diuinorum honorum affectatione, quam hodie illis homines superstitiosi tribuunt, & quæ penes illos conspicitur, qui ipsorum successores videri volunt. Modestiæ huius & humilitatis causa est, quòd & suam corruptionem atq; infirmitatem agnoscunt, & Dei maiestatem rectè expendunt. Ex ea enim collatione mox vident, se indignos omnino esse, qui in huius maiestatis conspectũ admittantur, aut in eius famulitio nomen habeant, maximè, cùm ex illis nihil ad Deum vtilitatis redire possit. Vnde rursum colligimus, quanta sit Dei bonitas, qui indignos nos ampliſsimis muneribus adhibet, & à nobis seruitium nostrum requirit in rebus omnium excellentiſsimis, ecclesiæ nimirum & reipub. administratione, nominis sui prædicatione, liberorum institutione & infinitis alijs, quæ ad nostræ & aliorum salutis conseruationem faciunt. Hæc qui expendunt, illos nullius officij pudet aut piget, quod illis in domo sua Deus imposuit. At qui de istis nunquam cogitant, suarum virium fiducia elati, altiores dignitates sibi ceu iure quodam vendicant, digni, qui in extremas sordes vsque deturbentur.

Admonet præterea locus hic, quæ sit ratio ministerij & sacramentorum in ecclesia. Sunt hæc à Deo instituta nostræ infirmitatis ergò, quam externis quoq; adminiculis quasi suffulciri oportet. Sed vt Ioannes inter se & Christum distinguit, & sibi quidem nihil præter aquæ baptismum, id est, externam baptismi administrationem tribuit, Christo autem internam operationem & omnem effectum in solidum transcribit: Ita nobis eadem regula tenenda est, ne quid ministris aut symbolis externis tribuamus, quod solius Dei est. Dicuntur quidem ministri parturire, generare, illuminare, confirmare, peccata abluere, soluere, ligare, &c. Sed hæc ministerij ratione dicuntur, quatenus cum illo Dei virtus coniuncta, nõ autem alligata est: quam si auferas, inane erit quicquid minister ex seipso instituerit. Vide quæ de hac re Paulus in priori ad Corinthios capite tertio scribit. Eandem esse sacramentorum rationem, res ipsa loquitur. Dicebatur Circuncisio olim fœdus Domini, & sacrificia peccatorũ expiationes: Sed quàm multi circuncisi fuerunt, quos fœdifragos fuisse Deus queritur? Et quàm multi sacrificarunt, quorũ peccata apud Deum in recenti erant memoria? Sic baptismum regenerationis & innouationis lauacrum, Cœnam corporis & sanguinis Christi communionem vocat Apostolus. Sed quàm multi, proh dolor, nec regenerati sunt, nec cum Christo communionem habent aliquam, qui tamẽ & baptizati sunt, & Cœnæ mysticæ cum ecclesia frequenter communicant? Sunt igitur hæc obseruanda, ne externis affixi, Deo suam gloriam eripiamus, & nobis ipsis nocentiſsimæ socordiæ simus authores, dum externa hæc ad salutem nobis sufficere putamus. Ratio ministerij & sacramentorum.

Postremò locus, vbi hæc facta sunt, annotatur: Bethabara nimirùm trans Iordanem, vbi Ioannes baptizabat. Solent enim historici in rebus maximi momenti locum & tempus diligenter indicare, quia ista ad fidem narrationi faciendam multùm seruiunt. At hic ego maiorem mysterij rationem habitam fuisse puto, quod sub ista voce latet. Significat enim domũ traiectus, & ita dictus fuit locus hic, vel quòd illic patres olim ex Ægypto liberati Iordanem transijssent, vt terræ Chanaan possessionem occuparent: vel quòd illic traiectus esset publicus ex Syria in Palæstinam. Meminit huius loci historia Iudicum, & illic Madianitas interceptos & occisos fuisse refert. Iud. 7. Et videtur Ioannes locum illum ob populi frequentiam delegisse, quò plures per ipsum instituerentur. Interim typus admonebat, adesse iam tẽpus redemptionis, quando deuicto satana & eius copijs per Christum, omnes huic nomen dare, & ex Ægypto spirituali in regnum Dei traijcere debeant. Aperuit enim nobis viam hanc Iesus Christus, qui ideo in mundum venit, vt nos ex regno tenebrarum assereret in libertatem filiorum Dei. Et hæc quidem dicta sint in secundum Ioannis de Christo testimonium: cuius hic nobis vsus esto, vt hũc vera fide amplexi vitam æternam consequamur. Ipsi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen. Bethabara.

HOMILIA VIII.

Postero die uidet Ioannes Iesum uenientẽ ad se & ait: Ecce Agnus ille Dei, qui tollit peccatũ mundi. Iste est de quo dicebam, Post me uenit uir, qui prælatus est mihi, quia prior me erat. Et ego non noueram

eum, sed ut manifestus fiat Israeli, propterea ueni ego baptizans aqua. Et testatus est Ioannes, dicens: Spectaui spiritum descendentem quasi columbam, & mansit super eum. Et ego non nouerã eum, sed qui misit me ut baptizarẽ aqua, ille mihi dixerat: Super quem uideris spiritum descendentem ac manentem super eum, hic est qui baptizat in spiritu sancto. Et ego uidi, & testor quòd hic est Filius ille Dei.

QVàmuis Dei filius, qui est ipsa Veritas, hominum testimonijs nequaquam opus habeat, propter nos tamen, quorum infirmitatem externis adminiculis sufful ciri oportet, iam inde ab origine mũdi semper aliquos excitauit, qui spiritus sancti afflatu illuminati, ipsum humani generis redemptorẽ esse testarentur, & reliquos in eius cognitione instituerent. Fuerunt ex his patriarchæ, quos minime dubium est de promisso illo Semine frequenter concionatos esse. Fecit idem Moses, qui post legem promulgatam & sacra instituta, magnum illum Prophetam Israelitis commendauit, quem omnes audire debeant. Secuti sunt hunc prophetæ, quos omnes spiritu Christi duce illius afflictiones simul & inde secuturã gloriam inuestigauisse, Petrus Apostolus scribit. Inter omnes verò facilè primas tenet Ioannes Baptista, quem ideo præmisit Deus, vt omniũ mentes ad Christum dignè excipiendũ præpararet. Fecit hoc diligentissimè, & quatuor illius de Christo testimonia noster euangelista ex ordine recitat, quæ vt ordine egregio inter sese cohærent, sic omnia cõprehendunt, quæ nos in eius cognitione possunt erudire. Primò enim æternam eius deitatem asseruit. Secundo illum iam uenisse docuit, & ita quidem, vt propter humilẽ carnis speciem à nemine agnoscatur. Sequitur nunc tertiũ, quo illius officia exponit: Quòd nimirum peccata tollat, & spiritu sancto baptizet, id est animos hominum regeneret, adeoq; naturam nostram sua virtute instauret. Sunt hæc præcipua salutis nostræ capita, ideoq; illa singulari cum grauitate & à Baptista proposita, & ab euangelista nostro descripta sunt: quorum diligentia nos quoq; ad horum consyderationem excitare debet.

Ioannis de Christo iam exhibito testimoniũ.

Initiò quando & apud quos hoc testimonium dictum sit, indicatur. Postero nimirum die, ab eo quo Inquisitores ad illũ Ierosolyma aduenerant, & ille in frequenti populi cœtu doceret. Tunc enim ad se venientem Iesum conspicatus, mox extenso digito illum omnibus monstrauit, & quis nam esset testatus est. Quia enim iam tempus erat, vt Messiæ officium obire inciperet Dominus noster, nõ diutius latere, neq; amplius suspensos tenere voluit eos, qui magno desyderio Saluatorem illum requirebant, de quo Ioannem toties iam concionantem audiuerant. Sciebat præterea Ioannes, non sufficere ea, quæ in genere hucusq; docuerat de Christo, nisi hunc illis ob oculos sisteret, vt ab omnibus posset agnosci & recipi. Id ergo nunc fideliter præstat, nec terret illum hesterna Inquisitorum actio, ex qua non obscurè viderat, sibi iam à potentissimis insidias strui. Est hoc obseruandum ministris ecclesiæ, ne generalem modò doctrinam proponant, sed eandem in suas quasi species & partes diductam singulis pro temporum & locorum ratione accommodent, vt omnes intelligant quid fieri quidue ommitti oporteat, si salutem assequi velint. Nec vllis periculis sese ab officio reuocari patiantur, quando illa Deus facilè declinare poterit.

De Christi officio.

Constat autem duabus partibus. Prima de præcipuo Christi officio concionatur, quòd peccata nostra expiando nos patri suo reconciliet. Est hoc salutis nostræ fundamentum, & hinc promanant quæcunq; nobis præterea in Christo conferuntur. Altera parte repetit quæ de æterna illius deitate atq; maiestate dixerat. Prior pars hisce verbis continetur: Ecce agnus ille Dei, qui tollit peccatum mundi. Est hæc vna ex præcipuis scripturæ sententijs, & proinde digna, cuius singulæ voces excutiantur, & cuius vsum omnes intelligant. Orditur à demonstratiua particula, ECCE, *quæ hoc loco non tam demonstrantis quàm excitantis est. Nam auditores ad Christi cognitionem excitat, & quidem nõ sine gaudij magni significatione. Gestiebat enim iam animus Ioanni, cùm coràm videret eum, de quo diu concionatus fuerat: sicuti ijs solet accidere, qui sibi occasionem dari vident hoc præstandi, quod dudum promiserunt, & quod cum sua simul atq; aliorum salute coniunctum esse sciunt. Addit,* AGNVS *ille Dei. Poterat dicere: Ecce adest ille, qui cùm me sequatur, me tamen est excellentior, & qui in spiritu sancto & igne baptizat, &c. Sed agnum Dei vocat respectu sacrificiorũ,*

Num. 28.

quæ tunc in vsu erant, vt se auditorum captui magis accommodet. Solebant tunc ex Legis instituto

duos

duos quotidie agnos sacrificare, vnum matutino, alterum vespertino tempore. Habebant præterea sacrũ paschale, in quo agni mactati sanguis superliminari & postibus aspersus, beneficij in Ægypto olim accepti ipsos admonebat, quando primogenita illorum Deus seruauit, ne ab angelo vastatore occiderentur. At omnia illis in figura contigisse Paulus docet, & quid ista significarent, olim Isaias non obscurè indicarat, quando de Christo vaticinans inter alia dicit: Tanquam ouis ad mactationem ductus est, & sicut agnus coram tonsoribus suis mutus non aperuit os suum. At quia hæc à paucis obseruabantur, & plerique peccata sacrificijs eiusmodi expiari putabant, Ioãnes ista Christi typos fuisse docet, & hunc verum pro peccatis sacrificium fore testatur. Et disertè Dei agnum vocat, vt ostendat eum ab ipso Deo huic rei destinatum esse, & eundem illi sufficientem & acceptam fore hostiam, cuius respectu peccatis nostris ignoscat. Consentiũt his Apostoli, Petrus & Paulus. Hic enim paschа nostrum immolatum esse scribit, Christum Iesum: ille verò nos redemptos esse ait, nõ auro & argento, sed pretioso sanguine Christi, velut agni immaculati & incontaminati. Sequitur autem in Ioannis testimonio: QVI TOLLIT peccatũ mundi. Tollendi verbũ duo significat. Primùm, quòd peccata, quorum sarcina nos grauati ad mortẽ vsq; æternam opprimebamur, ipse in se susceperit, sicq; pro nobis peccatum, id est hostia peccati factus sit, vt Paulus loquitur. Et de hoc etiã Isaias dixit: Ipse portauit infirmitates nostras, & dolores nostros ipse baiulauit. Item mulcta correctionis nostræ, id est, qua nos corrigi debebamus, ei imposita est. Deinde quòd peccata expiet, adeoq; è medio tollat, non quòd nulla in nobis amplius hæreant, sed quòd illi per fidem insitis non imputentur. Et in præsenti dicit, Tollit, non Tollet aut Sustulit, vt perpetuum meriti Christi effectum indicet, qui vt patrum peccata expiauit, ita adhuc efficax est erga omnes, qui ipsum vera fide amplectuntur. Præterea PECCATI nomine omnia comprehendit, quæ cum Dei voluntate pugnant, & nos ab illius consortio, & proinde à felicitate & regno eius excludunt: Originalem nimirum naturæ corruptionẽ, quam ex primo parente contraximus, vnà cum omnibus vitiosis fructibus, qui ex illa pro manant. Vnde locum hunc violenter & improbè detorquent, qui per Christum Originale modò peccatum expiari, actualia verò nostris satisfactionibus dilui docent. Cõfutantur hi ab ipso Ioanne apostolo, qui dicit: Sanguis Iesu Christi emundat nos ab omni peccato. Postremò peccatum MVNDI ait, cùm vt omnes homines peccati reos agat, tum vt Christi meritum absq; omni personarum respectu, aut nationũ discrimine, ad omnes extendi doceat, qui in illum credunt, iuxta illud Pauli: Non est Græcus aut Iudæus, circuncisio aut præputium, barbarus, Scytha, seruus, liber, &c.

Exod. 12.
Isa. 53.
1. Cor. 5.
1. Pet. 1.
2. Cor. 5.
1. Ioan. 1.
Colos. 3.

Ratio salutis humanæ.

Continet ergo sententia hæc vniuersam salutis nostræ rationem, quæ alibi prolixè describitur. Primò enim docet omnes homines peccati reatu teneri, nec aliquem esse, qui non opus habeat expiatione gratuita, cùm pro peccatis suis nemo suorum operum meritis satisfacere possit. Deinde expiationem illam in Christo monstrat, qui solus agnus ille Dei dicitur quem ille pro nobis nostræ redemptionis pretium constituit. Confutantur igitur breui hoc dicto omnes, qui satisfactionẽ pro peccatis & salutis meritum alibi indicant: quales olim Iudæi & gentes fuerunt, ex quibus hi quidem in virtutis studio & sacris expiatorijs, illi verò in Circuncisione, legis obseruatione & Leuiticis sacrificijs iustitiam atq; salutem sperabant. Sed & nostrorum temporũ sectæ confutantur, vtpote Turcarum insana persuasio, qui in Mahumeticis superstitionibus & Alcorani obseruatione spem salutis collocant: & Papistæ, qui peccatorum expiationem vanissimis rebus acceptam ferunt, quas homines partim superstitiosi, partim auari & superbi confinxerunt: quales sunt Indulgentiæ papales, ieiunia, preculæ à Monachis & sacrificulis pretio redeptæ, feriæ, peregrinationes, suffitus, aqua lustralis, Missæ sacrificium, purgatorium, & sexcenta alia, quibus enumerãdis vix totus dies sufficeret. Quid? Imò ipsis Monachis & Legatis à latere plenariam peccata remittendi aut tollendi potestatem Romanenses Põtifices tribuũt: & si quid atrocius factũ apparet, illud ad se referri volũt, et sibi hoc à Christo datũ aiũt, vt pro suo arbitrio peccata hominũ vel dimittere vel retinere, adhæc animas ad inferos deijcere, vel cælo locare possint. Quid ergo Baptistæ respõdebũt de solo Christo testificãti: Ecce agnus ille Dei, qui tollit peccatum mundi? Si ipsi hoc tollere possunt, quid agno illo opus erat? cur Dei filium incarnari & in carne mori oportuit? Vel si nos hoc ex Ioannis dicto colligentes audire nolunt, cur non D. Augustinum idem nobiscum dicentem audiunt? Nemo (inquit) sibi arroget, & dicat, quia ipse auferat peccata. Vnde iam intendite, contra quos superbos intendebat digitum Ioannes

nondum erant nati hæretici, & iam ostendebantur: contra illos clamabat tunc à fluuio, contra quos modò clamat ex euangelio. Hæc Augustini verba sunt, qui nõ dubitauit hæreticos nominare eos, qui quod Christi est sibijpsis tribuunt. At hodie soli isti orthodoxi, adeoq; ecclesiæ capita & columnæ videri volunt. Nec est, quòd expiationi per Christum factæ aliqua deesse dicant, quæ per nos aut illos suppleri oporteat. Plena enim & perfecta est, quod & tollendi verbo indicatur (vt supra diximus) & quòd peccatum mundi dixit, ne quam speciem peccati excipere putaretur. Et quia peccatum tollit Christus, simul etiam è medio cedant oportet, quæ ex peccato enascuntur: ira Dei nimirum, maledictio atq; mors. Nam etsi pij afflictionibus varijs exerceantur, quæ Dei irati indicia videri possunt, & quas lex inter maledictiones recenset, & ijdẽ morti quoq; obnoxij sint: tamẽ afflictiones illæ in bonum ipsis adiumento sunt, cùm per illas castigati ad officium redeunt, & mors ijsdem ianua vitæ facta est. Et cùm in genere omnibus peccatorum expiationem ista sententia Ioannes polliceatur, semper illa in auribus nostris sonare, & semper diligẽti meditatione ob oculos reuocari debet. Nam vt diximus, aduersus superstitiones & falsa dogmata nos præmunit, & in tẽtationibus mirificè consolatur, ne desperationis gurgite absorbeamur. Si enim peccata nostra tollit Christus, quis illa nobis denuo imponet? Quis intentabit crimina (ait Paulus) aduersus electos Dei? Deus est qui iustificat, quis ille qui condemnet? Adhæc officij quoq; admonet hæc sententia. Si enim peccatum nõ aliter quàm per mortem filij Dei expiari potuit, horribilem illius culpam esse oportet, & Deo summopere exosam, & qua durante nos salui fieri non poteramus. Vides ergo quanto studio opus sit, ne illius mancipia denuo fiamus, vtq; libertatẽ & dignitatem eam seruemus, quam mortis suæ merito Dei filius nobis acquisiuit.

Rom. 8.

Repetit quæ de Christi deitate dixerat.

Cæterùm non ignorabat Ioannes, ignominiosam Christi mortẽ multis scãdalo fore, multos item difficulter discedere ab ea sententia, quam de ipso conceperant, quòd nimirũ ipse promissus ille Messias esset. Repetit ergo altera huius testimonij parte, quod ante quoq; de Christi deitate æterna dixerat, & ita omnes abs se ad illum remittit. Iste est (inquit) de quo dicebam: Post me venit vir, qui prælatus est mihi, quia prior me erat. Quasi diceret. Neminem vestrûm moueat, quòd ego illum ordine ministerij præcedo, & quòd idem ille nõ multò post à Iudæis ignominiosè reiectus in crucem suffigetur. Etsi enim hæc fiant, tamẽ mihi prælatus & me multò præstantior est, eò quòd prior me erat, ab æterno nimirum ex patre genitus, & proinde patri coæternus atq; consubstantialis Dei filius. Dictum de his supra, neq; opus est eadem in præsenti repetere. Laudem verò eximiam meretur Baptistæ fides, qua tam solicitè cauet, ne quod Christi est quisquam præpostera reuerentia in ipsum transferat. Eandem enim sententiam iam tertiò repetijt, ne Domini sui negotium ostentantius egisse videretur. Quò magis miranda, vel etiam deploranda est illorum superstitio, qui tot testimonijs & simul omnium ferè sanctorum exemplis conuicti, adhuc circa diuorum cultum occupantur.

Ioannes sui muneris rationem reddit.

Porrò ne cui suspectum esset hoc Ioannis testimonium, quasi vel amicitiæ vel cognationi hoc daret, aut aliquid inter ipsum & Christum ex composito fieret, subijcit quædã, in quibus primò sui muneris siue officij rationem reddit publicè, deinde docet vnde hæc didicerit quæ de Christo testabatur. Quoad primum, sic ait: Ego non nouerã eum, sed vt manifestus fiat Israeli, propterea veni ego baptizans aqua. Dei vocatione & imperio se vrgeri dicit, nec quicquã ex priuato affectu agere. Nam quoad me (inquit) ego non noueram eum, id est nulla mihi cum illo familiaritas siue consuetudo intercessit, adeò vt ne ex facie quidem mihi notus fuerit. Quid ergo in hominis ignoti & nunquam visi gratiam facerem? Attamen Dei iussu euocatus veni ad baptizandum aqua, vt ille per meum ministerium populo Israelitico innotesceret. Ita verò docet, non suam, sed potius publicam ipsorum omnium causam agi, vt nimirum in Christi redemptoris cognitionem adducantur, sine qua nemo seruari possit. Et est probè obseruandum, quòd tam diligenter suæ vocationis rationem reddit, ne quid ex suo cerebro instituisse putetur. Decet hoc omnes ministros, eò quòd in vanum laborabunt, nisi omnibus persuasum sit, illos ex officio omnia agere. Admonemur præterea, nemini licere, vt pro suo arbitrio aliquid in religione mutet, aut nouos ritus seu sacramenta noua instituat. Nam ex Dei placito tota ipsum colendi ratio dependet: & si nihil hic licuit Ioanni, quo nemo sanctior ex mulieribus natus est, inexcusabilis fuerit illorum temeritas, qui aliquid in his audent, cùm nec vocationis priuilegio, nec propria virtute aut sanctimonia commendentur. Adhæc totius ministerij & sacramen-

torum

torum finem verum suo exemplo Ioannes indicat. Est is, vt Iesus Christus Israeli, id est ecclesiæ & singulis ad hanc pertinentibus innotescat. Quia enim salutis negotium hic agitur, hæc autem absque Christi cognitione constare nobis non potest, huic inseruiãt oportet quæcunq; in ecclesia aguntur. Primas tenet inter hæc Dei verbũ, quod omnia Christi & regni eius mysteria explicat. At quia in istis tardiores sumus, & quæ didicimus sæpe ex animo elabũtur, externa signa Deus adhibet, quæ sensibus quasi offerunt ea, quæ nos animo per fidem supra cælos euecto complecti oportet, & eadem in recenti memoria conseruant, ne obliuione sepeliantur. In hunc finem olim Circuncisionẽ, paschale epulum cum sacrificijs omnibus institutа fuisse nemo ignorat, qui veteris scripturæ libros non oscitanter legit. Baptismi autem & Cœnæ dominicæ eundem vsum esse, partim Christi verba testantur: Hoc facite in mei cõmemorationem: partim apostolorum exemplum docet, qui ex his argumenta petunt, quibus nos salutis certos faciunt, & simul officij admonent. Omnia ergo hæc ad eum scopum dirigi debent, vt in Christi cognitione proficiamus, non quidẽ historica tantùm, quam & dæmones habent, sed ea quæ cum fide coniuncta Christum apprehendit. Hunc scopum si hodie omnes obseruarent, minus superstitionum simul atq; concertationum haberet ecclesia, &c.

Vnde Ioannes Christum agnouerit

At nõ modò sui officij rationem reddit Ioannes, verumetiã docet, vnde ipsi cognitio illa Christi obtigerit. Spectaui (inquit) spiritum descendentẽ quasi columbam, & mansit super eum. Et ego non noueram eum: sed qui misit me vt baptizarem aqua, ille mihi dixerat: Super quem videris spiritum descendentem ac manentem super eum, hic est qui baptizat in spiritu sancto. Et ego vidi, & testor, quòd hic est Filius ille Dei. Iterum dicit, se Christum prius non nouisse, & simul sibi diuinitus reuelatum fuisse ait, hunc esse Dei filium, & promissum humani generis redemptorẽ, qui in se credentes non modò à peccati noxa liberet, sed eosdem per spiritum sanctum regeneret, & ingenitã naturæ corruptionem sua virtute instauret. Hoc enim est baptizare in spiritu sancto, ea nimirũ efficaciter operari in hominum animis, quæ externa baptismi actione adumbrantur. Quòd cùm nemo possit præter Deum, rectè ex eo colligit Ioannes, Christũ esse verum & patri coæternum & consubstantialẽ Dei filium. Historia autẽ, cuius hic meminit, habetur Matth. 3. cap. & tunc ista facta sunt, quãdo Christus ab Ioanne baptizatus, simulq; publico patris testimonio inauguratus est. Tũc enim spiritus sanctus in specie columbæ descendit, cœli aperti sunt, & vox cœlitus intonuit: Hic est filius ille meus dilectus, in quo mihi complacitũ est. Porrò incidit hic quæstio, cur Ioannes Christum sibi ignotum fuisse dicat vsq; ad hoc tempus, quo spiritum super illum descẽdere vidit, cùm apud Matthæum mox Christo viso & baptismũ petenti dicat: Mihi opus est vt abs te baptizer, & tu venis ad me? Torquent se in eius solutione vehementer interpretes, sed tenendum est, Ioannem etsi sciret Messiam natum esse & eiusdem officium intelligeret, nullam tamen eius habuisse notitiam, qualis inter amicos esse solet, cùm neq; simul educati essent, neque vlla ipsis interceßisset familiaritas. Quando autem ad baptismum veniebat Christus, occultè illi aurem vellicauit Deus, vt hunc illum esse intelligeret, cui huc vsq; testimonium reddiderat: quæ causa fuit, vt ab ipso baptizari cuperet. Postea verò, cùm Christo iam baptizato & ex aquis ascendente, spiritus super illum descenderet, fuit hoc externum signum quo interna spiritus reuelatio confirmabatur. Non nouerat ergo ad se venientem, quia de facie illum nunquam viderat. Nouerat autem ex spiritus reuelatione, cui pro more Deus signum externum addidit, vt in ea notitia magis cõfirmaretur. Ideo verò historiam hanc adducit in præsenti, vt ostendat, se nihil de Christo hactenus docuisse, quàm quod Deo reuelante didicerit. Et possent quidem hic multa dici de Christi Iesu inauguratione, sed quia ad huius loci statum nihil faciunt, ea nunc breuitatis studio omittimus. Si quis autem illa videre cupiat, ex Marco nostro petat licebit. Nunc obseruemus, Christum nobis cœlitus ab ipso patre proponi, vt ipsum humani generis seruatorem agnoscamus. Aperti sunt cœli, vt in hoc nobis viam apertam sciamus. qua ad patrem & cœlestis regni hæreditatem venitur. Descendit spiritus in specie columbæ, vt de illius mansuetudine testetur, qua peccatores ad se venientes complectitur. Manet super eum, vt illum præ omnibus consortibus suis vnctum esse intelligamus, & proinde eius plenitudinem in nos omnes redundare. Accedit his omnibus testimonium patris, de cuius fide & veritate sine scelere dubitare non possumus. Hoc igitur vno contenti, in ipso collocemus omnẽ salutis spem atq; fiduciam, & eidem seruiamus in spiritu & veritate. Ipsi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.

HOMILIA IX.

Postero die iterum stabat Ioannes, & ex discipulis eius duo. Et intuitus Iesum ambulantẽ, dicit: Ecce agnus ille Dei. Et audierunt illum duo discipuli loquentem, & secuti sunt Iesum. Conuersus autem Iesus & conspicatus eos sequentes, dicit eis: Quid quæritis? Illi uerò dixerũt ei: Rabbi (quod dicitur, si interpreteris, Magister) Vbi moraris? Dicit eis: Venite & uidete. Venerunt uiderunt́q; ubi moraretur, & apud eũ manserunt die illo: Hora autem erat quasi decima. Erat Andreas frater Simonis Petri, unus ex duobus, qui audierant ex Ioanne, & secuti fuerant ipsum. Inuenit hic prior fratrem suum Simonem, & dicit ei: Inuenimus Messiam illũ, quod est si interpreteris, Vnctus. Et adduxit eum ad Iesum. Intuitus autem eum Iesus, dixit. Tu es Simon filius Iona, tu uocaberis Cephas, quod exponitur, Lapis.

ETsi filij Dei Iesu Christi authoritas non ab hominum suffragijs dependeat, voluit tamẽ Ioannis Baptistæ testimonio publicè commendari, quò facilius à Iudæis reciperetur, qui Ioannẽ maximi faciebant. Hic verò cùm fidelis Dei seruus & veritatis præco fuerit, testimonia sua omnia ad eundem scopum dirigit, qui est, vt omnes homines relictis prioribus studijs Christum Iesum amplectantur, & in illo salutem inueniant. Vidimus hoc in tribus præcedentibus, vbi inter alia de seipso admodum contemptim locutus est, vt quos nimiùm sibi addictos videbat, ad vnum Christum remitteret. Sequitur modò quartum eius testimonium, in quo hoc ipsum euidentius perspicitur, quãdo per illud aliqui excitati Christo sese coniungũt. Quorũ exemplo simul discemus, vt nos quoq; Christum solum sequi, & quibus studijs in illo vacare debeamus: quæ item eius sit facilitas erga omnes, qui ex animo ad ipsum conuertuntur.

Quartum Ioannis testimoniũ de Christo.

Quoad Ioannis testimonium, idem est cum priori, quod nuper exposuimus: attamen non sine ratione narratur, quando & qua occasione sit promulgatum. Nam postridie eius diei, quo proximum sermonẽ habuit, iterum stetit, nimirum in publico, vt ad se venientes doceret & baptizatos Christo consecraret. Adfuerunt illi ex ordinarijs discipulis duo, quorum alter Andreas Simonis Petri frater fuisse paulò post dicitur. Tunc verò Iesum ambulantem intuitus (nimirum non sine aperta animi & voluntatis suæ erga illum significatione, quæ in vultu eius elucebat) dixit: Ecce Agnus ille Dei. Repetit autem primã modò testimonij prioris partem, quia hæc sufficiebat, cùm sola Agni vox auditores sacrificij admonere, & in Christo peccatorum expiationem ostendere posset, quæ veteribus sacrificijs adumbrabatur. At quia de his abundè nuper est dictum, sufficiat in præsenti causam obseruasse, quæ Ioannem mouit, vt quod prius dixerat, mox crastino die repeteret. Annotatur hæc in eo, quòd duo isti discipuli his auditis mox Christum secuti sunt, nequaquam prohibente aut impediente illo, quò minus illud facerent. Voluit ergo Ioannes vt Christum agnoscerent esse promissum humani generis redemptorem, & proinde illum sequerentur, & illius fierent discipuli. Est hoc proprium sanctis omnibus, vt ad vnum Christum remittant quos instituendos susceperunt, vt iam sæpe diximus.

Ioannis fides & sedulitas.

At nunc obseruanda venit indefessa in suo munere obeũdo Ioãnis fides atq; sedulitas. Nec enim contentus est semel dixisse, quod ad gloriam Christi & auditorum salutem faciebat, idem nunc repetit: & credibile est, illi frequenter hanc vocem in ore fuisse, vt Christum agnum Dei appellaret, cùm discipuli tam citò intellexerint quid ipsis facto opus esset. Atqui magno cum periculo coniuncta erat ista doctrina: Quia enim quæstum sacerdotum euertebat, quem illi ex sacrificijs vberrimũ habebant, fieri non poterat, quin hoc nomine Ioannẽ summo odio persequerentur. Adeo tamen non terretur ille, vt potius omnem occasionem studiosè captet, qua officium suum exequatur, & quàm plurimos Christo adducat. Debent illum imitari quicũq; in publico aliquo munere versantur. Quia enim à Deo cõditi sumus, & in eo viuimus, mouemur, & sumus, nullius nos laboris tædere debet, qui facit ad eius gloriam propagandam. Neq; admittendum est, vt nos vel impiorum minæ vel quæ illi nobis

struunt

strumnt pericula ab officio reuocent: quando constat, Deum suis fideliter adesse, qui in vocatione sua constanter ambulant: eundem verò grauiter irasci & extrema quæq; omnibus minari, qui vocationem suam turpiter deserunt. Docent hoc prophetarum exempla, quorum aliqui inter ferociſsimos verbi Dei hostes annis multis in extremam vsq; senectam conseruati sunt: quibus Ioannem Euangelistam quoq; connumerare licet, quem Neroni & Domitiano, crudeliſsimis eccleſiæ persecutoribus, superuixisse initiò vidimus. Ionas verò, cùm à Deo commissam sibi functionem subterfugere conaretur, semetipsum præsenti capitis periculo implicuit. Quod ipsum hodie multis contingit, qui suã potius rationem in consilium adhibere, quàm Dei verbo obtemperare consueuerunt.

Discipulorum Ioannis obedientia.

Obseruari præterea debet hoc loco discipulorum Ioannis obedientia, qui cùm vocem hanc subinde repeti audirent, quæ Christum Dei agnum & vnicam peccatorũ nostrorũ expiationẽ esse docebat, mox relicto præceptore suo Ioanne Christũ sequuntur. Poterat illos absterrere partim ingratitudinis partim inconstantiæ suspicio, cùm & præceptorẽ suum tam citò desererent, & non modò à sacrificijs & sacerdotum traditionibus, verumetiam ab Ioanne, quem non ita pridem sibi præceptorem delegerant, ita subitam facerent discessionem. At nõ sic ab Ioannis persona dependent, vt non maiorẽ habeant doctrinæ eius rationẽ: & tunc demum se huius discipulos veros fore intelligũt, si ipsius præceptis obtemperent. Quod minus obseruarunt reliqui, quos præpostero sui præceptoris zelo abreptos suum Christo honorem inuidisse, cap. 3. audiemus. Confutantur itaq; istorum exemplo, qui hodie Christum vnicum redemptorem agnoscere nolunt, ne vel ab auita maiorum fide atq; religione discessisse, aut in sanctos contumeliosius aliquid agere videantur: qui cogitare debebant, errores nulla vel vetustate vel consuetudine defendi posse: & sanctos cælites tunc demum in honore & pretio esse, si doctrinæ ipsorum obtemperemus, & exemplum imitemur, quo illi nos ab vno Christo pendere docuerunt. Semper ergo in auribus & animis nostris sonet vox ista: Ecce agnus ille Dei: & nos quoq; illa ad hunc sequendum excitari cogitemus. Est enim solus hic agnus sine macula, qui tollit peccatum mundi. Agnus item est, quem lupi timent, & qui leonem occisus occidit, vt Augustini verbis vtar. Huius enim sanguine victus est Satan, qui vt leo rugiens obambulat, quærens quem deuoret. Huic quicunq; per fidem insiti fuerint, ijs cõdemnatio nulla imminet. Hunc verò quicunq; deserunt, ij à lupis impostoribus laniantur, & à leone diabolo deuorantur.

Regni Christi initium.

Videamus præterea hoc loco eccleſiæ aut regni Christi initium, quo vix quicquam vilius & contemptius fingi poterat. Docuit iam aliquanto tempore Ioannes Baptista, & ad nauseam vsq; inculcauit hunc esse diu exoptatum mundi seruatorẽ. Baptizatus iam erat Iesus Christus, & publico patris testimonio inauguratus. Adhæc, tentatus in deserto suæ cõtra satanã victoriæ specimen dederat luculentiſsimũ. Debebat ergo iam cateruatim ad illum confluere tota Iudæorũ gens, & suo exemplo simul reliquos populos excitare. Sed ecce omnibus ignauè cessantibus, duo tantùm Ioannis discipuli illum sequuntur: ex quibus Andream quidem pauperculum piscatorem fuisse scimus, alterius verò nomen quoq; ignoratur. Quis ergo ex tam paruis & obscuris initijs regnũ illud glorioſum, inuictum & æternũ exoriturũ putasset, de quo prophetæ omnes vaticinantur? Sed elucet in hoc Iesu Christi, nostri regis & seruatoris potentia, qui ex tam contemptis principijs regnũ constituit, quod paucorũ annorũ curriculo orbẽ totum impleuit: & patet hinc regnum eius non esse de hoc mundo, neq; etiam mundi viribus aut armis debellari vel euerti posse. Habes ergo quod ijs respondeas, qui nobis hodie eccleſiæ conditionẽ vilem & contemptã, & euangelij sectatores obscuros exprobrant. Talibus enim delectatur Deus, qui Paulo teste stulta & infirma & ignobilia huius mundi eligere consueuit, vt mundi sapientiam, potentiam & gloriam confundat, &c. 1. Corinth. 1.

Christi in recipiendis discipulis facilitas.

His absolutis ad ipsius Christi res transit Euangelista, et vt Ioãnis discipulos ad se venientes receperit, docet. Conuersus autem Iesus (inquit) & conspicatus eos sequentes, dicit eis: Quid quæritis? Paucis verbis admirabilẽ Christi facilitatẽ & mansuetudinẽ exprimit. Primò enim nõ expectat vt ipsi sublata voce clamẽt, vtq; pedẽ sistat orent: sed ipse ad sequẽtes se prior cõuertitur. Deinde prior quoq; eos cõpellat, quos videbat fortasse metu & verecundia impediri, vt ipsum alloqui non possent. Præterea cùm de eius hospitio quærerẽt, & ita se ipsius familiaritatẽ expetere testarentur, mox amicè illos inuitat, neq; noctis iam imminentis importunitatẽ prætexit, cùm iam decima diei hora esset, neq; plures duabus horis ad noctẽ reliquæ essent. Atqui diligenti consideratione digna est hæc Christi

facilitas, qua ab huius seculi regibus multùm differt. Hi enim, vt authoritatẽ suã tueantur, vulgus hominũ procul à cõspectu suo arcent, & in eo potissimũ maiestatẽ suam cõsistere putant, si nemini ad ipsos accessus pateat, nisi qui per plures portas et vtrinq; stantes hastatorũ ordines ingredi ausus fuerit. Quin eos quoq; qui iam in conspectũ venerunt, vel alloquio dedignantur, vel minacibus et fastu turgidis verbis cõpellant, vt magis sint formidabiles. At longè aliter Christus, qui vt istos comiter & amicè excepit: ita eadem mansuetudine omnes laborantes inuitat, neq; aliquem ad se venientẽ foras excludit. Exemplũ huius in Nicodemo præbuit, quẽ intempesta nocte in colloquiũ admisit, licet eum infensissimæ sibi sectæ Pharisæorum socium esse sciret. Et alibi illis quoq; morẽ gessit, qui turmatim irruentes, ipsum ne cibũ quidem sumere patiebantur: vt iam nihil dicamus de publicanis & meretricibus, quas simili facilitate sustinuit, vt in salutis via instituerentur. Confer cum his personatũ eius vicariũ, qui Romæ inter armatos satellites, auro & gemmis graui triplicíq; corona orbis totius imperiũ sibi vendicat, & ne regibus quidem alium quàm per oscula pedũ ad se aditum permittit: & mox videbis, quo loco ille haberi debeat. Imprimis autẽ illis obseruanda erat hæc Christi facilitas, qui sibi apud illũ mediatoribus aut intercessoribus Diuis opus esse arbitrantur, & inter alios Virginem matrẽ illi seruiliter supplicẽ, pedibus aduolutã, & exerto sinu vbera illi ostentantem fingunt. Quid enim hoc aliud est, quàm ex seruatore mansuetissimo furiosum & implacabilẽ tyrannum & in matrem impiũ facere? Aut num illum in cœlis ingeniũ mutasse dicemus, cùm per euangelium nos ijsdem, quibus olim vsus est, vocibus inuitet? Petant ergo hinc consolationem, quotquot conscientiæ terrores sentiunt. Simul verò ad pœnitentiæ doctrinam ista transferamus, ne simili longanimitate nos ad illam exhortans, & assiduis quasi clamoribus aures & animos pulsans à nobis excludatur.

In Christo quid quæri debeat?

At singulari consyderatione dignum est, quòd istos compellans, non quem quærant interrogat, sed quid quærant. Docet enim in hoc ferè versari Christianæ religionis & salutis nostræ cardinem, vt ea in ipso quæramus, quæ in illo nobis pater offert, quæq; in illo verissimè inueniuntur. Solent etenim multi Christum sequi, sed (vt poeta aiebat:) Trahit sua quenq; voluptas. Et & hi quidem ventris studio ducuntur, illi verò liberationẽ ex morbis, alij opes, honores, dignitates, regnum denique huius seculi quærunt. Sunt item qui carnis licentiam & peccandi impunitatem sub illius nomine vænantur. At nihil proficiunt omnes isti. Quia enim spe sua falluntur, prostremò turpiter deficiendo salutis iacturam faciunt. Quæratur ergo in Christo regnum Dei & quæ ad æternæ salutis causam faciunt: illis verò, quoad in hoc seculo viuimus, crucem & afflictiones coniunctas esse cogitemus: ita fiet, vt nec spe nostra fallamur, nec etiam cruce offendamur, ad quam nos ante præparauimus. Itaq; singuli sibi à Christo dici putent: Quid quæritis? & ipsi secum rationem ineant, num ijs sufficiant ferendis, quæ ipsum sectantibus accidere solent. Vide quæ in hanc sententiam à Christo dicuntur Luc. 14. sub parabolis eorum, qui turrim ædificare, aut bellũ cum hoste gerere instituunt.

Quales esse oporteat Christi discipulos.

Porrò videamus quales discipuli isti fuerint, vt illorum exemplo discamus, quales nos esse oporteat, vt Christi discipuli efficiamur. Primò Christum vocant Rabbi, qui apud Iudæos honoris titulus erat, sic dictus à multitudine, nec nisi illis dabatur, qui multiplici scientia instructi, reliquos dignitate superabant. Ergo Christum præceptorem & magistrum suum agnoscunt, idq; per Ioannem edocti, qui illum nobis mysteriorum Dei interpretem factum esse dixerat, quæ nemo proprij ingenij viribus cognoscere potest. Deinde quærunt vbi moretur, siue maneat, id est, vbi hospitium sibi delegerit. Cupiunt ergo familiarius cum illo agere, adeoq; ipsius hospites fieri. Tertiò cum illos inuitaret, mox sequuntur & diem totum cum ipso transigunt: neq; illos ab instituto reuocat temporis incommoditas, quòd iam circa horam decimam diei esset, & nox appropinquaret. Est hoc ardentis studij et zeli magni argumentum, quòd etiam de hospitio nocturno non multùm soliciti sunt, modò possint Christo frui: & illud tempus pietatis studio tribuunt, quod plerique comessationibus & libidini tribuere consueuerunt. Accedit his, quòd Andreas crastino die mox fratrem quærit, & illi non sine gaudij magni significatione narrat, quid inter illos et Christum sit actum. Imò præclaram edit fidei confessionem: quando ait: Inuenimus Messiam illum, id est, vnctum. Ita enim promissum Redemptorem vocabant Iudæi, eò quòd illum Regem & Sacerdotem fore prædictum erat, qui ex veteri more solenniter inungebantur, vt alibi prolixè ostendimus. Neq; his contentus est Andreas, sed insuper fratrem Christo adducit. Et hæc quidem sunt piorum studia, ex quibus veri discipuli Christi agnoscuntur.

agnoscuntur. Exigitur ab his primùm omniũ, vt Christo præceptore & magistro vtantur, & hunc quidem solum audiant in salutis negotio, nec vllos admittant, qui ab hoc diuersam doctrinam afferunt. Vt enim hunc nobis catholicum & orthodoxum doctorem Deus pater cõstituit, & de illo pronuntiauit, Hunc audite: Ita ipse ouibus suis hoc proprium esse dicit, quòd suam vocem agnoscant & sequantur, alienos verò omnes fugiant. Et notum est illud Petri: Domine, quò ibimus? tu verba vitæ æternæ habes. Ergo pro Christi discipulis haberi non possunt, qui homines sibi doctores atq; magistros faciunt, & factiosis nominibus ecclesiæ vnitatem scindunt. At non sufficit Christum magistrum agnoscere, sed illius familiaritatem adeoq; contubernium ambire oportet. Habitat ille, quoad corpus, in cœlis, in quos ascendit, cùm nostræ redemptionis negotium peregisset. At simul spiritu suo animos credentium incolit, iuxta illud: Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionẽ apud eum faciemus, &c. Vniuersalis autem eius domus est Ecclesia, cui spiritu suo semper adest, & in qua sanguinis sui precio quæsitos thesauros deposuit: Remissionem nimirum peccatorum, reconciliationem cum Deo patre, & infallibilem lætæ resurrectionis & beatæ immortalitatis spem. Ad huius ergo consortiũ aspirent qui Christiani dici volunt, neq; eius misera conditione offendantur, quã in hoc mundo sustinet. Qualis qualis enim esse videatur, in ea tamen passer inuenit domicilium, & hirundo nidum vbi reponat pullos suos: & potior est dies vnus in atrijs Domini, quàm mille alij feliciorũ illorum conditio, qui ad limen domus Dei desident, quàm qui habitant in palatijs impiorum. Est præterea discipulorũ Christi officium, inuitantem sequi absq; omni procrastinatione. Quod enim isti nunc faciunt, hoc ipsum postea quoq; fecerunt, cùm eos rei piscatoriæ vacantes Christus ad Apostolatũ vocaret. Et Matthæum illico telonio reliquisse & illi se coniunxisse legimus, cùm eius mandatũ audiuisset. Probat istorũ omniũ obedientiam Christus, qui alibi eos reprehendit, qui etiã sub pietatis prætextu moras nectunt: qualis erat, qui patrẽ prius sepelire volebat, quàm Christũ sequeretur. Constat enim eos nondũ degustasse quàm suauis sit Dominus, qui aliquã sibi morã injici patiuntur, quando ipsum vocantẽ audiunt. Accedat his ardens gloriæ Christi & fraternæ charitatis studium, quo inflammati alios quoq; Christo lucrifacere cupiant. Est hoc propriũ fidei, quòd cùm Dei simul & proximi amore ardeat, nullã propagandæ gloriæ Dei occasionem negligit, & quàm plurimos salutis inuentæ socios habere desyderet. Ideò mox de Simone fratre adducendo Andreas cogitat, & huius studij exẽpla passim in sanctis videmus. Neq; minorem laudem meretur Simonis facilitas, qui ab Andrea excitatus illi obsequitur. Nemo igitur Dei vocationem contemnat, quàmuis ea per homines infimæ sortis fiat. Sæpe enim fit, vt qui nobis inferiores sunt, in hac causa nos anteuertant: vbi nos Dei prouidentiam agnoscere, non autem illius consilijs odiosè obstrepere decet. Postremò coniungenda est his omnibus fidei confessio ingenua & scripturis consentiens, & curandum vt externæ professioni tota vitæ nostræ cõuersatio respondeat: de qua cùm sæpe aliàs sit dictum, modò hæc paucula sufficiant. Et hæc quidem sunt eorum officia, qui Iesu Christo coniungi & in illo seruari cupiunt: quibus si perseuerantiam in finem vsque coniungamus, salui erimus. Adhæc verò si mores nostros examinemus, mox patebit, quàm pauci hodie suo nomini respondeant, quando plerique nec Christum præceptorẽ suum agnoscunt, nec illius consortiũ ambiunt, sed mundo addicti illum vocantẽ contemnunt, fratrũ salutem negligunt, fidei verò professionẽ aut ambiguis & insidiosis loquendi formulis inuoluunt, aut immani scelerum licentia prophanant.

Ioan.6.

Ioan.14.

Psal.84.

Matth.8.

Cæterum ad Christum redeamus, qui vt duos priores, ita Simonem quoq; humanissimè excipit, vt ostendat sibi non minus gratos & acceptos esse, qui hominum ministerio adducuntur. Mox enim proprio nomine illum compellat, ne sibi hactenus ignotum se fuisse putet (nouit enim Dominus qui sint sui, & electorum suorum nomina ascripta in cœlis seruat) & deinde nomen illi aliud imponit. Tu es Simon (inquit) filius Iona: sed tu vocaberis Cephas, quod Græcis πέτρος, Latinis Lapidem significat. Solebant autem veteres eorum nomina mutare, quos sibi totos addictos volebant, vt in Nabuchodonozoris historia est videre, qui Danielis & sociorum eius nomina mutauisse scribitur, cùm illos in suum famulitium ascriberet. At Deus nominum mutatione simul & sua beneficia perpetuæ memoriæ consecrat, & de futuris vel etiam officio nostro nos admonet. Sic olim Abram & Iacobi nomina mutauit, vt quales futuri essent ipsi doceret, & suam illis bonitatem commendaret. Ita in præsenti Simonem à lapide Cepham vel Petrum denominauit, partim quòd ipsius præco futurus

Christus Simonem recipit, & nomen eius mutat.

erat, qui petra illa inuicta est, cui ecclesia innititur, & aduersus quã nec portæ inferorum præualere possunt: partim vt officij sui memor, in fide cõstans, firmus atq; immobilis maneret. Papistæ hìc multis modis ridiculos sese præbent. Primò enim, vt Christi imitatores videantur, Pontificum nomina mutant. Exemplum eius rei primus præbuisse fertur Sergius Secundus, qui antequam in Papam eligeretur, Os porci dicebatur, & proinde Sergij nomen assumpsit, vt cognomenti prioris turpitudinem dilueret. Deinde Syram vocẽ Cephas à Græca κεφαλὴ deductam putant, sicq; ex lapide caput faciunt. Tandem verò huius loci authoritate Petrum eiusq; successores, Romanos Pontifices, ecclesiæ caput esse euincere conantur. In hoc vno tamen rem acu attingunt, quòd ecclesiæ suæ caput imponunt lapidem, id est, vecors & in quo salis illius cœlestis ne mica quidem inuenitur, qua totum ecclesiæ corpus condiri atq; gubernari oportebat. Nos omissis illorum delirijs, agnoscamus Dei bonitatẽ, qui nos quoq; in filij sui Iesu Christi cognitionem vocare dignatus est. Curemus itaq; vt tanquã viui lapides ædificemur super petram illam æternam in domũ spiritualem & sacerdotiũ sanctum, ad offerendum spirituales hostias, quas ille sibi acceptas habeat per eundem Dominum nostrum Iesum Christum, cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

HOMILIA X.

Postero die voluit Iesus abire in Galilæam: & inuenit Philippum, & dicit ei: Sequere me. Erat autẽ Philippus ex Bethsaida, ciuitate Andreæ & Petri. Inuenit Philippus Nathanaelem, & dicit ei: inuenimus illum, de quo scripsit Moses in Lege & Prophetæ, Iesum filiũ Ioseph, illum Nazarenũ. Et dixit illi Nathanael: Ex Nazareth potest aliquid boni esse? Dicit ei Philippus: Veni & uide.

POstrema huius Capitis parte ad ipsius Iesu Christi historiã Euangelista transitum fecit, & primò quidẽ narrat, vt discipulos sibi adoptarit, quos priuatim institueret, & quibus postea in doctrinæ & regni sui propagatione vteretur. Quo loco tria nobis præcipuè consyderanda veniunt. Primum, ex quàm obscuris & contemptis initijs regnum Christi ênatum ad cœlestem vsq; gloriã ascenderit. Apparet ergo illud non esse ex hoc mundo, neq; nos offendi debere, si hodie etiam Christus à pleriſq; reiectus, qui inter homines authoritate & potentia excellunt, apud pauperes modò & infimæ sortis homunciones locum inueniat. Deinde quomodo & quibus rationibus ad Christum homines vocentur, docemur. Alij enim hominum ministerio excitati, ad ipsum venerunt, vt Andreas cum socio suo & Petro fratre germano, & postea etiam Nathanael. Alios autem Christus ipse vocauit, neque alicuius hominis opera in illis vocandis vsus est: in quorum numero Philippus habetur, de quo postea dicemus. Ita tamẽ vocationes istæ omnes administrantur, vt facilè appareat, omnes Christi spiritu & diuina virtute tractos fuisse, quæ in animis ipsorum sese efficaciter exeruit. Postremò exemplis istis admonemur, vt singuli sese vocationi diuinæ accommodare debeant, & quæ sint vocatorum officia. Et de his quidem omnibus quædã dicta sunt in proximo Sermone. Sequũtur reliqua ad finem Capitis vsque, quæ ad horum explicationem plurimùm faciunt, & de quibus in præsenti & crastino sermone dicemus. Et nunc quidem de Philippo agetur, qui à Christo vocatus, illico Nathanaelem quoq; illi adducere conatur.

Christus in Galilæa docendi initium facit.

Principiò omniũ, quæ hinc gesta sunt, occasionem indicat Ioannes. Fuit hæc, quòd Christus, cùm Andream & Petrum & tertium illum, cuius nomen subticetur, instituisset, in Galilæam redire decreuit: Illinc enim ascenderat in Iudæam, vt ab Ioanne baptizatus publicè inauguraretur. Nũc ergo ad suos rediturus, & publicum docendi munus inter illos subiturus, aliquos sibi adiungit, quorum exemplo reliqui excitati, ipsum docentem audiant, seq; institui patiantur. At quærat hìc aliquis, cur non in Iudæa primùm docuerit, quæ celebrior erat multò, & in qua Ioannes Baptista iam aliquot mensibus docuerat? Possumus ad quæstionem hanc Dei oraculũ producere, qui per Isaiam olim prædixerat fore, vt Galilæa prima omnium Christi prædicatione illustretur. Et hanc rationẽ Matthæus adducit, quando hoc factũ fuisse scribit, vt impleretur quod prædictum fuit per Isaiam:

Isaiæ 9. Matth. 4.

Terra

Terra Zabulon et Nephtalim iuxta viam maris vltra Iordanẽ, Galilæa gentiũ. Populus qui sedebat in tenebris & vmbra mortis, vidit lucẽ magnã, &c. Ac licet hæc sic prædicta fuisse, & à Christo impleta esse audiamus, nondũ tamẽ soluta est quæstio, cur hoc & prædici & fieri voluerit Dei filius. Altius ergo huius instituti rationes inuestigari debẽt, ex quibus duæ mihi præ alijs verisimiles videntur. Prima est, quòd patriæ bonã gratiã referre voluit, et ideò Nazarethum primò profectus est (vt ex Matthæo et Luca colligi potest) vbi educatus fuerat, et in illorũ synagoga publicè docuit, deinde ab illis electus regionẽ totã salutis doctrina impleuit. Alterã causam Isaias attingit, dum lucem illis exortã dicit, qui sedebant in tenebris et in vmbra mortis. Ita enim afflictissimã illius terræ conditionẽ exprimit, quæ doctrinã & consolationẽ præ alijs requirebat. Etsi enim tota Iudæorũ gens multis modis miserrima fuit, Galilæorũ tamen cõditio deploratissima videri poterat, quorũ ceruicibus Herodes imminebat, cuius libidinẽ & crudelitatẽ illorũ temporũ historici passim cõmemorant. Licet ergo maiori cum laude & gloria in Iudæa & Ierosolymæ prædicaturus videretur, miseris tamen illis & cõtemptissimis primò omniũ opem ferre voluit: quod ipsum postea quoq; illũ obseruauisse Euangelistæ testantur. Et hic quidẽ Christi exẽplo primùm admonemur, quãta nobis patriæ & soli natalis cura esse debeat. Si enim gratiã bonam debemus benefactoribus oĩbus, maxima certè patriæ debetur, quæ in lucẽ hanc effusos prima excepit, quæ educauit, quæ nostræ pueritiæ & adolescentiæ petulantiã diu sustinuit, quæ cognatis quoq; et parentibus domiciliũ præbet, in qua item nostris quoq; posteris sedes certas esse cupimus, qua deniq; pereunte aut nobis quoq; pereundũ, aut tristis exilij molestiæ subeundæ sunt. Nec temerè factum putabimus, quòd patriæ amorem Deus animis nostris inseuit, quo se excitari sentiunt, quicunq; non cum virtute omnem quoq; humanitatis sensum exuerũt. Hic certè inter ethnicos olim vim suam efficacissimè exeruit, vt poeta hisce versibus testatur:

Nescio qua natale solum dulcedine captos
Attrahit, immemores nec sinit esse sui.

Et exempla passim in historijs leguntur eorum, qui patriam non opibus modò & fortunis suis omnibus, verumetiam vitæ suæ anteposuerunt, quam non melius quàm pro illius salute impendi posse arbitrabantur. Quòd si verò illi patriæ splendorẽ & potentiã tanto studio conseruare voluerunt, quanto magis amittendũ est nobis, vt Christi cognitione patria illustretur, et illo protectore felix & salua maneat? Hoc qui hodie nõ cogitant, hi reuera indigni sunt, qui homines, nedũ Christiani, dicantur.

Deinde plenũ cõsolationis est Iesu Christi exemplũ. Docet enim neminẽ propter loci obscuritatẽ aut publicam gentis miseriã à Deo negligi. Nam vt omnis terra est Domini, ita in Christo sublatũ est omne illud discrimen gentium, quo prius pleraq; à repub. Israelis & salutis consortio excludebantur. Cõstat præterea Christũ ferè humilia & abiecta delegisse, vt in illis suæ bonitatis & gratiæ diuitias ostenderet. Facit huc, quòd ex Dauidis quidẽ regia stirpe homo nasci voluit, sed tunc demũ, cùm illa ad extremã egestatem redacta, in nullo pretio et honore haberetur; quòd ex omnibus Iudææ ciuitatibus Bethlehemum delegit, in quo nasceretur, & quidẽ in stabulo natus in præsepe deponeretur; quòd Nazarethi educari, & illic maiorem suæ ætatis partẽ transigere voluit, quæ ciuitas vt obscura erat, ita vulgò infamis erat, sicuti ex Nathanaelis responso infra patebit: quòd deniq; nõ modò in obscurioribus locis frequenter docuit, verumetiã cum publicanis, meretricibus, & mendicis conuersatus est, neq; vnquã aliquem ad se venientẽ reiecit. Hæc nobis in mentẽ reuocemus, si quando carnis iudicium secuti, nos propter inopiam, morbos, infamiam, mũdi odia & alias eius generis afflictiones, Deo minus acceptos, & à Christi consortio exclusos esse cogitamus. Nec enim exhausta est eius gratia, neq; ingenium ille mutauit, qui nos olim suo fauore complexus est, &c. Christus humilibus delectatur.

Porrò transeamus ad Philippi vocationẽ, quam paucis absoluit Ioannes. Inuenit Christus Iesus Philippum (inquit) & dicit ei: Sequere me. Neq; inefficacem fuisse vocationẽ istam, ex contextu historiæ patet, et quòd postea inter duodecim Apostolos ascribitur. Ante omnia verò nobis videndum, quis Philippus hic fuerit, de quo vnũ hoc annotatur, quòd fuerit ex Bethsaida, ciuitate Andreæ & Petri. Postea qdẽ Christo familiarissimũ fuisse, ex illius dictis & factis patebit, maximè ex eo, quòd Græci qui ad adorandũ ascenderant Ierosolymã, hunc sibi præ alijs deligũt, cuius opera ad Christũ deducantur. De illius verò natalibus & pristina cõditione nihil scribitur, vt discamus in ijs, quos nobis Deus salutis doctores constituit, nihil præter verbũ eius, quod illi prædicãt, respici debere. Et consultò hoc cauit Dei prouidentia, ne quis salutis nostræ causam hominũ authoritate niti arbitretur. Philippi vocatio.

Illud potius obseruemus, ex Bethsaida oriundos fuisse primos Apostolos, Andream, Petrũ & Philippum. Quibus multi Ioannẽ & Iacobum conciues adnumerant. Fuit autẽ Bethsaida sita ad Iordanem, qua ille in lacũ Genezareth exoneratur, ignobilis olim & obscura ciuitas, sed postea ob loci cõmoditatẽ à Philippo Herodis fratre multis et magnificis ædificijs exornata fuit, qui etiã mutato nomine Iuliadem appellauit, ob Iuliam Augusti filiã, vt animi sui erga hunc gratitudinẽ publicè testaretur. In euangelio indomitã & incurabilem pertinaciã illi Dominus tribuit, quæ nec doctrina frequentiori, nec miraculis illustrissimis potuerit expugnari. Aduersus hãc enim clamat: Væ tibi Bethsaida, quoniam si in Tyro & Sidone factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in te, olim in sacco & cinere pœnitentiã egissent. Ex ea tamen ciuitate primos discipulos deligit Dominus, quorũ fides & diligentia postea in eius regno propagãdo maxima eluxit. Quo loco primùm docemur, electos nusquam negligi, sed illos passim à Christo inueniri, neq; huic deesse rationes, quibus illos aut impijs permixtos seruet, aut ex ipsa morte extrahat. Quod enim hîc fit, olim in Abrahamo quoq; et eius nepote Lotho, Iacobo item, Iosepho, Daniele & infinitis alijs factitatũ esse scimus, et hodie frequẽter similia fiunt. Obseruanda autẽ sunt eiusmodi exempla, ne aliorũ impietatẽ nobis fraudi esse putemus, siquidẽ ipsi officiũ fecerimus. Rursum quoq; hîc patet, frustra piorũ conciuium aut maiorũ virtute eos gloriari, qui aduersus Deum pugnare nunquã desinunt. Tam enim abest, vt per hos seruentur, vt potius horum exemplis illorũ pertinacia arguatur, et damnatio magis aggrauetur. Gloriãtur hodie Romanenses Petro Apostolo, qui primus Romæ docuerit, et illic cõstituerit cathedrã, quã ipsi ex successionis iure obtineant. Sed vt hoc omne illis demus, num ideò illos errare non posse, aut ijsdem omnia licere sequetur? Minimè gentiũ. Petrũ enim Bethsaidæ natum fuisse, ibidẽ domiciliũ habuisse, et illic vocatũ esse, imò ipsum Christũ eã vrbẽ doctrina & miraculis illustrauisse scimus: At tamẽ illã Christus exitio deuouit, cò quòd incurabilis esse pergeret. Quis ergo dubitet idẽ iudicium Romanensibus imminere, qui simili pertinacia euangelium respuunt, & errores atq; scelera quotidie accumulant? Quod ipsum sibi quoq; dictũ putent vrbes, quas hodie euangelij sui luce Christus illustrare dignatur.

Ioseph. ant. lib. 18. cap. 3.

Christi potentia & virtus.

Cæterùm in Philippi vocatione cùm Christi potentia, tum illius obedientia nobis consideranda proponitur. Quid enim aliud dicit Christus, quàm, Sequere me? Atqui vnico hoc dicto illũ excitat, vt relictis rebus suis omnibus ipsum sequi incipiat, & ex eo tempore comes & discipulus indiuulsus illi adhæreat. Idem cum reliquis etiã factũ esse, alij Euangelistæ docent. Fuerũt ergo Christi verba cum virtute cõiuncta, nec aures modò inani sono ferijt, sed simul spiritus sui virtute ipsorũ auditorũ animos penetrauit. Est hoc nouum diuinitatis ipsius argumentũ, quod consolationi nostræ plurimùm seruit. Nec enim erga electos modò tãta est Christi mãdantis virtus atq; potẽtia: sed reprobos quoq; similiter mouere potest, vt nouis terroribus perculsi ab institutis suis discedant: vel si hoc nolint, vnico verbulo illos prosternere potest, vt vindicem eius manum experiantur, cuius salutaribus monitis obedire noluerunt. Exemplum huius in ijs habetur, qui ad ipsum capiendum emissi, & verbi sui virtute prostrati fuerunt. Nos verò Philippũ imitemur, qui mox obtemperat, nec quæstiones mouet cur à Christo vocetur, aut quò vsq; ipsum sequi debeat? Est hæc fidei obedientia, quam euangelicæ prædicationis finem esse Paulus ait, & quã ab omnibus nobis requirit Deus, dum prohibet, ne ab eius mandatis vel ad dextram vel ad sinistrã declinemus, neq; faciamus quod nobis videtur bonũ in oculis nostris, sed in ipsius præceptis ambulemus. Hac Abrahã olim fidem suam probauit, & eandem scripturæ in electis passim cõmendant: Hanc ergo ipsi quoq; præstemus, cùm in religionis causa, tum in tota vitæ conuersatione, neq; nos vllis vel illecebris vel periculis ab instituto reuocari patiamur: & ita Deo vtemur propitio, qui in sua vocatione ambulantes proteget, & laboribus nostris benedicet, ne in vanum curramus.

Philippus Nathanaelẽ Christo *adducere studet.*

Sequitur quid fecerit Philippus postquàm Christi discipulus factus est: idem nimirum quod nuper de Andrea audiuimus. Mox enim alios quoq; in Christi cognitionem & salutis consortiũ adducere cupit: cuius studij argumẽtum euidens est, quòd Nathanaelem omnem cum gaudio exponit, vt hunc quoq; ad Christum amplectendum pelliciat. Est hoc proprium pijs, cùm & gloriam Dei propagatã velint, & charitate inflammati fratrum salutem anxiè quærant. Non multum ergo in fide profecerunt, qui dum modò ipsis bene sit, reliquos omnes facilè negligunt: vt interim eos omittamus, qui horribiles ecclesiarum ruinas siccis oculis intueri possunt, & ne requisiti quidẽ auxilium ferunt

quod

quod illis iure debebant. Cæterùm cumprimis memorabile est colloquium, quod Philippo cum Nathanaele intercesſit. Pulchrè enim adumbrat piorum mores atq; ingenium, & proinde diligenter à nobis considerari debet.

Primus in hoc producitur Philippus, qui non sine magna animi exultatione dicit: Inuenimus illum, de quo scripsit Moses in Lege & Prophetæ, Iesum filium Ioseph, illum Nazarenum. Habent hæc verba non obscuram fidei confeſsionẽ, cùm eum esse agnoscat Christum, cui Moses & prophetæ testimoniũ perhibeant. Et est quidem laude dignum, quòd de Meſsia verba facturus, ad scripturas respicit, ne (quod multi illo tempore faciebãt) ipse sibi ex suo cerebro Meſsiam fingat: attamẽ idem ille duos insignes errores committit. Primò enim Iosephi filium dicit, quem ex virgine nasciturum Isaias prædixerat: Deinde ex Nazaretho oriundum ait, qui illic modò fuerat educatus. Et licet venia dignus videri poſsit posterior hic, & commoda aliqua interpretatione leniri, prior tamen inexcusabilis est, quia salutis nostræ certitudo consistere non potest, nisi Christi natiuitas pura & ab omni hæreditariæ corruptionis labe prorsus aliena sit. Hoc itaq; exẽplo admonemur, quàm cæca sit ratio nostra, & quàm turpiter balbutiant quicunq; de Christo & regni Dei mysterijs ex semetipsis verba facere incipiunt. Nam etsi summã aliquam istorum teneant, singulas tamẽ partes exponere non possunt, quin infantiam suam turpiter prodant. Exempla huius generis multa in Apostolis habemus, quibus nos ad scripturæ studium excitari conuenit. Consolationis verò plenum est, quòd balbutientes nos Christus non abijcit, modò fidei fundamentum firmiter teneamus, neq; aspernemur institutionem, quam ille nobis adhibet. Et imitanda est hæc Dei bonitas, ne ipsi plus æquo rigidiores simus in eos, qui ignorantia quidem labuntur, cordis verò integritatẽ coram Deo inuiolatã seruant. Philippi Confeſsio. Isa. 7.

Cæterùm Nathanaelem audiamus, qui Philippo respondet. Ex Nazareth potest aliquid boni esse? Est hæc dubitantis vox, & causam dubitationis dederat Philippus, quòd ex Nazareth oriundum dixisset, quem Meſsiam olim promissum esse testabatur. Primò enim sciebat hunc ex Bethlehem proditurum esse, iuxta illud Micheæ: Et tu Bethlehem Ephrata, paruula vt sis inter chiliarchias Iudæ: ex te prodibit mihi, qui sit dominator in Israele, &c. Deinde videntur Galilæi vulgò infames, aut saltem mortaliũ contemptiſsimi fuisse, Nazarethani imprimis, quorum ingratitudo & scelerata stoliditas vel ex eo patet, quòd ad se venientẽ Christum ignominioſsè reiecerunt. Certè magnam causam fuisse oportet, quæ virum cordatum & doli expertem (qualem ipse Christus eum esse testatur) mouit, vt vix boni aliquid ex ea ciuitate prodire posse putaret. Quòd autem ista ad Christum transfert, & de illo dubitat, bifariam decipitur. Primò quòd reuera Nazarethanum esse putat: deinde quòd in hac etiam causa præiudicio communi de Galilæis nimiùm tribuit. Et hæc sunt scandala, quæ etiamnum hodie satan frequenter obijcit illis, quos videt ad Christum accessuros esse. Aut enim calumniatores excitat, qui vel scientes vel ignorantes falsa crimina Christi sectatoribus obtendunt: aut ex nobisipsis præiudicia captat, vt propter aliquorum personas, vel alias ob causas doctrinam Christi suspectam habeamus. Et constat hodie multos solo nomine quorundam moueri, vt veritatem nunquam satis inspectã condemnent. Ergo prudentia & matura deliberatione opus est, ne iudicium temerè præcipitemus. Damnantur qui in causis forensibus personas respiciunt, aut alias ob causas temerè pronunciant. Quantò igitur maiorem reprehensionẽ merentur, qui hoc in religione faciunt, vbi cum Dei gloria nostræ etiam salutis ratio coniuncta est? Nathanael de Christo propter Nazarethum sinistrè iudicat.

Quid verò Philippus, quem rudiorem adhuc fuisse vidimus, quàm vt ad quæstiones eiusmodi respondere posset? Veni (inquit) & vide. Vbi rursum animi pij & synceri specimen exhibet. Etsi enim quid respondeat, ignoret, tamen nec à Christo turpiter deficit, cui iam nomen dederat: nec etiã confidentius defendendam sibi sumit causam, cui se videbat non posse sufficere. Adhæc Nathanaelem nõ suspensum vel dubium relinquit, sed ad Christi colloquium inuitat, cuius tantam expertus erat gratiam atq; authoritatem, vt huic illum facile cessurum esse speret. Imitentur hoc exemplum, qui suæ ignorantiæ sibi satis sunt conscij: ne se temerè negotijs immisceãt grauioribus, & sua temeritate communem Christi causam in periculum adducant. Nec tamen animũ despondeant, sed ad doctiores & magis instructos adducere studeant eos, quibus ipsi respondere nõ possunt. Similiter Nathanaelis facilitatem imitentur, qui in Christi sectatores imperitos incidunt. Habebat ille (vt diximus) non parum dubitandi causam, & Philippi inscitiam sannis amarulentis exagitare poterat. Sed nihil in il- Philippus ad Christum relegat Nathanaelem, cui ipse nõ potest respondere.

lum temerè dicit, quod in Christi nondum abs se visi & auditi cõtumeliam redundet, sed Philippũ ad Christum se ducentem sequitur. Hoc vtinã hodie facerent, qui sibi omne iudiciũ sumunt in causa fidei atq; religionis, & sibi à Deo dici putarent: Veni & vide: Mox enim aliter sentirent, qui nunc inaudita causa ferrum & ignem contra Christianos expediunt. Tanta enim veritatis lux est, vt quò propius inspicitur, eò magis hominũ mentes feriat, & trahat in fidei obsequium. In quo à superstitionibus longè differt, quarum fundamentum ferè est Vulgi ignorantia. Ideo olim Satan astutè admodum sacrorum inter gentes mysteria ἀπόῤῥητα esse voluit, ne in lucem protracta sua absurditate corruerent. Et Mahomet suis sectatoribus præcepit, ne cum quoquam de religione sua disputent: nimirum quòd sciret hanc nullis rationibus defendi posse. Quem imitantur Pontificij, dum cognitionem religionis & doctrinæ ad eos solos reijciunt, qui in Papæ verba iam pridem iurauerũt: interim verò reliquos omnes à scripturarum lectione & doctrinarum examine violenter arcent. Sunt hi fidei dominatores, quos iam olim spiritus damnauit. Nos ergo relictis illis Christi Iesu bonitatẽ exosculemur, qui causam suã cognosci vult: & illa cognita, ipsum amplectamur, qui in se credentibus vitam & regnum immortale, sui sanguinis pretio acquisitum conferet. Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.

HOMILIA XI.

Vidit Iesus Nathanaelem uenientẽ ad se, & dicit de eo, Ecce uerè Israelita, in quo dolus non est. Dicit ei Nathanael: Vnde me nosti? Respondit Iesus & dixit ei: Priusquã te Philippus uocaret, cùm esses sub ficu, uidebam te. Respondit Nathanael, & ait ei: Rabbi, tu es ille filius Dei: tu es ille Rex Israelis. Respondit Iesus, & dixit ei: Quia dixi tibi, Vidi te sub ficu, credis? maiora his uidebis. Et dicit ei: Amen amẽ dico uobis: Ab hoc tempore uidebitis cœlum apertũ, & angelos Dei ascendentes ac descendentes super Filium hominis.

QVoniam salus nostra in hoc potissimùm consistit, vt huius Mediatorẽ, Iesum Christum, vera fide amplectamur, Euangelistæ non temerè tanta diligentia describũt, quomodo ille primos discipulos vocarit, & vt isti eius vocationem secuti sint. In his enim primò quidem apparet, salutem nobis ex gratia obtingere, cùm ad hanc nullo nostrorũ operum merito intercedẽte vocemur: Deinde simul discimus, per gratuitam vocationem non excludi veræ pietatis officia, sed his omnino operam dandam esse, vt vocationem nostram & electionem confirmemus. Et huc imprimis facit Nathanaelis vocatio, quæ eò diligentius nobis consyderanda est, quòd tanto elogio illum Dominus prædicat, quanto vix pauculos aliquos exornari scimus. Et huic quidem primam occasionẽ veniendi ad Christum Deus per Philippum obtulit, vt nuper vidimus. Sequitur in præsenti, quid cum illo Christus egerit. Vbi colloquium describitur cumprimis memorabile, & quod inter præcipuas Iesu Christi actiones non postremum locum meretur. Soluitur enim hic quæstio, de qua inter Philippum & Nathanaelem disceptari cœperat, & quæ omnibus seculis omnium sectarum discipulos exercuit: An Iesus, Mariæ filius, sit promissus ille humani generis seruator, in quo vno spem & fiduciam omnẽ collocare debeant, qui seruari volunt? Quod si nobis probè constet, iam sponte corruent superstitiones omnes, quibus à vera salutis ratione homines reuocantur. Ideo colloquij huius partes omnes diligentissimè describit Apostolus, in quibus consyderandis nos quoq; nullius studij pigere debet.

Christi & Nathanaelis colloquium.

Nathanaelis cõmendatio.

Occasionem eius ipse Christus offert, vt hic quoq; suam gratiam nobis commendet, qua nos præuenire consueuit. Nam propius iam accedente Nathanaele, ita vt ab eo exaudiri posset, astantibus dicit: Ecce verè Israelita, in quo dolus non est. Ab encomio Nathanaelis orditur, cùm non leuem exprobrandi & illum accusandi occasionẽ haberet. Philippo enim Christum prædicanti, ille responderat: Ex Nazaréth ne potest aliquid boni esse? Quibus verbis, nõ modò totum Christi negotium suspectum faciebat, verumetiam patriæ publicam infamiam ipsi quodãmodo exprobrabat, quod cordatis & honestis viris molestissimum, imò intolerabile esse solet. Meritò igitur cum illo expostulare

voterat,

poterat, vel etiam ad se venientem reijcere. Sed amicè dissimulat sibi factam iniuriam, vt errore & præiudicio deceptũ sibi lucretur: Et suo exemplo docet, vt nos quoq; eadem mansuetudine vtamur erga eos, qui nos & famam nostram aliqua ex parte læserunt. Mirum enim quàm incõmodent multorum saluti, qui dum suum honorem summo iure defendunt, ad quæuis acriter respondent, quæ lenitate & commoda interpretatione corrigi poterant. Per hos certè frequenter fit, vt colloquia, quæ pacis & concordiæ ineundæ causa instituta fuerunt, in virulentas contentiones & conuitia mutua degenerent, non sine scandalo infirmorum, quorum illi rationem potissimam habere debebant. Cæterùm videamus præconium illud, quo Christus Nathanaelem admodum magnificè cõmendat. Ecce verè Israelita (inquit) in quo dolus non est. Quibus verbis illi veræ religionis studium & animi synceritatem tribuit. Neq; hoc adulatoriè dicit, sed veritati testimonium perhibet. Nam Israeli tam verum vocat, eò quòd priscæ maiorum religionis studiosus esset, & in vnum illum redemptorẽ (quem patribus Deus promiserat) intentus, sectis & traditionibus, quæ tunc regnabant, locum non daret. Ita verò illum ab hypocritis distinguit, qui cùm Israelitæ dici vellent, simul tamẽ in sectas diuersas scindebantur, & salutem non in promisso redemptore, sed in ceremonijs inanibus & suorum operũ meritis quærebant. Doli verò expertem dicit, quòd animo syncero præditus nihil dolose simularet aut dissimularet, & ingenuè edicendo quod corde latebat, institutionẽ quoq; admitteret, sicuti in tota ista actione videbimus. Et solent ferè in electis, priusquam vocentur, pietatis veræ semina conspici (vt in Nicodemo quoq;, & Eunucho Æthyope, & Cornelio Centurione, & multis horum similibus apparet) quæ tamen ipsa gratiæ Dei tribui debent, qui illa animis ipsorum inserit, vt illis quasi præparati, postea salutis verbum cum fructu excipiant. Et hinc est, quòd oues suas Christus vocat eos, qui nondum in ipsius cognitionem vocati sunt: nimirum ad æternam patris prædestinationem, & illius indicia respiciens, quæ in illis apparent. Vide Ioan. 10. Alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili: illas etiam oportet me adducere, &c.

Cur Nathanael non cooptatus fit inter apostolos?

At quærunt nonnulli, cur Nathanaelem non in Apostolorum gregem Christus receperit, cùm maiori illum præconio ornarit, quàm vllus Apostolorum meruerit, priusquã spiritu sancto donarentur? Augustinus causam assignat, quòd legis peritus fuerit, Christus autẽ idiotas eligere voluerit, ne quis regnum suum humana industria propagatum putaret. Sed legis peritum fuisse nusquam legimus, neq; illud obstitit quò minus postea Paulus vocaretur, qui studio & industria æquales suos omnes superabat. Probabilior ergo est eorum sententia, qui hoc ideo factum dicunt, ne quis salutẽ Apostolorum ordini alligatam arbitraretur, quando extra hunc fuerunt, quorum fidem & pietatẽ Christus magnificè prædicauit, & qui eius specimina dederunt cumprimis illustria, quales cum Nathanaele hoc fuisse scimus Simeonẽ illum Luc. 2. & Iosephum Arimathæum, Centurionem item, cuius fides Israelitis omnibus præfertur. Quæ exempla primùm Anabaptistas redarguunt, qui neminem seruari putant, nisi qui omnibus rebus relictis apostolicum illud vitæ genus sequatur: & ea opinione decepti, tam suas quàm aliorum familias euertunt, & rempub. pernicioſè turbant. Deinde clerũ illum papisticum confutant, qui vt se apostolorum successores esse gloriantur, ita se solos spirituales dicunt, & cleri titulum sibi solis vendicant, reliquos verò, qui nec vncti nec rasi sunt, pro laicis, id est prophanis habent, & eosdem à scripturarum lectione & integro sacramentorũ vsu excludunt. Sustulit enim inuidiosum illud personarum discrimen Christus, & quæ ad salutis mysteria pertinent, non minus reliquis credẽtibus, quàm apostolis data sunt. Ideo Paulus de Cœna dicebat: Quod à Domino accepi, etiã vobis tradidi, &c. Sed omissis illis superbis fidei alienæ dominatoribus, Dei bonitatẽ exsculemur, qui suos ex quouis hominũ ordine eligit, nec vocationẽ nostrã temerè deseramus, quasi salui fieri nõ possimus, nisi in publico versemur ecclesiæ ministerio: sed iuxta apostoli regulã quisq; in ea vocatione, qua vocatus est, maneat, &c. 1. Cor. 7. Discamus autẽ in Nathanaele, quales velit discipulos Dominus, & qui nam ad regnum eius sint idonei. Primò qui veri Israelitæ sunt. Est nomen hoc exortum à Iacobo patriarcha, qui cùm aduersus angelum luctatus esset, Israel, id est princeps seu dominator Dei dictus est, eò quòd nullis aduersis vinci posset, quibus eius fidem Deus exercebat, sicuti in Hoseæ cap. 12. diximus. Tales ergo sint Christiani, & in fide sanctorum patrũ constantes, nullis vel doctrinæ nouæ illecebris, vel periculis sese à proposito dimoueri patiantur. Qui enim in fide fluctuant, & sub Christiani nominis prætextu superstitiones fouent, ij nõ magis Christiani sunt,

Quales Christus uelit esse discipulos?

quam Israelitæ erant olim, qui à cultu per Deum tradito post suas adinuentiones deflexerant, & (vt Elias de illis loquitur) in vtrumq; latus claudicabant. Deinde doli expertes requirit Christus, id est, syncero & integro corde præditos quoad Deum & homines: vt nec inani fuco fidem mentiantur, neq; eos fallere instituant vel dicto vel facto, quibus cum vitam degunt. Quia enim Christus ipse est Veritas, turpissimum fuerit eos aliquid fraudulenter agere, qui ipsius discipuli videri volunt. At qui istis virtutibus ornati sunt, ij etsi in nonnullis errent, pernicioſè tamen errare non possunt, & mox errore agnito in viam redeunt, sicuti Nathanaelis exemplo docemur.

Modestia Nathanaelis.

HIC enim cùm à Christo se tantis laudibus vehi audiret, mox respondet: Vnde me nosti? Est hæc modestiæ vox, qua oblatas sibi laudes nec superbè recipit, nec etiam ambitioſè repellit, vt hypocritæ solent, qui ambitionẽ suam maximè tunc produnt, quãdo honores sibi exhibitos reijcere & gloriæ captationem odisse videri volunt. Notauit hoc malum in philosophis Cicero, quando illos nomina sua illis ipsis libris inscribere ait, quos de contemnenda gloria scribunt, & addit: In eo ipso, in quo prædicationem nobilitatemq; despiciunt, prædicari de se ac nominari volunt. Est hoc vitium tam vulgare, vt paucissimos inuenias, qui non ducantur inanis gloriæ studio, aut illud seriò dissimulare possint. Estq; hoc fidei impedimentum maximum: quando fieri non potest (Christo teste) vt credant, qui gloriã ab hominibus vænantur, eam verò negligunt, quæ à Deo promanat. Ioan. 5. Quò magis laudandus est Nathanael, qui cùm maximam haberet sese ostentandi occasionẽ, de ijs potius quærere voluit, quæ ad Christi cognitionẽ faciebant: & quia iam non vulgaris scientiæ indicia in illo deprehendebat, vnde hanc habeat scire cupit. Laudem quoq; meretur illius studium, quo accensus, etsi se verum Israelitam dici audiret, non tamen ideò se ad summam perfectionem ascendisse putat, nec salutis securus otiatur, sed amplius proficere cupit. Imitemur hunc eius animum, quando nulla diligentia potest nimia esse, quæ Christi mysterijs cognoscendis impenditur.

Christi omniscientia.

At hic rursum nouo argumento Christus suam diuinitatẽ declarat, dum euidenti exemplo docet, se non hoc modò scire, quod dixerat, sed ea quoq;, quæ hominibus occultissima videntur. Ita verò scandalũ tollit, quod Nathanaelẽ impediebat, quò minus honorificè adhuc de ipso sentiret: & ostendit, Nazarethi ignobilem conditionẽ gloriæ suæ nihil derogare. Ait enim: Priusquam te Philippus vocaret, cùm esses sub vicu, videham te. Quibus verbis ipse rem alicuius maioris momenti in memoriam reducere videtur, cuius neminem conscium habuerat Nathanael: vt ita diuinitatis suæ specimen ipsi exhibeat. Omniscientia enim, quæ tam præsentia, quàm præterita & futura cõplectitur, solius Dei est. Nam etsi prophetæ aliquando viderint quæ alibi gerebantur (vt de Eliseo traditur) & de futuris sint vaticinati: hoc tamen non propria virtute fecerunt, sed ex spiritus reuelatione, qui ipsorum vocationem atq; doctrinam huiusmodi argumentis confirmare voluit. Alia est Christi ratio, qui nemine reuelante omnia videt atq; nouit, id quod non hoc tantùm exẽplo, sed multis alijs declarauit. Huc enim pertinet, quòd occultas discipulorum contentiones non semel in lucem protraxit: quòd pharisæorum cogitationes deprehẽdit, quibus illum impietatis accusabant, quòd paralytico peccatorum remissionem promisisset: quòd discipulis in vrbem mittendis prædixit, quid illic inuenturi sint, & in hominum animis efficaciter operatur: quòd Iudæ proditoria cõsilia præuidit atq; detexit, & multa alia huius generis, quæ euangelistæ de illo narrant. Sunt autem hæc consolationis plena, & illum hodie quoq; omnium quæ patimur inspectorem esse docent, nec quicquam nobis absq; eius voluntate atq; consilio accidere. Nam vt Dauid aiebat, fugas nostras numerat, lachrymas item nostras colligit, & in suarum rationum codicem ascribit quicquid nobis accidit. Quid ergo metuimus? quid trepidamus? Vel num graue nobis videtur in huius agonothetæ conspectu pugnare, qui fidelis est, & Apostolo teste, nos tentari non sinit vltra quàm ferre possumus? Simul verò officij hæc admonẽt, vt memores, nos in Christi conspectu versari, qui olim iudex venturus est, innocentiam vitæ & sanctimoniam, quam ille nobis pretio sanguinis sui acquisiuit, studioſè tueamur. Nam vt hominum oculos perpetuò fallamus, Dominum tamen fallere non possumus, qui vbiq; locorum præsens adest, & vindice oculo abstrusissima quæq; penetrat. Neq; ille inani prætextu decipitur aut perizomate ficulneo, quale olim Adamus sibi parauerat, sed syncerum & solidum pietatis studiũ à nobis exigit. Debet præterea ad salutis nostræ negotium transferri, quòd Nathanaelem nihil de se cogitantem, Christus prior sub ficu vidit, & idem Philippi voluntatẽ excitauit, vt ipsi de inuento Messia verba faceret,

Psalm. 56.

teret. Eadem enim omnium nostrûm cõditio est, & sub ficu agimus, dum vel voluptatum illecebris decepti, tales efficimur, quales Israelitas sub parabola Gomer Diblaim, id est, consummata massa ficuum vel voluptatum, Hoseas adumbrat: vel inanibus superstitionũ foliis, vt olim Adamus, nos tegere conamur. Hic verò securos salutis nostræ Deus videt, & ea pro nobis agit, quæ ad vitam ac quirendam & cõseruandam faciunt. Exempla huius rei publica passim occurrũt, maximè in Actis apostolorum, vbi gentibus submissi apostoli, euangelium modò his modò illis prædicãt, quorum animos prius nulla salutis in Christo partæ cura tangebat. Priuatim verò hoc ipsum in nobis experimur. Salus ergo nobis ex gratia obtingit, nec quicquã nostris vel viribus, vel meritis hic tribui debet. Hos. 1.

Sed redeamus ad Nathanaelem, qui hoc argumento diuinam in Christo virtutem agnoscit, & mox fidei suæ confessionem edit luculentam & adeò perfectam, vt summa admiratione dignum sit, illum in hoc quasi momentaneo congressu plus profeciss̃e, quàm multi hodie, qui euangeliũ iam annis aliquot audiuerunt. Nam non sine gaudij magni significatione exclamat: Rabbi, tu es ille Filius Dei, tu es ille Rex Israelis. Rabbi, id est magistrum & præceptorẽ suum agnoscit, quem paulò ante ob patriam suspectum habuerat. Deinde Filium Dei esse fatetur, & quidem verum illum & vnigenitum (hoc enim articulus Græcus innuit, quem per Pronomen demonstratiuum Latini exprimũt) vt eum à nobis distinguat, qui ex gratia adoptamur. Deinde Regem Israelis vocat, nimirũ ad prophetarũ oracula respiciens, qui Messiam sub Regis potentissimi & optimi typo describunt, vt alibi annotauimus. Et talem quidem nunc fatetur, nec vllam quæstionẽ mouet de eo, quòd illum Philippus Nazarenum dixerat. Est hoc proprium pijs, quòd Dei verbo & spiritus virtute intra animos suos conuicti, libenter veritati cedunt, nec scrupulosius de rebus non vsq; adeò magni momenti disputant, licet illas non exactè adhuc intelligant. In hoc autem plurimùm hodie peccatur ab ijs, qui cum in præcipuis Christianæ fidei articulis nobiscum conueniant, de externis ritibus & nouis quæstionibus, quas pia illa & erudita vetustas ignorauit, odiosè contendunt, & ecclesiæ vnitatem propter illas scindunt. At obseruanda est in Nathanaele fidei & confessionis veræ formula, quæ in hoc consistit, vt Christum præceptorem nostrum agnoscamus, & eundem verum ac patri coæternum Dei filium, adhæc Regem ecclesiæ fateamur. Talem enim scripturæ omnes illũ esse docent. At qui talem esse ex animo credunt, & verè confitentur, hi docentem audiunt, illum ex fide inuocant, in vno hoc quærunt quæcunq; ad salutem humanam pertinent, & eidem se totos per fidei obedientiã subijciunt. Falsi ergo conuincuntur, qui cùm Christum in ore habeant, interim illo relicto hominũ discipuli fiũt, in aduersis Diuos inuocant, in periculis turpiter succumbunt, adhæc turpissimas carnis cupiditates & infelicis mundi illecebras illius mandatis præferunt. Nathanaelis confessio.

Porrò Christus confessionẽ hanc non modò probat, sed amplissima promissione remunerat. Respondet enim Nathanaeli: Quia dixi tibi, Vidi te sub vicu, credis? maiora his videbis. Solet etenim Christi cognitio à modicis initijs ad maxima augmenta progredi, & nobis maiora indies mysteria patefacere. Et hic maximè locum habet promissio: Omni habenti dabitur. Quod vt eos solatur, qui semodicum adhuc profeciss̃e vident: Ita nos accendere debet, vt oblatam nobis fidei doctrinam maiori studio amplectamur, ne nostra ignauia ipsi nobis fraudi simus & exitio. At ne ad solum Nathanaelem restringatur quod hic promittit, mox ad omnes qui astabant conuersus ait: Amen amen dico vobis: Ab hoc tempore videbitis cœlũ apertum, ac angelos Dei ascendentes & descendentes super filiũ hominis. At quando hæc iuxta literam impleta sint, nusquam scribitur. Ministrauũt quidem angeli Christo multoties: sed illud neq; in publico est factum, neq; id omnes credentes viderunt, sed pauci aliquot, quos præ alijs ex singulari gratia delegerat. Est ergo hoc altiori sensu dictum, & ad historiam alludit, quæ de Iacobo Gen. 28. habetur, atq; in se complementum suum habitura esse docet, quæ tunc typo quodam aut visione adumbrata fuerunt. Fugiebat Iacob metu fratris sui Esaui, vt in Mesopotamia ad tempus in tuto viueret. Ex itinere autem fessus in Luza, quæ postea ex eo euentu Bethel dicta fuit, obdormiuit super lapide, quẽ capiti sustrauerat. Dormienti scala apparet, quæ ab eius capite ad cœlum vsq; pertingit, & in illius quidem summitate Deus conspicitur, angeli verò per illam descendentes & ascendentes hinc inde cõmeant. Voluit autem ista visione Deus Iacobum fugientem & trepidantem consolari, sicuti historia sacra ibidem docet. Summa cõsolationis est, quòd Deus ipsi propitius adesse, & ipsum per angelos suos ducere ac reducere velit. Et quò magis in promissionis Christus Mediatorem se esse docet.

huius fide confirmetur, ex ipso enasciturum docet Mediatorem, qui Deum patrem terris reconciliet. Hunc enim scala ista denotabat, quæ per certos posteritatis ex Iacobo descendentis gradus ad Christum usq; deducta est, & cœlum terræ coniunxit, dum in illo reconciliauit sibi Deus quæcunq; vel in terra vel in cœlis sunt. Ad hanc itaq; historiam alludens Christus, iam adesse dicit tempus illud præfinitum, quo ista impleri oporteat, & ipsos fidei oculis hæc visuros impleta esse, quæ patres olim implenda speraverint. Itaq; quæstionem, de qua inter Philippum & Nathanaelem disceptatum fuisse initiò diximus, Christus egregiè dissoluit. Nam & verum Dei filium se esse demonstrauit, & suæ incarnationis hunc finem esse docuit, vt Mediator inter Deum & homines constitutus nos illi reconciliet. Reconciliationis verò huius fructus est, quòd fauore suo nos Deus prosequitur, angelos ministerio nostro destinat, & in hoc mundo peregrinantes tuetur, vt ad cœlestis patriæ possessionẽ perueniamus. Hæc tam dulcia nostræ salutis mysteria cùm Visio ista contineat, diabolus illam multis mendacijs obscurare conatus est. Et olim quidem hæreticos excitauit Valentinianos et Gnosticos, qui nouos gradus finxerunt, quibus in cœlum ascendatur. Deinde eodẽ instigante exortus est Mahomet, qui & ipse per scalam nescio quã se in cœlos ascendisse gloriatus est. In Papatu autem infinitas scalas cœli fabricauit, dum per operum merita & frigidissimas ceremonias homines seruari docuit. Et reperta sunt altaria cum inscriptione hac: SCALA COELI. Sunt hæc impia, & suum Christo honorem derogant. Nos igitur omissis superstitionibus, illum agnoscamus Mediatorem nostrũ vnicum, qui viam ad patrẽ nobis aperuit, & in se credentes fidelissimè tuetur. Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.

CAPVT II.

HOMILIA XII.

ET die tertio nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ, eratq; mater Iesu ibi. Vocatus est autem etiam Iesus ac discipuli eius ad nuptias. Et cùm defecisset uinum, dicit mater Iesu ad eum: Vinum nõ habent. Dicit ei Iesus: Quid mihi tecum mulier? nondum uenit hora mea. Dicit eius mater ministris: Quodcunq; dixerit uobis, facite.

POST exposita Ioannis Baptistæ de Christo Iesu testimonia, discipulorũ aliquot vocationes euangelista descripsit, quibus ille diuinam suam virtutem non omnino obscuris indicijs manifestauit. At quia hæc priuatim inter paucos gesta fuerunt, sequitur deinceps, vt publicè ea cœperit obire, quæ ad ipsius cognitionem homines adducere poterant. Et hoc quidem Cap. duo eius facta commemorantur: Miraculum scilicet in Cana Galilææ editum, & templi Ierosolymitani reformatio, ex quo prophanos nundinatores eiecit: illo quidem docens, se totius creaturæ opificem & dominum esse; hoc autem Messiæ honorem sibi vendicans, qui ecclesiam suam ab omni prophanatione repurgaturus sit, vt Deum patrem in spiritu & veritate omnes colant. Et illud quidem etsi prima fronte non usq; adeò magni momenti esse videatur, quia tamẽ inter eius miracula ordine primum fuit, & sub hac vili specie multa comprehendit, quæ ad fidei nostræ institutionẽ & confirmationem faciunt, Ioannes illud tanta diligentia describendum putauit, vt ne minutissima quædam omiserit, quæ in eo acciderunt. Primò enim quo tempore hoc factũ sit, docet. Deinde locũ quoq; indicat, & inter quos hoc signo innotescere voluerit. Tertiò illius occasionẽ describit. Postremò omnem rei gestæ modum & ordinem commemorat: quibus postremò fructum subijcit, qui inde ad alios manauit. Nos in præsenti de tribus primis capitibus quod Dominus dederit, breuiter dicemus.

Tempus miraculi.

Quoad tempus, tertium diem annotat Ioannes; ab eo nimirum, quo Iesus in Galilæam veniens Nathanaelem vocarat, cùm paulò ante Philippum quoq; & Andream cum eius socio & Petro in discipulorum numerum ascripsisset. Facit hæc temporis circumstantia ad declarandã eius bonitatẽ,

qui

qui discipulos recens vocatos noluit diutius suspensos tenere, sed ipsorum fidem mox aliquo signo illustriori confirmauit. Est hic ferè Dei mos, vt quos rebus magnis & arduis destinauit, mox initiò ad certamina, quæ ipsis subeunda sunt, armis & viribus instruat. Ita olim cum Mose & prophetis egit, quos non obscuris argumentis circa vocationis ipsorum initia de suo auxilio certiores fecit. Et postea Apostolos non modò miraculorũ virtute donauit, cùm illos ad docendum emitteret, verumetiam cùm Hierosolymæ primùm in carcerem coniecti essent, per angelum eos miraculosè liberauit, quò minus in posterum carceres & vincula timerent. Quod si hodie non semper miracula fiunt, cogitemus illis non semper opus esse, & vetera illa in mentem reuocemus, quibus promissiones suas iam olim abundè confirmauit. Coniungamus his beneficia quotidiana, quibus suam nobis beneuolentiam declarat, & ista consyderatione nos non parum confirmari sentiemus.

Vbi miraculũ hoc editum?

Secundò locus miraculi indicatur: Cana nimirũ Galilææ, sic dicta ad differentiam Canæ maioris, quæ non procul à Sidone & Sarepta sita est, & olim Syrophœniciæ attribuebatur, ex qua Syrophœnissa illa videtur fuisse, cuius fidem Christus tantopere prædicat, & quam Matthæus Cananæam vocat. Nostra enim hæc Galilææ oppidum fuit, in confinijs Aser atque Zabulon, patria Nathanaelis, vt infra Cap. 21. annotauit Ioannes. Et credibile est, Christum cum Nathanaele eò profectum fuisse. At quærat aliquis, cur in oppido obscuro & ignobili primum signum facere voluerit Christus, & non potius Hierosolymam aut aliquam celebriorem Iudææ ciuitatem delegerit, vbi maior fuisset se & gloriã suam multis simul manifestandi occasio? Sed iam alibi monuimus, Deum humilibus delectari, vt mundi huius fastum confundat: simulq; cauendum erat, ne quis Christi regnum humana authoritate euectum & propagatum esse putaret. Et requirit hoc ipsum nostra infirmitas, quæ vndique conquirit diffidentiæ occasiones, si quando res nobis minus pro voto succedunt. Quapropter si illustrioribus locis atque personis primùm innotuisset Christus, mox dubium videri poterat, an æquè ad obscuros & ignobiles ille pertineret. Deinde Galilæa gentium iam inde ab antiquo dicebatur regio illa, eò quòd gentibus vicinior esset, & in ea multi ex gentibus, Iudæis permixti habitarent, ab eo tempore nimirum, quo tractus iste ab Assyrijs primùm occupatus & miserè vastatus fuit, sicuti Regum historia & Isaias testantur. Dum ergo eam terrã sibi deligit Christus, vt eam doctrina simul & miraculis primùm illustret, fuit hoc non obscurum præludium vocationis gentium, quæ euangelium maiori cum fructu, quàm Iudæi, recepturæ erant. Quo loco admonemur, in salutis negotio nihil tribuendum esse prærogatiuis, quibus aliquãdo maiores nostri claruerunt: sed illius cardinem in hoc versari, vt Christum totis animis complexi, eidem nos per fidei obedientiam consecremus. Nisi enim hoc fiat, transfert ab ingratis regnũ suum Deus ad eos, qui dignos sua vocatione fructus ferunt.

In nuptijs miraculum facit Christus.

At hîc imprimis videndum est, inter quos signum hoc Christus ediderit. Indicatur hoc, quando nuptias factas fuisse dicit Euangelista, quas ille non modò sua præsentia, verumetiam hoc quasi honorario munere ornauit. Erat enim iam ante in illis nuptijs eius mater, fortassis vocata propter affinitatem aut cognationem, quæ ipsi cum nouis coniugibus intercedebat: nec difficile illi fuit eò venire, cùm non procul à Cana esset Nazareth, vbi domicilium habebat. Cùm ergo illuc sub idem tempus veniret Christus, hunc quoque vnà cum discipulis illi inuitarunt. Vbi non temerè factum putabimus, quòd Dei filius & nuptijs interesse, & in illis sese suamque diuinam virtutem miraculo tam insigni manifestare voluit. Hodie certè istud multis absurdissimum videretur, & scimus Monachos atque Moniales ex hoc non postremam castitatis laudem vænari, quòd non ipsi modò cœlibes viuant, sed nec aliorum quidem nuptijs intersint. Sed non idem cum illis Christus sensit, qui suo exemplo nos de ijs admonere voluit, quæ ad nostræ salutis rationem simul & vitæ coniugalis institutionem pertinent. Primò enim ostendebat iam adesse tempus illud nuptiarum cœlestium in quibus nos sibi desponsare, & bonorum omnium consortes facere velit. Frequenter enim scripturæ coniunctionem, quæ nobis cum Deo intercedit, nuptiarum & coniugij parabolis describunt. Ideò Diuus Augustinus in hunc locum scribit: Quid mirum si in illam domum ad nuptias venit, qui in hunc mundum ad nuptias venit? Id est, qui ideò homo factus est, vt nos sibipsi desponsaret. Et paulò post. Habet hic sponsam, quam redemit sanguine suo, & cui pignus dedit spiritum sanctum, eruit eam de mancipatu diaboli, &c. Commodissimè ergo in nu-

ptijs primùm sese manifestauit, vt quoties illas videmus celebrari, toties huius mysterij recordatio animum nostrum subeat. Deinde dum nuptijs adest Dominus, ex quibus legitima humani generis propagatio dependet, non obscurè innuit, se in mundum venisse, vt hæreditariæ corruptioni medeatur, qua fiebat prius, vt omnes homines iræ filij nascerentur. Annotauit hoc ipsum Cyrillus, quando illum ad nuptias accessisse scribit, vt nostræ natiuitatis principium sanctificaret. Et vt hoc fieret, partus dolores exigebant, qui manentis adhuc maledictionis argumentum censeri poterant, nisi Christus ipse nuptias sua præsentia sanctificauisset. Præterea coniugij dignitatem commendare voluit, & illud à prophanis turbatoribus asserere: quod factu cumprimis necessarium erat. Quia enim, vt modò diximus, genus humanum per coniuges legitimè propagatur atque seruatur, & coniugium ad vitam sanctè & honestè transigendam adminiculum est longè commodissimum (quo nomine mulier viri adiutorium dicitur) omnibus seculis in hoc fuit publicus hostis noster satan, vt huius religionem aut omnino eximeret hominum animis, aut saltem maxima ex parte labefactaret. Hinc ante diluuium imparibus coniugijs filios Dei cum Caini posteritate commiscuit, & ea ratione vniuersalem corruptionem & toti mundo exitialem inuexit. Idem inter Caini posteros polygamiam instituit, quàm etsi in sanctis patribus Deus aliquãdiu tolerarit, eadem tamen maximorum malorum causa fuit, sicuti Iacobi exemplo docemur. Eodem authore inter gentes scortandi licentia ita inualuit, vt eadem omnium esset sententia, quam Comicus indulgentissimo patri & nequitiæ patrono tribuit: Non est flagitium (mihi crede) adolescentulum scortari, &c. Neque mirum hoc videri potest, quando Solonem, sapientissimum illum (si Dijs placet) legislatorem, primum iuuentuti meretriculas comparasse, & Veneris Pandemi templum, ceu publicum potius lupanar, extruxisse ferunt. Nec multò sanctiores fuisse Iudæos, qui Dei peculium videri volebant, ex prophetarum sermonibus apparet. Inter Christianos verò iam inde ab initio multiplex semper fuit coniugalis status prophanatio. Nam vt de scortatione & adulterijs vulgaribus nihil dicamus, reperti sunt olim Nicolaitæ & Gnostici, qui sub religionis prætextu vxores publicabant, aut inter se communes habebant. Secuti sunt hos Tatiani & Encratitæ, qui vt his sanctiores haberentur, nuptias omnino damnabant, coniugium à scortatione nihil differre docebãt. Quos hodie Monachi & sacrificuli imitantur, qui etsi coniugium non simpliciter damnent, illud tamen carnis immunditiem vocant, & cœlibatum suum ita extollunt, vt Christianam perfectionem magna ex parte in illo collocent, & à sacrorũ administratione omnes coniugatos arceant. Et de his

1. Timoth. 4. quidem olim Paulus locutus est, quando venturos dixit impostores, qui dæmoniorum doctrinas tradant, dum coniugio & cibis quibusdam interdicunt. Atqui egregium hoc fuit mali dæmonis stratagema, quòd ecclesiæ & sacrorum ministris coniugij vsum prohibuit. Ita enim factum est, vt non ipsi modò vagis libidinibus sese polluerent, verumetiam religionem omnem bonis & cordatis omnibus sua illa impudentia suspectam & exosam facerent. Omnes ergo hosce exemplo suo confutat Dei filius, qui vt ex desponsata virgine nasci voluit, ita nuptias sua præsentia & liberalitate ornat, & ijsdem matrem Virginẽ adhibet vnà cum discipulis, qui totius orbis doctores futuri erant: & quos

1. Corinth. 9. suas vxores secum circunduxisse Paulus testatur, cùm euangelium inter gentes hinc inde prædicarent. Et Ambrosius in posterioris ad Corinth. cap. vndecimum, non dubitauit affirmare, omnes Apostolos, excepto Ioanne & Paulo, vxores habuisse. Et ibidem de erroribus & superstitionibus exponendum esse dicit, quod in Apocal. cap. 14. de ijs dicitur, qui non inquinati sunt in mulieribus. Transferamus ergo hoc Iesu Christi exemplum ad nostram institutionem, & primò quidem discamus, coniugium honorabile esse inter quosuis, & impollutum esse thorum coniugalem, sicuti idem A-

Hebr. 13. postolus pronuntiat. Quomodo enim prophanum aut pollutum censeri potest, quod ipse Deus in ipsa statim rerum origine, priusquàm peccatum diaboli fraude esset inuectum, instituit, & cuius vsus in scripturis passim ab vtili, à necessario, ab honesto item & sancto commendatur? Vtile enim sit oportet, cùm Deus bonum esse neget, vt homo solus viuat, & eius adiutorium vocet fœminam. Necessarium quoque procul dubiò fuerit, sine quo genus humanum propagari & conseruari non potest, Dei autem mandatum sit: Crescite, multiplicamini, & implete terram. Quis verò honestum esse neget,

2. Corinth. 6. quod ad vitandam scortationem & carnis immunditiem nobis commendatur? Apostoli enim præceptum est: Propter fornicationes suam quisq; vxorem, & proprium quæq; maritũ habeat. Rursus,

quis

quis sanctum & diuinum esse dubitet illud viuendi genus, quo sanctissimæ illius coniunctionis typus continetur, qua nos sibi Deus in filio suo desponsauit, & ex qua tota nostræ salutis ratio dependet? Publici ergo generis humani & religionis, adeoq; salutis humanæ hostes sunt, quicunq; coniugium, ceu noxium, aut inhonestum, aut religioni & pietati inimicum damnare audent.

Cùm verò tanta sit matrimonij dignitas, secundò obseruandũ erit, vt eius principia ritè & piè instituantur: quod ipsum communi consensu omnes populi semper censuerunt. Vt enim in coniugio diuinam institutionem agnouerunt, ita in nuptijs religione & sacris vsi sunt, vt nouis coniugibus Dei fauorẽ conciliarent. Et quid pios in hac re deceat, Abrahami et Thobiæ exempla docent, quos religionis præcipuam curam habuisse, & precibus vacauisse legimus, cùm hic quidem vxorem ipse ducere, ille verò filio suo vxorẽ desponsare instituisset. Inter Christianos vetus iam mos est, vt noui coniuges cum cognatis & amicis ad templum conueniant, & illic à ministro benedictionẽ accipiant, & publicis ecclesiæ precibus Deo cõmendentur. Facit mos iste ad matrimonij dignitatem, & nouos coniuges omni praua suspicione liberat, ne scortatorum instar cohabitare putentur: & Deo non potest non probari, quũ & inuocari vult, & nomẽ suũ inuocantibus præstò adesse solet. Ideò hunc quoq; morem satan, cùm omnino abolere nõ posset, partim superstitione, partim lasciuia, luxu, fastu, intemperantia & impuris ludis (quæ omnia ferè in nuptijs conspiciuntur) contaminauit. Quæ mihi non postrema causa videtur malorum, quæ coniugium multis infestum & acerbum reddunt. Quid enim faciat Deus, quando ipse quidem à nuptijs excluditur, in eius verò locum inuitatur satan, qui istius lasciuiæ & petulantiæ author est? Qui ergo sibi cõsultum volunt, exemplum hoc præsens imitentur, & ad nuptias suas Christum inuitent, qui non has modò, sed coniugij tempus omne ipsis faustum felix; efficiet, & quæ huic cõcurrunt molestias dulcissimo sui fauoris & benedictionis vino discutiet. Inuitatur autẽ Christus, quando ad verbum audiendum conuenitur, in nomine eius preces fiunt, honestati studetur, & in pauperes eius liberaliter erogantur, quæ prophani homines nuptiarũ tempore in Mimos, scurras, ludiones, tibicines, in vestes item plus æquo sumptuosas & immodicum conuiuiorum apparatum profundunt. Exemplũ laude immortali dignũ, quod omnes imitentur, Heinrychus imperator, eius nominis tertius præbuit. Is enim cùm ad nuptias eius, quas cum Agnete Pictonum & Aquitaniæ principis filia, Ingelheimi celebraturus erat, ingens histrionum & Mimorũ multitudo confluxisset, omnes aula & oppido excedere iussit, & pauperes accersiuit, quorum inopiã ijs pecunijs leuauit, quibus inutilis illa scurrarũ turba alenda fuisset. Porrò nuptijs sanctè & religiosè peractis, coniugalis fidei cura diligens habeatur, & sanctè seruetur promissum, quo in Dei conspectu, intercedentibus totius ecclesiæ precibus, coniuges se mutuò obstrinxerunt. Nec enim falli se patitur Deus, et quia hic primus coniugij author est, horrendis pœnis illius violatores persequi cõsueuit. Exempla huius generis multa in priuatis hominibus habentur: neq; desunt publica, quæ docẽt, potentissima regna & florentissimas respub. propter vagas libidines, aut euersas, aut permiciosis mutationibus concussas vel conuulsas fuisse: quæ cùm historias legentibus passim occurrant, et alibi à nobis non pauca sint adducta, nunc illis recensendis nolumus immorari, ne longius extendatur oratio. Tempus enim est, vt ad loci recitati tractationem reuertamur.

Nuptiæ cum religione celebrentur.

Genes. 24. Thob. 6. 7. 8.

Sequitur autem occasio, quæ Christum ad faciendum miraculum excitauit. Fuit hæc ex vini defectu enata, quo conuiuium nonnihil turbatum fuisse videtur. Et verisimile est, non vsque adeò lautæ fortunæ fuisse nouos istos coniuges, eoq; citius defecisse vinum, quòd præter expectationem noui hospites aduenerant, Christus & discipuli. Sed quicquid istud sit, certũ est, diuina prouidentia hoc factum fuisse, vt se manifestandi & gloriam suam illustrandi occasionem haberet Dei filius, qui huc vsque paucis notus fuerat. Eandem ob causam nobis quoq; interdum vel inopiam, vel morbos, vel aduersa alia, vel subita pericula immitti putemus: quòd nimirum nobis innotescere cupiat Deus, qui à nobis non agnoscitur neq; obseruatur, dum omnia pro voto succedunt. Imprimis verò hinc consolationẽ petant, quibus ipse Christus inopiæ author esse videtur, dum vel propter eius nomen fortunis omnibus exuuntur, vel in eius membra opes suas insumpserunt. Nec enim is aliquid deesse patietur in sua vocatione ambulantibus, etsi suum fauorem aliquando dissimulet. Cæterum hic inter Christum & Mariam matrem eius actio incidit perquàm memorabilis, cuius singulæ partes diligentem consyderationem merentur.

Occasio miraculi.

Maria Christo uini inopiam indicat.

Et primùm quidem Virgo mater producitur, quæ cùm vinum iam defeciſſe videret, de eo filium admonet, nimirum vt vel inopiæ iſti ſuccurrat, vel ex hac enatũ tædiũ aliqua ratione mitiget. Nec enim dubium eſt, illam in Chriſto plus quiddam & excellentius, quàm vulgus hominum, agnouiſſe, cùm ex ſpiritu ſancto conceptum eſſe ſciret, & ab ipſa natiuitatis eius hora multa in illo obſeruauiſſet, quæ Dei filium eſſe teſtabantur. Et hæc illam mouerunt, vt nunc illi de ſubleuanda huius familiæ inopia verba faciat, cùm illos aut pecunijs deſtitui ſciret, aut eam videret eſſe loci incommoditatem vt vinum aliunde tam citò afferri non poſſet. Humanitatis ergo & charitatis officio fungitur, quæ nos alienis malis affici, & proximis dolentibus condolere iubet. Nec illi tam curæ fuit vinum, quàm quòd huius inopiam nouis hiſce coniugibus hoc tempore ignominioſam fore videret. Et ſanè hominum nomine indigni ſunt, qui egentibus ſubuenire nolunt, & interim illorum incõmodis gaudent: quales hodie ſunt multi, quos ita exagitat inuidiæ malum, vt ex aliena infamia ſummam voluptatem vænentur. Paucis autem verbis filio rem exponit, quem ad opem ferendam propenſum eſſe ſciebat. Et vitandam eſſe in precibus nimiam verboſitatem ipſe Chriſtus docet, cùm animũ potius quàm verba precantis reſpiciat Deus, & idem priuſquàm oremus ſatis intelligat, quibus nam opus habeamus.

Chriſtus Mariam reijcit.

Quid autem Chriſtus? Duriter admodũ matrem pro iſtis intercedentẽ reijcit. Quid mihi tecum mulier? inquit. Vel vt Græca ſonant. Quid mihi & tibi, ſcilicet cõmune eſt? Eſt autẽ hæc loquendi formula Hebræis vſitata, ſi quem cum indignatione auerſantur. Adhæc mulierem vocat, quaſi illam matris nomine dedignetur, quod cũ contumelia coniunctũ poterat videri. Cauſam addit: Nondum venit hora mea. Id eſt, hucuſq; nondũ fuit tempus illud mihi à patre præfinitum, quo gloriam meam miraculis manifeſtare debeo. Num verò (inquis) ideò tam inhumaniter debuit repelli mater, cuius humanitas & pius affectus laudem merebatur? Quid ergo ad hæc dicemus fratres? Num matrem non agnouit Chriſtus? ſicuti olim hæretici docuerunt, qui hoc loco et ſimilibus abuſi ſunt, vt illũ carnẽ non ex Maria aſſumpſiſſe, ſed cælo attuliſſe euincerent: quos D. Auguſtinus ex hoc ipſo loco grauiſſimè confutat. Vel nũ in matrem adeò inhumanus fuit, aut impius? Minimè gentiũ. Nam & matrem poſtea in cruce pendens agnoſcit, & eidem fideliſſimè proſpicit, dum Ioãni illã cõmendat: & Lucas illum parentibus ſubditũ fuiſſe teſtatur. Aliquid ergo magnæ cauſæ fuerit oportet, quæ illum mouit, vt matrem nunc durius alloqueretur. Fuit hæc, quòd cùm miracula ad diuinam eius naturam referri debeant, & ad illuſtrandam Meſſiæ gloriam faciant, nemo hominum in illorũ cõſortium admitti debuit. Quia quantum in hac re hominibus tribuitur, tantum Chriſto ex gloria ſua

Iſa. 42.

decedit, quam ſe nemini cõmunicaturum eſſe, olim per Iſaiam proteſtatus eſt. Præuidit enim exorituras nouiſſimis tẽporibus ſuperſtitiones, quibus multi decepti in Mariã translaturi eſſent officia, & illam inuocaturi, quaſi apud Deum Mediatoris partes agere & ex aduerſis eripere poſſit. Noſtræ ergo ſaluti conſultum volens, matrem nunquam agnouit, quoties Meſſiæ officio functus eſt, ne quis inde illam colendi & inuocandi occaſionem arriperet. Sic cùm puer in templo cum Scribis diſputaret & à matre corriperetur, grauiter reſpondit: An neſciebatis, quòd in ijs quæ patris mei ſunt, oporteat me eſſe? Et apud Matthæum, cùm quidam ipſi docenti diceret: Ecce mater tua & fratres tui foris ſtant, quærentes tibi loqui, ſimili grauitate reſpondit: Quæ eſt mater mea? & qui ſunt fratres mei? Et extenſa manu ſua in diſcipulos dicit: Ecce mater mea & fratres mei. Quiſquis enim fecerit voluntatem patris mei, qui eſt in cælis, ipſe meus frater, & ſoror, & mater eſt. Seruiunt hæc ijs confutandis, qui Diuam virginem & reliquos Diuos pro nobis intercedere, & proinde à nobis inuocari debere contendunt. Qui cùm non habeant ſcripturæ locos, quibus ſuum illud dogma tueantur, ad carnis iudicium recurrunt, & fieri non poſſe putant, quin matris ſibi ſupplicantis preces Chriſtus exaudiat. Et ne quid ineptiarum omittant, illam ad filij pedes proſterni, & oſtenſis vberibus illum per materna viſcera obteſtari fingunt. Atqui in ijs quæ ſaluti noſtræ inſeruiunt, nihil valet carnis prærogatiua, & (vt Auguſtinus ait) non agnoſcit Chriſtus viſcera humana, operaturus facta diuina. Vehementer ergo falluntur, qui ex ijs quæ inter homines fiunt, de diuinis myſterijs iudicant. Nec enim temere Deus olim dixit:

Iſa. 55.

Cogitationes meæ non ſunt cogitationes veſtræ, neque viæ veſtræ viæ meæ. Sed vt cœli terra ſublimiores ſunt, ita excedunt viæ meæ vias veſtras, & cogitationes meæ cogitationes veſtras. Et ſi Euangelij hiſtoriam

riam euoluas, nunquam Christum aliquid vel matris Virginis vel discipulorũ precibus dedisse reperies, quoties pro alijs intercessores facti sunt. Qui ergo hoc obseruauit eo tempore, quãdo illis licebat pro alijs preces fundere, num hac vita defunctos aliorum aduocatos et intercessores fecisse credendus erit? Quapropter scripturas secuti vnum Deum inuocemus per Mediatorem Iesum Christum, cuius vox est: Nemo venit ad patrem, nisi per me. Vnde Apostolus quoq; dicebat: Vnus Deus, vnus etiam Mediator Dei & hominum, homo Iesus Christus. 1. Timoth. 2. Apud hunc verò non alijs nouis mediatoribus opus esse ipse docet, quando laborantes & oneratos, non ad Mariam siue Apostolos ablegat, sed ad se venire iubet, & ad se venientibus animorum refocillationem pollicetur.

In Dei uocatione nihil tribuendum hominibus.

Seruit præterea communi omnium institutioni exemplum hoc Christi, ne carnis affectum admittamus in ijs, quæ nobis ex nostræ vocationis officio peragenda sunt. Vt enim ille neq; matrem neque fratres agnouit, ne in illos transferretur Messiæ gloria, quam ipsi vni transcribere iubet nostræ salutis ratio: Ita à nobis quoq; exigit, vt propter ipsum parentes, liberos, fratres, sorores, coniuges relinquamus, adeoq; nosipsos abnegemus, ne quid fiat nostra vocatione indignũ. Laudatur in historijs Romanus ille, qui Consul factus patri ad se venienti non cessit de via, neq; propter illum ex equo descendit, sed illũ potius descendere iussit, ne patrem reipub. præferre videretur. At quantò magis nos cauere oportet, ne homines Deo præferamus, & in illorum gratiam faciamus quæ huic displicent? Horum memores qui rempub. administrant, leges et iura publica sanctè tueantur: ecclesiarum verò ministri absq; personarũ respectu ex Dei verbo synceriter doceant, moneant, hortẽtur, increpent. Priuatim verò hoc ipsum obseruent coniuges, parentes, liberi, serui, omnium denique loci & ordinis homines, vt dum Deo potius quàm hominibus placere studeant, ab illo suæ fidei præmia accipiant.

Val. Max. lib. 2. cap. 1.

Maria exemplum obedientiæ fidei.

Sed ad Mariam redeamus, quæ repulsam patientissimè fert, neq; tamen affectum pium exuit, quo indigentibus subuentum cupiebat. Ideoq; ministris dicit: Quodcũq; dixerit vobis, facite. Est hoc præclarum obedientiæ fidei exemplum, quam ita præstat, vt suo iuri, quod in filiũ habebat, quasi renuntiet, & eandem alijs quoq; cõmendat, cùm sciret non aliam esse cõmodiorem ratione bona quæuis impetrandi, quàm si Dei voluntati sese homines subijciant. Est ergo hoc generale consiliũ, & ad omnes pertinet, quod ministris istis Maria dixit. Neq; melius aut rectius illa coli poterit, quàm si eius vocem secuti faciamus quæ filius eius, Iesus Christus, iubet, nõ quæ nobis bona videntur. Sufficit regula hæc ad omnia, quæ nobis dum hìc viuimus factu & obseruatu necessaria sunt, & multas quæstiones diluit, quibus hodie infelix mũdus turbatur. Disputatur ab auaris de Oeconomia & rei domesticæ administratione. Sed omnem disputationem abrumpere potest vnicũ Christi dictum: Quærite ante omnia regnum Dei & iustitiam eius, & reliqua omnia vobis adijcientur. Idem de republica dici potest, cuius salus ex Christo dependet. In religione item hoc Mariæ consilium solum sufficiet, si illud audiamus. Disputant multi, quis in aduersis inuocari debeat. At Christum dicentem audiant: Vos ita orate, Pater noster qui es in cælis, &c. Alij de salutis ratione contendunt. Sed ijsdem Christus respondet: Qui credit in me, habet vitam æternã. Item: Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit. Sunt qui de Dei cultu interrogant. At hunc Christus in spiritu et veritate perfici oportere docet. Deniq; quicquid hodie in quæstionẽ venit de humanis traditionibus, summa diuinæ legis, de cõiugio, de liberorũ educatione, de magistratu, de bonis operibus, de nouissimo seculo, et si quid aliud est huius generis, hoc omne Christus Iesus breuiter & dilucidè exponit. Sopitis ergo contentionibus illũ audiamus, & eundẽ in aduersis inuocemus, qui etsi aliquando opem suã negare videtur, nosq; durius abs se reijcit, suo tamen tempore benignus exaudit, & quæ nostræ saluti seruiunt liberaliter impertit, sicuti in sequenti Sermone fusius dicetur. Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

HOMILIA XIII.

Erant autem ibi lapideæ hydriæ sex positæ secundùm purificationem Iudæorum, capientes singulæ amphoras binas aut ternas. Dicit eis Iesus: Implete has hydrias aqua. Et impleuerunt eas usque ad summum. Tunc dicit illis: Haurite nunc & offerte architriclino: & tulerũt. Vt autem gustauit architriclinus aquã illam, quæ facta fuerat vinum

(nesciebat autẽ unde esset, sed ministri sciebant qui hauserant aquam) uocat sponsum architriclinus, & dicit ei: Omnis homo primo loco bonum uinũ apponit, & cùm inebriati fuerint, tunc id quod deterius est: tu seruasti bonum uinum usque adhuc. Hoc principium signorum fecit Iesus in Cana Galilææ, ut manifestaret gloriã suam, & crediderunt in eum discipuli eius.

CVm Dominus & redemptor noster, Iesus Christus, per signa seu miracula sese manifestare vellet, non sine grauibus causis primũ omnium in nuptijs edidit, ad quas vnà cum discipulis inuitatus fuerat. Primò enim eo facto testatus est, se sponsum nostrũ esse, qui nos regni sui consortes esse velit, & ideò se in mundum venisse, vt nos sanguine suo ablutos & mundatos sibi perpetuo fœdere desponset, & in felicitatem æternam transferat. Deinde coniugium simul hoc suo exemplo sanctificauit, quod nostræ generationis principium est, & quod propter cohærentes ipsi molestias prophanatum & Deo exosum videri poterat. Ita verò impostores quoq; confutare voluit, quos impuri cælibatus prædicatione, nouissimis temporibus religionẽ simul & vitæ honestatem turbaturos esse sciebat. Exhibetur itaq; in hoc miraculo dulcissima consolatio coniugibus, qua labores atq; molestias mitigent, quæ in hoc etiam vitæ genus ex peccato irrepserunt. Vt enim Christus in præsenti tristitiam, quæ ex vini inopia orta erat, inexpectato beneficio depellit: Ita omnibus illis propitius adest, qui in eius nomine matrimonium contrahunt, & sua benedictione labores ipsorum fortunat, ne vel inopia vel alijs malis superati succumbant. Promisit hoc olim sæpe Deus, & huc cumprimis pertinent quæ in Psalmo 128. habentur: & haud vanas esse eiusmodi promissiones, exempla cùm vetera tum recentia abundè docent. Quia verò his quasi sigillum addidit Dei filius, hoc tam illustri miraculo in nuptijs edito, nos in eius consyderatione diligenter versari decet, vt frequentius nobis occurrant quæ nos consolari possunt. Atqui nuper primas eius partes vidimus, & quæ ipsi hoc edendi occasio oblata fuerit. Sequitur nunc rei gestæ modus & ordo, cuius singulæ partes ad declarandam miraculi veritatem & Christi diuinam potentiam faciunt.

Hydriæ purificationis.

Et primò quidẽ vasa describuntur, in quibus aqua vinum facta est. Erant ibi (inquit Ioannes) lapideæ hydriæ sex, positæ secundum purificationem Iudæorũ, capientes singulæ amphoras binas aut ternas, &c. Quàm amplæ aut capaces fuerint annotatur, vt Christi liberalitas simul eluceat, qua istorum nuptias ornare voluit. Et aquaria vasa fuisse dicitur, nõ vinaria, ne quis aquam infusam ex vino, quod prius in illis fuerit, aut vini facibus, aliquem vini saporem contraxisse putaret. Ideò nõ contentus hydrias vel aquales dixisse, vsum quoq; illarũ exprimit, dum positas fuisse dicit secundùm purificationem Iudæorum, id est, vt purificationi seruirent, quam Iudæi in lotionibus solebant collocare. Erant illarũ varia genera. Aquas enim Deus per Mosem instituerat, quibus mundabantur, qui aliquid immundi tetigerant, inter quas primatum tenebat aqua lustralis, quæ ex cineribus vaccæ rufæ conficiebatur, & sanguinis Christi meritũ adumbrabat, qui nos ab omni iniquitate emundat, tam ea quam ex primis parentibus hæreditario quasi iure contraximus, quàm illa quæ ex quotidianis lapsibus & mundi huius cõmertio nobis aspergitur. Vide de his Num. 19. & Leuit. 15. At his non contenti Iudæi, nouos ablutionum et purificationum ritus ex suo cerebro finxerant, quos priuatim domi suæ exercebant: sicuti videre est Marci 7. cap. vbi sic scribitur: Pharisæi & omnes Iudæi, nisi crebrò lauerint manus, non edunt, tenentes traditionem maiorũ. Et à foro reuersi, nisi loti fuerint, non edunt: & alia multa sunt, quæ acceperunt tenenda, nempe lotiones poculorum, & sextariorum, & æramentorum, & lectorum, &c. Vtq; fieri consueuit, superstitio cum ambitione coniuncta fuit: qua factum est, vt in singulis propè ædibus vasa plura & ampla, adhæc materia & opere pretiosa prostarent, quibus purificandi studium indesinens testabantur. Ideò lapideæ dicuntur fuisse istæ hydriæ, ne quis vilioris materiæ vasa imaginetur. Peruasit ista superstitio in ecclesiam, quando ineptiquidam publicæ purificationis ergò aquam lustralem parauerunt sale conditam, qua templum ingressi prius purificentur. Et quia per hanc non modò pollutos purgari, verumetiam diabolos fugari & spectra arceri docuerunt, plerique illam domi in vasis æneis artificiosè factis asseruarunt, Eoque turpior est istorum superstitio, quòd aquam suam mortuorum

De consecrat. distinct. 3. cap. aquam sale.

sepulchris

sepulchris & tumbis lapideis inspergunt, vt quæ mortuorum delictis expiandis seruiat, & purgatorij ardores ipsis tolerabiliores reddat. Sed omissis ineptissimorum hominum superstitionibus, Christi bonitatem obseruemus, qui vasis istis bene vtitur, nec vult vt aliorum ineptiæ vel errores nouis coniugibus fraudi sint, qui ipsum animo syncero inuitauerant. Voluit præterea admonere, iam instare tempus, quo ritus & Cæremonias legis omnes aboleri oporteat, & veterem illam doctrinam, quæ tota typis & vmbris, visionibus item & prædictionibus obscurioribus cõstabat, in nouum & salutiferum illud euangelij vinum conuerti oporteat, de quo verè dicitur, quòd Deum simul & homines exhilaret. Nam & Dei iram placat, & hominũ mentes diris conscientiæ & peccati terro- Iud.9.
ribus liberat, vt læti Deum colant & inuocent, qui prius in illius conspectũ non audebant procedere. Idem cum oleo diuinæ gratiæ infusum vulneribus conscientiæ, quæ nobis vetus ille serpens fecit, illis salubriter medetur, & carnis prurientis illecebras compescit. Nostrum ergo fuerit, illud in vtres nouos condere, id est, excipere in animos synceros & regeneratos, vt gratiæ Dei instrumẽta faciamus, quæcunq; nobis olim errorum & superstitionum, vel etiam scelerum occasio & organa fuerunt. Frustra enim ab illis auditur euangelium, qui veteres traditiones & prioris vitæ consuetudinem cum illo commiscери posse arbitrantur: & euenit illis quod Christus ait, vt & ipsi malè pereant, & vinũ effundatur, dum propter illos euangelium impiorum calumnijs proscinditur.

Sed Christum videamus, qui hydrias simul omnes aqua implere iubet, quod cùm ministri fecis- Christus ex
sent, illam occulta suæ deitatis virtute in vinum conuertit. Atqui ex nihilo vinum creare poterat, aqua uinum
cùm olim per illum tota hæc mundi machina ex nihilo producta sit: vel curare ne vinum deficeret, facit.
vt olim, quando viduæ prospexit, quæ Eliam hospitio exceperat. 1. Reg. 17. Adhæc discipulis potius in hac re ministris vti debebat, cùm illos in eum finem elegisset, vt suorum miraculorũ testes & gratiæ suæ ministri essent. Sed hoc ad miraculi veritatem faciebat, & omnem doli vel fraudis suspicionem excludebat, cùm ministri, quibus cum nulla illi vnquam familiaritas intercesserat, rei testes fidelissimi esse possent. Adhæc se vini creatorem esse docet, & naturæ ordinem nobis in mentem reuocat, quo in vitibus quoq; vinum quotannis ex aqua generatur. Constat enim fruges telluris omnes cœlestium influentiarum beneficio prouenire, quibus illa humectatur, vt ijs producendis sufficiat. Illas verò Deus immittit, sicuti in Psalmo 105. scribitur: Qui rigat montes è cœnaculis suis, & de fructu operum eius saturatur terra. Producit fœnum pecori, & herbam ad vsum hominis, vt proferat panem de terra: Et vinum, quod exhilarat cor hominis, & oleum quod faciem splendere faciat, & panem qui fortificat cor. Facit huc, quòd si vites & ex illis manantẽ succum inspicias, nihil aliud quàm liquorem aqueum reperies. Quòd ergo ex iisdem vitibus palmites enascuntur, & ex his paulò post vuæ dulci musto graues dependent, non absq; miraculosa Dei operatione fit, cuius modum & rationem hominis mens inuestigare vel assequi non potest. At quia miraculũ hoc quotannis euenit, pauci illud obseruant atq; agnoscunt. Atqui multùm prodest in horum consyderatione frequenter versari: vt ex ea vini & frugum omniũ largitorem agnoscamus, & memori mente nos Dei hospites seu conuiuas esse cogitemus, quoties ad mensam accedimus. Ita enim fiet, vt illius donis vtamur cum gratiarum actione, qua cibi & potus sanctificantur, fugiamus autem intemperantiam, quæ vt Dei dona turpiter & magno cum scelere dissipat: ita maximorum quoq; scelerum causa est, quibus ira Dei prouocatur. Et vtinam ista expenderent, quos Deus ipsorum Venter ita exagitat, vt ex scripturis, imò ex hac ipsa historia ebrietatis & intemperantiæ suæ patrocinium quærant. Nam ideo nuptijs hisce vinum à Christo tam liberaliter donatum fuisse aiunt, vt largiori potu recreарẽtur, qui ex vini defectu tristitiam & mœrorem conceperant. Quasi verò non potius piorum coniugum inopiæ subuenire voluerit, à quibus inuitatus fuerat, & suæ virtutis manifestatione omnes ad fidẽ excitare, quæ omnium virtutũ mater est fœcundissima. Quòd si verò helluonibus istis adeò placẽt scripturæ loci, quibus immodicus vini vsus cõmendari, aut saltem excusari posse videtur: cur non eos potius obseruant, qui ebriosos damnant, & intemperantiã non sine atrocibus minis prohibent? Cur non Isaiam Isa.5.
audiunt clamantem: Væ his qui mane surgunt, vt sectentur siceram, &c? Item: Væ ijs, qui gigãtes
sunt ad hauriendum vinum, & viri strenui ad miscendum siceram. Cur non Habakuk prophetã ob Hab.2.
seruant, qui ait: Væ ei qui potum præbet socio suo, cõiungens feruorem tuum & inebrias, vt aspicias
turpitudinẽ eorum? Vel cur Christum negligunt, dicentem: Cauete ne corda vestra grauentur cra- Luc.21.

Ephes. 5. pula? Aut illud Apostoli: Ne inebriemini vino, in quo luxus est. Hæc (inquam) potius obseruẽt, & coniungant his exempla cùm vetera, tum recentia, quæ docent, ebrietatis studium multis regnis publicè, multis item priuatim exitio fuisse: & mox videbũt quàm fallantur suis illis rationibus, &c.

Deus frequenter iuuat per absurda. Cæterùm relictis porcis & canibus, miraculi modum propius intueamur, vt & fidei confirmationi & institutioni in quibusuis aduersis seruiat. Vinum creare volens, aquam afferre iubet, quo nihil absurdius videri poterat. At ex aqua illa vinum facit generosissimũ, vt postea architriclini verba testantur. Ita frequenter Deus, dum nobis opem ferre instituit, hanc viam ingreditur, vt per ea iuuet, quæ imprimis noxia & à votis nostris alienissima videntur. Sic Israelitas ex Ægypto liberaturus, duriori tyrãnide ipsos opprimi patitur. Sic Dauidem, cùm in regni solio euehere vellet, illum

1. Sam. 2. prius in exiliũ eijcit. Et huius generis multa passim occurrunt. Verè ergo de illo dicitur in scripturis: Dominus occidit, & viuificat: deijcit ad inferos, & reducit. Dominus pauperẽ facit, & locupletat: humiliat, & in altũ euehit. Sunt hæc probè obseruanda, ne aduersis offendamur, & illis oppressi de salute desperemus. Vt enim medici in grauioribus morbis acerbiora pharmaca propinant, & sæpe secando & vrendo medentur: Ita Deus plerunq; salutem nostram per ea iuuat, quæ in nostrã perniciem putantur esse instituta. Tunc ergo ministros hosce imitemur, qui aquam afferre iussi, mox obtemperant, etiamsi quid ageretur prorsus ignorarent. Est enim inexcusabilis illorum temeritas, qui Deo obmurmurare audent, & illius iudicia atq; facta ad suæ rationis calculũ reuocant: quos ita ferè vlciscitur ille, vt promissa bona ipsis eripiat.

Christus miracula sua innotescere vult. Sequitur vt miraculũ hoc, quod occulta & inuisibili Christi virtute factum fuerat, alijs innotuerit. Quia enim propter nos fiunt signa, eadem conspicua vult esse Deus, vt ex illis doctrinam & fidei confirmationem petamus. Ita cùm similiter arcana virtute quinq; panes inter discumbentium manus multiplicare vellet, prius inquirere & videre iubet, quot nam panes in tota ista hominum turba inueniantur, vt ex eo postea discipuli miraculosè hoc factum esse intelligant, & ipsius diuinam virtutem agnoscant. Quòd si ea consyderes quæ in curandis ægrotis fecit, illic quoq; miracula ab omnibus videri & agnosci potuerunt. Seruiunt hæc ijs cõfutandis, qui nobis hodie miracula obtrudũt, quæ nemo mortalium vnquam vidit aut sensit, & quæ nullis scripturis cõmendantur. Quales sunt, qui corpus Christi in pane contineri, aut panem in illud transubstantiari docent. At quis hominum hoc fieri vnquam vidit? Quis carnem & sanguinẽ gustu deprehendit? Nec enim fidem merentur Monachorum de Sacramento altaris fabulæ, quæ adeò putidæ sunt & ineptæ, vt cõfutatione haud quaquam opus habeant. Dicunt illi: At Christi verba sunt, Hoc est corpus meũ, &c. Audio. Num verò his verbis prolatis nos ex pane corpus eius facere, aut illud cœlo detractũ pani includere vel alligare iussit? Annon idem dixit: Si habueritis fidem vt granum sinapi, dicetis monti huic: Eradicare, & proijcere in mare? Quis verò sanctorum vnquam verbis istis abusus est, vt abs se montes transponi diceret, quos loco suo dimoueri nemo videbat? Sed hæc alterius sunt tractationis. Sufficiat nunc Dei morem obseruauisse, qui miracula sua à nobis cognosci & sentiri vult, cùm ignotorũ vsus sit nullus. Ideo Christus hoc quoq; diu latere noluit. Sed quam primùm aquam in vinum abijsse sciebat, ministris ait: Haurite nunc, & offerte architriclino. Non statim conuiuis apponi vult, quorum plerique fortasis ignorabant vinum defecisse: sed architriclino gustandum offerre iubet, qui de eius bonitate præ alijs iudicare poterat, & vinum omne iam exhaustum esse sciebat. Agnoscit hic illicò vinum esse generosissimũ, licet vnde illud ministri hausissent nescivet. Et offensus rei nouitate, quòd nimirùm in nuptijs hisce aliquid præter morem communem ageretur, vocato ad se sponso ait: Omnes primo loco bonum vinum apponunt, & cùm inebriati fuerint, id est, vbi bibendi satietas cæpit conuiuas (est enim locutio hæc familiaris scripturæ, etiam vbi de sanctis & honestis conuiuijs agitur, vt in Iosephi historia & multis alijs locis est videre) tunc id quod deterius est, tu seruasti bonum vinum vsq; adhuc. Quæ omnia ad miraculi commendationẽ faciunt, ne quis aliquid fraudulenter aut imperfectè nimis factum existimet. Pulchrè autem exprimit vetus hæc conuiuiorum consuetudo mundi & principis eius ingenium: qui primò illecebris vitiorum & inani turpissimarũ voluptatum oblectatione inescat & inebriat, postea verò inebriatis toxicũ miscet, dum aut incurabiles facit, aut in desperationem adducit, & ita in extremi exitij barathrum præcipitat. Specimẽ eius rei in primis parentibus edidit, quos vetiti fructus aspectu & dulci fragrãtia inebriatos à Deo abstraxit, & mox

ipſ

ipse iisdem suam nuditatem cum magna confusione ob oculos posuit. Et fiunt multa huius generis quotidie in scortatoribus & adulteris, in auaris, in ebriosis, in sanguinarijs militibus, in omnibus denique, qui illius illecebris locum dant, & affectus carnis in consilium admittunt. Nec in hisce modò crassioribus vitijs hoc fit, verum etiam in doctrina & salutis æternæ negotio. Nam hic quoq; humanas traditiones & quæ ex his enascuntur superstitiones mirificè ornat, & fucata verbi diuini ostentatione venditat, adeoq; aliquem huius saporē illis admiscet: tandem vero his inebriatos obruit, & æternæ damnationis luco immergit. Quò mihi respexisse videtur spiritus sanctus, quando falsam doctrinam vino inebrianti confert, & purpuratæ illi meretrici, magnæ matri fornicationum scyphum tribuit, quo reges & populos inebriet. Longè aliter Christus, qui etsi virtutis & veræ pietatis initia nobis dura & tristia proponat, finem tamen facit lætissimum, & quam ex illis cōcepimus molestiam dulcissima recreatione compensat. Possunt huc referri, quæ philosophi de virtutis & vitiorum via per literam Pythagoræ adumbrata tradiderunt.

Habet præterea historia hæc dulcissimam allegoriam, qua ecclesiæ conditio depingitur. Est hæc sponsa filij Dei, & in hoc etiam seculo nuptiale conuiuium celebrat, dum euangelij prædicatione & sacramentorum legitimo vsu fruitur, quæ Christum Iesum, verum illum panem & fontem aquæ viuentis nobis proponunt. Interim, quia periculis & casibus aduersis perpetuò exercetur, & frequenter satan obrepens contentionis pomum injicit, videtur interdum Christus illius curam deposuisse, quando clamantis ecclesiæ preces quasi surdis auribus præterit, vel etiā castigatione excipit duriori. Attamen illam exaudit tandem, & afflictam vel ex omni tribulatione asserit, vel consolationibus amicis & efficacissimis subleuat. Sequetur tandem lætus ille dies redemptionis, quando per aerem illi obuiàm abripiemur in domum patris, vbi ad ipsius Christi mensam beatæ immortalitatis nectare & ambrosia æternæ felicitatis saturabimur. Allegoria ecclesiæ.

Porrò concludit historiam hanc Ioannes hisce verbis: Hoc principium signorum fecit Iesus in Cana Galilææ, vt manifestaret gloriam suam, & crediderunt in illum discipuli eius. Principium signorum dicit signum primum, quo sese mundo manifestauit. Quia enim hactenus latuerat, neq; docendi munus adhuc susceperat, signis quoq; nullis opus fuit. Docuit quidem in templo, cùm puer esset annorum duodecim: sed hoc præludium modò fuit functionis suæ & indolis specimen, quo nonnullos in sui admirationē pertraxit. Mendacij ergo & falsi conuincuntur hoc Ioannis dicto, qui libros de Christi pueritia & miraculis à puero editis cōscripserunt, quales sunt, qui Bonauenturæ nomine circunferuntur, & alij horum similes. Voluit autem falsis signis hominum mentes imbuere satan, vt circa illa occupati ea minus obseruent quæ in scripturis sacris extant, & solidam Christi cognitionē tradunt. Duo autem simul attingit euangelista, quæ obseruasse prodest. Primò miraculi huius finem indicat, quando ideo factum dicit, vt Christi gloria per illud manifestaretur. Est hic præcipuus omnium operum Dei finis, qui per illa nobis vult innotescere, & fidem facere ijs, quæ verbo suo traduntur. Falsa ergo miracula sunt, quæcunq; gloriā Christi obscurant, aut illam in creaturas transferunt: qualia sunt quæ in Papatu de ijs, quæ ad Diuorū sepulchra, ossa, vestes & alia eius generis facta sunt, prædicantur. Scimus equidē olim ad martyrū tumbas signa facta fuisse, & apud Christi sepulchrum dæmones rugijsse (vt Hieronymus scribit) sed his Deus doctrinam euangelij obsignare voluit, quæ solum Christum satanæ victorem esse docet. Quòd si his ad stabiliendam superstitionem abutamur, falsa fiunt, si non per se, certè per accidens (vt dialectici loquuntur) & nostra culpa. Frustra ergo nobis signa eiusmodi objiciunt aduersarij, cùm non vlla alia agnoscamus, quàm quæ Christi Iesu gloriam illustrant. Secundò vsum huius miraculi indicat, quando discipulos in illum credidisse dicit. Atqui iam ante crediderint oportet, siquidem discipuli eius fuerunt. Sed de fidei profectu & confirmatione loquitur, qua electi semper opus habent. Et hunc quidem omnium aliorum vsum esse Ioannes infra cap. 20. docebit, dicens: Multa quidem & alia signa fecit Iesus coram discipulis suis, quæ non sunt scripta in libro hoc: hæc autē scripta sunt, vt credatis, &c. Vbi simul admonemur, meritò iam cessasse miracula, cùm fidei doctrina iam dudum abundè confirmata sit, & nefas est eos signa requirere, qui Christo toti cōsecrati videri volunt. At simul hic obseruanda venit Iesu Christi indulgentia planè paterna, qui in discipulorum numero hactenus eos habere dignatus fuit, quorum fidem eiusmodi signo confirmari oportuit. Quales enim eos tunc fuisse putas, qui post signa innumera Miraculi finis & vsus.

& diuturnam Christi institutionẽ multa tam absurdè fecerunt atq; dixerunt? Sunt ergo nimis temerarij, qui hodie quosuis damnant, in quibus aliquam imperfectionem deprehendunt. Curandum tamen fuerit, ne nobisipsis in infirmitate nostra blandiamur, sed quotidie in melius proficiendo adolescamus in virum perfectum in Christo Iesu: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.

HOMILIA XIIII.

Postea descendit in Capernaũ ipse, & mater eius, & fratres eius, & discipuli eius, & manserunt illic non multos dies. Et prope erat pascha Iudæorum, & ascendit Iesus Ieroſolymã. Et inuenit in templo eos, qui uendebant boues & oues & colũbas, & numularios sedentes. Factoq; ex funiculis flagello, omnes eiecit è templo & oues & boues, & numularíorum numulos effudit, mensasq; subuertit. Et ijs qui columbas uendebant, dixit: Tollite ista hinc, ne facite domum patris mei domum negotiationis.

QVoniam Dei filius in mundum venit, vt vera sui cognitione (sicuti Isaias ait) iustificaret credentes, noluit diu ignotus latere, sed mox vt baptizatus & publico patris testimonio inauguratus fuit, doctrina simul & miraculis sese hominibus manifestare cœpit. Et primò discipulos aliquot sibi delegit, quos priuatim institueret, vt salutis prædicatio per illos latius vulgaretur. Deinde signũ in Cana Galilææ edidit, quo aquam in vinum conuertit, vt ex eo diuinam eius maiestatem atq; virtutem agnoscerent, qui hucusq; nihil in ipso maius homine agnouerant. Sequitur deinceps vt publicè officio suo fungi cœperit: & primò quidem narratur quid in Galilæa fecerit: mox verò quid Hieroſolymæ ab ipso sit gestum.

Iesus secedit Capernaum.

Quoad primum, paucis complectitur Ioannes, quæ alij copiosius exposuerunt. Vnum enim hoc dicit, quòd post miraculum in Cana Galilææ editum, vnà cum matre & fratribus & discipulis suis descenderit Capernaum. Hebraica autem phrasi fratres Christi dicuntur, qui eius cognati erant, quoad lineam maternam. Neq; putandum est, quòd alios filios, præter Christum, Maria pepererit. Voluit enim ex Virgine homo nasci Dei filius, vt sanctum & perfectum pro peccatis nostris sacrificium esse posset. Et Maria mater quidem esse potuit, mulier autẽ esse non potuit, vt Augustini verbis vtamur, qui simul multis docet, Christi fratres dici non alia ratione, quàm qua Abraham & Lothus, Laban item & Iacobus fratres dicuntur. Cæterùm priusquam Capernaum veniret Christus, in multis Galilææ ciuitatibus docuit & à suis conciuibus Nazarethanis ignominiosè repulsus fuit, sicuti Matthæus & Lucas scribunt. Et cùm eodem tempore Herodes Ioannem in carcerem coniecisset, Christus cum matre & cognatis Capernaum concesſit, & illic domicilium sibi, vel potius matri Virgini (vt Theophylactus annotat) constituit. Matthæus certè eum illic habitauisse dicit, & Capernaum ciuitatem eius vocat. Et verisimile est, paulò antea è viuis excessisse Iosephũ, & proinde opus fuisse, vt Mariæ de hospitio commodiori & magis tuto prospiceretur. Atqui vt vt ista habeant, constat Christum ciuitatem illam delegisse, non vt suo otio, sed aliorũ potius saluti cõsuleret. Nec enim illic moram traxit diuturniorem, sed mox ad prædicandi munus reuersus, Petrum & Andream, qui iam ante (vt vidimus) ipsi nomen dederant, Ioannem item & Iacobum, Zebedæi filios, vocauit, vt relictis rebus omnibus ipsius discipuli & comites indiuulsi fierent. Deniq; totum illum tractum doctrina & miraculis suis illustrauit. Ergo non perfunctoriè & quasi aliud agens, sed magno studio ijs hominibus prædicauit, quos præ alijs doctrina & consolatione opus habuisse nuper diximus.

Cur Christus Capernaum præ alijs delegerit?

At hic imprimis obseruandũ fuerit, quòd Capernai potius, quàm alibi sedem sibi delegit, vnde ad prædicandum exiret, & quò se quasi ad suos reciperet. Fuit hæc ciuitatum totius Galilææ celeberrima ob loci commoditatem, eò quòd ad ostia Iordanis lacum Genezareth ingredientis sita esset. At cùm Christus neq; negotiationẽ exercuerit, neq; huius vitæ delitias quæsierit, non aliam ob cau-

sam in

sam in ea vrbe hospitium sibi constituisse dici potest, quàm vt doctrinæ & miraculorũ eius fama ob loci celebritatem citius & latius vulgaretur. Vt enim obscuriores locos non cõtempsit vnquã, sicuti nuper monuimus: ita occasionem semper captauit, qua quàm plurimos in sui cognitionem & ad salutis cõmercium adduceret. Et Capernaum ipsius prædicatione & factis nobilitatum fuisse, ipse testatur, quando in cœlos vsq; exaltatum esse dicit. Quoties ergo hodie etiam nobiliores ciuitates euãgelij sui luce Deus dignatur, meminerint illæ, hoc non ipsorũ meritis aut splendori tribui: sed vt maior sit huius doctrinæ ad plures alios propagandæ occasio. Curent itaq; ne sua ingratitudine vel contumacia Dei consilium, quantum in ipsis est, impediant. Quàm grauiter enim talibus ille irascatur, idem Christus docet, quãdo ad inferos vsq; detrahendũ dicit Capernaũ, quod paulò ante ad cœlos ipse euexerat. Et Iosephus author est, totam illam regionem Romanorum armis crudeliter vastatã fuisse, qui horribiles in ea strages fecerunt, priusquam Ierosolymorum vrbem obsiderent: vt inde nimirum gentis Iudæorum excidium inciperet, vbi primùm salutis doctrinã Dei filius frustra prædicauerat. Confutantur itaq; hoc exemplo primùm pseudoeuangelici, qui sibi impunitatem scelerum ex eo pollicentur, quòd euangelij prædicationi locum dent, neq; vident interea quàm turpiter illa ipsorũ flagitiosa licentia prophanetur: Deinde Romanenses quoq; qui primatum in ecclesia ad se pertinere clamant, eò quòd Romæ Petrus prædicarit, & ipsi ordinaria successione cathedram illius obtineant. Num verò Petrus Christo præferri debet, qui cùm Capernai hospitium habuerit ordinarium, nunquam tamen præcepit, vt ea ciuitas ecclesiæ suæ caput diceretur? Et ex historijs constat, Apostolos multis vrbibus prædicauisse, & in illis ecclesias constituisse celeberrimas: quæ tamẽ propter posterorum impietatem vastatæ & funditus excisæ sunt. Ergo salutis & dignitatis Christianæ cardo nequaquã in eo versatur, vt quis olim hic aut illic primus docuerit, aut quales nostri fuerint maiores plenis buccis prædicemus, sed vt nostram fidem pia gratitudine & morum atq; totius vitæ innocentia testemur.

Primus Christi aduentus in vrbem Ierosol.

Cæterùm vbi Galilæam omnem euangelij prædicatione Christus illustrauit, Ierosolymã ascendit, quæ totius gentis caput erat, & vbi cultus sui sedem iam inde ab antiquo cõstituerat Deus. Illic verò opus facit, quo nullum fieri poterat excellẽtius, quodq; magis seruiret ad declarãdam Messiæ maiestatem & suæ diuinitatis potentiam. Nam qui hactenus vitã priuatã egerat & ne nunc quidem, quoad homines, publica authoritate erat instructus, templũ ingreditur, & inde eijcit quicquid in illud contra primam Dei institutionẽ inuexerant auari sacerdotes, quorum authoritas tunc temporis Romanorum præsidum armis atq; potentia defendebatur. Ideo in huius facti descriptione diligens admodum est Ioannes, vt planè diuersum videas ab eo, quod alij euangelistæ in vltima profectione illum paucis ante mortem suam diebus fecisse scribunt. Quod enim hic narratur, in primo eius in vrbem aduentu factum esse, totus historiæ huius contextus docet, quam in profectiones Christi Ierosolymitanas diuidi, primo Sermone diximus.

Christus ascendit ad pascha.

Primò tempus notatur: Et propè erat pascha Iudæorum, & ascendit Iesus Ierosolymam. Connectunt hæc quidam non malè cum præcedentibus, vt causæ redditio sit, cur paucis modò diebus Capernai manserit Iesus: nimirum quòd pascha instaret, quod Ierosolymæ peragere cõstituerat. Eò igitur ascendit duas ob causas. Prima est, vt in populi vndiq; ad diem festum confluentis frequentia maiorem habeat sese manifestandi occasionẽ: quod illum diligenter obseruauisse modò diximus. Altera, quòd ita in Lege cõstituisset Deus, vt ter in anno omnes mares cõparerent coram Domino, in loco quẽ ipse elegisset: nempe in festo Azymorũ, in festo hebdomadũ seu Pẽtecostes, & in festo Tabernaculorum. Quia ergo in mundũ venerat Dei filius, vt Legẽ implendo nos ab eius maledicto liberaret, ea quoq; diligenter obseruare solitus fuit, quæ ad externam illam Legis disciplinam & cultum mysticum, paulò post per mortem suam abolendum, faciebant. Quoties ergo illum postea ad dies festos venisse audiemus, hoc illum propter nos fecisse cogitabimus, & in illo quæramus ea, quæ cæremonijs illis adumbrabantur. Interea suo exemplo externa pietatis exercitia nobis commendat, & eos confutat, qui illa negligunt atq; contemnunt. Fit istud hodie non modò ab ijs, qui se palam ad omnem impietatem deuouerunt, verumetiã à nonnullis, qui præ alijs religiosi & fideles esse videntur. Clamãt enim frustra prædicari verbum, nisi Deus corda illuminet, & externis ritibus Deum, qui spiritus est, coli non posse: adhæc salutis rationem omnẽ à gratuita Dei electione pendere, in nobis verò nihil esse quo

Deut. 16.

iustificemur aut saluemur, præter fidē, quæ nos Christo inserit, vt in illo iustitiæ & salutis consortes reddamur. Et bene quidem hæc omnia dicunt: sed malè ex his colligunt, quòd inutiles sint sacri cœtus, quòd ex verbi prædicatione nihil ad nos vtilitatis redeat, quòd nullus sit in salutis causa sacramentorū vsus: & hisce rationibus, vel paralogismis potius seducti omnia rident & fastidiunt, quæ propter nos Deus instituit. Etsi enim salus nostra externis hisce exercitijs minimè alligata sit, illis tamen vtitur Deus ceu fulcris, quibus nostræ infirmitati subueniat: & cùm in his eluceant diuinæ bonitatis argumenta, eademq; promissiones Dei nobis obsignent, & nos officij nostri tū erga Deum, tum erga proximum admoneant: non possunt non singularem ex illis voluptatem capere, quicunque vero pietatis studio tanguntur. Quæ autem obsecro confidentia est (ne quid grauius dicam) ea contemnere, quæ à Dei filio obseruata fuisse legimus? qui cùm illis minimè indigeret, propter nos tamen circuncidi, baptizari, festa peragere, epulo paschali frui, & Cœnam mysticam cum discipulis sumere voluit. Nostræ ergo conditionis memores, cum fide modestiam coniungamus, vt quamuis in vnius Dei gratiam & Christi meritū intenti simus, interim tamen piè vtamur ijs, quæ ab ipso Christo nobis sunt commendata.

Christus in templum diuertit.

Deinde quò Christus diuerterit, indicatur. Non quidem in Antoniam, quam Herodes pro templi defensione munitiorē factam mutato veteri nomine, ab Antonio, amico & patrono suo ita vocauit. Non item in prætoriū, neq; in summi sacerdotis domum diuertit Christus, sed in templum, quod patrus sui domum postea dicit: & hoc statim argumento docet, se Dei filium esse, & templi curā atq; gubernationem iure ad se pertinere. Et hoc quidem ex Messiæ officio facit, sicuti olim Malachias prædixerat. Is enim cùm hypocritæ promissiones Dei omnes, & cum his Messiæ quoq; aduentum in dubium vocarent, illum omnino venturum dicit, at non qualem ipsi expectent, qui scilicet ipsis otij & pacis huius seculi author sit: sed seuerum vindicem & assertorem gloriæ Dei, qui cultum quoque tam internum quàm externū assertus sit, & è templo eiecturus sit, quæcunq; cum veteri institutione pugnent. Sic enim ait: Ecce ego mitto legatum meum (Ioannem nimirùm Baptistam) qui purgabit viam, ante me, subitoq; ad templum suum veniet DOMINVS, quem vos quæritis, & legatus fœderis, quem vos desyderatis. Et mox subijcit: Sedebit excoquens & repurgans argentum: & filios Leui emundabit, &c. Quæ verba euidenter docent, Messiam templi & ordinis Leuitici reformatorem fore, simulq; corruptum religionis & totius sacerdotij statum innuit, quem ille sit inuenturus. Nihil ergo hic temere aut cōfidenter fecit Dominus, sed quod eum facturū esse spiritus sanctus olim prædixerat. At quia hoc agendo sacerdotis & regis personam sustinuit, admonentur illius exemplo antistites & magistratus omnes, vt cultus diuini curam ad se pertinere cogitent, & de illō cùm corrigendo tum propagando sint soliciti. At ea est nostri seculi infelicitas, vt principes quidem religionis causam, quasi nihil ad se pertinentem reijciant, & eo nomine pietatis laudem vanentur: episcopi verò negotijs huius seculi impediti, templorū curam hominibus partim superstitiosis, partim improbis, aut saltem ineptissimis committant. Perit itaq; religio, & pessimorum hominum quæstui atq; libidini seruiunt, quæ publicæ omnium saluti inseruire debebant.

Malac. 3.

Christus eijcit nundinatores è templo.

Videamus autem quid hic fecerit Christus, vt quid hodie fieri debeat intelligamus. Inuenit in templo eos, qui vendebant boues & oues & columbas, & numularios sedentes. Factoq; ex funiculis flagello, omnes eiecit è templo vnà cum suis pecudibus, & numulariorum numulos effudit, mensasq; subuertit, &c. Paucis euangelista horribilem sacrorum omnium apud Iudæos prophanationem, & Christi Iesu incomparabilem potentiam & humana maiorem virtutem comprehendit. Quòd si verò hoc eius factum ad nostræ rationis calculum reuoces, non modò temerarium, sed iniustum, adhæc turbulentum & seditiosum videbitur. Quid enim audacius fieri poterat, quàm vnum & solum plures simul inuadere absq; authoritate publica, & non verbis modò acerbioribus, verumetiam verberibus vt seruos mulctare, imò flagellis canū instar expellere, idq; in loco sacro & festo celeberrimo, inq; maxima hominum omnis loci & ordinis frequentia? Deinde iniustum est pecuniam alienam attingere vel effundere. Præterea ab homine priuato nihil in ecclesia & repub. absq; seditionis suspicione mutari vel innouari potest. At obseruabimus è contra, nihil hic sine numine factū esse, sed spiritu duce, qui zelum hunc in Christi animo accenderat. Deinde illum nō inter priuatos homines esse numerandum. Nam etsi neq; à Romano Imperatore aliquid potestatis in repub. neq; à sacerdotibus in ecclesia

aliquem

aliquem locum accepisset, Deus tamen ipsum vnxerat præ consortibus suis, vt Rex esset in Zion monte sancto & sacerdos: summus secundùm ordinẽ Melchizedech. Debuit igitur suo fungi officio. At hoc Messiæ regis & sacerdotis officium fuisse, paulò ante ex Malachiæ oraculo didicimus. Cui addere licet, quòd Zacharias Chananæis, id est, negotiatoribus & mercatoribus nullum in templo Domini locũ fore prædixit. Nihil ergo temere, nihil imprudenter, nihil iniustè, nihil seditiosè fecit Christus, sed ex officio hoc fecit, nec peccare potuit, qui æquam quiduis agendi potestatem à Deo patre acceperat. Sed & seditio nulla erat illi timenda, qui ipsas hominum mentes manu sua tenet, & illis pro suo arbitrio imperat. Et sanè inter miracula, quæ Christi Deitatẽ asserunt, hoc mihi vnum ex præcipuis videtur, quòd hæc faciens omnium mentes ita continuit, vt nemo contra ipsum manus mouere ausus fuerit in gente seditiosissima (qualem Iudæorum fuisse scimus) cùm hæc iniuria ad omnes simul sacerdotes, seniores, populum, summos deniq; & infimos redundaret. Debet igitur huius exempli consyderatio nos consolari, ne mundi huius minis aut ab hoc impendentibus periculis terreamur, si quid ex Christi mandato faciendum est. Regnat enim ille etiam hodie, & hostium vel mentes mutare, vel manus cohibere poterit, si ita ipsi videatur. Psal. 45, 2, & 110.

Cæterum vt & historiam hanc rectius intelligamus, & eadẽ nostræ institutioni melius seruiat, penitius videre oportet, quæ ista templi prophanatio fuerit, in qua tollenda Dei filius tanto zelo vsus est. Vbi ante omnia tenere oportet, templum (vt alibi monuimus) à Deo fuisse institutum, vt ad illud Israelitæ omnes, ceu ad cõmunem totius gentis parochiam conuenirent, nec ad alienas superstitiones & sectas diuersas dilaberentur. Illic verò præter legis doctrinã sacrificia tam publica quàm priuata peragebantur, quæ cùm Christi typos haberent, nusquam alibi offerre licebat. Quia verò incõmodũ erat ex remotissimis Iudææ finibus victimas Ierosolymã adducere, permiserat Deus, vt ibi emerentur quæ ad sacrificandũ pertinebant. Hinc verò occasione sumpta sacerdotes quæstũ nouũ instituerant. Nam in ipso templi atrio vendebant boues, oues, hædos, columbas, omnia deniq; quæ sacrificaturis erant necessaria. Neue monetæ diuersitas peregrinis ea in re impedimento esset, numularij quoq; accesserunt, qui peregrinorũ pecunias cum lucro cõmutarent. Erat ergo hic pius prætextus, & ad Dei gloriã hæc instituta esse videbantur. At quia Dei instituto nõ respondebant, et sacerdotũ auaritiæ seruiebãt, qui ipsum quoq; sacerdotiũ sibi quæstũ fecerãt, ideo tã acriter aduersus illos excãdescit Christus, & flagellis eijciendos esse censet. In ipsa tamen actione moderationẽ adhibet, et facti sui rationẽ reddit, quando columbas vendentibus dicit: Tollite ista hinc, ne facite domũ patris mei domũ negotiationis. Patris sui domũ vocat templum, quia is hoc suo cultui consecratũ esse voluit: et simul ostẽdit se non in alieno tã imperiosum esse, quia sui officij sit patri suũ ius asserere. Negotiationem verò, quæ priuato hominũ quæstui seruiebat, cultui diuino opponit, cũ quo illa nihil cõmune habet, & ideo è loco huic sacro eam auferendã esse iubet, adeoq; illud Zachariæ ipsis in mentẽ reuocat, quod supra adduximus: Non erit illo die vltra Chananæus in domo Domini exercituũ. Et credibile est, hoc ipsum à Christo fusius expositum fuisse, quando constat Euangelistas non integras Christi conciones, sed illarum summam & præcipua argumenta descripsisse. Tẽpli prophanatio qualis fuerit?

At quia hæc perpetua est Christi Iesu regula, Dei domũ non debere in domum negotiationis conuerti, neq; locũ dandum esse in ecclesia negotiatoribus, hoc eius factũ in exemplũ trahi debet, vt ex eo discamus, quomodo ecclesiæ reformatio hodie instituì debeat. Hac enim omnino opus esse omnes cordati fatentur, et quãuis nemo fateretur, res ipsa clamitat. Postquàm enim in ecclesia omnẽ potestatẽ sibi vendicarunt homines auari & ambitiosi, tota religio quæstus factus est, & templa emporiorum loco esse cœperunt. Nam vt ab ipso sacerdotio incipiamus, quod illi absq; scripturarum authoritate in Leuitici ordinis per Christum aboliti locũ substituerunt: nemo ad illud admittitur, nisi qui rasus aut vnctus fuerit. At nisi pecunia detur, nec radi nec vngi poteris, nec etiãsi hoc assequaris, sine pretio ad pinguioris alicuius cõditionis administrationẽ admitteris. Vbi palàm impletur, quod in Apocalypsi legimus, neminẽ in Antichristi regno habere ius emendi aut vendẽdi, nisi qui bestiæ characterem acceperit. At hoc accepto, Deus bone, quanta cum impudentia quæstum faciunt? & quid non in suam illam negotiationem trahunt? Ex ijs certè, quæ non ipsorum iuris sunt, & quæ non habent, lucrum captant vberrimum: ex terra nimirum, dum funera pro pretij numerati ratione vel hoc vel illo loco sepeliunt: ex aqua, quam illi suis exorcismis cõsecrarunt: ex aere, quando nolarum sonitum De reformatione ecclesiæ. Deut. 14.

diuendunt: ex igne, dum sua incensa, vel fumos potius, viuis & mortuis obtrudunt: ex ciborum discrimine, dum illorum esum, nisi pecunia accepta, non concedunt. Idem circa sacramentorum vsum fieri videmus, quorũ numerus ab illis auctus est, vt quæstus esset vberior. Imò in cœlum vsq; suam negotiationem extenderunt, cùm peccatorum remissionem, Dei gratiam & spiritus sancti dona pretio vendunt, & ipsum Christum (si illorũ figmentis credimus) è cœlo detractũ pro viuorum & mortuorum delictis denuo sacrificant. Si ergo D. Augustino teste, boues vendunt, qui ex ministerio ecclesiastico (quod per boues triturantes in scripturis adumbratur) quæstũ & honorem priuatum captant: si columbas vendunt, qui spiritus sancti, in columbæ specie super Christũ delapsi, donis negotiantur: si oues vendunt, qui vt suo quæstui cõsulant, miseros homines per superstitionũ ambages ad inferos deducunt & satanæ mancipia faciunt: quis neget, hodie etiam in ecclesia boues, columbas & oues venales exponi? Et tamen ista aliquo modo ferri poterant, si emere volentibus duntaxat suas merces offerrent, & illorũ tyrannidẽ aliquando vel per mortẽ effugere liceret. At hæc inuitis quoq; obtrudunt, & nisi ab illis emas, mox hæreticus dicêris, & fortunarum omniũ simul & vitæ periculum incurres. Adhæc morituris iam maximè insidiantur, et quos prædicatione gratiæ Dei per Christum partæ consolari debebant, eos purgatorij ignis cõminationibus terrent, & eo prætextu hæreditates intercipiunt, & iam olim terras, arces, oppida, imò integra regna hisce artibus in suam potestatem redegerunt. At quid opus est his recensendis immorari? cùm stellas citius, quàm horũ imposturas numeraueris, & omnibus notũ sit neminem sub his vel nasci, vel baptizari, vel ad Christi mensam accedere, vel nubere, vel labore suo partis bonis frui posse, nisi pecuniã in promptu habeat: quin per illos ne mori quidẽ gratis licebit, nisi hæreticus, impius, apostata audire velis. Hæc itaq; è medio tolli oportet, cùm primæ institutioni aduersentur & Dei cultũ prophanent, & populũ à vera salutis ratione abstrahant. Neq; audiendi sunt, qui ecclesiæ reformationi ferè hisce argumentis sese opponunt, quòd nemo ad fidẽ cogi debeat, cùm ea Dei donum sit, & quòd prius ex animis eijciendæ sint superstitiones si externa hæc cum aliquo fructu velimus abolere. Sciebat enim Christus fidẽ Dei donum esse, & ideò infra dicet: Nemo venit ad me, nisi pater meus traxerit eum. Et idem de animorũ purgatione diligenter vbiq; disserit. Nihilominus tamẽ prophanũ illũ sacrorũ omniũ et templi abusum illico tollit, et quid omnibus seculis fieri debeat, suo exẽplo docet. Nã etsi fidẽ nemo largiri possit, externa tamẽ impietas prohiberi potest, et vt hoc faciamus leges diuinæ iubẽt. Et vt animi à superstitionibus liberẽtur, multũ refert vt externa illa fulcra auferas, quibus illæ stabiliũtur. Imò vt agricolæ sentes et spinas excindũt priusquã sementem faciant, ita tolli oportet quæcunque cum vera religione pugnant, si huius semina cum aliquo fructu spargere velis.

Per quos reformatio ecclesiæ debeat fieri?

At ne quid hìc temere & cũ scandalo fiat, curandũ fuerit, vt reformatio per eos fiat, quorũ hoc est officiũ, & vt ijdem regulas à Deo præscriptas obseruent. In vtroq; nos Christi exemplũ instituit. Primò enim (vti diximus supra) opus hoc nõ vt homo priuatus, sed vt Rex & Sacerdos à Deo constitutus peregit. Regũ ergo & antistitũ est, ecclesiæ reformationẽ instituere. Quia enim illi dignitatẽ suã omnẽ à Deo acceperunt, & officij sui finẽ habent salutẽ publicã, prima illis de religione cura esse debet, sine qua neq; Deo suus honor saluus esse potest, neq; publica salus consistere. Illos autẽ vrgere debẽt verbi ministri, et ex scripturis docere, quid tolli, quidue substitui oporteat. Neq; illorũ rationibus eos moueri oportet, qui nihil hìc nisi ex cõmuni totius orbis Christiani consensu, aut publica generalis Concilij authoritate agendũ esse existimant. Nam etsi maximè optandũ sit, vt omnes reges & principes curam hanc cõmuni studio simul suscipiant. quia tamen hoc ne sperari quidẽ potest, et Pontificũ potentia maior est, quàm vt ad ista consilia facilè adduci possint: non est, quòd alios expectent, qui veritatis luce semel illustrati sunt, quin potius aliis cessantibus, eorũ saluti prospectũ curẽt, quos ipsorum fidei Deus concredidit. Fecerunt hoc olim sanctissimi reges et principes veteris testamenti, quorũ exempla Christiani Imperatores secuti sunt, qui Episcopos non rarò coegerunt officiũ facere, cùm illos aut segniores, aut etiã maliciores esse viderent, quorum exempla alibi cẽmemoratimus.

Regula reformationis.

Deinde Dei patris authoritatem allegat Christus, quando hanc eius domum esse ait, & alibi ex scripturis docet, eam orationis domum esse, et proinde nõ debere rebus prophanis seruire. Atqui ecclesiam domũ Dei esse docet Apostolus, in qua verè habentur ea, quorũ typi et figuræ in veteri templo extabãt. Ergo in hac vnius Dei uox audiri debet, et ex eius verbo petenda est reformationis regula.

Rursus

Rursus ergo nobis frustra totius orbis consensum aut Conciliũ generale obijciunt. Quid enim hîc homines faciant, vbi solus Deus auditur, cui omnes subijci debent? Extat verò eius verbum in scripturis, quæ eius voluntatẽ ita nobis declarant, vt eam nulla hominum authoritate stabiliri aut confirmari opus sit. Hoc potius curandum, vt iuxta illius præscriptum reformationes ita instituantur, vt primò quidem nihil relinquatur, quod cum illa pugnat: deinde verò in eorum locum surrogentur quæ ille præcipit atq; iubet. Et in priori quidem parte magno studio & zelo opus est, ne vel boni speciẽ, vel cõmoditate, aut etiã nostri animi sancta intentione nobis imponi patiamur. Poterant enim istis rationibus excusari quæ in templo Ierosolymitano fiebant: sed tollit illa Christus, cùm Dei cultus illis polluueretur. Poterat olim eodem prætextu defendi serpens æneus, sed illum confringit Ezechias, cùm Iudæi illo ad idololatriã abuterentur. Quia tamen hîc multi pedem fistunt, quasi sufficiat abusus sustulisse, nõ minor cura in altera quoq; parte adhiberi debet, vt doctrinæ puritas, legitimus sacramentorum vsus, morum disciplina & quæcunq; alia Deus præcipit, reducantur. Possent hæc multis tractari, sed breuitatis studio omittimus, quæ alibi prolixius sunt dicta.

Pœna eorum qui reformationẽ nolunt admittere.

Restat, vt Iudæorum exemplo discamus, quid eos maneat, qui Christũ ecclesiæ reformatorẽ ferre nolunt. Nunc enim mitius cum illis agit, & ne verbis quidẽ durioribus eos lacessit, sed contentus eiecisse prophanam sacrorum nundinationem, amicè illos officij admonet. At cùm illi eam paulò post reducerent, & ipsius doctrinæ pertinaciter reluctarentur, maiori ipse etiam seueritate vtitur, & horrendi sceleris eos accusat, quòd domum Dei speluncam latronũ fecerint. Et cùm nec ea ratione quic quam proficeret, & illi superstitiones suas quæstuosas mordicus retinerẽt, reformatores alios excitauit, Romanos nimirum, qui Vespasiano & Tito ducibus vrbẽ vnà cum templo funditus euerterũt, & tota Iudæorum gente per totũ orbem dispersa, simul omnem vrbis recuperandæ & templi reædificandi occasionem abstulit. Ex his cordati colligere possunt, quid nostro seculo sperandũ sit. Vsus est iam annis aliquot Christus flagello verbi, & per hoc idololatriã et superstitiones multis ex locis expulit, & idem passim facere studet. At quàm parũ proficiat, res ipsa loquitur. Alij enim ipsi sese hostiliter opponunt, alij superstitiones hoc vno nomine retinent, vt apud mundum aliquam gratiã ineant: multi etiam iam liberati ad vomitum redeunt, vel ignauia sua Veritatem turpiter produnt. Deniq; cùm idolomania, quæ inter Christiani nominis professores exercetur, Turcis & Iudæis scandalo sit, solis tamẽ illis res leuicula & tolerabilis, vel etiã laude digna videtur. Erunt ergo aliunde adducendi reformatores, qui hanc tollant, neq; id difficile erit Deo, qui cordibus hominũ imperat: et quò vsq; iam progressi sint Turcæ, quibus quasi flagello iam multis annis vsus est, omnes vident: vlterius fortasse progressuri, nisi per Dei verbũ sese reformari patiantur, qui se illi hactenus opposuerunt. Oremus ergo Deum, vt hominum mentes ipse emolliat, & ecclesiã à sordibus repurgatam seruet in eum vsq; diem, quo Iesus Christus illam ab omni corruptione liberatam in regnum suũ cœleste transferet. Ipsi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

HOMILIA XV.

Recordati sunt autem discipuli eius quòd scriptum esset: Zelus domus tuæ deuorauit me. Responderũt ergo Iudæi, & dixerũt ei: Quod signũ ostendis nobis, cur ista facias? Respondit Iesus, & dixit eis: Soluite templum hoc, & in tribus diebus erigam illud.

Deus filium suum vnigenitũ ideò ex muliere hominem fieri voluit, vt veteris serpentis caput contereret, nosq; ex eius tyrannide liberaret. Præcipuũ ergo illius iam incarnati officiũ fuit, diaboli opera destruere, quibus ille hominum saluti insidiari consueuit. Inter hæc verò primas tenent falsi cultus, quibus fit, vt homines aut superstitionibus inebriati veram salutis rationem negligant, aut antistitum auaritia & ambitione atq; corruptis moribus offensi, omnem religionis sensum paulatim exuant, & à Dei cultu omnino abalienentur. Rectè ergo ab externi cultus reformatione Christus suã functionẽ exorsus est: & quia illum sacerdotes Iudæorũ traditionibus partim superstitiosis partim quæstuosis totum corruperant, ab initio statim eum iuxta Legis diuinæ regulã restituere sa-

tagit, & sicuti illum facturum esse prædixerat Malachias, templum ingressus, ex eo eijcit omnes, qui sub religionis prætextu quæstum priuatim exercebant. Est hoc proprium illius opus, quo postea etiam se regem & sacerdotē totius ecclesiæ declarauit, quando per orbē totum tam Iudaicas quàm gentilitias superstitiones euertit: & quo adhuc hodie suam potentiam exerit, dum per euangelij prædicationem cultus falsos passim è medio tollit. Simul autem suo exemplo docet, nihil in religione & salutis negotio rectè constitui posse, nisi ea auferantur, quæ hominum mentes à vera religione auocare, & superstitiones in illis fouere solent. Quare non per omnia probandi sunt, qui imagines, altaria & illicitos cultus auferri nolunt, nisi ex animis prius illa omnia eijciantur: quia ea demum vera sit reformatio, quæ ipsos animos ab omni superstitione repurgatos Deo vendicat. Fatemur idem nos quoque, at quia animi externis hisce detinentur, quò minus Deum in spiritu & veritate colant, illa tolli necesse est: & quò citius istud fit, eò maiori cum fructu verbi doctrina prædicabitur. Ideò per Hoseam olim Deus fornicanti ecclesiæ dicebat: Auferat scortationes suas à facie sua, & adulteria sua ab vberibus suis. A facie, id est, externa fidei professione & externo cultu primùm auferri vult omnem idololatriæ speciem, & ita fore docet, vt ab vberibus quoque adulteria remoueantur, id est, vt ipsius animus Deo consecretur, & fidem illi seruet illibatam. Quapropter etsi non ea semper potestas ministris concedatur, vt nefarios cultus illico tollant, ijdem tamen suis principibus authores esse debent, vt in illis tollendis absq; mora suam authoritatem interponant. Fecerunt hoc olim pij reges in veteri testamento, quos magna cum laude imitatus est Theodosius, qui eo potissimùm religioni Christianæ consuluit, quòd Deorum templa à suis antecessoribus clausa tantùmodo, ipse demolitus est atq; funditus euertit. Porrò sequitur in præsenti, quid de hoc Christi facto discipuli eius, deinde reliqui etiam iudicarint: quo loco discemus, quid omnibus seculis iudicaturi sint homines, si quando ecclesiæ reformatio instituitur, & quàm nullius apud nos momēti esse debeāt aduersariorum calumniæ, quibus inuidiam & odium nobis conciliare student. Vt enim qui in publico ædificant, multos & plurimùm inter sese dissentientes habent sui ædificij iudices: Ita qui ecclesiam vel ædificare vel reformare satagūt, obstare nō possunt, quin omnes prout vel bene vel malè affecti sunt, de ipsorum instituto pronuntient. Sufficiat autem illis, si studium suum Christo, qui ecclesiæ caput est, probari sciant.

Discipulorum de Christi facto iudicium.

Primò discipulorū iudicium describitur. Videt illi rem nouam, plenam turbarum atq; periculi, & quæ non multùm aberat à seditionis specie. Quia verò Christū ex priuata consuetudine propius norunt, & eundem amore non fucato prosequuntur, non temere de illo pronuntient, sed rem omnem penes se expendunt diligentius. Et mox succurrit illis, quod in Psalmo 69 scribitur: Zelus domus tuæ deuorauit me. Itaque etsi nondum intelligant, quo iure tantum facinus aggressus sit, omne tamen hoc non temeritati, sed zelo pio & sancto tribuunt. Disputant hic quidam, quomodo scripturæ illis in mentem venire potuerint, quos illiteratos fuisse constat: & vt nodum hunc soluant, ab Ioanne nunc narrari dicunt, quod postea demum sit factum, quando spiritus sanctus illos linguarum et scripturarum cognitione illustrauit. At isti nodum in scirpo quærunt. Neque enim mox literatum & in scripturis exercitatum esse euincitur, si cui vnus aut alter scripturæ locus in mentem venit, quem vel in sacra concione, vel ex priuatis piorum colloquijs discere potuit. Et scimus in Iudæorum synagogis Legem & prophetas ex veteri instituto diebus sabbati fuisse prælectos, imprimis verò apud eosdem frequentem fuisse Psalmorum vsum: vt non adeo difficile fuerit eorum nunc recordari, quæ cum præsenti facto tam probè conueniebant. Præterea non dubitarim spiritum sanctum iam nunc illis aurem vellicauisse, ne in re maximi momenti scandalum paterentur. Discamus potius hoc exemplo, quàm prosit scripturas nobis habere familiares, quando in omni euentu ex ijs peti possunt, quæ nos vel consolatione aliqua subleuare, vel iudicium nostrum informare, aut etiam officij admonere poterunt. Et est hîc proprius scripturæ vsus, vt quæ illic in genere traduntur, rebus præsentibus & nostræ cùm consolationi tum institutioni accommodemus: quem scopum ministri quoq; in huius tractatione obseruare debent.

Non temere iudicandum de piorum factis.

Nos autē illorum exemplo docemur, non temere pronuntiandum esse de ijs, qui in religionis causa aliquid insolitum magno & inexpectato conatu faciunt. Et primò quidem ad verbi diuini regulā omnia examinari debent, ne dum homines temere reprehendimus, ipsum Deum accusemus qui talia fieri

fieri præcepit. Deinde obseruandi sunt magni illi et insoliti spiritus sancti motus, qui in electis quandoq; conspiciuntur, dum manifesta pericula scientes subeunt, vt Dei honorẽ & gloriã vindicent. Talis in Gedeone fuit, quando aram Baalis diruit & lucum eius succidit. Tali etiam Elias excitatus Baalis sacerdotes iugulauit. In Ecclesiastica autẽ historia huius generis infinita exempla habentur, quorum alij idola euerterunt, alij aras diruerunt, alij Imperatorum edicta lacerarunt, multi quoq; non euocati in Imperatorum conspectu fidem suam professi sunt, sicuti de Iuliani militibus scribitur. Et nostro tempore aliqui reperti sunt, qui magnum illud idolum Papistarum, consecratum scilicet illũ panem (vt illorum verbis vtar) quem illi Christũ ipsissimum esse fingunt, in publicis festis aut circumgestationibus ex sacrificulorum manibus excusserunt & humi conculcarunt, vel imagines in publico prostantes palàm confregerũt. Quæ omnia eius generis sunt, vt illa nemo ex affectu priuato facere debeat: attamen si quis spectatæ pietatis & modestiæ tale quid faciat, hoc non sine numine fieri cogitemus. Solet enim suorũ mentes ad illa Deus excitare, vt vel suam potentiam aduersus idolatras ostendat, dum suos in manifestis periculis tuetur, vel ijs glorioſam martyrij occasionem præbeat, qua ad cœlestium sedes colligantur.

Quoad verò locum 1. psalmi, de seipso illum scripsit Dauid, cùm à Saule & eius coniuratis electus falsis insuper criminibus grauaretur. Queritur ergo de malis, quæ patiebatur, & à Deo opem postulat, multis rationibus adductis, quibus fidem suam suffulcit. Est inter illas etiam hæc, quòd ipsum hostes propter religionis & purioris cultus studium odio persequantur: & proinde iustum & æquum esse ait, vt ipsi succurrat Deus, cuius causam hucusque sustinuerit. Et quia illo tempore occisis per Saulem sacerdotibus, Dei cultus maxima ex parte collapsus erat, inter alia dicit: Zelus domus tuæ deuorauit me, id est, tam mihi cordi est cultus, qui ex tuo præscripto in tabernaculo peragi debebat, vt quoties de illo extincto cogito, totus commouear, & assiduis cogitationibus atque curis cor proprium conficiam. Et per expositionem subijcit: Opprobria eorum, qui tibi exprobrant, super me ceciderunt, id est, perinde'illis afficior, ac si illis mea fama & meum caput peteretur. At quia Dauid Christi typum gessit, rectè ad Christum referunt discipuli, quod ille de semetipso dixerat. Quæ etiam causa est, vt hoc facto adeò non offendantur, vt potius laude dignum agnoscant, & per hoc in fide confirmentur. Locus Psal. 69.

Obseruabis autem Christo zelum pro domo patris sui tribui. Est is affectus ille amoris, quo coniuges se mutuò prosequuntur, & cuius tanta vis est, vt mori potius velint quàm sui consortis ignominiam sufferre. Et in præsenti quidem domus Dei dicitur templum, eò quòd in eo cultus sui sedem ille constituerat, & ibidem suorũ preces exaudiebat. At vera & spiritualis Dei domus est Ecclesia, quam filij sui sanguine redimi & purgari voluit, vt in ipsa coli posset, & in eadem suæ gratiæ thesauros deponeret. Hanc ergo ardentissimo zelo Christus diligit, & vt id faciat non patris modò gloria mouetur, sed propria quoq;, cùm illam sibi desponsarit. Quapropter cùm templi ex lapidibus constructi & paulò post abolendi prophanationem tam seueriter vindicandam putarit, quid non facturum putabimus, si Ecclesiam suam violari & prophanari videat, cuius salus cum ipsius gloria coniuncta est? De hac certè olim dixit: Qui vos tangit, pupillam oculi mei tangit. Hinc ergo consolationem petamus aduersus impostores & tyrannos, nec putemus Christum vnquam passurum, vt vel Ecclesia eius tota pereat, vel in illa Dei cultus extinguatur. Præterea officij nos admonet Christi exemplum, vt ipsi quoq; zelo sancto accensi, ecclesiæ incommodis afficiamur, & de ijs emendandis aut etiam expurgandis seriò cogitemus, quæ Dei gloriæ & illius saluti officere possunt. Et hîc quidem singuli suæ vocationis rationem habeant. Cumprimis enim hæc cura ad ministros pertinet, quos ecclesiæ architectos scriptura dicit. Quibus vt Christus exemplum præbuit, ita Paulus quoq; quãdo agmen curarum de ecclesijs omnibus sibi incumbere scribit, & mox addit: Quis affligitur, & ego nõ affligor? Quis offenditur, & ego non vror? Neq; abs se alienum putare debent onus hoc qui in magistratu sunt, quũ illos Deus suæ ecclesiæ nutritios atq; tutores constituerit. Curent ergo, ne vel falsis doctrinis Christi sponsæ seducatur, vel cultus illicitos admittendo fidem Deo datã violet. Et si quid tale accidisse videant, mox omne studium conferant in hoc, vt labes istæ expurgentur. Tangat eadem cura priuatos quoque homines, & publicè quidem', quantum vocationis suæ ratio patitur, religionem puram cõseruare studeant: priuatim verò seipsos seruent, nec prophanari patiantur corpora Christi zelus pro domo patris. 2. Corinth. 11.

sua, quæ Dei templa ab Apostolo dicuntur. Qui enim in his segnes sunt, ij se à pietate alienos esse satis produnt: & vt D. Augustinus ait, talentum suum improbe defodiunt, qui non huc conferunt dona sua omnia, quæ à Deo acceperunt. Sed ô deploratam nostri seculi socordiam, quando omnis loci et ordinis homines scandala quidem in domum Dei quotidie inuehunt, pauci verò de ijs tollendis seriò cogitant. Litigant inter se ministri de quæstionibus inutilibus et superuacaneis: multi etiam de quæstu reducendo cogitant. Principes religionis causam nihil ad se pertinere putant, nisi cum lucri spes certa offertur. Priuati homines suis rebus student. Ita ergo fit, vt alibi quidem religio tota intercidat, alibi verò hominum improborum libidini seruiat: pauci verò reperiantur, qui verè dicere possint: zelus domus tuæ deuorauit me. Quid ergo restat, quàm vt cruce accendantur, qui in Christi negotio vsque adeò frigent?

Iudæorum de facto Christi iudicium.

Cæterùm Iudæos audiamus, quid nimirũ illi de hoc Christi facto iudicauerint, inter quos haud dubiè sacerdotes præ alijs sese interposuerunt, cùm illorum res hîc potissimùm ageretur. Doluit illis factum hoc quàm maximè, attamen nec prohibere ausi sunt hoc facientem, neq; iniuriam ipsis illatã vlcisci. Est hoc euidens diuinæ in Christo virtutis argumentũ, quæ sola illos omnes continuit, vt manus abstinerent, cùm tam multas tamq; graues haberent causas, quæ ipsos ad vindictã excitabant. Sed nec verbera illi reddunt, qui ab ipso flagellati fuerant: neq; in eum inuolant, quorũ pecunias effuderat: neq; suum honorem armis vindicant sacerdotes, quorũ authoritas hîc tota labefactabatur. Debet horũ consyderatio ministros & principes confirmare, ne vllis periculis sese absterreri sinant, quò minus ecclesias reforment, & illicitos cultus è medio tollant. Potest enim etiã hodie ipsos tueri Christus, & huius protectione olim tutos fuisse scimus, quotquot negotium hoc bona fide egerũt. Deinde ne verbis quidem reprehendere audent Christi factum sacerdotes, neq; turpem hanc sacrorum nundinationem excusare. Agnoscunt enim reformatione omnino opus esse, neq; illud dissimulant: meliores nimirum nostri seculi Pontificibus atq; Episcopis, qui cùm religionẽ omnem maiori impudentia sibi quæstum fecerint. Sua tamen omnia pertinacissimè defendunt, & reformationem omnem subterfugiunt. Non tales, inquam, isti fuerũt, qui quod Christus fecerat, non simpliciter accusant, quasi per se iniquum aut impium aut sacrilegum sit, quæ voces hodie mox audiuntur, quando de reformatione agitur. Quid ergo isti aiunt? Quod signum ostendis nobis, cur ista facias? Id est, quo signo probas te esse Dei filium, qui potestatem habeas hæc faciendi in templo, quæ Dei domus est? Agnoscunt ergo (vt diximus) istas religionis corruptelas iure tolli debere, id verò non alicuius priuata authoritate fieri debere contendunt, nisi prius signis aut miraculis publicè confirmetur. Quod etsi non malè dicant, quia tamen impij sunt, insidiosè agunt, & animi impietatẽ non vno argumento produnt. Si enim publica authoritate hæc tolli debere agnoscunt, cur non illa vsi sunt hactenus, cùm penes ipsos sacrorum potestas esset? Vel si signis confirmandam esse arbitrantur Christi authoritatem, cur non obseruant diuinam in eo virtutem, qua omnium animos atq; manus à violentia cohibebat? Cur signis, quæ paulò post plurima faciebat, non fidem adhibent? Adhæc non poterant ignorare, signa nõ semper esse vocationis aut missionis legitimæ testimonia, cùm illis falsi quoq; prophetæ interdum sint instructi. Sed quia sibi malè conscij erant, nec tamen corrigi vellent, quærunt quod possint calumniari, & cuius prætextu ad labefactandam Christi authoritatem abutantur,

Mores falsorũ antistitum.

Pulchrè autem in hoc exemplo exprimuntur hypocritarum atq; falsorũ antistitum mores siue ingenium. Habent illi semper quod obijciant, neque illis vnquam satisfeceris. Nam etsi abusus horribiles in ecclesiam irrepsisse cogantur fateri, de quibus corrigendis siue tollendis cogitari oporteat, mox tamen sua effugia quærunt, & ne reformatio fiat, modò temporũ incõmoditatem accusant: modò eos reijciunt, quos huius duces fore vident: modò alias difficultates prætexunt. Vidimus hoc multoties fieri nostro seculo. Fatentur multi reformationẽ in ecclesia necessariã esse, cùm abusus et sacerdotũ lucẽtia eò vsq; excreuerint, vt nisi corrigãtur, sua mole ẽa simul sint ruitura. At cùm in suis terris reformationẽ instituunt pij reges, principes et vrbiũ magistratus: mox clamãt illi, hoc prætor officium fieri, neq; cuiusquam hominis esse, vt in ecclesia mutationẽ faciat aliquã, sed curã hanc ad Romanũ Pontificem pertinere, qui generalis Concilij authoritate errores corrigere debeat. Interim ipsi nihil agunt: vel si quid agere videntur, insidiosè agunt. Indicunt enim Cõcilia, & illa indicendo sua præiudicia ferunt: quibus palàm dãnantur quicũq; illis contradixerũt. Præsides Conciliorũ mittunt

legatos

legatos à latere, qui si quæ grauior controuersia incidat, eam omnem ad ipsos referri curent. Assessores Conciliorum nulli admittuntur, quàm qui in ipsorum verba iurauerunt, & (vt spiritus in Apocal. loquitur) charactere bestiæ notati sunt, neq; illos prius iuramenti religione (qua eos sibi iam pridem obstrinxerunt) liberant, vt quod vel iam norũt, vel in Concilio intellecturi sunt, liberè & tutò effari possint. Deniq; cùm iam annis aliquot Concilium & polliciti sint & in illo conſederint, quem obsecro errorem & abusum in sua illa ecclesia correxerunt? quod dogma, quantumuis absurdum & impium mutarunt? vel quibus legibus cleri sui fastum, petulantiam, libidinem et quiduis designãdi licentiam coercuerunt? Num ergo totus orbis in expectatione erit, dum illos suæ tyrannidis & licẽtiæ tædeat? Et num tot principes, reges, respub. suos homines falsis doctrinis circũduci et perniciosis superstitionibus dementari patientur, dum illi malè sani medici sibijpsis cauteriũ adhibeant? Stulti profectò sunt, qui hoc illos aliquando facturos putant. Crudeles autem et truculenti, qui interea suos ab illis opprimi & expilari patiuntur. Agnoscant ergo in illorũ actionibus Christiani principes hãc Iudæorum quæstionem, qua illi Christum impedire conati sunt, ipsi verò sui officij memores populum suum in vera fide institui curent, & verum Dei cultum prouehant, ne quando pereuntium sanguis ab ipsorum manu requiratur.

Christus facti sui rationem reddit.

Sed accedamus ad Christi responsionem, quæ talis est: Soluite templum hoc, & in tribus diebus erigam illud. Signum pollicetur, sed obscurius, quia indigni erant, quibus cum apertius ageretur; quamuis hoc quoq; satis intellexerint, vt in passionis & mortis eius historia apparet. Vitur autem Imperatiuis pro Futuris, quod frequens est apud Hebræos, & de sua morte simul atq; resurrectione vaticinans illos tunc intellecturos dicit, quòd ista faciendi potestatem habeat. Et resurrectionis ferè meminit, quoties illi signum postulant, quia hæc diuinitatis argumentum est euidentissimum, cùm solus Deus vitæ & mortis imperiũ habeat (quapropter Paulus Christum Dei filium declaratũ esse dicit per resurrectionẽ ex mortuis) & eadem ad terrendum impios Christi hostes plurimùm valet, quos postea huius prædicatione potissimùm commotos fuisse, Acta testantur. In præsenti autem hæc etiam ratio accedit, quòd elegãs sit inter templũ & corpora nostra comparatio, quæ Dei templa dicuntur. Sensus ergo verborum Christi est: Cùm is sim, qui viuũ Dei templum per vos destructum, resuscitare & innouare possum: multò magis templum hoc lapideum vestra auaritia & ambitione prophanatum mihi reformare & suæ dignitati restituere licet. Corpus verò suum templũ vocat, non ea ratione, qua nostra Dei templa dicũtur, eò quòd illa Deus virtute spiritus sui inhabitat: sed quia in ea habitat omnis plenitudo deitatis corporaliter (vt Pauli verbis vtar) adeò vt qui ex Maria natus est, homo simul & Deus sit: quo nomine illam veteres θεοτόκον, id est Deiparam dixerunt. Adhæc in ipso est propitiatorium verum, quod nos cum precibus nostris Deo acceptos facit. De illo enim dixit pater: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacitum est. Cæterùm suo exemplo docet Christus, quid ijs respondeamus, qui nobis hodie propter reformationem ecclesiarũ nostrarum litem intendunt. Quærunt illi cur Missæ sacrificium aboleuerimus? Respondeo: Quia cum eius voluntate & institutione pugnat, qui pro nobis mortuus & propria virtute resuscitatus est, & eo facto se mortis & vitæ dominum esse, ideoq; omnem se in ecclesia potestatẽ habere docuit. Quærunt, cur laicis distribuamus poculum Cœnæ mysticum? Respondeo: Quia sic Christus iussit, dicendo, Diuidite hoc inter vos, & Bibite ex hoc omnes. Quærunt, Cur imagines templis eiecerimus? Respondeo: Quia Dei filius per Ioannem clamat: Filioli, cauete vobis à simulachris. Quærunt, cur Diuos & Diuas pro aduocatis & mediatoribus non agnoscamus? Respondeo: Quia Christi vox est, Venite ad me omnes qui laboratis, &c. Item: Ego sum via & veritas & vita: nemo venit ad patrẽ, nisi per me. Quærunt, cur indulgentias Romanas pecunia redimere grauemur? Respondeo: Quia Christus dixit, Ne feceritis domum patris mei domũ negotiationis. Sic (inquam) exemplo Christi vtamur hodie, & abunde instructi erimus aduersus omnes quæstiones, quas nobis fidei hostes mouent. Quòd si cui authoritas Christi sordet, sordeat & ille nobis, neq; ampliori responso dignum putemus eum, qui Christo obloqui audet. Nos verò in vnum illum intenti, ipsum audiamus, ipsum sequamur, qui nos in tenebris errare non patietur. Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.

HOMILIA XVI.

Dixerunt ergo Iudæi: Quadraginta & sex annis ædificatũ est templũ istud, & tu in tribus diebus eriges illud? At ille loquebatur de templo corporis sui. Cùm ergo surrexisset à mortuis, recordati sunt discipuli eius, quòd hoc dixisset eis, & crediderunt scripturæ & sermoni quem dixerat Iesus. Cùm autem esset Ierosolymis in Pascha, in die festo, multi crediderunt in nomẽ eius, spectantes eius signa quæ edebat. Ipse autem Iesus non credebat semetipsum eis, eò quòd ipse nouisset omnes: nec̃ opus haberet, ut quisquã testaretur de homine: ipse enim sciebat quid esset in homine.

QVia hominum salus absq; religione & vero Dei cultu non potest consistere, non temere factum est, quòd Dei filius, cùm nostræ salutis ergò in mundũ venisset, functionis suæ initium ab eo fecit, quòd templum atq; cultum externum ab omni prophanatione repurgauit, quam sacerdotum auaritia inuexerat. Simul autem eo facto docuit, eos frustra sibi salutẽ polliceri, qui illicitos cultus defendunt aut mordicus retinent. At quia reformationes eiusmodi inuidiam pariunt suis authoribus, & calumnijs multorũ subiacent, diligenter obseruari debet responsio Christi, qua Iudæis quærentibus sui facti rationem reddit: Hoc nimirùm sibi licere docens, quia Vitæ & necis imperiũ habeat, & proinde Deus sit verus: & huius argumentum irrefragabile pollicetur, suam à mortuis resurrectionem. Quòd si Christus hanc ratione̅ sufficere putauit, nobis quoq; in abrogandis superstitionibus & constituenda religione ipsius authoritas sufficere debet, neq; nos calumnias aduersariorum magni facere conuenit, quando de eius voluntate nobis constat, qui pro peccatis nostris mori voluit, & propria virtute semetipsum ex morte resuscitare potuit. Hic enim dilectus ille Dei filius est, quẽ ex patris iussu omnes audire debent, qui Deo placere & in illo salutem cõsequi volunt. Porrò sequitur, vt hæc quoq; responsio ab auditoribus accepta sit, vbi rursum hostiũ veritatis improbitas elucebit, & vicissim patebit discipulorũ exemplo, quid nos facere deceat, si quid obscurius dictũ videtur.

Iudæi responsum Christi calumniantur.

Primum de aduersarijs Christi agitur, qui eius verba secundùm literam interpretantes, aduersus illum ab impossibili vel absurdo argumẽtantur. Cùm enim ille de templo corporis sui locutus esset, illi quasi de templo lapideo dixissent, inferunt: Quadraginta & sex annis ædificatum est templum istud, & tu in tribus diebus eriges illud? In quibus verbis sese mirificè torquent nõnulli interpretũ, vt inquirant, quomodo hic annorũ numerus cum templi extructi historia cõueniat. Sed ineptè meo iudicio ex illorum verbis de templi post reditum ex Babylone à patribus extructi tempore seu annis disputatur. Primò enim ex Iosepho constat, tunc temporis non amplius stetisse templum illud vetus, quod ex Babylone reuersi patres magnis impensis & labore grauissimo ædificarant: sed nouum illud, quod Herodes ante annos triginta octo, immani sumptu & magnificentia regali, neq; sine summa omnium admiratione intra octo annorum spatium absoluerat. Deinde quoad vetus templũ, neq; illud etiam totis annis continuis quadraginta sex fuit extructum: sed cùm eius fundamenta anno à reditu ex Babylone secũdo magna cum alacritate & gaudio iecissent, mox vicinorũ insidijs & comminationibus impediti, ab opere incepto cessauerunt vsq; ad annum Darij Hystaspis secundũ, quando Haggæi & Zachariæ sermonibus confirmati ad opus redierunt, quod sexto Darij anno absolutum fuisse historia sacra testatur. Ezræ 6. cap. Atqui à reditu ex Babylone vsq; ad sextum Darij annum non plures annis viginti tribus reperimus, sicuti in Haggæi expositione demonstrauimus. Liceat tamen mihi etiam quod sentio proferre. Scimus maiora illa ædificia nõ ita primo conatu absolui, quin quotannis quædam ad ornatum potius & commoditatem, quàm ad necessitatem pertinentia, adiiciantur: & hoc nostris temporibus in templorum cathedralium extructione ita vulgare est, vt certi etiam redditus in eum vsum consignentur. Quod si templo Herodiano obseruatum fuisse dicamus, pulchrè conueniet annorũ numerus. Cùm enim ista fierẽt à Christo, iam anni 38. elapsi erãt, ex quo templum absolutum dicebatur, quia nihil ad necessarios vsus deerat: cùm tamen quotidie aliquid ornamenti adderetur, & aliquid ad archetypum deesset. Adde autem annis 38. reliquos octo,

quibus

quibus Herodes in primo operis conatu fuit, & anni 46. colligentur. Ergo hyperbolicé loquuntur vt Christum confidentiæ accusent. Quasi dicerent, Iam anni 46. euoluti sunt, ex quo templum hoc extrui cæpit, & vix nunc demum absolutum est. Neq; dubium est quòd si multi simul iam omnem suam operam in vnum conferrent, vix (quæ nunc est rerum facies) annis quadraginta sex tantum ædificium absoluerent; quæ ergo hæc tua est confidentia, quòd intra triduum te illud confecturum esse gloriaris? Habent itaq; verba ista Sarcasmum probabili argumento nitentem, quo Christi responsionem eludere, & ipsum ceu Thrasonem & ardelionem quendam vulgo contemptum reddere volunt. Vnde constat, illos non alia mente signum petiisse, quàm vt calumniandi & ipsum traducendi occasionem haberent.

Impijs non satisfit vllis rationibus.

Admonemur nos istorum exemplo, nullas rationes illis sufficere posse, qui cupiditatũ suarum feruore superati, suam sententiã tueri instituerunt, ne vel quæstus vel existimationis suæ iacturam faciant. Semper enim inueniunt isti quod vel suis commentis prætexant, vel in antagonistarum suorum argumentis calumnientur. Et ex illorum quidem numero istos fuisse, Christus infra docebit, quando illos gloriam humanam vanari ait, diuinam autem negligere. Frustra ergo cum illis egit Christus, & ex ijs deteriores factos fuisse scimus, quibus ad mentẽ meliorem adduci debuissent. Nec enim contenti scurriliter elusisse quæ ab illo dicebantur, postea ex illis ipsum accusandi occasionem sumpserunt, subornatis falsis testibus, qui ipsum templo excidium minitatũ fuisse dicerent. Sic alibi scripturas proferenti non credunt. Et cùm signa requirerent subinde, eadem tamen in dubium vocabant, & eorum authorem Beelzebub potius quàm diuinam Christi virtutem agnoscere malebant. Imò cùm horrenda in eius morte signa vidissent, adhuc tamen de illo intra sepulchrum retinendo cogitant: & cùm illum resurrexisse ex suis hominibus audiuissent, resurrectionẽ quoq; mendacijs precẽ & pretio redemptis obscurare conantur. Extant huius generis exempla in multis alijs, & Isaias sui seculi illusores hoc nomine accusat, quòd ex sacris concionibus occasionem arriperent, qua Dei verbum scurriliter ridebant. Similis fuit Iuliani impietas, qui ex Christi præceptis rationes petebat, quibus suam in Christianos tyrannidẽ & vim iniustam defenderet, &c. Et vtinam hodie non multi horum similes reperirentur, qui quò magis vrgentur Dei verbo, eò maiori proteruia illud contemnunt, aut etiam hostiliter persequuntur. At meminerint omnes isti, in Iudæis exemplum quoq; propositum esse, quàm grauiter Deus tales puniat: Qui enim pro tẽplo suo aduersus Christum tãta animorum cõtentione pugnarunt, paulò post cum templo horribiliter excisi, & in totum orbem dispersi sunt. Idem ergo expectent, qui illorum mores imitantur. Nam etsi Deus paterna indulgentia facilè ea nobis condonet, quæ ex carnis infirmitate delinquimus, idem tamen illorum proteruiam ferre non potest, qui cum verbo eius impudenter ludunt.

Litera urgere noxium est.

Docet præterea exemplum istud, quàm noxium & pernicioſum sit nudam in scripturis literam semper vrgere, neq; saniorem verbi Dei interpretationẽ admittere. Hoc sanè istis imposuit, & ex eo habent suæ pertinaciæ & indurationis principium, quæ illis tandem fuit exitio. Eadem quoq; causa fuit, quòd Iudæi sacra Leuitica mordicus retinere, nec Christi doctrinam recipere voluerunt, quæ illorum abrogationẽ requirebat. In hoc enim vnum intenti, quòd illa Deus olim instituisset, vsum & finem eorundẽ minus obseruabant. Hinc quoq; hæretici veteres suorum errorum argumẽta sumpserunt, sicuti in Ario est videre, qui illud Christi dictum, Pater maior me est, iuxta literam accipiens, omnia alia eludebat, quibus æterna illius diuinitas asseritur. Nostro tempore ad eundẽ lapidem impingunt Anabaptistæ quando paruulorum baptismum oppugnant, eò quòd Christus docere & baptizare iusserit. Hunc itaq; verborum ordinem vrgentes, neminem baptizandũ esse clamant, qui doctrinæ nondum capax esse possit. Et in Sacramentaria contentione, quæ ecclesias nimis diu exercuit, quid aliud habent aduersarij, quàm Christi verba: Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus &c. quæ illi κατὰ τὸ ἐντὸς exponenda, imò simpliciter intelligenda esse vociferantur, neq; aliquem de illis iuxta fidei analogiam ex scripturarũ collatione dissentem audiunt. Atqui meliori cum ratione Iudæi isti verba Christi iuxta literam accipere & contra illum vrgere poterãt. De templo enim lapideo inter illos disceptabatur, neq; vlla de corpore Christi quæstio à quoquam proposita fuerat. Attamen calumniatores fuisse constat, qui verbis eius abutendo sibijpsis exitium accersiuerunt. Cogitemus ergo Deum frequenter propter nos figuratis locutionibus vti, & in scripturis dili

genti studio & locorũ collatione opus esse, ne quid statuamus, quod cum salutis ratione & fidei articulis minus conueniat. Quod si Iudæi in Legis & sacrorũ suorum defensione obseruassent, nunquam sua pertinacia fuissent seducti: neq; hæreses inuexissent in ecclesiã male feriati homines, si istam regulam secuti fuissent: & hodie minus contentionum esset in ecclesia, si hanc regulam omnes sibi sequendam proponerent. At nostri illi aduersarij, ne quam expositionem in Cœnæ verbis admittere cogantur, nouas scripturarũ interpretandarũ regulas fingunt, & omnia alia per tropos exponunt quàm violentissimè, quæcunq; de Christi in terris conuersatione, de eiusdem ascensione in cœlos, deq; ipsis cœlis & æternæ beatitudinis loco in scripturis dicuntur.

Christus calumniatoribus nihil respondet.

At simul obseruabis, Christum suis illis aduersarijs nihil respondisse, nõ quòd ipsi deessent commodæ rationes, quibus ipsorum improbitatem argueret: sed quòd digni essent, qui suis erroribus permitterentur, & incurabiles facti digno excidio perirent. Et breui futurum sciebat, vt illorũ calumniæ manifestarentur. Solet ita cum impijs agere Deus, & illos iusto iudicio indies magis indurat, cùm emolliri nolint. Factũ hoc olim in Pharaone, Achabo & similibus: & hodie in multis hoc ipsum fieri cernimus. Quorum exempla nos terrere debent, ne dũ nostræ pertinaciæ indulgemus, ipsi nobis exitij simus authores. Quòd si verò in tales incidimus, Christi exemplum nobis imitandũ proponamus: quando frustra cum illis verba permutantur, qui animos suos aduersus veritatem iamdudum obfirmarunt. Hic enim cumprimis locum habet illud Solomonis: Ne respondeas stulto secundùm stultitiam eius, ne huius similis efficiaris. Prouerb. 26.

Discipuli uerba Christi etsi non intelligant, non tamen explodunt.

Cæterùm ad discipulos Christi transeamus, qui nec ipsi tunc tẽporis intellexerunt quæ ab illo dicebantur. Quomodo enim ita loquentem intelligerent, qui de resurrectione sua disertis verbis dicentem non intellexerat? Ignorantiæ autem huius causa fuit, quòd Messiæ officiũ ignorabant, & in illo regnum somniabant terrenum, qualia in hoc mundo esse solent. Non poterat ergo illis non nouũ & absurdum videri, quicquid de eius morte & resurrectione dicebatur. Atqui hoc illud est, quo hodie multi impediuntur, quò minus salutis mysteria percipiant: quòd nimirùm carnis cogitationibus intenti, omnia ad suæ rationis calculum reuocant, & quæ cum illa non conueniunt, pro absurdis asspernantur. Interim laudem non vulgarem meretur discipulorum modestia, qui cùm Christi verba non intelligant, ijs tamen non obstrepunt, neq; ex sacerdotũ calumnijs & ipsius silentio, quod ignorantiæ speciem præ se ferebat, arripiunt illi obloquendi occasionem: quod hodie auidissimè faciunt, qui veritatis studiũ ad tempus simulant, cùm animo erga illam minus sint amico atq; propitio: sed quod ille dixit, memori mente recolunt atq; examinãt. Fit ergo, vt illo resuscitato ex mortuis, scripturas cũ eius verbis conferendo probè intelligant omnia, quæ nunc ipsis obscura nimis videbantur. Imitemur ergo nos quoq; horum exemplum, ne vel cõtemptim abijciamus, vel etiã hostiliter insectemur, quod nostri ingenij captũ superat. Etsi enim nõ semper initiò statim omnia reuelet Deus, non tamen ideo nobis desperandum est, sed omnia suo tempore ab illo rectè & salutariter agi cogitemus. Solent artium magistri puerorum captui sese accommodare, & à rudimentis primis docendi imtium facere, à quibus postea ad maiora indies progrediuntur. Et nos à Deo postulabimus, vt primo die nobis omnia sui regni mysteria recludat? Habet sua incrementa fides, quam pro nostri captus modulo Deus fouet atq; auget: neq; is suo deerit officio, modò nos illi dociles & morigeros præbeamus.

Fidei fouendæ ratio.

At plurimùm proderit feciſſe, quod de Christi discipulis hic annotatur. Recordati sunt (ait) quòd hoc dixisset eis, & crediderunt scripturæ & sermoni, quem dixerat Iesus. Primum ergo exercitium fidei est, memori mente seruare quæ à Domino nobis dicuntur, ne aues illæ, de quibus in euangelio Christus loquitur, semen verbi auferant. Instituatur deinde scripturarũ collatio, & quæ de Christo ab euangelistis atq; apostolis traduntur, cum Veteris Testamenti promissionibus atq; oraculis conferamus, & mox ex consensu summo veritas nobis patebit. Neq; hoc à reuerentiæ officio, quã Christo debemus, alienum est. Etsi enim illi simpliciter credere debeamus, dat tamen hoc ille infirmitati nostræ, vt scripturæ fulcris fidem nostram sustentemus. Quin ipse rationẽ hanc confirmandæ fidei suo exemplo commendat, cùm scripturas allegat quoties de sua morte & resurrectione loquitur: & cùm resuscitatus discipulis appareret, scripturas illis in mentẽ reuocat, vt scandalo medeatur, quod ex eius morte fuerat enatum. Et Paulus Christum pro peccatis nostris mortuũ dicebat secundùm scripturas & tertio die secundum scripturas resurrexisse. Est verò hoc in alijs articulis omnibus obser-

uandum.

tuandum, vt nimirum videamus quid scripturæ doceant de nouissimi seculi moribus, de Antichristo & sectis sub illius regno exorituris, de cõtrouersijs item fidei nostræ capitibus: & mox discemus quid nobis facto opus sit, neq; ijs offendemur, quæ à pleriſq; perperam & impiè fiunt. At quia hoc studium pleriſq; displicet, & præsentibus modò intenti de futuris rarò cogitamus, non mirum est, à fide multos deficere, vel illius professionem moribus corruptissimis prophanare.

Porrò concludit locum hunc euangelista, & ne quis Iudæorum excæcationem atq; pertinaciam Christo acceptam ferret, qui malignius cum ipsis egerit, paucis quid porrò ille fecerit, docet. Cùm esset (inquit) Ierosolymis in Pascha, in die festo multi crediderũt in nomen eius, spectantes eius signa quæ edebat. Mansit ergo in vrbe toto festi illius tempore, quàmuis ingratos & iniquissimos in se illos esse videret. Neq; otiosus aut obscurus latuit, sed docuit publicè, & doctrinã suam factis miraculosis cõfirmauit, quod & præsens locus & paulò post Nicodemi verba testantur. Ergo licet signum nullum fecerit postulantibus hoc impijs sacerdotibus, multa tamen fecit in populo, quibus se omnibus publicè manifestauit. Factum est itaq;, vt multi crederent in nomen eius, id est ipsum agnoscerent pro Messia & promisso populi redemptore Quòd ergo alteri illi in sua cæcitate manserunt, illorum vitio & culpa, non Christi malignitate factum est. Additur autem ab euangelista: Ipse autem Iesus non credebat semetipsum eis, eò quòd ipse nouisset omnes, neq; opus haberet, vt quisquam testaretur de homine: ipse enim sciebat quid esset in homine. Videntur hæc absurda in speciem. Illi credebant in nomen Christi, & hic non credebat seipsum illis, vt nimirum pro discipulis agnosceret, & familiarius ipsis conuersaretur. Ergo ne ad se venientes excluſit? Minimè. Ipsius enim vox est: Eum qui venit ad me, non eijcio foras. Sed innuitur his verbis, non synceram fuisse illorum fidem. Nam licet eum pro Messia agnoscerent, officium tamen eius ignorabant, & cùm in illo non nisi terrena & carnalia quærerent, non potuit hæc illorum fiducia, quam temerè conceperant, stabilis esse, quando se spe sua frustratos videbant. Tales ergò cum sciret Christus, se illis cõmittere noluit. Estq; hoc nouum diuinitatis eius argumentum, de quo iam ante diximus. Christus manet in urbe & facit signa.

Obseruabis autem hoc loco, Christum nunquam sine fructu prædicari, attamen diuersissimos ferè esse prædicationis istius effectus, eò quòd non idem sit omnium ingenium, qui ad illam accedunt. Docet hoc alibi scriptura per pluuiæ & sementis parabolas. Sunt enim qui naturali quadam contumacia indurati, nullis rationibus moueri aut flecti possunt. Sunt qui sub Christi prætextu quæ carnis sunt quærunt, & hi tam cruce quam euangelij disciplina offensi postea deficiunt. Sunt, qui spinis curarum huius seculi semen exceptum suffocant. Non desunt tamen interea, qui ex illo fructum salutarem reportant, qualem inter hos Nicodemum fuisse proximo Capite audiemus. Neminem ergo ista auditorum euangelij diuersitas, vel etiam credentium paucitas offendat. Curemus autem, ne ipsi nobis imponamus fucata fidei professione. Nam vt alibi docemur, non omnes pro suis agnoscit Christus, qui dicunt Domine domine, sed qui faciunt voluntatem patris sui, qui in cœlis est. Matthæi 7. Christus nunquam prædicatur frustra.

Præterea Christi exemplo docemur, pijs prudentia opus esse, ne se temere quibusuis cõmittant. Nam etsi charitatis sit, minimè suspicacem esse, & bene sperare de omnibus, curandũ tamẽ ne nimia credulitate Dei gloriam in periculum adducamus, aut Deum tentemus, dum absque eius vocatione manifesta discrimina subimus. Ita ipse monet, dicens: Simplices estote vt columbæ, prudentes vt serpentes. Neq; hoc dicto contentus, grauiter præcipit discipulis, ne temere sibi hospitia & amicos deligant, sed diligenter inquirant, qui ad hoc digni sint siue idonei. Simul verò ad nostram consolationem atque institutionem transferamus, quod de Christo cordium scrutatore hic dicitur. Nec enim minus hodie omniscius est, quàm olim, cùm in gloria patris omnem potestatem in cœlo & in terra acceperit. Nouit ergo suos vbicunq; sint. Nouit illorum innocentiam, quæ calumnijs maledicorũ arroditur, & eorundem fugas atq; lachrymas in numerato habet. Huius ergo bonitate freti ad illum prouocemus. Si quando suum forum nobis negant homines. Rursum in illius conspectu studeamus innocentiæ, ne dum eius oculos fallere conamur, eius iram prouocemus, qui olim ad iudiciũ veniet, vt omnibus pro vt fidem vitamq; suam instituerunt, retribuat. Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen. Prudentia pijs opus est.

CAPVT III.

HOMILIA XVII.

ERat autem quídã ex phariſæis, Nicodemus nomine, princeps Iudæorum. Hic uenit ad Ieſum nocte & dixit ei: Rabbi, ſcimus te à Deo uenisſe magiſtrum: Nemo enim poteſt hæc ſigna edere, quæ tu edis, niſi Deus ſit cum eo. Reſpondit Ieſus & dixit ei: Amen amẽ dico tibi, niſi quis fuerit genitus denuo, non poteſt uidere regnum Dei.

DIVVS *Ioannes diligenter narrat quæ Dominus noſter Ieſus Chriſtus circa ſuæ prædicationis initia fecit, cùm ſe primùm manifeſtare & Meſſiæ functionem obire cœpiſſet. Diligentiæ autem huius cauſæ ſunt: primò quòd hæc à prioribus euangeliſtis omiſſa fuerant, certo nimirum ſpiritus ſancti conſilio. Deinde, vt nos ex ijs iudicare doceat de vera religione & quomodo eius initia conſtituenda ſint, quæ ferè difficillima & ardua eſſe conſueuerunt. Nos autem in illorum conſyderatione ita verſari conuenit, vt cum Chriſti dictis & factis eos quoq; inſpiciamus, quibus cum ille egit. Atqui quoad illum, à templi & externi cultus repurgatione ipſum cœpiſſe audiuimus, & huic facto doctrinam coniunxit, quam ſignis multis & euidentibus confirmauit. Huius ergo exemplum ſequantur, qui hodie religionem rectè conſtituere volunt, & vbi è medio ſuſtulerunt prophanos atq; ſuperſtitioſos cultus, veritatis doctrinam diuina authoritate confirmatam ſedulò proponant, vt per hanc in fide & religione vera inſtituantur, qui prius erroribus & ſuperſtitionibus decepti fuerũt. Quoad verò Iudæos, inter quos hoc fecit Chriſtus, varia & multùm inter ſe diuerſa fuerunt illorum iudicia. Alij enim ob quæſtum euerſum indignantur, & quæſtiones inſidioſas nectunt, quibus illum circumueniant. Alij docentem audiunt, & miraculis viſis credunt ipſum eſſe Meſſiam: ſed non ſyncera eſt illorum fides, cùm carnalia modò atq; terrena quærant, & ideo illos Chriſtus cauet prudenter, ne ſua leuitate cauſam hanc omnem in periculum adducant: non autẽ propter illos ſtationẽ ſuam deſerit, ſed in officio cõſtanter pergit, vt plures lucrifaciat. Et talia ferè ſunt reformationum in eccleſijs principia, vt alij quidem hoſtiliter fremant & ſanguinaria conſilia ſpirent, alij verò ſua quærant ſub veræ religionis prætextu, pauciſſimi autem Chriſti partes animo ſyncero ſequantur. At non ideo animum deſpondere debent ij, quibus iſtam prouinciam Deus commiſit, ſed eò maiori alacritate pergere. Ita enim fiet, vt ſtudij ſui fructum eximium videant, vbi minimè ſperaſſent. Exemplum eius rei huius Cap. tertij hiſtoria proponit, quæ inter Phariſæos repertum fuiſſe docet, qui Chriſti doctrinam atq; miracula nõ oſcitanter neq; ſine fructu obſeruauerat, & poſtea plures Chriſto acceſiſſe dicuntur, adeò vt credentium multitudo Ioannis diſcipulis præpoſteri zeli aduerſus Chriſtum occaſionem præberet. Eſt autem memorabilis actio, quam Chriſtus priuatim cum Nicodemo inſtituit. Ex ea enim apparet quanto ſtudio publicè ſimul & priuatim hominũ ſalutem curauerit. Deinde eadem plenè & perfectè tradit omnia, quæ in ſalutis noſtræ cauſa nos inſtituere poſſunt. Docet enim quanta ſit humanæ naturæ corruptio, vnde fieri oporteat ſalutis noſtræ initium, quis eius Mediator ſit, & qua ratione in eius conſortium homines perueniant, quæ item ſint verè Chriſtianorum officia. Et de his quidem omnibus ſuo loco dicetur, nunc ad præſentis loci tractationem accedemus.*

Nicodemi deſcriptio.

Orditur à Nicodemi deſcriptione euangeliſta. Erat (inquit) quidam ex phariſæis, Nicodemus nomine, princeps Iudæorum. Profeſſione (inquam) phariſæus fuit, quorũ ſectam in religione exquiſitiſsimam fuiſſe Paulus teſtatur. Quoad verò conditionẽ, princeps vel primarius inter Iudæos Senator fuit. Nam etſi penes Romanos eſſet Iudææ totius gubernatio, quorũ Præſides illic cum imperio erant, reliquerant tamen illi Iudæis Senatum, qui cauſas cognoſceret, & leuiores quidem ſecundùm ipſorum leges dijudicaret, grauiores autem ad Præſides referret. Et penes illum Senatũ ſummam eorum poteſtatem fuiſſe, quæ ad religionem ſpectabant, ex alijs locis apparet. In eo igitur Nicodemus locum honoratiorem obtinuit, & ideo princeps Iudæorum dicitur. Accedit his eruditionis

exiſtimatio,

existimatio, quam apud populum sustinuit non vulgarem, vt in Christi verbis est videre, qui illi postea dicet: Tu ne es magister ille Israelis? &c. Talem ergo tantæq; dignitatis discipulũ habet Christus, qui hucusque in Galilæa obscurus latuerat, & quem sacerdotes ferè omnes iam cœperant odisse. Admonemur exemplo isto, Deum in omni hominum genere electos suos habere, quos cùm ipsi visum fuerit vocat, & ad ecclesiæ suæ societatem adducit: & frequenter fieri, vt illi priusquàm vocentur, per sectas & superstitiones oberrent, aut etiam inter scelera grauiora volutentur. Quod enim hìc de Nicodemo dicitur, hoc ipsum in Paulo accidit, qui & Pharisæus & ecclesiæ Christi persecutor fuit, priusquàm eius discipulus fieret. Et nostro seculo multos ex Monachorum claustris & sacrificulorum grege prodijsse vidimus, qui in ecclesia reformanda præclarã operam Christo dederunt. De gentibus verò quid opus est dicere, quas ex ipsa potestate tenebrarum in lucem filiorum Dei translatas fuisse scimus? Et ex philosophorum scholis innumeri ad Christum transierunt, & huius discipuli facti, ad ecclesiæ ædificationem contulerunt artes, eloquentiam, ingenij acumen, quibus aliquando illam oppugnauerant. Nemo igitur temerè de cuiusquam salute desperet, sed discant potius singuli suo studio & precibus eos iuuare, quos à salutis via exorbitare vident. Confutantur etiam Nicodemi exemplo Anabaptistæ, qui in magistratu aut rebus publicis agentes ab ecclesiæ & Christi societate excludunt: nimirum vt electis legitimis magistratibus ipsi pro sua libidine omnia instituant.

Videamus autem quid Nicodemus hìc fecerit. Venit ad Iesum nocte. Potest hoc studij & desiderij magni argumentum censeri, quod illum mouit, vt somno & quieti destinatum tempus Christo dare vellet. At idem hoc præposterum pudorem & metum arguit, quo deterritus fuit, ne interdiu & palàm illum conueniret. Quia enim magna erat eius authoritas, pudet illum alterius discipulum fieri, & ita eruditionis existimationem labefactare, quam de illo omnes conceperant. Deinde honori suo timet & fortunis, ne Christum publicè sequendo collegas contra se prouocet, quos Christo infensissimos esse sciebat. Fuit hæc magna infirmitas fidei, vincit tamen metum hunc aliqua ex parte semen illud verbi, quod iam animo conceperat, & seria signorum Christi consideratio, vt saltem in occulto Christi colloquium expetat. Obseruemus hoc loco, quàm misera & deplorata fuerit Iudaici populi conditio tunc temporis, quando ad Messiam tot iam seculis expectatum, & cuius aduentum omnes in votis habebant, nemini licuit turò accedere, & bonorum atq; fortunarum discrimen subire cogantur, qui cum illo familiarius colloqui volunt. Atqui in publico licebat falsis doctrinis miseros seducere, in templo licebat negotiari, licebat scortari, vsuras accipere, helluari, & omnia pro carnis libidine facere. At Dei filium sequi, illum audire & obseruare non licet. Vnde verò hoc? Quia rerum potiebantur falsi antistites qui religionẽ quæstum fecerant, & suas dignitates gloriæ Dei longè præferebant. Eadem postea inter gentes fuit Christi conditio, vt ad cœtus sacros noctu eos conuenire oporteret, qui euangelium audire vellent & sacramentis vti, cùm interim in publico peccarent impunè adulteri, scortatores, ebriosi, vsurarij, imò etiam impij omnis religionis illusores. Et vtinã non hodie quoq; idem multis in locis fieret. Damnant multi nocturnos piorum cœtus, & amarulentis dictis insectantur. Sed cur non publicam illam iniustitiam accusant, qua impunè grassantibus sceleribus, solis Christianis sua libertas eripitur?

Nicodemus noctu uenit ad Christum.

Obseruabis præterea quantum impedimentũ afferant opes ac honores huius seculi ijs, qui pietatis iter ingredi cœperunt. Solent in alijs negotijs diuitiæ & dignitates hominibus animum addere, vt maiori alacritate audeant quod volunt. At in religionis negotio timidos reddunt & meticulosos dissimulatores. Causa huius mali est, quòd Veritatem omnibus publicè exosam esse vident, & infames fieri eos, qui huius causam suscipiunt. Ea enim honorum & dignitatum huius seculi dulcedo est, vt quiduis potius facere aut ferre velint qui illis assueuerunt, quàm publica aliqua ignominia notari. Hinc fit, vt tales vel ad Christum non veniant, aut noctu & in tenebris veniant. Dum enim fidem simul (vt Cyrillus ait) & gloriam hominum retinere volunt, tenebris se committunt, id est, obscurius & dissimulanter dicunt atque faciunt omnia. Simile exemplum infra quoque habebimus, vbi sic scribit Ioannes: Etiam ex principibus multi in eum crediderunt, sed propter Pharisæos non confitebantur, ne synagoga mouerentur. Dilexerunt enim gloriam hominum potius quàm gloriam Dei. Excitent ista in dignitate constitutos, ne ambitione se decipi patiantur;

Opes et honores fidei impedimentum.

cogitent autem huius seculi honores, qui per se incerti atque instabiles sunt, non posse maiorì cum fa-
nore amitti, quàm si Christi causam tueantur, qui quam in hoc mundo sustinent infamiam æterna
regni cœlestis gloria compensabit, & interdum heic quoque illustres facit eos, qui eius gloriam pro-
priæ anteponunt. Sic olim Valentinianum ad Imperatoriæ dignitatis fastigium vsque euexit, quem
paulò ante Iulianus propter fidei veræ confessionem publica infamia notatum in exilium releguue-
rat. Præterea scandalo medetur consyderatio ista, quod ex eo obijci solet: quòd pauci dignitate & po
tentia illustres Christum amplexantur. Eius enim rei causa est, non quòd pius alijs illi sapiant in
religionis causa, sed quòd magis sibi & priuatis suis commodis metuunt, & huius seculi gloriæ, Dei
verbo atq; æternæ animarum saluti præferre consueuerunt.

Nicodemus Christum salutis doctorẽ agnoscit.

Sed audiamus, quibus verbis Christum Nicodemus alloquatur: Rabbi (inquit) scimus te à Deo venisse magistrum. Nemo enim potest hæc signa edere, quæ tu edis, nisi Deus sit cum eo. Agnoscit à Deo missum esse, & quidem eam ob causam, vt omnibus vitæ atque salutis æternæ doctor sit. Et dum hoc illi tribuit, non obscurè petit, vt veram salutis rationem ipsi commonstret. Quo argumento abundè testatur, quòd nec legis scientia nec Pharisaismi obseruatio ipsum hactenus salutis certum facere potuerint. Et hoc ipso indicio omnes superstitiones sese produnt, quòd hominum animos perpetuò dubios & suspensos detinent, & quòd nouas salutis rationes subinde inquirunt, qui paulò ante sibijpsis omnia læta et tuta pollicebantur. Exempla huius generis multa exhibet Papatus in ijs, qui cùm in scholastica theologia exercitatissimi sint, subinde tamen superstitionis formam mutant, & modò huic, modò illi Monachorum familiæ seipsos consecrant, aut nouis quotidie sacris animarum salutem vænantur. Habent autem singula Nicodemi verba emphasim, & proinde digna sunt, quæ penitius examinentur. Primo Rabbinum vocat honorifico planè titulo, vt alibi monuimus, neque vereatur hunc sibi magistrum deligere, qui ipse iam diu præcipuus populi Israelitici doctor habitus fuerat. Deinde scimus (inquit) te à Deo venisse magistrum. Diuinam ergo missionem in eo agnoscit, quæ sola ad fidem ipsi conciliandã sufficiebat. Nec de seipso tantummodo, verumetiam de collegis hoc dicit. Nam scimus, inquit: nimirum quòd in socijs non occulta deprehendisset indicia, illos de Christo aliquid magnificentius atque sublimius sentire. Vident enim impij quoque velint nolint quod verum est, & vt Augustinus dicebat, Aperta veritas etiam clausos oculos ferit. Et licet nondum agnoscat in illo Deitatem, magnum tamen fidei principium est, quòd magistrum & doctorem agnoscit. Vnde autem ista cognitio ipsi obuenit? Ex signis nimirum, in quibus virtus diuina elucebat, cùm humanas vires longè excederent. Ergo non maligris oculis miracula Christi aspexit, sed simul illorum finem atque scopum obseruauit. Et est hic verus signorum omnium vsus, quòd ad audiendam Christi doctrinam excitant, & eandem quasi obsignant atque confirmant.

Nemo doctor habendus sine legitimæ missionis testimonio.

At nobis probè obseruandum est Nicodemi exemplum, qui ideò Christum sibi doctorem & magistrum delegit, quòd à Deo missum esse sciret. Ita enim docet, neminem à nobis audiri debere, nisi qui certa habeat diuinæ missionis testimonia. At quæ nam illa sunt, inquis? Primum, legitima & ordinaria ecclesiæ vocatio, quæ iuxta Canones à Paulo præscriptos solet ministros eligere. Neque enim nunc de interna & extraordinaria vocatione loquimur, quæ in solius Dei potestate est, & quam ille, si ita opus est, signis quoque extraordinarijs confirmat. Alterum est ipsa doctrina: si nimirum hæc ex scripturis desumpta sit, & ad eum finem dirigatur, quem ipse Christus discipulis cõstituit: vt scilicet homines per ipsum Deo reconciliati, sese huic per fidei obedientiam submittant. Qui ista habent, ijs illud Christi conuenit: Qui vos audit, me audit, &c. At qui his contemptis, hominum figmenta proferunt, illos audire nefas est, etiamsi angeli è cœlo fuerint. Sed ônostri seculi infelicitatem. Inter Iudæos olim, cùm omnia essent corruptissima, hoc tamẽ principium valebat, neminem nisi à Deo missum audiri debere. At hodie ecclesijs obtruduntur ministri, qui vt ferè ineptissimi sunt, ita falsi conuinci possunt ab omnibus qui Christianæ religionis principia non ommo oscitanter inspexerunt.

Christus Nicodemum amicè excipit.

Cæterùm videamus, quid Christus Nicodemo responderit. Amen amen dico tibi, nisi quis fuerit genitus denuo, non potest videre regnum Dei. Vbi nobis ante omnia obseruanda venit Christi lenitas atq;

tas atque mansuetudo, qua erga eum vtitur, quem vel reijcere, vel duriori increpatione excipere poterat. Erat enim, vt diximus, ex Pharisæorum numero, quos hostes suos acerrimos fore non ignorabat. Veniebat nocte, & ita testabatur, se collegis suis multum adhuc tribuere, & quòd ipsum Christi puderet. Adhæc ex illius verbis peti poterat ipsum increpandi occasio: si me à Deo datũ magistrum agnoscis, cur non author es populo, vt me omnes audiant? Cur pateris vt abs me electa sacrorum nundinatio in templum reducatur? Cur nocte ad me venis? Cur te mei pudet? Cur collegas, quorum ambitio & auaritia tibi satis nota est, Dei voluntati atque verbo præfers? Vel num te dignum putem, cuius nomine somno & quiete meipsum defraudem, qui in religionis causa vsque adeo es frigidus? Hæc (inquam) & alia huius generis poterat illi dicere Christus. Sed omissis istis hoc potius agit, vt ipsum sibi lucrifaciat. Verè ergo de illo prædixerat Isaias: Linum fumigans non extinguet, & arundinem quassatam non conteret. Quod vt afflictas conscientias in tentationibus mirificè consolatur: Ita docet, qua lenitate nos quoque erga eos vti debeamus, qui etsi in multis infirmiores sint, & suis quoque vitijs laborent, attamen se dociles præbent atque proficere cupiunt. Curandum hîc diligenter, ne austeritate & rigore nimio illis à pio instituto resiliendi authores simus. Alia est ratio impiorum, qui suam improbitatem apertè produnt, & oblatam sibi veritatis doctrinam sannis atque ludibrijs reijciunt, vel etiam apertè conuiciantur. Vt enim cum illis agi debeat, idem Christus suo exemplo docuit, quando admiranda verborum & spiritus grauitate in reliquos pharisæos & scribas inuehitur.

Cæterùm absurdum & alienum nimis videri poterat exordium quo Christus vtitur, cùm nihil tale Nicodemus quæsierit. At si rem ipsam inspiciamus, nihil conuenientius & melius dici potuisse patebit. Nam vt diximus de salutis ratione edoceri cupiebat Nicodemus, licet hoc nõ disertis verbis testaretur. In quem enim alium finem magistrum à Deo datum dixisset? Fontem ergo errorum aperiri oportuit, quibus hucusque in salutis causa impeditus fuerat. Atqui legisperitum & Pharisæum fuisse audiuimus. Vendicabat ergo sibi perfectam legis notitiam, quæ suis obseruatoribus vitam pollicebatur, iuxta illud: Omnis qui fecerit ista, viuet in eis. Rursum pharisaico errore deceptus, legem humanis viribus impleri posse putabat, & proinde salutis rationem in suorum operum iustitia atque meritis constituebat. At qui tales sunt, dum suam iustitiam iactitant, iustitiæ Dei (vt Paulus ait) quam is in filio suo nobis offert, consortes fieri non possunt. Vt ergo illum à primis fundamentis instituat, primò hanc eius vanissimam persuasionem arguit atque refellit, deinde verò docet quibus medijs & qua ratione nos præparari oporteat, vt regnum Dei ingrediamur, id est, gratiæ & salutis efficiamur capaces. Et primum quidem in præsenti paucis verbis absoluit, sic dicens. Amen amen dico tibi, nisi quis genitus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei. Sensus est: Tu quidem in Lege acquiescis, & illius voluntatem nouisti (libet enim Pauli verbis vti, quibus ille postea Pharisæorum atque scribarum confidentiam egregiè depinxit) & internoscis quæ ab hac discrepant, institutus ex lege: cõfidísq; te ducẽ esse cæcorum, lucem eorum qui sunt in tenebris, eruditorem insipientium, magistrum infantium, vt qui habeas informationem cognitionis ac veritatis per Legem: putas denique te proprijs viribus cœlum conscendere & tua iustitia regnum Dei promereri posse. Sed multùm falleris mi Nicodeme. Tam enim hoc abest, vt nisi quis renascatur & homo nouus fiat, regnum Dei ne videre quidem & illius mysteria à longe cognoscere, nedum assequi possit.

Pharisæorum confidentiam Christus arguit.

Rom. 2.

Hîc (inquam) verborum Christi sensus est, in quibus diligenter obseruare oportet, quòd non de Nicodemo solo, sed in genere de omnibus pronuntiat, quòd illos regenerari & totos innouari necesse sit, si regni Dei hæredes velint fieri. Exeo enim sequitur primùm hominis natiuitatẽ corruptam, & nos quoad naturam nostram à regno Dei alienos esse, neque nos illud nostris viribus posse consequi. Si enim pura & sancta esset natiuitas nostra, & ex ea haberemus vires, quæ ad salutem consequendam necessariæ sunt, regeneratione nequaquam esset opus. At corruptam et pollutam esse non scriptura modò sed res ipsa clamitat. Principiò quidem bene conditus fuit homo, & omnibus instructus quæ ad felicitatem veram pertinent. Per pecatum verò omni dignitate excidit, & cum hac vires quoque bene agendi amisit, atque peccati seruus factus est. Non ergo Dei filios generare potuit Adam, sed in corrupta sua imagine (vt scriptura loquitur) peccatores & filios iræ genuit, &

Regeneratiõ omnibus est necessaria.

hæc iam noſtræ naturæ conditio eſt, vt in peccato & concipiamur atque naſcamur, ſicuti de ſemetipſo Dauid fatetur. Pſalm. 51. Hinc ergo fit, quòd animalis homo non percipit ea quæ ſunt ſpiritus Dei, & regni cœlorum myſteria ignorat. Ex intellectu autem corrupto voluntas quoque corrupta ſequatur oportet, quæ hominem ad impura carnis ſtudia abripit. Quòd ſi vires quæras, quibus intellectum tuum illumines, & voluntatem prauam corrigas, nullas inuenies. Figmenta enim cordis noſtri praua ſunt ab ineunte ætate, & ex nobiſipſis ne ad cogitandum quidem ſumus idonei. Omnes ergo cum Paulo dicere cogentur: Noui quòd non habitet in me, hoc eſt, in carne mea bonum. Et poſſent hæc multis illuſtrari atque confirmari, ſed quid verbis opus eſt, vbi res ipſa loquitur? Recte ergo Chriſtus regenerationem neceſſariam eſſe docet, & ita phariſaicos ſpiritus omnium eorum retundit, qui ſuarum virium fiducia elati, ſalutem ſuorum operum meritis acceptam ferunt. Faciunt eòdem, quæ paſſim de noſtrijpſius abnegatione, de veteris hominis & carnis mortificatione & innouatione ſpiritus dicuntur. Quæ omnia cum non ſint noſtrarum virium, ex gratia nobis ſalutem obtingere neceſſe eſt, vt ſuo loco pluribus dicetur. Nunc ad vitæ etiam & morum inſtitutionem hoc Chriſti dictum transferamus: Vbi in infinitum per omnes prauorũ affectuum et peccatorum ſpecies extendi poſſet oratio. Sed ſummam rei inſpexiſſe proderit, modò eam ſinguli ſibijpſis & ſtudijs ſuis priuatis applicent: ne in ijs ſibi blandiantur, quæ contra Dei verbum deſignant. Si enim nos renaſci oportet, vt regnum Dei ingrediamur: ab hoc certè alieniſſimi erunt, qui carnis ſtudijs addicti ſceleribus atque vitijs indulgent: & fruſtra mores ſuos veteri conſuetudine & mundi exemplo tales excuſant, cùm nos ſeruari impoſsibile ſit, niſi peccato & mundo mortui, ad vitæ nouitatẽ reſurgamus in Ieſu Chriſto Domino & redemptore noſtro, cui debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.

HOMILIA XVIII.

Dicit illi Nicodemus: Quomodo poteſt homo gigni qui ſit ſenex? num poteſt in uentrem matris ſuæ ſecundò introire ac gigni? Reſpondit Ieſus: Amen amen dico tibi, niſi quis fuerit genitus ex aqua & ſpiritu, nõ poteſt introire in regnũ Dei. Quod genitũ eſt ex carne, caro eſt: quod genitũ eſt ex ſpiritu, ſpiritus eſt. Ne mireris quòd dixi tibi, Oportet uos naſci denuo. Spiritus ubi uult ſpirat, & ſonum eius audis: ſed neſcis unde ueniat, & quò uadat. Ita eſt omnis qui genitus eſt ex ſpiritu.

VT omnes, qui laborant & onerati ſunt, ad ſe inuitat Ieſus Chriſtus: Ita ſimul pollicetur, quòd neminem ad ſe venientem foras eijciat. Huius autem bonitatis exemplum euidens hoc Capite proponitur. Venit enim ad illum Nicodemus, ex infenſiſſima ipſi Phariſæorum ſecta: & nocte venit, tempore cumprimis importuno, idq; quòd illum adhuc Chriſti puderet, & ignauo metu à fidei veræ profeſſione abſterreretur. Idemque cùm ſcientiæ legalis & doctrinæ titulo præ alijs gloriaretur, ſtupenda tamen fuit eius ignorantia, quam hoc toto colloquio multis indicijs prodidit. Illum tamen nec faſtidit Chriſtus, nec vt merebatur, acerbius corripit: ſed amicè exceptum docet, & ab ipſis fidei atque religionis Chriſtianæ fundamentis facto initio, omnia proponit, quæ ad ſalutis cognitionem ſunt neceſſaria. Primò enim, quia Phariſæus erat, & ſuijpſius fiducia deceptus ſalutem ſuarum virium atque operum meritis acceptam ferebat, errorem iſtum palàm arguit, & regeneratione vel totius hominis innouatione opus eſſe docet, ſi quis ſeruari velit. Deinde regenerationis huius authorem indicat, & ſimul illius modum exponit, atque illic eius inſciiam quoque reprehendit. Tertiò de ſeipſo ſalutis Mediatore agit, vbi de ſua morte & vniuerſo humanæ redemptionis negotio diſputat. Quibus omnibus grauem ſubijcit hortationem, vt oblatam in ipſo ſalutem fide vera amplexetur, & docet quæ fidei ſint præmia, & quæ pœnæ incredulos & obſtinatos maneant. Hæc totius diſputationis ſumma eſt. Et de primo quidem nuper diximus. Sequitur ſecundum Caput de regenerationis authore & modo, de quo in præſenti, quod Dominus dederit, dicemus.

Argumentum totius colloquij cũ Nicodemo.

Occaſionem

Occasionẽ vlterius procedendi Nicodemus præbuit, qui cùm nihil sublimius saperet quàm quod verba sonabant, absurdissimum putat esse quod à Christo dicebatur, & ideò nouam quæstionẽ mouet, dicens: Quomodo potest homo gigni, qui sit senex? Num potest in ventrẽ matris suæ secundò introire ac gigni? Ita verò dum argutus videri cupit, & Christum dogmatis absurdi vult cõuincere, suam inscitiam prodit, & suo exemplo confirmat quod Christus de corrupta hominum natura dixit, quæ regeneratione opus habeat. Estque hoc magnum argumentum, quanta fuerit illo tempore scribarum atque sacerdotum cæcitas, cùm qui inter illos princeps habebatur, in salutis causa quæstionẽ moueat, qua nihil absurdius vel ineptius excogitari potuisset. Quasi verò quid nouum & inauditũ antehac Christus dixisset. Atqui ipsa Circumcisio, cùm in membro genitali fieret, homines hæreditariæ corruptionis & per Christum promissæ restaurationis admonebat. Sacrificia verò quid aliud erant, quàm spectacula mystica, quibus docebantur, mactandos esse pecuinos affectus, quos vnà cum suis effectis Christus esset expiaturus? Et prophetæ annon fœdus Domini nouum, nouum quoque ecclesiæ nomen pollicebantur, & quòd Deus legem suam omnium animis inscribere vellet? Hæc certè omnia regeneratione opus esse docebant, quæ hominem totum innouaret. Vnde ergo tam crassa ignorantia celeberrimi in ecclesia Iudaica doctoris? Ex eo nimirum, quòd neglecto verbi Dei studio circa hominum traditiones occuparentur, & iam hoc sibi persuasum habebant, hominem suis viribus & propriæ iustitiæ merito salutem consequi posse. Fieri itaque non potuit, vt eius rei mysterium intelligerent, qua sibi opus esse nunquam cogitarant. Ita hodie in Papatu multos videmus in philosophia ethnicorum & theologia ecclesiastica exercitatissimos doctores, qui si ex scripturis de aliquo fidei Christianæ articulo disserere iubeantur, infantes vel pueros esse reperias. Imò Nicodemi similes sunt quotquot liberi sui arbitrij & iustitiæ propriæ fiducia inflantur. Absurdum illis videtur quicquid de Christi solius merito, de gratia Dei & fidei iustificatione dicitur, & quæstiones ijdem ineptissimas mouent. Sed dum alios rident, & absurdarum opinionum accusant, suam ignorantiam turpiter produnt. Docet præterea Nicodemi exemplum, quàm noxium sit in religionis causa nudam literam vrgere. Vt enim hoc nuper Iudæis imposuit, ne Christum de sua resurrectione loquentẽ intelligerẽt: Ita hîc Nicodemo idem error imponit, & ipsi quæstionis absurdissimæ author est. Est ergo necessaria scripturarum collatio, & vt ad fidei analogiam examinentur quæcunq; obscurius sunt dicta: de quo nuper plura annotauimus.

Nicodemus quæstione absurda suã ignorantiã prodit.

Nunc Christum audiamus, qui nec ista quæstione offenditur, vt ineptissimum doctorẽ reijciat, sed illum diligentius & plenius instituit. Amen amen dico tibi (inquit) nisi quis fuerit genitus ex aqua & spiritu, non potest introire in regnum Dei. Primò cum asseueratione graui repetit, quod dixerat. Rata enim & firma semper manet Veritatis doctrina, licet illam multi non intelligant, multi etiam ei contradicant: neque propter auditorum absurdas obiectiones siue calumnias doctrinæ genus mutandum est. Ideò sic videtur dicere Christus: Absurdum putas Nicodeme, hominem renasci oportere, & nescio quam renascentiæ huius rationem crassissimam imaginaris. Sed non à tuo aut alterius hominis iudicio pendet istud mysterium, sed à Dei voluntate, quæ fiat oportet, etiamsi nemo mortalium eius rationes possit percipere. Quod ipsum omnibus responderi debet, qui hodie etiam absurdis quæstionibus ea in dubium vocant, quæ in Dei verbo perspicuè traduntur. Mox tamen vt errori eius medeatur, & nihil carnale hic somniandum esse doceat, authorem & modum huius regenerationis exponit, & hanc non ex vtero matris, sed ex aqua & spiritu fieri docet. Quem locum interpretes variè exponunt. Veterum plerique per aquam baptismum intelligunt, & per hunc nobis spiritum dari aiunt, qui nos in Dei filios regeneret. Et quamuis ijdem non indiligenter monuerint, effectum baptismi, non aquæ, sed spiritui sancto ascribi debere, hinc tamen erroris occasionẽ arripuerunt posteri, qui salutem baptismo ita alligarunt, vt qui sine hoc decedunt infantes à regno Dei excluderent. Qui error mox alium peperit, vt obstetricibus quoque baptismi administratio committeretur, secus quàm Paulus monuit, qui mulierem in ecclesia loqui vetat. Potest tamen tolerabilis censeri veterum expositio, si remotis superstitionibus baptismum consyderemus, quatenus per hunc in ecclesiæ consortium externè cooptamur, & idem in nobis regenerationis in Christo beneficiũ obsignat, quo nomine alibi lauacrum regenerationis dicitur. Quia verò Christus in præsenti de regenerationis authore & modo certo loquitur, qui nunquam fallit, constet autem baptismo non semper

Author & modus regenerationis.

coniunctum esse spiritus sancti effectum (ut nec olim Circuncisioni effectus internus semper aderat) tutius mihi videtur, si locum hunc non præcise, vt illi, de baptismo exponamus. Et vt ita sentiam, ipsius Christi verbis moueor, qui paulò posᵀ huius dicti rationem reddens, solius spiritus meminit: vnde colligo, per aquam aliquid intelligi debere, quod à spiritus operatione nunquam auelli potest. Quidam hæc simpliciter per similitudinem dicta esse sentiunt, ac si dixisset: Quemadmodum aqua & aer in mutanda corporum constitutione magnam vim habent, & sæpe aeris mutatione ijs opus esᵀ, qui à morbis inueteratis liberari volunt: Ita spiritus & mentis correctio illis est necessaria, qui innatam corruptionem excutere & regnũ Dei ingredi cupiunt. Estq; sensus hic pius, neq; quicquam à vero alienum habet, sed num Christi mentem hoc loco exprimat, videre nõ possum. Dicam igitur ego quoque aliorum pace quod sentio, integro semper ecclesiæ iudicio, adeocq; omnium qui ex scripturis meliora tradiderint.

In confesso esᵀ omnibus per spiritum regenerationis verum & vnicum authorem denotari, idq; sequentia Christi verba abunde testantur. Huic ergo cùm aquam cõiungat, ego per hanc instrumentum intelligo, quo spiritus sanctus in regenerandis hominibus vtitur. Illud verò baptismus dici non potest simpliciter, cùm multi priusquàm baptizentur iam regeniti sint, & olim adultis ex Iudæis & gentibus ille tunc demum daretur, qui iam Christum fide apprehenderant, & se renatos esse non obscuris signis demonstrabant, sicuti in Æthyopis eunuchi & Cornelij Centurionis multorumq; aliorum exemplis est videre. Quòd si quæras, quod nam illud proprium et ordinariũ sit organum, quo spiritus sanctus homines regenerat: non aliud meo iudicio proferri aut monstrari poterit, quàm Verbum Dei, quo gratia in Christo nobis exhibita prædicatur, quod & reconciliationis & gratiæ verbum vocat Apostolus. Hoc igitur per aquam Christus mihi intelligere videtur, & vt ita sentiam, Petri authoritate adducor, qui de regenerationis mysterio loquens, ait: Renati nõ ex semine mortali, sed ex immortali, per verbum Dei viui & manentis in seculum. Quibus verbis euidenter docet, verbo suo vti Deum, quando nos regenerat, & hoc verè dici, res ipsa testatur, quando constat absq; verbo neminẽ vocari ad ecclesiæ societatem, in qua renati Dei filij & hæredes efficimur. Quin ideo in totum orbem emissos esse scimus Apostolos, vt verbũ illud vbiq; prædicarent. Et de verbi præditatione Paulus loquebatur, quando Corinthiorũ patrem se vocabat, & se illos in Christo parturire
" dicebat. Et verbum suum alibi etiam aquæ cõfert Christus, nimirum propter effectum, quo animos
" purgat & cupiditatum sordes eluit, qua ratione etiam per ignẽ adumbratur. Huc enim referri debet ablutionis pedum historia, qua docet quotidie eluendas esse sordes, quas ex mundi & carnis consuetudine contrahimus: id quod verbi studio perficitur: quod vt ad pœnitentiam nos excitat, sic verum eius modũ præscribit. Et idem in vltima Cœna discipulis dicebat: Iam vos mundi estis propter verbũ meum, quod locutus sum vobis. Quò etiam Paulus respexit, quãdo de Ecclesia loquens, eam à Christo lauacro aquæ per verbum purgari dicit. Verbi enim ideò meminit, ne quis aquæ baptismi purgationem illam tribuat, sed hunc eius purgationis sigillum agnoscamus, cuius ille nobis author est, & quam per verbum suum nobis offert. De hoc igitur Christus loquitur, & ad huius studium remittit eos, qui renasci cupiunt. Et huc pertinet, quòd Verbũ alibi semen dicitur, & eius prædicatio sementi confertur. Vt enim in generatione semen aliquod sit oportet, ex quo illa fiat: Ita in regeneratione nostri semine opus est, quod Dei verbũ esse, modò ostendimus. Deinde vt semen terræ mandatur, & nisi hoc fiat, nihil potest gignere: Ita Dei verbum in animos nostros demitti oportet, quod prædicatione aut priuata lectione aut etiam colloquio piorum fieri consueuit. Rursus vti terram ad excipiendum semen idoneam esse conuenit, vt idem retineat, foueat atque conseruet: Ita animos præparari necesse esᵀ, vt ad Dei verbum dociles & studio discendi flagrantes accedant, auditum vel lectum apprehendant, apprehensum intra se conseruent, & diligenti meditatione foueant, ne vel ab infelici cupiditatum & malarum cogitationum auitio deuoretur, vel à spinis & sentibus curarum huius seculi suffocatum pereat, quantum in nobis esᵀ. Vt verò semen sui simile gignit: Ita Dei verbum animis nostris verè apprehensum occulta & à Deo insita virtute, occulta atq; diuina spiritus operatione viuificatur, & mox in illis primò vim suã exerit, eos immutat, & sui similes facit, puros nimirum, sanctos & Deo consecratos: & quia animus omnium actionum fons est, illas quoq; dirigit, vt qui prius nihil præter terrena atq; carnalia sapiebat, cogitabat, loquebatur,

loquebatur, faciebat, nunc cœlestia, spiritualia atq; diuina sapiat, cogitet, loquatur atq; faciat. Hinc ergo nouus ille homo prodit, hæc illa est regeneratio, quæ non corpus mutat, neq; iuxta Pythagoram animam in aliud corpus transfert, sed animum hominis innouat, ex quo totius hominis mutatio dependet. Facit enim vt in nobis Christus viuat, & fructus feramus nostra vocatione dignos. Hanc ergo in præsenti requirit Christus, & simul nos (vt supra diximus) ad verbi sui studiũ relegat, quo carere non possunt, quicunq; in Dei filios regenerari volunt. Et hæc illa regeneratio est: sine qua regnum Dei nemo potest consequi. Hanc verò quicunq; affectant, ij Dei verbum audiant & in eius meditatione assidua versentur, vt illius semen fide vera concipiant. Addant huic legitimum vsum Sacramentorum, quæ quod verbo prædicatur, sensibus quoq; nostris quasi percipiendum offerunt, & vniuersum redemptionis nostræ beneficium nobis obsignant. Et sanè plurimùm huc facit baptismi administratio. Dum enim hominẽ ex Christi instituto in aquam intingi, & ex eadem rursus emergere videmus, quis non cogitet, nos in Christi mortem ea conditione baptizari, vt peccato mortui in eodem ad vitæ nouitatem resurgamus? Similiter cùm in Cœna mystica panis & vinum nominibus corporis & sanguinis Christi proponuntur, & illa edere atq; bibere iubemur: quis nõ videat, Christũ nobis cibum & potum vitæ factũ esse, & nobis perinde vt cibus & potus corporibus nostris vniũtur, coniungi debere, vt in illum toti transmutemur? Coniungamus hisce meditationibus pias preces, vt spiritus sui virtute Deus studium nostrũ adiuuet, & mox regenerationis istius cœlestis effectus sentiemus. Sunt hæc piorum exercitia, quæ qui contemnunt & negligunt, ij se à regeneratione quàm longissimè abesse testantur, neq; dignos esse qui Christiani dici debeant, &c.

Regeneratio per spiritum fiat oportet.

Porrò rationem subijcit Christus, qua probat regenerationem per spiritum fieri oportere. Quod genitum est ex carne (inquit) caro est: quod genitum est ex spiritu, spiritus est. Ex ipsa rerum natura argumentatur, cuius lex est, vt vnumquodq; sui simile generet. Potest autem argumentum sic formari: Nisi spirituales simus, regnum Dei non possumus ingredi. Caro spirituales gignere non potest, sed quicquid ex carne nascitur caro est, & carnis ingenium sapit. Ergo spiritu fiat oportet generatio ista, de qua hic agimus. Carnem verò vocat vsitato more scripturarum totum hominẽ, quoad corpus & animam, quia totus carnis affectu & ratione regitur. Et ita rursum ad crassam Nicodemi quæstionem respondet. Quasi diceret. Etsi possibile esset hominem in vterum matris redire, aut etiam alia quadam ratione secundùm carnem renasci, non tamen alius quàm caro, id est, carnalis, & proinde peccator & mortis æternæ reus nasceretur, neq; hoc ad consequendum regnum Dei aliquid momenti conferret. Spiritus operatione hic opus est, qui solus potest homines facere spirituales, qui nimirùm sopitis affectibus carnis, se totos Deo regendos præbeant. Neq; enim hic de corporis aut substantiæ carnis mutatione agitur, sed de cordis seu mentis innouatione, ex qua totius vitæ & morum mutatio dependet.

Caro cum suis institutis damnatur.

At vna hæc sententia carnem simul damnat & quicquid illa in salutis negotio statuit. Nam vt heri diximus, peccatum per primos parentes ingressum totam hominis naturã perdidit. Reliquæ quidem sunt dotes aliquot, quibus à brutis differimus, numinis scilicet sensus quidam atq; metus, ingenij solertia, voluntatis & animi propensio, &c. Sed tanta peccati atq; naturæ corruptæ vis est, vt omnibus istis ad malum abutatur homo, nisi illum Deus potenti & efficaci spiritus operatione refingat siue reformet. Ex numinis enim metu superstitiones oriuntur, & idem olim Deorum multitudinem peperit, quod poeta obseruauisse constat, dicentem: Primus in orbe Deos fecit timor, &c. Ingenij autem solertia fraudes parit, & ad nocendum artes quotidie excogitat. Voluntas verò non nisi ad vetita inclinat, vt non minus verè hoc quoq; à poeta dictum sit: Nitimur in vetitum semper, cupimusq; negata. Nihil ergo quàm carnem caro generat, quàmdiu Dei spiritu destituitur, qui verbi luce mentes illuminat, cogitationes & consilia regit, cupiditates malas restinguit, & voluntatem quoq; ad bonum inclinat. Iugulantur itaq; hoc dicto omnes omnium sectarũ superstitiones, quæ cùm meris hominum traditionibus nitantur, per carnem in cœlos viam commonstrant. Si enim caro est quicquid ex carne nascitur, carnales sint oportet omnes cultus, quos ratio carnis excogitat, & non alios quàm carnales efficere possunt. Cuius rei infallibile argumentum est, quòd plerunq; in corporali exercitatione consistunt, quam Paulus non multum vtilitatis habere ait: vtpote in ieunijs & superstitioso ciborum discrimine, vigilijs, peregrinationibus, chameunijs, rasura, cilicijs & cucullis

multiformibus. Quid enim ista ad regnũ Dei, quod nec cibum neq; potum, & proinde neq; rasuram neq; cucullam aut cilicium esse idem Apostolus docet? Quæ ergo est monachorum & sacrificulorum insolentia, qui quòd rasi & vncti sunt, spirituales dici volunt, reliquos verò omnes pro laicis atque prophanis habent? Vnde enim illa vnctio & rasura vnà cum omnibus alijs illorũ ritibus originem duxêre? Annon humanæ rationis commenta, & proinde caro sunt? Qua verò audacia viros politicos, coniuges, patresfamiliâs, opifices, agricolas & alios eius generis, qui in Dei vocatione ex fide vera ambulant, pro laicis & prophanis explodunt, cùm soli ij spirituales sint, qui Dei verbum audiunt, & ex eius semine per spiritum renati, à Deo sibi commissam functionem fideliter obeunt? Clament illi ad rauim vsq; se spiritales esse, ad quos solos scripturarum lectio & ecclesiæ gubernatio pertineat: nos tamen illis hoc Christi occinemus: Quod ex carne genitum est, caro est. Et illud Pauli: Affectus siue sensus, aut potius intelligentia carnis, mors est. Rom. 8.

Simili docet nõ impossibile esse regenerationis mysterium.

Quia verò Nicodemum adhuc ignorantem videbat Christus, & quòd regenerationem hominis impossibilem esse putaret, medetur eius stupori per similia quæ ex rerũ natura, adeoq; vsu quotidiano petit. Ne mireris (ait) quod dixi tibi, Oportet vos nasci denuò, &c. Debent quidem salutis mysteria cum admiratione pia consyderari, sed stuporẽ prohibet, qui fidei obstat, dum facit vt impossibile putemus quicquid nostræ rationis captum superat. Et mox docet in rerũ natura reperiri exempla, quæ huic doctrinæ fidem faciunt. Videtur autem ex Hebraica voce Ruah, quæ spiritũ & ventum significat, similitudinis occasionem sumpsisse, & illã pro Vento hic accipi debere totus contextus probat, idemq; vetustissimi interpretes fatentur. Dicit ergo: Spiritus, id est ventus quò vult spirat, & sonum eius audis: sed nescis vnde veniat, &c. Sensus est: Si mirum & impossibile tibi videtur, hominem per Dei spiritũ innouari, vide saltem quid crassior ille spiritus, ventus nimirùm aerem commouens, efficiat. Annon ille spirat pro suo arbitrio, id est, cursu libero fertur, non pro hominum voluntate? At si omnia eius ad humanæ rationis calculum reuocare velis, frustra defatigaberis. Nam audis quidem illius sonum, & impetum sentis: sed vnde veniat siue incipiat, & quò vsq; extendat cursum suum, nemo hominum potest cognoscere. Talis est omnis qui genitus est ex spiritu, id est talis est spiritus sancti vis & efficacia in omnibus renatis, seu potius electis, qui per illum regenerantur. Etsi enim carnis ratio modum inuestigare non possit, quo ille in hominibus operatur, sentitur tamen & videtur eius efficacia, vt vel impij admirabilem mutationẽ in illis agnoscere cogantur, qui prius ipsorum similes carni & mundo viuebant.

Naturalium rerum consideratio fidei confirmandæ seruit.

Interim exemplo suo docet Christus, vt in fidei mysterijs, quæ carni impossibilia videntur, ad rerum naturam recurramus, & cùm ibi reperiantur quæ non minus rationem nostram excedunt, non dubitemus Deum maiorem potentiam in ijs proferre, quæ ad regni sui æterni administrationem pertinent. Obseruauit hoc in resurrectionis articulo Paulus, quando de hoc dubitantes ad sementis consyderationem remittit: & hoc ipsum in omnibus Dei promissis probè est obseruandum, et inde nos in fide plurimùm confirmari sentiemus.

Spiritus sanctus uenti instar operatur.

Quoad verò huius loci tractationem, primò discimus, spiritum Dei liberè ferri & operari. Vt ergo hominũ mandatis non alligatur, ita nec vllis tyrannorũ edictis aut viribus impeditur, quò minus electos Dei regeneret, & regni cœlestis faciat hæredes. Facit hoc ad nostræ salutis certitudinem, & nos aduersus eos consolatur, qui euangelij cursum aut consilijs insidiosis aut etiam viribus & armis inhibere conantur. Nec enim illi plus proficient, quàm si quis vento leges præscribere, aut illius flatum prohibere instituat. Deinde admonemur, spiritum hunc in electis non otiosum esse, sed ita operari, vt ipsius effectus sentiatur & conspicuam vitæ prioris mutationem afferat. Falsò igitur Christiani nominis titulo gloriantur, in quibus nulla vitæ emẽdatio apparet, & qui carnis cupiditatibus indulgere pergunt. Instruit nos præterea locus hic aduersus maligna mundi de nobis iudicia, qui nos vanis opinionibus ferri, aut prauis affectibus exagitari, vel etiam à malo dæmone impelli dicit, vt nouum religionis & vitæ genus suscipiamus. Nescit enim infelix vnde procedat spiritus ille, & quò vsq; vires suas extendat. Non mirùm ergo si ita de nobis iudicet. Hæc certè causa fuit, quòd ipsum Christum hostes Samaritanum & dæmoniacũ dicebant. Curemus potius vt fidei synceritate, vitæ innocentia & morũ probitate calumnias eiusmodi confutemus: & in Christo Iesu spem habeamus

mus inuictam, qui ex suo verbo & spiritu regenitos facilè agnoscit, & illos olim in regnum suum transferet. Ipsi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.

HOMILIA XIX.

Respondit Nicodemus & dixit ei: Quomodo possunt hęc fieri? Respondit Iesus & dixit ei; Tu es ille magister Israelis, & hæc ignoras? Amen amen dico tibi, quod scimus loquimur, & quod uidimus testamur: sed testimonium nostrum non recipitis. Si terrena dixi uobis, & nō creditis, quomodo si dixero uobis cœlestia, credetis? Et nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit è cœlo, nempe Filius hominis qui est in cœlo.

Quoniam homo per lapsum peccati non modò à dignitate sua priori excidit, verumetiam intellectus & rationis luce spoliatus est, vt cœlestia sapere non possit: salutis nostræ principium est, vt primò quidem corruptionem nostram agnoscamus, deinde verò cœlitus renati in homines nouos transformemur. Ideo cùm Christus Nicodemum instituere vellet, quē sciebat pharisaico errore inflatum, proprijs sui ingenij viribus & operum suorum meritis confidere, ab hoc articulo doctrinæ suæ exordium fecit. Et quia Nicodemo hoc nouum erat & insolens, regenerationis authorem & modum nuper exposuit: nimirùm quòd omne hoc spiritus sancti operatione perfici oporteat, qui semen verbi in nobis viuificet, & ita nos totos ad eius præscriptum innouet atq; transformet. His modò grauis reprehensio subijcitur, qua Nicodemi tarditatem corripit, & in illo simul omnes excitat, vt se vnicum veritatis doctorem audiant, & totis animis complectantur.

Nicodemus iterum suam ignorantiā prodit.

Occasionem huic quoq; tractationi Nicodemus præbuit: qui cùm Christus mysterium hoc similibus venti vel aeris exposuisset, adhuc tamen tardus & tantarū rerum consyderatione quasi attonitus, rursum interrogat: Quomodo possunt hæc fieri? Et hoc dicēs, nō simpliciter de modo quærit, sed quia à Christo expositū non potuit intelligere, impossibile illi videtur quicquid de renascentia & innouatione hominis hucusq; audierat. Ita verò proprio exemplo probat, verè dictum fuisse à Christo, Neminem, nisi prius regeneretur, posse regnum Dei videre, aut eius mysteria percipere. Solet hoc ipsum nostri seculi pharisæis accidere. Impossibile illis videtur, hominem absq; suorum operum meritis iustificari ex sola gratia per fidem in Iesum Christum. Causa erroris huius est, quòd suis viribus nituntur, ingenij sui solertiæ confidunt, & iustitiæ suæ plurimùm tribuūt. Sed quò magis ista omnia iactitant, & contra veritatem disputando ingenij sui vires magnificè ostentant, eò turpius produnt suam corruptionem atq; infantiam. Discamus ergo, nullam esse in fidei atq; salutis negotio remoram nocentiorem, quàm si modum mysteriorū cœlestium ad nostræ rationis calculum reuocare velimus. Hinc enim fit, quòd impossibile putamus esse, vel etiam absurdum, quicquid nostri ingenij captum excedit. Consultissimum verò fuerit, intellectum nostrum & sensum omnem per fidei obedientiam Dei verbo subijcere, & quod illo traditur, fide indubitata amplecti quando constat, Deum & veracem & omnipotentem esse, & proinde velle simul & posse præstare quæcunq; pollicetur. Neq; tamen audiendi sunt, qui sui capitis figmenta per Dei omnipotentiam probare solent. Non enim hæc ab illius voluntate debet diuelli, neq; valet quod ab omnipotentia Dei ducitur argumentū, nisi ex verbo nobis constet de ipsius voluntate.

Christus Nicōdemi tarditatē corripit. Rom. 14.

Sed ad Christi responsionem accedamus, qui Nicodemi tarditatē vehementer corripit. Ita verò fieri oportebat, vt verbi & spiritus magisterio se submitteret, quod nunquam faciunt quicunq; se satis oculatos & sapientes esse arbitrantur. Confutat autem Christus exemplo suo eos, qui nullius ignorantiam traduci volunt aut argui, & nunquam non illud Pauli in ore habent: Vnusquisq; in sensu suo abundet. Vbi primùm Græci sermonis ignorantia & veteris interpretis hallucinatione decepti, verbis Apostoli sensum alienū affingunt, quasi ille iubeat vnumquenq; proprio consilio vti & suam mentem siue intentionem sequi: cùm ille nihil frequentius quàm fidei obedientiam præcipiat, quam euangelicæ prædicationis finem atque scopum esse docet. Et in eo etiam loco non iubet vt quisq; quod

fibi rectum videtur faciat, sed vt singuli de sua sententia ex Dei verbo certi fiant, & huic sese præbeant regendos. Constat enim πληροφορίαν τῆ πληροφορεῖσθαι de fidei certitudine passim dici, quæ nisi in Dei verbum recumbat, nulla omnino esse potest. Deinde quod de rebus mediis atq; indifferentibus illic dicitur, isti ad fidei articulos extendunt, sine quibus salutis ratio non potest consistere. Adhæc dum fidei mysteria nostri ingenij arbitrio subijciunt, omnia in religione dubia & incerta faciũt. Sed aliter Christus, qui vt hoc loco Nicodemum, ita alibi scribas & sacerdotes grauiter corripuit: & olim in lege iussit bouem errantem ad herum suum reducere. Porrò singulas huius correptionis partes ex ordine videamus.

Primò ait: Tu es ille magister Israelis, & hæc ignoras? Ex quibus verbis apparet, Nicodemũ celeberrimum & summæ authoritatis doctorem fuisse. Non autem illi hunc dignitatis gradum exprobrat Christus, quem ex officio obtinebat, sed rerum cognitu necessariarum ignorantiam. Et habent verba hæc suum pondus siue acrimoniam. Quasi diceret. Turpe est ea ignorare doctorem, quæ ipse alijs tradere debebat: neq; in ecclesia doctoris nomine dignus est, qui salutis rationem nondum intelligit. Tu verò, cùm in Israele, id est in electo Dei populo doctoris summi atq; celeberrimi nomen sustineas, non te pudet tam rudem esse & ignorantẽ eorum, quæ prima salutis humanæ fundamenta sunt? Vix ergo aliquid grauius dicere poterat Christus, quàm quòd verbis hisce paucissimis dixit.

Doctorũ ignorantia publicè debet corripi.

Rursum verò admonemur, non modò vulgus hominum, verumetiam ipsos doctores propter ignorantiam atq; insciitiam argui atq; corripi debere. Nec enim in priuatis hominibus excusari potest ignorantia salutis & eorum, quæ ad hanc pertinent, cùm illa Deus tam fideliter nobis reuelet. Quod si verò illa in doctore deprehendatur, non reprehensione modò, sed odio & detestatione dignissima est. Nec enim in illis solis hæret malũ istud, sed in alios omnes redũdat, qui Legem Domini ex ipsorum ore quærere, & per illos erudiri debebant. Non potest ergo non miserrima esse conditio populi, qui ab eiusmodi doctoribus regitur: quia tunc impletur illud Solomonis, Deficiente prophetia, dissipatur populus. Et illud Christi: Si cæcus cæco dux fuerit, ambo cadunt in foueã. Patet hoc in exemplo Iudæorum, quorum commiseratione Christus apud Matthæum vehementissima motus fuisse dicitur, eò quòd illos dispersos videret instar ouium, quæ pastorem non habent. Nam etsi pastorum titulo superbos haberent quàm plurimos, ijdem tamen ignorantes erant, & hoc etiam Nicodemo nostro rudiores, & proinde fidei suæ commissos turpiter seducebant. Quod cùm semper fiat, vbi doctores eiusmodi ecclesiæ præsunt, publicæ salutis ratio postulat, vt illorum insciitia arguatur. Vtinam verò correptionem omnes tam patienter ferrent quàm Nicodemus iste, qui nec verbis durioribus Christum excepit, neq; ab illo discessit, sed monenti aures præbuit, sicq; in salutis negotio profectũ fecit minimè pœnitendum. Hodie ne errasse videantur qui sibi in ecclesia primum locum vendicant, non modò errores manifestos defendunt, verumetiam insanis clamoribus, horrendis conuitijs & aperta vi monitores fidos reijciunt. Sed accidet illis quod reliquis Iudæorũ sacerdotibus, quibus Romanos milites reformatorum loco superinduxit Deus, cùm filium suum nollent audire.

Doctrinæ Christi veritas & certitudo.

Cæterùm poterat Nicodemus aliorum exemplo ignorantiam suam excusare, & simul vniuersalem Iudæorum consensum prætexere, quo Christi doctrina damnabatur. Occurrit ergo hic, & grauicum contestatione illius veritatem atq; certitudinem asserit. Amen amen dico tibi, quod scimus loquimur, & quod vidimus testamur: sed testimoniũ nostrum non recipitis. In plurali numero ista dicit, vt se cum Ioanne Baptista, vel etiam cum prophetis omnibus coniungat, qui ex spiritus reuelatione iam olim eadem docuerant. Et sensus verborum est: Scio mi Nicodeme, non te solum in istorum consyderatione hallucinari, sed doctrinam meam vniuersali vestræ gentis consensu contemni atq; explodi. At non ideo tibi illa suspecta esse debet, eò quòd hominũ iudicia veritati nihil derogare aut detrahere possunt. Nam vt vt vos de doctrina ista sentiatis, ego tamẽ sanctè affirmare possum, nihil ea contineri, quod non nobis abundè compertum sit. Sed quæ vestra est peruicacia, vos testimonium nostrum non recipitis, cùm interim nimium faciles sitis in recipiendis hominum ineptorum & superstitiosorũ traditionibus, quibus simplex & salutifera Veritatis doctrina obscuratur. Ita verò euangelij doctrinam pharisæorum cõmentis opponit, quæ apud illos in summo pretio erant, cùm nec veteris scripturæ authoritate, nec idoneis rationibus confirmarentur. Est verò locus hic diligenti obseruatione dignissimus, eò quòd euangelij veritatem atque certitudinem grauissimè asserit atque confir-

confirmat. Primò enim dum omnium prophetarum personam in se suscipit Christus, illorum consensum omnibus ijs opponit, qui sua figmenta ecclesiæ obtrudunt: nosq; suo exẽplo admonet, vt ipsi quoq; scripturæ veteris & nouæ authoritatem omnibus ijs opponamus, qui sine Dei verbo Patres, Concilia, Canones, Decreta & quæ alia sunt huius generis, tonant. Deinde iusiurandum interponit, quo nunquam nisi in rebus serijs atq; grauissimis vti consueuit. Tertiò, Quod scimus loquimur, inquit. Ergo nihil hic fictum traditur, aut quod nusquam in rerum natura sit: vt solent qui de Dijs fictitijs & superstitiosis cultibus verba faciunt. Quartò, Et quod vidimus testamur. Ipsos sensus in testimonium adducit, ne quis illusionibus & imaginationibus friuolis deceptos putet. Viderunt autem mysteria hæc prophetæ ex spiritus reuelatione, & ideo olim Videntes dicti sunt. Vidit Ioãnes cœlos apertos & columbæ instar descendentem spiritum sanctum, & simul vocem patris de filio cœlitus testantis audiuit. Vidit Christus iam inde ab æterno in sinu patris ista mysteria. Viderũt ipsum & audierunt, imò cõtrectarũt Apostoli, quos totius orbis doctores esse voluit. Postremò, Testamur inquit; vt ostendat hoc non vulgare nuncium aut doctrinæ genus esse, quod obiter & quasi aliud agendo proponatur: sed testimonium esse, de quo dubitare nefas sit, cùm in lege duorũ aut trium testium sermoni fidem habere iubeamur. Et hæc quidem in doctrinæ suæ commendationem dicit verus & æternus Dei filius, quibus adde Apostolos, Martyres & electos omnes, qui doctrinã hanc per annos iam mille quingentos non sua voce modò, sed vita sua, sed sanguine, sed diris & horrendis supplicijs, sed morte ipsa confirmarunt: & cogêris fateri, nullum vnquam doctrinæ genus fuisse, quod cum euangelio conferri possit.

Euãgelij authoritas nõ pendet ab hominibus.

At non minori diligentia obseruabis, quòd addit: Sed testimoniũ nostrum non recipitis. De quibus enim hoc dicit Christus? De Iudæis, penes quos tunc erat ecclesiæ titulus: imò de sacerdotibus & scribis, qui ecclesiæ antistites, doctores & columnæ habebantur. Quid ergo ad hæc respondebunt, qui euangelium ab Ecclesia comprobari oportere clamãt? Annon de ea, quæ tunc erat, ecclesia Christus queritur, quòd testimonium eius non recipiat? An ideo testimonium Christi à nemine recipi debuit, quia quæ tunc erat ecclesia illud explodebat? Annon potius quia illud non recipiebat, ecclesia esse desijt, nisi quoad nomen & externam speciem? Annon alibi Christus se ab homine testimoniũ accipere negat? Vtitur quidem hominum testimonio in regni sui propagatione, sed nõ quòd illo opus habeat, sed vt suam erga nos bonitatem declaret, & nostræ ruditati sese accommodet. Habet enim ex semet ipsa suam authoritatem veritas, neq; inanibus hominũ fulcris siue præsidijs nititur, qui vt falli possunt, ita ipsi frequenter alios fallere consueuerunt. Neq; nos offendi decet, si quando pauciores sunt qui euangelio credunt. Primò enim hominum incredulitas Dei verbo nihil derogat, cùm nec hominum verbis, quæ per se vera sunt, nihil derogare possit. Deinde est hoc mundi ingeniũ, vt cùm quæuis figmenta facile recipiat, ad solum Dei verbũ attonitus obstupescat, & quod illo traditur putet absurdum esse & impossibile. Docet hoc omnium seculorum experientia. Quid obsecro absurdius, impudentius & turpius excogitari potuit, quàm quæ olim gentes de Deorum suorum multitudine, generatione, nuptijs, imò stupris & adulterijs finxerunt? vt iam de sacris illorum nihil dicamus quorum alia scurrilibus iocis, alia omni libidinis genere, multa etiã cædibus cruentis & parricidijs prophanarunt. Attamen non modò fidem illa inuenerunt apud homines, sed communi omnium gentium consensu approbata sunt, vt pleriq; per scelera Deos placari & salutem sibi obtingere arbitrarentur. Idem de Mahometicis fabulis dicere possumus, quæ cùm putidissimæ sint, in illis tamen regionibus locũ inuenerũt, in quibus olim ipsius Christi & Apostolorum vox primùm audita fuerat. Nec alia est eorum ratio, quæ in Papatu, monachorum scriptis et viua sacrificulorum voce raduntur de purgatorio, de spirituũ apparitionibus, de reliquijs, indulgentijs item & sexcentis alijs: quæ cùm absurdissima sint, creduntur tamen, & pecunijs redimuntur, è contra verò sola euangelij veritas explodi tur, & impossibile aut absurdum putatur quod per verbum suũ Deus nobis proponit. Hoc (inquã) cùm sit mundi huius ingenium, & tale omnibus seculis fuerit, cur ista hodie fieri miremur? Quin potius cogitemus, Dei verbum à nemine impunè contemni: neq; aliorũ exemplis excusantur illius contemptores, eò quòd ab vnius Dei authoritate nos pendere conuenit, & vnius Dei vocem sequi.

Ignorantiæ causam in ipsos reijcit.

Pergit verò Dominus, & magis adhuc arguit communem gentis totius ignorantiam, & huius causam in ipsis hærere docet, quia se nolint audire, qui solus hæc mysteria tradere possit. Si (inquit)

terrena dixi vobis, & nō creditis, quomodo si dixero vobis cœlestia, credetis? Terrena vocat ipsum doctrinæ suæ genus, quod non sublimi mysteriorū cœlestium tractatione assurgebat, sed similibus & parabolis è vulgo petitis illustrabatur. Vt enim nuper regenerationis mysterium per venti aut aeris parabolam exposuit: ita passim similibus vsus est euidentissimis, quibus sese hominum captui accommodauit. Est hoc magnum bonitatis diuinæ argumentum, cùm ita sese demittat æterna illa sapientia, vt nobiscū quasi balbutire dignetur. At simul ex eo nostra arguitur stupiditas atq; arrogantia: illa quidem, quòd salutis ratione adhuc non percipimus, sed per inanes speculationes quasi in alieno orbe oberramus: hæc verò, quòd cùm tales simus, nostri tamen ingenij vires, arbitrij libertatem, operum merita plenis buccis prædicamus. Singuli ergo sibi dictum putent quod hic ad retundendā phariſaicam Nicodemi aliorumq; Iudæorum confidentiam dicitur. Si enim ex nobisipsis non percipimus salutis mysteria, quæ similibus rerum vulgarium & vsitatissimarum adumbrari possunt: quæ dementia est, in cœlum ipsum proprijs viribus velle ascendere?

Nemo ascendit in cœlum, nisi filius hominis.

Quin potius Christum audiamus, qui dicti sui rationem reddit, & simul docet quo Mediatore nos in hac causa adiuuari oporteat. Dicit enim: Et nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit è cœlo, nempe Filius hominis qui est in cœlo. Particula ET pro causali ponitur, quod Hebræis frequens est admodum. Potest autem locus bifariàm exponi, & ita sententiā hanc Christus huic tractationi consultò interposuisse videtur, vt ad præcedētia simul & sequentia referri possit. Si ad præcedentia referatur, causam cæcitatis ostendit, quam in Iudæis accusarat, & se solum eius medicū esse profitetur. Tunc verò in cœlum ascendere idem erit, quòd regni cœlorum mysteria & arcanam Dei voluntatem scrutari. Quo sensu olim Moses dicebat, de vero & æterno salutis præcepto loquens: Non est in cœlis: vt dicas, Quis ascendet nobis in cœlos vt ipsum nobis afferat, &c? Hoc igitur in præsenti dicit Christus. Non mirum est, vos in mysterijs hisce ita hallucinari, dum vestri ingenij sagacitate illa scrutamini. Nec enim vlli mortalium hoc datum est, vt ipse cœlum conscendat, & regni Dei arcana inuestiget. Solus Filius hominis is est, qui illa manifestat, & eorum cognitione hominis mentem illuminat. Etsi enim in cœlo sit, Deo patri nimirum coæternus & consubstantialis, descendit tamen & homo factus est, vt mysteria hæc annunciet, & vera Dei atq; voluntatis eius cognitione illuminatos secum in cœlum subueheret. Idem ergo hic dicitur, quod supra: Deum nemo vidit vnquam, vnigenitus ille filius qui est in sinu patris, ipse enarrauit. Quòd si ad sequentia hoc membrum referas, transitum facit Christus ad tertium huius tractationis caput, quo totū nostræ redemptionis negotium exponit, cuius se Mediatorem esse docet. Præmittit ergo quod in huius consyderatione primum est: hominem scilicet nihil hic posse suis viribus aut meritis, ideoq; se in mundū venisse, vt suæ mortis merito redemptos seruaret & regni cœlorū hæredes faceret. Vterq; sensus præsenti instituto probè conuenit, adeoq; cōiungi debēt, vt intelligamus nobis Christo & doctore & seruatore opus esse, si regnum Dei consequi velimus.

Deute. 30.

Veritas incarnationis Christi asseritur.

Disputant ex hoc loco nōnulli aduersus veram Christi incarnationē & humanæ in illo naturæ veritatem. Olim enim Apollinaris & eius similes, Christi carnem cœlitus per Mariam, ceu canalem, transijsse, non autem ex illa assumptam esse contendebant. Sed cōuincuntur illi totius scripturæ authoritate, quæ Christum semen mulieris, semen item Abrahami & filiū Dauidis nominat. Et angelus Mariæ dicebat: Quod in te nascetur: Non, Quod in te descendet è cœlo &c. Rursum hodie reperiuntur, qui vt euincant Christi corpus perinde vt eius deitatem vbique præsens esse et per omnia diffundi, huius loci verba & literā vrgent, et Christum cùm hæc diceret, quoad corpus etiam in cœlo fuisse clamant. Sed his opponimus, quòd ne in terris quidem corpus Christi vnquā simul diuersis in locis fuerit, nec vlla fiat eius miraculi mentio apud euangelistas, qui hoc non fuissent dissimulaturi, si quid tale vnquam fecisset. Ipse certè se Bethaniæ fuisse negat, cùm illic Lazarus moreretur: quod non aliter quàm de eius corpore potest intelligi. Et corpus eius quærentibus Marijs angelus dicit: Surrexit, non est HIC: Vt infinita huius generis testimonia omittamus. Restat ergo, vt veteres interpretes secuti, locum hunc per Idiomatum communicationem exponamus, qua fit, vt interdum de toto Christo dicatur, quod de altera tantùm natura potest intelligi. Solet autem eiusmodi locutionibus vti scriptura, vt & personæ vnitatem exprimat, & inter naturas distinguat. Ex cœlo igitur descendit Filius hominis, quando Dei filius ex muliere homo natus est. Idem verò in cœlo manſit

semper

semper quoad Deitatem, qua patri indiuulsè vnitur, & quæ mutationem nullam suscipit. Hoc sensu olim orthodoxi patres multos scripturæ locos feliciter conciliarunt, qui primo aspectu inter se dissentire videntur. Quòd si cui placet contentionis studium, quæ paradoxis delectatur, rixetur quantum velit, sed Christum olim iudicem venturum sciat, cui de quouis verbo otioso rationem nos reddere oporteat. Nos ad Christi Iesu institutum respiciamus, qui vt toto hoc loco Nicodemi & Iudæorum omnium ignorantiam arguit, ita docet se vnicum salutis nostræ magistrum atque doctorem esse. Ipsum ergo audiamus, vt eius spiritu atque verbo edocti sanctè ambulemus, & per illius meritum regni æterni atque cœlestis hæredes efficiamur. Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

HOMILIA XX.

Et sicut Moses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis: ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat uitam æternam. Sic enim Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum dederit: ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat uitam æternam. Non enim misit Deus filium suum in mundum, ut iudicet mundum: sed ut seruetur mundus per eum.

QVemadmodum in corporis medicina certam morborum cognitionem habere conuenit, vt quæ pharmaca adhibenda sint medicus intelligat, & illa sibi adhiberi ægrotus patiatur: Ita in salutis humanæ negotio ante omnia peccatorum & corruptæ naturæ notitia opus est, vt salutem extra nos quærendam esse sciamus, & vnicum huius authorem patienter admittamus. Quia verò tanta est in nobis naturæ corruptio & cæcitas, vt peccata nostra videre non possimus, sed & voluptatem singularem captemus ex illis, quæ nos totis animis odisse oportebat, multiuariàm peccata arguit Deus, vt horum cognitione nos ad salutis studium excitet. In hunc enim finem olim Lex data fuit, & de spiritu sancto Christus testatur, quòd mundum peccati conuincat. Idem Apostolis Euangelij prædicandi munus committens, illos à pœnitentia exordiri iubet. At pœnitentiam alicui persuadere impossibile est, nisi peccatorem esse conuincas, & infelicem peccati conditionem illi ob oculos ponas. Quapropter eodem ordine Christus quoque procedit in tota hac tractatione, quæ ipsi cum Nicodemo intercessit. Quia enim is ex Pharisæorum numero erat, qui suarum virium & propriæ iustitiæ fiducia inflati, gratiam Dei non magni faciebant, principiò statim vt fiduciam hanc retundat, regeneratione opus esse docet, & eam ostendit esse humanæ naturæ corruptionem, vt nemo suis viribus cœlum conscendere possit, vt vel intelligat regni cœlorum mysteria, vel illius hæreditatem suorum operum meritis consequatur. Postquàm autem de hoc dixit quantum satis erat, transit modò ad tertium huius tractationis caput, & veram salutis consequendæ rationem illi monstrat in seipso, qui verus & vnicus illius mediator sit. Et primò quidem salutem in se vno contineri docet. Deinde illius fontem in mera Dei gratia atque bonitate aperit. Postremò quod dixit, solidissima ratione confirmat.

Quoad primum, quia ipsi cum scriba & cum Iudæo res erat, quem crucis prædicatione sciebat offendi, typum ex Mose profert, vt ostendat hanc salutis rationem, non nouam aut hactenus inauditam, sed iam olim typis legalibus adumbratam fuisse. Quod enim Moses (inquit) olim fecit, quando patribus in deserto propter immissos serpentes periclitantibus, æneum serpentem ex stipite sublimem suspendit: hoc ipsum in me fieri oportet, vt in crucem suffixus humano generi salutem feram. Extat historia Num. 21. cap. vbi sic scribit Moses: Et profecti sunt de monte Hor per viam maris rubri, vt circuirent terram Edom: & in via abbreuiata est anima populi. Locutusque est populus cõtra Deum & contra Mosem: Cur effecistis vt ascenderemus ex Ægypto, vt moreremur in solitudine? quia nec panem habemus nec aquas, & anima nostra cibum hunc leuissimum fastidit. Misit igitur Dominus in populum serpentes ignitos, qui populum mordebant: & mortuus est ex

Salus in uno Christo habetur.

Israele populus multus. Veniens itaque populus ad Mosem, dixerunt: Peccauimus, quia locuti sumus contra Dominum & contra te; Ora Dominum, vt auferat à nobis serpentes istos. Et orauit Moses pro populo, dixitque Dominus ad Mosem: Fac tibi serpentem ignitum, & pone illum in signum: & erit, si quem momorderit serpens, intueatur illum, & viuet. Et fecit ita Moses, &c. Ista est narratio historiæ, quam in præsenti Christus adducit. Nec temerè cùm multos alios typos proferre posset, huius præ alijs meminisse voluit: nimirum quòd in hoc vniuersa nostræ salutis ratio omnium euidentissimè adumbretur. Nam primò indicat typus iste, quæ nam sit omnium nostrûm conditio: eadem nimirum quæ Israelitarum fuit, quando in deserto agebant. Infestabantur illi à serpentibus, quos vrentes siue ignitos vocat scriptura, eò quòd venenum inspirarent ardentissimum, quo miseri totis visceribus inflammati æstuabant, potu autem adeò non subleuabantur, vt potius ex eius abundantia ruptis & præfocatis membris vitalibus perirent. Videntur enim serpentes illi dipsades aut prestores fuisse, quibus hæc nomina Græci à siti & inflammatione imposuerunt. Ita postquàm vetus ille serpens, satan, Adamo peccati virus inspirauit, & peccati seruum fecit, malum istud hæreditaria contagione omnem posteritatem peruasit. Ardemus ergo prauis cupiditatibus, & naturali inclinatione alius ad libidinem pronus est, alius habendi desyderio flagrat, alius honores & gloriam huius seculi sitit, alius vindictæ cupiditate inflammatus nihil aliud quàm vulnera, sanguinem atque cædes spirat: Denique nemo est mortaliũ, quem non pestilentissima desyderiorum carnalium sitis infestet. Quòd si libere libeat, & affectibus indulgere, adeò non restinguitur sitis illa, vt potius magis inflammata mortem & exitium nobis accelleret. Et quia tales natura sumus, nihil etiam ad salutem nostram ipsi possumus conferre: non plus (inquam) quàm paralyticus aut hydropicus, qui membris omnibus miserè debilitatus ab aliorum auxilio dependet. Extra nos ergo remedium quæratur oportet, nec quicquam nostris vel viribus, vel meritis debet tribui. Et hoc quidem nostræ salutis principium est, si corruptæ naturæ nostræ miseriam agnoscamus. Quod nisi fiat, in nobisipsis hæremus, neque nobis alio medico opus esse arbitramur: quæ proxima ad perditionẽ via est, sicuti pharisæorum cùm veterum tum recentium exempla abundè testantur.

Israelitæ typus humani generis.

Aeneus serpẽs Christi typus.

Cæterùm vt corruptionem nostram & infelicem statum typus iste adumbrat, ita simul docet, vbinam vita salusque quæri debeat: In Christo nimirum, cuius typum in serpente isto æneo propositum fuisse, ipse disertis verbis testatur. Vt enim serpens iste vnicum & commune remedium erat omnibus, qui à serpentibus ignitis mordebantur: Ita Christus Iesus communis & vnicus omnium seruator est, qui ab interitu liberari cupiunt. Docet hoc ipse, quando apud prophetam ait: Ego Dominus, hoc est nomen meum, & gloriam meam alteri non dabo. Quò etiam illud Euangelicum pertinet: Ego sum via, veritas & vita; nemo venit ad patrem, nisi per me. Vnde Apostoli suam illam sententiam desumpsisse videntur, qua docent, nullum aliud nomen sub cælo hominibus datum esse, in quo nos seruari oporteat, quàm Iesum Christum. Quod vnum sufficit ad confutandum omnes sectas, quæ salutem extra Christum quærere docent. Pulchrè autem serpentis ænei typus Christo conuenit. Vt enim ille serpentis formam quidem repræsentabat, veneni autem omnino expers, imò etiam salutaris erat; Ita Dei filius homo factus, formam quidem carnis peccatricis assumpsit, à peccato autem alieniissimus fuit, eò quòd non communi hominum more ex viri & mulieris congressu, sed ex spiritu sancto conceptus, & ex virgine Maria natus sit. Talem enim illum esse oportebat vt sufficiens pro peccatis nostris victima posset fieri. Et in hunc finem illius innocentiam atque sanctitatem nobis scripturæ commendant: nec alius etiam viginitatis Mariæ in salutis negotio vsus est: quod vtinam obseruarent, qui neglecto Christo, mediatoris officium in illam transferunt, & nos eius hostes esse clamant, quando in vno Christo acquiescimus.

Christus exaltatus saluat.

Præterea, quomodo Dei filius, Iesus Christus, nobis salutifer fiat, idem serpentis ænei typus ostendit. Nam vt illum exaltauit instar signi & vexilli Moses: Ita exaltari oportet (inquit Christus) filium hominis, &c. Et obserua, quòd hoc ita oportere fieri, ait: nimirum quòd nostræ saluti aliter consuli non posset. Potest autem bifariàm intelligi ista exaltatio, & vtraque ad salutem nobis est necessaria. Primò enim exaltatus est Christus, quando sublimis in cruce pependit. Deinde

Euangelij

Euangelij prædicatione illum in toto orbe instar vexilli exaltauit pater, vt ad ipsum colligantur, quicunque salutis hæredes fieri cupiunt. Vt verò in cruce illum mori oportuit, vt suæ mortis merito peccata nostra expiaret: Ita non minus necesse fuit, vt eius meritum per totum orbem diuulgaretur, & per Euangelij prædicationem coram omnibus oculis quasi crucifigeretur (vt de Galatis Paulus scribit) vt in illo vno salutem omnem repositam esse omnes intelligerent. Vtrumque ergo exaltationis genus hîc comprehendit, vt etiam infra Cap. 12. cùm ait: Vbi exaltatus fuero à terra, omnes traham ad meipsum. Et hic nobis diligenter obseruandum est, quæ hodie ratio sit exaltandi Christum, vt nobis ille salutifer fiat. Tribuunt hîc multum superstitiosi homines simulachris, & Christum magnificè extolli & euehi putant, si passim in templis, in vijs & compitis, domi item in cubiculis & sacellis priuatis, crucifixi imagines habeantur. At hoc nuspiam ille iussit, nec quicquam tale Apostoli eius præceperunt, & constat veterem ecclesiam per annos circiter quingentos imagines habuisse nullas, sed Dei præceptum sanctè custodiuisse, quo illæ prohibentur. Et quàm parum pietati veræ seruiant imagines, res ipsa loquitur, cùm inobedientiam manifestam sibi coniunctam habeant, & superstitiones pariant, quibus à vero atque spirituali Dei cultu hominum mentes auocantur. Exaltatur autem Christus per Euangelij prædicationem, quæ vt omnes homines peccati conuincit & mortis reos esse docet: ita in vno illo nobis iustitiam, satisfactionem, sanctificationem, vitam atq; salutem monstrat. Deprimit ergo prædicatio ista quicquid superstitio & sapientia humana excogitat, vt solus Christus in hominum animis eminеat, vt vnicus humani generis redemptor agnoscatur. Si qui igitur Christi gloriam euehere aut tueri volunt, Euangelij doctrinam prouehant atque tueantur: & ita plus proficient, quàm si omnes locos tam publicos quàm priuatos imaginibus impleant, quæ nobis adhuc in terris cruentum & lacerum repræsentent Dei filium, qui deuicta morte & diabolo in cœlesti gloria patris sedet & regnat.

Christus per fidem noster fit.

Ac non minus nouisse oportet, quomodo Christus hic noster fiat, vtque nos salutis per ipsum acquisitæ consortes reddamur. Docet hoc, cùm ait: Vt omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Quemadmodum se vnicum salutis nostræ mediatorem esse docuit: ita vnicam modò & omnibus communem rationem proponit, quæ nos salutis huius participes reddat. Fidem nimirum, quæ passim in scriptura hoc nomine nobis commendatur. Conuenit hoc etiam pulchrè cum typo serpentis olim in deserto suspensi. Vt enim ille à Deo quidem in hoc destinatus erat, vt mortiferis serpentum morsibus mederetur, nemini autem proderat, nisi qui in illum respexisset: Ita in filio quoque Deus exhibuit quæcunque ad salutem sunt necessaria: at vt ille nobis salutifer fiat, fide opus est, qua Dei consilium agnoscamus, & in illo spem salutis omnem collocemus. Hæc enim vnica est ratio, qua Christum olim pro nobis mortuum & nunc in cœlis regnantem apprehendimus, & quæ facit, vt propter illum non imputentur nobis peccata nostra, nosq; ex eius verbo & spiritu renati innouemur, adeoq; ipsum in nobis viuentem atque regnantem habeamus. Ideò toties in Euangelio sententia ista repetitur: Qui credit in me, habet vitam æternam. Cui particulares istæ consentiunt: Fides tua te seruauit, Fiat tibi secundum fidem tuam. Hinc quoque suum illud dogma petierunt Apostoli, Sola fide nos iustificari atque saluos fieri. Quia enim (vt diximus) solus Christus nobis à patre factus est iustitia & redemptionis pretium: idem verò non alia ratione quàm fide apprehendi potest: sequitur præter hanc nihil in nobis esse, quod nos iustitiæ & salutis in illo exhibitæ consortes efficiat. Quia verò ista salutis ratio carni leuicula videtur, & eadem multi offenduntur, quasi securam quiduis agendi licentiam hominum animis inferat: paulò diligentius erit videndum, quid sit Fides, & quid illa in hominum animis operetur: & mox patebit, sub fidei vocabulo plus à nobis exigi, quàm prima fronte appareat, nec temere illi omnem nostræ salutis rationem acceptam ferri.

Fides quid sit?

Credere dicuntur, qui ijs quæ audiunt fidem vel assensum præbent. Germani **Glouben** à verbo **Globen** deduxerũt, quod est aliquid seriò & tum solenni stipulatione polliceri, & **Glouben**, id est, credere dicuntur, qui promissis eiusmodi fidem adhibent. Deo igitur credere, est illius verbis atq; promissis assentire: & in Deum credunt, qui promissionum eius certa fiducia confirmati, in illo

ſpem collocant. In Chriſtum itaque credunt, qui illi fidunt, & in illo ſperant. Dicimus ergo Fidem, de qua hîc agitur, eſſe certum & firmũ animi aſſenſum, ex Dei verbo enatum, quo Chriſtum talem agnoſcimus, qualem illum nobis ſcripturæ proponunt. Docent autem illum eſſe verum & patrico æternum Dei filium, qui ex Maria virgine homo factus, peccata noſtra in ſeſe tranſtulerit, eadem mortis ſuæ merito expiarit, mortẽ reſurrectione vicerit, cælos ſua aſcenſione nobis patefecerit, & illic ad dexteram patris conſidens, vnicus ſit humani generis redemptor, noſterq; apud patrem mediator atq; aduocatus, adeoq; ſummus & æternus eccleſiæ ſuæ Rex & Sacerdos, qui illam in terris peregrinantem ſuo ſpiritu regat, & ſua virtute conſeruet: in nouiſſimo autem die venturus ſit ad iudicium, vt ſuis quidem promiſſa vitæ æternæ præmia, impijs verò & à regno ſuo alienis pœnas ſempiternas retribuat. Hæc ferè eorum ſumma eſt, quæ de Chriſto ſacræ literæ tradiderũt. Quicunq; ergo talem agnoſcunt, & firmo animi aſſenſu ſibi talem factum eſſe intelligunt, hi in illum verè credunt, & ad illos ſalutis per hunc acquiſitæ promiſſiones pertinent. Et hanc fidei regulam Chriſtus ipſe nobis tradit, quando ſe pro illis orare dicit, qui in ipſum credant per ſermonem diſcipulorum, id eſt, qui talem agnoſcant ex fide, qualem Apoſtoli prædicarunt.

fidei effecta. Non ergo inanis opinio eſt fides, neque temere in mentibus noſtris concepta perſuaſio, cuius ipſi nobis authores ſimus: ſed fiducia certa eſt, quæ vt Dei verbo et promiſſionibus nititur, ita à ſolo Deo animis noſtris inſeritur, & illius ſpiritu conſeruatur. Quapropter neque otioſa eſt fides, neque emortua, ſed effectis pulcherrimis & omnem humani ingenij captum ſuperantibus virtutem ſuam exerit. Qui enim Chriſtum per fidem ita agnoſcunt, vt modò docuimus, illi primò in vno hoc omnem ſalutis ſuæ ſpem atq; fiduciam collocant, nec alia quærũt pro peccatis ſuis ſacrificia, non alias ſatisfactiones excogitant, nec ab alijs excogitatas recipiunt, non alijs apud Deum mediatoribus ſiue aduocatis vtuntur: ſed ad vnum illum confugiunt, in illo vno ſperant, neque aliud nomen ſub cælo datum eſſe ſciunt hominibus, in quo nos ſeruari oporteat. Deinde cùm hunc ſibi Regem & Sacerdotem factum eſſe intelligant, ab illo etiam vno dependent, illum ſolum audiunt, docenti credunt, monenti obtemperant, increpantem & caſtigantem patienter ferunt, denique verbo illius rationem & intellectum omnem vnà cum affectibus ſuis per fidei obedientiam ſubijciunt, neque ad ſuæ rationis calculum reuocant quæ ille præcipit ſiue pollicetur, ſed illis firmiter inhærent, licet non modò communem ſenſum, verumetiam naturæ curſum illis aduerſari videant. Quò fit, vt in periculis intrepidi, in afflictionibus conſtantes, & in omnem euentum inſtructi, patientia ſua omnes mundi huius & principis mundi conatus atque potentiam vincant. Poſtremò per fidem hanc non modò apprehendunt Chriſtum, ſed illi etiam inſeruntur, vt in illo viuant, & viciſſim ipſum in ſeſe viuentem habeant, illius ſpiritu ducantur, & ex verbi eius ſemine per ſpiritum regenerati, ipſum in omnibus ſuis dictis factisq; referant: ſicque fructus ferunt vberrimos, ſicuti ipſe infra in vitis & palmitum parabola docebit. Hi (inquam) fidei in Ieſum Chriſtum effectus ſunt, quorum exempla in Abrahamo, Dauide & in Apoſtolis ſanctisque martyribus paſſim occurrunt. Et de his, non de noſtræ intentionis operibus Iacobus loquitur, dicens: Oſtende mihi fidem tuam ex factis tuis, &c. At ſi iſta diligenter examines, illa non vires modò noſtras, ſed ipſum quoque rationis humanæ captum ſuperare videbis. Quis enim, ſi carnis rationem audiat, hominem egenum & miſerum, qui poſt omnis generis ignominiam in medio latronum ſuſpenſus expirauit, Dei filium eſſe credat? Quis ſalutis authorem dicat eum, qui ipſe in hoſtium manus peruenit, & ab illis ſibi exprobrari audiuit: Deſcende nunc de cruce: alios ſeruauit, ſeipſum ſeruare non poteſt? Quis Deo gratum & acceptum mediatorem putet eſſe eum, quem in cruce clamantem audit: Deus meus, Deus meus, cur me deſeruiſti? Aut num humanarum virium eſſe dicemus, abnegatis & mortificatis carnis affectibus omnia relinquere, ſpretis terrenis cœleſtia ſectari, contemptis præſentibus abſentia ſperare, adhæc inter afflictiones perpetuas veram felicitatem, & in ipſa morte vitam æternam ſibi polliceri? Hæc certè eiuſmodi ſunt, vt illa nunquam præſtituri ſimus, niſi Deus efficaci ſpiritus operatione animos noſtros illuminet, imò innouet atq; trahat, vt carnem reluctantem ſuperare poſſimus. Idèo Paulus fidem Dei donum eſſe dicebat, nimirũ illud Chriſti ſecutus: Nemo venit ad me, niſi pater meus traxerit eum. Ergo non leuicula eſt ſalutis ratio, quæ fide in Chriſtum nititur, ſed vires humanas

manas longè superat: neque eadem operibus bonis inimica est, sed opera verè bona in nobis parit: adeoq; in Christum credere plus quiddam atque magis arduum opus est, quàm si omnium, quotquot vnquam fuerunt & futuri sunt, Monachorum, Eremitarum, Monilaliũ, Beguttarum, Lolhardorum, Hypocritarum deniq; omnium opera in vnum cumulum congeras, quibus illi se cœlum mereri posse somniant.

Porrò simul hîc nobis consyderanda venit Dei bonitas, qui cùm fidei mysteria sensum & captum nostrum longè superent, illa non modò per verbum suum nobis tradere voluit, verumetiam externis signis adumbrare, quæ vt intellectum nostrum & sensus omnes ad tantorum mysteriorum contemplationem excitant: ita promissiones quoque & exhibitum nobis in Christo salutis beneficiũ verè obsignant, ne fides in tentationibus fluctuans succumbat. Habuerunt eiusmodi signa veteres plurima, inter quæ serpentem quoque æneum connumerari debere ex præsenti loco patet. Nam vt præsenti necessitati seruiebat, & aduersus dipsades tuebatur: ita Christum adumbrabat, qui veteris serpentis caput olim esset conculcaturus. In veterum locũ successerunt Baptismus & Cœna Eucharistica, quorum eundem vsum esse alibi diximus: quàmuis illa vt numero pauciora sunt, ita virtute maiora, & vtilitate meliora esse, cum D. Augustino libenter fatemur. In his autem diligenti cura opus est, ne illis seruiliter inhærendo superstitionis occasionem ex ijs petamus, quæ nobis ad veram fidem adiumento esse debebant, & animos nostros ad Christum fide percipiendum in cœlos subuehere. Peccarunt in hoc olim Iudæi, quando serpentem æneum diuinis honoribus coluerunt, & laudatur Ezechias, qui illum è medio sustulit, ne quid simile in posterum facerent. Nõ minor ergo illorum culpa est hodie, qui signa pro rebus colunt, & in illis superstitiosè quærunt, quæ in vnius Christi merito possunt inueniri. Quod si fiat, non quidem aboleri debent sacramenta, quorum vsum in sua ecclesia perpetuum esse vult Christus: curandum verò, vt illis rectè vti discant, qui ex illis erroris occasionem arripuerunt. Sed de his plura alibi, &c.

Deus fidem Sacramẽtis quoq; adiuuat.

Redeamus nunc ad præsentis loci tractationem, & ad ea quæ de fide in Christum diximus. Est hæc virtutum omnium præstantissima, adeoque virtus illa summa est, quæ alias omnes in se complectitur: quod de iustitia sua olim philosophi dixerunt. Et quia eadem vires & captum hominis longè superat, rectè etiam Dominus illi præmium ascribit, quod nullis hominum viribus aut meritis acquiri potest. Ideò enim se oportere exaltari ait, vt omnis qui credit in ipsum, non pereat, sed vitam habeat æternam. Quibus verbis præmium duplex pollicetur, quo fidei donum Deus in suis coronat, vt Augustini verbo vtamur. Primum est, quòd non perimus, id est, non manemus in perditione, quam peccatis nostris ipsi nobis accersiuimus, & in quam primi parentis lapsus nos adduxit. Magnum hoc est Dei beneficium, si cogitemus quàm multa quamque atrocia mala secum trahat ista perditio, quæ ex peccato enata fuit. At quia non statim omnibus modis beatus & felix est, qui ex aliqua miseria liberatur, secundò vitam quoque æternam promittit. Vitæ nomine scriptura omnem felicitatem comprehendit, quæ tunc demum felicitatis nomen meretur, si æterna, & proinde stabilis sit, neque vllis fortunæ casibus obnoxia. Hanc verò non vt olim demum obuenturam, sed vt iam verè præsentem Christus in se credentibus pollicetur. Quia enim in ipso vita est, fieri non potest quin vitam iam habeat, quisquis illum fide vera amplexus fuerit. Etsi enim in hoc mundo afflictionibus varijs exerceantur credentes, salutis tamen suæ per fidem certi sunt, & proinde facilè contemnunt quæcunque ipsos aduersa exagitant. Nam cum Apostolo dicunt: Si Deus nobiscum, quis contra nos? Quis nos separabit à dilectione Dei? Num afflictio? num angustia? num persecutio? num nuditas? num periculum? num gladius? Imò in his omnibus plus quàm victores sumus (tantum enim valet vox Græca, qua Apostolus vtitur) per eum, qui dilexit nos. Roma. 8. Neque frustra hoc dicit, cùm afflictionibus non modò non succumbant pij, verumetiam iuxta Christi præceptum illis gaudeant atque glorientur. Sciunt enim quòd afflictio patientiam pariat, patientia verò experientiam, experientia autem spem: porro spes non pudefacit, eò quòd charitas Dei effusa sit in cordibus nostris, &c. Roma. 5. Viuunt ergo, & læti atque felices viuunt in medijs afflictionibus pij Christi cultores, cùm interea impij inter carnis voluptates nefarijs cupiditatibus distrahantur, conscientiæ stimulis excarnificentur, & ipsi sibi quotidie nouorum terrorum atque malorum authores sint. Præterea, quàmuis in carne hac

Fidei præmium uita æterna.

mortem corporis huius credentes subeant, tamen neque ista vitam æternam illis intercipere aut eius finem afferre potest. Nam vt infra Cap. 5. dicetur, à morte transeunt in vitam. Olim quidem mors peccati pœna fuit, & hodie etiam impijs meritò terribilis est, qui in eius articulo nihil aliud quàm Dei iram & horribiles inferorum cruciatus videre possunt: at eadem Christi resurrectione deuicta atque exarmata peccati stimulo, credentibus transitus ad vitam facta est, in quam animæ statim, vt hinc in fide migrarunt, recipiuntur, eorundem verò corpora in læta resurrectionis spe quiescunt, olim nimirum ad cœlestis gaudij consortium Christi virtute resuscitanda, qui illa corpori suo glorioso conformia efficiet. Ideò Paulus dicebat, nos Domini esse siue viuamus, siue moriamur. Et hæc quidem de salutis ratione in vno Christo comprehensa fusius tractare voluimus, ne illa toties postea repetere opus sit, quoties eius mentionem Christus in hoc libro faciet. Nunc ad reliqua pergamus.

Causa salutis amor Dei gratuitus.

Sequitur enim totius nostræ salutis causa principalis, quæ Deum mouit, vt istam eius nobis exhibendæ rationem institueret: in cuius consyderatione diligenter & crebrò versari multùm prodest. Miretur enim aliquis non immeritò, quî fieri potuerit, vt filius Dei in crucem suffigeretur, & cur istud fieri passus sit pater? Alius verò hostium potentia & viribus superatum fuisse putauerit, quasi ea sit veri Dei conditio, quæ Deorum gentilium, quos ab hominibus in prælio vulneratos aliquando fuisse Homerus fabulatur. Rursum patrũ virtuti aut meritis hoc datum fuisse aliquis dixerit, vt filium suum Deus communem humani generis saluatorem mitteret, & in mortem daret. At omnem hisce cogitationibus occasionem eripit Christus, cùm addit: Sic enim Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum dederit, vt omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Aperit hisce verbis fontem & primas causas humanæ salutis. Et primò quidem omnem hominum potentiam atq; dignitatem procul remouet, dum Dei dispensatione hoc ita factum dicit, qui (vt alibi scriptura docet) ante secula condita filium nobis redemptorem destinauit. Quod ipsum postea apud Pilatũ nõ obscurè testatur. Cùm enim is illi diceret: Nescis quod potestatẽ habeam crucifigendi te, & potestatem habeam absoluendi te? Respondet Christus: Non haberes potestatem aduersus me vllam, nisi tibi datum esset superne. Et aliàs frequenter scripturarum meminit, quas in sua morte & resurrectione impleri oporteat, vt ostendat omne hoc ad æternũ Dei patris consilium referri debere. Deinde verò cõsilij huius causam profert dilectionem Dei gratuitam, qua hîc nos nihil tale meritos prosequatur. Et gratuitam quidem dilectionem intelligi debere, singula verba abundè testantur. Nam primò Deũ nominat, qui vt summũ bonum & omnis boni fons est: ita nullius indiget. Quid autem de illo mereare, qui tuis officijs opus non habet, & ex cuius liberalitate accepisti, quicquid in teipso boni habes? Quid habes (inquit Paulus) quod non accepisti? Quòd si accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? Deinde dilectionẽ Deo tribuit, eam nimirũ animi inclinationẽ, qua nos totos in alios quasi effundere cupimus. At cùm nihil in nobis sit, cuius causa sic erga nos Deus affectus esse debeat, gratuita sit oportet ista dilectio, qua nos prosequitur. Et hoc quidem clarius exprimit, quando eos nominaturus, quos ita dilexerit Deus, non Abrahami aut Isaaci aut Iacobi, Mosis, Dauidis, prophetarum, Mariæ virginis, Apostolorum deniq; & sanctorũ martyrum meminit: sed mundi, quem totum in malo iacere Euangelista noster in sua Canonica testatur, & cuius principẽ esse diabolũ, ipse Christus nõ vno loco affirmat. Quid ergo aliud quàm iram, quàm supplicium dirum, quàm mortem sempiternam mereri poterat, qui diabolũ potius quàm Deum principem agnoscere voluit? Quòd si dilectionis huius principium quæras, illud quoq; in æterno Dei consilio reperies, quo filium nobis redemptorem destinauit, cùm nulli adhuc essemus. Vt ergo herbas & radices, morborum remedia creauit, priusquàm morbi ex peccato enati essent: Ita animarũ medicum dedit nondum prolapsis in exitium, quos autem ipse lapsuros præuidebat. Docent hoc disertis verbis Apostoli, quando illũ ante secula præordinatũ, nos autem priusquàm mũdus hic crearetur, in illo electos esse scribunt. 1. Pet. 1. Eph. 1. Omne ergo hoc ex gratia factũ sit oportet. Adde his quãta fuerit, & quò vsq; progressa sit ista dilectio, & multò magis istud fatebere: Nimirum eò vsq; vt filiũ suum dederit. At quem filium? Vnigenitum, & proinde coæternum & sibi coessentialem, imò (vt ipse pater cœlitus fatetur) dilectissimum. Eum (inquam) NOBIS dedit, qui ex filijs defectores & hostes facti eramus. Dedit autem in mundũ hunc, in paupertatem, in ignominiam, in dolores, in mortem deniq;

tem deniq; imò in mortem crucis, qua nihil atrocius, indignius & cõtumelioſius excogitari poterat. Confer nunc in vnum omnium hominũ opera atq; merita, num quæſo illa tanti æſtimabimus, vt propter illa Deus ita nos diligere, & filium pro nobis dare debuerit? Hoc certè nemo cordatus dixerit: quia dici non poteſt, niſi nos & opera noſtra in eodem cum filio Dei dignitatis gradu collocemus. Inter meritũ enim & id quod promeremur æquipollentia ſit oportet. At quis pius non exhorreſcat, ſi homines peccatores, impuros, iniuſtos, mortales & damnationis reos, Dei filio conferri videat, qui iuſtitia, ſanctitas, vita ſaluſq; eſt? Sequitur ergo, gratuitam Dei dilectionem hic denotari, vt initiò diximus. Neq; nos primi ſumus, qui ex Chriſti verbis curioſius æquo excuſſis ſenſum iſtum elicia-mus: ſed iam olim idem Apoſtoli factitarunt. Ioannes certè quaſi commentarium in hunc locum ſcripturus, ſic ait: Per hoc patefacta eſt charitas Dei in nobis, quòd filium illum ſuum vnigenitum miſit Deus in mundum, vt viuamus per eum. In hoc eſt charitas, nõ quòd nos dilexerimus Deum, ſed quòd ipſe dilexerit nos, & miſerit filium ſuum, vt eſſet propitiatio pro peccatis noſtris. En noſtram dilectionem prorſus negat Apoſtolus, vt gratuitam Dei dilectionem aſſerat. Similia apud Paulum reperies paſſim, imprimis ad Roman. 3. Epheſ. 2. Tit. 2. & cap. Debent autem iſta diligenter conſyderari, eò quòd multiplex ex illis ad nos fructus redire poteſt. Primò enim euertitur his vniuerſa noſtrorum operum aut meritorum fiducia, & docemur ſalutem ab vnius Dei gratia pendere, nec aliquid hic noſtris viribus aut dignitati eſſe tribuendum. Poteſt enim ex hoc loco argumentum firmiſſimum colligi ad hunc modum: Quicunque ſalui fiunt, per Chriſtum ſeruentur oportet. Chriſtus autem à patre nobis datus eſt ex gratia, nullo intercedente operum noſtrorum merito. Ergo ex gratia ſeruamur. Maior, non noſtrum figmentum eſt, ſed Apoſtolorum ſententia eſt, quam ex ſpiritus ſuggeſtione pronunciauerunt, cùm in Senatu Ieroſolymitano fidei ſuæ et doctrinæ rationẽ reddderent. Tunc enim dixerunt, non aliud nomen ſub cælo hominibus datum eſſe, in quo nos ſeruari oporteat, præterquam Ieſum Chriſtum. Et conſentit illi quod Chriſtus ait: Nemo venit ad patrem, niſi per me. Minorem ex hiſce Chriſti verbis deſumpſimus, qui ſe ideo datum dicit, quòd Deus mundum dilexerit. Nec eſt, quòd quiſquam ſe ex mundi & communi hominum conſortio eximat, quoad hanc cauſam. Quia enim omnes in peccato concipimur & naſcimur (vt de ſemetipſo Dauid fatetur) eadẽ quoq; eſt omnium noſtrũm conditio, & omnibus ſimul ex æquo pereundum erat, niſi Deo placeret aliquos ex corrupta illa humani generis maſſa ſeruare, & per filium ſuum quaſi ex communi incendio vel naufragio eripere. Firma ergo ſtat concluſio noſtra, qua ſalutem nullis hominũ meritis, ſed ſolius Dei gratiæ aſcribi debere diximus. Itaq; confutantur huius loci authoritate omnes, qui operũ iuſtitiam ſtabilire, & ſua merita coram Deo in ſalutis cauſa allegare ſolent: quales olim phariſæi erant, & hodie in papatu ſunt Monachi, & quotquot illorum traditionibus ſeſe circunduci patiuntur. Sunt hi inimici gratiæ Dei, & Chriſti meritum quantum in ipſis eſt euacuant, adeoq; quæ illi ſoli debetur, gloriam in ſeipſos transferunt. Fit ergo, vt ſuam iuſtitiam ſtabiliendo, à Dei iuſtitia excidant, quam is in filio ſuo nobis confert. 1. Ioan. 4.

Faciunt deinde hæc ad aſſerendam noſtræ ſalutis certitudinem, quæ nobis conſtare nequit, niſi eius fundamentum in Dei gratia conſtituamus. Quia enim natura peccatores ſumus, & iuſtitiæ noſtræ inſtar ſordidorum centonum pollutæ ſunt, perpetuò fluctuent oportet, quicunq; in ſuis operibus & meritis ſalutem quærunt. Inueniunt enim imperfectionẽ illam, de qua modò diximus: neq; illã modò inueniunt, ſed ſimul ſe omnibus modis miſeros eſſe ſentiunt, qui quod bonum eſt, ex ſemetipſis ne cogitare quidem, nedum velle aut facere poſſint. At ſi ijdem in Dei gratiam & Chriſti Ieſu meritum reſpiciant, mox certam firmamq; ſalutis ſuæ fiduciam concipiunt. Illam enim inexhauſtã eſſe vident, quæ noſtris iniquitatibus ſuperari non poſſit: hoc item omnibus numeris abſolutũ eſſe ſciunt, & proinde ſufficere, vt & commiſſa à nobis peccata expiet, & quod in nobis deeſt abundè ſarciat. Dicunt itaq; cum Paulo: Quis intentabit crimina aduerſus electos Dei? Deus eſt qui iuſtificat, quis ille qui condemnet? Chriſtus eſt qui mortuus eſt, imò verò qui etiam excitatus eſt, qui etiam eſt ad dextram Dei, qui etiam intercedit pro nobis, &c. Rom. 8. Salutis noſtræ certitudo.

Præterea non modò certam ſalutis fiduciam hæc pariunt, verùm etiam in omni tentationũ genere mirificè conſolantur, ne fides noſtra ſuccumbat, qui non pœnitendus eſt huius conſyderationis fructus. Fit enim interdum, vt qui fidei myſteria rectè intelligunt, de Dei tamen gratia & num ſint Conſolatio in tentationibus.

ex electorũ eius numero, dubitare incipiant, quando inopes & egeni oberrant, morbis diuturnis conficiuntur, persecutiones aßiduas sustinent, aut etiam conscientiæ stimulis atq; terroribus perpetuis exagitantur. At hic nulla consolatio efficacior est, quàm quæ ex Dei dilectione petitur. Cur enim propter afflictiones hasce momentaneas se à Deo desertum putet, qui in Christo dilectionis & gratiæ Dei pignus infallibile sibi datũ esse nouit? Aut cur se odio haberi dicat à Deo, eò quòd is carnis nostræ desyderijs non per omnia satisfacit, cùm maiora dederit, & quæ omnem carnis sensum longè superant? Quin potius cum Apostolo argumentatur: Qui proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum: quî fieri possit, vt non etiã omnia nobis cum eo gratificetur? Item: Si cùm inimici essemus, reconciliati fuimus Deo per mortem filij eius, multò magis reconciliati seruabimur per vitam ipsius. Rursum, cur hostiũ potentia & sæuitie offendatur, qui se à Deo diligi intelligit, qui cùm Dominus sit exercituum, facilè omnia suorum hostium consilia dissipat? Habet enim in promptu illud Dauidis: Dominus mihi adiutor, non timebo quid mihi faciat homo. Et illud Pauli: Si Deus nobiscũ, quis contra nos? Atqui hinc simul Christiana illa patientia & fidei constantia nascitur, quam nobis scripturæ passim commendant.

Officia eorum, qui per Christũ redempti sunt.

Postremò officij quoq; ista nos admonẽt, & hic quoq; doctrina multiplex sese offert. Si enim peccata per mortem filij Dei expiari oportuit, patet ex eo, nullam aliam pro his expiationem inueniri potuisse, & proinde ab hac vna nos pendere debere. Deinde cùm peccata ita oderit Deus, vt ea filij sui dilecti morte expiari voluerit, nobis quoq; illa exosa esse debẽt, neq; blanditias diaboli admittere debemus, quibus ille nos in peccati laqueos pertrahere conatur. Præterea cũ ita nos dilexerit Deus, vt filium suum pro nobis dederit, nostrum est ipsum vicissim diligere, & promptis animis omnia ea obire, quæ ad gloriam eius promouendam & regnum suum propagandum faciunt. Neq; illum modò amare debemus, sed in illo simul fratres nostros imò vniuersos homines complecti, quorum salutẽ illi tantopere cordi fuisse cernimus. Admonet de hoc Ioannes, qui cùm Dei dilectionem (vt supra diximus) magnificè commendasset, mox infert: Dilecti, si nos ita Deus dilexit, debemus & nos alij alios diligere. Et hæc quidem diligenter obseruarunt sancti patres, prophetæ item & apostoli, qui vt vitæ innocentia claruerunt, ita Dei amore syncero incensi, omnia sua & seipsos quoq; pro eius gloria & honore libenter impenderũt, simulq; nullis pepercerũt laboribus, vt alios quoq; homines in veri Dei cognitionem & salutis consortium adducerent. Arguunt ista nostri seculi ingratitudinem & incurabilem malitiam, quando multi quidem Christi nomine & salute per illum acquisita gloriantur, pauci verò sunt, qui sui nominis professioni respondeant. Alij enim circa inanes & ab hominibus superstitiosis excogitatas peccatorum expiationes occupantur. Alij cupiditatibus prauis turpissimè indulgent, & licet inde scandalũ ingens enasci videant, quo euangelij doctrina apud multos diffamatur, pergunt tamen, neq; vllis rationibus possunt adduci, vt disciplinæ Christianæ leges admittant. Quòd si charitatem quæras, in eius locum auaritiam, æmulationem, odium, fraudes & omne genus iniustitiæ subijsse videbis. Dei verò amor adeò extinctus est, vt multos non pudeat palàm profiteri, quòd pro Christi & euãgelij nomine ne teruncij quidem iacturã facere velint. Indigni profectò, qui salutis per Christum partæ beneficio fruantur. Et hæc quidem deplorare possumus, corrigere autem potest solus Deus, quem precibus aßiduis solicitare debemus, vt sui spiritus ardore frigidas hominum mentes accendat, & renitentes licet in viam reducat.

Confirmatio totius tractationis.

Restat vltima huius loci pars, qua quod dixit confirmat, & in eo præoccupatione vtitur. Poterat enim nos terrere propriæ simul corruptionis & iustitiæ Dei cõsyderatio, cùm hæc quidẽ peccata punire soleat, illa verò tanta sit, vt non possimus omnino non peccare, quoad in hac carne viuimus. Addit ergo Christus: Non enim misit Deus filium suum in mundum, vt iudicet mundum, sed vt seruetur mundus per eum. Fatetur quidem eam esse conditionem mundi, vt necessariò pereundum sit omnibus, si iudicium suum velit Deus proferre: Sed illum iure suo nondũ vti ait, neq; se nunc ad iudicandum, sed ad seruandum venisse. Alij pro iudicandi verbo condemnandi substituerunt. At ego Græci verbi significationẽ retinendam esse puto: quia plus facit ad salutis nostræ certitudinem. Cur enim condemnationis sententiam timeat, qui ne iudicio quidem se sistendum esse audit? Nam etsi ad Christi tribunal olim omnes sistemur, pij tamen illic non secundùm operum suorũ merita iudicabuntur, sed potius lætam de æternæ vitæ hæreditate sententiam audient, vt patet ex Matth. 25. Neq;

hoc

hoc cum eo pugnat, quòd infra se ad iudicũ veniſſe dicet. Hic enim de proprio ſuæ incarnationis fine loquitur, qui eſt humani generis redemptio. Infra autem de illis agit, qui vitæ beneficium reſpuunt, & proinde ſuo vitio pereunt. Illis enim per accidens in iudicium & condemnationem cedit, qui propriè in hoc venit, vt ſeruet quod perierat. Eſt autem hæc quoq; ſententia plena dulciſſimæ conſolationis, qua iudicij diuini terrores excutere poſſumus, vt in ſequenti ſermone dicetur. Nunc obſeruemus aliud diuinæ bonitatis argumentum, vt ad eius amorem & pœnitentiæ ſtudium excitemur. Eſt Deus iudex vniuerſæ terræ, & eius eſſe iudicium omne ſcriptura vbique docet. Sed & diem iudicij vniuerſalis iam olim conſtituit. Priuſquam tamẽ iure ſuo vteretur in puniendis noſtris ſceleribus, filium ſuum dare voluit, qui nobis & pœnitentiæ & remiſſionis peccatorum author eſſet, ſicuti Petrus Actor. 5. teſtatur. Imò verò ne temporarias quidẽ pœnas infligit, niſi per verbum ſuum præmonitos in viam reuocet. Vide Amos 3. cap. Exempla ſunt plurima omnium ſeculorum, quæ his fidem faciant, quæ cùm hiſtorias tam prophanas quàm ſacras legẽtibus paſſim occurrant, ea cõmemorare non eſt opus. Sed & hodie hanc Dei bonitatem multiuariàm experimur. Agnoſcamus ergo eius bonitatem, quam in filio ſuo nobis exhibuit, & verbi eius prædicatione excitati illum fide vera amplectamur, & in eodem renati vitam viuamus Chriſtiano nomine dignam: vt in magno illo vniuerſalis iudicij die coram iudice & ſeruatore noſtro, Ieſu Chriſto, conſiſtere, & in eodem vitam conſequi poſſimus. Illi debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum, Amen.

HOMILIA XXI.

Qui credit in eum, non iudicatur: qui uerò non credit, iam iudicatus eſt: quia nõ credidit in nomen unigeniti filij Dei. Hoc autem eſt iudicium, quòd lux uenit in mundum, & dilexerunt homines potius tenebras quàm lucem: erant enim mala eorum opera. Omnis enim qui mala agit, odit lucem, nec uenit ad lucem, ne arguantur opera ipſius. Qui autem facit ueritatem, uenit ad lucem, ut manifeſta fiant facta ipſius, quòd in Deo ſint facta.

OMnis ſcriptura ſalutem in vno Ieſu Chriſto inueniri docet, quem Deus æterno conſilio nobis redemptorẽ deſtinarit. De hoc enim primæ promiſſiones datæ ſunt. Hunc typi legales adumbrant, & Moſes diſertè prædicat. De eodem omnes prophetæ, quotquot iam inde à Samuele fuerũt, vaticinantur. Neq; aliam ſalutis conſequendæ rationem poſt hos omnes Apoſtoli tradiderunt. Omnium verò iſtorum doctrinam ipſe Chriſtus ſummatim in hoc colloquio complexus eſt, quod ipſi cum Nicodemo interceſſit. Et primò quidem humani generis corruptiſſimum ſtatum arguit, & nos renaſci totos q; innouari oportere docuit, ſi regnum Dei ingredi velimus. Deinde ſalutẽ in ſe vno monſtrauit, huius verò cauſam non aliam ſtatuit, quàm Dei gratiã, qui exitio dignos amore tanto proſecutus ſit, vt filium pro nobis in mortẽ daret. At quia in hoc ferè cardo totius negotij verſatur, vt intelligamus, qua ratione ſalutis vnicus author, Ieſus Chriſtus, apprehendi poſſit, vt eius meritum nobis ſalutare fiat, de hoc diligenter admodum agit, & ſæpe repetitis iiſdem verbis fidem nobis commendat, & hanc docet acceptabulum illud eſſe vnicum, quo & ipſum apprehendimus, & eidem inſerimur, vt ſalutis in illo conſortes efficiamur. Facit ad iſtud caput prima quoq; huius loci pars, qua cauſas exponit, propter quã fidei ſalus tribuitur. Sequitur hanc colloquij huius concluſio, qua docet, qui fiat, quòd non omnes ſalutem conſequantur, cum illam Deus omnibus in Chriſto communiter offerat. Simul verò commemoratione præmiorum fidei, & cõminatione pœnarum, quæ incredulos & obſtinatos manent, Nicodemum excitat, vt oblatam ſalutem fide vera amplectatur. Eſtq; locus hic dignus conſyderatione diligentiſſima. Nam & ſalutis & perditionis humanæ fontes aperit, & ita ſimul luculenter docet, quid nos facere quidue cauere conueniat vt ſalui fiamus. De ſingulis ergo ex ordine dicemus.

Quoad primam partem, cohæret illa præcedentibus. Dixerat enim: Non miſit Deus filium ſuũ in mundum, vt iudicet mundum, ſed vt ſeruetur mundus per eum. Quærat ergo aliquis: Cùm iuſtus

Fides in Chriſtum facit ne in dicemur.

fit Deus, & vniuersa terræ iudex dicatur, quæ ratio erit, ob quam iudicium suum exercere desinat? Item: Esto, iam nunc iudicium suũ suspendat aut differat Deus, num verò illud perpetuò faciat? Nequaquam: ita enim eius iustitia in vniuersum intercideret. At nisi perpetuò nobis ille parcat, salus nostra neq; certa neq; perpetua aut stabilis esse poterit, cùm nouis quotidie peccatis Dei iudicium cõtra nos prouocemus, &c. Cæterùm omnibus eiusmodi quæstionibus respondet Christus, & ait: Qui credit in eum, non iudicatur: qui verò non credit, iam iudicatus est, quia non credidit in nomen vnigeniti filij Dei. Est autem bimembris sententia ista, & contrariorũ antitheſi illustratur, quæ apud Euangelistam hunc nostrum frequens est. Primum membrum ad pios vel credentes pertinet, de quibus sic agit, vt neq; illos peccatores esse neget, neq; Deo iustitiam adimat, nihilominus tamen illos à iudicij metu liberet. Sic enim dicere videtur: Peccant sanè omnes homines, & piorum quoq; iustitia instar sordidorum centonum polluta est. Quòd ergo non damnantur, ex eo fit quòd non iudicantur. Si enim iure suo erga illos vteretur Deus, non possent nõ damnari. A iudicio autem ille abstinet, non quòd vel iustus esse desierit, vel quòd ignauus leges & ius suum negligat: sed quòd in illis inuenit fidem, qua Filium hominis, id est promissum humani generis redemptorem amplectuntur. Hic verborum Christi sensus est: in quibus diligẽter obseruabis, salutem nostram in eo potissimùm consistere, quòd non iudicamur, id est, quòd suum cõtra nos ius non persequitur Deus. Nam vt modò diximus, cùm peccatores simus, peccati verò stipendiũ sit mors, non possemus exitium effugere, si iudicij sui rigorem Deus proferre vellet. Agnouerunt hoc omnes sancti, quorum istæ voces in scripturis legũtur. Ne ambules in ius cum seruo tuo: quia non iustificabitur in conspectu tuo vllus viuens. Item: Si iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis sustinebit? Et rursum: Noui quòd non habitet in me, hoc est, in carne mea bonum. Prætereà: Fuimus nos omnes veluti immundum, & sicut vestis centonum abiectorum omnes iustitiæ nostræ. Hæ (inquam) sanctorum voces sunt, cum quibus si eos conferas, qui se iustos esse profitentur, & iustitias suas alijs diuendunt, dum opera supererogationis iactitant, mox patebit, ex cuius suggestione illi loquantur: ex eius nimirum, qui olim dixit: In cœlum conscendã, super astra Dei exaltabo soliũ meũ, & similis ero Altissimo, &c. Discant pij humiliari subpotenti manu Dei, & salutẽ suam huius gratiæ acceptã ferant, qui iudicio suo contra illos nõ vtitur.

Propter Christum nobis parcit Deus.

Deinde obseruabis quoq; cuius gratia nobis parcat Deus, ne suũ in nos ius exerceat. Nimirum propter Christum, qui causam nostrã in se transtulit, & diuinæ iustitiæ pro nobis satisfecit. Eadem ergo nostra est conditio, quæ obærati alicuius, quem secundùm leges vel ad seruitutem vel ad perpetuos carceres, vel ad triremes damnatũ, fideiussoris liberalitas interueniens liberat. Vt enim hic Legum & iuris rigorem euadit, quàmuis ipse æs alienum dissoluere non possit: ita nos æternæ damnationis sententiam effugimus, licet nullam in nobis ipsis iustitiam inueniamus, quæ Dei iudicio possit satisfacere. At quid (inquis) ad nos pertinet Christi iustitia? Nũ ideo nos liberari & seruari æquũ est, quia ille iustus & sanctus est? Maximè, idq; propter fidem, qua ita ipsum apprehendimus & ita ipsi vnimur, vt ille in nobis sit, & nos in illo simus: adeoq; vt ille nostras infirmitates in se trãsferre & suas facere voluit: ita vicissim per fidẽ totus noster fit, nostra deniq; fit illius obedientia, illius innocentia, illius iustitia, sanctitas & satisfactio. Rectè ergo in præsenti dicit ille: Qui credit in filium Dei, non iudicatur. Cui illud Apostoli consentit: Nulla condemnatio his, qui sunt in Christo Iesu. Rom. 8. Quomodo enim condemnationis sententiam subirent, quos à iudicio Christus (summus ille & vnicus iudex) prorsus eximit? Hinc autem suum illud dogma deriuarunt Apostoli, quo nos fide iustificari docent. Iustificandi enim verbo vtuntur Hebræorum more, quibus illud idem est, quod iustum pronunciare aut absoluere eum, qui reus agebatur. At quia hoc nobis obtingit ex fide, qua Christum apprehendimus, rectè etiam fidei iustificatio tribuitur. Faciũt autem ista ad asserendam salutis nostræ certitudinem, de qua dubitare non possumus, cùm iudicium, quod nostris capitibus imminebat, Christus sustulerit. Illam verò vehementer labefactant & euertunt, quicunq; iustificationem suorum operum meritis, suis item satisfactionibus, Paparum indulgentijs, purgatorij ardoribus, Missis & alijs eius generis ceremonijs tribuunt. Quid enim est inter hæc omnia, quod Deum vel placare, vel cohibere possit, quò minus sui iudicij rigore aduersum nos vtatur?

Qui non credunt, iudicio dãnationis subiacent.

Porrò ad horum confirmationem facit alterum membrum, quod subijcit: Qui verò non credit, iam iudicatus est. Emphaticè hoc dicit, quò magis terreat incredulos, & simul scandalo medetur, quod

quòd ex lætis impiorum successibus exoritur. Frequenter enim fit, vt infirmiores in fide de Dei ira & iudicio iusto dubitent, quando Christi contemptores & apertos hostes feliciter agere vident, ipsis interea perpetuò sub cruce laborantibus. Vult ergo dicere: Non offendat te huius seculi splendor, & quæ impijs arridet fortuna. Nam vt vt hic res illorum habeant, tamen iam nunc iudicati & exitio sempiterno destinati sunt: & vt in me credentes iam nunc filiorum loco habet Deus, licet eos interdum vix conspectu suo dignari videatur: ita iam olim idem ille contra meos hostes sententiam protulit, quam suo tempore executio dira sequetur. Dependet autem ex priori membro huius sententiæ veritas. Quia enim sola fides nos tuetur & liberat quò minus iudicemur, iudicium illud omnino subeant oportet, quicunque à fide sunt alieni. At quia carni durum videtur tot simul eruditos, diuites, nobiles, tam multos denique omnis loci & ordinis homines vna sententia damnare, causam subijcit: Quia non credidit in nomen vnigeniti filij Dei, id est non talem agnoscere voluit vnigenitum Dei filium, qualis nomine suo prædicatur, Regem videlicet, sacerdotem, seruatorem, mediatorem & aduocatum humani generis. Facit autem ad amplificationem sceleris, quòd non contentus filium Dei dixisse, insuper Vnigenitum dicit. Vt enim Dei charitas in eo elucet, quòd quem vnicum habebat filium pro nobis tradidit: sic detestabilis sit oportet illorum ingratitudo, qui tantum beneficium non agnoscunt, & ipsum Dei filium aspernantur. Vt ergo prius fidei iustificationis & salutis gloriam tribuit: ita hîc incredulitatem exitij & mortis æternæ causam esse docet. Nam etsi peccata omnia mortem mereantur, illis tamen fides medetur, qua fit, vt Christo insitis non imputentur. Si qui verò peccatis, quibus mortem æternam meruerunt, incredulitatem adijciunt, qua Dei filium excludunt: ij certè simul salutis viam sibijpsis præcludunt, adeoque seipsos in perpetuo reatu detinent. Accedit huic improbitati impudentia execrabilis, qua Deum ipsum (vt Ioannes loquitur) mendacij insimulant, dum eum nolunt amplecti, in quo ipse nobis peccatorum remissionem & vitam æternam pollicetur. Denique eorum similes sunt isti homines, qui cùm ipsi æs alienum, quod contraxerunt, dissoluere non possint, neminem tamen admittere volunt, qui illud in sese transferat, aut pro ipsis fideiubeat. Vel potius seditiosos imitantur, qui non contenti pacem & leges publicas violasse, insuper oblatam sibi à suo principe gratiam contemnunt, & legatos eius ignominiosè reijciunt. Vides ergo non iniuria damnationis pœnam illis à Deo constitui, qui filium eius fide amplecti dedignantur. Hi enim & Dei veritatem in dubium vocant, & meritum filij Dei contumelioſè aspernantur, & insuper scelerum suorum reatu liberari nolunt. Et cùm olim qui Mosis legem abijciebant, absque misericordia ex duorum aut trium testiũ ore occiderentur: quis non atrocioribus supplicijs dignos censeat, qui filium Dei conculcare, & sanguinem fœderis, per quem sanctificati fuerunt, prophanum ducere, & spiritum gratiæ contumelia afficere audent? Vide Hebr. 10.

Homines ipsos sibi esse exitij authores.

Sed ad Christum redeamus, qui quod dixit, clarius illustrat, & simul duo docet, quæ nisi probè cognita sint, hominum mentes plurimum turbare consueuerunt. Primùm, non nimij rigoris accusandum esse Deum, etsi omnes incredulos æterno exitio mulctet. Alterũ, homines suo vitio sibijpsis interitum accersere, neque hic Dei morositatem accusari debere. Summa omnium est, Deum suum officium facere, nec aliquid eorum intermittere, quæ ad nostram salutẽ faciunt: eam verò esse hominum malitiam & ingenij peruersitatem, vt oblatam sibi salutem improbè respuant: Ergo in ipsis hærere causam perditionis, neque Deum rigoris aut morositatis nimiæ debere insimulari. Continent ergo Christi verba commentarium seu explicationem generaliorem prophetici illius dicti, quod apud Hoseam Cap. 13. habetur: Perditio ex te est Israel, ex me autem salus tua. Et primò quidem summatim rem omnem comprehendit, dicens: Hoc autem est iudicium, id est cõdemnatio, vel etiam causa, ob quam Deus iusto iudicio homines damnat: Quòd lux venit in mundum, & dilexerunt homines potius tenebras quàm lucem, &c. Lucem vocat seipsum & quam nobis ille offert veritatis cognitionem, qua mundus illuminatur. Hæc (inquit) venit in mundum, missa nimirùm ex gratia, non quæsita neque parta hominum labore aut studio. Rursum tenebras dicit ignorantiam Dei, & quæ ex ista proueniunt superstitiones atque peccandi licentiam. Et lucem cum tenebris confert, vt hominum inexcusabilem improbitatem arguat, qui in his potius errare & perire quàm in illa seruari voluerint. Quò & causæ redditio pertinet, quam subijcit: Erant enim opera eorum mala. Docet enim hoc illis non aliqua fatali necessitate accidisse, qua eos astrinxerit: sed quòd ita voluerint ipsi, prauis & cor-

ruptis suis studijs eò impulsi. Et mox hoc ipsum generali sententia confirmat. Omnis enim qui mala agit, odit lucem, nec venit ad lucem, ne arguatur opera ipsius: Qui autem facit veritatem, venit ad lucem, &c. Sumitur hæc ex communi experientia, & pulchrè exprimit electorum simul atq; reproborum ingenium & mores, ex quibus vtrũq; hoc hominũ genus dignoscas. Hi enim cùm toti carnales sint, peruersè & subdolè agunt omnia, dũ & carni indulgere, & simul pro bonis & iustis haberi volunt. Illi verò, quia Dei spiritu aguntur, & sibijpsis bene sunt conscij, apertè & ingenuè omnia faciunt, neq; eos illorum pudet, quæ in Deo, id est secundùm Dei voluntatem ab ipsis fiunt. Quòd si quando ex innata carnis infirmitate exorbitant, culpam agnoscunt atq; fatentur, & ne tunc quidem lucem subterfugiunt, sed quærunt potius, vt & ipsi errores suos corrigere, & alios in viam reducere possint, quos suo exemplo prius offenderunt. Hinc fit, vt hi quidem in luce per Christum nobis affulgente seruentur: illi verò in suis tenebris malè pereant. Cõfirmantur hæc omnium seculorum exemplis, quæ abunde docent, hanc semper omnibus reprobis suæ perditionis causam fuisse. Noluerũt lucem admittere Iudæi, ne traditionum absurditas & hypocrisis ipsorum manifestaretur. Eandem ob causam gentes quoq; illam reiecerunt, quòd nec suam sapientiam stultitiæ, neq; suas superstitiones erroris atq; mendacij conuinci, neq; effrenes suas libidines publicè corripi voluerũt. Eadem ratio Mahometem mouit, vt suis sectatoribus disputationes de religione prohiberet, eò quòd videret leges suas in veritatis luce consistere non posse. Cuius exemplum secuti Pontifices Romani, libros sacros laicis eripuerunt, linguam peregrinam in ecclesiam induxerunt, & sibi soli omne iudicium de doctrina vendicarunt, quod penes ecclesiam esse voluit Apostolus. 1. Cor. 14. Quin hodie hoc potissimùm argumento sese tuentur aduersarij nostri, quòd Romanam sedem ab omni censura & examine eximunt, neque se teneri aiunt, vt prophanis laicis suæ doctrinæ rationem reddant. Qua in re Alcibiadis consilium sequi videntur, qui cùm puer adhuc ad Periclem auunculum suum veniisset, eumq; solito tristiorem vidisset, ecquid tristis esset interrogauit. At illo dicente, se in propylæis Mineruæ ædificandis ingentẽ pecuniæ vim consumpsisse, nec inuenire quo pacto magistratibus ministerij sui rationem reddat: respondit Alcibiades: Ergo quære potius, quomodo rationem non reddas. Ita illi, cùm sine ratione omni ecclesiæ thesauros tam spirituales quàm temporarios dissiparint, consilia sua omnia in eum finem dirigunt, ne sui ministerij rationem reddere cogantur. Vtque Pericles Alcibiadis consilium secutus, belli author fuit Atheniensibus, ne rationibus exigendis vacare possent: Ita isti non semel orbem Christianum bellis ciuilibus implicuerunt, vt interea suam tyrannidem stabilirent. Quòd si eos examinemus, qui carnis studio addicti religionem susq; deq; faciunt, quia tamen iidem mores suos turpissimos & infanda scelera studiosè cælant, ipsi quoque veritatis lucem extinctam volunt. Perpetuis ergo persecutionibus exercetur ecclesia, in qua lux ista salutaris fulget, & nimis stulti aut ridiculi sunt, qui pacem sibijpsis pollicentur, aut euangelij doctrinam ita proponi posse putant, vt mundo probari possit, aut saltem tolerabilis videri. Nec enim hic vnquam suum ingenium exuet, & semper mala erunt eius opera. At quoad talis fuerit, veritatis lucem odio habebit, & ad huius prædicationem tumultuabitur, vt (quod olim Catilina dicebat) incendium illud, si non alia ratione potest fieri, ruina extinguat. Porrò hic nos consoletur, quòd nequicquam isti omnes insaniunt. Vt enim orientis Solis splendorem nemo impedire potest, quò minus terram totam illustret: Ita diuina hæc lux nullis hominum consilijs aut machinationibus detinetur, quò minus mundo sese inferat, & tenebras huius suo fulgore discutiat. Oritur autem impijs istis in condemnationem, & inexcusabiles reddit eos, qui sub ignorantiæ prætextu latere cupiunt. Cæterùm meminerimus ista à Christo in eum finem proponi, vt Nicodemus excitetur, ne collegarum exemplo deceptus lucem hanc subterfugere pergeret. Idem ergo nobis quoque istius loci vsus sit, & cùm hodie lucem istam nobis accenderit Deus, depositis operibus tenebrarum, vt filij lucis ambulemus in omni bonitate, iustitia & veritate. Quod tum faciemus, si probauerimus quæ Deo accepta sunt, neque commercium habuerimus cum operibus infrugiferis tenebrarũ, sed ea potius arguerimus. Vide Ephes. 5. Et hæc quidem dicta sint in celeberrimum & salutare Iesu Christi cum Nicodemo colloquium. Didicimus ex eo, quanta sit naturæ humanæ corruptio, & quòd totius hominis regeneratione opus sit. Huius authorem indicauit spiritum sanctum, qui nos ex semine verbi Dei renatos totos mutat & innouat. Præterea salutis fontem nobis in gratuito Dei amore aperuit, qui filium pro nobis in

mortem

mortem tradidit, vt eius merito redimeremur. Hunc quotquot fide vera apprehendunt, in illo seruantur: pereunt autem & damnantur meritò in tenebris suis, quicunque lucem istam salutarem fugiunt, vt operibus prauis indulgere possint. Oremus itaq; Deum patrem misericordiæ, vt ex verbi sui semine renatos lucis istius amore incendat, gressusq; nostros dirigat, vt verè filij lucis vitam viuamus nostra professione dignam, & olim regni eius cœlestis hæredes efficiamur cum filio suo vnigenito, Iesu Christo: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

HOMILIA XXII.

Postea uenit Iesus & discipuli eius in Iudææ territoriũ, & illic uersabatur cum ipsis, ac baptizabat. Baptizabat autem & Ioannes in Aenon propè Salim; quia aquæ multæ erant illic: & ueniebant ac baptizabantur. Nondum enim cõiectus fuerat Ioannes in custodiam. Orta est igitur quæstio ex discipulis Ioannis cum Iudæis de purgatione. Et uenerunt ad Ioannem, & dixerunt ei: Rabbi, qui erat tecum trans Iordanem, cui tu testimoniũ dedisti, ecce is baptizat, & omnes ueniunt ad eum. Respondit Ioãnes, & dixit: Homo non potest recipere quicquã, nisi fuerit ei datum è cœlo. Vos ipsi mihi testes estis, quòd dixerim: Non sum ego ille Christus, sed missus sum ante eum.

AVdiuimus hucusque Seruatoris nostri Iesu Christi cum Nicodemo colloquiũ, quo vniuersa nostræ redemptionis & salutis ratio cõtineture. Docuit enim quæ sit nostra naturæ corruptio, vnde medicina debeat peti, & vt hanc ex gratuito amore Deus nobis in filio suo offerat, qui fide vera apprehensus vitam æternam nobis largiatur. At quia in his tradendis Deus, propter nostri ingenij tarditatem, non verbo tantùm, verumetiã ceremonijs sacris & externis signis vtitur, circa quæ multiuariam peccatur, dum alij ea improbè contemnunt, alij ijsdem superstitiosè inhærent, quasi salus ex illis in nos deriuetur: subijcit nunc Euangelista ordine cõmodissimo nouam disputationẽ, quæ inter Ioannis discipulos & Iudæos quosdam de Baptismo exorta fuit. Cùm enim causam hanc ad magistrum suum Ioannis discipuli retulissent, ita ille de seipso & ministerio suo disseruit, vt non obscurè doceret, quo in loco externa hæc haberi debeant, simulque nouum de Christo testimonium tulit, cuius summa est, illum verum esse Dei filium, & huic soli omnẽ deberi nostræ salutis gloriam. Fuit hoc postremum Ioannis testimonium, quod paulò antequàm in carcerem conijceretur, Christo dedit, vt suo loco dicetur. Nunc loci modò recitati partes singulas inspiciemus.

Præmittitur disputationis aut tractationis totius occasio, quæ fuit eiusmodi: Iesus Christus, cùm totum paschæ festum Hierosolymæ transegisset, postea in agrum vrbi finitimum exiuit, & illic cum discipulis suis aliquandiu commoratus est: neque otiosus ibi latuit, sed (vt ex alijs locis apparet) publicè docuit simul atque baptizauit. Et ipse quidem baptizauisse dicitur, non quòd suis manibus ille quenquam tinxerit (hoc enim cap. 4. diserte Ioannes negat) sed quòd illud ex eius mandato facerent discipuli. At dum ista in Iudæa fiunt, simul in Ænon (qui Galilææ locus fuit, non procul à Iaboci ostio, vbi is Iordanem ingreditur) baptizat adhuc Ioannes. Duobus ergo simul eandem doctrinam tradentibus & idem sacramentum administrantibus, vulgus pro suo more in studia contraria scinditur, & alij quidem ad Christum, alij ad Ioannem confluunt, plures tamen ad Christum trahit miraculorum fama, quibus ille suam doctrinam confirmabat. Ferunt hoc indignè Ioannis discipuli, & stulta æmulatione excitati, contra Iudæos disputationem de Purgatione, id est, de Baptismo, qui purgationis internæ symbolum erat, instituunt. Et videntur plerique baptismum Christi baptismo Ioannis præstantiorem duxisse: quæ causa fuit, vt discipuli rem hanc omnem ad Ioannem referrent. Hæc sequentis tractationis de Christo fuit occasio, in qua personas singulas diligentius inspexisse proderit.

Occasio sequentis tractationis.

Primus ex his prodit Christus, qui relicta Hierosolyma in agrum exit, & illic suo officio fungitur. Voluit quidem primò in vrbe sese manifestare, vt in magna populi frequentia plures attrahe-

Christus relicta urbe in agro docet & baptizat.

ret: sed quia plerosq; in vrbe hypocritas, superstitiosos, adhæc arrogantes & incurabiles inuenit, illis relictis aliò commigrat. Fuit hoc quasi præludium futuræ calamitatis atque repudij, quod vrbs ista propter suam contumaciam paulò post passura erat: quo simul docemur, quid omnibus seculis eos maneat, qui Ierosolymitanorum ingratitudinem & peruicaciam imitantur. Quoad verò officiũ Christi, illum docuisse & baptizauisse diximus. Constat enim ecclesiæ ministerium, quo ille quàm fidelissimè functus est, duabus potissimùm partibus, Doctrina & Sacramentorum administratione. Doctrinæ formam ipse Christus exemplo suo tradidit, & disertis quoque verbis præscripsit, quando in suo nomine prædicare iussit pœnitentiam & remissionem peccatorũ. Idem Sacramenta siue actiones sacras & mysticas ecclesiæ duas mandauit, Baptismum & Cœnam Eucharisticam, de quarum institutione & vsu alibi diximus. Sufficiat nunc annotauisse, hæc esse vera ecclesiæ exercitia, neque audiendos esse, qui illam nouis ceremonijs & ex suo cerebro confictis onerare conantur. Potuerunt ista vetera olim sufficere, nec tantum iuris in ecclesiam sibi vendicarunt Apostoli, vt nouum quid ipsi inueherent. Poterunt ergo hæc ipsa nobis etiam sufficere: nec alicui permittendum est, vt plus in ecclesia iuris habeat, quàm Apostolis sit datũ. Obseruabis præterea, quòd ipse Christus baptizauisse dicitur, cùm hoc ex illius præscripto discipuli fecerint. Ergo ad Christũ authorem referri debet, quicquid illius auspicijs & secundùm eius præceptũ fit in ecclesia. Idem ille igitur etiam hodie Euangelium prædicat, baptizat, panem & potum mysticum distribuit: quãdo iuxta illius institutũ ministri docent, baptismum & Cœnam administrant. Facit hoc ad Sacramentorum cõmendationem contra eos, qui illa quasi hominum figmenta contemnunt & negligunt. Præterea Anabaptistarum furores confutat, qui in solos ministros intenti, mox vt in illis aliquid vitij deprehendũt, ab ecclesia secessionem faciunt, & alijs quoq; schismatis nocentissimi fiunt authores. Quid verò ijdem facturi erant, si illo tempore vixissent, quando discipuli baptizarunt, quos mysteriorũ Christi & regni eius rudes & prorsus ignaros fuisse constat, cùm ista facta sunt, de quibus hîc agitur? Sunt quidem in ordinem redigendi ministri, si quid præter officium faciant. At simul tenendum est, doctrinæ & Sacramentorum dignitatem, non ab illorum personis, sed à Christi institutione pendere, quæ si nobis salua maneat, nihil illa cum fide vsurpantibus officere poterit quæ in ministris inuenitur imperfectio.

Ioannes non desinit docere, etsi Christus ipse doceat.

Sequitur Christum Ioannes, qui & ipse pergit officium facere, etsi Christũ docere & baptizare non ignoraret. Atqui magnam habebat occasionem discedendi à ministerio, ne arrogans videretur, qui ipsum Dei filium æquare, aut saltem iuuare vellet. Sed non deserit sibi commissam prouinciam, quoad metam se nondum attigisse videt. At quæ eius meta fuit? Carcer, in quem paulò post conjectus est, & qui ei publicè docendi facultatem eripuit. Imò ne tunc quidẽ cessauit in officio, sed Herodem frequenter admonuit, & discipulos ad Christum misit, vt Matth. 11. habetur. Imitentur exemplum hoc, quicunq; in aliquo publico officio agunt, neq; stationẽ suam deserãt quoad aliquam habent exequendi sui muneris occasionem. Nam non nostri iuris est, vt ipsi nobis ferias indicamus. Sed nec mundi huius ingratitudine aut persecutionibus nos absterreri cõuenit: cùm non mundi, sed Dei serui simus, qui remunerator fidelis est, & nobis in cœlis mercedem reposuit, &c.

Iudæorum & discipulorum Ioannis controuersia.

Tertiò Ioannis discipuli simul & Iudæi considerandi veniunt. Docent simul Christus & Ioannes, & vterque suos sectatores baptismo tingit, vnus denique & idem vtrique finis propositus est, cùm sibi quidem discipulos quærat Christus, ad hunc verò suos auditores Ioannes remittat. Interim sententijs scinduntur Ioannis discipuli & Iudæi, & rixas seu contentiones superuacaneas & scandali plenas instituunt. Nam de purgatione disputant, & Ioannis quidem discipuli hanc in sui magistri baptismo quærere docent, alij verò aut in legalibus purificationibus eam cõstituunt, aut Christi baptismum Ioannis longè præferendum esse contendunt. Vnde autem ista animorũ dissensio? Ex eo nimirum, quòd ab hominum authoritate & externis ritibus toti penderent, rem verò ipsam minus attentè considerarent, de qua hîc agebatur. Nam si illam probè inspexissent, contentione nequaquam fuisset opus, cùm & Moses & Ioannes de Christo testimoniũ ferant, & in hoc vno monstrent quæcunque ad animorum purificationem & totius hominis salutem faciunt. Solent ex eodem fonte etiam hodie contentiones enasci, quibus facilè finis inueniri posset, si positis affectibus rem ipsam omnes seriò expenderent. Sed est hoc mundi ingenium, vt de externis contendat, negligat autem interna & spiritalia, sine quibus salus nostra consistere non potest. Cæterùm obseruatu dignissimum est,

Ioannis

Ioannis discipulos primos fuisse huius disputationis authores. Atqui ignaros rerum propè omnium & ineptissimos fuisse constat ex multis locis, maximè ex Ioannis oratione, qua: nox illorum stupiditatem & contumaciam arguet. At ita fieri solet in ecclesia, vt qui omnium sunt indoctissimi, omnibus ferè contendendi materiam præbeant. Nihil enim inscitia audacius est, (vt Cyrillus ait) nullum tam turpe facinus est, quod imperitia non audeat aggredi. Exempla huius generis hodie passim extant: & vt isti sua inscitia tam Christi quàm Ioannis causam Iudæorum ludibrio exposuerunt: ita multi nostro seculo indoctis & ineptis suis altercationibus communem religionis & fidei causam apertis hostibus deridendam propinant. Admonet præterea exemplum hoc, ne offendamur, si quando inter eiusdem fidei professores dissidia exoriantur. Nec enim nouum & insolens hoc videri debet, cùm Ioannis discipulos cum Christi fautoribus initiò statim cõmissos fuisse videamus. Et permittit frequenter ista fieri Deus, cùm ne quid ex conspiratione fieri putetur in religionis causa, tum vt maiori diligentia inuestigetur veritas, quam multi ignauè negligunt, dum eius prædicatione in otio & pace frui possunt. In præsenti certè contentio ista Ioanni testimonium de Christo extorsit, quo vix vllum in scripturis habetur luculentius, & quo etiam hodie superstitiosi illi Diuorum admiratores, vel cultores potius, validissimè confutantur. Sic in primitiua ecclesia contentionem de iustitia legis & fidei incidere plurimùm profuit: quia sine illa non tanta fuisset Apostolis occasio disputandi contra Legem, cui plerique nimium tribuebãt. Est hoc nobis hodie cogitandum. Offenduntur multi disputationibus contentiosis, quæ inter euangelicæ doctrinæ instauratores nostro seculo de Cœna Domini exortæ sunt. At si cogitemus, quàm crassis erroribus hoc mysterium obscuratum, & quanta Dei illius Mayzim authoritas in Papatu fuerit: mox patebit nõ sine numine fieri, vt magnorum hominum ingenia committantur, vt ea occasione huius articuli veritas diligentius enucleata multorum animos superstitionibus liberet, quas alioqui nunquam relicturi essent. Et sanè non habent aduersarij quod de nostris pugnis gaudeant, quando illis ipsa fundamenta Papatus reteguntur, & multi per eas ad pleniorem veritatis cognitionem veniunt, qui aliàs in primis initijs, ceu in obscuro crepusculo, subsisterent. Quod ipsum in præsenti quoque concertatione factum fuisse, sequentia docebunt.

Cùm enim Ioannis discipuli in disputatione abs se mota succumberent, causam omnem ad suum præceptorem referunt, & non sine amarulentia magna verborum de Christo quiritantur, & hunc accusant, quasi is præcipuus sit huius confusionis author, eò quòd ipse etiam baptizare & discipulos sibi facere cœperit. Dicunt enim: Rabbi, qui erat tecum trans Iordanem, cui tu testimonium dedisti, ecce is baptizat, & omnes veniunt ad eum. Habent hîc verba singula suos aculeos. Primò Christũ non dignantur nominare, sed inuidiosè nimis illum describunt, quod magnæ indignationis argumentum est. Nam qui erat tecum (aiunt) trans Iordanem, & cui tu testimonium dedisti honorificum. Quasi dicerẽt: Qui ad te venit, vt abs te baptizaretur, & qui in tuam amicitiam sese insinuando testimonium eiusmodi ex te elicuit: qui denique quicquid est ex tuo beneficio est, cui istam authoritatem ipse conciliauisti. Deinde addunt: Ecce is baptizat, id est, tuam prouinciam inuadit, & tibi commissam functionem ad se rapit. Præterea ea est vulgi ingratitudo & leuitas, vt omnes te relicto ad illum confluant. Quis verò horum omnium scopus est alius, quàm quòd ipsum Ioannem contra Christum in certamen abripere cupiunt? Causa autem omnis mali est, quòd Ioannem putarent Messiam esse, & stulto zelo eius gloriam defendere volunt contra Christum, quem indies celebriorem fieri videbant. Quo exemplo docemur, quàm noxium sit, à ministrorum authoritate pendere, & illis plus tribuere quàm Deus iussit. Hic enim error in causa fuit istis, vt ex Ioannis doctrina fructum quasi nullũ perceperint, imò eius authoritate impediti sint, qui totus in hoc erat, vt solus Christus emineret. Nec enim vident consensionẽ, quæ inter Christum & Ioannem summa erat, & proinde schismatis causam in eo quærunt, quod arctissimæ consensionis seminarium esse debebat. Simile quid in Corinthiorũ ecclesia contigit. Eundem Christum prædicabant Paulus, Cephas siue Petrus & Apollo, neque vlla erat inter illos dissidij species. Propter illos tamen in sectas scinduntur Corinthij, dum quisq; suum doctorem reliquis præfert. Et vt hæc omnibus ferè seculis sectarum fuit causa in ecclesia: ita inter priuatos quoque homines, imò in republica etiam hinc æmulationes, dissidia, rixæ & schismata oriuntur, quòd inepti & suo cõmodo nimiùm addicti homines aliquos præ alijs su-

Ioannis discipuli Christum accusant.

ſpiciunt, pro illorum gloria odioſè contendunt, & tam ſibi ipſis quàm illis decedere arbitrantur quicquid alijs accidere vident. Diſcant ergo ſinguli miniſtros in ſuo ordine collocare, & tales agnoſcere, quales à Deo facti ſunt, diſpenſatores videlicet myſteriorum Dei, per quos credidimus, quantum vnicuique Dominus dedit. Deinde doctrinam inſpiciamus, quatenus illa cum verbo Dei conueniat. In externis verò cogitemus nobis ex commodis aliorum nihil incommodi poſſe accidere. Eſt enim Deus diues in omnes, & vt Solem, aquam, aerem omnibus ſufficere videmus: ita Deus vnus ſufficit omnibus, & ex ſuæ bonitatis theſauro omnibus largitur, quantum cuiq; opus eſſe videt.

Ioannes diſcipulorũ opinionẽ de ſeipſo confutat.

Cæterùm Ioannem audiamus, qui diſcipulis ſuis grauiter reſpondet. Primò enim falſo conceptam de ſe illorum opinionem confutat. Deinde de Chriſto magnificè pronunciat, & quid in illo nobis datum ſit docet. Poſtremò modum & rationem indicat, qua illum apprehendimus, vt ipſum & bonorum eius conſortes efficiamur. Primam partem orditur à generali ſententia: Homo non poteſt recipere quicquam, niſi fuerit ei datum è cælo. Hoc autem dicendo illos ad Dei prouidentiam remittit, qui dona ſua pro ſuo arbitrio iuſtè & bene diſtribuat: ſimulque docet, zelum ipſorum non inutilem modò eſſe, verumetiam in manifeſtam impietatem degeneraturum eſſe, ſi in eo pergant. Quaſi diceret: Cùm Deus pro ſuo nutu hæc omnia diſpenſet, vos quantumuis laboretis, me tamen nunquam poteritis maiorem facere quàm Deus velit: Et vicißim nihil etiam Chriſto detrahere poteritis ex ea gloria, qua ille eum coronare decreuit: Impij autem & Dei hoſtes fuerint ſi illud conemini, &c. Eſt ſententia hæc omni auro & gemmis pretioſior, & propter multiplicem doctrinam digna, quam dies & noctes memori mente verſemus. Primò enim noſtræ inopiæ & egeſtatis nos admonet. Si enim nihil poſſumus recipere, niſi è cælo datum fuerit, ex nobis ipſis nihil habeamus oportet, quod vel ad hanc vitam tuendam, vel ad æternam conſequendam faciat. Quod quàm verè dicatur, facilè patet, ſi omnia bona cùm corporis tum animi & fortunæ conſyderes. Quis enim ad ſtaturam corporis ſui vel latum vnguem adijcere, vel pilum aliquem mutare poteſt? quis fruges creare? quis ex morbo ſeipſum pro ſuo arbitrio liberare? In externis eadem eſt ratio, cùm honores & opes, non prout nos volumus, affluant aut diſcedant, ſed prout Domino videtur. In ijs verò quæ ad animum ſpectant, adeò nihil habemus ex nobis ipſis, vt animalis homo ne percipere quidem poßit quæ ſunt ſpiritus Dei. Omnium ergo egeni ſumus, & proinde neceſſariò mendicorum inſtar quotidie clamamus: Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie. Et hæc eſt noſtra nobilitas, hæ noſtræ diuitiæ, inter quas multi ſuæ conditionis prorſus immemores, tam inſolenter ſuperbiunt. Docet deinde ſententia hæc, vt in donis omnibus, quæ vel in nobis ſunt, vel quæ in alijs conſpiciuntur, largitorem agnoſcamus Deum, & huic gloriam omnem tribuamus. Adhæc ſolatur nos eadem, ne eorum zelo aut inuidia offendamur, qui nobis malè volunt. Nihil enim iſti nobis eripient eorum, quæ Deus dare voluerit. Et paſſim exempla ſunt eorum, qui ad opes & honores ſummos inuitis omnibus eluctati ſunt, quando ſic Domino placebat, vt præclari & potentes fierent: in quorum numero Dauid & Cyrus, & ex prophanis hiſtorijs Hercules, Romulus, & infiniti alij recenſeri poſſunt. Vnde rectè olim Theologus dicebat: θεῶ δ' ἰσόρροπος, ἄλκιμ' ἰφύεις φάος: καὶ θεὸς μὴ διέλῃτο, ἐδ' ἐν ἰφύεσι πόνος. Id eſt: Deo dante, nihil poteſt inuidia: Et Deo non dante, nihil poteſt labor. Præterea officij hoc ipſum nos admonet, ne præcipiti vel opum vel honorum cupiditate, Dei diſpenſationem anteuertere conemur, ſed in illum reiecta cura omni, ipſius decretum expectemus. Sunt enim exempla eccleſiaſtica & politica, quæ ſatis docent, quam infelix ferè ſit eorum exitus, qui non expectata Dei vocatione ad dignitates & imperium aſpirant. Nam etſi per illos interdum punit Deus ingratitudinem mundi, idem tamen de illis quoque tandem pœnas ſumit, vbi illorum improbitate ad ſuos coercendos bene vſus eſt. Poſtremò excitat nos huius ſententiæ conſyderatio, vt à Deo acceptis donis rectè vtamur cum gratiarum actione, ad ſui nominis gloriam & eccleſiæ ſuæ ædificationem. Qui enim in hoc vel ingrati vel ignauĩ ſunt, hos donis ſuis ſpoliatos in tenebras exteriores abijcit, ſicuti in talentorum parabola Chriſtus docet, Matth. 25.

Ioannis de ſuo miniſterio teſtimonium.

Sed redeamus ad Ioannem, qui proprio ipſorum teſtimonio ineptum & ambitioſum diſcipulorũ zelum confutat. Vos ipſi (inquit) mihi teſtes eſtis, quòd dixerim: Non ſum ego ille Chriſtus, ſed miſſus ſum ante eum: vt nimirum apparitoris aut præconis inſtar ipſi inſeruirem. Nullam ergo ex me habetis

habetis aduersus quenquam contendendi occasionem, cùm honorem Messiæ nunquam affectarim, sed illum cõmendarim, cui honor iste omnis debetur. Elucet hìc iterum Ioannis fides & integritas, quam illi cum omnibus sanctis cõmunem esse alibi diximus, qui omnes hoc vnum præ alijs curant, vt suus Christo honor saluus & integer maneat. Rursum apparet, quàm difficile sit semel conceptos errores deponere, quando toties admoniti Ioannis discipuli, adhuc tamen Christum iniquè æmulantur, & sui præceptoris gloriam cum illius ignominia assertam volunt. Sunt horum similes, qui hodie in clarissima Euangelij luce pro Diuis aduocatis & mediatoribus, proq; illorum inuocatione hostiliter contendunt. Cæterùm quia de his aliàs dictum est, & ipse Ioannes in sequentibus pleniorem sui dicti declarationem subijciet, ista modò sufficiant. Nos in vno Christo Iesu quæramus salutem omnem, & ab Ioanne, prophetis & Apostolis prædicatum fide vera amplexemur. Illi debetur benedictio, honor, gloria, & potestas in æternum. Amen.

HOMILIA XXIII.

Qui habet sponsam, sponsus est: amicus autem sponsi, qui stat & audit eum, gaudio gaudet propter uocẽ sponsi. Hoc ergo gaudiũ meum impletum est. Illum oportet crescere, me uerò minui. Qui supernè uenit, supra omnes est: qui ex terra est, terrenus est, & ex terra loquitur.

QVoniam Ioãnes Baptista discipulos suos sibi nimiùm addictos esse, & stulto zelo Iesum Christum insectari videbat, cuius gloria indies magis & magis illustrabatur: magno studio & diligentia hunc illorum errorem oppugnat atq; confutat. Et primò quidem de seipso agit, docens qualem ipsum agnoscere debeant. Disertè verò se Christum, id est, promissum humani generis redemptorem esse negat, huius autem præambulonem se esse dicit, qui vt viam illi præparet, à Deo missus sit. Hoc autem dicendo procul abs se remouet Messiæ officia, qualia sunt peccata remittere, ex morte liberare, vitam cõferre, & quæ alia sunt huius generis. At si ista non locum habuerunt in Ioanne, quo nemo sanctior est inter natos mulierum, satis apparet, hæc ipsa apud neminem alium quæri debere, sed vni Iesu Christo omnem nostræ salutis gloriam esse transcribendam. Sequitur præsens locus, in quo primùm eleganti simili illustrat quod dixit. Deinde ad alterum suæ tractationis caput transit, docens quis Christus sit, & quantùm ille omnes homines excellat.

Distinguitur inter Christum & Ioannem.

Prima pars similitudinem habet à nuptijs petitam. Qui habet sponsam, sponsus est: amicus autẽ sponsi, qui stat & audit eum, gaudio gaudet propter vocem sponsi. Hoc ergo gaudium meum impletum est. Habet autem similitudo hæc partes duas, quas perspicuitatis ergò distinguere oportet. Prima est: Quemadmodum sponsus est, qui sponsam habet, & eadem illi soli debetur: Ita ecclesiæ sponsus non alius censeri debet, quàm cui sponsam hanc Deus despondit, Filius nimirum ille vnigenitus, Iesus Christus. Eadem ergo huic vni & soli debetur, & proinde meritò omnes ad illum confluunt. Altera: Vt amici sponsi, quorum opera hìc in sponsa sibi concilianda vsus est, & quorũ præsentia nuptias suas ornari vult, non sibijpsis sponsam vendicant, & illam adeò non inuident sponso, vt potius gaudio gaudeant, si sponsum cum illa colloqui, & proinde suam operam non infrugiferam fuisse vident: Ita ego, cuius ministerio, ceu amici singularis, Christus vti dignatus est, vt instar nymphagogi seu paranymphi aut pronubi sponsam ipsi adducerem, illam nõ mihi vendicare, aut illius amorem in me transferre debeo: sed totus in hoc esse, vt sponso iungatur, illum audiat, illum vnum diligat, & illi soli obtemperet. Quod cùm videam fieri, & ex vobis intelligam quàm plurimos ad illum colligi, tam mihi non dolet illud, vt potius in hoc gaudium meum compleatur, cùm me mei ministerij finem attigisse videam, quem vnicè quærebam. Hic verborum Ioannis sensus est, quibus præposteram discipulorum æmulationem restinguit, & ipsos quoq; ad Christum amplectendum excitat.

Nuptiarum parabola.

At nobis similitudo hæc attentius cõsyderanda est, quæ vt omnem salutis nostræ rationem & ecclesiæ constitutionẽ continet: ita non alia in scripturis frequẽtior occurrit. Hac enim Dauid Psal. 45. in describendis Christi & ecclesiæ mysterijs vtitur. Eandem sapientissimus mortaliũ Solomon in eodem argumento adhibet, vt illius Canticum excellentissimum testatur. Faciunt eiusdem men-

tionem propheta ferè omnes: & in Euangelio ipse Christus modò se sponsum, discipulos autem suos nuptiarum filios dicit, modò regnum cœlorum nuptijs simile esse docet. Imò in gloria patris agens, cùm Ioanni discipulo dilecto ecclesiæ fata reuelare vellet, hanc quidem sponsæ, suam verò cum illa coniunctionẽ nuptijs confert. Est ergo vtilissima huius parabolæ consideratio, & eadem pijs iucundissima esse debet. Quia tamen in infinitum excresceret oratio, si omnia quæ hîc dici possent exponeremus, præcipua modò capita perstringemus, quæ ad præsentis negotij illustrationem faciunt.

Salus omnis cõsistit in coniunctione cũ Deo.

Primò docet ista parabola, in quo nam vniuersa nostræ salutis ratio consistat. Nimirum in coniunctione, quæ nobis cum Deo intercedit. Quia enim hic solus bonus & vnicus omnis boni fons est, beati & felices esse non poterimus, nisi cum illo coniungamur. Testimonium huius rei diuersa hominum studia exhibent, qui cùm omnes ad hunc scopum contendant, vt ipsis bene sit, quiescere tamen non possunt, nisi cùm Deum apprehenderunt, & hunc sibi reconciliatum aut amicum esse sentiunt. Porrò conciliationẽ istã seu coniunctionẽ spiritus sanctus per nuptias siue coniugium adumbrat, eò quòd similitudo hæc immensum Dei amorem, & simul nostræ salutis atq; beatitudinis certitudinẽ exprimit. Vt enim puellam nihil antea ad se pertinentem aliquis sibi desponsat: Ita Deus nos sibi in filio suo desponsauit, cum nulla inter illum & nos esset coniunctio, imò cùm propter naturæ nostræ corruptionem & fœdam atque horribilem peccatorum omnis generis speciem digni essemus, qui in tenebras exteriores & æternos inferorũ cruciatus abijceremur. Incredibilem ergo esse oportet amorem Dei, quo nos complexus est, neq; illius alia causa quàm mera gratia & misericordia potest indicari. Facit ad huius partis illustrationẽ quod Ezechiel. 16. habetur, quia quod illic de Iudæorũ gente dicitur, similiter de vnoquoq; hominum dici potest. Deinde vt in desponsatione arrha dari solet, qua matrimonij contracti pignus sit perpetuum: Ita Deus salutis pignora dat externa & interna: externa quidem, Verbum & Sacramenta: intus verò spiritum suum animis nostris inserit, qui de eius bonitate & gratia testimonium ferat, nosq; de salute certos faciat, quo nomine Paulus illum salutis arrhabonem vocauit. Præterea vt coniugij lex est omnia habere communia, & vnanimi studio atque voluntate omnem fortunam ferre ac perpeti: Ita Dei filius nobis omnia secum communia esse voluit. Nam ipse quidem nostræ naturæ infirmitates, imò peccata nostra & eorundem pœnas in se transtulit: nobis verò suam iustitiam, sanctitatem & obedientiam communicauit, & simul sui regni consortes atque cohæredes fecit. Adhæc vt nullum vinculum coniugio arctius est & insolubilius, eò quòd Dei authoritate contractum nemo hominum dissoluere potest: ita æterna quoque & inseparabilis est ea coniunctio, qua nos Deus sibi in filio desponsit, neque vllis hominum consilijs aut viribus dissolui potest. Quis enim Deum cogat, vt sponsam suam deserat? Vel quis hanc ex Dei complexu auellat? Num oppressio? (libet enim Pauli verbis nostræ salutis certitudinem explicare) num angustia? num fames? num periculum? num gladius? At in omnibus his plus quam victores sumus per eum qui dilexit nos. Est ergo salus nostra certa & infallibilis, perfecta item & omnibus numeris absoluta: quod in ista nuptiarum parabola consyderatu vtilissimum & cumprimis iucundum est.

Oeconomia ecclesiæ.

Secũdò de ecclesiæ œconomia vel administratione hîc admonemur. Vt enim qui alicuius nuptias ambit, amicorũ opera vtitur, qui ipsius nomine causam hanc agant, & sponsam ipsi domũ adducãt: Ita Deus in hoc sublimi nostræ salutis mysterio hominum selectissimorum opera & ministerio vti solet, non quòd hoc illi opus sit, sed vt ea quoque in re suæ bonitatis diuitias declaret, & nostræ ruditati se accommodet. Fuerũt nymphagogi & pronubi tales olim prophetæ, quos omnes Christo testimonium tulisse, & totos in hoc fuisse scimus, vt populum ab inani ceremoniarũ fiducia ad promissum humanæ salutis authorem remitterent. Secutus est hos Ioannes Baptista, de quo multis dicere non est opus, cùm ipse pro se loquatur. Successerũt huic Apostoli, qui vt omnes vni Christo adduxerunt: ita zelo ardenti flagrarunt pro conseruanda ecclesiæ castitate. Omnium enim idem affectus fuit, quem Paulus de semetipso prodidit ad Corinthios scribens: Zelotypus sum erga vos Dei zelotypia. Præparaui enim vos vni viro, vt virginem puram sisterem Christo, &c. Hodie autem idem officium sustinent omnes ecclesiæ ministri, qui hisce Ioãnis verbis pulchrè admonentur, quales ipsos esse, quidue eos facere cõueniat. Primò amicos sponsi se dici meminerint. Quæ dignitas vt omnes huius seculi honores longè superat: ita illos excitare debet, vt Christi amore ardeant, & de eius gloria solliciti sint,

2. Corinth. 11.

neq;

neq; sub eius prætextu sua quærant, quod interdū malæ fidei paranymphi facere consueuerunt: Ideo cùm Petrum abnegatorem officio suo restituere vellet Christus, tertiò prius illum interrogabat: Simon fili Ionæ, amas me? Et amorem hunc non ficto animo profitenti dicebat: Pasce oues meas. Et sanè cùm tā multa sint, quæ in ecclesiæ ministerio agentes absterrere, vel ab officio reuocare possint, nemo ad illud fuerit idoneus, nisi qui syncero Christi amore totus ardeat. Deinde stent & audiant sponsum. Istis obedientiæ studium denotatur, & vt fidelium famulorum instar ad omne obsequium semper parati sint. Ita Christus monet, cùm in euangelio ait: Sint lumbi vestri accincti & lucernæ ac censæ, & vos similes hominibus expectantibus dominum suum, &c. Luc. 12. Modum autem huius obedientiæ exprimit, dum vocem sponsi audire iubet. Nec enim probi paranymphi est quicquam ex suo cerebro sponsæ dicere, sed ea referre debet bona fide, quæ à sponso in mādatis accepit. Hic etenim cumprimis locū habet illud Dauidis: Audiam quid loquatur Dominus. Psal. 85. Et alibi prophetæ verbum ex ore Domini accipere iubentur. Apostolis item Christus dicebat: Docete eos seruare quæ ego vobis tradidi. His accedat fides, vt vni atq; soli Christo sponsam adducant, & in hoc vno gaudeant, si hanc Christo coniunctam esse & hunc illi amicè colloqui videant. Hæc Ioannis studia fuerunt, & his addictos esse cōuenit omnes, qui in ecclesiæ ministerio versantur. Patet verò ex his quales censendi sint, qui sua omnia ratione omnino diuersa instituunt, dum Christi sponsam sibi vendicant, & illius vicarios se esse gloriantur: vel sectas inuehunt, & in partes distrahunt ecclesiæ corpus, quod vni Christo seruire debebat. Faciunt hoc Romani Pontifices, & qui in horū verba iurarunt Monachi atq; doctores papistici. Adde his omnes eos, quibus nihil perinde dolet, quàm si Christum ecclesiæ suæ familiariter colloqui, & euangeliū liberè prædicari audiunt. Deplorat sui seculi conditionem D. Augustinus, quòd per Donatistas ecclesia scinderetur. At quid ille dicturus esset, si hodie infinitas sectas regnare, & euangelium illis etiam exosum videret, qui ecclesiæ primi antistites videri volunt?

Postremò ipsam quoq; ecclesiam sui officij hæc parabola admonet. Huius est vnum sponsum audire, nec vllis alijs locū dare, quàm qui ipsam huic adducere student: Vult enim Christus sibi castā virginem exhiberi, vt paulò ante ex Apostolo didicimus. Mentis verò virginitatem requirit, quæ (vt Augustini definitione vtar) est integra fides, solida spes, syncera charitas. Atqui fides integra est, quæ in vnum Christum recumbit: spes autem solida, quæ nec impostorum blanditijs expugnata fluctuat, nec periculorum metu euersa concidit: charitas verò syncera, quæ vnū Christum cōplexa, neminem in thori illius spiritualis consortiū admittit, in quo soli Christo animæ nostræ sunt desponsatæ. His continentur quæcunq; scriptura alibi fusissimè tractat, & quibus omnis superstitio, idololatria, & simul impurum carnis atq; mundi studiū excluduntur. Et huc pertinet quod in Psal. 45. sponsæ dicitur: Audi filia & vide, & inclina aurem tuā: obliuiscere populi tui, & domus patris tui, &c. Et hæc quidem in parabolam de sponso & sponsa per digressionem dicta sint. Officium ecclesiæ.

Redeamus ad Ioannem, qui in instituto pergens addit: Illum oportet crescere, me verò minui. Quod non ita intelligi debet, quasi aut Christus per se crescat, aut Ioannis authoritas in ecclesia debeat intercidere. Quia enim Christus Deus est verus, in eo neq; incrementum neq; defectus locum habet. Debet etiam Ioannis authoritas inuiolata manere, vt & aliorum, per quos salutis doctrinam Deus mundo reuelauit. Dicuntur ergo hæc per comparationem pro ratione officij, quod vterq; sustinuit. Ioannes enim (vt sæpe diximus) missus erat, vt præconis instar Christo viā præpararet, Christus autem promissus ille redemptor est, qui nobis iustitiam sempiternā & vitam restituere debuit. Magna itaq; fuit Ioannis dignitas apud pios, & in illius doctrinam omnes intenti fuerunt, quando Messiam præ foribus adesse audiebant. Cùm verò ille iam adesset, & ab Ioanne digito monstraretur, æquum erat, vt omnes hoc relicto ad Christum confluerent, & illius nomen ad Christi aduentū obscurius fieret, sicuti ad exortum Solis stellarum splendor paulatim euanescit: qua similitudine in huius dicti explicatione Cyrillus & Theophylactus pulchrè vsi sunt. Sensus ergo est: Ego luciferi instar Solem hunc iustitiæ præcessi, aduentum illius indicaui, homines ad illum excipiendum præparaui, adeoq; ministerium in ecclesia habui non vulgare: sed quia nunc ipse exurgit, meum quidem ministerium cessare, illius autem gloria illustrari & indies crescere debet; & vt hoc fiat necesse est, cùm nec Dei gloria aliter prouehi possit, neq; hominum salus restitui. Est autem plena consolationis ista Christus crescit, Ioannes minuitur.

sententia. Si enim Christum crescere, & præ illo fidos quoq; Dei cultores minui oportet, quid de illis fiet, qui ipsum hostiliter oppugnant, & ita Dei consilio æterno aduersantur? In cœlum illi expuunt, & ipsi sibi æternæ confusionis authores erunt: cuius rei exempla multa alibi adduximus. Docet præterea locus hic iudicare de sanctis, quorũ ministerio olim Deus in ecclesiæ suæ instauratione vsus est. Magna censeri debet meritò illorum authoritas: at simul diligenter obseruandus est ministerij ipsorum finis, ipse nimirùm Christus, cui illi sponsam adducere debuerunt, & cuius respectu omnes homines nobis vilescere debent. Docent hoc illi omnes vnanimi consensu. Quod enim in præsenti Ioannes facit, hoc ipsum postea Petrum, Paulum, Barnabam & reliquos fecisse videmus, vt seriò caueirnt, ne in ipsos quis transferret honorem, qui vni Christo debetur. Turpis ergo & impius illorum error est, qui ita Diuos euehunt atq; colũt, vt apud plerosq; Christi authoritas & officium intermoriatur.

Christum prophetis & sibi ipsi præfert.

His absolutis ad alteram partẽ Ioannes transit, qua Christum plenius describit, & quid in illo nobis datum sit, docet. Qui supernè venit (inquit) supra omnes est: qui ex terra est, terrenus est, & ex terra loquitur. Collationẽ facit, qua seipsum & vnà omnes prophetas atq; apostolos cum Christo confert, & hunc supra omnes eminere ostendit. Potest argumentum ita formari: Qui supernè, id est è cœlis originem ducit, omnes excellit, qui verò è terra enascuntur, terreni sunt. Atqui Christus è cœlis venit, vtpote verus & æternus Dei filius, nos omnes è terra atq; terreni sumus. Ergo quantùm cœli à terra distant, tanta est inter Christum & me, adeoq; omnes verbi ministros differentia. At præstat singula huius comparationis membra inspicere. In priori, Christo tribuit quòd supernè veniat, & supra omnes sit. Est hoc intelligendum de origine cœlesti, quod nimirùm ab æterno ex patre genitus, tandem præfinito tempore secundùm veteres promissiones ex virgine hominẽ assumpserit. Venit igitur supernè Christus quoad diuinitatem, quia patri coæternus & consubstantialis est. Sed & quoad humanam naturam supernè venisse dici potest, non quòd carnem (vt olim hæretici docuerunt) è cœlo attulerit, sed quòd præter cõmunem morem homo natus sit, spiritus sancti operatione, qui Mariam obumbrauit & fœcundam fecit. Et quia talis est, omnibus superiorẽ esse testatur Ioannes, tã angelis quàm hominibus. Est hoc euidẽs deitatis Christi argumentũ, quod vt consolationi seruiit in omni tentationum genere: ita officij quoq; admonet, vt illum agnoscamus dominum nostrum, & ei totis animis subijciamur. In altero membro de seipso, adeoq; vniuerso hominum genere loquens ait: Qui ex terra eſt, terrenus eſt, & ex terra, id eſt terrena loquitur. Comprehendit hæc veram & perfectam totius humanæ naturæ descriptionem. Primò enim originem nobis ex terra esse docet, quò nos etiam redituros esse Deus olim pronunciauit. Deinde origini conditionem respondere ostendit, quando terrenos nos esse ait. Mortales ergo sumus, neq; hic nobis aliquid stabile vel perpetuum polliceri possumus. Tertiò studia nostra describens, ex terra nos loqui dicit. Quia enim sermo animi index est, & in animo intellectus atq; voluntas residunt, sermonis nomine hominis facta, consilia & instituta omnia complectitur. Hæc ergo nostra est nobilitas, & tam egregiam ex nobisipsis habemus de nobis gloriandi occasionem. Agnouerunt hanc suam miseriam omnes sancti, & ideo seipsos puluerem, cinerem, vermes deniq; dixerunt. Diaboli verò ingenium referunt, qui altiora & maiora sibi ipsis tribuunt.

An prophetæ & apostoli ex terra locuti sint?

At obijciat hic aliquis: Qui ex terra est, terrenus est, & ex terra loquitur: Prophetæ, Ioannes & Apostoli ex terra & terreni fuerunt. Ergo ex terra locuti sunt: & per consequens, illorum doctrina pro cœlesti & diuina haberi non debet. At nos consequentiam istam negamus. Ioannes enim hoc loco homines, quales suapte natura sunt, cum Christo confert, non quales fiunt ex regeneratione aut illuminatione spiritus sancti. Et bene quidem dicitur terrena loqui is, qui ex suo cerebro loquitur, neq; is alia quàm terrena loqui potest. At qui ex verbi semine per spiritus operationem denuò genitus est, is nec terrenus est amplius, neq; terrena censeri debent, quæ à Deo illuminatus & ex spiritus suggestione profert. Tales verò fuisse prophetas & apostolos, scriptura testatur, quæ illorum vocationem & missionem diligenter describit. Et prophetæ quidem nunquam nõ Dominum exercituũ allegant, & visiones à Deo sibi exhibitas diligenter describunt. De Apostolis verò Christus pronunciat: Non vos estis loquentes, sed spiritus patris, qui in vobis est. Itẽ: Qui vos audit, me audit, &c. Illos ergo non vt homines, sed vt Dei legatos audiamus, & illorum sermonem vt Dei verbum amplectamur: quod Thessalonicenses fecisse Paulus testatur. 1. Thess. 2. Porrò quoad præsentis loci tractationem,

lationem, nostrum fuerit Dei bonitatem agnoscere, qui filium nobis doctorem & salutis authorem dignatus est dare. Hunc ergo audiamus, & cùm idem sponsus animarum sit vnicus, illi coniungamur fide syncera & charitate non ficta, vt in eodem vitæ promissæ consortes efficiamur. Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.

HOMILIA XXIIII.

Qui è cœlo uenit, supra omnes est: & quod uidit & audiuit, hoc testatur: & testimoniũ eius nemo recipit. Qui recipit eius testimonium, is obsignauit quòd Deus sit uerax. Quẽ enim misit Deus, is uerba Dei loquitur: nõ enim ex mensura dat Deus spiritum. Pater diligit filium, & omnia dedit in manum eius. Qui credit in filium, habet uitam æternam: qui uerò non credit filio, non uidebit uitam, sed ira Dei manebit super eum.

QVemadmodum Ioannes Baptista in prima suæ responsionis parte discipulis suis diligenter exposuit quis nam ipse sit, & quæ sit ministerij ipsius ratio: ita non minori diligentia, & quidem verbis pluribus in altera parte de Christo testimonium perhibet, quo huic omnem Messiæ gloriam soli transcribit, & in illo vno quærere docet, quæcunq; nobis ad salutem sunt necessaria. Finis verò & scopus omnium est, vt discipuli excussa æmulatione, qua suam Christo gloriam inuidebant, illum agnoscant Messiam esse, & ei per fidem veram subijciantur. Et hic nobis quoq; istorum vsus esse debet, ne dum sanctis aut Diuis iam in cœlo agentibus suum honorẽ nimis contentiosè asserimus, ipsum Christum sua gloria spoliemus, & simul in Diuos iniurij simus, dum ipsorum prætextu ad extenuandam Christi & meriti ipsius gloriam abutimur. Prodest & itaq; diligenter annotare, quæ hic de Christo dicuntur. Primò autem hunc ecclesiæ sponsum esse, & proinde ipsi vni ecclesiam deberi docuit. Deinde Deum esse ostendit, qui meritò supra omnes eminere debeat, cùm origo eius cœlestis, & idem Deo patri cœternus atq; consubstantialis sit. Etsi verò hoc vnum sufficere possit ad demõstrandum, quòd ipsi soli omnes adduci debeant, subijcit tamen his duo, quibus doctrinam & omnipotentiam eiusdem commendat. Inde modum exponit, quo illum apprehendere & merito illius ad salutẽ frui possumus.

Primò doctorem à Deo nobis datum esse ait, fortassis ad veterem Mosis promissionem respiciens: Prophetã suscitabit vobis Dominus Deus vester de fratribus vestris sicut me, illum audite. Christus à Deo doctor datus.
Quam promissionem de Christo intelligi debere, Petri & Stephani authoritate admonemur. Actor. 3. & 7. Idem ergo Ioannes quoq; innuens, simul doctrinam Christi à veritate & infallibili certitudine commendat. Dicit enim: Qui è cœlo venit, supra omnes est: & quod vidit & audiuit, hoc testatur, &c. Repetit quod de cœlesti ipsius origine & diuina excellentia dixerat, eò quòd hæc ad doctrinæ commendationem quàm plurimum faciebat. Deinde doctrinã eius ab opinionibus incertis & hominum figmentis apertè distinguit, & ibi exprimit singularem illam prærogatiuã, qua Christus omnes doctores, quotquot vnquam fuerunt aut futuri sunt, longè superat. Hi enim omnes ea tradiderunt, quæ vel ex peculiari spiritus reuelatione, vel diligenti scripturarum collatione didicerant. At Christus quod ipse vidit & audiuit, ab ipso nimirùm patre in sinu patris, illud testatur. Vtitur autem videndi & audiendi verbis humano more, vt ijs ostendat eum nihil docere, quod nõ ipsi probè & exactè compertum sit: non quòd Christus quasi ignarus didicerit prius quæ alijs traderet. Nam vt Chrysostomus ait, suapte natura nouit omnia, cùm ipsissima sit Dei patris sapientia. Adhæc testãdi verbum illi tribuit, ne quis aliquod vulgare doctrinæ genus imaginetur, sed vt illo certum & irrefragabile testimonium de Dei voluntate & salutis humanæ mysterijs contineri omnes intelligant. Quo loco iterum admonemur, qualis iudicari debeat Christi doctrina: Diuina nimirùm & cœlestis, & quòd ab eo authore sit promulgata, qui nec ab alijs doceri, neq; aliud confingere opus habuit, cùm iam inde ab æterno hæc sibi abunde perspecta & comperta haberet. Et potest hoc vnum sufficere confutandis omnibus ijs, qui cum diuite epulone doctores ex alio mundo sibi dari petunt, aut per ludi-

brium ministros verbi interrogant, an ipsi aliquando vel in cœlis vel apud inferos fuerint, & coràm viderint ea, de quibus cum tanta asseueratione concionentur? Nam vt nos ista viderimus, minimè opus est. Vidit enim illa Christus, & quod vidit amicis suis, apostolis, communicauit: qui illud ipsum publicè docuerunt, scriptis mandauerũt, adhæc miraculis innumeris, & tandem suo etiam sanguine confirmarunt. Quòd si verò alicui non sufficit æterni filij Dei authoritas, næ ille indignus est quo cum disputetur & cui nouos doctores Deus aliunde excitet.

Hominũ incredulitas doctrinæ Christi non derogat.

Ne verò illusorum istorum improbitas aliquem offendat, & ne discipuli obijcerent: Si talis est Christus, cur illum non audiunt scribæ & sacerdotes? cur ab omnibus contemnitur? Per Concessionem respondet Baptista: Et testimonium eius nemo recipit. Et his quidem verbis cùm discipulorum suorum tum totius mundi contumaciam perstringit, qui tantũ æternæ veritatis testem contemnere non vereantur. Neminem verò dixit, pro pauciſſimis. Iam enim receperant Christi testimoniũ discipuli aliquot: sed adeò exiguus erat illorum numerus, vt nulli videri possent, si cum incredulorum multitudine conferrentur. Et sensus est: Scio illum apud paucos fidem inuenire, sed hoc eius authoritati nihil derogat. Vera enim & comperta sunt nihilominus quæ ille loquitur: ea autem est infelicitas mundi, vt in erroribus perire malit, quàm illum audire. Hæc ergo vos mouere non debet, nisi cum illo simul perire libeat, &c. Itaq; idem hic dicit Baptista, quòd paulò ante Iesus ipse Nicodemo dixit: Quod scimus loquimur, & quod vidimus testamur: sed testimoniũ nostrum non recipitis. Vbi obseruabimus, quæ semper doctrinæ huius sors fuerit, & quòd ea hodie nemo, ceu noua & insolita offendi debeat. Quia enim (vt alibi diximus) mũdus tenebris & abs se confictis fabulis delectatur, ve ritatis doctrinam vel scurriliter contemnit, vel etiam hostiliter persequitur. Sic olim factum, cùm prophetæ illã proponerent. Et quàm paucos discipulos in fide synceros & constantes Christus habuerit, cùm simul miracula ederet innumera, euangelistæ satis testantur. De Apostolis quid attinet dicere, qui vbiq; locorum ex Iudæis & gentibus aduersarios repererunt, qui se ipsis opponerent? Quid ergo miramur hodie eadem fieri? Vel num nostri seculi doctorum authoritatem coràm hoc mundo maiorem quàm ipsius Christi esse volumus? Positus est ille (vt Simeon dicebat) in signum, cui contradicatur. Beatus autem est, qui in illo non offenditur. Luc. 2. Matth. 11.

Qui Christo credunt, Deo ueritatis testimonium deferunt.

Facit autem plurimùm ad fidei confirmationẽ quod sequitur. Pergit enim Ioannes, & ostendit quàm eximium Deo cultum exhibeant, quicunq; Christi doctrinæ fidem adhibent. Qui recipit testimonium eius (inquit) is obsignauit quòd Deus verax sit. Testimonium Christi recipere, est ijs credere ex animo, quæ ille de patris consilio & salutis nostræ ratione docuit. Vel vt vno verbo dicam, est credere euangelio, quod frequenter testimonium Iesu Christi dicitur, non tam quòd de illo nos edocet, quàm quòd illum habet authorem, qui & olim per prophetas illud promisit, & postea ipse idem prædicauit, postremò huius præcones in totũ orbem misit Apostolos: & hodie adhuc suo spiritu ministros donat, qui suæ ecclesiæ illud annuncient. Qui hoc fide vera amplectitur (inquit Ioannes) is obsignat, quòd Deus verax sit. Id est, suo assensu Dei promissiones confirmat, & quasi subscriptione sua Deo veritatis testimonium perhibet. Est hic cultus Deo gratissimus, qui omnes ritus externos & officia reliqua omnia longè superat, & sine quo nihil prodest quicquid in Dei honorem vel dicimus vel facimus. Vt enim frustra coram aliquo caput aperis, genua & poplites flectis, de via illi cedis, aut eundem titulis honorificis cõpellas: si ille interea se abs te pro homine vano haberi & mendacij publicè insimulari sciat: Ita nequicquam cultus externos & quæcunq; excogitari possunt officia Deo impendimus, si eidem veritatis laudem negemus, & illius promissiones atq; decreta pro figmentis inanibus ducamus. Atqui istud impudentissimè faciunt, qui cùm Dei cultores haberi velint, interim euangelij doctrinam in dubium vocant, quæ vnum Christum salutis authorem esse, & vno illius merito nos iustificari atq; seruari docet. Quia enim cum hac cõsentiũt veteres Dei promissiones, fœderis cum Abrahamo facti capita præcipua, typi in Lege propositi & olim per prophetas vulgata Dei oracula, adhæc solennis illa patris vox, quàm bis de cælo detonuit: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacitum est: Hæc (inquam) quia cum euangelio consentiunt, & in illo plenius illustrantur, certè Deum ipsum mendacij arguunt, quicunq; illud malitioſe aspernantur. E contra suo assensu illius promissiones quasi obsignant, & veritatis laudem ei deferunt, qui euangelio fidem adhibent. Et ijdem vicissim per spiritum Christi intra conscientias suas confirmantur, deq;

salute

salute sua certiores fiunt. Facit ad huius loci illustrationẽ quod euangelista noster in sua Canonica Cap.5. sic scribit: Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei maius est. Nam hoc est testimonium Dei, quod testificatus est de filio suo. Qui credit in filium Dei, habet testimoniũ in seipso, Qui non credit Deo, mendacem fecit eum: quia non credidit testimonio, quod testificatus est Deus de filio suo. Est autem hoc testimonium, quòd vitam æternam dedit nobis Deus, & hæc vita in filio eius est, &c. Et hæc quidem ipsa in præsenti suis discipulis Baptista ingeminat, vt illos ad fidem in Christum excitet, ne hanc illi negando peccent in partem contrariam. Debet autem eorundem consideratio nos quoq; excitare, vt posthabito mundi exemplo, tam dignitatis quàm salutis nostræ rationem habeamus, & Christum Iesum vera fide amplexi, veritatem Dei nostra subscriptione cõfirmemus, & ita vicissim nostræ quoq; salutis intra nostram conscientiam certi reddamur.

Rationibus excitat ad Christum audiendũ.

At quia in his caro nostra tardissima est, & multa nos auocare possunt, ne diuersam à reliquis fidei & salutis viã ingrediamur, rationes subijcit Ioannes, quibus cunctabundos extimulet. Prima est: Quem enim misit Deus (inquit) is verba Dei loquitur. Sensus est: Ideo dixi, Deo veritatis testimonium perhiberi, si Christo credatur: quia ille à Deo missus est, & fidi legati instar nihil loquitur, quàm quod in mandatis accepit. Vt ergo regem honore afficit, qui ipsius legato fidem habet: ita Deo honorem defert, quisquis filio, quem ille misit crediderit. Et huc referri debet, quod ipse postea dicet: Doctrina mea non est mea, sed patris qui misit me. Ioan.7. At ne quis missionis vocabulo audito, Christum patre inferiorem esse, nec aliquid à Mose & prophetis differre putaret, qui & ipsi à Deo missi fuerunt, secundo loco addit Ioannes: Non enim ex mensura dat Deus spiritũ. Quæ verba de Christo intelligi debere, & Ioannis institutũ, & totus orationis contextus probant. Sic ergo vult dicere: Fuerunt quidem olim Moses & prophetæ missi à Deo, qui illos sui quoq; spiritus donis instruxit: neq; ego meam missionem diffiteri debeo. Sed longè alia est omniũ nostrũ ratio, quàm Christi. Hominibus enim spiritum suum Deus ex mensura distribuit, id est, pro vt ipse vnumquenq; capacem eius fecit, & præsentis vel loci vel temporis ratio exigit. Itaq; huic quidem per spiritum datur sermo sapientiæ, alij verò sermo cognitionis per eundem spiritum: alij rursum fides per eundem spiritum, alij dona sanationum per eundem spiritum: alij facultates virtutum, alij prophetia, alij discretiones spirituum: alij genera linguarum, &c. Et consultò sic dona sua distribuit Deus, vt ferè in plerisq; alijs deficiant, qui in vno & altero præ alijs excellunt. Sic enim & concordia inter homines foouetur, dum alij aliorũ opera indigent: & nihilominus sub Dei manu humiliantur, qui pluribus sunt ornati, quando sibi adhuc multa deesse sentiunt. Christo autem non ad hunc modum spiritus datus est, sed in illum abundantissimè effusus, adeò vt de eius plenitudine omnes acceperimus. Et forte aßis ad. Psal.45. respexit Ioannes, vbi Christus oleo lætitiæ vnctus esse dicitur præ omnibus consortibus suis. Quò & illud Isaiæ Cap.11. pertinet: Prodibit surculus de trunco Iesse, & flos de radicibus eius nascetur, super quo spiritus Domini requiescet, spiritus sapientiæ & intelligentiæ, spiritus consilij & fortitudinis, spiritus scientiæ & timoris Domini, &c. Ista autem ideo hic producit Ioannes, vt ostendat illum meritò omnibus præferri, & præ alijs omnibus audiri debere. Et quia hæc in doctrinæ eius cõmendationem dicta sunt, non minus nobis eadem dici putemus, & proinde in vnum Christum intenti, neminem audiamus, qui nos ab eo auocare voluerit. Consolationem autem habet dulcissimam, quòd in Christo omnium eorum plenitudo inuenitur, quæ vel nobis vel alijs deesse videmus. Accedamus ergo ad fontem hunc liberalissimum, & nihil nobis defieri patietur.

1. Cor. 12.

Christus rex omnipotens.

Tertiò diuinam Christi maiestatem Ioannes allegat & eius omnipotentiam, quæ deitatis ipsius argumentum est euidentissimum, & quo simul probatur, ipsum Messiam esse, cui regnum æternum Deus promiserit, cui omnes gentes subijci oporteat. Vide Psal.2.45.72. &c. Ita autem de hoc loquitur, vt causam simul indicet. Pater (inquit) diligit filium, & omnia dedit in manum eius. Quæ verba non ita intelligi debent, vt nos Deo exosos putemus, eo quòd non ipsi quoq; omniũ potestatem accepimus. Nam de eo amore loquitur, quo (vt Augustinus ait) pater Christum diligit vt filium, & quidem vt vnicum, & non vt adoptatũ, & qui amor ex illo & propter illum in nos quoq; redundat, iuxta illud Pauli: Gratos nos sibi fecit in dilecto. Ephes.1. Cui vox quoq; illa patris consentit: Hic est filius ille meus dilectus, in quo placatus sum. Quia ergo is est Christus, omnia dedit pater in manum eius. Vbi etiam nõ putabimus, Christum patre aliquando minorem fuisse, eò quòd ab illo

potestatem accepisse dicitur. Quoad enim diuinam naturam, ab æterno ex patre genitus, potestatem quoq; cum illo eandem ab æterno habuit, cuius initium nullum indicari potest. Quoad verò humanitatem, qua seipsum humiliauit & patri obediens factus est vsq; ad mortem crucis, gloria & decore (vt in Psalmo 8. scribitur) adde etiam potestate illum pater coronauit. Et ad hunc modũ hoc ipse Christus infra cap. 17. exponet, dicens: Nunc glorifica me tu pater apud temetipsum ea gloria, quam habui apud te priusquam hic mundus existeret. Vt ergo secundùm humanam naturam orat Christus, qui secundùm deitatem omnibus imperat: ita secundùm humanitatem à patre gloriam & potestatẽ sibi dari postulat, quam ab æterno habuit, quoad æternus est Dei filius. Rectè itaq; Cyrillus hæc explicat, dicens: Non ita dat pater, vt initiũ potestatis filio præbeat: sed ita vt cum carne filius ad potestatem, quam absq; carne (id est priusquam carnem assumpsisset) semper naturaliter habet, recurrat. In præsenti autem Ioannes hanc Christi potestatem legitimam simul & plenam atq; perfectam esse docet, quando illi à patre datam, & quidem in manũ datam esse ait, vt nimirùm ea pro suo arbitrio vtatur. Meminit autẽ huius in præsenti, vt ostendat non debere leuiculum censeri scelus, si quis Christi testimonium contemnat. Quia enim dilectus ille Dei filius est, eius contemptum pater non impunitum dimittet. Rursum, quia ipsi omnis potestas data est, non alienis præsidijs opus habet, sed ipse de sui testimonij contemptoribus, quandocunq; volet, pœnas sumere poterit. Frequenter autẽ scriptura maiestatis & potestatis Christi mentionem facit, vt in Psalmis paulò ante citatis, & in Isaia non vno loco est videre. Ad cuius explicationem pertinent, quæ ipse Matth. vlt. dicit: Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra. Et ista Pauli Phil. 2. Christus Iesus cùm esset in forma Dei non rapinam duxit parem esse cum Deo: sed ipse se inaniuit forma serui sumpta, similis hominibus factus, habitu compertus vt homo, humiliauit seipsum, factus obediens vsq; ad mortem, mortem autem crucis. Quapropter ipsum etiam Deus in summam extulit sublimitatem, ac donauit ei nomen, quod est supra omne nomen: vt ad nomen Iesu flectatur omne genu cœlestium ac terrestrium & subterraneorum, &c. Et hæc quidem Iesu Christi, seruatoris & regis nostri potentiam cõmendant, cuius vis & maiestas in eo maxima elucet, quòd non suis modò imperat, qui voluntarium ipsi obsequium præstant, verumetiam hostibus dominatur, inuitis licet & nequicquam reluctantibus. Coram illo enim contremiscunt dæmones, vt in euangelica historia non vno loco apparet: & idem ferreo sceptro cõminuit eos, qui verbo eius seipsos nolunt submittere. Quod vt pios plurimùm consolatur, ita nos simul officij admonet: vt nimirùm illi per fidei obedientiã subijciamur, & apud vnum illum omnia quæramus, quæ ad salutem nobis necessaria sunt. In eius enim manu sunt peccatorum remissio, iustitia, vita, resurrectio, regnum cœlorum: & quæ ad hanc vitam mortalẽ spectant, Valetudo integra, victus, amictus, opes, honores, amicitiæ, victoriæ, aduersa item & pericula, persecutiones, inopia, fames & quæcunq; sunt alia huius generis. Quis ergo non stultos & miseros dixerit, qui bona quidem alibi quærunt laborioſe, aduersis autem seſe absterreri patiuntur, vt hunc omnis boni fontem & fidissimum protectorem deserant, & illum audire dedignentur?

Fide Christus apprehenditur.

Cæterùm finem & scopum omnium istorum Ioannes infert, & simul modum vel rationem indicat, qua Christo ad salutem frui possumus. Nam obijciat aliquis: Esto, sit talis Christus, & hæc omnia in se contineat: quid autem ista ad me? Respondet ergo, & simul omnes ad hunc fide amplectendum excitat, dum & præmium pollicetur credentibus, & pœnas diras incredulis aut inobedientibus denunciat. Dicit enim: Qui credit in filium, habet vitam æternam: Qui verò non credit filio, non videbit vitam, &c. Quasi diceret, Quia talis est Christus, fieri non potest quin vitam & felicitatem consequatur, quisquis illum fide apprehenderit: à vita autem excluſus & omnibus modis miser sit, qui se illi incredulum & inobedientem præbet. Sunt ergo huius Conclusionis membra duo. Primum ad credentes pertinet, quibus vitam æternam pollicetur. Ratio huius dicti est, quòd sola fide Christus apprehenditur, vt alibi prolixè demonstrauimus. Hîc verò obseruabis Ioannem de credente dicere, Habet vitam æternã, non Habebit. Quia enim fides Christum sibi præsentem apprehendit, simul etiam in eo percipit quæcunq; nobis in illo exhibentur. Vitam ergo iam nunc habent credentes, etsi quoad corpus mortales sint. Quia enim mortem Christus deuicit, hæc iam illis non interitus, sed ex hoc mundo transitus ad vitam est: qua de re ipse Cap. 5. præclarè disserit: Amen amen dico vobis, qui sermonem meum audit, & credit ei qui misit me, habet vitam æternam; & in iudicium non

veniet,

veniet, sed transiuit (id est, certissimè transibit) à morte in vitam. Quò & illud pertinet: Qui sermonem meum seruauerit, mortem non videbit in æternum. Ioan. 8. Alterum membrum est: Qui nõ credit filio, non videbit vitam, id est, ne minimo quidem vitæ & salutis gustu fruetur. Quomodo enim vitam videat, qui ipse volens ab ea discedit, dum eius authorẽ vnicum aspernatur? At quia hoc non multùm mouet impios, qui hoc argumento se potissimùm consolantur, quòd mortem vltimã lineam rerum esse, neq; post hanc aliquid sperandum esse dicunt, alterum adhuc addit: Sed ira Dei manet super eum. Etsi ergo vitam beatam non assequantur Christi contemptores, idem tamen non æterna morte sepeliuntur, quæ omnem boni & mali sensum auferat, sed ipsi quoq; ad iudicium resurgent, vt Dei iram sentiant, quam sua impietate prouocarunt. Nec temere dicit: Ira Dei manet, nõ veniet. Natura enim filij iræ nascimur, & sumus. Ab hac autem solus Christus liberat. Eadem ergo maneat super omnes eos oportet, qui hunc amplecti nolunt. Simul ergo & iustum Dei iudicium, quo improbi gratiæ exhibitæ contemptores damnantur, & nunquam finiendos inferorum cruciatus Ioannes hoc membro cõprehendit. Cõfutantur autẽ his verbis omnes aliæ sectæ, quæ extra Christum salutem monstrant. Si enim ira Dei super omnes manet, qui illi non credunt, æternùm pereant oportet Iudæi omnes, Turcæ omnes, hypocritæ omnes, quotquot in suo illo Christi contemptu in finem vsque perseuerant. Nec mihi aliquis obijciat, multos ex illis vitæ & morum innocentia excellere, quos eadem sententia damnare durum sit. Quales quales enim sint homines, ex semetipsis filij iræ sunt, à qua non vlla alia ratione, quàm fide in Christum liberamur. Et cùm opera Legis à Deo traditæ neminem iustificare & seruare possint, quantò minus hoc ijs tribui debet, quæ ex suo placito homines faciunt? Obseruemus ergo diligenter scopum Ioãnis, ad quem ille totum hoc Iesu Christi præconium dirigit. Est is vnicus sponsus ecclesiæ, de cœlo venit & supra omnes eminet, à Deo missus Dei verba loquitur, plenitudine spiritus præ alijs donatus est, filius deniq; Dei est dilectus, qui omnem potestatem habet in cœlo & in terra. Huic ergo coniungamur in fide syncera, huic religiosè obseruemus & colamus, hunc audiamus, ab hoc petamus omnia, & eidem subijciamur per fidei obedientiam, credamus denique in illius nomen, & vitam in illo æternam habebimus. Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

CAPVT IIII.

HOMILIA XXV.

VT ergo cognouit Dominus audisse pharisæos, quòd ipse plures discipulos faceret & baptizaret, quàm Ioannes. (Quanquã Iesus ipse non baptizabat, sed discipuli eius.) Reliquit Iudæam, & abijt rursus in Galilæam. Oportebat autem eum transire per Samariam. Venit ergo in urbem Samariæ, quæ dicitur Sichar, iuxta prædium, quod dedit Iacob Iosepho filio suo. Erat autem ibi fons Iacob. Iesus ergo fatigatus ex itinere ita sedit ad fontem: hora enim erat quasi sexta.

OMNES *quidem ad se vocat Christus, at pios quoq; & electos, quò minus ad illum accedant, interdum peccatorum & propriæ indignitatis conscientia absterret. Huic igitur malo remedium præsens adhiberi oportuit, quod reipsa facit, dum absq; personarum respectu quosuis ad se venientes recipit. Pertinet eò Nicodemi historia, quem ex hostium grege noctu venientem humanissimè instituit. At quia dignitati illius aliquid dedisse videri poterat, sequuntur hoc Cap. duo alia exempla, quæ omnem diffidentiæ scrupulum ex animis nostris possunt eximere: alterum Samaritanæ mulieris, quam, etsi à reipublica Israelis aliena, & insuper prostituti pudoris esset, tamen non minori studio & humanitate docuit, & eiusdem ministerio in multis alijs conuertendis est vsus: alterum aulici cuiusdam ex Herodis familia, cuius filium iam morti vicinum vitæ restituit, quàmuis ille fidei suæ infirmitatem indicijs aliquot euidentissimis declararet. Conti-*

nent historiæ illæ omnia quæ in fidei & salutis nostræ causa nos instituere possunt, & simul consolationem exhibent dulcissimam: quare dignæ sunt, quas diligentia singulari consyderemus. In præsenti prioris historiæ occasio præmittitur, cuius partes singulas ex ordine videbimus.

Christi ex Iudæa discessus.

Primum in his locum obtinet Iesu Christi discessus ex Iudæa, & in Galileam reditus. Causa huius fuit, quòd Pharisæos sibi insidiari intellexit. Audierant enim illi, quòd Iesus plures faceret discipulos & baptizaret, quàm Ioannes: id quod illis auditu molestissimum, & illorũ iudicio facinus fuit intolerabile. Ita enim ecclesiam suam scindi, & suam existimationem vnà cum quæstu suo imminui videbant. Nam credibile est rariora cœpisse sacrificia fieri, cùm multi audissent Christum esse agnum Dei, qui mundi peccata expiet. Adhæc per fidei doctrinam inanis illa operum & propriæ iustitiæ fiducia euertebatur. Et qui Ioannem aliquo modo ferre potuerant, eò quòd sacerdotis filius esset, & vitæ austeritate singulari cõmendaretur, Christum tamen ferre non possunt, qui cùm fabri filius putaretur, doctrina & miraculis nouos quotidie discipulos attrahebat. Conspirant ergo aduersus illum, & insidijs eum excipere conantur: quas cùm ille non ignoraret, relicta Iudæa in Galilæam redire parat, vbi minori cum periculo viuere poterat.

Christus docuit & baptizauit.

Obseruabis autem diligenter, quid de Christi ministerio dicatur: Nimirum quòd discipulos fecerit & baptizarit. Docuit ergo, & quos docuerat baptismo sibi consecrauit, & externo symbolo à reliquis separatos in suæ ecclesiæ consortium ascripsit. Sunt hæc vera exercitia ecclesiæ, quæ in illa perpetuò conseruari debere nuper diximus: vt nimirum in vera Dei & salutis per Christum partæ cognitione homines instituantur, & ijdem legitimo sacramentorum vsu fidem suam publicè testentur atque exerceant. Nec tamen Anabaptistis locus hic patrocinatur, qui vbi doctrinã baptismo præmitti audiunt, mox paruulos ad baptismum admitti debere negant, eò quòd illi doctrinæ capaces nõ sint. Nec enim hîc eadem est ratio adultorum, qui ab ecclesia adhuc alieni sunt, & infantum, qui ex Christianis parentibus in ecclesia nascuntur. Imò ex baptismi vsu nos contra illos ita argumentari possumus: Baptizari debent, quicunq; Christi discipuli & ecclesiæ eius membra censentur. At ecclesiæ membra & ciues sunt infantes credentium. Ergo ijdem baptizari debent. De maiori nemo contendet, nisi qui & institutionem & vsum baptismi negare audeat. Minorem ex fœderis cum Abrahamo facti capitibus desumpsimus, & eadem Christi authoritate confirmatur, qui paruulos sibi adducere iubet, & regnum cælorũ ad eos pertinere testatur. Sed quia de hoc alibi copiosè diximus, hæc in præsenti sufficiant. Nunc autem consyderationem diligentiorem meretur, quòd Christus ipse docuisse quidem, sed neminem baptizauisse dicitur. Causam huius rei plerq; assignant, quòd qui ignaros baptizaturus erat, aquæ baptismum non debuerit administrare. At ego alias rationes fuisse puto, quæ & grauiores sunt, & magis ad rem faciunt. Primò enim baptismo suum honorem asseri oportuit, ne quis illius virtutem à ministri persona pendere putaret. Nam si quos ipse Christus baptizauisset, videri poterant illi plus quiddã & excellentius accepisse quàm alij, qui à discipulis baptizati fuerunt, aut hodie à ministris ecclesiæ baptizantur. At cùm hic Christus baptizauisse dicatur, idem tamẽ ille neminẽ suis manibus tinxerit, satis apparet, Christi Baptismũ esse, qui ex eius institutione à ministris in ecclesia administratur: et baptismi authoritatẽ ex institutione Christi pendere, nõ ex ministrorũ dignitate. Pulchrè igitur à D. Augustino dictũ est: Baptizabat Iesus, quia ipse mundabat: non baptizabat, quia non ipse tingebat. Præbebant discipuli ministerium corporis, præbebat ille adiutoriũ maiestatis. At quod de discipulis dicitur, hoc ipsum de omnibus ecclesiæ ministris debet intelligi, quando ne hodie quidẽ baptizamus sine Christi auspicijs & mandato illius administratur. Quod vt multùm facit ad fidei confirmationẽ, ita etiã monet, ne propter ministros sacramenta minoris faciamus, neq; propter eosdẽ ab ecclesijs temere discedamus, et ita schismatũ et turbarũ simus authores. Deinde ab externa baptismi administratione Christus abstinuisse videtur, vt ostenderet maiorẽ verbi Dei quàm sacramẽtorum rationem esse habendam: quod ipsum Paulus etiam non obscurè docet, quãdo paucissimos abs se baptizatos esse scribit, et facti sui hanc rationẽ reddit, quòd nõ ad baptizandum, sed ad euangelizandum sit missus. Et Petrus, cùm Cornelio & familiaribus eius verbũ salutis ipse prædicauisset, eosdẽ postea baptizari iussit ab ijs, quos secũ adduxerat. Neq; ista temere facta sunt, quãdo res ipsa docet, Sacramenta verbo Dei inferiora esse. Primò enim hoc fine illis cõsistere potest, neq; semper Sacramẽta adiungi necesse est, quoties verbũ prædicatur; illa aũt sine verbo legitimè

mè administrari non possunt. Quia nisi verbum ad elementum accesserit (vt Augustinus monet) sacramentum non erit. Deinde absque sacramentis regenerari & seruari possunt, quos ab eorum vsu necessitas excludit, non contemptus: At sine Dei verbo nihil horum potest fieri. Adhæc nõ eadẽ semper sacramenta in vsu fuerunt, & olim pauciſſima habuerunt patres, quorum numerus postea in lege auctus fuit, in nouo autem testamẽto omnibus illis abolitis duo sola in eorum locum successerunt. Vnum verò & idem Dei verbum omnibus seculis prædicatum est, quo mundi redemptor vnicus, Iesus Christus, annunciatur. Deniq; vt veteres sine baptismo & Cœna seruati sunt: ita nos sine Circuncisione & sacrificijs seruamur. Nemo tamen ideò Sacramenta vel contemnat vel negligat: illis autem vtamur religiosè, & in Dei verbum intenti animos in Christum dirigamus, cuius beneficia verbo prædicantur, & Sacramentis obsignantur. Hæc si hodie omnes obseruarent, minus contentionum esset in ecclesia, nec propter diuersas de externis symbolis sententias temere eos damnaremus, qui eundem Christum verè & orthodoxè nobiscum prædicant.

Pharisæi Christo insidiantur.

Porrò videamus quid factum sit, Christo in Iudæa docente & baptizante. Resciscunt hæc pharisæi, & insidias vitæ eius struunt. Non autem ipsi coràm Christum vident & audiunt, vt eius doctrinam & baptismum cognoscant: sed suos habent emissarios atque coryceos, ex quibus quid fieret audierunt. Est enim hoc proprium hostibus veritatis, quòd cùm ipsi huius doctrinam audire, vel cum eius ministris colloqui nolint, habent tamen otiosa & ignaua ventris mancipia & astutos aliquot simulatores, qui et cõciombus sacris intersunt, & priuata quoq; piorũ colloquia obseruãt, & ad illos mox referunt, quæ ipsorũ existimationi detrahere videntur. Nec tamen sinceriter & bona fide agunt isti homines, sed malitiosè omnia narrãt, dum verba detorquẽt & mutant, hocq; vnũ quærunt vt heris suis gratificentur, quibus seruire & adulari semel in animum induxerunt. Rursus aũt pharisæi nominantur, penes quos tunc temporis erat summa in religione potestas, in quam illos Alexandra Hircani mater primùm euexerat, & quam ab eo tempre propter præclaram sanctitatis existimationem apud multos confirmarant. Nec potuerunt illi patienter ferre Christi doctrinã, quæ ipsorum authoritati vehementer derogabat. Non miremur ergo, si hodie nobis infensi sint, qui horũ sunt similes. Caueamus autem insidias eorum, quibus multùm possunt, neq; dubitemus illos passim habere aures & oculos, quibus nos obseruant, & veritatis opprimendæ occasiones quærunt.

Christus insidias cognouit & declinat.

Admonet nos de hoc Christi exemplum, de quo duo dicuntur. Primum, quòd illorum insidias & consilia cognouerit, nec tamen aliquis nominatur, qui hæc ad illũ detulerit. Ergo propria & diuina virtute hoc omne intellexit, neq; opus habuit vt ex aliorum relatione disceret, qui Deus est, & cuius oculi per omnem terram discurrunt (vt Zachariæ verbis vtar) imò corda & renes scrutantur. Est hinc generalis doctrina petenda, quæ plurimum consolationis afferre potest, si quando hostium conspirationes & consilia proditoria audimus. Videt illa ex alto Dominus, sicuti Psalm. 2. dicitur: nec videt modò, verumetiam in promptu habet vindictam, qua illorum audaciã vlciscitur. Exempla sunt passim in historijs, & multa nostro seculo vidimus, in quibus hostium suorum cõsilia Deus vel præter omnem expectationem detexit, vel per ludibrium & magno illorũ malo dissipauit. Debent ea nobis in mente versari semper, ne vllis minis succumbamus, aut de veritatis defensione desperemus. Alterum in hoc Christi facto est, quòd relicta Iudæa in Galilæam redire instituit. Atqui in Iudæa quoque latère poterat, vel diuina virtute hostium conatus frangere, vel etiam subitò mutatis omnium animis in publico tutus agere, quod non semel factum fuit. Sed fuga sibi consulere voluit, ne miraculosè seipsum occultando, aut per hostes medios sæpius transeundo, corporis sui veritatem in dubium vocaret. Deinde vt homo agit omnia, vt suo exemplo doceat, quid nobis facto opus sit, si quid simile accidat. Nam neque hostibus suis alicuius sceleris occasionem præbere voluit, neque ante tempus se & vitam suam temere periculo obijcere. Imitemur nos exemplum hoc, & in vocatione quidem nostra strenuè pergamus, vtamur autem prudentia, ne vel alijs sine causa grauioris in nos peccati occasionem demus, vel nos ipsos in pericula non necessaria adducendo Deum tentemus. Admonet de hoc ipse Dominus, quando iubet vt nobis caueamus ab hominibus, & ex vna ciuitate in aliam fugiamus, si quando persecutiones grauiores oriuntur. Hîc tamen prudentia & consilio opus est, ne dum nobis ipsis consulimus, eos quodammodo prodamus, quos nostræ fidei Deus commisit, aut etiam communem religionis causam in periculum adducamus. Nam vt fugere

licet, quando nulla restat officij faciendi occasio, & absq; infirmorũ scandalo fuga suscipi potest: Ita stationem suam sine scelere deserere non possunt, quibus adhuc licet officio suo fungi, & qui fuga sua alijs de fidei doctrina dubitandi, aut fidem abnegandi occasionem præbent. Facilè verò errorem omnem cauebunt, qui recto oculo in suam vocationem respiciunt, & hunc actionum suarum omnium finem sibi propositum habent, vt Dei gloriam prouehant, & multorum saluti consulant. Fuit præterea hic Christi discessus præludium repudij Iudæorum & vocationis gentium: quo admonemur, quid omnes eos maneat, qui vt suo honori & quæstui consulant, Christum & Euangelium eius abs se repellunt. Discedit ipse à talibus, & secum aufert ab illis omnem benedictionem et gratiam Dei; in cuius locum subeunt mox omnis generis calamitates, quas ira Dei afferre solet. Quod enim Iudæis accidit postquam regnum suum ab illis abstulit Deus, hoc multis alijs accidisse cõstat, quorum infelicem conditionem historiæ proponunt. Excitent ergo nos exempla ista ad fidei constantiam, vt Deo grati simus pro redemptionis beneficio, quod nobis in Christo exhibuit.

Cur Samariam trãsierit Christus.

Interserit autem huic narrationi Ioannes: Oportebat autẽ eum transire per Samariam. Cuius particulæ hic vsus est, ne Christum temere ad gentes diuertisse putemus priusquàm tempus illud à prophetis olim prædictum aduenisset, cùm discipulis interdixerit, ne in viam gentium abirẽt, aut in aliquam Samaritanorum ciuitatem diuerterent. Erant enim veteres inimicitiæ inter Iudæos et Samaritanos, quos illi ita abominabantur, vt cùm Christum conuitio atrocissimo proscindere vellent, Samaritanũ dixerint: de qua re in sequenti Sermone dicemus. Quàmuis autem Christo ex Iudæa in Galilæam proficiscenti necessariò per Samariæ regionem erat transeundum, ex eo tamen rei omniũ pulcherrimæ & saluberrimæ occasio ipsi obuenit, colloquij nimirũ, quo Samaritanã instituit, et quod multis alijs quoq; fidei & salutis principiũ fuit. Quod ergo fortuitum & cõtingens (vt philosophi loquũtur) videbatur, singulari prouidẽtia Deus ad huius negotij vsum direxit. Ita frequẽter euenit, vt quæ casu fortuito aut etiã secundũ naturæ cursum necessariò fieri videntur, Deus ad suæ gloriæ illustrationem regat, & ijsdem ad nostram salutem magno cum fructu vtatur. Discamus ergo semper in Dei prouidentiam respicere, quæ nihil fortuitum fieri patitur, & oblatas nobis bene agendi occasiones ab ipso Deo offerri cogitemus. Sic enim excitabimur ad bene illis vtendum, neq; eas inutiliter præterlabi patiemur.

Occasio colloquij cum Samaritana.

Porrò videamus occasionẽ, qua cum muliere Samaritana in colloquium Christus venit, quam hisce verbis Euangelista describit. Venit ergo in vrbem, id est, in territorium vrbis Samariæ, quæ dicitur Sichar, iuxta prædium, quod dedit Iacob Iosepho filio suo. Erat autem ibi fons Iacob. Iesus ergo fatigatus ex itinere ita sedit ad fontem: hora enim erat quasi sexta. Sichar vocat Ioannes, quæ à Mose Sichem dicitur. Quia enim eo tempore Syriaca lingua vtebantur, locorũ quoq; nomina mutata fuerunt. Fuit autẽ Sichem ad montem Garizim, & Hieronymi tempore Neapolis dicebatur. Erat propè illam prædium, quod Iacob à filijs Hemor emptum, iam moriturus Iosepho filio suo legauit, vt videre est Genes. 33. & 48. Et in eodem fuit fons Iacob, quem nimirum is effoderat, cùm in locis ijs aliquandiu habitaret, donec vitium Dinæ oblatum & audacissimum illud Simeonis & Leui facinus, qui vrbis Sichem habitatores omnes exciderunt, illum inde discedere coegit. Nec temere Ioannes hanc circũstantiam tam diligenter annotauit. Primùm enim elucet in ea Dei iudicium, qui terram à sanctis patribus inhabitatam, & illorũ memoria celebrem, impuris gentibus tradidit, cùm illam Israelitæ suis sceleribus polluissent. Et cõuincitur exemplis eiusmodi illorum superstitio, qui sanctitatem & Dei gratiam locis quibusdam alligant, neq; animaduertunt Dei iudicia, quibus ille ipsorum errores iam olim damnauit. Sic olim sepulchrum Domini à gẽtibus impijs obrutum, & supra illud Veneris fanum ædificatum fuisse legimus. Et hodie à Turcis tenentur loca & vrbes, in quibus olim Dei filius & Apostoli docuerunt. Num verò hoc Deum permissurum putamus, si gratiam suam illic alligatam esse, aut cultum suum in illis locis exerceri vellet? Deinde apparet hic sedes Dei, qua suorum memoriam seruat & custodit, licet de posteris ipsorum pœnas scelerum exigat. Fuit pius & fidelis Dei cultor Iacob, vixit innocenter, adhæc Dei promissiones fide tam firma & & constanti apprehendit, vt in Ægypto moriturus filijs suis agros in terra Chanaan distribuerit, etiamsi vix vnquam eò rediturì viderentur. Dei ergo prouidẽtia factum est, vt licet posteri eius sedibus auitis eijcerentur, illius tamen memoria inter Samaritanos sancta & honorifica manserit.

Sunt

Sunt huius generis exempla multa, publica & priuata: in quorũ consyderatione eos diligenter versari conueniebat, qui patrum virtute gloriantur, & ex ea sibi perpetuam impunitatem pollicentur, cùm ipsi interea inglorij & sceleribus infames viuant. Potest patrum honori Deus consulere, licet ipsi male pereant, & fortassis inter hostes maiori in pretio erunt illorum maiores, quàm apud ipsos, qui suis sceleribus illorum famam obscurant.

Sed ad historiam reuertamur. Cùm sub horam sextam, id est, circa meridiem, quando æstus grauissimus solet esse, ad eum locum Christus venisset, defatigatus ex itinere sic sedit ad fontem: nimirum vt erat defessus, vel prout occasio dabatur, & (vt postea dicetur) discipulos in vrbem misit ad emendum cibos. Venit interea mulier Samaritana ad hauriendum aquam, ipse verò inde occasione sumpta, colloquium cum illa instituit. Nunc diligenti obseruatione dignum est, quod de Christo defatigato dicitur. Potest enim hoc absurdum videri, si cogitemus ea, quæ paulò ante de illo Ioannes dixit, & quòd illius virtute totam hanc mundi machinam creatam esse, scriptura testatur. Sed vt Augustinus ait, non frustra fatigatur Dei virtus, sed tibi fatigatur. Id est, qui Dei virtus & Deus verus est, carnem assumpsit, & in ea propter nos omnes infirmitates nostras sustinuit, adeoque nobis per omnia (vno peccato excepto) similis factus est. Causas huius mysterij scripturæ passim exponunt, Paulus imprimis ad Hebræos cap. 2. & 4. Et primò quidem hoc fieri oportuit, vt fidelis & verus esset Pontifex in expiandis peccatis nostris. Nec enim illa expiari poterant, nisi eorum pœnas subiret, & sua satisfactione Dei iustitiam placaret. At inter peccati pœnas numerantur egestas, labor, curæ, fames, sitis, morbi, corporis defatigatio, mors denique, quæ omnia per peccatum ingressa esse scriptura docet. Cùm verò hæc omnia in se receperit Christus (qui vt innocens fuit per omnia, ita his minimè opus habuit) satis apparet, hæc illum propter nos perpessum esse in peccatorum nostrorum expiationem. In hunc ergo solum intenti, neminem audiamus, qui nobis alibi ea monstrat, quæ ad nostram salutem faciunt. Deinde ad fidei nostræ confirmationem hoc facit. Quia enim easdem nobiscum infirmitates Dei filius sustinuit, quis dubitet illum nobis compati posse, & fidelem pro nobis aduocatum esse apud patrem in omnibus, quæ nobis sunt apud illum agenda? Nouerat quidem iam antea conditionem nostram (vt Psal. 103. habetur) neque illi opus erat, vt quicquam experientia disceret: sed nobis consuli oportuit, qui nos interdum à Deo ignorari, aut illum erga nos æquo duriorem & immisericordem esse putamus. Arguitur autem hic illorum error, qui Diuos sibi aduocatos & mediatores faciunt, eò quòd Christum rigidiorem & inexorabilem fingũt. Atqui nemo est, qui plura quàm ille passus sit, et quidẽ pro nobis, aut qui nos melius quàm ille norit. Inuitat idem ille ad se omnes qui onerati sunt, & se medicum ægrotantium profitetur. Ad alios ergo confugere non possumus, quin atrocem illi inferamus iniuriam. Postremò hæc omnia ferendo & patiendo exemplum nobis præbuit, quo humilitatem, obedientiam & patientiam nobis commendat. Non puduit pedes iter facere Dei filium, fatigari, pauperem viuere & egenũ: Cur ergo nos non pudeat fastus immodici & superbiæ, qua aduersus Deum & proximos omnes efferimur? Non piguit illum alicuius laboris & molestiæ, dum patri obtemperat. Cur ergo nobis graue videtur ea facere, quæ nostra vocatio requirit? Patienter item ille tulit omnia, licet nec ipse quicquam horum meruisset, neque gratos fore sciret plerosq; mortalium, quorum saluti sic consulere voluit. Quæ ergo nostra est audacia & impudentia, qui cùm morte æterna digni simus, contra Deum tamen improbè murmuramus, deq; eius rigore conquerimur, vt primum aliquid nobis præter animi nostri voluntatem accidit? Vel cur hominum ingratitudine nos ab officio reuocari patimur, qui nos remuneratorem scimus habere Deum, si in eius præceptis fideliter ambulemus? Hæc ergo cogitemus, quoties egestate circumuenti esurimus, aut laboribus immodicis fatigamur, aut curis conficimur, aut in vinculis & carceribus de vita periclitamur: deniq; in omni afflictione Christi exemplum nobis ob oculos ponamus, & mox videbimus nos nullam habere causam iustam quiritandi de Dei erga nos voluntate. Soletur præterea, quòd vt hæc omnia propter nos sustinuit Dei filius, ita in semetipso fontem aquæ viuæ aperuit, quæ animos laborantes recreat, & ex morte in vitam æternam reuocat, vt suo loco audiemus. Ipsi debetur benedictio, honor, gloria, & potestas in æternum. Amen.

Christus defessus sedet ad fontem.

Christus nostras infirmitates suscepit.

HOMILIA XXVI.

Venit mulier Samaritana, ut hauriret aquam. Dicit illi Iesus: Da mihi potum. Nam discipuli eius abierant in urbem, ut cibos emerent. Dicit ergo ei mulier illa Samaritana: Quomodo tu, Iudæus cùm sis, potum à me poscis, quæ sum mulier Samaritana? non enim utuntur Iudæi Samaritanis. Respondit Iesus, & dixit ei: Si scires donũ illud Dei, & quis sit qui dicit tibi, Da mihi potum: tu petisses ab eo, & dedisset tibi aquam uiuam.

VEriſsimè olim à Paulo dictum eſt: Chriſtus Ieſus in mundum venit, vt peccatores ſaluos faceret. At hîc propter innatam nobis infirmitatem multa inſtitutione opus eſt, vt Chriſtum ad nos quoque pertinere, & quantumuis non vno ſcelere polluti ſimus, nobis tamen ad illum viam & aditum patêre intelligamus. De hoc igitur ipſe nos non verbis modò & ampliſsimis promiſsionibus certos facit, verumetiam exemplis plurimis confirmat, dum quoſuis ad ſe venientes recipit, & plerunque non rogatus ſalutis doctrinam illis proponit. Inter hæc non poſtremum eſt, quod prima huius Capitis parte narratur de muliere Samaritana, quam, etſi multa obſtarent, fide vera illuminatam à ſuperſtitionibus ſimul & peccatorum laqueis liberauit. Eſt ꝙ hiſtoria hæc multis nominibus digniſsima, in cuius conſyderatione diligenter verſemur. In præſenti primus colloquij iſtius congreſſus deſcribitur, qui illius præcipuam propoſitionem continet, ex qua dependent quæcunque poſtea dicuntur: Chriſtum videlicet eſſe fontem gratiæ, qui animas noſtras recreet atque fœcundet, vt ab iræ Dei & damnationis terroribus liberatæ fructus ferant Deo gratos, & æternæ vitæ conſortes fiant.

Occaſio colloquij inter Chriſtum & Samaritanam.

Præmittitur colloquij occaſio, quæ eiuſmodi fuit. Ieſus (vt nuper diximus) defeſſus ex itinere ſedit ad fontem, & diſcipulos ſimul omnes in vrbem miſit, vt cibos emerent. Vbi apparet, quam illo viuendi ratione ſecutus ſit: non nouam nimirùm & inſolitam, qualis poſtea à fraterculis mendicantibus excogitata fuit, quibus religio eſt, pecuniam contrectare, & qui ſummam pietatem arbitrantur mendicando victum quærere, adeoq; ex alieno viuere. Habuit enim Chriſtus pecuniam, quæ à pijs conferebatur, & ex ea ſibi atq; diſcipulis victum parare, non impudenter à quouis obuio illum emendicare ſolitus fuit. Cæterùm illo ad fontem ſedente venit mulier Samaritana ad hauriendum aquam. Petit ab ea potum Chriſtus, qui (vt hiſtoriæ contextus docet) plus iam miſeræ illius ſalutẽ, quàm fontis aquam ſitiebat. Et ex illa poſtulatione colloquium enatum eſt, quod in ſequentibus prolixè deſcribitur.

Salutis initium nobis ex gratia offertur.

Hic verò obſeruatu digniſsimum eſt, ſalutis noſtræ initium ferè nobis nihil de ea cogitantibus ex gratia diuinitus offerri. Quis enim de hac cogitaſſe putet eo tempore Samaritanam iſtam, mulierem procacem & libidinoſam? Sed dum illa ſecura eſt, de ea ſeruanda Chriſtus cogitat, & ita rem omnẽ inſtituit, vt illi ad ſalutem cedant, quæ prophanus aliquis fortuitò accidiſſe putaret. Ideò enim ad fontem iſtum conſidet hoc ipſo tempore, quando illam eò venturam ſciebat: & ita corporis defatigatione, quam vt homo verus patiebatur, ad illius ſalutẽ vtitur. Ideò diſcipulos abs ſe omnes ablegat, ne vel ipſi nondum ſatis edocti, colloquio hoc cum alienigena offenderentur, vel illa pudore impedita minus libere & apertè ageret. Ideò prior eam compellat, quæ indigna erat quam in conſpectum admitteret. Ad ſolam ergo Dei gratiam referri debet, quòd iſta in ſalutis cognitionem peruenit. At quod de iſta dicitur, ſimiliter ad omnes homines pertinet. Vt enim ſuos ab æterno elegit Deus nullis interuenientibus noſtrorum operum meritis: Ita eoſdem oberrantes ipſe prior quærit, & omnis generis occaſiones illis offert, vt in veram ſalutis viam perducantur. Sic primos parentes, nudos & commiſſi ſceleris conſcientia conſternatos, imò fugientes, & latebras quærentes ipſe quæſiuit, vocauit & ſeminis benedicti promiſsione in ſpem meliorẽ erexit. Sic Abrahamum inter idololatras agentem euocauit, vt cum illo ſalutis fœdus inſtauraret. Sic Iacobum in matris vtero elegit, vt fœderis ſui promiſsiones in illum transferret. Nec alia ratione totum Iſraelem ab illo vocatum & adoptatum fuiſſe, ſcriptura nõ vno loco teſtatur. Vide quæ de hac re habẽtur, Deut. 7. 8. & 9. Item Ezech. 16.

Facimus

Faciunt huc quoq; priuata exemplaapostolorum & omniũ aliorum, quos in terris agens Dei filius vocare dignatus est, vt iam de gentium vocatione nihil dicamus, quam gratuitam fuisse tam pristinaillarum conditio, quàm ipse vocationis modus abundè testatur, quando nihil tale opinantibus spiritu duce superuenerunt apostoli & viri apostolici, qui illis euangelium prædicarent. In seipsis autẽ non obscura huius gratiæ argumẽta singuli inuenient, si cogitent quæ prima illis fuerit in salutis cognitionem perueniendi occasio. Et sunt hæc diligenter obseruanda, vt certiorẽ possimus concipere de salute nostra fiduciam, nec eorum delirijs seducamur, qui hanc operũ meritis transcribũt, & Deum suo honore spoliant.

Deus contemptis principijs utitur.

Deinde hoc quoq; obseruandũ fuerit, quòd tam vili occasione vtitur Christus, qua istam in fide vera instituat. Quis enim ex prima hac Christi postulatione speraſſet colloquium, quo tota humanæ salutis ratio illustraretur? Cæterùm ita solet Deus, vt familiarius sese animis nostris insinuet, & ferè à contemptis & vulgaribus principijs nos in sublimiorẽ mysteriorum suorum consyderationem perducit: ne si illa primo statim congressu proponat, illorum splendore & profunditate territi resiliamus. Quid quòd Verbi prædicatio huius seculi sapientibus res leuicula & stulta videtur? Attamen visum est Deo (vt Paulus ait) per stultitiam prædicationis saluos facere credentes. Adde his priuata exempla eorũ, qui interdum ab hominibus nullius pretij de rebus maximis admonentur, & leuissima occasione excitantur, vt de salute sua cogitare incipiant. Sic gloriosus ille & insignis Syrorum Imperator Naaman per puellulam captiuam monetur, vt Elizeum accedat, cuius ministerio à lepra mũdatur, & in veri Dei cognitione instituitur. Possem multa huius generis recensere, sed non opus est exemplis, quando singuli quotidie hoc in seipsis & alijs experiuntur. Nos horum consyderatione excitati, discamus non contemnere à Deo oblatas bene agendi occasiones, sed illis ad ipsius gloriam & nostram salutem vtamur.

Diſsidium inter Iudæos & Samaritanos.

Sed reuertamur ad historiam. Samaritana, cùm ex vestitu & linguæ dialecto Iudæum esse animaduerteret, miratur illum abs se potum petere. Quomodo (inquit) tu, Iudæus cùm sis, potum à me poscis, quæ sum mulier Samaritana? Et mox causam sui dicti subijcit: Non enim Iudæi vtũtur Samaritanis. Id est, adeò exosam habetis gentem nostram vos Iudæi, vt nullum nobiscum velitis habere commertium, adeoq; vos pollui putetis, si vel minima in re nostra operæ vtamini. Quî fit ergo quòd tu hoc abs me officium postulas? Exprimitur hisce verbis vetus & implacabile odium, quod duabus istis gentibus mutuò interceſsit. Causa huius prima fuit, quòd Samaritani terram, quã olim Israelitæ habitauerant, occuparent iam annis amplius septingentis. Cùm enim Salmanazar Samariam cæpisset, & decem tribus in Assyriam abduxisset, ne terra fertilissima in solitudinẽ incultam verteretur, colonias in eam deduxit ex Babylonijs, Chuttæis, Auenis, Hemathijs & Sepharuaitis, qui omnes ex veteri vrbis primariæ nomine Samaritani dicti fuerunt. At minimè gratã fuisse initiò statim istorũ vicinia Iudæis, qui tunc suas sedes adhuc seruabant, non est dubium: cùm nõ multò post Sennacherib non minori insolentia quàm crudelitate piissimo regi Ezechiæ bellũ inferret, qua Iudæa tota horribiliter vastata fuit. Auxit inimicitias religionis dissimilitudo. Nam etsi propter leones diuinitus sibi immissos legis Mosaicæ ritus aliquot recepissent, simul tamen sacra gentilitia cum illis miscebant, & solos Mosis libros recipiebant, reliquas verò scripturas omnes aspernabantur. Adhæc graue & intolerabile videbatur Iudæis, quòd cùm ex gentibus originẽ ducerent, tamen patrum sanctissimorum nomine gloriarentur, & in Dei populo non minus quàm ipsi censeri vellent. Imò templum postea in monte Garizim soceri Sanaballath authoritate adiutus ædificarat Manasses sacerdos apostata, quod ad fouendum odium & inimicitias plurimum faciebat; eo quòd ad illius sacerdotes suas querelas deferrent, qui ab Hierosolymitanis ob violatã legem seuerius corripiebantur: de quo Iosephum vide lib. Antiq. 11. cap. 7. & 8. His accedebant vtrinq; iniuriæ veteres. Samaritani enim Iudæis ex Babylone reuersis obstiterunt, quò minus vrbem & templũ ædificarent, & apud Persarum reges rebellionis accusarunt. Deinde Antiochi magni & Ptolemæi Epiphanis temporibus terram Iuda hostiliter populati sunt, & multos ex ea captiuos abduxerunt. E contra Iudæi illatas sibi ab illis iniurias sæpius nõ absq; seueritate maxima sunt vlti. Nam anno ante natũ Christum centesimo vigesimo tertio Ioannes Hircanus, Iudæorum dux & Sacerdos, terram illorũ occupauit, templum in monte Garizim diruit, & Samariam metropolim, eò quòd ab eius imperio defe-

2. Reg. 17.

ciſſet, ſolo æquauit, vt vix aliqua apparerent vrbis veſtigia. Et quia recens erat iniuriæ iſtius memoria, & (vt inter vicinos fieri conſueuit) quotidie nouis iniurijs refricata magis accendebatur, nõ poterant non ſe inuicem odiſſe & perſequi. Ad iſta ergo reſpiciens noſtra hæc Samaritana, reſponſo eiuſmodi Chriſtum excipit, & quaſi publicum ſuæ gentis contemptum in illo vlciſci cupiat, non ſine exprobratione acerba hoc dicit. Vbi apparet procacis petulantiæ argumentum, quòd cum & mulier eſſet, & ſuam conditionem infamiæ plenam non ignoraret, tamẽ homini peregrino & quem aſpectus venerabilis cõmendabat, tam amarulenter reſpondet. Fiunt huius generis multa hodie, quando ſacrificulorum concubinæ, & ignauæ ventris mancipia, epiſcoporũ & Abbatum paraſiti, & interdũ ſcorta publica, religionis cauſam ſuſcipiũt, & aduerſus viros multa authoritate graues ſcurrilibus dictis contendunt. At non offendi debemus, quando Chriſtum ſimile quid paſſum eſſe audimus.

Quãta uis odij inueterati.

Obſeruabis autem in Iudæorum & Samaritanorum exemplo, quanta ſit vis odij & inimicitiarum, vbi vetuſtate in hominum animis induruerunt. Cum enim hæc fierent, vtraq; gens libertate amiſſa duris & auaris Romanorum præſidũ imperijs ſubeſſe cogebatur, quibus vtraq; ex æquo inuiſa atq; exoſa erat. Debebat ergo communis & publica calamitas nouam inter illos animorũ coniunctionem parere. At nihilominus inimicitias veteres fouent, & nouis quotidie iniurijs illas accendunt: & ita quidem, vt niſi Dei gratia immenſa obſtitiſſet, hoc ingens ſalutis impedimentũ vtriſq; eſſe poterat. Exempla ſimilia paſſim occurrunt, & multos eſt videre, qui cùm hoſtes habeant eoſdẽ, & ſimul communes afflictiones ſuſtineant, non tamen de auxilio mutuo cogitant, ſed ipſi ſibi nouas quotidie moleſtias accerſunt. Quin reperiuntur aliqui vſq; adeò infelices, vt propter odium gentis in ea exorientem veritatis doctrinam reijciant. Diſcant ergo ſinguli odij & inimicitiarum principijs obſtare, ne incurabiles fiant, quando longa mora inualuerunt. Diſcant præterea huius Samaritanæ exemplo mulieres, ne ipſæ abſq; magna & neceſſaria cauſa publicas cauſas ſuſcipiãt, quæ maturo conſilio & publica authoritate diſcuti debent. Niſi enim hoc obſeruẽt, huius ſimiles fiunt, & multa præter ſexus ſui decorũ faciunt, cuius eſt viris modeſtè obedire, & eoſdem placare, non ad irã accendere.

Chriſtus Samaritanæ petulanter inſultanti ſalutem offert.

Quid verò Chriſtus? Habebat ille iam occaſionem magnam grauiter cum illa expoſtulandi, aut etiã diſputandi de vtriuſq; gentis origine & dignitate. Sed omiſſis alijs omnibus, amicè agit, & ad ſalutis cauſam accedit, in qua ipſam inſtitui oportebat. Quo loco admonemur, Deum non pro noſtra dignitate aut meritis eligere quos in ſalutis cognitione inſtituat, & ad eius ſocietatem trahat: ſed pro ſua bona voluntate negotium hoc omne adminiſtrat, & frequenter indigniſſimos quoſq; ſibi deligit, quò magis eluceſcat ipſius bonitas. Quid enim habuit Samaritana iſta, cuius gratia ſalutis doctrinam illi potius offerret Chriſtus, quàm multis alijs inter Iudæos pietatis zelo & authoritate præditis? Idem apparebit, ſi Paulum inſpicias, quem ex hoſte crudeliſſimo repentè apoſtolum fecit, cuius miniſterio in multis alijs lucrifaciendis vteretur. Probè autem reſponſum ſuum Chriſtus mulierum ingenio accommodat. Laborant ferè curioſitatis vitio, & quæuis arcana reſcire cupiunt. Vt ergo admirationẽ & ſtudium ardentius in illa excitet, ait: Si ſcires donum Dei, id eſt, ſi ſcires quis ego ſim, & quam multa quamq; eximia bona in me infelici mortalium generi contulerit Deus: non ita petulanter mihi inſultares, & adeò non rideres meam petitionem, vt potius ipſa à me peteres potum: & ego tibi darem aquam viuam, &c. Habemus in his nouũ bonitatis Dei argumentum: qui bona ſua non modò nobis proponit & amicè offert, verumetiam illorum admirationem in nobis accendit, nosq; vt illa ab ipſo petamus inuitat, adeoq; impellit. Huc enim pertinet, quòd noſtram inopiam atq; corruptionem tot modis arguit, vt vel huius ſenſus nos ad ipſum confugere, & eius miſericordiam implorare cogat. Eódẽ referri debent, quæcunq; de Dei gratia, donis ſpiritus ſancti, vitæ cæleſtis gaudijs & regni illius beata immortalitate in ſcripturis magnificè prædicãtur. Sed proh dolor iniquitatem noſtram, qui nec propriæ miſeriæ ſenſu, nec Dei indulgentiſſima liberalitate excitari & accendi poſſumus.

Chriſtus quis ſit?

Porrò præcipuum in hiſce verbis eſt ipſius Chriſti deſcriptio, quæ quis nam ſit, & quid in illo nobis datum ſit, continet. Primò donum Dei ſe eſſe dicit: cuius dicti rationem cap. 3. reddidit, quando Deum ex amore gratuito filium nobis dediſſe dixit. Facit hoc ad fidei confirmationem in tentationibus. Quæ enim legitimè donãtur nobis, ipſo donationis iure noſtra fiunt. Ergo ſi nobis à patre donatus eſt Chriſtus, hic vtiq; noſter eſt totus, & ad nos pertinent quæcunq; illius ſunt. Cur ergo peccatorum

catorum conscientia terremur? cur aduersa metuimus? cur morti succumbimus? Quia enim noster est Christus, nostra quoq; est eius iustitia & satisfactio, nostra est eius victoria, nostra est eius resurrectio & vita, & proinde in illo seruabimur. Deinde ad huius explicationem facit, quòd aquam viuam pollicetur. Intelligit enim viuificantem spiritus gratiam, cuius ipse nobis author est. Et frequenter hac Metaphora vtuntur prophetæ, quoties de Messiæ regno differunt. Viuam verò dicit aquam, cùm quòd ex viuo fonte manat, ex ipso nimirùm Christo, in quo vita est: cùm quòd perpetuò scaturiens, in nobis perpetuò operatur, nec vnquam otiosa quiescit. Per hanc enim vita in nobis instauratur, & per eandem viribus nouis instruimur, vt in Deo viuere & fructum ferre possimus. Alludit autẽ ad nostræ naturæ corruptionem, & quòd nos instar terræ aridæ sumus & sterilis, quæ rigatione opus habet. Quò prophetas etiam respexisse constat. Apud Ioelem enim sic scribitur: Omnes riui Iuda manabũt aquis, & fons de domo Domini egredietur, & irrigabit vallem Sittim, &c. Fuit autem vallis Sittim in deserto, vbi cum Moabiticis mulieribus Israelitæ scortati sunt, & impijs Baalpeor sacris sese polluerunt. Eiusmodi ergo gratiam pollicetur propheta, quæ maximis sceleribus eluendis sufficiat, & ab omni bono alienos fœcundare possit. Eodem sensu Isa. 43. dicit Dominus: Ponam viam in deserto, & flumina in solitudine. Gloriam meam prædicabunt agrestes bestiæ, dracones & pulli struthionum: cùm dedero aquas in deserto, & flumina in solitudine, vt potum habeat populus meus, electus meus, &c. Huc ergo respiciẽs Christus, se huius gratiæ authorẽ vnicum esse innuit, quæ sola animas æstuantes recreare, conscientiæ terrores discutere, & naturam nostram instaurare potest, vt dignos nostra vocatione fructus feramus. At quia hoc ipse in sequentibus exponet, ista modò dixisse sufficiat.

Deus à nobis quid postulans, ipse plura offert.

Priusquam tamen Sermoni huic finem imponamus, hoc etiam obseruasse proderit, quòd potum corporis à muliere petens Christus, illi vicissim potum animæ pollicetur, imò liberalissimè propinat. Solet ita Deus, vt quãdo à nobis aliquid postulare videtur, ipse plura et maiora dona nobis offerat. Petit à nobis fidem, obedientiam, patientiam, dilectionẽ, & si quæ aliæ sunt huius generis virtutes. At has petendo, spiritũ suum animis nostris inserit, qui nos excitet, & vasa gratiæ faciat ex nobis, qui prius ad nullum opus bonũ idonei eramus. Hoc ipsum ergo quod petit, nobis largitur Deus, imò plus largitur, dum nostra opera vti dignatur, et vt ea vti possit nos per spiritũ suum instaurat. Eadem est in externis ratio. Postulat à nobis Dei filius, vt propter ipsum et euangeliũ eius fortunas omnes vnà cum parentibus, liberis, coniugibus, fratribus et sororibus relinquamus. At hoc facientibus remunerationem in hoc seculo decuplam, in futuro autem vitam æternam pollicetur: et quàm bona fide hoc præstet, exempla cùm vetera tũ noua testantur. Similiter poscit, vt egenos nostris opibus iuuemus: at vicissim promittit, se in suas rationes ascribere velle, quicquid eius nomine in illos confertur. Et hæc quidem est Dei bonitas, qua nostræ saluti consultum cupit. Quòd si cum illa nos conferas, adeo corruptos et peruersos reperies, vt nec demus Deo quæ petit, neque etiã accipiamus quæ ille nobis offert, sed nostris cupiditatibus intenti, circa res inutiles & noxias occupamur. Causam huius mali in præsenti Christus indicat, quòd nec Dei donum, nec quis ille sit agnoscimus. Oremus ergo patrem misericordiæ, vt huius cognitione vera animos nostros illuminet, vt eius desyderio & amore accensi, nos & nostra omnia ipsi impendamus, & vicissim illius donis instaurati in illo viuamus: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.

HOMILIA XXVII.

Dicit ei mulier: Domine, neque quo hauries habes, & puteus profundus est: unde ergo habes aquam illam uiuam? Num tu maior es patre nostro Iacob, qui dedit nobis hunc puteum, & ipse ex eo bibit, & filij eius, ac pecora eius? Respondit Iesus & dixit ei: Omnis qui bibit ex aqua hac, sitiet rursus: Quisquis autem biberit ex aqua quam ego ei dabo, non sitiet in æternum: sed aqua illa, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in uitam æternam.

Diligenter admodum describit Ioannes colloquium Iesu Christi cum muliere Samaritana. Diligentiæ huius causa est, quòd in eo vniuersa salutis humanæ & veræ fidei doctrina absolutè continetur. Primò enim docet Christus, se eum esse, qui nobis solus ad salutem sufficiat, & proinde in se vno quæri debere, quæ nobis ad hanc consequendam necessaria sunt. Deinde verum Dei cultū tradit, & superstitiones prohibet, quæ & illum corrumpunt, & homines à vera salutis ratione abstrahunt. Et primum quidē caput parabola aquæ viuæ illustrat, occasione sumpta ex re præsenti. Cùm enim ex itinere fatigatus & sitibundus ab illa potum petijsset, illa verò consuetudinē publicam obijceret, quæ ex mutuo & inueterato gentis vtriusq; odio exorta fuit, respondit ei Christus: Si scires donum illud Dei, & quis sit qui dicit tibi, Da mihi potum, tu petijsses ab eo, & dedisset tibi aquā viuam. Quibus verbis totius negotij summā comprehendit, & se eum esse docet, qui nobis à Deo in hūc finem donatus sit, vt gratiam spiritus viuificantem nobis conferat, & proinde ab ipso petenda esse, quæcunq; ad restinguendos æstuantis conscientiæ terrores faciunt. Sequitur autem, vt hoc dictū mulier exceperit, & sua ruditate occasionem dederit plenius de eo disserendi.

Samaritana Christi promissionem petulanter excipit.

Nondū enim intelligit Samaritana, quid sibi velit Christus, & adhuc de aqua fontana agitat, quæ corporis sitim restinguat: ideoq; non ineptè modò, verumetiā procaciter nimis illi respondet. Nam etsi dominum vocet pro more gentis, quo peregrinos & sibi ignotos ita appellare solebant, non obscurè tamen illum audacis & arrogantis iactantiæ insimulat, & duobus argumentis vtitur. Primum, Neq; habes (inquit) quo haurias, & puteus profundus est: vnde ergo habes aquam illam viuam? Sensus est: Video te plus polliceri, quàm præstare possis. Nec enim in hoc confinio fons praeter hunc alius habetur, & tu ne ex isto quidem haurire potes, cùm vasis ad hauriendū necessarijs careas: Quæ ergo temeritas est, aquam viuam polliceri? Deinde quia meliorem quoq; aquam promiserat, Iacobi exemplo illum conuincere conatur, dicens: Num tu maior es patre nostro Iacob, qui dedit nobis hunc puteū, & ipse ex eo bibit, & filij eius ac pecora eius? Quasi diceret. Cùm sanctissimus vir Iacob hasce terras incoleret, aquam hac meliorem & salubriorem reperire nō potuit. Tūne ergo aliquid præstātius nobis dares? Deinde hæc aqua Iacobo simul & suis omnibus sufficere potuit: cur ergo eadem non etiam nobis sufficiat? aut quis tu es qui aut ipse meliorem quæras, aut alijs pollicearis? Vides ergo verbis Samaritanæ plurimùm fellis & amarulentiæ inesse, qua oblatam sibi gratiā non modò negligit, verumetiam scurriliter proscindit? Quò maior elucet Christi bonitas, qua illius petulantiam pertulit, & illam sua mansuetudine ad meliorem mentem reduxit, & qua hodie etiam in multis vtitur.

Ingenij humani tarditas in diuinis.

At nunc obseruāda venit, quanta sit nostri ingenij tarditas in percipiendis regni Dei mysterijs. Si enim illa nobis nuda proponantur, illa nō magis intueri possumus, quàm Solem, qui splendore suo oculorum aciem retundit & obscurat. Quòd si nostræ infirmitati sese Deus accommodat, & rerum terrestrium similibus nos in illorum cognitionem subuehere studet: tum externis inhærendo & literam vrgendo, aut ridemus ea quæ dicuntur, aut nimis superstitiosè in terrenis hisce salutis fiduciā collocamus. Prioris mali exemplum Samaritana ista nobis exhibet, & simile quid supra in Nicodemo habuimus. Sed & hodie multi reperiuntur, qui Christi doctrinam propter rude & parabolis è vulgo petitis vestitum dicendi genus fastidiosè contemnunt, aut ex ea iocos & scurriles facetias venantur, quibus linguæ suæ petulantiam inter sui similes exerceant. Ad alterum verò lapidem offendunt, qui signis externis ea tribuunt, quæ in vno Christo debebant quæri. Fecerunt hoc olim Iudæi, quorum inanem & pernitiosam in cæremonias & sacra externa fiduciā prophetæ passim accusant. Et hodie idem faciunt, qui de symbolis perinde contendunt, ac si ab illis pendeat vniuersa salutis humanæ ratio. Adeò difficile est sese ad doctrinam veritatis accommodare, vt non in alterutram partem pecces: & vel hoc argumento eorum arrogantia confutatur, qui sui ingenij viribus aut operum suorum meritis hîc aliquid tribuunt.

Impedimenta salutis.

Sed vt Samaritanæ verba altiori sensu excutiamus, adumbrantur in illis præcipua impedimenta, quæ nos in salutis negotio remorari solent. Primò cum irrisione exprobrauit Christo Iudæorum consuetudinem, qua illi Samaritanorum commercia deuitabant, & propter hanc illi potum negat. At multos hoc seriò impedit, quòd propter peccata sua & incurabilē naturæ suæ corruptionem sibi nihil cum Deo commercij esse posse arbitrantur, & Christo quoq; omne officium negant, eò quòd

hac

hæc illius maiestati & gloriæ minus respondere vident. Et hi quidem solicitè suam indignitatẽ cum Dei iustitia & maiestate conferunt, & quia in hoc carnis affectũ sequuntur, aut in desperationis foueam incidũt, vt cum Caino dicant: Maior est iniquitas mea, quàm vt remitti queat: aut dum sibi apud Deum Mediatore & aduocato opus esse vident, relicto Iesu Christo, qui solus hoc officium nobis præstare potest, ad Diuos conuertuntur, & in illos transferendo Christi gloriam, huius intercessione seipsos spoliant. Deinde Christi vilitate offenditur Samaritana, & absurdum putat, quòd ab eo aquam viuam promitti audit, qui ad fontem sitibundus & fessus sedebat, & haustrũ habebat nullum, & qui paulò ante potum ab ipsa petierat. Et quia cum his simul putei profunditatem confert, ex quo sine haustro aut per funem demissa situla aquam haurire nemo poterat, eò magis in sua illa opinione cõfirmatur. Idem fit omnibus, qui Christum oculo carnis intuentur, & illius promissiones ad suæ rationis calculum examinant. Quia enim miserum & inopem vident in hoc seculo, qui vt olim in crucem suffixus fuit, ita hodie adhuc in membris suis persecutionẽ sustineat, & cuius doctrina à sapientissimis & in summa authoritate constitutis contemnatur: adduci non possunt, vt illum salutis humanæ authorem esse credant. Sed nec fides in Christum illis situla vel haustrum sufficiens esse putatur, per quod salus apprehendi & nobis applicari possit. In qua opinione confirmãtur valde, quando regni Dei maiestatem & mysteriorum eius profunditatem animo voluunt, non autem simul illius misericordiam & consilium æternum expendunt, quo hanc salutis rationem constituit, priusquam hic mundus crearetur. Tertiò Iacobũ patriarchã allegat, quasi in hunc peccatura sit, si quid præstantius vel requirat, vel saltem speret, quàm ipse habuerit. At hic bifariam peccat: dum & Iacobo patre gloriatur falsò, cum quo Samaritanis nihil commune erat: & illius exemplo cõtra Christum abutitur, in quo ille omnem salutis spem habuerat collocatam. Ita multos hodie falsa de patrũ fide & religione opinio impedit, quò minus doctrinæ de Christo Iesu aures præbeãt. Noti enim sunt multorum clamores: Patres nostri doctrinam hanc nouã ignorauerunt, & tamen viri fuerunt sanctissimi, de quorum salute nequaquã dubitamus. Quòd si ergo illi & Deo seruire & salutem consequi potuerunt, quid prohibet quò minus ipsi quoq; seruemur, & nobis etiam sufficiat, quod illis sufficere potuit? Num noui isti doctores patribus nostris meliores sunt? Vel num ecclesiam suam tam diu errare passus est Deus, donec isti hanc nobis doctrinam afferrent? Sunt hæc plausibilia admodum, quando coram rudi vulgo declamantur: sed multiplex illis error subest. Aut enim patrum nomine priscos illos & veteres patres intelligunt, quorum fidem & religionem scriptura sacra nobis commendat: aut de suis illis loquuntur, ex quibus ipsi progeniti sunt, & qui proximis seculis vixerunt. Quòd si priscos illos iactitant, falsi iam conuicti sunt, & atrocem illis iniuriã faciunt, dum illos sine hac doctrina Deum verè coluisse, & seruatos fuisse clamant. Constat enim illos omnes in vnum Christum respexisse, quem illis Deus promiserat, & quem hodie prædicamus. At si suos illos patres nobis obijciunt, nos illos perperam facere dicemus, qui in religione patres sibi nouos constituant, quorum fides nullo scripturæ testimonio probatur. Nec enim alij patres imitandi sunt, quàm quorũ pietatem Deus commendat, & credentium pater Abrahamus dicitur, eò quòd huius fidem sectantur, quotquot à Deo in credentium numero censentur. Quæ autem Abrahami fides fuerit, Cap. 8. ipse Christus exponet. Et noti sunt scripturæ loci, in quibus prohibet Deus, ne patrũ similes simus, aut in patrum vijs ambulemus, eorum videlicet, qui relicto Dei verbo post hominũ traditiones deflexerũt. Nec tamen patres nostros qui sub papatu mortui sunt, simpliciter dãnamus, sed his quoq; ab aduersarijs nostris iniuriam fieri dicimus. Nam etsi horribiles fuerint tenebræ illæ, in quibus illi oberrarũt, singulari tamen beneficio Deus aliquas veritatis scintillas seruauit, quæ vt lucernulæ obscuriores eminus illis prælucerent: Decalogũ nimirùm, orationem Dominicã & fidei articulos, qui Symbolo apostolico continẽtur. Et scimus hunc ferè morẽ fuisse, vt morituri non alijs precibus vterentur, quã quarum formã Christus nobis præscripsit, & fidẽ suã non aliter quàm Symboli illius recitatione profiterentur. Hæc ipsa ergo patrũ piorũ quoq; fides fuit, quam hodie docemus, quæq; eò maiori studio à nobis retineri debet, quòd illã Deus ab Antichristi sordibus purgatam pristino nitori nobis restituit.

Ezech. 20. Zach. 1. &c.

Sed Christum audiamus, qui ne nunc quidem illam acerbius tractat, sicuti merebatur, sed seipsum exponit, vt intelligat, de qua nam aqua ipsi sermo sit: & simul reipsa docet, se Iacobo esse præstantiorem, cùm ea largiatur quæ ille nec sibijpsi, neq; suis dare potuerit. Sic autem ait: Omnis qui bi

Christus Iacobo & omnibus externis longè præstat.

bit ex aqua hac, sitiet rursus: Quisquis autẽ biberit ex aqua illa, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum, &c. Sensus est: Video quid obstet, quò minus me intelligas. Per aquam viuam enim nõ aliam intelligis, quàm quæ ex viua aliqua & perenni scaturigine promanet; & Iacobi patriarchæ authoritati tantum tribuis, vt nihil melius excogitari posse putes, quàm quo ipse vsus est. At longè alia mea mens est, quam si perceperis, mox intelliges, me non sine causa meam illam aquam huic vestræ præferre. Nam qualiscunq; sit aqua huius putei, hoc tamen cum alijs cõmune habet, quòd sitim semel quidẽ restinguit, quò minus autem illa redeat, & ne nouo ardore corpus accendatur, prohibere nullo modo potest. Ego autem aquam eiusmodi promitto, quæ semel hausta, perpetuò recreat hominem, ne postea vnquã siti noua inflammetur: imò illa in homine fons perennis efficitur, cuius aque in vitam æternam exiliunt, &c. At quia Christus aquæ vocabulo per Metaphoram aut similitudinem vtitur, vt spiritus gratiam & eius effectum nobis describat; non minus hoc etiã per tropum accipi debet, quod de aqua puteali loquitur. Per hanc enim intelligit externa omnia, in quibus homines consolationem aut desyderiorum suorum complementum quærunt, & cum illis sui spiritus gratiam cõfert, vt huius virtus atq; efficacia ex collatione ista clarius eluceſcat. Sũt ergo duo hæc membra sigillatim excutienda, vt ad aquæ illius cœlestis sitim magis accendamur.

Externa non satisfaciunt conscientiæ.

Per aquã putealem omnia externa intelligi diximus, quæ homines ex seipsis hauriunt atq; parant, vt suis desiderijs tam in vita hac temporaria, quàm in religione & salutis negotio satisfaciãt. Sunt ea omnia eius naturæ, vt cupiditatibus nostris perpetuò sufficere nõ possint, & illas accendant potius quàm restinguãt: quod facilè patebit, si præcipua ex illis ordine consyderes. Et primò quidem opes inspiciantur, quas vulgò omnes cupiunt, & in ijs felicitatẽ huius vitæ constituere putant. Bibũt ex illis quotquot auaritia inflammati aurum & argentum sibi accumulant. At licet ingentes pecuniarum riui quotidie affluant, nunquam tamen sitis illa restinguitur, sed vt poeta dixit,

Crescit amor numi, quantum ipsa pecunia crescit.

Eadẽ est honorum ratio, & eorum quos dominandi libido inflammauit. Quò enim altius illi ascendunt, eò magis omnes alios excellere volunt, & tam abest, vt aliquando exaturentur, vt ne orbis quidem totius imperiũ illis sufficiat, sicuti Alexander ille Macedo & huius similes suis exẽplis testantur. Quòd si ad voluptates carnis transeas, idem reperies: & constat nec gulæ studium assiduis comessationibus, nec ludendi desyderium alea assidua, nec scortandi aut mœchandi libidinẽ vlla stuprorũ licentia exaturari posse. Sed omissis illis, qui affectu belluino feruntur, eos videamus qui generosiores alijs in scientia & sapientiæ studio felicitatem quærunt, & his quoq; idẽ euenire videbis. Si enim absq; scripturarum cognitione & Dei spiritu in libris suis totã ætatem consumant, interdũ quidem aliquid inueniunt, ex quo voluptatem magnã percipiunt, at eadem momentanea est, & mox nouæ dubitationes & quæstiones subeunt, in quibus sese excruciant: & si verum fateri velint, post multorum annorum studia & tot vigilatas noctes, cum Socrate dicunt: Hoc vnum scio, quod nihil scio. Nec melior est eorum conditio, qui in religione & salutis negotio extra Christum vagantur. Nam etsi multa quotidie fingant, quibus Deum sibi propitium reddere & saluti suæ consulere volunt, manent tamẽ conscientiæ terrores, qui omnia illis infesta reddunt, & ad nouos cultus instituendos impellunt. Patet hoc in gentibus, quibus nec triginta millia Deorũ sufficere potuerunt, quos ab illis inuẽtos fuisse, Varro prodidit. Et Iudæi, cùm à vero Deo recessissent, nouos Deos quotidie multiplicarunt, & ita testati sunt, se in priorum cultu animæ tranquillitatem nondum inuenisse. Quod ipsum in papatu factum esse, & adhuc fieri, nemo ignorat. Quia enim suorum operum meritis & Diuorum intercessione se seruari putant homines superstitiosi, nihil non faciunt quod humanis traditionibus edocentur. Et magnifica quidẽ de ieiunijs suis, ferijs, vigilijs, peregrinationibus ad loca sacra, indulgentijs, Missa & reliquis huius farinæ, seu potius furfuris, rebus sibi pollicentur. At quàm parum ista prosint, ipsimet suo exemplo docent, dum aut eadem subinde repetunt, aut noua commiscentur, aut post omnia ista votis monasticis sese astringunt, nimirùm desperatione adacti, quã monasticæ vitæ causam esse præcipuã, veteri prouerbio dicitur. Imò si omnia fecerint, morituri iam nouis sacris opus habent, & quidem anniuersarijs, quorũ cùm finis nullus indicetur, incerta quoq; sit oportet salutis spes, quam in illis quærunt. Verissimè ergo dicitur à Christo, eos rursus sitire, imò semper & perpetuò sitire, qui externis rebus & proprijs operibus siue meritis salutem acquirere conantur.

Desperatio facit Monachum.

Idem

Idem verò quid nos facere cõueniat, docet cùm addit: Quisquis autẽ biberit ex aqua illa, quam ego ei dabo, non sitiet in æternum, &c. Aquæ nomine viuificantem spiritus gratiam intelligi, supra diximus, cuius ille nobis author est, & quã fide recipiunt pij, vt per eam irrigati & recreati viuant. Sic enim infra Cap. 7. mysteriũ hoc exponitur, vbi Christus clamat: Si quis sitit, veniat ad me, & bibat. Qui credit in me, sicut dixit scriptura, flumina aquæ viuæ fluent ex ventre eius. Vbi per expositionẽ Euangelista subijcit. Hoc autem dixit de spiritu, quem accepturi erant credentes in ipsum. Sensus ergo præsentis loci est: Quisquis abiecta omni aliarum rerum fiducia in me crediderit, is mihi per fidem ita vnietur & inseretur, vt mei quoq; spiritus particeps fiat, qui in illo non vitam modò, sed simul certam salutis fiduciam operabitur, quæ ipsum sitire aut conscientiæ terroribus cõcuti non patietur, &c. Ita verò se salutis veræ authorem esse docet, qui sola fide apprehendi possit, & simul fidei effectus paucis describit. Primus est, quòd animarum sitim, id est, conscientiæ æstuantis ardores restinguit, & salutis certos facit. Quia enim vt paulò ante diximus, credentes cum Christo eius quoq; spiritum apprehendunt, qui arrhabo salutis est, & in quo clamant, Abba pater: de salute sua amplius non possunt dubitare. Nam etsi naturæ suæ corruptionem sentiant, & peccata sua agnoscant, simulq; dissolui cupiant, vt ex corpore mortis liberati cum Christo viuant: non tamen terroribus conscientiæ vincuntur, & multò minus desperatione absorbentur. Sciunt enim se Christo insitos esse, & hunc ipsis factum esse à Deo sapientiam, iustitiam, satisfactionem, sanctificationem, redemptionem, vitam, resurrectionem: adeoq; in illo reposita habent quæcunq; ad salutem consequendã sunt necessaria. Non sitiunt ergo amplius, neq; ad humanarum traditionum lacunas confugiunt, vt suis siue aliorum meritis seruentur: sed in vno Christo acquiescunt, & nunquam non illud Petri in corde & ore habent: Domine, ad quem ibimus? tu verba vitæ æternæ habes. Sequitur hinc fructus alter, quòd nimirum hæc spiritus Christi gratia in ipsorũ animis fons sit aquæ perpetuò salientis in vitam æternã. Nec enim otiosa est fides, sed fructus profert pulcherrimos: & vt animos certa spiritus consolatione irrigat & recreat, sic erga quosuis homines officiosa singulis sua tribuit, vt Cap. 3. est dictum. Finis verò omnium est vita æterna, quam fidei præmium gratuitum esse, passim docent scripturæ. Et facit ad huius loci explicationem quod Paulus ad Rom. 6. scribit: Nunc liberati à peccato, mancipati autem facti Deo, habetis fructũ vestrum in sanctimoniam: finem autem, vitam æternam, &c. Sunt hæc plena consolationis, vsus verò istorum omnium hic nobis esse debet, vt relictis omnibus mũdi & carnis nostræ studijs, ad vnum Iesum Christum recurramus, vt illius merito & spiritu recreati, in hoc seculo vitam viuamus nostra professione dignam, & cum eodem olim in cælis regnemus. Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

Christus solus ad salutem sufficit.

HOMILIA XXVIII.

Dicit ei mulier: Domine, da mihi istam aquam, ut non sitiam, neq; veniam huc ad hauriendum. Dicit ei Iesus: Vade, uoca uirum tuũ, & veni huc. Respondit mulier, & dixit ei: Nõ habeo uirũ. Dicit ei Iesus: Bene dixisti, Nõ habeo uirum: Quinque enim uiros habuisti: & nunc quem habes, non est tuus uir: hoc uerè dixisti. Dicit ei mulier: Domine, uideo quòd Propheta es tu. Patres nostri in monte hoc adorauerunt, & uos dicitis, quòd Hierosolymis est locus ille, ubi oporteat adorare.

PRima huius colloquij parte docet Iesus Christus, se vnicum esse fontem gratiæ, qui solus Deum placare & conscientiæ terrores auferre possit. Id verò sic docet, vt simul omnibus ijs occurrat, quæ Samaritanã in salutis cognitione remorabantur, & quæ nos etiã remorari solent. Primò enim, quia insolens videbatur, hominem Iudæum à Samaritana aliquid officij petere, & multi similiter metuunt, ne Christus ipsos fastidiat atq; aspernetur cùm indigniores sint, quàm vt illi officiũ aliquod præstare possint: ostendit ille, se vniuerso mortalium generi à Deo patre donatum esse, qui absq; personarum respectu salutem omnibus ad se venientibus offerat. Deinde cùm illa vili eius specie offenderetur, & hodie multos offendat, quòd Christum vilem & cõtemptum esse conspicantur: nos ad æ-

l

ternum Dei decretum respicere docet, quo is nobis illum seruatorem constituit. Præterea, cùm illa Iacobi patriarchæ exemplum obijceret: magna cum authoritate docet, externa omnia quantumuis commendentur, ad salutis certitudinem & animarum tranquillitatem nihil cõferre, sed eos demum salutis suæ certos & verè beatos fore, qui ipsum fide amplexi, viuo illo & perenni fonte gratiæ Dei recreentur. Nam quisquis (inquit) ex hac aqua, aut quauis alia quam ipse hauserit, bibit, is sitiet rursus: At qui biberit ex aqua, quam ego ei dabo, non sitiet in æternum, &c. id est, salutis suæ certus fiet, neque præter me quicquam aliud desyderabit. Sequitur hoc loco, vt hoc quoque Christi dictum mulier ista petulantius exceperit, & vt ille eam peccati conuictam coegerit de salute sua seriò cogitare, atq; veram illius assequendæ rationem inquirere.

Samaritana promissionem Christi ridet.

Et Samaritana quidem, cùm istud audisset, rursum literæ inhærens & non sine petulanti dicacitate Christi verba detorquens, ait: Domine, da mihi istam aquam, vt non sitiam, neque veniam huc ad hauriendum. Quasi diceret: Magnificas quidem promissiones audio, sed ego reipsa præstari velim quod polliceris. Etenim magna me leuares molestia, quæ quotidie ad puteum istum excurrens, aquam haurire & cum labore domum deferre cogor. Et sic dicendo non petit aquam à Christo promissam, sed promissionem eius ridet atque contemnit, vt quæ putet nihil tale præstari posse. Est igitur hoc nouum nostræ tarditatis & improbitatis argumentum. Apertè enim docuerat Christus, se non de aqua loqui, quæ corpori inseruiat, sed de cœlesti aut spirituali, quæ animos inebriet ad vitam æternam. Adhuc tamen ista profert, & illius promissioni procaciter insultat. Est hæc ingenij humani nequitia, vt quàmuis disertè nobiscum agat Deus, externis tamen intenti cœlestia negligamus, adeoque iocum lusumque putemus, quæ de illis dicuntur. Præterea aliud veræ salutis impedimentum hîc nobis adumbratur, quo vix aliud est efficacius: Quòd nimirum carnis studi dediti, promissiones euangelicas carnaliter intelligimus, & proinde in Christo non alia quærimus, quàm quæ carni inseruiunt. Ea enim hominum natura est, vt sibi bene esse velint in hoc seculo, & nisi spiritu innouentur, religione etiam ad hoc suum institutum abuti solent, dum in illa non regnum Dei, sed præsentis vitæ felicitatem quærunt. Hinc fit, quòd promissiones euangelij in sensum peruersum detorqueant, & nisi illas cupiditatibus suis sentiant respondere, eas cum risu exibilent. Huius generis est, quòd quicquid de pace & gratia Dei per Christum nobis acquisita dicitur, illi de pace huius mundi intelligunt, neque aliam Dei gratiam agnoscunt, quàm quæ in opum abundantia, corporis incolumitate, victorijs, & reliquis huius vitæ commodis sentitur. Vt primùm ergo crucem, persecutiones, egestatem, morbos, clades & afflictiones Deus immittit, mox illi se deceptos clamant, & Christi promissiones scurrili dicacitate mendacij accusant. Idem fit, quando fidei iustitia prædicatur, & in Christo ostenditur vniuersa humanæ salutis ratio. Hoc enim plerique ita intelligunt, vt nec morum disciplina, nec vitæ innocentia opus esse arbitrentur, & proinde sub fidei Christianæ prætextu effrenem peccandi licentiam sequuntur. Imò hoc vnum multos mouet, vt à Papatu discedant, quòd laborum & sumptuum pertæsi, otium & securitatem vel liberiorem viuendi rationem quærunt. Qui, si apud illos disciplinæ leges vrgeas, eas aut cum risu exibilant, aut furiosorum instar aduersus illas insaniunt. Idem fit in reformationibus ecclesiæ. Fatentur multi errores esse abolendos, & minuendam esse hominum ociosorum multitudinẽ: at idem, quia bonis ecclesiæ insidiantur, de verbi ministris substituendis, de scholis aperiendis, & de pauperum subuentione nihil cogitant, & de his verba facientes in aliud tempus reijciunt. Hi omnes ex fœtidis quidem & inanibus superstitionum cisternis haurire desinunt, ijdem tamen ad Christum non accedunt, vt illius verbo & spiritu irrigati fructus dignos ferant. Nam etsi Euangelij nomine glorientur, nihil tamen proficiunt in pietatis studio, maximorum scandalorum authores sunt, dum nec Christiana professione dignam vitam viuunt, nec pro Christi nomine quicquam ferre, aut periclitari volunt: sed hoc vnum quærunt, vt ecclesiæ opibus ditati, in otio viuant & iugum omnis disciplinæ cùm politicæ tum ecclesiasticæ excutiant. Itaque Euangelium sibi audiunt in testimonium. Discamus nos Christi promissiones rectè expendere, vt in illo cœlestia quæramus, & vnà cum gratia nobis in illo exhibita nostrum quoque officium consyderemus.

Christus Samaritanæ peccata arguit.

Porrò vbi Christus Samaritanæ petulantiam maiorem esse videt, quàm quæ facilè posset retundi, omissa gratiæ Dei & meriti sui prædicatione, propius illam vrgere incipit, vt peccati & sceleris conuictam

conuictam & conscientiæ terroribus consternatam de gratia Dei & salute æterna seriò cogitare cogat. Iubet ergo, vt virum suum vocet, quasi cum illo aliquid acturus. Respondet illa: Virum non habeo: & hoc responso suam nequitiã & scortandi libidinẽ probè cælatam putat. At Christus illam arguens, ait: Bene dixisti, Non habeo virum: Quinque enim viros habuisti, & nunc quem habes, non est tuus vir, &c. Ita verò vitam anteactam illi in memoriam reducit, non sine occulta reprehensione, cuius acres aculeos illa intra animum suum mox sensit, vt postea audiemus. Sic enim vult dicere Christus: Itáne mihi responsas ô infelix? & quia hominum oculos hucusque fefellisti, Deum similiter falli posse arbitraris? Et quæ illa est proteruia, qua Dei gratiam negligis, me huius authorem contemnis, & doctrinam eius petulanter proscindis? Vis autem dicam quod res est. Vitam hactenus vixisti infamem, & cùm quinque viros antea habueris, nondum tamen exaturata est libido tua, sed insuper sextum tibi accersiuisti, quo cum stupri commertium habeas. Et talis cùm sis, atque libidine nefaria Dei oculos offendere non desinas, adhuc tamen quasi re bene gesta, salutis doctrinã petulanter contemnis, & laudem in eo quæris, quòd me salutis authorem iocis & dicterijs tuis meretricijs lacessere audeas. Resipisce ergo, & oblatam tibi in me gratiam amplectere, nisi æternùm perire libeat, &c. Quo loco admonemur, quomodo agendũ sit cum ijs, qui in peccatis suis ita indurauerunt, vt omnem salutis propriæ curam deposuerint. Arguantur illorum scelera liberè & acriter, vt intra animos suos conuicti, & iræ Dei sensu territi salutis desyderium concipiant, deque Deo placando incipiant cogitare. Vt enim medicum aut medicinam non admittit, qui vel morbi sui vim ignorat, vel ægrotus haberi non vult: Ita de animarum salute seriò cogitare non possunt, qui peccatorum suorum atrocitatem ignorant. Eoq; grauius hîc periculum subest, quòd peccata nobis blandiri solent, & ipsi nobis inter illa felicitatem perpetuam pollicemur. Adhæc, quàmuis nos præter officium multa facere sciamus, & peccatorum nos coram hominibus pudeat, ideoque illa diligenter cælemus, intra animos tamen nostros non compungimur, neque Dei iram sentimus, quæ nos ad pœnitentiam excitet, nisi liberior illorum redargutio accedat: cuius rei exemplum euidentissimum in Dauide habetur. Ideò & legem olim dedit Deus, quæ nõ scelera modò crassiora, sed latentem quoq; naturæ nostræ corruptionem arguat: & spiritus sancti idem officium esse Christus infra docebit, & proinde Euãgelij prædicationem à pœnitentiæ doctrina exordiri iubet. Nihil ergo præter officium faciunt ecclesiarum ministri, qui peccata publicè accusant. Imò cùm ea sit nostri seculi infelicitas, vt illa vix pauci agnoscant, nulla arguendi & corripiendi libertas nimia esse poterit: modò hunc finem sibi propositum habeant ministri, vt peccantes in viam reducant, & saluti illorum consulant, non odiose diffament.

Cur scortationem potissimũ arguat.

Obseruabimus præterea, quòd cùm multa alia in muliere hac accusare potuerit Christus, scortationis tamen potissimùm voluit meminisse, quæ plerisq; risu potius, vel etiam laude, quàm reprehensione digna esse videtur. Scimus enim quid de illa gentes olim iudicarint, & quanta vbique fuerit scortandi licentia, cùm de Dijs quoque suis illam publicè prædicari audirent. Et inter Christianos hodie reperiuntur, qui publica authoritate eam defendendam esse censent, & lupanaria instituunt, in quibus iuuenes deposito & prostituto pudore ad libidinem exerceantur. Taceo nunc sacrificulos concubinarios & scortatores, & omnia ea, qua in Monachorum & Monialium claustris sub religionis prætextu impudenter fiunt. At Christus hanc scortationis conuincens, eam mortis & æternæ damnationis ream esse ostendit, & eo argumento ad salutis serium studiũ excitat. Idem passim scriptura docet. Cùm enim lex dicit: Ne sit scortum in Israel: non obscurè docet, nullum in populo Dei locum esse scortatoribus. Quò Paulus respiciens, eosdem à regno Dei excludit, & scortationem inter Christianos ne nominari quidẽ debere ait. Et exempla sunt tam vetera quàm recentia, quæ Deum seuerum huius sceleris vindicem esse docent, vtut homines illud pro nihilo ducant. Sunt ergo hæc diligenter consyderanda, quò minus nostri seculi licentia seducamur. Et excitet nos, quòd vel ex hoc exemplo apparet, Christum nihil eorum latêre, quæ à nobis occultè fiunt. Vt enim huius mulieris libidinem vidit, sic idem ille omnia nostra vindice oculo intuetur: quare eius iudicium nũquam poterimus effugere. Deut. 23.

Peccati conuicta Christum prophetam agnoscit.

Sed Samaritanam nostram videamus, quæ nunc tandem incipit manus dare, & Christo respondens, ait: Domine, video quòd propheta es tu. Patres nostri in hoc monte adorauerunt. &c. Primò

prophetam dicendo hoc illum ex diuina reuelatione habere agnoscit, quòd occulta ipsius stupra intelligat: & simul culpam suam fatetur, seq; illius institutioni submittit. Est hoc magnum melioris indolis argumentum, quam hucusque nefariæ libidinis sordibus obrutam & quasi sepultam, Christus sua tempestiua correptione in lucem extraxit. Quàm multa enim fuerunt, quæ illam ad negandum scelus, aut etiam ad maledicendum excitare poterant? Nō erant testes idonei, quibus conuinci posset. Peregrinus erat Christus, & proinde non dignus, cuius iudicio sese committeret. Imò ex inimica gente erat, & ideò maiori cum licentia in illum inuehi potuisset, qui ipsius famam contaminare instituat. Sed propriæ conscientiæ testimonio conuicta, nou vult cum Deo certamen suscipere: quin potius peccatum agnoscit atq; fatetur. Idem ergo facit, quod Dauidem fecisse scimus, cùm eius adulterium Nathan redarguisset. Habet itaq; salutis principium seriam nimirum peccati agnitionem, quæ salutis desyderium, verbi Dei studium, gratiæ illius imprecationem, fidem denig; in promissum redemptorem, Iesum Christum, parere consueuit, qui nobis satisfactio & iustitia à Deo patre factus est. Confer autem cum hac nostri seculi homines, qui cùm peccati conuincuntur, illud tamen audacissimè negant, Deo & verbo eius improbè contradicunt, ministros turpissimè conuitiantur, & calumniosè omnia conquirunt, quæ ad horum ignominiam facere existimant. Sunt hi reproborũ mores, quos vitare, huius autem exemplum imitari decet eos, qui seruari cupiunt.

Quæstio de cultu externo.

Deinde quia prophetam agnoscit Christum, eidem quæstionem proponit, quæ ad rem præsentem pulchrè faciebat. Erat enim publica & vetus controuersia de religione inter Iudæos & Samaritanos. Hi enim (vt nuper diximus) cum veri Dei cultu gentilitias superstitiones olim miscuerant. Postea ex consilio Manassis apostatæ templum ad Hierosolymitani imitationem in monte Garizim ædificarant, id quod ad fouendam litem & mutuam animorum exacerbationem plurimùm momenti habuit. Et licet Ioannes Hircanus templum illud annis ante natum Christum 123. diruisset, manfit tamen apud Samaritanos loci religio, & illic adhuc aras habebant, in quibus publica & solennia sacra peragebantur, & illic factas preces ob loci sanctitatem Deo magis gratas esse sibipsis persuaserant. Cumq; Dei verbo destituerentur, superstitiones suas patrum exemplis defendebant, Iacobi imprimis, quem iuxta Sichem altare fecisse, & ibidem nomen fortis Dei inuocauisse Moses scribit. Iehosue item, qui illic extructa ara solennes illas benedictiones & maledictiones promulgari curauerat, quæ Deut. 27. describuntur. E contra verò Iudæi pro suo templo pugnabant, & potiorem illorum causa, quòd Dei verbo nitebantur, quàmuis in alijs rebus illud minus obseruarent. Hanc ergo quæstionem nunc Christo proponit Samaritana, vt quæ edoceri cuperet, vbi nam peccatorum remissio quæri debeat, & quibus sacris Deus placari possit; ne fortè dum illi placando studet, iram eius magis accendat. Multùm ergo in Christi schola subitò profecit, quæ paulo ante ab omni pietate alienissima fuerat: & suo exemplo docet, de religione nos seriò debere inquirere, neque temere instituendos esse cultus Dei nouos, neq; veteres & à patribus acceptos pertinacius defendere debere, nisi Dei verbo confirmentur. Sæpe enim fit, vt patres zelo suo decepti aberrauerint. Interdum quoque patribus licuit, quod nobis nõ licet, quos nouis præceptis Deus instruxit. Et sanè Iacobo & reliquis patribus licebat vbiuis locorum aras extruere & sacrificia offerre, eò quòd certam sui cultus sedem Deus nondum constituisset. Posteri autem hoc sine scelere non potuerunt facere, cùm Hierosolymam cultui suo externo Deus destinauisset. Ita olim in religione magnus sacrificiorum, luminarium, altarium, suffimentorum atq; similium rerum vsus fuit: quæ si nunc reducere velimus, postquàm illa Christus abrogauit, fidem Christianam & religionem omnem turpiter polluemus. Huius ergo mulieris exemplo admoniti, ex prophetis, id est, verbi diuini oraculis petamus diuini cultus regulam, & bene vtamur à Deo oblatis occasionibus. Quoties item Dei verbo conuincimur, non dissimulemus peccata nostra, sed de Deo placando cogitemus: in quo non errabimus, si vnum Iesum Christũ audiamus, qui nobis ab illo verus salutis doctor & author datus est. Illi debetur benedictio, honor, gloria, & potestas in æternum. Amen.

Gene. 33. Ios. 8.

HOMI-

HOMILIA XXIX.

Dicit ei Iesus: Mulier, crede mihi, uenit hora, quando neq; in mõte hoc neq; Hierosolymis adorabitis patrẽ. Vos adoratis quod nescitis: nos adoramus quod scimus: quia salus ex Iudeis est. Sed uenit hora, et nunc est, quando ueri adoratores adorabunt patrẽ in spiritu & ueritate. Etenim pater tales quærit qui adorẽt ipsum. Deus est spiritus, & eos qui adorant ipsum, in spiritu & ueritate oportet adorare.

ETsi Deus hominem ad sui nominis cultũ creauerit, & religio (vt rectè affirmat Lactantius) propria sit homini, qua sola à reliquis animalibus differt, nusquam tamen et frequentius et turpius quàm circa hanc peccatur. Aut enim carnis ingenium secuti, Deũ externis rebus coli posse arbitramur, aut cùm ab omni religione alieni sumus, illam tamen simulamus, & Deum externo fuco falli posse nobis ipsis persuademus. Et in primo quidem non modò illi peccant, qui Dei verbo destituuntur, verumetiam non rarò qui veram cultus formam & regulam ab illo acceperunt. Maior tamen est illorum audacia, qui non contenti à Deo traditis ritibus, multa ex semetipsis comminiscuntur, aut ab alijs conficta recipiunt, & deinde cultum omnem certis locis, temporibus, ritibus, adeoque personis etiam astringunt. Hinc ergo concertationes de religione oriuntur, quæ nullæ essent omnino, si Deum omnes audirent. Est itaque perpetua laude dignum Samaritanæ nostræ exemplum, quæ cùm Christum prophetico spiritu instructum esse comperisset, mox illi quæstionem de religione proponit, quæ inter suæ gentis homines & Iudæos controuertebatur. Per hanc enim nos spiritus sanctus admonet, vnde nobis etiam veri cultus regula petenda sit. Et ad huius quæstionem ita Christus respondet, vt paucis comprehendat, quæcunq; ad hanc rem sunt cognitu necessaria. Primò enim docet, ceremonias simul omnes iam nunc oportere abrogari, & proinde nulla posthac de illis concertatione opus esse. Deinde veram diuini cultus rationem describit.

In priori parte omnes externos ritus, cùm Samaritanos tum Iudaicos reijcit, vt qui nec Deo probari, nec ad salutem hominis quicquam conferre possint. Et quiahoc durum nimis videri poterat, asseueratione vtitur, qua illam simul attentam reddit. Mulier, crede mihi, venit hora, quando neque in monte hoc, neque Hierosolymis adorabitis patrem. Quasi diceret: Agnoscis me nunc hominẽ esse nõ vulgarem, & ideò prophetam dixisti. Si ergo talẽ me agnoscis ex animo, audi quid dicam, & dictis meis fidem adhibe. Hactenus quidem rectè obseruata est inter Iudæos ratio cultus externi, quam olim Deus per Mosem tradidit: & illam ex parte etiam imitati sunt patres vestri, quando primùm in hanc terram venerunt. Extructum est quoque in hoc monte templum ad Hierosolymitani imitationem, & adhuc apud vos sacrosancta est huius loci religio. Sed aliud nunc tempus instat: tempus nimirum correctionis, quo externa omnia hæc aboleri oportet, vbi reipsa impletum fuerit, quod per illa fuit adumbratum. Fiet ergo vt sublato omni tam locorum quàm aliorum rituum discrimine, neque in monte Garizim, neque in Zione aut Hierosolymis adoraturi sitis, &c. Quæ verba non sic intelligi debent, quasi montes istos Christus omnino damnarit, vt ab eo tempore nefas fuerit illic preces ad Deum fundere: Sed sub adoratione totum Dei cultum comprehendit, qui posthac non illis locis alligari, aut in externis ceremonijs constitui debeat: & ad mulieris quæstionem respondet, eamq; de loco & externa cultus forma securam esse iubet, modò animum ad pietatem rectè instructum afferat. Nec temere factum putabimus, quòd horæ mentionem facit, & eandem paulò post diligenter repetit. Docet enim Deo certam esse rationem in dispensandis nostræ salutis mysterijs, & iam olim ab æterno tempora quoq; ad hanc rem præfinita esse. Quod Paulus etiam vidit, quando Athenienſibus dicebat, Deum hactenus quidem ignorantiæ tempora dissimulasse, nunc autem tempus adesse aliud, quo omnes conuerti & resipiscere conueniat. Scimus item Apostolos aliquando prohibitos fuisse, ne gentibus nonnullis prædicarent, quas postea suo tempore Deus Euangelij doctrina illustrauit. Vt verò in rerum natura quæque suo tempore fiunt atque proueniunt, neque vlla vis hominum obstare potest, quò minus illud fiat: Ita cùm olim hora illa venisset, quando gentes omnes filij sui cognitione Deus illuminare decreuerat, nemo doctrinam illius impedire po-

Cultus externi omnes reijciuntur.

tuit, quo minus in toto orbe vulgaretur, & ad eius promulgationẽ Iudæorum simul & aliarum gentium sacra corruerent. Durat autem adhuc hodie Dei prouidentia & immutabilis prouidentiæ eius virtus, cuius consyderatio multum consolationis habet aduersus impiorum conatus, qui lucem Euangelij extinctam volunt. Quia enim Christum dixisse scimus, oportere Euangelium nouissimis temporibus in omnes gentes prædicari, non est quòd illorum minis & machinationibus consternemur, qui eius cursum impedire volunt.

Cultus non alligatur certis locis.

Admonet nos præterea locus hic de noui testamenti prærogatiua, quæ est, quòd inuocatio & cultus Dei non, vt olim, certo loco alligatur, neque in sumptuosis ceremonijs consistit: sed vbique locorum fieri, & illi exhiberi potest. Imò Christus pseudoprophetas dicit eos, qui vel ipsum vel meritum eius in penetralibus, in deserto vel alijs in locis certis commonstrant. Et Paulus iubebat viros quouis in loco manus puras ad Deum tollere. Est ergo intolerabilis & Christianæ libertati contrarius error eorum, qui Dei gratiam hodie locis quibusdam ob veterem rerum illic gestarum memoriam, imò interdum simulachris à Deo prohibitis astringunt, & stultis atque superstitiosis hominibus peregrinationum authores sunt, quibus non rarò cum fortunis suis omnibus vitam quoq; suam in periculum adducunt. Quàm enim illæ inutiles sint, & quantopere Deo improbentur, res ipsa docet: quando Hierosolymam, qua nullus vnquam locus in orbe celebrior & sanctior fuit, olim quidem per Romanos solo æquari, & ipsum filij sui sepulchrum ruderibus obrui, & eidem Veneris phanum imponi passus est, & totam illam terram, prophetarum & Apostolorum patriã & ipsius Christi natalibus celebrem, iam seculis aliquot à Turcis conculcari patitur. Quantò rectius ergo D. Hieronymus, magnus alioqui & interdum nimius rerum eiusmodi admirator, scripsit: Non Hierosolymis fuisse, sed Hierosolymis bene vixisse laudandum est. Omissis itaque superstitiosis hominum sua modò quærentium commentis, Dei gratiam exosculemur, qui vbiq; inuocari vult, & se vbiq; locorum inueniri patitur ab ijs, qui ipsum ex fide inuocant.

Damnatur cultus, qui nõ Dei uerbo nititur.

At ne Christus hoc dicendo Samaritanorum sacra in eodẽ cùm Iudaicis gradu collocauisse putaretur, mox docet quantum inter illa discrimen sit. Nam dicit: Vos adoratis quod nescitis, nos adoramus quod scimus: quia salus ex Iudæis est. Est hæc bimembris sententia, cuius prima parte Samaritanorum religionem simpliciter damnat, & eos Deum inutiliter colere & inuocare ait. Causam huius dicti interserit. Quia nesciant quid adorent, aut quem colant. At si quis ipsis interrogasset, minimè hoc dicturi erant, quin potius veri Dei, creatoris omnium, & qui Mosi olim locutus fuit, cultores se esse clamauissent. Hoc tamen dicit Christus, eò quòd sui cultus nullam haberent rationem certam ex verbo Dei, sed illum ex suo cerebro instituerant. Nam, vt nuper quoque dictum est, maiores ipsorum Deum finxerant, cuius potentia & imperium terræ illius finibus concluderetur, & qui in illa modò sese ratione noua & insolita coli vellet: & idèo ex Assyria remissi fuerunt sacerdotes, qui illos in religione instituerent. Vide 2. Regum 17. Deinde cum sacris Iudaicis gentilitios quoque ritus permiscebant. Præterea totus illorum cultus cum inobedientia coniunctus erat, cùm contra Dei mandatum in monte Garizim templum ædificauissent, & in eo sacrificia offerrent, quæ non alibi quàm Hierosolymis offerri debebant. Erant ergo illis omnia incerta, neque Deum verum colebant, sed phantasma potius, quod ipsi animo suo, aut potius imaginatione conceperant. Ipsis autem in membro posteriori Iudæos opponit, quos Samaritanis in religione multùm præstare docet. Nam nos (inquit) adoramus quod scimus, id est, cultus nostri certam rationem habemus, eò quòd ab ipso Deo nobis traditus est, qui cum patribus salutis fœdus æternum sanciuit, cuius sigilla sunt istæ ceremoniæ, quibus in cultu nostro vtimur. Ita enim intelligo particulam illam: Quia salus ex Iudæis est. Nam dicitur hoc non modò propter Christum, vnicum salutis authorem, qui ex ipsis secundum carnem natus est: sed etiam propter rationem salutis, quam soli Iudæorum genti Deus olim manifestauit, & cuius cognitio ab illis initio facto in totum orbem diuulgari debuit, iuxta illud prophetæ: Ex Zion exibit lex, & verbum Domini de Ierusalem. Est autem hic locus insignis admodum, quo docemur, religionem absque vera Dei cognitione consistere non posse. Quàm diu enim ista destituimur, non verum Deum, sed nostri cerebri figmentum colimus. At Dei cognitio non alibi vnde quàm ex verbo eius petitur. Illud ergo audiant oportet, quicunq; veri Dei cultores haberi & esse vo-

esse volunt; & continuntur hic erroris, quicunq; cultus arbitrarios instituunt, & sui animi intentionem putant sufficere.

Simul autem non oscitanter præteriri debet hoc loco, quòd Christus sese cum Iudæis coniungit, quoad cultũ Dei & adorationem. Dicit enim: Nos adoramus quod scimus. Quod iuxta humanam naturam ab illo dici certum est. Nam vt homo orauit, qui vt patri coæternus Dei filius ab angelis & electis omnibus adoratur. Sed vt diximus, obseruatu dignissimum est, quòd Iudæis sese commune rat, de illorum cultu & religione disserens. Scimus enim in illo populo tunc horribilẽ doctrinæ simul & externi cultus prophanationem fuisse, quando sacerdotum ambitio atq; auaritia nouas traditiones & sacrorum nundinationẽ inuexerat. Sed illis in cultu socium sese comiũgit Christus, qui in fide synceri, ad Legem Dei respiciebant, & ab illo traditos ritus sanctè seruabãt, quales illo tempore aliquos fuisse constat. Cum illis ergo Deum patrem verè adorauit, cum illis Circũcisione rectè vsus est, cum illis infans adhuc Deo iuxta legẽ sisti voluit, cum illis ad festa accessit & cœtibus sacris interfuit, qui ex Dei præscripto habebantur; neq; propter abusus quosdam & maiorẽ impiorũ aut superstitiosorum turbam ab externa & legitima sacrorum communione abstinuit. Debebant exemplum hoc obseruare Anabaptistæ, qui vt primùm aliquid vitij in ecclesia conspicantur, mox secessionẽ faciunt, séq; pollui & eiusdem cum reliquis damnationis reos fieri putant, si illorum sacramentis communicent. Num ergo Christum pollutum fuisse dicemus, quando iisdem sacris vsus est cum Iudæorum gente, in qua pleriq; aut superstitiosi hypocritæ, aut palàm scelerati erant? Minimè. Nec enim vitiorum, sed sacrorum communio est in ecclesia, quæ si à nobis ritè peragantur iuxta Christi institutionem, aliorum improbitas nobis fraudi esse non poterit. Sed quo spiritu isti agantur, ex eo patet, quòd cùm à prophanorum hominum cõmercijs non abstineant in ijs, quæ ad quæstũ faciunt, sed cum illis absq; omni metu negotientur, comessentur, pascuis publicis vtantur, ciuitatum & tribuum priuilegijs fruantur, ex solis cœtibus sacris pollutionem metuunt, in quibus Dei verbum prædicatur, preces fiunt, & sacramentorum vsus ex Christi precepto retinetur.

Christus Iudæis Dei cultoribus sese communicarat.

Porrò transeamus ad alterã huius loci partem, qua veri cultus rationem Christus tradit. Nec enim sufficit errores arguisse, nisi quid è contra fieri oporteat, indicetur. Repetit autem quod paulò ante de hora dixit, vt ostendat iam nunc tempus esse, vt voluntati Dei sese accõmodet, neq; pertinacius insistat maiorum suorum placitis. Dicit enim: Venit hora, & nunc est, quando veri adoratores adorabunt patrẽ in spiritu & veritate. Distinguit hoc dicto veros adoratores à falsis, vt admoneat, non sufficere si Deum vtcunq;, vel vt nobis videtur, adoremus atq; colamus: sed in hoc versari salutis cardinem, vt illud verè fiat, & sicuti Deus ipse mandauit. Duobus autem capitibus totum Dei cultum comprehendit, quem adoratione denotari antea diximus: Spiritu nimirùm & Veritate. Opponuntur hæc externis ceremonijs, quas Apostolus carnẽ vocat, & in Lege præscribi ait, cuius mandatum carnale sit. Heb. 7. Et Galatas eo nomine reprehendens, quòd à libertate Christiana ad Legis ceremonias deficerent, inter alia scribit: Adeò amentes estis, cum spiritu incœperitis, nunc carne perficimini? Gal. 3. Quò etiam pertinet, quòd in eadem epistola Cap. 4. illas infirma & egena mũdi elementa dicit: nimirùm quod Deus mundum initiò per has, ceu prima literarum elementa erudire & ad perfectiorem Christi & salutis cognitionem subuehere voluerit. Adhæc typi & vmbræ dicuntur, eò quod rerum futurarum & cœlestium mysteria adumbrarent. Vt ergo intelligamus, quid sibi velit Christus hoc loco, videndũ erit, quæ mysteria sub ceremoniarũ inuolucris fuerint adumbrata. Exordiamur autem à Circuncisione, quæ cùm in membro genitali fieret, docebat nos in peccatis conceptos & natos, & proinde natura pollutos, purgatione opus habere, qua cum innata nobis corruptione illius quoq; fructus tollantur. Erant deinde sacrificia quotidiana, matutina nimirùm & vespertina, quibus peccatorũ expiatio significabatur & cum eadem quotidie repeterentur, non obscurè ad sacrificium quoddam perfectius remittebant, quod semel immolatum ad expiandum peccata nostra sufficeret. Accedebãt his sacrificia extraordinaria, quæ alij propter admissa scelera, alij pro gratiarum actione offerebant. Adducebatur ab illis pecus aliquod ad aram, imponebatur illi manus (quod cõmunionis simul & cõsecrationis symbolum fuit) inde mactabatur, & mactati sanguis spargebatur ad altaris cornua. Erat hoc triste spectaculum, quod cum peccati confessione suplicij quoque comminationem & futuræ expiationis promissionem continebat. Eadem fuit ratio festorum

Vera cultus diuini ratio.

& thymiamatis, omnium deniq; aliorum, quæ ex legis præscripto fiebant: quòd nimirùm per se ad salutem nihil conferebant, illius verò mysteria adumbrabant, & in fidei contemplationem animos excitabant. Caro igitur erãt hæc omnia, quando nuda & sine Christo consyderabãtur, neq; aliud quàm vmbras & typos salutis in Christo exhibendæ continebant. Et licet pij aliquid altioris mysterij subesse scirent, & in promissum salutis humanæ authorem respicerent, cultus tamen illorum carnalibus exercitijs & vmbris siue typis constabat. Sensus ergo verborum Christi est, fore, vt abrogatis externis omnibus, in Dei cultu hoc vnum obseruetur, quod olim adumbratũ fuit, & vt pij non in obeundis typicis hisce sacris, sed in præstandis veræ fidei & pietatis officijs occupentur: quæ vt totum hominem requirunt, ita simulationem & hypocrisim omnem excludunt. Itaq; Dei cultus in fidei obedientia consistit, quæ carnis affectus omnes mortificat, Deo nos sistit viuentẽ hostiam, & Christi merito quæsitam peccatorum remissionem amplectitur, adhæc ad supremi numinis inuocationem, ad vitæ innocentiam & ad omnia alia pietatis officia nos excitat. Hanc ergo mulieri huic Christus commendat, & hanc vnam prophetæ & apostoli vrgent, qui simul Deum frustra externis coli docent, si altiora ista omittamus. At si ista cultus veri ratio est, corruat oportet Papatus, qui totus ceremonijs constat, quarũ aliæ ex Iudæis, aliæ ex gentibus desumptæ, aliæ item ab hominibus inepte superstitiosis excogitatæ sunt: omnium verò hic vsus & finis est, quòd spiritualem Dei cultum impediũt, & carnem vmbrasq; reducunt, à quarum obseruatione iam olim Christi beneficio liberati sumus.

Cæterùm rationibus quoq; suam doctrinam Christus confirmat. Prima est: Etenim pater tales quærit, qui adorent ipsum. Conuenit hæc cum sensu cõmuni, quem (vt Augustinus scribit) Socrates secutus, vnumquenq; Deorum sic colendum esse dicebat, sicuti ipse præcepit. Itaq; communi sensu consentantur, qui ex semetipsis cultus nouos instituunt. At ne Deus temere quicquã mandare putetur, alteram quoq; rationem ab eius natura petitam subijcit: cuius hic sensus est: Vt Deo gratus sit cultus, illi conformem hunc esse oportet. At Deus est spiritus, id est incorporeus, qui externis minimè indiget, nec quicquam cum illis habet commune. Ergo in spiritu & veritate illum colere debent, qui cunq; ei placere volunt. Est ratio hæc tam manifesta, vt explicatione ampliori haudquaquam opus habeat. Illud tamen obseruabis, spiritus nomine nõ excludi aut reijci externa fidei & pietatis exercitia, quæ à Christo cõmendantur, qualia sunt, Verbi auditio, Sacramentorum vsus, charitatis Christianæ officia, publicæ preces & quæcunq; sunt alia huius generis. Nam etsi hæc per se corporalia & externa sint, attamen spiritualia censentur, & reuera sunt, si ex fide emanent & secundum verbi Dei præscriptum instituãtur. Hæc ergo huius doctrinæ nobis summa esto, vt in religione suspectum habeamus quicquid carnem sapit, aut huic arridet, reformati autem spiritu & in vnum Dei verbũ intenti, illum colamus toto corde, & ex fide vera inuocemus per nomen Iesu Christi: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.

HOMILIA XXX.

Dicit ei mulier: Scio quòd Messias veniet, qui dicitur Christus: cùm venerit ille, annunciabit nobis omnia. Dicit ei Iesus: Ego sum, qui loquor tibi. Et hæc illo dicente, venerunt discipuli eius, & mirati sunt, quòd cũ muliere loqueretur: nemo tamẽ dixit: Quid quæris? aut quid loqueris cum ea? Reliquit ergo hydriam suam mulier, & abijt in ciuitatem, & dicit hominibus: Venite, videte hominẽ, qui dixit mihi omnia quæ feci: Numquid iste est Christus ille? Exierunt ergo ex urbe, & venerunt ad eum.

TRadidit hucusq; Iesus Christus, quæcunq; ad nostræ salutis rationem & verum Dei cultũ pertinent, & ea omnia duobus omnino capitibus comprehendit: Primò enim in se vno ostendit fontem gratiæ, qui tranquillitatem animi parit, & salutis certos reddit. Deinde veri cultus rationem non in externis ceremonijs consistere docuit, sed in obedientia fidei, qua nos totos Deo consecramus, & mortificatis affectibus carnis innocenter viuimus, spemq; salutis omnẽ in ipsius merito habemus collo-

collocatam. Et hæc fides atq; religio est omnium vetustissima, in qua olim patres salutem speraverunt, & quæ sublatis ceremonijs & typis legalibus per euangelij prædicationem in toto orbe est diuulgata. Sequitur nunc colloquij istius finis, & quantum in muliere hac instituenda Christus profecerit. Continet autem locus iste luculentum de Iesu Christo, promisso redemptore, testimonium, & doctrinam quid eos facere conueniat, qui fidem in eum profitentur.

Samaritana Messiam respicit.

Rursus verò mulier Samaritana inducitur, quæ cùm paulò ante intellexisset Christum prophetam esse, nunc verò eundem de noua religionis mutatione & eiusdem propagatione per totũ orbem, disserere audiuisset, de Messia cogitare incipit, & proinde ait: Scio quòd Messias veniet, qui dicitur Christus: cùm venerit ille, annunciabit nobis omnia. Exponitur locus hic ferè bifariàm. Aliqui enim adhuc tergiuersatam esse putant, & hæc dicendo disputationem abrumpere voluisse. Quasi diceret. Mirifica sunt quæ ex te audio, & quia captum meũ longè superãt, ea nec probare, nec improbare possum. Solatur tamen, quòd Messiam venturum scio, qui plenè & perfectè tradet omnia, quæ ad Dei cultum & ad generis humani salutẽ faciunt. Hunc igitur expectabo, & omissis interea disputationibus sublimioribus à patribus acceptum cultum sanctè tuebor. Alij iam nunc in eius animo suspicionem de Iesu obortã fuisse arbitrãtur, num ipse promissus ille seruator sit, & ideo ista dixisse, vt verum ex ipso eliceret. Et horum sententia cum ijs, quæ sequuntur, melius cõuenit. Nam audita Christi responsione, mox cedit, & in vrbem festinans alios quoq; in illius cognitionem adducere studet; quod non ita facilè factura erat, si adhuc tergiuersari voluisset. Interim apparet promissi redemptoris aduentum non modò inter Iudæos, verumetiam apud gentes vulgatũ fuisse. Quia enim hunc parentibus primis Deus promiserat, nõ dubium est, quin illi hanc salutis spem posteris suis omnibus diligenter cõmendarint, & eandem in omnium ore fuisse multis argumentis probari posset. Et enim cum Abrahamo salutis fœdus sanciens Deus, non nouam illius rationem tradit, sed benedicti illius seminis promissionem repetit, & quasi de re nota loquens, illud ex ipsius stirpe nasciturũ pollicetur. Et Iobus, licet alienigena esset, in promisso tamen redemptore spem salutis collocabat, & illum iam tunc viuere fatebatur. Sed & Balaami vaticiniũ apud Orientales populos, & Sibyllarum oracula in toto pene orbe celebrata fuerunt, quæ & Christi & omnium quæ ille fecit & passus est, descriptionem continent. Et si nihil horũ extitisset, certè res ipsa homines cordatos & non negligentes suæ salutis de hoc aliquo modo admonere poterat. Quia enim intellectus nostri lucem in cœlestium consyderatione cæcam, naturæ nostræ vires corruptas, & voluntatem ad malum procliuem esse, & insuper toti humano generi maledictionem & mortem imminere videbant: simul cogitare poterant, aliquo omnino opus esse, qui veritatis cognitione mentes nostras illustret, peccatum expiet, naturæ vires instauret, & benedictionẽ reducat mortisq; imperium frangat. Quæ cùm propriè sacerdotis & Regis officia sint, factum est, vt redemptor ille in scripturis Messias, id est vnctus diceretur, eò quòd antiquitus reges & sacerdotes solenni vnctione consecrari solerent. Inter Samaritanos tamẽ huius spes certior & luculentior esse potuit, cùm illi Mosis libros haberent, qui promissiones patribus factas diligenter describit, & insuper Prophetam illum magnum pollicetur, quem omnes audire debeant. Non temere ergo dicit mulier ista: Scio quòd Messias veniet, & cùm venerit ille, annunciabit nobis omnia. Et hæc dicendo, non obscurè fatetur, legis doctrinam ad salutem non sufficere, sed in promisso illo redemptore quæri debere, quæcunq; ad humanæ salutis & diuini cultus veram rationem faciũt. Quod principium si hodie tenerent, qui ecclesiæ antistites haberi volunt, iam in promptu esset ratio, qua dissensiones de religione componi possent. At vel vno hoc argumento multorum improbitas proditur. Fatetur Samaritana Christum omnia religionis & salutis mysteria fideliter annunciaturũ esse. Hoc ipsum se feciſſe, Christus testatur, dicens: Quæcunq; audiui à patre meo, manifestaui vobis. Sed & apostolos fideliter tradidisse constat, quæ à Christo acceperunt. Adhuc tamẽ reperiuntur, qui fidei doctrinam in dubium vocant, & scripturis omnia contineri negant, quæ ad cultum Dei & salutem sunt necessaria. Quod dici non potest, nisi aut Christum mendacij, aut apostolos malæ fidei insimulemus. Est verò vtrumq; impium & intolerabile auribus Christianis: & qui ita sentiunt, à Samaritana hac olim iudicabuntur, & impiæ suæ temeritatis graues pœnas dabunt.

Christus se Messiam esse profitetur.

Sed Christum audiamus, qui discrè illi respondens ait: Ego sum, qui loquor tibi. Paucis verbis rem maximã dicit, & quia ipsa Messiam salutis doctorem fore dixerat, hunc se profitendo salutem

illi præsentem offert. Quasi diceret. Non est quòd Messiam & salutis vel doctorem vel authorem alium exp ectes. Ego enim is sum, qui tibi coràm loquor. Quin ergo abs me iam tibi traditã salutem ac veri cultus rationẽ amplectere, & nihil tibi deerit, &c. Elucet in his verbis admiranda Christi bonitas, qui mulieri alienæ à repub. Israelis & propter libidinem infami, sese tam amicè manifestat. Nobis autem illius vsus esse debet, ne de eius facilitate dubitemus, cùm passim ad se omnes inuitet, & neminem ad se venientem vnquam excluserit, vt alibi fusius est dictum. Quærunt autem nonnulli, cur Samaritanæ sese manifestarit, cùm alibi discipulos prohibuerit in viam Samaritanorum abire? Sed potest responderi, non semper herum ijsdem legibus teneri quæ seruis præscribuntur. Deinde quia nondum aduenerat tempus vocationis gentium, non decebat apostolos alijs, quàm Iudæis prædicare: Interim nihil obstabat, quò minus Deus singulari priuilegio aliquos ex gẽtibus vocaret, & ita mox futuræ illarum vocationi generali præluderet, & Iudaicæ gentis repudiũ adumbraret. Nos potius ordinem Christi obseruemus, qui quasi per ambages quasdam mulierem hanc circumduxisse videtur, priusquam se Messiam & salutis authorẽ esse doceret. Cuius rei causa est, quòd initiò mysteriũ hoc percipere non poterat. Primò enim salutis suæ nimiùm secura, libidini suæ indulgebat. Deinde si qui conscientiæ stimuli oboriebantur, religionem à patribus acceptam peccatis expiandis sufficere putabat. Oportebat ergo peccata eius redargui, vt ita ardentius salutis desyderium in illa accenderetur. Nec minus necesse erat superstitionũ fiduciam retundi, vt ad fontem gratiæ in Christo exhibitæ accurreret, quæ prius ad fœtidas idolomaniæ lacunas desidebat. Et hoc ordine non minus hodie opus est. Nisi enim & peccata nostra probè agnoscamus, & superstitiones sciamus ad salutem inutiles esse, Christum Iesum magnificare non poterimus. Feramus ergo patienter eos, qui Christi exemplum & præceptum secuti, eodem ordine salutis doctrinam nobis hodie proponunt.

Discipuli mirantur Christũ cum muliere colloqui.

Porrò hæc dicente Christo, & in hoc ipso momento discipuli interueniunt, quos ad cibos emendos prius dimiserat. Vbi rursus Dei prouidẽtia nobis obseruanda venit, quæ omnia gubernat, ea etiam, quæ fortuita videntur. Per hanc enim fit, vt nõ citius illi veniant, quàm vbi se mulieri Christus manifestauit, qui totius colloquij finis & scopus fuit. Mirantur autẽ quòd cum muliere colloqueretur, quæ & Samaritana erat, & fortassis priorem vitæ suæ conditionem habitu suo (vt ferè fieri solet) non obscurè referebat. Nemo tamen facti huius rationẽ ab eo exigit audacius, reuerentia nimirum absterriti, qua illum prosequebantur. Elucet autem in illis carnis ingenium, quæ in aliorũ indignitate notanda, quàm in propria consyderanda oculatior esse solet. Mirantur isti (vt diximus) Christum cum muliere ignobili amicè & familiariter colloqui. Interim non mirantur eiusdẽ bonitatem, qua ipsos in suam familiaritatẽ admiserat, homines pauperculos, illiteratos, affectibus varijs obnoxios, & Samaritana ista non multò præstantiores. Ita nobis sæpe indigni videntur, quibus beneficiat Deus, qui si nobiscum conferantur, nos illorum similes, aut etiam inferiores illis esse deprehendimur. Oriuntur ex hoc carnis iudicio æmulationes, inuidia, odium, murmur deniq; aduersus Deum: imò superstitiosus quorundam hominum contemptus, qualis apud monachos nonnullos cernitur, qui vt reliquis sanctiores esse putentur, mulierum colloquia in vniuersum fugiunt, imò scopis quoq; expurgant vias, per quas illæ ingressæ sunt: adhæc legitimam viri cum vxore sua conuersationem inter opera carnis numerant. Qui omnes, si Christi exemplum respicerent, nec coniugij sanctum vinculum damnarent, nec honesta mulierum honestarũ colloquia subterfugerent, sed potius illas ad Christum adducere studerent. Interim laudem meretur discipulorum modestia, qui etsi huius facti rationem nondum intelligant, suum tamen præceptorem ita reuerentur, vt nihil dicant audacius, neq; ab illo sui facti rationem requirant. Decet hoc omnes, quos aliorũ imperio subiectos esse voluit Deus, ne vel liberi in parentum facta temere inquirant, vel subditi magistratus consilia audacius carpant, vel auditores de ministrorũ doctrina & moribus odiosius pronuncient, & Dei zelum affectibus suis prauis prætexant. Cumprimis autem in ijs, quæ ad Deum spectant, hoc obseruari conuenit, ne illius iudicia ad nostræ rationis calculum reuocantes, illis temere obmurmuremus. Sæpe enim fit, vt rerũ euentus ostendat non iustum modò, verumetiam nobis salutare fuisse, quod initiò nobis iniustum & iniquum, adhæc pernicioſum esse videbatur.

Samaritana fidem suam effectis declarat.

Sed ad mulierem redeamus, quæ mox relicta hydria in vrbem festinat, & illius habitatores ad Christum videndũ excitat. Non ergo inefficax in illa fuit Dei verbũ, & qui verbis cum ea egerat huius-

hucusq; simul animum quoq; eius aperuit, vt ipsum vera fide amplecti posset. Et hoc illa testatur, dum fidem suam effectis pulcherrimis declarat. Primò enim relinquit hydriam ad fontem, quasi oblita cuius rei gratia eò exierit. Est hoc studij ardentis indicium, & quòd sitis noua regni cœlestis priorem corporis sitim omnino restinxerat. Est hoc proprium electis. Quia enim solis cœlestibus intenti sunt, externa omnia facilè negligunt, dum illa assequantur. Deinde in vrbem cõtendit, vt salutis inuentæ socios faciat conciues omnes. Vbi partim charitatis officium facit, quam à fide nunquã abesse scriptura docet: partim pœnitentiæ veræ argumentum præbet, dum salutem cum illis cõmunicare cupit, quibus sua petulantia peccandi occasionem dederat. Adhæc ita Christum commendat, vt nec suæ famæ & existimationi parcat, vt illius nomen illustretur. Nã venite (inquit) videte hominem, qui dixit mihi omnia quæcunq; feci. Quod quid aliud erat, quàm illius loci hominibus scortationes suas & adulteria in memoriam reuocare, & peccatum publicè fateri? Addit his: Numquid iste est Christus ille? nimirùm, quem humani generis redemptorem fore Moses prædixit? Atqui de hoc ipsa quidem minimè dubitabat, sed suæ conditionis memor prudenter & modestè loquitur, ne audacius quid affirmando causam totam suspectam reddat. Vult ergo vt reipsa discant, hunc Messiam esse, quod mox intellecturos sciebat, si illũ semel coràm viderent atq; audirent. Obseruemus hic conuersionem planè stupendam, cuius non alia causa adduci potest, quàm Dei bonitas & gratia, qui ex peccatrice & adultera salutis præconem facere dignatus est. Extant similia exempla in Matthæo, Petro abnegatore, Paulo & infinitis alijs, quæ in eũ vsum obseruari debent, ne in peccatis desperemus, sed ab illis ad Deum conuertamur, qui in Christo pœnitentiam & remissionẽ peccatorum nobis offert. Simul verò docet nos huius mulieris exemplum, quid eos facere conueniat, qui Christum Iesum fide non fucata apprehenderunt. Primùm relicta hydria fidei officia obire incipiant. Est autem hydria typus carnis nostræ, quam ex terra factam esse scriptura docet, & omniũ eorum, quæ ad huius vitæ sustentationem vel iucunda vel necessaria nobis videntur. Abnegatione ergo nostri ipsius & mortificatione carnis opus est, qua fit, vt in cœlestia intenti reliqua omnia facilè relinquamus, si ea nobis ad salutem æternam contendentibus sentiamus obstaculo esse. Deinde aliorum quoq; saluti pro sua virili consulant, & exemplo suo in viam reuocent omnes, quibus aliquando scandalũ præbuerunt. Iubet hoc charitatis lex, & idem Dei gloria postulat, quæ nõ alia re magis illustrari potest. Neq; pudeat eos sua probra prædicare, dummodo Dei iustitiam & bonitatem commendent, & alijs veræ pœnitentiæ authores sint. Fecit hoc olim Dauid in Psalmis suis, & Paulus frequẽter suæ aduersus ecclesiam truculentiæ meminit, vt Christi virtus clarius innotescat. Sed ô infelices & miseros, qui etsi per euangeliũ ad regni Dei consortium vocentur, & Christi nomine superbiant, hydrias tamen suas, id est carnem cum suis desyderijs non relinquunt, sed suam simul atq; aliorum salutem facile negligunt, scandala indies plura atq; nocentiora quibus suis obijciũt, neq; vlla gloriæ Dei cura tanguntur. Regnat hoc genus hominum hodie, & proinde nõ mirum videri debet, quòd vndiq; Dei ira mundo impio & incurabili imminet.

Officia contra uersorum.

Restat vt nuncij effectum videamus, quod Samaritana hæc suis Sichemitis attulit. Paucis hũc exponit Ioannes, dicens: Exierunt ex vrbe & venerũt ad Iesum. Fuit hæc admirabilis facilitas & magnum studij salutis publicæ simul & priuatæ argumentum. Nam si mulieris pristinam conditionem spectemus, omnia concurrunt, quæ illius prædicationem poterant suspectam facere. At quia illam sua peccata ingenuè confitentem & de Messia loquentem audiunt, cogitant tam subitæ conuersionis causas graues esse oportere, & proinde vocantem sequuntur: quod illis feliciter admodum cessisse postea audiemus. Erat hoc præludium vocationis gentium, quo simul arguebatur Iudæorum pertinacia, qui Messiam ex sua gente natum, & iam doctrina atq; miraculis illustrem recipere noluerunt: cùm Samaritanos meretricis oratio ad hunc quærendum excitare potuerit. Imitemur nos istorum exemplũ, neq; negligamus quas Deus nobis offert salutis occasiones, vt vt carni leues & ridiculæ videantur. Nec enim externus splendor in salutis negotio quæri debet, cuius author est Christus, quem in terris hisce serui formam gessisse, & hominum contemptissimum fuisse scimus. Et solet Deus in hac causa medijs obscuris et nullius pretij vti, vt bonitatis & gratiæ ipsius abundantia clarius illucescat. Agnoscamus ergo Iesum Christum esse promissum illum humani generis redemptorem, & relictis terrenis omnibus ipsum fide vera complectamur, vt illius merito redempti cum eo

Sichemitæ ad Christum exeunt.

dem in cœlis viuamus atque regnemus: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.

HOMILIA XXXI.

Interim rogabant eum discipuli, dicentes: Rabbi, comede. Ipse autem dixit eis: Ego cibum habeo quo uescar, quem uos nescitis. Dicebant ergo inter se discipuli: Num quis attulit ei quod ederet? Dicit eis Iesus: Meus cibus est, ut faciam uoluntatem eius qui misit me, & perficiam opus eius. Nónne uos dicitis, Adhuc quatuor mẽses sunt, et messis aderit: Ecce dico uobis, attollite oculos uestros et spectate regiones nam albæ iam sunt ad messem. Porrò qui metit, mercedem accipit, et cogit fructum in uitam æternam: ut & qui seminat, simul gaudeat, & qui metit. In hoc enim dictum illud uerũ est: Alius est qui seminat, & alius est qui metit. Ego misi uos ad metendum, in quo uos nõ laborastis; alij laborauerunt, & uos in labores eorum introistis.

AVdiuimus Domini nostri Iesu Christi cum Samaritana colloquiũ. Exhibuit in eo Christus singulare bonitatis suæ exemplum, quando infamẽ mulierem nõ modò ex peccati laqueis & interitu eripuit, verumetiam illius opera in alijs seruandis vsus est. At quia simul alius quiddam docere voluit, nimirùm iam instare tempus, quando ecclesiam ex omnibus populis colligi, & gentes quoq; ad salutis promissæ societatem adduci oporteat: commodè interea dum mulier in vrbem reuertitur, ea de re cum discipulis sermonẽ instituit, qui negotij istius ministri vel executores esse debebãt. Quod colloquiũ etsi priori breuius sit multò, tamen non minori diligentia à nobis consyderari debet, quia primò Christi ardens studium commendat, quo ille salutẽ nostram quærit: deinde ministros omnes sui officij admonet, adeoq; omnes homines de euangelij doctrina & prædicatione iudicare docet.

Christus undique captat docendi occasiones.

Occasionem dicendi sumit Christus à cibo, quem discipuli attulerant, sicuti paulò ante à potu occasione sumpta cum muliere de salutis causa disputauerat. Apparet in eo ardens & ad quamuis occasionem intentus animus, ne quid eorum prætermittat, quæ ad suorum institutionẽ facere poterant. Et simul admonemur, quàm facilis explicatu sit nostræ salutis ratio, cum ex re quauis peti possint similia et parabolæ, quibus ea illustretur. Quod enim hoc cap. in cibo et potu fieri videmus, hoc ipsum alibi facit in semente & agricultura, in re pastoritia, in piscatura, in coniugio & nuptijs, in mercatura: deniq; nihil ferè in quotidiano hominum vsu reperitur, quod ad nostram institutionẽ spiritus sanctus non accommodet. Quod vnum illorum ineptias abunde confutat, qui in ecclesia imagines & picturas prostare volunt, vt ex illis, ceu libris suis, fidei & salutis mysteria discãt, qui literarũ plane rudes sunt. Sed quia de his alibi diximus, nunc ad præsentis loci tractationem accedemus. Initiũ eius faciunt, vel potius præbent discipuli. Cùm enim Christum ex itinere fessum & longo ieiunio debilitatum esse scirent, nunc verò cogitationibus ita immersum viderent, vt cibum allatum & appositum quasi negligeret, illum vt comedat hortantur. Est hoc amoris indicium, & quòd eius valetudini consultum volunt: quo affectu nos erga omnes præditos esse cõuenit, qui vel nobis priuatim præsunt, vel publicam multorum salutem suo studio prouehunt atq; tuẽtur: quo in numero fideles ecclesiarũ ministri & pij magistratus imprimis censeri debent. Porrò respondet discipulis Christus: Ego cibum habeo quo vescar, quem vos nescitis. Id est, aliud nunc agendum instat, cuius vos nunc estis ignari, quod tamen adeò necessarium est, vt de illo potius quàm de cibo sumendo cogitare debeam. Et quia hoc dictum illi non intelligebãt, adeoq; mirabantur, vnde nam cibum aliũ habuisset, mox rem ipsam clarius exponit: Cibus meus est, vt faciam voluntatem eius, qui misit me, & perficiam opus eius. Ergo cibum suũ vocat id, in quo tunc occupatus erat, & quod vnum ita in animo suo versabat, vt nec cibi & potus, nec vllius præterea rei aliquam rationem haberet. Quo sensu Germani quoq; alicuius cibum & saturitatem esse dicunt illud, in quod vnum intentus est, & in quo omnem oblectationem & voluptatem quærit.

Quid

Quid verò illud est, in quo vno Christus occupabatur? Vt faciam voluntatem eius qui misit me, & opus eius perficiam, id est, vt patris voluntati me totum accommodem, & hoc fideliter atque magno cum fructu exequar, quod per me confectum vult. Hic ergo videndum erit, quæ nam illa patris voluntas sit. Explicat hanc Paulus, quando ad Timotheum scribens, ait: Deus vult omnes, id est, quosuis, vel cuiuscunque generis & conditionis homines seruari, & ad agnitionem veritatis venire. Et ipse Christus infra Cap. 6. eandem clarius exponens, dicit: E cœlo descendi, vt faciam nõ voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me. Hæc est autem voluntas eius qui misit me, Patris, vt quicquid mihi dederit, non perdam ex eo, sed suscitem illud in nouissimo illo die. Item: Hæc est autem voluntas eius, qui misit me, vt omnis qui videt Filium, & credit in eum, habeat vitam æternam, &c. Et Isa. 42. ipse pater filium alloquens, sic ait: Ego Dominus vocaui te in iustitia, & apprehendam manum tuam, custodiam te, & dabo te in fœdus populi, in lucem gentibus: Vt aperias oculos eorum, vt educas è carcere vinctos, de domo carceris sedentes in tenebris. Item Isa. 49. Leue sit, quòd seruus meus sis ad erigendas tribus Iacob, & ad reducendas vastitates Israelis: nisi te dedero, vt lux sis gentium, vt sis salus mea vsque ad extremum terræ. Dei ergo voluntas, & opus Dei hoc fuit, vt Christus Iesus homo factus miserum genus mortalium ex diaboli tyrannide asserat, salutifera veritatis luce illuminet, & regnum Dei passim in toto orbe terrarum instauret. Huius autem executioni filium destinauit, quia illud nec Moses nec prophetæ olim præstare potuerunt, & nemo hominum illud in semetipso præstare potest. De hoc igitur se solicitum esse ait, imò hoc sibi summo oblectamento esse, & proinde non posse se nunc vlli alij rei vacare, cùm illius perficiendi occasio sese offerat. Est autem multa consyderatione dignum ardens hoc studium Christi, quo se in prouehenda salute nostra flagrare testatur. Verè enim ab illo hoc dici, res ipsa docet. Nam vt hic sessus & anhelans, à cibo tamen abstinet, ne quam homines seruandi occasionem amittat: ita alibi quoque illum vel inter edendum docuisse & miracula fecisse, vel non sine valetudinis periculo cibum neglexisse legimus. Vide Luc. 7. 11. 14. Marci 3. Sed & aliquando, cùm totum diem in populo instituendo & curandis ægrotis consumpsisset, sub vesperam non de suo corpore reficiendo cogitat, sed auditores potius miraculosè cibat, ne qui in via deficiant. Nemo igitur de eius bonitate desperet, aut se ab illo contemni vel negligi arbitretur. Manet enim idem ille affectus in Christo, & per Euangelium adhuc hodie suam gratiam omnibus offert. Nec in quoquam nostrûm tam ardens esse potest salutis desyderium, quin illud Christi fames & sitis longè superet, qua nos seruare & in nobis Dei regnum instaurare cupit.

Salutis æternæ studium omnibus alijs negotijs præfertur.

At simul nostri nos officij admonet Christi exemplum, vt ipsi quoq; simili studio in Dei voluntatem intenti simus, & vocationem nostram omnibus ijs præferamus, quæ ad corporis nostri curam, siue commodum priuatum spectant. Docet sic ipse, quando Matth. 6. ait: Quærite primò regnum Dei & iustitiam eius, & reliqua omnia vobis adijcientur. Est enim regnum Dei quærere, illius voluntati sese accommodare, & postpositis omnibus alijs studijs illi sese subijcere, vt ipse in nobis imperium obtineat, & nos olim cœlestis regni gaudio fruamur. Hoc nobis cumprimis curæ esse debet. Nam etsi corpus curare & familiæ prospicere liceat, adeoque illud facere iubeamur, finis tamen istorum esse debet, vt ad Dei gloriam viuamus, & illi obsequium præstemus. Si qua ergo inter priuata hæc negotia occasio sese offert, qua Dei opus perfici potest, mox omissis illis, in hoc vnum nos intentos esse conuenit. Ita Christi exemplum Apostoli imitati sunt, qui ne pauperum quidem ecclesiæ mensas curare voluerunt, ne à cœlestis cibi dispensatione abstraherentur. Et eosdem non piguit totas noctes concionando transigere (vt in Paulo cernitur Act. 20.) quò plures Christo lucrifacerent. Quid ergo ad hæc respondebunt personati vicarij Christi & Apostolorum successores, qui vt terrena imperia administrare possint, docendi munus procul abs sese reijciunt? Quid item concionatores euangelici, qui vt maiori cum voluptate conuiuari possint, concionandi vices in alios, & sæpe homines ineptissimos transferũt? Vel etiam populum verbi Dei pabulo destituunt, dum ludicris ipsi studijs intenti sunt, & aucupia vel venationes sectantur? Non esuriunt illi neque suam ipsorum neque aliorum iustitiam, & proinde nunquam verè saturabuntur. At quod ministris dicitur, ad se quoque transferant qui magistratum gerunt, & quos publicæ salutis custodes atque vindices Deus constituit. Idem sibi dictum putent patresfamiliâs & quicunque iuuentutis

instituendæ munus sustinent. Denique priuatim singuli cogitent, in tuenda salute sua studio magno opus esse, & inexcusabilem esse nostram culpam, si Christo pro nobis tanta cura excubante, ipsi inertes & ignaui stertamus. Quòd si verò huius exemplum nos minus mouet, excitet nos præsens salutis periculum, quando constat nunquam quiescere communem nostrum hostem diabolum, sed rugiente leonis instar omnes nos perdendi occasiones studiosè obseruare. Clamabat olim contra ignauos vitæ huius temporariæ contemptores Satyricus:

Vt iugulent homines, surgunt de nocte latrones,
Vt teipsum serues, non expergisceris? At quantò rectius hoc in eos quadrat, qui satanæ insidias tuties experti, adhuc tamen periculum omne negligunt, imò illi sese circũueniendi occasiones præbent?

De euangelio per orbẽ diuulgando disserit sub messis parabola.

Sed ad Christum redeamus, qui sui dicti rationes subijcit, quibus & se rectè facere docet, & discipulos ad sui exempli imitationem excitat, adeoq; in locum cõmunem de Euangelio per totum orbem diuulgando digreditur. Primam à temporis circumstantia & præsenti rerum conditione desumit: & quia ex cibo occasionem de hac causa dicendi sumpserat, non inuenustè messis parabolam inducit, ex qua nobis victus maxima ex parte paratur. Ait enim: Nonne vos dicitis, Adhuc quatuor menses sunt, & messis aderit? Ecce dico vobis, attollite oculos vestros & spectate regiones, nã albæ iam sunt ad messem. Atqui de messe agrorum hoc dicere non potuit, à qua (vt ipse fatetur) ad huc toto quadrimestri spacio aberant. De spirituali igitur messe loquitur, quæ per Euangelij prædicationem perficitur, & quam messis corporalis pulchrè adumbrat. Vt enim in hac à terra cum suis culmis resecantur aristæ, & in aream delatæ triturantur, triticũ verò in granarijs seruatur, donec inde depromptum in panes formetur & cibus fiat: Ita terreni homines per Euangelij falcem resecti & abstracti à studijs suis, in Domini aream (quæ est ecclesia) adducũtur, & illic cũ quotidiana verbi prædicatione tum per crucem & afflictiones excussi & purgati à paleis reconduntur in regni cœlestis horrea, vt Dei cibus fiant, qui hominum salutem esurit, et illa maximè delectatur. Quò Beatus Ignatius respexisse videtur, qui (vt de illo Irenæus refert) ad bestias damnatus dicebat: Frumentũ Christi sum, & per dentes bestiarũ molar, vt mundus panis Dei inueniar. Quoad verò Christi verba, hic eorum sensus est: Quemadmodum maturæ segetes falcem postulant, neque messis diutius differri debet, nisi sperati fructus iacturam facere libeat: Ita quando homines salutis desiderio accensi, & quasi maturi ad regni cœlestis consortium sese offerunt, adhibenda omnino est falx Euangelij, neque conuenit, vt occasionem illam præterlabi sinant ij, quibus istud negotij Deus commisit. Alioqui & perditionis multorum authores erunt, & ex illorum manibus pereuntium sanguis requiretur. Atqui nunc occasio eiusmodi nobis offertur. Attollite enim oculos, & videte quantus ad nos fiat ex vrbe concursus eorum, qui omnes salutis desyderio flagrant, & in horrea regni cœlorum colligi cupiunt? His ergo lucrifaciendis nos iam intentos esse conuenit, non de perituro ventris cibo & corporibus nostris reficiendis cogitare, &c. Vtinam verò hæc Christi verba seriò expenderent Episcopi & Principes, qui hodie toto ferè mundo ad messem illam albicante, falcem tamen non adhibent, imò ne qui alij eam adhibeant, solicitè cauent, et perire potius volunt suæ fidei cõmissos, quàm ad veræ salutis societatem colligi: neq; suæ istius negligentiæ & tyrannidis aliam rationem habent, quàm quòd suæ existimationi & quæstui nihil decedere volunt. Dabunt illi graues pœnas, quando Dominus messis in magno illo die muneris sui rationem ab illis exiget.

Interim priuatim quoq; singuli hîc admonentur, ne à Deo sibi oblatas salutis occasiones negligant, quin potius vbi falcem euangelij iam in procinctu esse, & à Deo submissos messores in opere esse conspicantur, se quoq; metendos præbeant, ne in mũdi studijs miserè computrescant. Sed negligentiã nostram grauiter arguit Christus per Interrogationem, qua hîc vtitur. Discipulos enim perstrinxit qui (vt tenuioris fortunæ homines solent) messis futuræ tempus anxiè obseruabant, securi interim de messe illa fructuosiori & magis necessaria, quæ iam ob oculos versabatur. Atqui vulgò hoc ipsum fit hodie. Computant agricolæ, vinitores, diuites, pauperes, quot mensibus à messe aut vindemia absimus: norunt nundinas suas opifices & mercatores, ex quibus quæstum sperant, neque illas præterlabi patiuntur: obseruant cœli faciem agricolæ, ventorum & tempestatum signa nautæ: denig; mirũ est, quàm solertes & industrios plerique sese præbeant in ijs, quæ aut victui, aut lucro, aut etiam voluptati seruiunt. At quotus quisq; est, qui simili industria vel oblatas à Deo salutis occasiones, vel ita

vel iræ ipsius & pœnarum hoc nouissimo seculo nobis imminentium signa obseruet, & has quidem subterfugere, illis verò vti studeat? Possumus deplorare hanc mundi senescentis ignauiam, corrigere verò poterit solus Deus, qui vt id faciat, assiduis precibus solicitandus erit.

Sequitur secunda ratio, quam ab vtili deducit Christus. Qui metit (inquit) mercedem accipit. Vt enim messoribus sua merces numeratur: ita suæ etiam messis operarios Deus remunerare solet. Et mox mercedem hanc describens subijcit: Et cogit fructum in vitam æternam. Id verò bifariàm fit. Nam & sibijpsis thesaurum vitæ æternæ colligunt fideles ministri, inq; gaudiũ Domini sui olim ingredientur: & simul multos alios Christo adducunt, qui proprius huius messis fructus est, vt paulò ante Ignatij verbis docuimus, qui se Domini frumentum esse dicebat. Addit his: Vt & qui seminat simul gaudeat, & qui metit. At seminatores hîc dici patriarchas & prophetas, ex sequentibus intelligemus. Promittit ergo illos eius gaudij consortes fore, in quod iam olim ingressi sint sancti patres & prophetæ, qui agrum Domini studiosè colendo, veræ pietatis semina in toto orbe sparserunt. Conuenit his promissio, quam Daniel. 12. angelus pronunciat: Doctores splendebunt vt splendor firmamenti: & qui multos ad iustitiam adducunt, vt stellæ sempiternis temporibus. Quem verò non excitet tam multiplicis præmij promissio, in quo cum salute nostra multorum quoque aliorum salus & Dei gloria coniuncta est? Hoc certè quisquis negligit, is se non propriæ modò salutis negligentem, verumetiam ab humanitatis sensu alienum & impium in Deum esse prodit. At simul obseruabis, Christum mercedis nomine vti, non quòd Apostolorum meritis aliquid tribuat, sed vt nostro ingenio sese accommodet, qui promissionibus ducimur, & simul Dei bonitatem commendet, qui quod ipse per nos efficit, præmio tamen gratuito ornare dignatur. Conferendi sunt igitur cum hoc loco alij, qui hunc nodum soluunt. Alibi enim dicit Christus: Sine me nihil potestis facere. Ergo nec quicquam mereri possumus. Et Paulus de ministris ecclesiæ loquens, ait: Ministri sumus, per quos credidistis, & vt cuique Dominus dedit. Vide locum 1. Corinth. 3. Cui adde quod 2. Corinth. 3. habetur: Non quòd idonei simus ex nobisipsis ad cogitandum quicquam, &c.

Præmium promittit fidis ministris.

His tertium argumentum addit Christus à facili desumptum, quia alij iam olim laboris huius maiorem partem sustinuerint atq; superarint. Quod sic docet: Nam in hoc dictum illud verum est, Alius est qui seminat, & alius est qui metit. Quod verò inter comminationes legis de pœna impiorum habetur, hîc in sensum meliorem detorquet, docens, ipsos fructum percepturos aliorum partũ laboribus: sic tamen, vt hoc prioribus illis non fraudi sit, nec illi aliquam inde molestiam percipiant, vt aliàs fieri solet, quando agricolæ suas messes ab alijs intercipi vident. Quia enim ad eandem ecclesiã tam prophetæ quàm Apostoli pertinent, & eidem patrifamiliàs vtriq; seruiũt, nulla fit messis huius translatio ad alienos, sed ad Deum fructus omnis refertur, & proinde prophetis nulla est causa conquerendi, quòd laboris sui fructu frustrentur. Sed addit per expositionem: Ego misi vos, id est, destinaui vos mittere ad metendum, in quo vos non laborauistis. Alij laborauerũt, & vos in labores eorum introistis. Id verò de patriarchis & prophetis dicitur, quorũ opera et ministerio Deus vsus est mundo excolendo & præparando ad messem hanc euangelicam. Probè autem huic negotio similitudo conuenit. Vt enim sementis laboriosior est messe, & diuturniori molestia agricolas exercet, dum terram prius purgare, aratro proscindere, glebas confringere, & semente iam facta occas inducere, lolium & steriles auenas euellere, adhæc inter niues, pluuias, pruinas, grandines, & infinita tempestatum pericula laboris sui fructum expectare coguntur: Ita hîc, cùm totus mũdus superstitionibus, idololatria, portentosis de Deo deq; summo hominis bono opinionibus, adhæc sceleribus & flagitijs nefandis obsitus esset: multo labore opus fuit, vt his sublatis aliqua purioris cognitionis Dei & pietatis semina in hominum animis plantarentur. Fecerunt hoc patriarchæ primùm, quorum peregrinationes in terra Chanaan, in Ægypto & alijs locis huic negotio mirificè seruierunt. Secuti sunt prophetæ, quorum sermones longè lateq; per diuersas gentes fuerunt vulgati. Adiuuerunt causam hanc captiuitates & exilia populi, quæ is in Assyria, Babylone, et toto Oriente sustinuit. Quis enim dubitet, viros pios tunc multis veræ religionis rudimenta tradidisse, & hominibus cordatis fuisse authores melius sentiendi de Deo & illius cultu? Ex historijs certè constat, Persas & reliquos Orientis populos ab eo tempore minus habuisse superstitionum, & de Deo rectius sensisse, quòd nec templis includi, nec imaginibus effingi possit. Accessit his omnibus, quòd post captiuitatẽ Babylonicam Pto

Argumento à facili excitat Apostolos.

lemæus Philadelphus, Ægypti rex, sacros libros in linguã Græcã & transferri curauit, & illis in bibliotheca sua omnium totius orbis celeberrima locum dedit. Quod factum ad propagandam Dei veri & veterum promissionũ cognitionem plurimùm momenti habuit. Vt vero hæc magno cum labore facta sunt: ita omnes illi de suo labore vix quicquam sperare potuerunt, cùm spem suam modò publica suæ gentis consceleratione, modò nouis superstitionibus, modò bellorũ tempestatibus & exilio turbari viderent. Non tamen sua spes quantulacunq; illos fefellit. Nam quæ illi iecerũt semina, præter omnium expectationem mirificè conseruata sunt, & eadem Apostolis plurimùm profuerũt, cùm illi euangelium in mundo prædicarent. Videbant enim Iudæi nihil ab illis afferri, quàm quod olim prophetæ prædixerant, & ita facilius doctrinam istam admittebant. Imò in gentibus conuertendis prophetarum oracula multum momenti attulerunt. Ista enim occasione Æthyopem eunuchum à Philippo institutum esse Irenæus annotauit. Et quia illo tempore Iudæi per omnes vrbes & gentes dispersi erant, illisq; primis Apostoli prædicabant, magna hæc fuit gentibus occasio veritatem inuestigandi, cùm ab Apostolis prophetias adduci audirent, quas Iudæi pro oraculis diuinis agnoscebant, & ex illis ipsis Iudæorum superstitiones confutari viderent. Berrhœenses certè ea ratione in Christi cognitionem peruenisse, Lucas in Actis testatur: & lectu dignissima sunt, quæ Theodoretus Serm. 10. de Prouidentia de hac re scribit. De his autem discipulos Christus admonet, ne rem factu impossibilem sibi iniungi putent, & vt prophetarum exemplo excitentur, ne opus Domini ignauiter agant, cùm viam sibi iam stratam esse intelligant. Accommodent hoc argumentum sibi, qui hodie in ecclesijs aliorum studio & labore reformatis docent. Succrescũt in illis frequenter zizania, quæ vix euelli posse videntur. At non terreat illos rei difficultas, cùm à suis antecessoribus maiora multò feliciter confecta videant. Imò cogitent nulla venia dignam fore ipsorum ignauiam, si ab alijs extirpatos errores atque abusus denuò succrescere & dominari patiantur. Præterea vt Apostoli non alia messuerunt, quàm quæ olim prophetæ seminarant: Ita hodie non alia à ministris tradi & doceri debent, quàm quæ prophetarum sementi & messi per omnia conueniant. Nec enim alia semina, quam Domini frumentum ager iste admittit. Hinc ergo constat nec seminatores nec messores fidos esse, qui in ecclesia purgatorium docent, Missæ sacrificium prædicant, Diuorum inuocationem tradunt, indulgentias & Bullas Romanas vendunt, vel Dei cultum in luminaribus, suffitu, nolarum sonitu, cilicijs, cucullis, peregrinationibus, alijsq; huius farinæ frigidissimis ceremonijs constituunt. Quidnam vnquam horum seminarunt prophetæ, aut quid huius generis Apostoli messuerunt? Obseruemus item in hisce Christi verbis consensum veteris & noui testamenti. Si enim non aliud messuerunt Apostoli, quàm quod olim seminarant patriarchæ & prophetæ, constat vnam & eandem religionem & salutis rationem vtrobique tradi: quod mox videbit, quisquis fidei capita probè inspexerit. In hac ergo doctrina acquiescamus, & quem illi nobis tradiderunt, Iesum Christum vera fide amplectamur, vt in illo panes mundi facti cum eodem in cœlis viuamus atq; regnemus. Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

HOMILIA XXXII.

Ex urbe autem illa multi Samaritanorum in eum crediderunt, propter sermonem mulieris, testantis quòd dixisset sibi omnia quæcunq; fecisset. Cùm ergo uenissent ad eum Samaritani, rogauerunt eum ut apud se maneret: & mansit ibi duos dies, & multò plures crediderunt propter sermonem ipsius, & mulieri dicebant: Non amplius propter tuum sermonẽ credimus: ipsi enim audiuimus & scimus, quòd hic est uerè Seruator ille mundi, Christus. Post duos autem dies exijt inde, & abijt in Galilæam. Ipse enim Iesus testatus fuit, quòd Propheta in sua patria honorem non haberet. Cùm autem uenisset in Galilæam, exceperunt eum Galilæi, cùm omnia uidissent quæ fecerat Hierosolymis in die festo: nam & ipsi uenerant ad diem festum. Venit porrò Iesus iterum in Cana Galilææ, ubi fecerat ex aqua uinum.

Omnia

OMnes quidem suæ bonitatis thesauros, & quæcunque nobis ad salutem necessaria sunt, Deus in filio suo Iesu Christo exhibuit: non tamen in illo salui fiunt quotquot eius nomine & fide in illum gloriantur, nisi suæ professioni respondeant. Testatur hoc ipse Matthæi 7. dicens: Non omnis qui dixerit mihi Domine Domine, introibit in regnum meum, sed qui fecerit voluntatem patris mei qui in cœlis est. Idcirco scriptura non modò docet quis nam sit Christus, & quid is propter nos fecerit aut passus sit: sed exempla quoq; proponit, tam eorum qui illū vera fide amplexi & in eo salutem assecuti sunt, quàm aliorum qui ipsum reijciendo æternæ damnationis pœnas incurrerunt: vt ex ijs discamus, quid nos facere, quidue omittere conueniat. Facit huc quàm maximè præsentis loci cōsideratio, qui vtriusq; generis exempla continet. Principiò enim Sichemitæ producuntur, qui per mulierem euocati, in illum crediderunt, & fidem suam publicè confessi sunt. Deinde Galilæi, qui ex signis antea visis occasionem sumpserunt præclarius de illo sentiendi, & proinde illum ad se venientem honorificè exceperunt. Quibus omnibus medij interseruntur Nazarethani, Christi conciues, à quibus ignominiosè est reiectus. Singula autem hæc ex ordine inspiciemus, vt plus ex illis ad nos vtilitatis redeat.

Sichemitæ Christo credunt.

De Sichemitis initiò in genere dicitur, quòd multi eorum crediderint propter sermonem mulieris, quæ à Christo sibi dicta esse testata fuerat, quæcunque fecisset. Vbi credendi verbum non propriè de fide plena & perfecta, sed pro fidei principijs vsurpatur, & proinde sensus est, Quòd mulieris narratione excitati, Christum Prophetam & veritatis doctorem esse crediderint: quæ causa fuit, quòd ad illum egressi docentem coràm audierunt, & in fide maiores fecerunt progressus. Prodest autem singula quæ de illis dicuntur excutere, vt intelligamus quo ordine nos etiam in fide progredi oporteat. Primò non aspernati sunt salutis nuntium, quàmuis illud per mulierem sua libidine infamem ad ipsos esset delatum. Est hoc cum primis necessarium, ne veritatis doctrinam propter præcones obscuros & contemptos suspectam habeamus. Solet enim Deus, vt sibi cedat omnis nostræ salutis gloria, ministris & instrumentis cōtemptibilibus vti, quemadmodū Paulus 1. Corinth. 1. prolixè docet. Neque conuenit, vt huius seculi fastum atque splendorem in ijs quæramus, quæ regnum Christi attinent, quod de hoc mundo esse ipse negat. Deinde ex vrbe ad Christum egrediuntur, vt illum audiant, quem mulier tam magnificè commendabat. Est hoc zeli & studij ardentis argumentum: simulque patet, inter Samaritanos iam pridē vulgatas & in omnium ore fuisse promissiones de Messia, & illos ardenti eius desyderio flagrauisse. Rectè ergo Christus illos segeti ad messem maturæ similes esse dixit. Et simili studio ad Christum extra mundum hunc exire eos oportet, qui salutem in illo consequi volunt: vt nimirum omnia, quæ in hoc mundo chara & pretiosa habent, sponte relinquant, quò facilius Christum apprehendere possint. Quem affectū in se fuisse Paulus ad Philip. scribit, & illius facta abundè testantur. Et quàm parum proficiant in salutis negotio, qui eo nō sunt præditi, ipse Christus docet, quando eos non idoneos esse dicit ad regni sui possessionem, qui à tergo respiciunt, vbi manum aratro admouerunt: & alibi monet, vt memores simus vxoris Lothi, quam à salute sua excidisse Moses scribit, eò quòd è Sodomis digressa, nō tam corporis quàm animi oculis ad illam respiceret. Tertiò, cùm nonnulla ex Christi ore audiuissent Sichemitæ, quibus mulieris de illo testimonium confirmabatur, rogant illum, vt apud ipsos manere & in Sychar domicilium sibi cōstituere dignetur. Quo facto vt suū amorem testantur: ita honore summo illum afficiunt, quādo seipsos simul & suæ ciuitatis ius illi sponte offerunt. Est hīc proprius fidei effectus. Quia enim in vno Christo salutem omnem repositā esse nouit, huic totū hominem ita vendicat, vt ad eius nutum omnia suæ parata habeant, quicūq; illū semel apprehenderunt, & nec eius cōtemplatione satiari, neq; ab illo ratione vlla diuelli possint. Quapropter satis apparet à Christi spiritu alienissimos esse omnes eos, qui vt mundi amicitia & fauore frui possint, Christum cum suo Euangelio quàm longissimè à suis finibus relegare solent: & ex eo sibijpsis pacem pollicentur, si neminem in sua ditione ferant, qui mūdo inuisam doctrinam annuntiet. Quartò, qui ex mulieris sermone prima fidei semina conceperant, nunc verè credunt propter ipsius Christi sermonem, quem audiebant. Ergo non à muliere pendent deinceps, cuius ministerio Deus apud illos vsus fuerat, sed Dei verbo viuo, adeoq; ipsi Christo fides illorum innititur, quem verum fidei nostræ fundamentū esse, scripturæ passim docent, & in quo vno nobis est acquiescendum. Quoad enim aliò respicimus, non potest non fluctuare fides nostra, quando

Quo ordine in fide progredi debeamus?

extra Deum & verbum eius nihil per omnia absolutum & sibijpsi perpetuò constans reperitur. Itaque de verbi ministris nos iudicare docet locus iste. Vtitur quidem illorum ministerio Deus, & per illos fidem largitur, vt Paulus ad Corinthios scribit: sed nõ in illis hærere, nec ab eorum authoritate pendere debemus, quin potius in vnum Deum intenti esse, & in Christo Iesu tam fidei quàm salutis nostræ certitudinẽ quærere: qui ideò prophetarum & Apostolorum fundamentum dicitur, quòd his omnes in illo vno omnia monstrauerunt, quæ ad salutem nobis necessaria sunt. Quare noxium admodum illorum error est, qui ministros in eum authoritatis gradũ euehunt, vt eos tantùm non eximãt ex hominum numero, dum quæcunq; illi ex suo etiam cerebro proferunt, pro oraculis habent, de quibus vel minimùm dubitare nefas sit. Peperit iam olim nimia ista reuerentia tyrannidem in ecclesia, eò quòd multi Episcopi facilitate populi ad suam ambitionem, imò ad stabiliendos errores suos turpiter abusi sunt. Et hodie non aliud est, quod dissidia magis foueat & augeat, quàm quod plerique ab hominum authoritate pendent, nec scripturas propius inspiciunt, vt ipsum Christũ in illis loquentem audiant. Similis planè est eorum ratio, qui ecclesiam semper in ore habent, illam errare posse negant, imò huius iudicio Dei verbum subijciunt. Nam hi quoque manifestos errores pertinaciter defendunt, qui semel in ecclesiam irrepserunt, licet illos Dei verbo palàm aduersari videant. Abuntur illi Augustini dicto: Euangelio non crederem, nisi me ecclesiæ moueret authoritas. Atqui ille Augustinus non de fidei suæ fundamẽto, sed illius principio, adeoq; prima occasione loquitur, quæ inter externa animum eius ad credendum excitauit; Nimirum, quòd admirabilem totius ecclesiæ per orbem dispersæ consensum, martyrum constantiam & piorum mores sanctissimos videret. Sed cur non ijdem Augustinum audiunt, qui Samaritanam hanc ecclesiæ typum fuisse scribit, & ex hoc loco docet, quo ordine in conuertendis exteris & alienis à fide Deus vtatur: eo nimirum, quòd per ecclesiam, id est, ordinarium ecclesiæ ministerium illis primò Christũ prædicat, mox verò ipsius Christi discipulos facit, qui ab illo vno pendent, & ne angelis quidẽ diuersum ab illo docentibus credunt, sicuti Paulus ad Galatas monuit.

Confessio Sichemitarum.

Cæterùm ad Sichemitas nostros reuertamur, de quibus hoc etiam dicitur, quòd fidem in Christũ publicè sint confessi, & sic quidem, vt nesciam an similis fidei confessio illo tempore à quoquam facta. Ipsos certè discipulos tunc nondũ eò vsq; progressos fuisse constat. Nam etsi Dei filium & Messiam esse agnoscerent, regnũ tamen eius fingebant terrenum, & quod angustis Iudææ finibus concluderetur. Isti verò, Audiuimus (inquiunt) & scimus, quòd hic est verè Seruator ille mundi, Christus. Audiendi & sciendi verbis primò fidei suæ originem & fundamẽtum indicant, Dei verbum illum ab ipso Christo prædicatum: deinde eiusdem certitudinem infallibilem testantur. Mox Christum vel vnctum agnoscunt, id est, promissum illum regem & sacerdotem, quẽ patres sancti fide firma & ardenti desyderio expectarint. Addunt his, quòd nõ vnius gentis modò, sed totius mundi Seruator sit. Rectius igitur multò quàm Iudæi promissionem Abrahamo factam intellexerunt: Benedicentur in semine tuo omnes gentes. Neq; pudet eos tam magnificè de illo loqui, quẽ ex inuisa Iudæorum gente profectum, & absq; comitatu splendido aduenisse videbãt. Atqui hæc sunt fidei veræ exercitia, quæ ex modicis principijs enata eò vsq; progreditur, vt dictis simul et factis, imò tota vita ipsa prodat. Nobis verò in istorum consyderatione sic versandum est, vt & Dei bonitatem admiremur, qui istos tanta gratia & tam plena veritatis cognitione illuminare dignatus est: & ex illis exempla petamus, quod imitemur. Vt enim horum exemplo Iudæi damnantur, qui cùm plura haberent fidei & salutis adminicula, Christo tamen pertinaciter reluctati sunt: ita simul omnes eos damnabit, qui Iudæorum similes, Euangelij doctrinam improbè reijciunt. Obseruemus præterea Christi facilitatem, qua illorum precibus cedit, & toto biduo cum illis manet, quod tempus illis instituendis & confirmandis sufficere sciebat. Et videtur consultò noluisse diuturniorem inter illos moram trahere, ne vel discipulis vel reliquis Iudæis scandalum præberet, qui Samaritanorum consuetudinem non sine grauibus causis abominabantur. Imò verisimile est, ex hoc facto hostes eius occasionem arripuisse, vt Samaritanum dicerent. Nos verò ista Christi facilitas excitet, vt inter nostrorum temporum pericula, quibus ecclesia infestatur, ipsi quoque Christum assiduis precibus solicitemus, ne à nobis discedat, sed suo verbo & spiritu nos regat, vt maiores quotidie in vera pietate progressus faciamus.

Sequitur

Sequitur Nazarethanorum ingratitudo & pertinacia, quam credentium exemplis mediam interponi diximus. At quia hic præter morem suum breuior est Ioannes, locus hic multis obscurior videtur. Dicit enim: Post duos dies abijt inde, & discessit in Galilæam. Ipse enim Iesus testatus fuit, quòd Propheta in sua patria honorem non haberet. Voluit autem Ioannes paucis absoluere, quod ab alijs euangelistis prolixius narratum esse sciebat: & ideo breuius modò perstringit historiã, quæ Nazarethi accidit, quæ ex Lucæ cap. 4. hic inseri debet. Ex Sichem enim digressus Iesus in Galilæam, rectà Nazarethum profectus est, vt gratiam bonam ei verbi referret, in qua educatus fuerat. Itaq; in Synagoga illorum concionem de seipso ex Isaia luculentam habuit. Mirantur illi gratiam singularem dicendi, neq; habent quod contradicant: non tamen credunt eius doctrinæ, sed cum fastidioso contemptu parentes obscuros & artem manuariam illi exprobrant, quam aliquãdo inter ipsos exercuerat: neq; putant pro Messia eum esse habendum, qui suis cognatis & consanguineis non melius prospiciat, sed inopes & cõtemptos viuere patiatur. Corripit illorum peruersum iudicium Christus, & exemplis aliquot repudium ipsis denunciat. Illi verò magis exacerbati, recta monentẽ ex rupe præcipitare volunt, miraculose tamen per medium illorum Iesus transiens, crudeles & nefarias ipsorum manus euasit. Ad ista ergo respiciens Ioannes, causam modò reddit, cur Christus in Galilæam profectus, non potius patriam suam, quàm alias vrbes, doctrina & miraculis suis illustrauerit, nimirum quòd ingratos deprehendisset, & in se quoq; experiretur: quod vulgo fit, vt familiaritas & consuetudo prophetis inter suos agentibus, ferè fidem & authoritatẽ omnem adimat. Nolunt enim ab illis discere plerique, quos à pueris nouerunt familiarius, & quoad huius seculi dignitates sibi nullo modo conferendos esse sciunt: & ideo peregrinos magis admirantur, de quibus quid nouum & insolẽs sibijpsis promittunt. At nobis hic duo veniunt obseruanda. Primum, ex eo ferè ministrorum simul & doctrinæ contemptum enasci, si in solam speciem externam intenti, relucentis in ipsis gratiæ diuinæ indicia negligamus. Hoc certè Nazarethanis istis imposuit, quòd inopes Christi parentes & in opere manuario transactam maiorem ætatis partem potius respiciunt, quàm virtutẽ diuinam, quæ in eius dictis & factis relucebat. Atqui eò magis illam agnoscere debebant, quòd nullo huius seculi splendore obfuscaretur. Sed hoc ferè est carnis nostræ ingenium, cuius rationem audire periculosum est in ijs, quæ ad regnum Dei faciunt. Vbi enim hoc semel fieri cœperit, nouis subinde progressibus crescit impietas, & tandem in manifestam rabiem exit, sicuti in Nazarethanis istis est videre. Alterum, quid manifestos Christi hostes & euangelij contemptores maneat. Corripiuntur primò acerbius, & minas audiunt qui promissiones audire noluerunt. Deinde aliorum exemplis arguuntur, & inexcusabiles fiunt. Postremò discedit ab illis Christus, & secum vnà aufert benedictionem Dei, in cuius locum maledictio succedit & ira Dei, quæ illos malis assiduis & indies magis crescentibus exagitat.

Nazarethanorum incredulitas & ingratitudo.

Cæterùm relictis Nazarethanis, alios Galilæos videamus. Nam ex patria sua digressus Christus, primò (vt Marci 6. habetur) in diuersis locis Galilææ docuit, deinde Capernaũ descendit, quã Domini ciuitatem aliqui dixerunt, eò quòd illic hospitium haberet, quò se recipere solebat. De omnibus verò istis dicit Ioannes, quòd eum exceperint, cum prius omnia vidissent, quæ Hierosolymæ fecerat in die festo. Et paucis verbis illorum pietatem egregiè cõmendat. Cuius non vulgare indicium est, quòd cùm scribarum & sacerdotum auaritia horribilem sacrorum & diuini cultus corruptionem inuexisset, illi tamen à Deo instituta sacra non negligunt, & ad dies festos religiosè ascendũt. Deinde cùm illic vidissent Christi opera miraculosa, & quòd impios nundinatores sacrorum templo eiecisset, mox in illo virtutẽ humana maiorem agnoscunt, & ex eo tempore de illo honorificè sentire incipiunt, quàmuis illum sacerdotibus inuisum esse, & illorum iudicijs damnari scirent. Nunc verò ad se veniẽtẽ amicè excipiunt, & doctrinæ eius fidem, quam merebatur, adhibẽt. Inter alias verò ciuitates Galilææ Cana potissimùm nominatur, quam miraculo aquæ in vinũ conuersæ Christus antea celebrẽ fecerat, & eandem nunc denuo inuisit, vt quæ illic iecerat fidei semina magis excolat, & ad suam maturitatem perducat. Imitati sunt postea Christi exemplum apostoli, quando ecclesias abs se plantatas inuiserunt, vel per literas officij admonuerunt, ne aliquorũ insidijs euerterentur. Quod ipsum hodie facere debent omnes, quibus ecclesiæ suæ curam Deus cõmisit. Est autem consolationis plenum exemplum hoc, quo docemur, nunquã locum deesse Christo vbi recipiatur, licet

Galilæi Christum recipiũt.

pleriq; illum reijciant. Imò plerumq; fit, vt viles & contempti homines eum recipiant, dum à claris & doctrinæ atq; religionis titulo eximijs reijcitur. Neminem ergo mundi huius iudicium offendat, sed istos imitemur, quorum fidem & pietatem spiritus sanctus prædicat. Vidimus nostro seculo multa, quibus diuinã suam virtutẽ Christus cùm publicè tum priuatim demonstrauit. Venit idem illo ad nos quotidie, & per verbum suũ sese nobis offert. Excipiamus ergo eum gratis animis, & in illo viuemus tam in hoc quàm futuro seculo. Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.

HOMILIA XXXIII.

Erat autem regius quidam, cuius filius ægrotabat in Capernaum. Is cùm audisset Iesum ex Iudæa in Galilæam uenisse, abijt ad eum, & rogauit eum ut descenderet & sanaret ipsius filiũ: erat enim moribundus. Dixit ergo illi Iesus: Nisi signa & prodigia uideritis, non credetis. Dicit ad eum regius ille: Domine, descende priusquam moriatur filius meus. Dicit ei Iesus: Vade, filius tuus uiuit. Credidit homo sermoni, quem dixerat ei Iesus, & profectus est. Iam autẽ eo descendente, serui illius occurrerunt ei, & renunciauerũt dicentes: Filius tuus uiuit. Sciscitatus ergo est horam ex eis, in qua melius habuisset, & dixerunt illi: Heri, hora septima reliquit eum febris. Agnouit ergo pater illã ipsam horam fuisse, qua dixerat illi Iesus, Filius tuus uiuit. Et credidit ipse, ac domus eius tota. Hoc rursus secundum signum edidit Iesus, cùm uenisset ex Iudæa in Galilæam.

VIdimus hucusq;, vt Dominus noster Iesus Christus aliquot priuatis colloquijs docuerit, se promissum illum esse humani generis seruatorẽ. His verò exempla interposuit Ioannes tam credentium, quàm eorum qui illum improbè reiecerunt: vt ex ijs omnes discant quid sibi facto opus sit. At quia multi nudis verbis se duci non sinunt, sed quod docetur, reipsa & manifestis signis probari volunt: narrationi suæ, vel potius historiæ euangelicæ, signa quædam illustriora interserit, quibus suam doctrinam Christus, ceu sigillis quibusdam confirmauit, & se eum esse palàm ostendit, quem se esse prædicabat. Inter quæ admodum memorabile est, quod modò recitauimus. Docet enim Christo vitæ & mortis imperium esse, & hæc illum pro suo arbitrio dispensare, & proinde verum esse Messiam, in quo olim promissam salutem nobis Deus exhibuerit. Quod cùm paucis potuisset dici, rem gestam cum omnibus circumstantijs diligenter exponit euangelista, vt & virtus Christi diuina magis eluceat, & nos in fide confirmemur, qua sola beneficiorum Christi omnium consortes fieri possumus. Quare proderit singulas historiæ totius partes diligentius inspexisse.

Regij filius ægrotat.

Principiò ij producuntur, in quibus signũ hoc fuit editum. Erat (inquit) regius quidam, cuius filius ægrotabat in Capernaum. Regium dici quidam putarũt, quòd regio genere natus esset: sed hoc friuolum est, quando constat nullos tunc in Iudæa fuisse, qui tali dignitate gloriari auderent, nisi quos Romanorum Cæsarum fauor euehebat. Verius ergo sentiunt, qui ita dictum putant, quòd ex aulicorum Herodis numero esset, vel Capernai munus aliquod publicũ ex eius mandato sustineret. D. Hieronymus in Isaiam Cap. 65. palatinum vocauit. Summæ certè authoritatis & dignitatis virum fuisse apparet, quocunq; illũ nomine appellaueris. Huius filius ægrotabat, imò iam vicinus erat morti, vt postea dicetur, id quod Christo signi edendi occasionem dedit. At nos ista personarum descriptio admonet, honores & dignitates huius seculi neminem eximere à communi sorte mortalium quò minus morbis, inopiæ, infamiæ & omnibus alijs aduersis obnoxius sit, quibus in hac vita cõtemptissimi quiq; exercentur. Quia enim hæc humanæ naturæ ex primi parentis lapsu adhærent, à nemine hominum aliena censeri debent. Est hoc probatum omnium seculorum exemplis, & quotidiana multa fiunt, quæ his fidem faciunt, vt vetera exempla adducere non sit opus. Quàm multi enim diuites, imò principes è suo gradu deiecti, ignominiosè oberrant & egent? Quàm multi inter medias

opes

opes & omnigena voluptatum instrumenta diris morborum incurabilium cruciatibus exercentur, aut curis indesinentibus conficiuntur, aut horrendis conscientiæ stimulis excarnificantur? Neq; ista impijs modò accidunt, verumetiam electis & veris Dei cultoribus, sicuti in Dauidis, Ezechiæ, palæstini huius & multorũ similium exemplis videmus, quos euangelica historia proponit. Ergo vtcunq; multi opibus, dignitatibus & lætis fortunæ ridentis successibus fruantur, homines tamẽ sunt, & ideo Dei gratia per Christum nobis exhibita non minus opus habent, quàm ij, quos propter egestatem & miserias suas ipsi modò fastidiosè contemnunt. Quia tamen ea est multorum stupiditas, vt hoc non obseruent, & interim vt semidei quidam sibijpsis delitias faciant, dum felicitatem perpetuã sibi pollicentur: scriptura de istis sæpe nos admonet, & exempla eiusmodi oculis nostris ingerit: in quorum meditatione nos crebrò atq; diligenter versari decet. Hæc enim opulentos & magnates ad seriũ pietatis studium excitat, in quo plerunq; nimis frigidi languent. Eadem charitatem nobis commendat, vt eò faciliores simus & promptiores in subleuandis fratrum calamitatibus, quando nos ijsdẽ obnoxios esse cogitamus. Facit denique, ne quem contemnamus propter miseriam suam, quæ in nos quoque cadere potest, si ita Deo videatur.

Cur in illustri persona signũ ediderit Christus

Obseruemus quoq;, quòd signum hoc secundum, quo inter Galilæos suam gloriã Christus manifestauit, in tali persona edidit, cùm nõ deessent infiniti alij, qui & morbis lætalibus discruciabãtur, & simul inopes egebant. Etsi enim alios non contempserit, hunc tamen in præsenti sibi deligit, vt primò quidem miraculum sit illustrius, & proinde plures quoq; in salutis cognitionem inducat: Deinde vt ostendat suum meritum ad principes quoq; & ad eos qui in summa dignitate constituti sunt, pertinere. Est hoc cognitu perquàm necessarium. Habent enim illi homines multa, quibus à vera salutis ratione auocantur, & multa quotidie faciunt præter officium, quibus Dei ira contra ipsos accenditur. Quæ causa est, vt multi temere omnes damnent, qui in aliquo sublimiori dignitatis gradu supra alios eminent: & ipsi quoq; interdum in graues tentationes incidunt, & de salute sua desperant, quando illis in mentem venit, quot modis Deum offenderint, cuius bonitatem & singularẽ gratiam toties sunt experti. Ne ergo vel ipsi propter conditionem suam desperent, vel hanc alij damnent, vt in qua aliquem saluum fieri impossibile sit: exempla multa scripturæ proponunt, tam sanctorũ, qui magistratum magna cum laude gesserunt, quales fuerunt Ioseph in Ægypto, Moses, Iosue, Dauid, Ezechias, & in nouo Testamento Iosephus Arimathæus: quàm eorum, qui cùm magistratus officia obirent & à Dei veri cognitione alieni essent, in ea tamen conditione per Dei gratiã illuminati & à superstitionibus conuersi sunt. In quorũ numero censeri debent Naaman Syrus, Centuriones item euangelici, Paulus Sergius Cypri proconsul, & palatinus hic noster, quem nec honores huius seculi, nec Herodis libidinosi & incesti exemplũ remorari potuit, quò minus ad Christũ accederet, qui oues suas nouit, & easdem suo tempore vocat, nec aliquem suorũ è manibus suis sibi eripi patitur. Hinc ergo tales consolationem petant, simulq; vocanti Deo obtemperent, & huius bonitate experti, ipsius exemplum imitentur, ne æquo rigidiores sint erga eos, quos ipsorum fidei Deus concredidit.

Regius opem Christi implorat.

Cæterum videamus, quid hic fecerit, vt illius exemplo omnes erudiantur, qui huius sunt loci & ordinis. Audiuit Christum ex Iudæa in Galilæã redijsse, & haud dubiè ad aures illius peruenerant eius signa, quæ Hierosolymæ in die festo ediderat. Ad illum ergo profectus rogat eum, vt secum vsq; Capernaum descendat, & filium iam moribundum valetudini meliori restituat. Inde verò occasione sumpta Christus non tam illius quàm Iudæorum omnium incredulitatem & pertinaciam corripit. Dicit enim: Nisi signa & prodigia videritis, non credetis. Et meritò quidem eos reprehendit, quòd in sola signa intenti verbũ eius supini negligerent, quod omnibus signis & prodigijs longè debet præferri. Nam etsi Deus verbo suo interdum signa & testimonia externa adhibeat, id tamen ferè circa initium modo facere solet, quando doctrina noua & inaudita prius ampliorem confirmationẽ requirit. Sic olim Legem prodigijs & signis confirmari oportuit, euangelij item doctrinam, cùm inter gentes prædicaretur, quæ prius nihil huius audiuerant. Vbi verò constat Dei verbum esse quod proponitur, signis minimè opus est, & qui illa requirunt, atrocem Deo iniuriam faciunt, dum illius verba testimonijs alijs confirmari cupiunt. Quia ergo Christi doctrina cum Lege & prophetarum oraculis conueniebat, quæ Iudæi spiritu sancto authore edita esse fatebantur, iure illis succenset Dominus, quòd illa neglecta à nudis signis penderẽt. At quod his dicitur, nostri quoq; seculi hominibus dicitur,

qui à nobis signa petunt, quibus euangelij doctrinam confirmemus. Atqui hanc Christi doctrinã esse constat. Quæ ergo impudentia est, Christi verba ab ijs in dubium vocari, qui Christiani dici volunt? Sed ad palatinum hunc nostrum redeamus, qui etsi à Christo corripiatur, non tamen ab illo resilit, nec (vt aulici ferè solent) ipsi audacter obloquitur, aut se ab ipso indignius tractari clamat: sed rogando pergit, donec impetret quod postulabat.

Afflictionum utilitas.

Quo exẽplo docemur, quàm magna ad electos ex afflictionibus vtilitas redire soleat. Nam etsi prius quoq; de Christo hic multa audiuisset, & illum in prophetarũ numero haberet, non tamẽ illum accessit, nec doctrinæ eius auditorem siue sectatorem sese præbuit: nimirùm propriæ dignitatis illecebris & Herodis authoritate impeditus, ne vel hunc offenderet, vel illam prostituere videretur. Et verisimile est, ipsum filio prius remedia omnia adhibuisse, quibus morbum depelli posse sperabat. At vbi nihil profecit, & de filij vita iam desperatum esse videt, nisi Deus singulari beneficio eum restituat: mox depositio omni Herodis metu, nec vlla habita suæ existimationis ratione, ad Christum confugit, ab illo consilium & auxilium postulans. Fit hoc frequenter, & in nobis ipsis sæpius idem experimur. Nam etsi omnes fateamur ab vno Deo per nomẽ Iesu Christi petenda esse quæcunq; nobis ad corporis simul & animæ salutem necessaria sunt, huius tamẽ in secundis rebus facilè obliuiscimur: imò incidentibus aduersis, ad carnis præsidia ferè cõfugimus, neq; de Dei ope seriò cogitamus, donec necessitas ipsa nos ad illum conuerti, & ab illo vno auxilium postulare cogit. Non mirum ergo, si nos in extremas vsque angustias Deus detrudi patiatur, quando ad illum quærendum non aliter excitari possumus.

Electi etiã suis vitijs laborant.

At simul videamus, qualem se hîc gerat palatinus iste, & patebit in electis tunc quoq; infirmitatis fidei & innatæ vitiositatis indicia comparere, quando imprimis officiũ facere videntur. Nam bene quidem facit iste, quòd in extremis agente filio ad Christum confugit, de quo iam existimationem bonam conceperat. Idem tamen peccat, quòd nunc demum venit, quando in humanis nihil spei superest, quòd corporali eius præsentia opus esse putat, quòd illi præscribit, quòd ipsum priusquam filius moriatur festinare iubet. His enim omnibus satis testatur, se in Christo nihil adhuc maius agnoscere, quàm virtutem propheticam: non autem talem credere, qui verus sit Dei filius & Deus verus, quiq; absens etiam absentem curare, imò iam extinctũ in vitam reuocare possit. Quantò igitur præstantior fuit Centurionis fides, qui Matth. 8. se indignum fatetur, sub cuius tectum Christus ingrediatur, neq; hoc facto opus esse ait, cùm vnico etiam verbulo vim morbi à famulo ægrotante depellere queat? Quid? quòd de sua incredulitate, quæ illi cum Iudæis omnibus cõmunis erat, iste admonitus, non petit, vt sibi ignoscat Christus & fidei ipsius labascenti succurrat, sed de sola filij valetudine solicitus, illum nimis importunè vrget, vt secum descendat, priusquam filius morte intercipiatur? Sunt hæc eiusmodi, vt excusationem nullam admittant, si pro suo iure nobiscum agat Deus. Quò magis exosculari debemus Christi bonitatem, qui talem non abiecit, nec de salute nostra & Dei gratia desperare, si quid simile in nobis deprehendamus. Horum item memores, non temere damnemus eos, in quibus infirmitas eiusmodi elucet. Potest enim eos confirmare Deus, qui per nos quoq; precibus assiduis solicitari debet, vt & nostram & aliorum hominum fidem adaugeat.

Christus verbo suo morbum depellit.

Sequitur miraculum, quod paucis describitur, vt non in verbis hæreamus, sed diuinam Christi virtutem diligẽter expendamus. Patri enim ipsum pertinacius vrgenti dicit Christus: Vade, filius tuus viuit, id est saluus est & incolumis. Nam viuendi verbo vtitur phrasi Hebraica, & illo totius hominis incolumitatem comprehendit. Neq; vanam fuisse promissionem, rei euẽtus declarauit. Ea ipsa enim hora (vt serui postea renunciant) subitò conualuit, qui iam iam moriturus iacebat. Vbi quid primum miremur fratres? Christi ne bonitatem, qui patris huius ineptias tam patienter tulit? an verò potentiam, qua absens absenti opem tulit, & moribundũ ex mortis faucibus eripuit? Quin potius vtrumq; simul obseruemus, quando (vt Cyrillus ait) duos eisdem verbis curauit: nam & patris animũ ad fidem induxit, & à corporis morbo filium liberauit. Sed quid duos dico, cùm totam huius palatini familiam hoc facto sibi lucrifecerit, quã numerosam fuisse non est dubium? Ergo fidem quantumuis modicam & infirmam Christus non abijcit. Cur enim hoc faceret, qui laborantes & oneratos ad se venire iubet, & ægrotantiũ medicum se esse profitetur? Soletur hoc nos in tentationibus, nec quisquam desperet, si fidem suam non omnibus numeris absolutam esse sentiat. Nam (vt

(vt verissimè quidam dicunt) non propter fidem, ceu opus operatum vel meritum, sed per fidem nobis salus datur. Et licet illa infirma sit, Christum tamen apprehendit, qui nostra est perfectio, & qui nostris vitijs sarciendis abundè sufficit.

Proderit autem modum obseruare, quo hunc è morte asseruit Dominus. Petit quidem pater, vt Capernaum vsq; secum descendat, & filio medeatur. At non in eo ipsi morem gerit Christus, sed absens occulta suæ diuinitatis virtute illum curat, & hanc solo verbo patri proponit. Est ergo vitæ & mortis Dominus, & proinde seruator mundi, cui nos tutò possumus fidere. Quid enim illum non facturum putemus, si potentiam suam plenè exerat, cuius verba tam efficacia esse videmus? Neq; nobis dubium aliquod moueat, quòd hodie non vt olim visibiliter & corporaliter nobiscum in terris versatur. Nec enim corporali præsentia eius opus est, cuius virtus per omnia extenditur, & qui suo nutu cœlum & terram concutit. Et qui in mortali carne terram incolens absq; corporali præsentia vitam quibusuis conferre potuit, multò magis hoc nunc potest, quando ad Dextram Dei patris consedet, & omnem potestatem cùm in cœlo tum in terris accepit. Nimium ergo ridiculos sese præbent, qui hodie de corporali Christi præsentia contendunt, quam minimè nobis necessariam esse, exempla multa testantur, & quam ipse negat, quoties se ex mundo hoc discessurum esse dicit. Clamant illi nos Christi personam diuidere, & Dei omnipotentiam negare, quando ex scripturis & humani corporis proprietatibus docemus, Christum quoad corpus in cœlis agere, quoad verò diuinitatis virtutem vbiq; esse præsentem. At cur non hoc Ioanni obijciunt, qui palatini huius filium à Christo curatum dicit, quamuis is Capernaum non abiret, sed Canæ subsisteret? Vel num Christus suam ipsius personam scidit, quando se Bethaniæ fuisse negabat, cùm illic Lazarus moreretur? Et ô egregios omnipotentiæ Dei & maiestatis Christi Iesu patronos, qui Dei filium non aliter nobis salutarem esse credunt, nisi carne ex nobis assumpta nobiscum corporaliter versetur.

Christus corpore absens operatur.

Confutat istorum opinionem regius hic noster, qui audita Christi promissione mox credidit, neq; porrò rogauit, vt secum in Capernaum descenderet: sed eius mandato obtemperans, mox domum properat, ibi diuinæ virtutis Christi specimen visurus, cuius corporalem præsentiam paulò ante expetierat. Et sanè diligenter narrat Ioannes, vt beneficium hoc Christi ille apprehenderit, eius nimirum exemplo docēs, quid nos facere cōueniat. Primò sermoni Iesu illū credidisse dicit. Quia enim propheticum spiritum in illo agnoscebat, de eius promissione dubitare nō potuit, quāuis absurda & impossibilis præstitu videretur. Deinde occurrētibus ei fumulis & filij subitā restitutionē narrātibus, de illius hora diligēter inquirit: non quidē de rei veritate dubitans, sed vt ex collatione ista in Christi cognitione magis confirmetur. Postremò domū reuersus credit verè: Christum nimirùm non prophetā modò, sed Dei filium & promissum mundi seruatorē esse, ideoq; totus in illius partes cōcedit. Neq; id modò, sed domui suæ toti beneficiū hoc Christi cōmendat, & suos omnes in eius cognitionem inducit. Vbi rursum apparet, Christū fide apprehendi, & per hanc nos eius & beneficiorum ipsius omniū consortes fieri, de quo iam sæpe diximus. Nunc obseruemus, quæ sint electorū Dei exercitia, per quæ ad æternæ salutis hæreditatē cōtendunt. Primò Dei promissis fidē adhibent, licet multa illis aduersari videant. Quia enim hunc & veracē & omnipotentē esse agnoscunt, nullis remoris illius fidē impediri posse intelligunt, sicuti exemplo Abrahami Paulus docet, Rom. 4. Interim verò promissiones Dei diligenter rumnant, & cum ijs conferunt quæcunq; ad illarū confirmationē possunt facere. Pertinēt huc verbi studiū indesinens, exemplorū veterum consyderatio, & sacramentorū vsus, quæ promissionum suarū sigilla Deus esse voluit. Præterea Dei cultū propagare student: quod tunc felicissimè fit, quando non ipsi modò eius bonitatē agnoscunt, sed ipsius prædicatione plures alios in eius cognitionē inducunt. Iubet hoc passim Deus, & de eodē nos Petrus admonet, quādo nos Dei peculiū factos esse dicit, vt virtutes illius prædicemus, qui nos vocauit ex tenebris in admirabilē suā lucem. Agnoscūt hoc qui verè fideles sunt, & ideo omnē prouehendæ gloriæ Dei occasionē diligenter captant, neq; alia re magis quam beneficiorū eius cōmemoratione & colloquijs eiusmodi delectantur. At in his ferè hodie peccatur. Dei promissiones plerig; ad suæ rationis calculū examinant, Verbi studiū, preces, sacramenta & piorū colloquia negligūt, adhæc de suis potius rebus quā de Dei cultu sunt soliciti, neq; eos patiēter ferūt, qui suo labore et industria illū propagare studēt. Est ergo fides rara in terris, vt planè ea tēpora agnoscas, quæ nouissimum suum aduentū præcessura esse Christus olim prædixit. Luc. 18.

Regij fides.

Electorum exercitia.

Restat huius narrationis conclusio, quæ talis est: Hoc rursus secundum signum edidit Iesus, cùm venisset ex Iudæa in Galilæam. Quibus verbis primò Iudæorum pertinaciam arguit Ioannes, qui ne signis quidem cõmoti sunt, cùm Samaritæ Christi verbis crediderint: Imo cùm tam præclaro signo edito, solus regius iste cum domo sua credat, tota Sichemitarum ciuitas nuda prædicatione instituta, Christum seruatorem agnouit. Erat hoc non obscurum præludium repudij Iudæorum & vocationis gentium: quod alibi quoq; annotauimus. Deinde Christi quoq; bonitas nobis commendatur, qui etsi sciret se non multùm proficere apud eam gentem, non destitit tamẽ docere & signa edere: nimirũ vt pauculas illas reliquias seruaret, quas ex Iudæis saluas fore prophetæ prædixerant. Sunt igitur apud Deum electi in magno pretio, neq; eos inter sceleratorum turbam Deus negligit sed vt gemmas ex lutoso maris fundo in lucem filij sui extrahit. Versemur nos diligenter in horum consyderatione, & fidem nostram exerceamus sedulò, vt in ea confirmati cum Christo olim in cœlis viuamus: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.

CAPVT V.

HOMILIA XXXIIII.

POst hæc erat dies festus Iudæorum, & ascendit Iesus Ierosolymam. Est autem Ierosolymis ad Probaticam piscina, quæ nominatur Hebraicè Bethesda, quinq; porticus habens. In his iacebat multitudo magna ægrotãtium, cæcorum, claudorum, aridorum, expectantium aquæ motum. Angelus enim descendebat certo tempore in piscinam, et turbabat aquam. Itaq; qui primus descendisset post turbationem aquæ, sanus fiebat, à quocunq; detineretur morbo. Erat autem quidam illic triceſimum octauum annum agens in infirmitate. Hunc cùm uidisset Iesus decumbẽtem, et cognouisset, quòd iam multo tempore laborasset, dicit ei: Vis sanus fieri? Respondit ei infirmus ille: Domine nullum habeo, qui cùm turbata fuerit aqua, mittat me in piscinã: sed interim dum ego uenio, alius ante me descendit. Dicit ei Iesus: Surge, tolle grabbatum tuũ & ambula. Et statim sanus factus est homo ille, ac sustulit grabbatum suum, & ambulabat. Erat autem sabbatum in die illo.

POSTQVAM *Ioannes priuata Iesu Christi colloquia exposuit, quibus primò Nicodemum, deinde Samaritanam mulierem in vera salutis cognitione erudiuit: transit nunc ad eius conciones publicas, quibus diserte omnes docuit, qualem ipsum agnoscere debeant, & quid in illo pater cœlestis exhibuerit. Et hoc quidem Cap. disputatio describitur contra Iudæos, qua demonstrat, se verum esse Dei filium & vitæ authorem, cui ipse pater vnà cum Mose & prophetis testimonium perhibeat. Præmittitur autẽ huic disputationi signum restituti paralytici, quod modò recitauimus, cuius triplex vsus est. Primò disputationi occasionem præbuit, & populum ad illam audiendam attraxit. Itaq; in nobis quoque attentionem excitare debet, vt posteà Christum de sua deitate disserentem maiori studio audiamus. Secundò redemptionis nostræ typum habet, cuius nobis author est Christus: & cõmodè præmisit hoc, vt reipsa se eum esse doceret, quem posteà se esse profitetur. Id enim ad declinandã arrogantiæ suspicionẽ apud rude vulgus plurimum faciebat. Postremò multiuariàm seruit nostræ institutioni. Docet enim fidem in Christum, patientiam in morbis & quouis afflictionum genere, charitatem & reliquas virtutes, quas fides ex se segnerare solet. Est ergo historia hæc multis nominibus digna, cuius singulas partes diligenter consyderemus.*

Miraculi huius vsus.

Christus ad festum redit Ierosolymam.

Orditur à temporis notatione Ioannes, & diem festum Iudæorum fuisse dicit. Hunc plerig; Pentecosten interpretantur, quando iam messe aut facta aut feruente (cuius mentionem fieri audiumus in pro-

in præcedenti cap.) panes propositionis ex nouis frugibus offerebantur. Sed nihil certi hîc statui potest, neq; multum refert illud scire: quin potius Christi morem obseruemus, qui dies festos diligenter obseruauit, cùm vt legi satisfaceret, quæ illos seriò cõmendabat: tum vt in maiori populi frequentia ipse pluribus innotesceret, & salutis doctrina latius diuulgaretur. Nec enim ex eorum numero fuit Christus, qui tenebras quærunt, & (vt Paulus postea de nouissimi seculi impostoribus dixit) familias subeunt, atq; simpliciores suis figmentis inescando ecclesias occultè turbant. Est autem hoc ingens bonitatis & mansuetudinis argumentum, quòd non vocatus ad eos sponte redit, quorum insidias & machinationes non multò ante declinare coactus fuerat. Exempla huius generis alibi quoq; multa habentur, & in nobis frequenter hanc bonitatem experimur, quãdo à nobis turpiter reiectus, per verbum tamen suum ad nos redit, & suo spiritu animos nostros excitat, vt de salute nostra seriò cogitemus. Consoletur nos hæc Dei facilitas, ne de salute nostra temerè desperemus: simul verò officij admoneat, ne improbo & pertinaci contemptu nosmetipsos ab omni gratia simul & regni Dei hæreditate excludamus. Imitemur præterea Christi exemplum, & ipsi quoq; facilè in gratiam redeamus cum ijs, qui nos aliqua in re offenderunt: deinde assidui quoq; simus in ijs, quæ ad Dei cultum faciunt, & illum pro virili propagemus.

Piscina ad probaticam.

Secundò locus describitur, qui signo occasionem præbuit. Erat ad probaticam, siue forum pecuarium, aut locum in quo sacrificijs destinatæ oues asseruabantur, piscina, quæ ab aquarum effusione per canales Bethesda dicebatur. Hanc certis temporibus turbabat angelus Domini: quo facto, quicunq; primus in eam descendebat, is sanus fiebat, à quocunque morbo detineretur. Cingebatur ergo quinq; porticibus, in quibus innumera ægrotantium turba iacebat, qui omnes hunc aquæ motum soliciti expectabant. Erat hoc singulare Dei beneficium, quo suum erga populum istum fauorem adhuc declarare voluit, ne se ab illo in vniuersum derelictos putarent, cùm amissa libertate duro Romanæ tyrannidis iugo premerentur. Et diebus festis istud fiebat, vt cultum suum Deus commendaret, quo minus hoc relicto ad gentium superstitiones deflecterent. Admonebat præterea hoc miraculum, instare iam tempus Messiæ, qui aquas illas salutares effusurus esset, quas in prophetis olim Deus promiserat, & de quibus cum Samaritana Christus nuper disputauit. Arguitur autem hoc loco detestabilis & execranda Iudaicæ gentis ingratitudo, quando nemo inter illos inuentus est, qui tantum Dei beneficium scriptis mandaret, vt posteris quoq;, aut etiam Iudæis iam tunc in omnes gentes dispersis innotesceret. Cuius rei non aliam causam adducere possumus, quàm quòd hoc omne vel fortuitò, vel ex naturæ ordine fieri putarint. Vtrumq; tamen stuporem plus quàm belluinum arguit. Nec iam mirum nobis videri debet, quòd in ijs adeò socordes fuerunt, quæ regni Dei mysteria attinent, cùm hoc singulare Dei opus tam turpiter neglexerint. Sed vtinam in illis solis hæc culpa hæreret, & non hodie etiam huius generis exempla passim conspicerentur, quando plerique quotidiana Dei beneficia & singularia iudiciorum eius specimina oscitanter contemnunt, quibus ille scelera hominum & verbi sui odium punire solet.

Angeli opera aqua salutaris fit.

Obseruabis autem non temere annotari ab Euangelista, quòd angelus Domini descenderit, & aquam commouerit seu turbarit, vt salutaris fieret. Ita enim docet, nihil hîc ex naturæ ordine factũ esse, sed hoc omne Dei opus fuisse, qui angelorum ministerio vti consueuit, sicuti non vno loco scriptura testatur. Et licet hoc singulare fuerit diuinæ virtutis specimen, ex eo tamen generalis doctrina peti debet, nihil beneficij ex omnibus ijs ad nos redire, quæ in nostrum vsum creata sunt, nisi Deus nobis per illa subuentum velit. Nam etsi quædã naturali virtute operentur, tamen hæc quoq; pro bona Dei voluntate dispensantur, vt alijs quidem salutaria sint, alijs verò inutilia, vel etiam noxia. Eluces hoc euidentissimè in thermarum & totius medicinæ vsu, & ibi quotidianis exemplis compro batur: quorum hic nobis vsus esse debet, vt Dei bonitatem agnoscamus, qui omnes creaturas in nobis iuuandis occupatas esse vult, & per externa hæc nos in cœlestium beneficiorum consyderationem subuehit: deinde ijsdem rectè vtamur. Vbi primò caueri debet, ne externis aut creaturis tribuamus quod solius Dei est. In hoc enim Asa peccauisse legitur, quãdo ex pedibus laborans, non Deum, sed medicos consuluit. Deinde Dei beneficentiæ memores, ea non abutamur ad illicitas voluptates, aut ad fouendam carnis libidinem. Qua in re hodie vulgò peccatur quoad cibum & potum, cùm multos reperias, qui quasi ad edendum & bibendum nati sint, in nullo alio honestiori exercitio occupantur:

neq; edunt & bibunt vt viuant, sed viuere se arbitrantur, vt fruges inutiliter consumendo carnis licentiam foueant. Singularem verò hîc reprehensionem meretur thermarum abusus, qui cùm alibi tum in Germania nostra passim obtinuit. Elucet in illis ineffabilis Dei bonitas, qui illis caloremnaturalem & vim medicam tribuit, qua homines à morbis difficillimis non magnis impensis & minimo labore curari possunt. Debebant ergo omnes Dei beneficiũ agnoscere, & huius consyderatione ad gratiarum actionem & pietatis studium accendi. Quid verò fit? Qui thermarũ vsu minimè opus habent, ad eas ferè cõfluunt, ibi diuitias suas ostentant, helluantur, libidinantur, ludunt, & tam Dei ipsius quàm cõmunis hominũ sortis obliti, morũ licentia multos offendunt, et tam sibijpsis quàm alijs grauissimorum morborũ authores sunt. Qui si cogitarent, thermas diuina virtute commoueri, vt nobis salutares sint, nunquam sese pessimis suæ carnis affectibus eò vsque abripi paterentur.

Christus Nosodochia publica ingreditur.

At non minus consyderatu dignum est, quòd porticus illas, in quibus innumeri, claudi, aridi & diuturnis morbis contabescentes decumbebant, & publicum quodam modo exhibebant humanæ miseriæ spectaculum, Christus ingreditur. Quòd si causam quæras, cur hoc fecerit, non alia potest reddi, quàm quòd aliquos iuuandi & seruandi occasionem quæsiuit. Et rectè quidem, quia medicum se esse alibi profitetur, & nostræ salutis ergò in mundum venerat. Neque hîc nobis quisquam obijciat: Cur ergo non omnes simul curauit, qui illic decumbebant? cur ex tanta turba vnum modò delegit, quem sanum faceret? Etsi enim hunc vnum non rogatus curauerit, in hoc tamen reliquis omnibus suam virtutem declarauit, & illis quoq; ad se veniendi & salutẽ cõsequendi occasionẽ dedit, qua illi vti poterãt. Seruiat autẽ exemplũ hoc cõsolationi in quauis tentatione. Nã, vt modò diximus, nõ in illas tantùm porticus venit Christus, sed in mundũ hunc venit, in quo ceu publico nosodochio totũ humanũ genus letalibus peccatorũ morbis laborans decumbebat. & in quo pereundũ erat omnibus, nisi medicus aliquis actutũ opem afferret. Hanc itaq; ille nobis attulit, & vnico suæ mortis remedio animarũ morbos omnes profligauit, & resurrectione sua mortẽ ipsam deuicit, ascẽsione autẽ cœlos nobis aperuit, & in illis locũ parauit, ubi cum ipso vita & beatitudine æterna fruamur. Nulla ergo nobis restat lamentandi aut desperandi occasio, quibus medicã manũ Christus ipse adhibet. Ac simul illius exẽplo nos officij nostri admoneri cogitemus. Nõ fastidit miseabilẽ ægrotorũ & tabo fluẽtiũ terrẽ odore porticus istas implentiũ turbã Dominus, sed mediũ se illis infert. Cur ergo tu vel ægrotos fastidias, vel egenos & pauperes contemnas? Quin dum illos laceris pannis obsitos, & vlceribus fœdatos oculis nostris Deus ingerit, eius bonitatẽ agnosce, qui te nõ modò ab illorũ sorte miserabili eximit, verumetiã nunc horũ conspectu te excitat, vt & illi gratus sis, & in illos beneficentiã exerceas, quæ olim æternæ vitæ gaudijs cõpensabitur. Quærit Christus, quorum morbis medeatur, & quibus beneficiat. Quã ergo excusationẽ inuenient, qui à miseris requisiti, illis charitatis Christianæ officiũ negãt? Quid itẽ de ijs ille iudicabit, qui auaritia & ambitione inflãmati, quærũt quos vsurarijs artibus circũuentos ad egestatẽ redigãt, vel etiã violenter spolient, aut intra suos parietes in vxorũ & dulcissimorũ liberorũ cõspectu crudeliter occidãt? Sunt hæc hodie illorũ exercitia, qui Christi nomine gloriantur, sed nunquã ille pro suis agnoscet eos, quos à suo ingenio & moribus tam alienos esse videt.

Aegroti descriptio.

Tertio loco ægrotus describitur, in quo signũ hoc Christus edidit. Concurrũt in hoc omnia, quæ ad extremã hominis miseriã faciunt. Nam etsi non exprimatur morbi species, talis tamen fuit, qui toto corpore debilitato omnẽ membrorũ vsum illi ademerat. Idem vetustate & diuturnitate incurabilis factus fuit, cùm iam annis triginta octo durauisset. Adhæc se omni hominũ seruitio siue auxilio destitui ipse postea queritur: quod argumentũ est extremæ egestatis, quæ si morbis accedat, illos plenè intolerabiles reddit. Sed & inhumanitatẽ Iudæorum arguit, qui spretis Dei legibus pauperes in publico iacentes negligebant. Accedit his, quòd cùm tot annis decubuisset, toties spe sua falsus fuit, quoties aquam ab angelo turbari, & aliquẽ ex illa sanum redire videbat. Quid ergo aliud restabat, quàm vt spe omni abiecta, se omniũ mortalium miserrimũ, & non ab hominibus modò, verumetiã à Deo derelictũ esse clamaret? Et poterat hanc cogitationẽ illi facilè suggerere propria cõscientia, cùm hos cruciatus sceleribus suis cõmeruisset, vt suo loco audiemus. Faciunt autẽ hæc omnia ad miraculi amplificationem, & Christi potentiam nobis cõmendant, vt ex ea ipsi quoq; consolationẽ petamus, si quid simile nobis etiã contingat. Nec enim à Deo deserti sunt omnes, qui in humanis nihil spei reliqui habent. Imò tunc ferè Deus suam manum quasi è cœlo exerit, & se afflictorum vindicẽ & tu-

torem esse ostendit. Quòd si opẽ aliquandiu differt, nostro bono illud facit, vt fidem nostram exerceat, patientiæ item exemplũ præbeat alijs, & tandem suam gloriam in nobis illustret, quam nostra vel licentia vel negligentia prius ipsi in contemptum adducimus. Apparet hoc in multis exemplis cùm veteribus tum nouis, quæ singuli sibijpsis applicare debent, vt in fide confirmentur.

Christum ægrotum de salute interrogat.

Porrò accedamus ad ipsum miraculum, in quo edendo singulari diligentia vsus esse videtur Christus, vt nos ad eius consyderationem excitaret. Intercedit enim illi colloquium cum ægroto perquàm amicum, cuius singulæ partes ad nostram institutionem faciunt. Primò ipsum cõpellans Christus, interrogat num velit sanus fieri? Ridiculum, inquis, cùm non aliam ob causam eo in loco decumberet. At non ridiculæ nec leues sunt huius quæstionis causæ. Initiò enim eos mendicos perstringit, qui curari non cupiunt, cùm ex morbis quæstum faciant: quorum hodie magnus est numerus interrones, qui sub egestatis prætextu per omnes terras vagantur, homines verè ἄτακτοι (vt à Paulo vocantur) cùm nullis vel ecclesiæ vel reipub. legibus teneantur, indigni planè, quos respub. Christiana ferat, cùm & Deo & hominibus impudenti morborum ostentatione illudant, quos vel ipsi sibi malitiosè accersunt, vel etiam mendaciter simulant: adhæc sacrilega fraude eleemosynas, quæ pauperibus Christi debentur, intercipiant, et insuper nomen Christianum Turcis & Iudæis deridendũ propinent. Ab horum igitur grege suum illum eximit Christus, ne beneficium hoc in talem contulisse videatur. Deinde vult vt ipse suam miseriam narret, & ita plures ad tanti miraculi consyderationẽ excitentur: quod factò opus fuit, cùm inde disputatio de Christi diuinitate enata sit, quæ vix alibi clarius asseritur. Præterea hoc quærendo salutis desyderium in illo accendit, & ad preces eum excitat, quas vbi q; à nobis Deus requirit. Et est hoc nouum bonitatis Dei argumentũ, quòd cùm miserijs toti obruti vocem ad illum attollere non possumus, ipse nobis precandi occasiones & vires suggerit. Interim meminerimus nobis quoq; opus esse ardenti salutis desiderio: quando sine hoc neq; pietatis studium neq; preces apud nos possunt locum habere. Profitentur quidẽ illum omnes homines: sed plerosq; in hac re se ipsos simul & alios fallere ex eo patet, quòd pauci sint, qui interitus & damnationis causas abominentur atq; fugiant. Sunt hi similes mendicorum, de quibus paulò ante diximus. Vt enim illi morbos suos flebiliter prædicant, quò plures colligant eleemosynas, medicos tamen non admittũt, imò ipsi sibi morbos accersunt & augent: Ita isti salutis æternæ se cupidos esse profitentur, omnia verò faciunt, quibus illa impeditur, & quæ nobis ad damnationem viam sternunt. Singuli ergo hanc quæstionem sibijpsis accommodent, adeoque seipsos interrogent: vis ne saluus fieri? An serio teneris salutis per Christum quæsitæ desiderio? Excipient hanc quæstionem mox aliæ, quibus nos Christi spiritus ad veram salutis viam capessendam excitabit. Suggeret enim animis nostris: Cur ergo non audis euangelium? Cur vocantem te Christum non accedis & sequeris? Cur in superstitionibus hæres, quæ ipsius merito derogant? Cur thesaurum tibi in terra quæris? Cur scortaris, mœcharis, helluaris, defraudas, occidis? &c. An neseis scortatores, adulteros, ebriosos, iniustos, homicidas, regnum Dei adire non posse? Hæc (inquam) & multa huius generis succurrent nobis, si examine tali in nobisipsis vtamur. Sed ô miseros nos, qui vix manifestis Dei iudicijs excitamur, vt verum salutis desiderium animis nostris concipiamus.

Ægroti modestia & patientia.

Quid verò ægrotus? Non agnoscit Iesum, & fortassis non aliud maius ab illo officium sperat, quàm vt eius opera in piscinam mittatur. Ita autem respondet, vt singularem modestiã in illo agnoscas. Nec enim diem suæ natiuitatis deuouet, quod Iobus olim fecisse legitur: non Dei iustitiam aut illius nimium rigorem accusat, qui præter meritum tam crudeliter ipsum affligat: non de sui populi inhumanitate queritur, qui ipsum tot annorũ curriculo neglexerat: non item inuidiosè de illis loquitur, qui ipsum hucusq; in piscinam ingressurum præuenerant. Sed simpliciter exponit, quid ipsum hactenus impedierit, quò minus ex piscinæ miraculo sanus factus sit. Domine (inquit) nullũ habeo, qui cum turbata fuerit aqua, mittat me in piscinam: sed interim dum ego venio, alius ante me descendit. Quid obsecro modestius & in tali casu minus amarulenter dici poterat? Tantum nunc in hac schola iste profecit: in quã propter peccata detrusum fuisse postea audiemus, & quia eò vsq; progressus est, instat iam tempus liberationis, quæ ipsi cumprimis gloriosa obtigit. Est ergo hoc admirabilis patientiæ exemplum, cum quo si nostros mores conferas, qui in afflictionibus cuiuscunq; generis immani petulantia Deum & homines accusamus: mox videbis, quàm indigni adhuc simus, quibus Deus opẽ se

rat. Hunc itaque imitemur, quando nulla grauis & iusta causa est, quæ nos aliter facere cogat. Cui enim Deum accusemus, qui si suo iure ageretur, æterno exitio nos deuouere poterat? Cur proximos, quando ne illi nobis quicquam absq; certo diuinæ prouidentiæ consilio nocere possunt? Peccant quidē illi, & suas olim pœnas dabunt: at Deus illorum peccato ad tuam malitiam castigandā bene vtitur, cuius iudicium patienter ferri debet. Cur verò alijs sortem meliorem inuideamus, quando illi diuinæ bonitatis thesauros minimè exhauriunt, quò minus nobis etiam ille benefaciat? Vel num oculum tuum malum esse patiēris, quia Deus bonus est?

Christus ægroto medetur.

Sed ad Christum redeamus, qui hunc mox miraculosè curat. Dicit enim illi: Surge, tolle grabbatum tuum & ambula. Et quod iubet, illicò perficitur. Fuit hoc veræ restitutionis indicium, in quo diuina Christi virtus & promissi redemptoris maiestas euidentissimè relucent. Qui enim morbos humana ope incurabiles verbo suo pellere potest, Deus verus sit oportet, qui vitæ & mortis imperium habeat. Additur, hoc factum esse in die sabbati, eò quòd inde sequentis disputationis occasionem Iudæi arripuerunt. Nunc memmerimus, hoc miraculo cōmunis nostræ redemptionis typum contineri. Eadem est enim omnium nostrūm, quæ huius ægroti, conditio: quando primi parentis lapsus peccatū in omnem posteritatē inuexit, & nobis omnes bene agendi vires abstulit, deniq; eò miseriæ deiecit, vt nec humana nec angelica ope restitui possimus. Vt ergo huic, ita nobis quoq; diuinitus salus obtingit, & quidem ex gratia, qua nos Deus præuenire solet. Modus autem salutis in Christo cōtinetur, qui suum meritum atq; virtutem nobis per verbum suum applicat. Nostrum verò officium est, salutē vera fide amplecti, ex peccatorū luto surgere, corpus peccati (quod per grabbatum adumbrari, Augustinus annotauit) in Dei vocatione patienter ferre, in eiusdem vijs ambulare, & sabbatū agere perpetuū in innocentia vitæ & syncero pietatis studio, donec nos ad cœlestis regni hæreditatem Christus Iesus transferat: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

HOMILIA XXXV.

Dicebant ergo Iudæi ei qui sanatus fuerat: Sabbatum est, non licet tibi tollere grabbatum. Respondit eis: Qui me sanum fecit, is mihi dixit: Tolle grabbatum tuum & ambula. Interrogarunt ergo eum: Quis est ille homo, qui dixit tibi, Tolle grabbatū tuum & ambula? At qui sanatus fuerat, nesciebat quis esset. Iesus enim euaserat è turba, quæ erat illo loco. Postea inuenit eum Iesus in templo, & dixit ei: Ecce sanus factus es, ne amplius pecces, ne quid deterius tibi contingat. Abijt ille, & nuntiauit Iudæis, quòd Iesus is esset, qui eum sanum fecerat. Et propterea persequebantur Iesum Iudæi, & quærebant eum interficere, quòd ista fecisset in sabbato.

Miraculorum Iesu Christi omnium hic finis & scopus est, vt diuinam eius virtutem ex illis agnoscamus, & relictis superstitionibus, salutis spem & fiduciam omnem in illo vno collocemus. Apparet hoc euidenter in eo, quod prima huius Capitis parte describitur. Quia enim miserum hominem à morbo inueterato liberat, qui hactenus nulla vel hominum vel angelorum ope potuerat curari; satis docet, se humanæ naturæ seruatorem esse, qui à peccatorum laqueis liberatos nouis viribus instruat, vt salutis viam ingrediantur. Deinde quia in sabbato hoc facit, & eo facto de illo disputandi occasionem captat, aperte innuit, iam adesse tempus illud correctionis, quando externa hæc omnia aboleri, & omnium mentes ad ipsum conuerti oporteat, vt Deū in spiritu & veritate adorent. Porrò sequitur, vt hoc signum Iudæi acceperint, quid item hoc beneficio accepto fecerit paralyticus. Quo loco incurabilis hypocritarum & hostium veritatis malitia elucet, simulq; docemur, quid nos facere conueniat, qui in Christo salutis æternæ hæredes facti sumus.

Iudæi paralytico curato obstrepunt.

Principio Iudæi eum, qui sanatus fuerat, publicè reprehendūt, quòd in humeros sublato grabbato discedat. Rationē allegant, quia sit dies sabbati. Habent ergo suæ reprehensionis aliquam speciem honestam & æquam. In lege enim expressè prohibuerat Deus, ne quod opus seruile hoc die fieret. Et

Irrui-

Ierem.17.cap. disertis verbis edicitur, ne quod onus tollant in die sabbati ad gestandum per portas Ierusalem, & ne quod onus efferant è domibus. Præterea apud Ezechielẽ 20.22.& 23.cap. sabbati prophanatio inter Babylonicæ captiuitatis causas numeratur. Videntur ergo isti non malè facere, quòd istum reprehendunt. At si rem ipsam cum omnibus suis circumstantijs expendamus, illos multiuariàm peccauisse patebit. Primò enim non rectè iudicant de sabbato, & in ocium modò externum intenti, illius finem & scopum non obseruant. Erat is ipsius hominis sanctificatio, quæ in eo consistit, vt homo se totum Deo addicat, nec quicquam faciat, quàm quod ad Dei cultum & gloriã pertinet. Quod vt cõmodius fieret, à reliquis operibus cessare & sanctum ocium agere iubebantur. Ne tamen in eo sanctimoniam suam consistere putarent, Deus per Ezechielem disertè monuerat, se vnicum eius authorem agnosci debere, externa autẽ hæc sanctificationis veræ signa tantũmodo esse. Sic enim Cap.20.loquitur: Sabbata mea dedi eis, quæ essent signũ inter me & inter eos, vt scirent quòd ego Dominus qui sanctifico eos. Itaque cessatio ab operibus seruilibus non causa sabbati finalis erat, sed ideò instituta erat, ne per illa à verbi Dei meditatione & alijs sacris exercitijs abstraherentur. Patet hoc ex eo, quòd in sabbato pecora adaquare & vrgente aliqua necessitate periclitantibus succurrere licebat: quòd item sacerdotes victimas mactabant, carnes secabant, ligna in altari struebant, intestina abluebant, circuncisionẽ administrabant, & alia eius generis officia laboriosa valde obibant, nec tamẽ violati sabbati accusabantur, eò quòd hæc omnia ad Dei cultũ facerent. Cæterùm Iudæi neglecto eo, quod præcipuum erat, omnẽ sabbati sanctificationẽ in ignauo & superstitioso otio cõstituebant. Quæ causa fuit ineptissimarũ traditionũ, quibus Rabbini religionẽ Iudaicã & à Deo traditos ritus, gentiũ ludibrio exposuerunt. Non possunt ergo isti excusari, quin superstitiosè nimis egerint, dum huic grabbatũ gestanti negotium faciunt. Deinde dum religiosi videri volunt, impij in Deum fiunt: quia opus prohibent, quo illius gloria quàm maximè illustrabatur: cùm interim multa impunè fierent quotidie, quæ in nominis diuini prophanationem tendebant. Ita hodie sub religionis prætextu vera pietatis exercitia prohibentur, non prohibentur autẽ stupra, adulteria, vsuræ, exe crationes, & infinita alia scelera, quæ Christianam religionẽ Turcis & Iudæis suspectam & exosam reddunt. Tertiò inhumanitate peccant, quando tot annorũ spacio decumbentem neglexerunt, & nunc cùm aliena ope restituto congratulari deberent, ipsi inuidiosè obstrepunt. Accedit his omnibus pertinacia, quòd audita eius excusatione, quæ grauissima ratione nitebatur, adeò tamen non cedunt, vt magis etiam exacerbentur, & de Christo occidendo cogitent, qui grabbati gestatione sabbatum violari clamabant. Est hoc ingenium hypocritarum, quòd circa res minimas occupati, præstantiora negligunt, & cùm religionis studio glorientur, verum cultum Dei quàm maximè impediunt. Et quia ijdem suis superstitionibus metuunt, quas ardenti zelo tueri solent, simul crudeles fiunt & sanguinarij: adeò vt hominem iugulare, imò regna tota ciuilibus armis turbare, ipsis lusus videatur, modò suos errores tueantur. Hinc fit, quòd nullis rationibus aut signis emendari possunt, quin ipsi Deo sese audacter opponunt, licet illius manum quasi cœlo exertam esse videant. Posset hoc multis exemplis demonstrari, sed illis minimè opus est, cùm rabies ista hodie passim grassetur. Excitemur ergo ad vigilantiam, & veritatis causam eò constantius tueamur, quò magis illi furiunt.

Luc.13.& 14. Ioan.7.

Quid verò hypocritis respondet, qui sanatus fuerat? Qui me sanũ fecit, is mihi dixit, Tolle grabbatũ tuum & ambula. Breuis responsio, sed qua nihil cõmodius aut prudentius excogitari poterat. Nec enim negat quid illi ex lege de sabbato obijciebant, sed illis Christi authoritatẽ opponit, & huic licere docet, vt de lege ista pro suo arbitrio dispenset, & ideò se illi diuersum iubenti meritò obtemperare. Argumentũ ita formari poterat. Quicũq; à Deo missi ex diuina authoritate aliquid præcipiũt, ijs nos obedire decet: At qui me grabbatũ tollere iussit, à Deo missus est, & talia mandandi authoritatem habet. Ergo illius iussis ego rectè obsequor. De maiori quæstio nulla erat. Minorẽ verò præsenti facto probat, quando se ab illo sanatum esse docet, & ita quidem, vt in ipso virtutẽ humana maiorem agnoscere cogatur. Ita verè ingenuè fatetur beneficium Christi, & se illi obedientiã debere publicè testatur. Quæ ingenuitas eò maiori laude digna est, quòd Christũ de facie nondũ nouerat, neq; hunc Iesum illũ esse sciebat, de quo passim sermones ferebantur. Quo exemplo docemur, quid eos deceat, quibus salutẽ Christus contulit. Agnoscant & fateantur ab illo acceptũ beneficiũ, & eiusdẽ obedientiæ se totos submittant, neq; morentur impiorũ calumnias, qui Christo suũ in ecclesia ius atq; ho-

Paralyticus Christi authoritate se tuetur

norem inuident. Est enim hæc sufficiens ratio, qua omnes illorũ obiectiones diluantur, si illius mandatum possimus prætexere. Hunc enim Deus regem constituit in Zione, monte suo sancto: hunc nos audire iussit voce cœlitus delata: huius tantam inter homines authoritatem esse vult, vt reges quoq; ipsum exosculentur, & illius iugo colla submittãt. Huius ergo authoritate pugnemus aduersus eos, qui nefas esse putant superstitiones è medio tollere, missas & imagines profligare, cœlibatum monasticum & ciborum discrimina abolere, euangelij doctrinam & legitimum sacramentorum vsum restituere. Respondeamus illis: Qui nos sanos fecit is nos ista facere iussit, & huic nos obedire oportet magis quàm hominibus. Quòd si cui huius authoritas sordet; næ ille indignus est, quo cum plura verba commutentur. Sed ô deploratam nostri temporis conditionem: Non nouerat adhuc Iesum homo iste, & tamen eò vsque profecit, vt hoc argumento vtatur. Hodie autem, cùm Iesu Christi nomine omnes propè gentes glorientur, rideri tamen solent & explodi, qui illius authoritate contra manifestos errores, imò etiam contra scelera & publicam morum corruptionem dimicant.

Iudæi calumniantur Christi factum.

Sunt hi Iudæorum similes, de quibus hic agitur, qui & ipsi rationem hanc non modò non admittunt, sed ea audita animorũ suorum malitiam apertius produnt. Cùm enim debuissent interrogare, Quis ille, qui te sanum fecit, & eo facto se diuinitus missum esse probauit? Ostende eum nobis, vt ipsi quoque per illum seruemur, &c. Sic potius aiunt: Quis ille homo, qui te iussit grabbatum tollere? Inuidiosè hominis vocabulo vtuntur: quasi dicerent: Deus, ne quid tale fiat, prohibuit. Quis ergo ille homo tam audax, tam impudens & impius, qui diuersum iubendo diuinæ authoritati se opponit? Ita verò astutè dissimulant quod in Christi facto laudem merebatur, odiosè autem hoc vnũ exagitant, quod aliquã reprehensionis speciem habebat, & diuinis legibus repugnare videbatur. Sunt hi calumniatorum mores, quales fere fiunt hypocritæ, dum suo zelo indulgent. Et hodie similes voces vbiq; audiuntur, si quando de ecclesiarũ reformatione agitur. Vt primum enim ab ijs, qui euangelij doctrinam sequuntur, aliquid vel ex imprudenti zelo vel etiam secundùm Dei verbũ fit, quod vulgò insolens videtur: hoc vnum aduersarij amarulenter traducunt & omniũ auribus ingerunt, electos nimirum monachos, euersa altaria, abolitas Diuorum imagines, & si quid aliud est huiusmodi generis: Interim magnum est apud eos silentium de ijs, quæ vel ipsa honestatis specie & cõmuni omniũ consensu cõmendantur. Sed cùm talia audimus, locus hic nobis in mentem veniat, quò minus horum iniquis clamoribus offendamur.

Christus se subduxit è turba.

Porrò additur, non quicquam de Christo hunc respondere potuisse, eò quòd ille se ex turba, qua illic loci erat, subduxisset. Noluit enim (vt alibi quoq; diximus) furentes sua præsentia magis irritare: & suo exemplo docet, quid nos in simili casu facere debeamus. Deinde minus suspectum erat hominis istius testimonium, cùm de facto solo testaretur, cuius authorem adhuc ignorabat. Proderat etiam toti populo, vt miraculum hoc modo innotesceret, vt liberius de illo omnes iudicarent. Interim docet isto facto Christus, ne nostræ gloriæ studio nos abripi patiamur, sed in hoc potius intenissimus, vt Dei gloria illustretur, & in huius cognitione plures alij proficiant. Admonemur præterea, electis non semper initiò omnia reuelari, quæ ad plenam salutis cognitionem faciunt. Hic enim ne ipsum quidem Christum adhuc nouerat, nec eius beneficij authorem nominare potest, quo suum factũ defendebat. Poterat hoc aduersarijs magnam occasionem dare insultandi ipsius stoliditati, qui homini ignoto obsequi in animum induxerit. Pergit tamen ille, neq; vllis aliorum cauillis sese ab instituto reuocari patitur. Imitemur nos illum, & licet nostræ ignorantiæ & imperfectionis probè simus conscij, non tamen aduersariorum calumnijs cedamus. Habet enim fides suos progressus, neque suos negligit Deus, sed quouis tempore suggerit, quæ nobis cognitu necessaria sunt.

Christus absecuratum inuenit et admonet.

Et huc debet referri, quod mox sequitur: Postea enim inuenit eum Iesus in tẽplo, & dixit ei: Ecce sanus factus es, ne amplius pecces, ne quid deterius tibi contingat. Nõ ergo illius oblitus fuit Dominus, licet eum reliquisse videretur. Nouit enim Dominus qui sunt sui (vt Paulus ait) neq; periculum est, quòd eos negligat, quos semel in suarum ouium gregem assumpsit. Magnum item bonitatis argumentum est, quòd illum Christus inuenit: non contentus nimirum illum à corporis morbo liberauisse, nisi animæ etiã saluti consulat. Sunt enim perfecta Christi opera, & illius beneficia temporalia eum scopum & finem habent, vt per illa ad cœlestium possessionem perducamur. Et huc pertinet admonitio, qua illum posthac à peccatis sibi cauere iubet, ne quid grauius patiatur. Ergo peccatum aliquod

aliquod non vulgare tam grauis morbi causa fuit: cuius memoriã illi Christus in mentem reuocat, non autem illud nominat, eò quòd sufficeret de hoc illum admonuisse. Et credibile est peccatum hoc occultum fuisse, & ideò publica reprehensione nõ habebat opus. Obseruent Christi exemplũ ministri, vt in scelerum redargutione modestiè & prudenter agant. Sunt enim quæ occultè fiunt, & sua grauitate cogunt consilium & consolationem quærere. Quæ si palàm accuset & traducat minister, proditor dici meretur infirmarum conscientiarum, & multos à solatio quærendo absterrebit. Medicos ergo imitentur, quos iurisiurãdi religione Hippocrates astrinxit, ne ægrotorũ occulta vitia temere prodant. Alia est publicorum scelerum ratio, quæ quia scandalo sunt omnibus, publica correptione opus habent propter eos, qui malo exemplo seduci & corrumpi poterant. Cõtinet verò locus hic vtilem & necessariam doctrinam de morborum ratione, quæ diligentem consyderationẽ meretur, cùm nihil tam humanũ sit, quàm in morbos varios incidere: & nisi hic probè instructi simus, vel morbis ingraue scentibus cum Asa peccamus, & idololatræ reddimur, dum neglecto Deo ad creaturas conuertimur: vel impatientia superati contra Deum murmuramus, & tandem desperatione absorbemur: vel liberati ad vomitum redimus, neq; agnoscimus Dei beneficium, eò quòd morbos nobis fortuitò obrepsisse putamus. Prodest ergo scire, vnde morborũ origo primùm processerit, quod sit ægrotantium officiũ, & quid eos facere conueniat, qui ex morbis conualuerũt. Atqui morbos ex peccato originem duxisse constat, vt & reliqua omnia quæ nos in huius vitæ curriculo exercent. Nisi enim peccasset homo, nullus maledictioni locus esset, quæ omnis generis calamitates peperit. Neq; hic mihi quisquam sanctissimorum hominum exempla obijciat, qui cùm nullum vnquam scelus enorme commiserint, morbis tamen sæuissimis excruciantur. Nam si illos spectes, nulla ipsis iniuria fit, cùm in peccato concepti & nati, legem peccati in membris suis habeant, & in omne scelus suapte malitia prolabi possint, nisi Dei manu retinerentur. Potius ergo prædicanda est in illis bonitas Dei, qui inter morbos quoq; illis vt vasis gratiæ vtitur: dum fidem ipsorum alioqui languescentẽ exercet: patientiam eorum conspicuam reddit, vt aliorum exemplo seruiat: & ita per illos suam gloriam illustrat, quos (si suo iure vti vellet) æternùm damnare poterat. Cuius rei exẽpla in Iobo habemus, & in cæco nato, de quo infra cap. 9. dicetur. Primò itaq; hoc nobis certò persuasum sit, morbos flagella esse, quibus aut commissa à nobis peccata punit Deus, aut latentem in nobis corruptionem coercet, ne in opus erumpat. Quoties ergo morbo aliquo corripimur, primò vitam anteactam & carnis nostræ desyderia in mentem reuocemus, vt cognita morbi causa, illum patienter feramus. Deinde ad Deum conuersi, ab illo peccatorum remissionem petamus, nec de eius gratia desperemus, qui nõ vult mortẽ peccatoris, sed vt cõuertatur & viuat. Exempla, quæ imitemur, in Dauide & Ezechia scripturæ proponunt, Psal. 6. 38. & 39. Isa. 38. Totos verò nos Dei voluntati committamus, qui si velit nos restituere potest: sin verò illi secus videatur, ex lachrymarum valle in regnum cœleste transferet, vt infrà hoc ipso Cap. fusius dicetur. Liberati autem ex morbis Deo gratias agamus, & vitæ innocentiã studio indefesso sectemur. Imprimis verò curæ nobis sit, ne in peccata priora relabamur. Nã qui hoc scientes volentes faciunt, ij cum ingratitudine detestabili impium Dei contemptum coniungunt, & cum illo quasi certamen suscipiunt, Pharaonis similes, quem post acceptas plagas ad suam pertinaciã rediisse scriptura narrat. Istum ergo imitemur, quem in templo Christus inuenit, non in taberna aut inter scurrarum ludos: & nobis à Christo dici putemus, quod huic dicitur. Cogitemus item, nihil nobis tam durum & graue accidere posse, quin duriora & grauiora possit adijcere Deus, si incurabiles esse pergamus. Et quid ille non possit, quando in hoc corpore nostro immanissimorum morborum materiam circumferimus, quæ subitò erumpit, si ita ipsi videatur: vt iam nihil dicamus de pœnis infernalibus, quorum cruciatus æternos esse Christus testatur? Sunt hæc nobis diligenter meditanda, neq; superuacaneas putemus admonitiones, quæ ista nobis in animum reuocant, quando ipsum post tam diuturni morbi tormenta & miraculosam liberationem, & quidem inter media sacra iam agentem, Christus ampliori admonitione opus habere putauit.

Porrò abijt ille, & nunciauit Iudæis, quòd Iesus is esset, qui eum sanum fecerat. Id verò non vt illum prodat fecit, sed vt plures alios in huius cognitionem adducat: quod electorum proprium esse, alibi diximus. At hic demum in apertam rabiem Iudæi cõuertuntur. Nam nulla miraculi ratione habita, in quo manifestum diuinæ virtutis indicium relucebat, de illo occidendo cõsultant. Atqui si Iudæi Christũ occidere volũt.

vel sensum communẽ audire voluissent, cogitare poterant: Qui istum momento liberare potuit, vno quoq; momento poterit perdere, si quid in ipsum hostiliter tentetis. Vel, quanto turpior erit sabbati prophanatio, si illum occidatis, qui beneficium dedit? Sed nihil vident nec expendunt impij, quando Dei timore excusso corruptissimos carnis affectus in consilium admittunt. Admonemur etiam hoc loco, ex Christi prædicatione ferè turbas & persecutiones oriri, neq; ideo reprehensionẽ mereri fideles euangelij præcones. Officium enim illi faciunt, & salutis ministerio funguntur: turbas verò mundus infelix ex propria malitia concitat, eò quòd veritatis lucem odit, sicuti Cap. 3. audiuimus. Obseruabis autem, istos voluisse quidem occidere Christum, nihil autem mali ei intulisse, quia hora eius nondum venerat. Non ergo possunt impij semper quod volunt, sed facilè illorum conatus frangit Deus si ita ipsi videatur. Itaq; salutem, cuius nobis author est Iesus Christus, fide vera amplectamur, & beneficij accepti memores illum prædicemus, & vitã viuamus Christianam, olim cum illo in cœlis æternùm victuri. Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.

HOMILIA XXXVI.

Iesus autem respondit eis: Pater meus usq; adhuc operatur, & ego operor. Propterea ergo magis quærebant Iudæi eum occidere, quia non solùm soluisset sabbatum, sed & patrẽ suum dixisset Deum, æqualem se faciens Deo. Respondit ergo Iesus & dixit eis: Amen amen dico uobis, non potest filius à semetipso quicquam facere, nisi quod uiderit patrem facientem. Quæcunq; enim ille facit, hæc etiam filius pariter facit.

QVemadmodum in miraculosa paralytici ad piscinã decumbentis restitutione, Iesus Christum præclarũ diuinæ suæ virtutis & bonitatis specimen edidit: Ita in Iudæorum exemplo apparet, quæ illius semper in hoc mundo sors siue conditio futura sit. Nam vt eius vitæ illi insidiantur, qui misero vitæ beneficium dederat: sic ferè mundus exitium omnibus ijs struit, qui ipsum salutiferæ Christi prædicatione ab interitu reuocare student. Et vt illud Iudæi sub pietatis & gloriæ Dei prætextu faciũt: ita hodie etiã veritatis hostes impijs suis & sanguinarijs machinationibus gloriæ Dei & pietatis zelum prætexere consueuerunt. Tunc verò nos in Christi exemplum respicere conuenit, cùm ne offendamur, quando nobis idem cum illo accidere videmus: tũ vt discamus, quid nobis facto opus sit. Et huc facit huius loci historia. Nam qui paulò ante certas ob causas (quas nuper cõmemorauimus) ex furentis populi turba sese subduxerat, nunc se illis sistit, & facti sui rationẽ reddit constantissimè: vt quàmuis ipsi incurabiles maneant, saltem suorum infirmitati consulat, & scandalo medeatur, quod ex Iudæorũ calumnijs poterat enasci. Decet ista constantia omnes, quibus verbi & cultus sui causam Deus commisit, ne desertores perfidi sint, quando illa patronis maximè opus habet. Sunt autem sequentis apologiæ Christi hæc ferè capita. Primò sabbati violati crimẽ diluit, & se nihil aduersus legem Dei peccauisse docet. Deinde noua occasione sibi oblata diuinitatẽ suam asserit contra eos, qui ipsum blasphemiæ accusabant. Postremò hostium suorum improbam & incurabilem pertinaciam magna cum grauitate reprehendit. In præsenti de primo capite agit, & inde ad alterum huius suæ tractationis statum transit.

Christus uiolati sabbati crimen diluit.

Quoad crimen violati sabbati, illud ratione graui & solida à se repellit, quando opus diuinum abs se factum esse ait, & quod illustrandæ gloriæ Dei seruiat. Pater meus (inquit) usq; adhuc operatur, & ego operor. Quibus verbis propter breuitatem obscuritas quædam subest, quæ mox tolletur, si argumentum totum formaueris, quod est eiusmodi: Quicunq; opera faciunt diuina, sabbati prophanatores censeri non debent. Opus hoc meum planè diuinum est. Ergo non sum sabbati prophanator. Maiorem ipsius decalogi verbis probare poterat, qui vt nostra opera sex diebus perficiamus, & ab illis cessemus die septimo præcipit. Et Leui. 23. iubemur, ne quod opus seruile eo die faciamus. Talia autem sunt, quæ priuati commodi studio & nulla vrgente necessitate facimus, omissis interim ijs, quibus hunc diem Deus consecratum esse voluit. Diuina autem opera, quæ ad Dei imitationem, &

nem, & ad illius gloriã fiebant, permissa fuisse, ex veteri & recepta consuetudine constabat, cùm in sabbato & infantes circuncidere, & victimas mactare, & omnia alia facere liceret, quæ ad Dei cultum externum pertinebant. At suum hoc opus ex illorum numero, imò planè diuinum esse, Dei patris exemplo docet, quando ait, Pater meus vsq; adhuc operatur, & ego operor. Sensus enim horum verborum est: Quod pater facit, mihi etiam licet facere: At pater meus vsq; huc operatur, & in sabbato non minus quàm alijs diebus ea facit, quæ ad mundi gubernationem & conseruationem spectant. Ergo idem mihi quoq; licuit, dum miserum hominem suæ incolumitati restitui. Præcipua autem huius argumenti vis est in eo, quòd opus hoc suum verè diuinũ & humana virtute maius erat, & quòd ex eodem constabat ipsum verum esse Dei filium: quod ipsum innuisse, Iudæi quoq; intellexerunt, vt paulò post ex ipsorum calumnia intelligemus.

Deus perpetuò & semper operatur.

At hic diligẽti consyderatione dignũ est, quòd patrẽ vsq; adhuc operari dicit, id est, ab ipsa rerũ origine nunquã otiari, siue dies profestus sit, siue festus aut sabbatum. Videtur enim hoc cum Mosis historia et decalogi verbis pugnare, quibus Deus septimo die ab omni opere suo quieuisse dicitur. Sed nulla est in his repugnantia seu contradictio. Moses enim & Deus ipse de operibus creationis huius mundi loquuntur, quæ intra dies sex perfecta sunt: adeò vt nouo mundo nihil defuerit eorũ, quæ ad eius perfectionem atq; ornatũ faciebant. Christus verò de prouidẽtia differit, quæ perpetuò res creatas seruat atq; gubernat. Quieuit ergo Deus, & cessauit à creando; at idem ille nunquã quiescit vel otiatur quoad prouidentiã, qua mundo & omnibus eius partibus adest, & illas pro suæ bona voluntate tuetur & regit. Huius enim operatione fit, quòd vniuersa hæc mundi machina tot iam seculis seruata, neq; suo pondere subsidit, neq; perpetuo motu attrita ruit; quòd suum motum orbes cœlestes sequuntur: quòd suo quoq; tẽpore Sol cum reliquis astris oritur & occidit: quòd Luna certis vicibus modò lumine amisso occultatur, modò illuminata solaribus radijs pleno orbe refulget: quòd aer neq; vetustate corruptus fœtet, neque tot animaliũ respiratione absumitur: quòd perpetuis venis fontes scaturiunt, & perenni cursu flumina ad mare feruntur: quòd terra quasi ex penu quodã inexhausto herbas, fruges, plantas & omnis generis fructus quotannis depromit, & non hominibus modò, verũ etiam pecoribus, imò feris syluestribus alimenta ministrat: quòd generandi vis in omni genere seminum mirabili & nunquam satis consyderata operatione sese exerit: quòd inter tot hostis diaboli insidias in aluo materna seruamur incolumes, & in lucem editi contra illius hostiles conatus defendimur: quòd deniq; in dormientes & somno profundo sepultos ille nihil iuris habet. Taceo nunc regnorum mutationes, morbos, tempestates, maris fluxũ & resluxum, & infinita alia, quæ vel secundùm naturæ leges, vel noua te insolita ratione quotidie fieri videmus. Hæc certè eiusmodi sunt, vt gẽtes quoq; ex eis Dei omnia gubernantis prouidentiam agnoscere potuerint: cumq; ista semper fiant absq; vlla remissione, rectè etiam à Christo dictum est, quòd pater vsq; adhuc operetur. Et sunt hæc probè obseruanda contra Epicuræos, qui Deum aut omnino nullũ esse, aut circa cardines cœli obambulare fingunt, nulla eorum ratione habita, quæ in terris fiunt. Est horum opinio fundamentum & radix omnis impietatis: quia & peccandi licentiam parit, & desperationis causa est, si quando tales in grauiora pericula incidunt. E contra verò, qui Dei prouidentiã sibi ob oculos ponunt, ij & vitam suam religiosè instituũt, & aduersis nullis succumbũt, cùm sciant nihil sibi absq; benignissimi illius patris decreto accidere posse, qui pilos capitis nostri in numerato habet, & cuius prouidentia ad coruorum pullos, imò vsq; ad flores agri extenditur.

Sabbati consideratio.

Continetur præterea his verbis doctrina de Sabbato, quæ totam eius rationem perfectè tradit. Ita verò dies ille Hebræis dicitur à quiete, eò quòd ipsum Deus quieti & otio consecrauit, idq; propter hominem (vt alibi Christus monet) quem laboribus & curis fatigatũ recreari & refici oportet. Nam vt poeta dicebat, Quod caret alterna requie, durabile non est. Pertinet autẽ quies ista ad totum hominem, id est ad corpus simul & animam: quia vtraq; pars suos habet labores, quibus defatigata recreationem postulat. Et corpus quidem cessatione à laboribus & operibus externis reficitur, animam verò sub curarum & solicitudinum huius seculi pondere laborantem piæ meditationes & à Deo instituta pietatis exercitia recreant. Quibus vt liberius possimus vacare, à reliquis negotijs cessare iubemur, quæ vt corpus exercent, ita animam à diuinis auocant & terrenis studijs immergunt. Licet ergo sabbatum ad corpus quoq; pertineat, cuius incolumitati Deus hac ratione con-

sultum voluit: imprimis tamen animæ negotium hic agitur, cuius saluti externa hæc corporis quies inseruire debet: & proinde otium illud sacrum est, totumq; Deo consecratum esse debet. Docent hoc verba Decalogi, in quibus Deus diem hunc sanctificauisse, & eundem Domini sabbatũ esse dicitur. Et notæ sunt locutiones illæ apud prophetas: Sabbata mea dedi eis, Sabbata mea sanctificate, Sabbata mea polluistis. Ex quibus colligitur ita ab operibus externis cessandum esse, vt (quod modò diximus) totos nos operibus diuinis addicamus. Sunt autem diuina opera, quæ ad Dei gloriam fiunt, sicuti ipse præcepit, & ad eius imitationem. In primo gradu numerantur Verbi studiũ, cœtus sacri, publicæ preces, beneficiorũ & operum Dei meditatio, innocentia vitæ & errorum cõmissorum emendatio, obseruatio item diligens omniũ eorum, quæ ad illustrandum Dei nomen faciunt. Quoad verò imitationem Dei, non omnia eius opera in exemplum trahi debent, quando pleraq; nostras vires superant, & quædã eius generis sunt, vt illa sine impietate nemo imitari possit, sicuti in Salmonei filii exemplo poetæ etiam prophani docuerũt, quem ad inferos deiectum canunt, dum flammas Iouis & sonitus imitatur Olympi. Ad ea igitur hoc restringi debet, quorum imitationem ipse nobis commendauit: inter quæ primas facilè tenet beneficentia et bonitas, quæ in omnibus eius operibus reluces, & de qua Christus nobis præcipit: quãdo inimicos quoq; diligere iubet, vt simus filij patris cœlestis, qui solem suum oriri finit super bonos & malos, &c. Matth. 5. Sed & gentiũ philosophi eos ad Dei similitudinem quàm proximè accedere dixerunt, qui quàm plurimis benefaciunt. Ad sabbatum ergo beneficentiæ etiam studium pertinet, & vt nostra copia aliorũ inopiam subleuemus, quò cõmodius ipsi quoq; diuinis vacare possint. Admonet de hoc lex Dei, quando iubet in diebus festis pauperũ & peregrinorum rationem habere, vt etiam ipsi nobiscum coram Domino gaudeant. Et Apostolus in sabbatis seponere iubebat pecunias, quæ fratribus in Syria egentibus & laborantibus submitterẽtur. Vnde vetus hit ecclesiæ mos est, quo dominicis diebus collectæ fiunt, & eleemosynæ publicæ conferuntur in pauperum alimoniam. Quòd si ista omnia ad præsentem historiam applices, mox patebit, neq; Christum neq; hominem istum, qui per illum restitutus grabbatum gestauit, de violato sabbato accusari debuisse. Diuinum enim opus fecit Christus, & ille ex Christi mandato fecit, quod ad huius miraculi & gloriæ Dei illustrationem cumprimis pertinebat. Et qui hodie ista obseruant, reuera sabbati obseruatores sunt. Prophanant autẽ diem hunc, qui ex auaritia opus faciunt, cùm nulla necessitate vrgeantur, qui pietatis publica exercitia negligunt, qui choreis, saltationibus, poculis & libidini indulgent, qui fastuose superbiunt, qui rationes ineunt vsurarias, qui debita rigidè exigunt & exactionibus suis hoc die debitores suos contristant, deniq; quotquot ita otiantur, vt à diuinis quidẽ operibus cessent, diabolo autem & pessimis suis cupiditatibus turpiter seruiant. Sunt hæc ab omni pietate alieniſsima, & ex his publicas calamitates oriri, prophetæ non vno loco testantur. Fiunt tamen hodie omnia ista impunè, & adhuc desæuientem in nos Dei iram miramur?

Iudæi Christũ ut blasphemum occidere uolũt.

Cæterùm Iudæos videamus, de quibus sic scribit Ioannes: Propterea magis quærebãt Iudæi eũ occidere, quia non solùm soluisset sabbatum, sed & patrem suum dixisset Deum, æqualem se faciens Deo. Igitur de occidendo quidem Christo cogitarunt, non autem quibus argumentis ad illius verba respondèrent. Imò quia respondere non possunt, calumnijs agunt, & crimen priori grauius illi intentant, impiam nimirum & blasphemam deitatis affectationem. Intelligunt enim illum de deo patre sic locutum esse, vt se eius filium, non adoptiuũ (quales & nos sumus, & ipsi quoq; videri volebant) sed verum, adeoq; naturalem & illi per omnia æqualem credi & agnosci velit. Et quidẽ rectius hæc verba intellexerunt Iudæi, quàm Ariani veteres, quiq; hodie illorum impium errorem reducere conantur Seruetani, qui etsi Dei filium & Deum esse fateantur Christum, patre tamen minorem esse fingunt. Præterea quoad principium, ex quo suæ accusationis argumentum petunt Iudæi, non malè iudicant. Quia enim Lex prohibet, ne vel Deos plures faciamus, vel honorem qui Deo debetur in creaturas transferamus, vel quacunq; alia ratione nomẽ Dei prophanemus: reuera intolerabilis & capitali supplicio digna blasphemia est, seipsum Deo æqualem facere, aut potestatem diuinam sibi vendicare. Quod Ioram Israelis rex olim intellexit, quando vestes scidit lecta regis Syriæ epistola, qua petebatur, vt Naamanũ à lepra mundaret. Sed in hypothesi errãt Iudæi isti, quia hoc ad Christum malè applicant, & in externam modò humanitatis speciem intenti, latentem sub hac deitatem non agnoscunt: nec ad scripturas respiciunt, quæ Messiam diuina virtute instructũ, imò Dei filium

& Deum

& Deum fore testantur. Cum quibus si illius opera cõtuliſſent, mox videre poterãt, hoc ab illo verè dictum esse, neq; illum propterea morte dignum debere iudicari. Cæterũ hi sunt impiorũ mores, quorum oculos & mentes priuati cõmodi studium & veritatis odium ita excæcant, vt nec Dei verbum attentis animis audire poßint, neq; ea videre, quibus illius veritas manifeſtißimè confirmatur. Et multa hodie similia fiunt, ex quibus veteris hoſtis ingenium agnoſcas. Sed non offendere nos debent impiorum calumniæ. Hic enim præluſum eſt, quæ ſemper Chriſti inter homines cõditio futura ſit, & quid expectẽt, qui illum Dei filium & promiſſum redemptorem, adeoq; vnicum humanæ ſalutis authorem esse profitentur. Non poteſt lucem hanc ferre mundus, cuius opera mala ſunt: et quò clarior hæc veritas innoteſcit, eò maiori rabie impij accenduntur, et abſq; omni pudore calumnias ſimul & vim apertã produnt. Vt aũt Chriſtus, qui illos hoc facturos ſciebat, nõ tamẽ ideò veritatẽ diſſimulat: Ita neq; nos impiorũ furoribus cedere debemus, vt propter illos veritatis patrociniũ deſeramus.

Ne ferãtur, qui Dei honorem ſibi uendicant.

Arguit præterea exemplũ hoc noſtri ſeculi extremã corruptionem. Etſi enim Iudæi deuotis ad omne ſcelus animis aduerſus Chriſtũ rapiantur, retinent tamẽ hoc veræ pietatis principiũ, quòd nefas ſit hominẽ mortalem diuinos honores aut deitatis exiſtimationẽ ſibiipſi vendicare: imò audaciã iſtam morte dignam esse iudicãt. At hodie, qui & homines ſunt, & hominũ ferè ſceleratiſſimi ſunt, impia iſta ambitione non eccleſiam modò, ſed orbem terrarũ vniuerſum turbant, dum poteſtatẽ ſibi vendicant, qua hominum peccata remittere, rerum ſubſtantias mutare, animas cœlis inferre aut in Orcum demittere poßint; & huius authoritatis opinione inflati ad pedum ſuorũ oſcula omnes inuitant, ſeq; cum Caligula & alijs naturæ monſtris (quorum impietatem prophani ſcriptores notarũt) adorandos proponunt. Neq; eo contenti, alios cõſecrant, in quos, ceu Semideos quoſdã, eiuſdẽ poteſtatis adminiſtrationẽ transferunt. Quis verò illos mortis ſupplicium mereri dicit? quis ad impias iſtorum voces exhorreſcit? Gemit quidem ſub illorũ tyrannide turba piorũ, & iam ſeculis aliquot Regum vindices manus implorat. At pauci reperiũtur, quibus cauſa hæc verè cordi ſit. Nõ deſunt autem, qui pro impijs iſtis diuini honoris affectatoribus pugnant, & vt illos tueantur, in fratres, in contribules, imò in ipſius patriæ viſcera gladios ſtringant. Sed nõ deerit ſuo officio Chriſtus Dominus, qui & ſuam gloriam aduerſus illos aſſeret, & ipſos horrendis ſupplicijs mulctabit.

Chriſtus uerus Dei filius & patri conſubſtantialis.

Sed ad Chriſtum redeamus, qui quod verè dixerat, non negat, ſed potius argumentis & rationibus confirmat. Ea verò occaſione ad alterum ſuæ defenſionis caput tranſit, quo ſe Dei filium, patri æqualem, imò conſubſtantialem esse docet. Probationem autem ab operibus ſumit, quæ omnium euidentiſſima eſt demonſtratio. Argumenti ſumma hæc eſt: Quicunq; opera faciunt eadem, eiuſdem poteſtatis & naturæ ſunt: Ego & pater eadem facimus opera: Ergo eiuſdem cum illo ſum naturæ, poteſtatis & maieſtatis. De maiori non eſt dubium, quia communi ſenſu confirmatur. In minori ergo probanda totus inſiſtit, quam ita proponit non ſine graui conteſtatione. Amen amen dico vobis, non poteſt filius à ſemetipſo quicquam facere, niſi quod viderit patrem facientem: Quæcunq; enim ille facit, hæc etiam filius pariter facit. Quæ verba olim inter Arianos & orthodoxos patres mirificè exagitata fuerunt, cum illi hinc probare niterẽtur, filium patre minorem esse, quia nihil ex ſemetipſo facere poßit, ſed diſcipuli inſtar patrem ſibi præeuntem imitetur. Sed facilè diluitur illorum ſententia. Primò enim ex Iudæorum hypotheſi loquitur, qui in ipſo nihil quàm nudum hominem agnoſcebant: & vt illorum errorem confutet, oſtendit tam arctam & indiſſolubilem inter ſe & patrem conjunctionem esse, vt nihil poßit ab ipſo fieri, in quo non patris quoq; virtus cõſpiciatur. Non ergo infirmitatem aliquam filij hæc verba denotant, ſed potius naturalem (vt ſic dicam) inter patrem & filium coniunctionem, quæ hunc illi æqualem esse conuincit. Quem enim vel angelorum vel hominum dabis, de quo verè dicatur, eum nihil poſſe facere, quàm quod Deum viderit facientẽ? Angelos certè à dignitate ſua excidiſſe ſcimus, eò quòd ſecus fecerunt: & quæ hominum ſit natura & conditio, omnes in nobiſipſis experimur. Itaq; cum de ſe hoc Chriſtus dicat, illum angelica ſimul & humana natura ſuperiorẽ, & proinde patri æqualem, adeoq; Deum esse oportet. Deinde ſeipſum luculenter exponit, addens: Quæcunq; enim pater facit, hæc etiã filius pariter facit. Hæc enim dicendo ſe cum patre conjungit, qui alibi omnia per verbum creauiſſe dicitur, quemadmodum viciſſim verbum ex dei patris virtute propria operatur. Quò Paulus quoq; reſpiciens, vtramq; pulchrè connectit, quando in priori ad Corinth. cap. 8. ſcribit: Nobis vnus eſt Deus, pater ille, ex quo omnia, & nos in ipſo: &

vnus Dominus Iesus Christus, per quem omnia, & nos per ipsum. Et hæc quidẽ posteà operum suorum commemoratione Christus confirmabit. Nos in præsenti agnoscamus Christianæ fidei & religionis dignitatem atq; certitudinem. Si enim Christi opera eadem sunt quæ patris, diuina certè sunt quæcunq; is dixit & fecit, & in illis Deum patrẽ agnoscere debemus. Tutò igitur illi confidere possumus, & hoc ipsum nos in fidei cõfessione animare debet, ne hanc nobis mundi cõminationibus extorqueri patiamur. Præterea quoties pulcherrimã hãc totius mundi fabricã intuemur, simul in illare demptoris Iesu Christi maiestatẽ & diuinã virtutem consyderemus, qui nos ex semine verbi sui renatos denuò facilè contra quosuis tuebitur. Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.

HOMILIA XXXVII.

Pater enim diligit filium, & omnia demonstrat ei quæ ipse facit: & maiora his demõstrabit ei opera, ut uos miremini. Sicut enim pater suscitat mortuos & uiuificat: ita & filius quos uult uiuificat. Neque enim pater iudicat quenquam, sed omne iudicium dedit filio: ut omnes honorent filium, sicut honorant patrẽ. Qui non honorat filium, non honorat patrem, qui misit illum.

QVoniam Iudæi Iesum Christum summæ impietatis accusarũt, vt qui se Dei filium dicendo, seipsum Deo æqualẽ faceret, & intolerabili arrogantia diuinos honores sibi vendicaret: ipse quod dixerat, multis argumentis & rationibus defendit, partim quidem vt calumnias illorum confutet, & suum honorem asserat: partim verò vt omniũ nostrũm saluti consulat, quæ sine vera & solida Christi cognitione consistere non potest. Itaq; vt minus dubitemus, demonstrationis argumenta ab operibus desumpta producit, dum se ea posse docet, quæ nõ nisi diuina virtute fieri possunt. Et super quidem in genere summam totius negotij complexus est, quando se eadem cum patre operatum esse dixit, & proinde eiusdem cum illo esse naturæ & potestatis. At quia hoc illi negare poterant, diligentius modò seipsum exponit, & primò sui dicti rationem reddit, qua simul hostium improbitatẽ retundit: deinde quæ nam illa sint opera commemorat, quibus virtus ipsius diuina comprobetur.

Pater diligit filium.

Quoad primum, sic ait: Pater enim diligit filium, & omnia demonstrat ei, quæ ipse facit, &c. Quib. verbis multa simul agit. Primò, quia se à patre diligi dicit, ab omni crimine se purgat, nec mortis supplicio dignũ esse docet. Cõstat enim legis transgressores & impios diuinitatis affectatores, à Deo non diligi, sed potius puniri. Deinde illos inanem operam sumere innuit, cùm de se occidendo consultent, qui à Deo ametur atq; defendatur. Præterea rationem reddit eius quod dixerat, se pariter aut eadem facere cum patre, & eam esse inter ipsum & patrem naturæ vel essentiæ coniunctionem, vt aliter facere nõ possit. Et diligendi verbo vti voluit, vt hanc potestatẽ sibi legitimè datam esse ostendat, nec quicquã se sibijpsi violenter, & quasi per rapinam (vt Paulus ait) vendicare. Ipse ergo est: Quemadmodum parẽtes filios suos tenerrimè diligunt, & adeò illis non inuident si ipsis in arte sua sibi pares esse videant, vt potius quæcunq; adhuc restant artis mysteria, ipsis liberaliter communicent: Ita cœlestis ille pater me quoq; amore maximo complectitur, & omnia sua mihi commonstrat, vt & ego per illa mundo innotescã, & ille in me glorificetur: Neq; contentus erit ij, quæ hucusq; in Cana Galilææ & in huius paralytici aliorumq; ægrotantiũ curatione miraculosa fecit, sed sequentur adhuc maiora, quæ vos in mei admiratione vel inuitos abripiant, vt ut nunc odio & inuidia excæcati nihil vel audire vel videre velitis, &c. Vbi nos meminisse oportet, Christũ hæc loqui secundum humanam naturam, vt ad tempus sese auditoribus accommodet, qui nihil in illo subli mius agnoscebant. Vt ergo alibi doctrinam suam, non suam, sed patris esse dicit, & se discipulis tradidisse quæcunq; ipsi pater manifestauerit: Ita nunc opera quoq; se à patre accepisse, & horũ rationẽ sibi à patre quasi cõmonstratam esse testatur. Quoad enim diuinam naturam, filius patri cœternus & coessentialis est, imò patris sapientia, verbum & virtus est, per quam omnia facta sunt, & proinde nihil aliunde discit vel precariò accipit. Quoad humanã verò naturam, vt infans in cunis vagijt & cum ætate adoleuit: ita etiã sapientia & gratia profecit apud Deũ & apud homines, volui

Lucæ

Lucas Cap. 2. scribit. Ergo iuxta humanitatem demonstrantur filio opera patris: demonstrandi autem verbo, non puerilis aliqua institutio significatur, qualis est inter magistros & discipulos, sed cõmunicatio diuinæ virtutis & potestatis: qua factum est, vt diuina virtus & maiestas, quam ab æterno filius habuit, ex æterno patris decreto in assumpto etiam homine eluceret, & is in hac fragili & mortali carne diuinitatis opera faceret. Et hoc sensu mysteriũ istud Ioannes Baptista supra exposuit, quando discipulis dicebat: Pater diligit filium, & omnia dedit in manum eius, &c. Dandi verbo idem dicens, quod Christus demonstrandi vocabulo hîc comprehendit, quo propter auditorum tarditatẽ vsus est, ne quid sublimius dicendo illorum rabiem magis accenderet: sicut Theophylactus quoq; annotauit.

Pater in filio nos quoq; diligit.

Sed priusquàm hinc discedamus, paulò attentius videndũ erit quod de Dei patris dilectione erga Christum dicitur, vt illius vsum rectè intelligamus. Scimus enim hunc cœlitus hoc titulo ornatum esse, & in hoc omnibus cùm angelis tum hominibus præferri, quòd dilectus ille sit Dei filius, in quo patri complacuit. Et sanè cùm Deus ipsa sit charitas, & idem hominum animis naturalem charitatem inseuerit, qua ex se genitos prosequuntur: quis dubitet eum amorem ardentissimum esse, quo filium ab æterno ex se progenitum complectitur? At quia filius ille Dei homo quoq; est factus, ita nunc illum diligit pater, vt ipsius dilectio ex illo, ceu fonte aliquo in nos vsque redundet, & propter illum nos fauore suo complectatur, qui prius iræ filij eramus. Est igitur hoc irrefragabile charitatis Dei argumentum, quod solum nos in fide confirmare, & in quauis tentatione inuictos reddere potest: Si nimirum cogitemus, filium Dei vnicè dilectum nobis à patre datum esse, vt nos ex peccatorum laqueis & morte redemptos regni sui cohæredes faceret. Quis enim non colligat ex eo, in hoc simul omnia nobis data esse, quæ ad nostram salutem faciunt? Quis item dubitet grata & accepta esse Deo, quæcunque ille propter nos aut fecit aut passus est? Quàmuis ergo multa in nobis deprehendamus, quæ fidem nostram labefactare solent, firma tamen nobis hæc fiducia manere debet, quòd per Christum nobis ad thronum gratiæ accessus pateat, iuxta illud Ioannis: Si quis peccauerit, aduocatum habemus apud Deum, Iesum Christum, &c. Vide 1. Ioan. 2.

Opera Messiæ quæ deitatem asserunt.

Pergit autem in cœpta tractatione Christus, & quæ nam sint docet maiora illa opera, quæ ipsos visuros esse dixerat. Duo autem commemorat, quibus totum Messiæ officium comprehendit, cui illum pater destinarat. De primo sic loquitur: Sicut pater suscitat mortuos & viuificat: ita & filius quos vult viuificat. Quæ verba plerique interpretum de ijs miraculis exponunt, quibus nonnullos ex mortuis Christus resuscitauit, in quibus Lazari Bethanien sis historia primum locũ obtinet. Quorũ sententiam vt non prorsus reijcio, ita longius extendi debet hæc sententia, vt (quod antea diximus) de toto Messiæ officio hîc agi cogitemus, sicuti sequens orationis contextus luculenter docebit. Vult ergo dicere, sibi eam quoq; potestatẽ à patre esse datam, vt vitæ simul & mortis dominium habeat: id quod postea miraculosa quorundam resuscitatione probauit, ne inanibus verbis gloriari videretur. Et plurimùm facit ad præsentem tractationem hoc argumentum, quod eiusmodi est; Dei est suscitare mortuos et viuificare: At hoc ipsum ego quoq; facio. Ergo Deo æqualis, imò eiusdem cum illo potestatis sum & essentiæ. Facit autem ad minoris confirmationẽ particula, QVOS VVLT. Hac enim sibijpsi liberam & à nullius alterius arbitrio pendentem potestatem vendicat. Dicuntur autẽ & pater & filius suscitare, non quòd hos quidem pater, illos autem filius suscitet, sed quia eiusdem potestatis sunt & essentiæ, & proinde pariter aut simul operantur, sicuti nuper diximus.

Redemptionis humanæ mysterium.

At quia diuinitatẽ suam ita hîc asserit Christus, vt simul se Messiam & promissum humani generis redemptorẽ esse doceat, paucis hisce verbis totum nostræ redemptionis negotiũ comprehendit. Docet enim quæ fuerit, & quæ sit omnium nostrũm conditio, quoad naturam nostram. Deinde, quid ipse nobis conferat. Præterea quorũ sit salus illa, cuius ipse author est. Quoad primum, sibi potestatem datam esse ait suscitandi mortuos & viuificandi. Eramus ergo omnes mortui & vitæ expertes. Mortui nimirũ per delicta, vt Paulus ait. Nam peccati stipendiũ est mors. Et vt mortui vnà cum vita omnes simul facultates amiserũt, vt nihil ad sui restitutionem ipsi conferre possint: Ita nullæ in nobis facultates erant, quibus vires amissas recuperare, aut nos in libertatẽ filiorũ Dei asserere possemus: quin potius per legẽ peccati in hoc corpore mortis (vt Apostolus ait) ita detinebamur, vt nulla ex eo eluctandi via nobis vspiã pateret. Hîc verò miseris & perditis Christus opem tulit, qui pri

mò ex morte nos resuscitauit, quãdo suæ mortis merito peccata nostra sustulit, & his sublatis stimulum siue aculeum mortis, quo illa in nos sæuiebat, confregit. Deinde spiritum vitæ nobis cõtulit, quo animati in vitæ nouitate ambulemus, qui prius mortui iacebamus. Et vt sibi hanc potestatem datam esse sciremus, quosdam ex morte corporis in vitam reuocauit, imò seipsum propria virtute resuscitauit. Præstat autem beneficium hoc ijs, quibus vult ipse. Quod ideò hîc additur, vt meritum nostrum omne excludat, & ab ipsius gratia salutem nostrã omnem ostendat pendere. Nam vt Paulus dicebat, Non est volentis neq; currentis, sed miserantis Dei. Ergo ad electos tota salutis ratio et huius promissiones restringi debent. Et quia electio ex libera Dei voluntate dependet, qui (vt idem Apostolus ait) cuius vult, miseretur: & quem vult, indurat: non alia salutis nostræ origo indicari potest, quam bonitas & gratia Dei, qua nos in Christo Iesu complexus est, priusquàm mundi fundamenta iacerentur. In nobis autem electionis signum est infallibile fides, qua & Christum apprehendimus, & illi inserimur, vt in ipso spiritus sancti & vitæ participes reddamur, & ipse sibi per fidem insitos & suo spiritu animatos è manibus suis eripi non patitur. Quæ causa est, quòd salutis promissiones credentibus dantur, de quo alibi abundè est dictum. Hîc ergo salutis nostræ fontes aperiuntur, ex quibus in quouis genere tentationum firmissimæ consolationes peti possunt. Cur enim de salute sua dubitent, qui eam in Dei consilio aut decreto fundatam esse sciunt, quod æternum est, neq; vlla hominũ aut diaboli potentia abrogari potest? Qui item salutis mediatorem habent Iesum Christum, quem vitæ & mortis Dominum esse scimus? Qui denique salutis arrhabonem habent spiritum sanctum, in quo clamant, Abba pater, & qui vitam in ipsis veram operatur? Norunt enim illud Pauli: Siue viuamus, siue moriamur, Domini sumus. In hoc enim Christus & mortuus est, & resurrexit, & reuixit, vt mortuis ac viuentibus dominetur. Rom. 14.

Christus plenũ habet totius mundi imperium.

Alterum opus Dei, quod visuri sint, est totius mundi imperium, quod sibi à patre destinatum esse dicit: & de eo ita pronunciat, vt simul rationem reddat dicti præcedentis. Neq; enim pater (inquit) iudicat quenquam, sed omne iudicium dedit filio. Iudicandi verbo plenam omnium potestatem cõprehendit, vsitato scripturæ more, in qua locutiones eiusmodi passim occurrũt. Et proinde minus, quàm Christus innuat, dicunt, qui illum de nouissimo tantùm iudicio loqui arbitrantur. Sensus enim verborũ hîc est: Nõ temere mihi vendico, quòd ex morte suscitare & viuificare possim. Mihi enim pater omne iudiciũ dedit, id est, omnem potestatẽ in cœlo & in terra, vt & mundũ hunc gubernem, et olim in nouissimo die omnibus digna retribuã factis ipsorum præmia. Est verò hoc irrefragabile diuinitatis Christi argumentum, quando constat penes solum Deum esse totius mundi imperiũ, & iudicium omne ad hunc solum pertinere. Vide de hoc Deut. 1. & 32. Itẽ 2 Par. 19. Obseruabis autẽ istud quoq; à Christo secundùm humanam naturam dici, cui potestas eadem data est, quã ab æterno filius cum patre habuit. Itaq; quod de patre dicitur, non ita accipi debet, quasi ipse iam otiosus ferias ageret (sicuti de Saturno per filium è solio regni depulso poetæ fabulantur) sed quòd idem ille orbem terrarum nunc per filium in carne manifestatum administret atque gubernet. Et iudicat Dei filius, primùm in hoc seculo, dum ecclesiam suam & singulos credentes tuetur, & promissa illis præstat, hostes verò ecclesiæ dignis supplicijs coercet: cuius iudicij exempla in terris adhuc agens edere cœpit, & postea in cœlos receptus infinita edidit, sicuti Romanorum Imperatorum & Vandalorum historiæ testantur: sed & hodie multa eius generis experimur. Et debet huc referri, quæ in Psalm. 2. de Christo rege & sceptro eius ferreo dicuntur, quo hostium suorum consilia dissipat, & potentiam confringit. At idem ille nouissimo die in nubibus cœli veniet ea forma, qua in cœlos ascendit (quemadmodum angeli testantur Act. 1.) & tunc videbunt eum, quicunque illum confixerunt, aut ipsum in verbo suo & membris persecuti sunt. Et dignum est, vt in hominis forma iudicium faciat Dei filius, qui salutis & redemptionis nostræ negotium in eadem peregit. Ideò D. Augustinus dicebat: Forma illa erit iudex, quæ stetit sub iudice: illa iudicabit, quæ iudicata est: iudicata enim iniquè iudicabit iustè. Vide Tract. 19. & 21.

Nemo seruatur, nisi qui legibus Christi obtemperat.

Quia verò iudicium omne Christo datum est, satis constat neminem seruatum iri, nisi qui illius verbo aut legibus obtemperauerit. Quis enim illũ aliter quàm secundùm salutis leges absolutum & purgatas iudicaturũ esse putet? At quæ legum illarum summa est? Hæc nimirũ: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego vos refocillabo. Si quis sitit, veniat ad me & bibat, &c. Quibus

promissionis

promissiones illæ & minæ conueniunt: Quisquis crediderit & baptizatus fuerit, seruabitur: quisquis verò non crediderit, condemnabitur. Hinc ergo iudicij sui regulam Christus desumet, nec vllis alijs salus obtinget, nisi qui ipsum vera fide amplexi fuerint. Corruunt ergo hîc omnes aliorum sectæ & religiones, quæ salutem extra Christum monstrant aut quærunt. Non philosophis aut discipulis horum proderit secundùm naturæ leges institutа morum probitas: non Iudæis Thalmudicæ traditiones: non Turcis Alcorrani præscriptiones: non Monachis suorum maiorum regulæ: non Eremitis vita solitariè & laboriosè transacta: non vllis denique vel peregrinationes, vel Missæ, vel preculæ emptitiæ salutem ferent: si extra Christum inueniantur, qui vnicus salutis author est, & qui omnibus istis iam olim dixit: Non requisiui ista de manibus vestris. Neminem ergo aliarum sectarum vel splendor vel fucata sanctitas decipiat, vt in illis sibi salutem polliceatur. Simul verò consoletur nos nouissimi iudicij consyderatio, ne mundi calumnijs & criminationibus offendamur, vel persecutionibus frangamur. Certò enim veniet dies ille, quo & nostram innocentiam Christus suo testimonio asseret, & hostium insolentiam æternis pœnis coercebit.

Porrò finem omnium istorum Christus infert, dicens: Vt omnes honorent filium, sicut honorant patrem. Comprehendit his æternum Dei decretum, qui in filio agnosci & coli vult. Hic enim eius vi sibilis imago est, quem ille nobis dedit, vt in ipso habeamus, quæcunq; ad salutem consequendam sunt necessaria. Quia autẽ filium perinde vt patrem colere iubemur, rursum patet, illum eiusdẽ cum patre naturæ & potestatis esse. Ideò infert confirmationis loco: Qui non honorat filium, nec patrem honorat, qui misit illum. Quia enim filium salutis authorem vnicum esse voluit, & eundẽ ad dexterã suam collocauit, neq; alium nobis ad thronum suæ gratiæ accessum reliquit, quàm qui per illum habetur, fieri nequit, vt patrem honorent, quicunq; suum honorem filio negant. Id verò faciunt, quicunq; ipsum non agnoscunt salutis suæ authorem. Rursum ergo iugulantur omnes cultus, in quibus superstitiosi salutem extra Christum quærunt. Et colligitur ex hoc loco gloriæ Dei hostes censeri, qui aut Christi nomen cum Iudæis hostiliter proscindunt, aut illo quidem gloriantur, illius verò gloriam in creaturas transferunt, dum redemptionis nostræ gloriam vel sibijpsis vel alijs mediatoribus asscribunt. Quibus etiã accenseri debent, qui Christiani nominis professionẽ sceleribus & incurabili licentia peccandi prophanant. Vnum ergo Iesum Christum audiamus, vni illi fidamus, & illi seruiamus in spiritu & veritate: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

Pater in filio agnoscitur & colitur.

HOMILIA XXXVIII.

Amen amen dico uobis, qui sermonẽ meum audit, & credit ei qui misit me, habet uitam æternam, & in iudicium nõ ueniet, sed transiuit à morte in uitam. Amen amen dico uobis, quòd uenit hora, & nunc est, quando mortui audient uocem filij Dei: & qui audierint, uiuent. Sicut enim pater habet uitam in semetipso, sic dedit & filio habere uitam in semetipso: Et potestatem dedit ei iudicium faciendi, quia filius hominis est.

Dominus & seruator noster, Iesus Christus, suam deitatẽ aduersus Iudæorum calumnias magna constantia & diligentia asserit. Et ne verbis nudis pugnare videatur, demonstrationem ab ipsis operibus desumptam proponit, quando se viuificandi & iudicandi potestate instructum essẽ docet. Finem verò & scopum totius tractationis hunc esse nuper ostendit, vt omnes honorent filium, sicuti honorant patrem. Et vt hoc ad salutem necessarium esse sciremus, mox subiecit: Qui non honorat filium, nec patrem honorat, qui misit ipsum. Quibus verbis, vt omnes aliæ superstitiones iugulantur: ita non obscurè ostenditur, disputationẽ hanc ab illo non priuati honoris studio institutam esse: sed quia horum cognitio ad gloriam patris illustrandam facit, & quòd sine illa nobis certa nostræ salutis ratio constare non potest. Ideò in ijs quæ modò recitata sunt, & quæ deinceps sequuntur, diligenter docet, qua ratione tam ipse quàm pater à nobis honorari possint, & quæ præmia ijs proposita sint, qui hoc officium fideliter præstant. Ita verò paucis complectitur quæcunq; ad nostræ salu-

tis cognitionem pertinent. Et est locus iste vnus ex præcipuis, in quorum consyderatione omnes frequentissimè versari debent, qui serio salutis studio tenentur.

Quomodo pater simul & filius honorentur?

Principiò summã totius negotij hisce verbis comprehendit: Amen amen dico vobis, qui sermonem meũ audit, & credit ei qui misit me, habet vitam æternam, & in iudicium non venit, sed transijt à morte in vitam. Sunt autem huius loci duo membra. Primo, quia salutem nostram in eo consistere dixerat, vt filium, et in eo patrẽ simul honoremus, quid illud sit docet, aut quomodo tam pater quàm filius à nobis honorari possint. Altero præmiũ promittit ijs, qui hoc faciunt. Ad primum membrum pertinet: Amen amen dico vobis, qui sermonẽ meum audit, & credit ei qui misit me. Asseuratione vtitur grauissima, quia carni hæc incredibilia videntur, quòd nimirum sola fide Deus colatur, & eadem sola ad salutẽ nobis sufficiat. Sermonis autem sui nomine euangelium intelligit, cuius ipsum quoq; præconem esse debuisse ex alijs locis constat, & ipsemet fatetur, quande se ideò exiuisse dicit, vt hinc inde euangeliũ prædicet. Quæ autẽ huius doctrinæ summa sit, hîc exponere non est opus, cum in omnibus propè sermonibus Christi subinde recurrat. Hoc in præsenti sufficiat, per euangeliũ saluẽ omnẽ nobis in solius Dei gratia monstrari per mediatorẽ Iesum Christũ. Filiũ ergo honorant simul & patrem, qui euangelij doctrinam animis attentis audiunt, & secundum illius præscriptũ salutis spem omnem in vno Deo collocant per filium eius, qui nobis ab illo sapientia, iustitia, sanctificatio & redemptio est factus. Et de hoc quidẽ nos admoneri opus fuit, ne quis Dei cultum, de quo hîc agitur, in ritu aliquo externo aut inanibus ceremonijs consistere putaret. Et sanè (vt Cap. 3. dictum est) Deus non alia ratione magis quàm fide honorari potest. Per hanc enim illi veritatis, iustitiæ & veritatis testimonium deferimus: quæ omnia in illo negant, quicunq; ipsi credere dedignantur. Deinde eadem totum hominẽ Deo vendicat, & huic obedientem reddit: qui verus bonorum operum fons est, quando constat bona opera nulla esse, nisi quæ ex fide fiunt secundùm verbi diuini regulam.

Fidei vera ratio.

Obiectum fidei vnus Deus.

At ne quis sub fidei prætextu inanem persuasionem concipiat, qua seipsum & alios fallat, paucis veram huius rationem Christus exponit, dicens: Qui audit sermonem meum, & credit ei qui misit me. Obiectum ergo fidei Deum esse docet, in quo vno fiduciam omnem in religione collocari debere, cordati omnes ex gentibus etiam vnanimi consensu tradiderunt. Etsi enim summum illud numen in multos Deos diuiderent, hoc tamen principium apud illos saluũ ratumq; manebat, in nullo saluam fiduciam esse ponendã, qui non Deus esset. Quò magis stupenda est nostri seculi hominum stoliditas, qui ijs fidunt, quos homines fuisse ipsi fatentur. Imò peccatorum remissionem & quæcunq; nobis ad salutem necessaria sunt, apud eos quærunt, quos homines, & quidem interdum sceleratos & impurissimos homines esse, non possunt negare: quales sunt pontifices & ab illis consecrati sacrificuli atq; monachi. Rectissimè verò Christus fidem nostram in Deum patrem recumbere vult, qui omnia creauit & gubernat, & quem maiores etiam nostri inter fidei articulos primo loco professi sunt. Necmere de eo se loqui testatur, à quo ipse sit missus. Hoc enim dicendo non modò fictitiam illam gentilẽ πολυθεΐαν explodit, verumetiam eos confutat, qui vnius quidem Dei, omnium creatoris cultores haberi volunt, ab illo autem excludunt filium, quales hodie Iudæi & Turcæ habentur. Hoc ergo

Regula.

nobis primum sit, vt salutis fiduciam in vno vero Deo, patre Domini nostri Iesu Christi, habeamus collocatam, extra quem Deus omnino nullus inuenitur. Deinde regulam fidei indicat, dum ad verbum suum nos remittit, quod audire debeamus. Cùm enim Deus nec sensibus percipi, nec intellectu & ratione nostra comprehendi possit, in verbo suo sese manifestare solet, vt ex eo discamus quis nam ipse sit, & quid de illo credi debeat. Quod verbũ cùm ab ipso mundi exordio multis & variis modis promulgauerit, tandem per ipsum filium coràm locutus est, qui & ipse fideliter docuit omnia, & Apostolos dedit, qui quod ipse tradidit in toto orbe diuulgarent. Itaq; suum sermonem audire iubens Christus, non excludit prophetas & Apostolos: sed hos simul comprehendit, quando omnes istos ex spiritus Christi suggestione locutos esse cõstat. Ergo fidei regula hæc erit, vt euangelium audiamus, cuius author est Iesus Christus, qui illius doctrinam mundo manifestauit, & secundùm hanc credamus in Deum. Faciunt hoc, qui Christum nobis à Deo mediatorem datum esse agnoscunt, & illum sibi propter hunc propitium esse confidunt, adeoque coram Dei tribunali non alio, quàm Iesu Christi merito nituntur. Ita enim in Euangelio docemur, sicuti prolixè demonstrari poterat, si in re ipsa luce meridiana clariore aliqua demonstratione opus esset. Hinc verò colligimus, frustra & falsò fidem in

Deum

Deum gloriari eos, qui verbum Christi audire dedignantur, & ipsi sibi nouas diuini cultus regulas præscribunt, aut ab alijs confictas superstitiosè obseruant. Vt enim fides ex auditione verbi Dei enascitur, teste Apostolo, neq; aliqua potest in homine certa esse salutis & gratiæ Dei fiducia, nisi quæ illius promissionibus nititur: Ita inania opinionum & persuasionum figmenta sunt, quæcunque extra Dei verbum homines comminiscuntur. Et habent quidem illa cultus diuini speciem, sed reuera ad Dei cultum nihil faciunt, qui iam olim ista damnauit, dicens: Frustrà me colunt, docentes doctrinas hominum.

Porrò alterum quoq; huius sententiæ membrũ videamus, quo fidei huius præmium triplex pollicetur, & eo omnia comprehendit quæ ad hominis beatitudinem atq; veram felicitatem faciunt. Primò vitam æternam promittit. Et vitæ quidẽ nomine omnem felicitatem significari, aliàs diximus. Hæc autem in ijs consistit, quæ ad animum spectant, quando in ijs quæ corpori seruiunt nihil stabile & omni ex parte beatum reperitur. Intelligitur ergo sub vitæ vocabulo conscientiæ tranquillitas, quæ peccati & mortis terroribus liberata in Deo gaudet, & inuicta spe cœlestem vitã iam possidet, in quã huius corporis ergastulo solutæ animæ transmigrant, vt paulò post sequetur. Et hanc quidem in præsenti pollicetur adhuc in mortali carne agentibus, quia Christum præsentem fides apprehendit, & facit vt huic insiti, vitæ in eodem participes reddamur. Quia verò hanc credentibus promittit, & quidem in præsenti: nõ obscurè nostrorum operum merita excludit. Hæc enim priusquàm credamus, nulla esse possunt, quando peccatum est quicquid absque fide fit. Vt primùm verò fides intra animos nostros concipitur, eadem simul vitam quoque apprehendit: & proinde nec illorum operum meritis illa ascribi debet, quæ fidem sequuntur. Sunt enim hæc effecta fidei, quibus sese hæc exerit, & à fucata simulatione distinguitur. Secundò ait: In iudicium non veniet. Erat hoc addendũ, eò quòd iudicij metus spem vitæ interturbat. Nam, vt Paulus ait, oportet nos omnes manifestari coram tribunali Christi, vt in corporibus nostris reportemus vel gloriã vel ignominiam, prout vel bonum vel malum fecerimus. Et Deum iudicem esse omnis scriptura docet, qui scelera impunita non sinat. Quis ergo non exhorrescat, & salutis incertus fiat, quando se quidem peccatorem esse, peccati verò stipendium mortem esse cogitat? Sed eximit hunc metum Christus, quando credentes in iudicium venturos negat. Nec tamen Paulo contradicit, quin idem alibi prolixè exponit, vt nouissimo die omnes ad suum tribunal sisti oporteat, & quis iudicij illius processus futurus sit. In præsenti autem hoc dicit, quòd cum credentibus Deus non ita in iudicium ingressurus sit, vt illos secundùm facta ipsorum iudicet, & peccatorum pœnas sempiternas illis imponat: quo sensu Dauid orabat: Domine, ne ingrediaris cum seruo tuo in iudicium: quia non iustificabitur in conspectu tuo vllus viuens. Psalm. 143. Neque tamen iustitiæ Dei quicquam decedit, licet iudicij sui rigorem, quoad credentes restringat: imò tunc maximè facit iudicis iusti officium, & qua se nobis obstrinxit, fidem suam liberat. Cur enim credentium peccata ad iudicij sui examen reuocet, cùm illa filius suæ mortis merito expiauerit? Cur maiorem peccatorum nostrorum, quàm satisfactionis per filium factæ rationem habeat? Cur Christum pro nobis intercedentem reijciat, quem ipse nobis aduocatũ & mediatorem constituit? Sumus quidem peccatores, & quantum in nobis est, æternùm damnari meremur. At quia fide Christum apprehendimus, illius iustitia omnem nostram iniquitatem sic contegit, vt hæc in rationem coram illo amplius venire non possit. Verè igitur hoc dicit Christus: In iudiciũ non veniet. Et huic consentit Paulus, dicens: Nulla condemnatio est illis, qui sunt in Christo Iesu. Sed additur hîc tertium quoque: Sed transiuit à morte in vitam. Est autem mors hominis duplex: alia corporis, alia animæ. Vt enim corpus mori dicitur, quando spiritu vitali & anima destitutum dissoluitur: Ita animæ mors est, quando peccatis obruta vitam amittit, quæ in vno Christo habetur. Ad vtramq; referri debet ista promissio. Qui enim euangelium audiunt, & in hoc Christum fidè vera amplexantur, hi à morte peccati transeunt ad vitam, cuius regulã & exemplum ipse Christus nobis exhibuit. Imò etsi carnis affectibus adhuc sint obnoxij, spe tamen iam nunc cum Christo in cœlestibus considunt, & regnum Dei intra se habent, quando & salutis suæ certi sunt, & spiritũ ducem in actionibus suis omnibus sequuntur. Deinde ijdem à morte corporis ad vitam cœlestem transeunt, quia illorum spiritus seu animæ ad Christum redemptorem suum colliguntur.

Præmium fidei triplex.

1. Vita æterna.

2 In iudicium non uenit qui credit.

3. Transitus à morte in uitã.

Mortis consideratio.

Sunt hæc dulcissimæ consolationis plena, quæ vt in nobis certior sit & efficacior, tota mortis conditio diligentius consideranda erit. Hanc per peccatum ingressam esse, scripturæ docent, & quia peccati reatu (quantum in nobis est) omnes homines tenentur, omnibus etiam moriendi lex incumbit, quam ideò sancti viam omnis terræ dixerunt. Nam etsi credentes (vt modò diximus) à metu iudicij Christus liberauerit, tamen illis quoque quoad carnem moriendū est: partim quidem propter peccati reliquias, quæ carni nostræ quasi vinculo quodā indissolubili cohærent, & quas per mortem extingui atque auferri necesse est: partim verò propter carnem nostram, cuius ea est infirmitas, vt regnum Dei possidere non possit. Per mortem ergo eam aboleri oportet, vt olim omnibus infirmitatibus liberata, & cœlestis regni capax facta resurgat. Hic autem discrimen apparet, quod inter credentes & fide destitutos est ingens. His enim mors peccati pœna est, imò transitus est ad infernales pœnas, quibus illorum animæ subijciuntur, mox vt ex corpore isto emigrant. Docent hoc prophetæ, quando de impijs tyrannis loquentes, eos apud inferos colligi dicunt cum omnibus ijs, qui dederunt terrorem suum in terra viuentium. Vide Ezechiel. 32. Isa. 14. & infinitos alios scripturæ locos, qui non aliter quàm de animabus illorum possunt intelligi: cùm satis constet, corpora in nouissimo demum die resurrectura esse, vt pœnas suas subeant. At longè felicior est credentium conditio. Quia enim illorum peccata remissa sunt, ijsdem mors peccati pœna esse nequit, transitus autem est ex mortali hac vita & valle lachrymarum ad vitæ & regni cœlestis consortium: quo illorum animæ mox fruuntur, & quo olim etiam corpora fruentur in die restitutionis omnium. Nam quod hic pollicetur Christus, latronis exemplo confirmauit, cui ad se per fidem veram conuerso dicebat: Hodie mecum eris in paradiso. Et Paulus hac spe fretus cupiebat dissolui & esse cum Christo: & idem sub Nerone in singulas horas mortem expectans, non aliud iam superesse sibi dicebat, quàm iustitiæ coronā, quæ per Christum omnibus in se credentibus parata est. 2. Timoth. 4. Videmus ergo, quàm minimè formidabilis aut terribilis esse debeat mors ijs, qui se Christo per fidem insitos esse intelligunt. Per hanc enim illis tam animæ quàm corporis libertas vera obtingit. Anima enim corporis miseri vinculis soluta ad Christum euolat, & cum cœlitibus, angelis nimirum & sanctorum spiritibus, gaudio cœlesti fruitur. Corpus autē morte solutum obdormit, & liberatum morbis, fame, ægritate & aduersis omnibus, resurrectionem expectat, in qua glorificabitur, & vnà cum anima sua æternùm viuet atq; gaudebit. Quòd verò de bonorum, voluptatum, aut etiam amicorum iactura quidam queruntur, ridiculum est. Relinquimus enim per mortem bona terrestria & momentanea, acquirimus autem cœlestia & æterna: relinquimus voluptates partim inhonestas & quales in bruti damnamus, partim multo felle conditas & instabiles, inuenimus autem sanctas & omnis amaritudinis expertes regni cœlorum delicias: reliquimus amicos mortales, at interim in sanctorum contubernium recipimur, quorum memoria nunc quoq; nobis iucunda & sacrosancta est: neq; amittimus amicos, coniuges aut dulces liberos, sed breui secuturos præcedimus. Hæc & alia huius generis Paulus consyderans, mortem lucrum suum esse dicebat, & idem cum illo iudicabunt, quicunq; hanc Christi sententiam probè consyderarint, & vera fide fuerint amplexi.

Animæ non dormiunt.

Confutantur hic simul omnes, qui nouis figmentis doctrinam hanc euertunt, & ita fidelium fidem non minus impiè quàm perniciosè labefactant. Quales sunt primò, qui animas post suum ex corpore discessum aut interire & mori, aut dormire aiunt. Si enim hoc verè dicunt, falsò Christus pronunciauit, credentes à morte in uitam transire. Idem inani spe deceptus animam suam Deo patri tam moriturus commendauit. Et ridiculè nimis Paulus dissolui optauit, vt cū Christo esset. Sed verissimè hoc Christus pronunciauit, & certa fuit Paulo sui dicti ratio, quā ex Christi verbis desumpsit: impij autem & salutis humanæ hostes sunt, qui & Christo contradicere, & salutis fundamenta conuellere audent. Deinde in eodem albo numerari debent, qui ignem illum lustralem excogitarunt, quem Purgatorium dixerunt, eò quòd animas à peccatorum sordibus per illum expurgari oporteat, priusquàm in cœlestis regni sedes recipiantur. Quorum audacia & impudentia multiplex est, & planè intolerabilis. Primò enim Christo derogant, cùm igni suo fictitio illud tribuant, quod illius sanguini debetur. Nota est enim illa Ioannis sententia: Sanguis filij Dei emundat nos ab omni peccato. Si ab omni, quid igitur igni illorum reliquum fit? Et Paulus ecclesiam à Christo purgatam dixit, vt nec rugam habeat nec maculam: quæ nimirum (vt supra diximus) coram Deo in iudicium

Contra purgatorium.

veniet.

veniat. Christus ité eos, quos ipse abluerit, non alia purgatione opus habere ait, quàm qua pedes abluant, id est vitæ suæ conuersationem quotidiano verbi sui & pœnitentiæ studio à maculis abstergant, quas illis mundus et cognata corruptio aspergere solet. Deinde desperationis authores sunt isti impostores ijs, quos in mortis articulo constitutos pijs euangelij & salutis in Christo acquisitæ promissionibus consolari debebant. Quis enim non desperet, quando peccata quidẽ sibi ob oculos versari videt, expiationem verò illorum nullam vel videt vel audit, nisi quam inter dira illa ignis purgatorij incendia fieri oporteat? Accedit his sacrilegium, quando sub religionis & sacrorum expiatoriorum prætextu bona & opes aliorum inuadunt, & suis illis terriculamentis efficiũt, vt morituri præteritis legitimis hæredibus, bona sua ignauis Monachis & sacrificulis legare soleant, quò citius ex ignis huius carnificina liberentur. Detegit horum fraudes hac breui sententia Dominus, quam nos memori mente tenere decet, vt nec afflictionibus vllis, nec mortis terroribus spem salutis nobis eripi patiamur, quæ in Christo Iesu fundata est, cui nec inferorum portæ præualent.

At quia propter cognatam nobis carnis infirmitatem nulla consolatio hic nimia esse potest, pro missionem hanc suã Christus rationibus quoq; confirmat. Mox enim addit: Amen dico vobis, quòd veniet hora, & nunc est, quando mortui audient vocem filij Dei: & qui audierint, viuent. Rursus autẽ iurandi formula vtitur, quam in ista tractatione iam tertiò adhibuit. Facit hoc Dei filius, nõ quòd dubia sit verborũ eius fides, & illa iureiurando confirmari opus sit, vel vt nos iurãdi leuitati assuescamus: sed nostræ infirmitatis rationem habet, quã eiusmodi rationibus oportet fulciri. Et primò quidem iurando nos ad diligentem eorum considerationẽ excitat, quæ tanto studio atq; constantia ab illo proferri audimus. Quis enim iurantem audiens Dei filium, non cogitet, rem maximi momenti esse oportere, cuius causa ille nobis iurare dignatur? Deinde dubitationibus medetur, quæ inter salutis promissiones nobis oboriuntur, quando illas nostris rationibus non per omnia cõuenire videmus. Sed ô execrabilem impietatem qua fit, vt nec iuranti credamus, cuius omnia verba nobis sacrosancta esse debebant. Imò non desunt, qui iuranti contradicunt palàm, & ab ipso proditam salutis doctrinam ferro & igne persequũtur. Atqui indignissimum facinus videtur, viri honesti verbis, quæ iureiurando interposito ille confirmauit, fidem derogare. Quanto igitur immanius scelus est, filio Dei obloqui, aut ea negare, quibus ille salutẽ nostrã in suo merito per solam fidẽ inueniri testatur? Promissio fidei rationibus confirmatur.

Sed quid in præsenti dicat, audiamus. Veniet hora (inquit) & nunc est, quando mortui audient vocem filij Dei: & qui audierint, viuent. Vis argumenti in eo est, quòd non temere vitam æternam polliceatur ijs, qui verbo suo credunt, cùm tanta vocis suæ virtus sit & efficacia, vt per hãc mortui quoq; excitentur. Quod vt facilius persuadeat, Dei filium se dicit, ita nimirum Dei potentiam illis in mentẽ reuocans, qui initiò omnia per verbum ex nihilo creauit, simulq; monet ipsos, ne in infirma hominis ab ipso assumpti specie hæreant, sed in operibus suis relucentem diuinam maiestatẽ intueantur. Deinde se breui editurum dicit diuinæ virtutis specimina. Nam mortui (inquit) audient vocem filij Dei: & qui audierint, viuent. Quæ verba simpliciter intelligi debent de ijs, quos nõ multò post Christus ex morte in vitam reuocauit: nimirum Iairi filia, filio item viduæ in Naim, & Lazaro Bethaniẽsi: quos omnes solius verbi sui virtute suscitauit, nõ vllo alio medio adhibito, vt huic promissioni fidem faceret. Iairi enim filiæ dicebat: Talitha cumi, id est puella, tibi dico, surge: Et confestim surrexit, & ambulauit. Similiter viduæ filio dicebat: Adolescens, tibi dico, surge: Et mox resedit qui fuerat mortuus, & cœpit loqui. Ad Lazari verò sepulchrum magna voce clamabat: Lazare, veni foras: nec mora, prodijt mox qui iam quartum diem in sepulchro agebat. Et hæc quidem facere voluit Iesus, vt se vitæ & mortis dominum esse doceret, & salutis promissiones confirmaret, quarum summam modò audiuimus. Vt verò ista diuinam Christi potentiam euidentissimè asserũt, sic verbi sui virtutem commendant, quæ non minor in multis alijs ipsius operibus eluxit. Eiusdem enim generis sunt, quòd verbo cæcorum oculos aperuit, mutorum linguas soluit, morbos profligauit, ventis & mari imperauit, imò ipsos etiã dæmones ex obsessis exire coegit. Sunt hæc eiusmodi, vt ex illis abunde pateat, Iesum Christum æternũ illud Dei verbũ esse, cuius virtute omnia creata sunt. Attamẽ omnia hæc superat, quòd eodem verbo omnes gentes, quas in delictis mortuas & in densissimis errorum atq; superstitionum tenebris sepultas satan multis seculis detinuerat, in vitam & lucem fidei eduxit, & totum illud tenebrarum regnum subitò destruxit, nequicquã ipsi reluctantibus Vox filij Dei excitat mortuos.

omnibus, qui tunc temporis totius orbis imperio potiebantur. Scimus enim quæ tunc mundi cõditio fuerit, quãdo & scelera impunè grassabantur, & falsa sapientiæ persuasione plerique sibijpsis imponebant, & insuper miseros oraculis suis dæmon dementabat, vt in præsens exitium ruerent, qui salutis suæ imprimis cupiebant esse consultum. Erat hæc mors omnium atrocissima, imò sepulchrũ hoc erat & vorago infernalis, ex qua nemo mortalium sua industria eluctari, aut aliorum auxilio extrahi poterat: eoq; miserior erat, imò desperata planè humani generis conditio, quòd & suo exitio omnes delectarentur, & pro illo tanquam pro salute publica omnes vnanimi consensu pugnarent. At quod impossibile factu erat hominibus, hoc per verbum suum Christus præstitit. Postquam enim peccata nostra in ara crucis morte sua expiauit, & mortem ipsam sua resurrectione vicit, mox in orbem totum emisit apostolos, qui non alijs armis, quàm suo spiritu & verbo instructi superstitiones debellarunt, diaboli impostoras & imperium dissoluerunt, & profunda morte sepultos asseruerunt in libertatem filiorum Dei, in qua vitam sanctam & Deo gratam vixerunt, qui prius viuentes mortui erant, sicuti de vidua in delitijs agente Paulus loquitur. Testantur hoc prophani etiam scriptores, qui illo tempore Deorum cultus passim collapsos esse, & oracula cessauisse conqueruntur. Siue ergo corpus siue animam spectemus, verissimè à Christo dictum est, mortuos audituros vocem suam, & victuros esse eos qui illam audierint.

Officiũ eorum, qui Christi vocem audiunt.

Hic autem admonemur etiam, quid eos facere conueniat qui vocem Christi audiunt, imò quid reuera faciant quicunq; illam verè audiunt. Audiuit olim vocẽ Christi filia Iairi, & reuixit. Idem in filio viduæ & in Lazaro euenisse dictum est. Audiuerunt postea Christi vocem in apostolis gentes, & à peccatis atq; superstitionibus quasi in vitam reuocatæ, Deo in spiritu ac veritate seruierũt. Et hunc verbi sui effectum perpetuum esse, Christus ipse testatur, quando ait: Oues meæ sequuntur me, quia norunt vocẽ meam. Quotquot ergo oues Christi esse cupiunt, Christi vocem audiant, & relictis operibus mortuis, id est peccatis, quæ morti æternæ nos mancipãt, illum sequantur, & seruitutem illius obsequio addicant, cuius sanguine se redemptos esse audiunt. Monet hoc grauiter Paulus apostolus, cùm Ephes. 5. scribit. Ne commercium habeuritis cum operibus illis infrugiferis tenebrarũ, sed potius etiam illa arguite. Et mox Christi dictum citat, quod huic tractationi probè cõuenit: Excitare qui dormis, & surge à mortuis, & illucescet tibi Christus. Sed ô infelices nostri seculi homines, qui insuperabili sua contumacia docent, quantus hodie sit reproborum numerus. Audierunt olim Christi vocẽ mortui, & reuixerunt. Audierunt cæci, & visum receperũt: muti, & linguis suis Deũ glorificauerunt: claudi, & nouis viribus confirmati in illo exultarunt. Audiuerunt item venti, & quieuerunt: mare præterea & fluctus, & mox illius paruerunt imperio. Audierunt præterea vocem hanc dæmoniaci, & illi supplices facti sunt, qui prius nec catenis nec compedibus coerceri poterant. Imò audiuerunt hanc ipsi dæmones, & iussis illius sese obsequentes præbuerunt. Audierunt denique gentes, & stupenda est facta totius mundi mutatio, quæ sapientissimos in admirationem adduxit, potentissimus verò Monarchis terrorem incussit. At hodie cum vocem hanc omniũ auribus & oculis Christus dicendo & scribendo ingerat, & simul ad hanc amplexandã prodigijs & signis horrendis excitet: attamẽ illa à nominis Christiani professoribus contemnitur & reijcitur, adhæc conuitijs, calumnijs, ferro item & igne obruitur. Sed & inter eos, qui relictis crassioribus superstitionibus synceriori doctrina euangelij gloriantur, paucissimos est videre, qui à mortuis peccati operibus resurgant, & vero pœnitentiæ studio se in Christo viuere testentur. Est hoc euidens nouissimi seculi argumentum, quo ille fidem in terris raram, adeoq; nullam fore prædixit. Meminerint tamẽ infelices illi, fore diem illum, quando vocẽ filij Dei venientis in nubibus cæli, velint nolint, audire cogentur, vt ex mortuis resuscitati ad illius tribunal sistantur, & in corporibus suis digna suæ impietatis præmia recipiant, de quo in sequenti sermone prolixius dicetur.

Christus iudicij potestatem habet.

Cæterùm repetit quòd prius de potestate sibi cõcessa dixerat, vt & hoc suum dictum confirmet, & simul ostendat, hanc virtutem sibi propriam, adeoq; naturalem, non ascititiã esse. Et primo quidem dicit: Sicut enim pater habet vitam in semetipso, sic dedit & filio habere vitam in semetipso. In semetipso habere idẽ est quod ex seipso aliquid habere, & eius libera potestate frui, vt illud pro suo arbitrio alijs communicare possis. Ita Sol lucem in semetipso habet, quia non aliunde accipit, & eandem reliquis creaturis cõmunicat. Luna verò lucem quidem habet, sed non in semetipsa habet: quia

à Sole

à Sole illam accipit, & per hunc pro ratione cursus sui irradiatur, vt nunc pleno orbe splendeat, nũc dimidia parte tantùm, mox autem omni lumine destituta quasi euanescat. Simili ratione vitam habent homines & animalia, sed non in semetipsis habent vitæ fontẽ & causam, neq; illam pro suo arbitrio vel alijs conferre, vel sibi retinere possunt: à Deo autẽ habent, qui cùm ipsi visum fuerit, spiritum suum eripit, & mox expirant illa (vt in Psal. 104. dicitur) & abeunt in puluerem. At longè alia est Dei ratio, qui cùm ipsissimus vitæ fons sit, à nullo alio dependet, sed ex semetipso & in semet ipso existit, & ideo ab æterna illa existentia sibi nomen Iehouæ imposuit. At quia illi coæternus & coessentialis est filius, hic quoq; vitam similiter in semetipso habet, adeoq; fons vitæ est, de cuius plenitudine omnes accepimus. Neq; aliquẽ hic moueat dandi verbum, vt patre minorem putemus filium, cùm ille huic vitæ potestatem dederit. Aut enim secundùm humanam naturam loquitur Christus, & tunc propriè dicitur, potestatẽ hanc sibi datam esse, cùm nemo hominum illam ex semetipso habeat. Aut si secundùm diuinam naturam hoc dictum esse intelligamus, sic quoq; nihil absurdi aut incommodi sequetur. Nam vt D. Augustinus exponit, pater filio dedit vitam habere in semetipso, quia talem genuit, qui vitæ fons est, imò vita est ipsa. Quia verò illum ab æterno genuit sibi coessentialem, nihil nos prius aut posterius, & proinde nihil minus aut maius inter patrẽ & filium animo concipere debemus. Imprimis autem huius loci statum obseruare cõuenit, qui est, vt Christum agnoscamus vitæ authorem esse & simul mortis dominum, qui propria virtute, quos ipse vult, viuificare & ex mortis faucibus eripere possit. Doctrinæ autem huius nobis vsus sit, ne in mortis articulo constituti desperemus. Quid enim illa aduersus eos possit, qui Christo insiti per fidem, in illo vitam æternam iam possident?

Christus iudicij potestatem habet.

At quia nouissimam omnium resurrectionem sequetur iudicium, huius quoq; potestatẽ & authoritatem omnem ad se pertinere ait: Et potestatem dedit ei iudicium faciendi, quia filius hominis est. Videtur autem hæc particula ad eius confirmationem facere, quòd credentes dixerat in iudicium non esse venturos. Quia enim iudicij potestas omnis penes ipsum est, liberũ ipsi est, quos vult, ab illius metu eximere, neq; illum quisquam cogere poterit, vt aduersus suos seueriori examine vtatur. Quod verò per causæ redditionẽ subijcit, Quia filius hominis est, bifariàm ferè exponitur. Alij enim de assumpta hominis natura hoc dictum esse arbitrãtur, cui potestas hæc data sit, eò quòd illam ex semetipsa non haberet. Et in hac sententia Cyrillus est, qui hanc particulam subijci dicit, vt intelligamus omnia sibi data fuisse vt homini, qui cùm creatura sit, nihil habet à seipso. Idẽ quoq; Augustinus sensit, qui inter alia sic scribit: Secundùm quod est filius Dei, sicut habet pater vitam in semetipso, sic & dedit filio vitam habere in semetipso: secundùm autem quòd filius hominis est, potestatem dedit ei iudicium faciendi. Item: Secundùm hoc accepit potestatẽ iudicandi, quia filius hominis est: Nam secundùm quòd Dei filius est, semper habuit hanc potestatem. Accepit qui resuscitatus est, accepit qui natus est, accepit qui crucifixus est. Alij verò ad æternum Dei decretum hoc referunt, quo constitutum est, vt filius in assumpta hominis forma in nubibus cœli veniat ad iudicandum viuos & mortuos. Exposuit hoc Dauid, quando Deum Domino suo, id est Messiæ ex se nasciturο dixisse ait: Sede à dextra mea, donec posuero inimicos tuos scabellũ pedũ tuorum. Et Daniel mysterium hoc in visione quasi oculis spectandum exhibuit, quod ipse describit ad hunc modum: Spectabam in visis nocturnis, & ecce veniebat in nubibus cœli quidã ceu filius hominis, qui vsq; ad antiquum dierum peruenit, eumq; adduxerunt ante illum. Et dominatus est ei traditus, & honor, & regnum, vt omnes populi, nationes & linguæ colant eum, &c. Quòd si ergo ad hoc respexit Dominus, Iudæorum errori hanc particulam opponere voluit, qui tantam in illo maiestatẽ non poterant agnoscere, eò quòd nudum hominem esse putarent. Sensus itaq; est: Offendit vos vilis & contempta assumpti hominis species. At simul in animũ vos reuocare oportebat prophetarũ oracula, qui Messiam diuina gloria illustrem fore, inq; humana forma ad iudicium olim venturũ esse prædixerunt. Ne quid ergo dissimulẽ, ego filius ille hominis sum, quem olim Daniel vidit, & proinde optimo iure mihi vitæ & iudicij potestatem vendico, &c. Vterq; sensus pius est, & instituto Christi probè conuenit: nec perperam nos facturos putauero, si vtrumq; simul coniungamus: Quòd nimirùm secundùm humanam naturam iudicandi potestatem acceperit, hæc autẽ illi sit data, eò quòd non vulgaris homo sit, sed Filius ille hominis, quem secundùm veteres promissiones Dei filius assumere debuit, &c.

Illud enim ad declarandam Christi maiestatem faciet, & simul naturarum in illo distinctionem melius retinebimus, quam veteres diligenter obseruarunt ad hæreses confutandas, quæ circa has potissimùm exortæ fuerũt: nec minori studio hodie retineri debet, quando veteres errores quotidie pullulare videmus. Quoad verò præsentem tractationem, obseruabimus in Christo Iesu nobis apertum esse fontem vitæ, qui prius in Deo absconsus erat, ad cuius maiestatem nostra infirmitas appropinquare non poterat. Idem etiam in humana forma, imò verus Deus & homo ad iudiciũ veniet in nubibus cœli, vt & impij efficacius arguantur, quando in tanta gloria eum videbunt, quem improbè contempserunt: & assumptæ humanitatis gloria manifestetur. Horum itaq; cõsyderatione excitati, audiamus verbum Iesu Christi, & in illo vno quæramus vitam æternam, quam certò consequentur, quicunque ipsum vera fide amplexi fuerint. Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.

HOMILIA XXXIX.

Ne miremini hoc: nam ueniet hora, in qua omnes qui in monumentis sunt, audient uocem eius: Et prodibunt qui bona fecerũt in resurrectionem uitæ: qui uerò mala egerunt, in resurrectionem iudicij.

Docuit nuper Iesus Christus se verũ esse Dei filium, & in hoc consistere vniuersam nostræ salutis rationem, vt ipsum perinde vt Deum patrẽ honoremus. Imò, Qui non honorat (inquit) filium, nec patrem honorat, qui misit ipsum. Mox verò exposuit etiã, qua ratione cùm ipse tum pater honoretur: Nimirum, si euangelium audiamus, & secundùm illius præscriptum omnem salutis nostræ fiduciam in vno Deo collocemus. Et huic doctrinæ promissionẽ addidit, quòd qui hoc faciũt, vitam æternam iam nunc habeant, quam neq; mors neq; iudicij metus illis eripere aut interturbare possit. At quia hoc arrogantius dictum videri poterat, illud ipsum demonstratione euidenti confirmauit, docens, sibi datum esse vitæ & mortis imperium vnà cum potestate iudicandi, id quod reipsa cognituri sint, quando ipsius voce & virtute mortuos in vitam reuocari videant. His cõmodè promissionem de vniuersali omnium hominum resurrectione subijcit, & ne quis potestatem suam certis loci aut temporis finibus circumscriptam putaret, se illius quoq; authorem fore docet. Est autem locus hic dignissimus, in cuius consideratione dies & noctes versemur. Nam vt in resurrectione à mortuis nostræ salutis complementum & certitudo consistit, sicuti Paulus 1. Cor. 15. diligenti demonstratione docet: sic huic articulo semper insidiatus est satan, vt hoc euerso, aut saltẽ labefactato, salutis quoq; fundamenta euerteret. Huius itaq; instigatione factum est, vt olim multi resurrectionẽ simpliciter negauerint, vnà cum animarum immortalitate: alij verò subtiliori speculatione decepti, animarum transmigrationem in alia corpora finxerint: quem errorem inter Iudæos quoq; receptum fuisse, alibi diximus. Inter Christianos autem, docentibus adhuc apostolis, alij resurrectionem palam negabant, alij allegoriarũ studio seducti, spiritualem fingebant, quæ in hominis regeneratione & innouatione spiritus consisteret: ex quorũ numero Hymenæus & Philetus fuisse videntur, de quibus in posteriori ad Timotheum Paulus disserit. Et Petrus apostolus nouissimis temporibus illusores fore prædixit, qui scurriliter rideant, quæcunq; de fine mundi, & nouissimo Christi ad iudicium aduentu dicuntur. Atqui tales hodie passim audimus: & vt omnes sileant, effrenis tamẽ illa peccandi licentia & cum immani præceptorum Dei contemptu coniuncta securitas, docet quàm plurimos esse, qui cum morte omnia hominis simul interire arbitrentur. Quia verò impiorum sermonibus & generali illo mundi exemplo multi seducuntur, vt aut ijsdem errorum laqueis capiantur, aut saltem securiores fiant, multùm proderit, breuem hanc Christi sententiam memori mente tenere, qua & resurrectionem mortuorum constanter asserit, & omnia complectitur, quæ in hac causa nos vel in tentationibus consolari, vel in officio continere possunt, simulq; omnes rationes confutat, quibus impij illusores huius articuli fidem oppugnant.

Argumento à maiori probat quod dixit.

Porrò ijs quæ præcesserunt, locũ hunc connectens ait: Ne miremini, nam venit hora, &c. Non autem stupidos aut oscitantes esse iubet, qui nulla eorum admiratione ducantur, quæ se facturũ dixerat

xerat. Piorum enim est, opera Christi diligenter obseruare, & pia eorundem admiratione in fide cõ firmari. Illorum verò stuporem arguit, qui quod se facturum dicebat, impossibile esse arbitrabantur, & proinde verbis eius non credebant. Sensus ergo verborum hic est: Videor vobis plus quàdã dicere, quàm præstare queam. Sed maiora adhuc restant, quæ per me confici oportet: quæ si cum paucu lorum resuscitatione conferantur, qui mea virtute excitati à mortuis resurgent, suo splẽdore et ma iestate omnia signa quasi obscurabunt, quæ in carne hac agens feci, et in posterũ facturus sum. Venit enim nouissima illa hora, quando voce mea omnes excitabunturi, quotquot à mundo condito mortui sunt, & deinceps morientur, & tunc omnes homines, velint nolint, meam potentiam et diuinam ma iestatem videre & agnoscere cogentur. Sunt autem verba hæc clara & perspicua: quare res potius, quæ his continentur, inspicere conuenit.

Primùm, à tempore orditur, & horam venire dicit. Quo vocabulo diem certũ iam nunc æterno Dei consilio constitutũ esse docet, quo ista fieri oporteat. Testatur idem Paulus, quando Athenien- sibus dicit: Statuit diem Deus, quo iudicaturus est orbem terrarum cum iustitia. Agnouerunt hoc ipsum ex gentibus nonnulli, qui & mundi totius conditionẽ, & Dei in huius administratione prouidentiam propius inspexerunt. Ouidius certè Iouem de incendio terris immittendo consultantem describens, inter alia sic ait: Tempus resurrectionis uniuersalis.

Esse quoq; in fatis reminiscitur, affore tempus,
Quo mare, quo tellus correptaq; regia cœli
Ardeat, & mundi moles operosa laboret.

Confutantur ergo hic philosophi, qui mundum hunc æternum esse, & nec cœpisse vnquam, neq; finem habiturũ esse dixerunt. Quæ enim ratio foret, homines omnes intermori, quorum gratia mundus hic creatus est, hunc verò æternum manere? Ne tamen eum temere interituru putemus, horam certam illius fini Deus destinauit, sicuti singulis quoq; hominibus certos vitæ dies constituit. Vt verò mortis nostræ horam nobis ignotam esse voluit: Ita nouissimi quoq; diei articulum nos cælauit, quò minus socordiæ locus esset, & illius expectatione ad salutis nostræ curam diligentiorem excitaremur. Est igitur impia & pernicioſa illorum temeritas, qui vel diem, vel mensem, vel annum inquirunt, quo Christus venturus sit, cùm hic apud Mar cum diserte testetur, diem illum angelis quoq;, imò & sibijpsi, quatenus homo est, incognitum esse. Obseruabis autẽ hoc loco dici: Venit hora, non Veniet. Ita enim dicendo docet, horã illam iam nunc in suo cursu esse, & in singula momenta appropinquare. Facit huius consyderatio multùm ad excutiendam nobis animorum securitatem & frænandam carnis licentiam. Vt enim serui, licet negligentiores sint, quando herum peregrè subsistere & moram trahere norunt, mox ad officiũ redeunt, si illum tam iter ingressum esse & rectà domum properare intelligant, & se simul atq; sua omnia ad illius aduentum præparant: Ita quàmuis interdum nobis sopor obrepat, & carni licenter nimis indulgeamus, quando illius diei obliuiscimur, mox tamen nouus pietatis ardor accenditur, si horam illam indies propius accedere cogitemus, & fortaſsis iam nunc in foribus esse, dum multi sibijsis adhuc infinita secula pollicẽtur, quibus hunc mundũ durare oporteat. Sed ô infelices nos, qui cùm mortis nostræ horã nobis imminere sciamus, deq; eius improuiſo aduentu exemplis quotidie nouis, & sæpe per quàm horrãdis admoneamur, & simul Christum ad iudicium venturum audiamus, cuius præludia non obscura nobis ob oculos versantur: securi tamen ludimus, comessamur, libidinamur, & in omne scelus impudenter ruimus. Vnde verò hoc? Ex eo nimirũ, quòd cum malo illo seruo in corde nostro dicimus: Tardat dominus meus venire. Ac simul cogitandum erat, quod hic dicitur: Venit hora: Et quod de improbo illo seruo Christus loquens, addit: Veniet dominus serui illius in die quo non expectat, & hora qua non nouit, &c. Vide item 1. Thess. 5.

Secundò, quid in illa hora fieri oporteat, videamus. Omnes (inquit) qui in monumẽtis sunt, audient vocem filij Dei: & prodibunt, &c. Sensus est, mortuos omnes sua virtute resuscitandos esse in nouissimo die. Quod verò paucis hic dicitur, ex spiritus Christi reuelatione Paulus diligenter expo nit, & quasi historiam futuræ resurrectionis contexit. Nam 1. Corinth. 15. sic scribit: Ecce, mysterium vobis dico, Non omnes quidẽ obdormiemus, sed omnes mutabimur in momento & ictu oculi ad vltimã tubam (canet enim) & mortui suscitabuntur incorrupti, & nos mutabimur. Et in priori ad Thessal. cap. 4. Hoc vobis dicimus verbo Domini, quòd nos viui, qui reliqui erimus in aduentu Historia resurrectionis nostræ.

Domini, non præueniemus eos qui obdormierunt. Nam ipse Dominus cum hortationis clamore, & voce archangeli ac tuba Dei descendet de cœlo; & qui mortui fuerint in Christo, resurgẽt primùm: Deinde nos viui, qui reliqui erimus, rapiemur simul cum eis in nubes, in occursum Domini in aera, & ita semper cum Domino erimus. Debent etiam huc referri, quæ in Apocal. cap. 20. narrantur: Vidi thronum magnum candidum, & quendam ei insidentem, à cuius conspectu fugit terra & cælũ, quorum locus non est inuentus. Et vidi mortuos magnos & pusillos, stantes in conspectu Dei: & libri aperti sunt: & alius liber apertus est, qui est liber vitæ: iudicatiq; sunt mortui ex ijs, quæ scripta erant in libris, secundùm opera eorum. Et reddidit mare mortuos quos habebat: Mors quoq; & Infernus reddiderunt mortuos quos habebant. Et iudicatum est de singulis secundùm opera ipsorum. Infernus autem ac mors coniecti sunt in stagnum ignis: quæ est mors secunda. Et qui non inuentus est in libro vitæ, coniectus est in stagnum ignis, &c. Adde his quæ ab ipso Domino apud Matthæum Cap. 24. & 25. dicuntur, & plenam habebis diei illius historiam: quam nouisse oportet propter eos, qui dum mira & ineffabilia quædam hic fingunt, corporũ veritatem exinaniunt, & pariter in dubium vocant præcipua huius tractationis capita. Proderit ergo quædam diligentius excutere: nimirum, de quibus hic sermo fiat, quæ item futura sit corporum resuscitatorum conditio.

Qui nam resurrecturi sint?

Quoad primũ, de ijs loquitur Christus, qui in monumentis sunt. Quod nõ ita accipi debet, quasi non etiam restituendi sint, qui vel in aquis suffocati, vel ignibus cremati, vel in aere cõsumpti, vel à bestijs deuorati, sepulturæ honore caruerunt. Nam vt ex loco Apocalypsis didicimus, mare etiam eos reddet, qui in ipso perierunt, imò mors & infernus reddent quoscunq; absumpserunt. Quibus verbis Apostolus omnes mortis species intelligit, quæ homini possunt accidere, & sub his eos quoq; cõprehendit, qui viui vnà cum corpore & anima ad inferos descendisse leguntur, quales fuerũt Core, Dathan & Abiram. Voluit tamen sepultorum meminisse Christus, vt certius constaret, ipsa corpora defunctorum resurrectura esse, & quidem illa ipsa, in quibus vixerunt, & quæ post mortem resoluta ad materiam eam redierunt, ex qua primùm desumpta fuerant. Docet hoc passim scriptura, sed certè Cap. 26. ait: Mortui tui viuent, qui corpus meum sunt, resurgent. Expergiscimini & iubilate habitatores puluueris, id est vos, qui in sepulchris in puluerem redacti estis. Danieli item angelus dicit: Multi qui dormiunt in terra & puluere, resurgent. Dan. 12. Omniũ verò euidentissimè Iobus mysterium hoc explicat, qui in summis angustijs suæ salutis fiduciam exponens ait: Noui ego, quòd vindex meus viuit, & nouissimo die adhibebit suam virtutem puluери. Postquam verò circumdederint hoc cute mea, spectabo Deum è carne mea. Quem ego mihi contemplabor, & oculi mei videbunt, & non alius. Ea ergo ipsa corpora resurgent, quæ in hac vita gestamus, & quæ in morte cadit aut resoluuntur: sicuti in symbolo apostolico profitemur. Et vt id fiat, non modò salutis nostræ ratio, verumetiã Dei iustitia exigit, quæ salua esse nequit, nisi in eo corpore retributio fiat, in quò vel pie vel impiè vixímus, & quod nobis tam ad benè quàm ad malè agendum obsequiũ præstitit. Tractarunt argumentum hoc orthodoxi patres diligenter, quando resurrectionem aduersus philosophos asseruerunt, qui scripturæ sacræ testimonia nõ recipiebant, vt in Athenagoræ libro de Resurrectione & in Theodoreti Sermone 9. de Prouidentia, est videre. Itaq; non Christum modò & scripturas omnes falsi arguunt, qui corporum resurrectionem negant: sed ijdem Dei quoq; iustitiam è medio auferunt, & proinde Dei hostes sunt, & religionem omnem impiè conuellunt, vt alibi pluribus est dictum. Nunc illud obseruatu cum primis dignum est, corporum nostrorum resurrectionem nullo vel morbi genere, vel cadauerum tractatione, vel etiam sepulturæ loco prohiberi aut impediri posse. Sine enim morbis conficiamur, siue morte violenta occumbamus, tamen mors olim nos reddere cogetur, cum dies ille restitutionis omnium venerit. Similiter siue in locis sacris honorificè sepeliamur, siue contumeliosè abijciamur, aut etiam barbara crudelitate dilaniemur, vel in cineres redigamur; tamen & quoq; corpora resurgent. Est ergo hinc consolatio petenda in morbis corpus totum depascentibus, & tormentis carnificum & in suppliciorum nouorum terroribus, quæ immanes tyranni aduersus nos excogitare solent. Præterea superstitionibus hæc doctrina medetur, ne ex sepulturæ loco nobis aliquam salutis prærogatiuam polliceamur. Est enim omnis terra Domini, & vt omne solum sua patria est, ita vbiq; locorum bene cubant piorum ossa, quæ in magno illo die carne & cute rursum vestita ad beatam immortalitatem resuscitabuntur. Relinquamus ergo superstitiosum sepulturæ apparatum

paratum hominibus auaris, quibus lucri odor ex re quauis dulcis est, nos verò vt in vera fide moriamur, curemus: corporis verò nostri curã relinquamus hæredibus: qui si pij fuerint, honore debito nos non fraudabũt: si verò impij & inhumani fuerint, sua tamẽ immanitate saluti nostræ nihil officient.

Corporum resuscitatorum conditio.

Quæ autẽ corporum nostrorum conditio post resurrectionẽ futura sit, Paulus vno verbo docet, quando mortuos resurrecturos ait incorruptos. Hoc ipsum verò ipse paulò ante diligentius exposuerat hisce verbis: Seminatur corruptioni obnoxiũ, suscitatur incorruptũ. Seminatur ignominiosum, suscitatur gloriosum: seminatur infirmũ, suscitatur potens: seminatur corpus animale, suscitatur corpus spirituale. Spirituale autẽ corpus dicendo, non de essentia, sed qualitate corporis loquitur: & vt animale corpus dicit, cui anima vitales vires præstat, & proinde corruptioni obnoxium est, & quotidiana instauratione opus habet: ita spirituale corpus vocat, quod Dei spiritu animatur, nec vllis externis adminiculis opus habet. Erunt ergo corpora in resurrectione incorruptibilia, immortalia, clarificata atq; gloriosa. Vbi diligenter obseruabis, clarificationẽ corporum essentiæ & veritati nihil derogare, vt quidã somniant, qui illa ἀνάλογον & eius conditionis esse fingunt, vt nullo certo loco contineantur, sed vbiq; sint simul. Alibi enim horum errorem Apostolus manifestè confutat, quando corpora nostra corpori Christi glorioso similia fore dicit. Philip. 3. At Christi corpus post resurrectionem visibile & palpabile fuisse, carnẽ & ossa habuisse, imò comedisse & bibisse (quàmuis cibo & potu iam nũ amplius opus haberet) & certis locorum spacijs fuisse circũscriptum, Euangelistæ & Apostoli adeò luculenter testantur, vt illud negare non insanum modò, sed impium sit figmentum, quod confutationẽ nullam meretur. Itaq; clarificatio non aliquid ex corporis substantia adimit, sed illud vitijs liberat, quæ ex peccato nobis inhærent, qualia sunt morbi, fames, sitis, lassitudo, corruptibilitas denique, et ipsa mortalitas: quam omnino auferri oportet, quia mortale corpus nec cœlestis regni capax esse potest, nec æternis inferorum pœnis sufficere. Plura de his si quis videre cupiat, legat D. Hieronymi Epistolam ad Pammachium de erroribus Ioannis Hierosolymitani.

Cuius virtute resuscitandi sint mortui.

Nunc ad Christi verba redeamus, qui docet etiam cuius virtute corpora nostra resuscitanda sint: Sua nimirum, cuius vocem audituri sint mortui, & prodituri in vitam. Vocem hanc Apostolus clamorem hortationis, tubam Dei & vocem archangeli dixit. Vbi nos non tam vocem aliquam externam, quàm huic coniunctam Christi diuinam virtutem imaginari oportet, cuius operatione illud omne perficietur. Huius consideratio nobis firmissimi argumenti loco esse debet, & omnem ex animis nostris dubitationem eximere. Cur enim impossibile putemus ad eius vocem mortuos excitari, qui solo verbo suo totam hanc mundi machinam produxit? Vel cur difficilius videatur id quod aliquando fuit restituere, quam quod nunquam fuit ex nihilo creare? Quòd si verò alicui etiam mundi creatio dubia adhuc est, illum ego ad ea respicere iubeo, quæ quotidie in rerum natura fiunt, & infinitis exemplis resurrectionem mortuorum adumbrari, & huius promissiones confirmari videbit. Concipitur in vtero matris infans, & ex liquido semine res multùm inter se diuersæ nascuntur, caro, ossa, nerui, venæ, vngues, pili: & in vtero anima vitali donatur, ibi viuit, nutritur, mouetur, & tandem inde ceu ex sepulchro in lucem prodit. Quis adeò stupidus est, qui in his typum resurrectionis non agnoscat? Eadem est seminis in terram proiecti & glebis obruti ratio. Hoc enim postquàm emortuum fuerit, germinat, atque ad suam maturitatem perductum fructus fert vberrimos. Imò terram ipsam inspiciamus, quæ vnà cum plantis sub hyemem quasi moritur & torpida iacet, vere autem ineunte nouos (vt sic dicam) spiritus concipit, & reuiuiscens habitum nouum induit, & suas nobis diuitias liberaliter depromit. Sic inter noctem & diem quædam mortis atq; resurrectionis imago est, dum nocturnæ tenebræ mundum totum quasi sepeliunt, eundem verò aurora atque Sol exoriens noua luce perfundunt, quæ ipsius vita dici posset. Sed ad hominem redeamus. Annon illum quotidie somno opprimi videmus, qui & sensuum & rationis vsum omnem adimit, vt non immerito quidem hunc mortis fratrem dixerint: at eodem excusso sibijpsi homo restituitur? Sed & inter bruta animalia vrsos & mures alpinos totas hyemes absque cibo & potu dormire, & somno tam profundo sepultos iacere constat, vt nulla agitatione, imò ne vulneribus quidem excitari queant, donec redeunte ad nos verno tempore euigilant, exque suis cauernis in lucem prodeunt. Hæc (inquam) & infinita alia, cùm quotidie fiant, quæ ratio nos mouet, vt ad resurrectionis mortuorum mentionem perinde obstupescamus, ac si quid nouum & insolens, vel factu impossibile prædice-

tur? At dicet aliquis, ista secundùm naturæ leges fieri. Fateor. Interrogo autem, quæ nam ista naturæ lex sit, qua hæc omnia administrantur? Vbi aliud responderi non potest, quàm diuinæ voluntatis decretum siue constitutionem esse, vt ista ad hunc modum fiant, & suis (vt modò diximus) vicibus sibi inuicem succedant. Atqui eiusdem voluntatis diuinæ decretum est, vt mortui reuiuiscant, & corpora nouissimo die excitata resurgant. Non minus ergo, quàm quotidiana ista, resurrectio quoque mortuorum secundùm naturæ, id est, diuinæ voluntatis omnia gubernantis leges olim futura dici poterit. Quod si qui adhuc negare volent, ostendant illi quid obstet, quò minus olim eadem sit futura diuinæ voluntatis virtus atque efficacia, quæ hodie in ijs relucet, quæ hucusque commemorauimus? Videant denique isti homines, quàm absurdum & iniquum foret, terram cum plantis & arboribus quotannis reuiuiscere, hominem verò creatorum omnium principem, cuius ergò totus hic mundus conditus est, semel extinctum morte æterna sepeliri? Hæc certè qui probè expendunt, & cum rationibus istis scripturas conferunt, in resurrectionis fide ita confirmabuntur, vt mox intellecturi sint, hanc in Dei voluntate & potentia ita fundatã esse, vt impediri nullo modo possit: & proinde illusores illos Epicureos facilè contemnent.

Finis resurrectionis.

Cæterùm videamus, in quem finem mortui resurrecturi sint. Prodibunt (inquit) qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ: qui verò mala egerunt, in resurrectionem iudicij. Finis ergo omnium erit remuneratio, qua pijs quidem promissa æternæ beatitudinis præmia reddentur, impijs verò pœnis sempiternis mulctabuntur. Estq; hæc etiam causa resurrectionis, quæ hanc necessariã esse & omnino fieri oportere docet. Quia enim in hac vita remuneratio rarissima, & ferè nulla est, cùm plerunq; boni afflictionibus assiduis exerceantur, mali verò insolenter & impunè agant omnia: in alio seculo fiat oportet, nisi iustitiam quoq; Dei vnà nobiscum interire aut euanescere dicamus. Remuneratio autem nec vera nec perfecta erit, nisi corpora nostra vel promissam gloriã recipiant, vel denunciatas pœnas sentiant, sicuti supra quoque diximus. At hîc primò obseruabimus, in die illo separationem illam fore, de qua sæpe concionatur Christus, & quam olim in prophetis nõ vno loco promisit. In hoc quidem seculo pij impijs permixti viuunt, & in eodem Domini agro zizania cum tritico succrescunt, idèq; rete euangelicũ omnis generis pisces, tam bonos quàm malos attrahit: quod vt ipsi molestissimũ est, ita infirmos in fide vehementer offendit, qui interdum de Dei prouidentia & iustitia dubitare incipiunt. Sed non perpetua erit ista mundi huius conditio. Veniet enim ad iudicium filius Dei, & pios ab impijs, vt agnos ab hœdis, separabit, & viriscq; prout fecerunt rependet. Nemo ergo vel simulatæ sanctimoniæ fucus aut rident is fortunæ successus confidentem reddat, & perpetuæ impunitatis spe inebriet. Nemo itẽ impiorũ exemplis offendatur, aut propter illos temere ab ecclesia discedat, sed expectet diẽ illũ separationis, ne dũ ipsi, bono quidẽ sed incõsiderato zelo, zizania impetuosius extirpare conamur, vnà cũ illis triticũ quoq; euellamus, et ecclesias miserabiliter dissipemus.

Ratio nouissimi iudicij.

Deinde quæ huius separationis ratio futura sit, indicatur: Nimirum quatenus vel bona vel mala egerunt homines. Ergo operibus (inquis) & meritis hominum vita æterna debetur? Minimè. Nec enim de merito salutis, aut huius propria causa hîc disserit Christus, sed externam notam indicat, ex qua salutis & regni cœlestis hæredes agnoscuntur: & quia hanc non ex nobis ipsis habemus, illa vt merito non possumus gloriari. Quoniam enim in peccatis concepti & nati, & ideò naturaliter rupti atq; peccatores sumus, boni nihil faciunt, nec facere possunt, nisi qui ex fide renati, Christi spiritu animantur, qui in nobis operatur & velle & facere. At fides illa Dei donũ est, quod non promiscuè omnibus, sed solis electis datur. Ergo vitæ hæreditas ad hos quoq; solos pertinet, & illius causa vera est gratuitus Dei fauor, quo nos priusquàm hic mundus cõderetur, in Christo elegit. Idèo in Apocalypsis loco, quem supra adduximus, secundùm opera quidẽ hominũ Christus iudicaturus dicitur, sed ibidẽ mentio fit libri vitæ, & in stagnũ ignis omnes eos conijci docemur, qui in illo non sunt adscripti. Nec ideò alicuius iniquitatis Deus accusari debet. Nam qui damnantur, propriæ iniustitiæ pœnas luunt, cuius ipsi authores sunt, cùm suapte natura peccent, non vlla peccandi necessitate premantur, suam voluntatem cogantur. Qui verò salui fiunt, Dei gratiæ illud debent, qui illos ex corrupto humani generis massa eximere, & filij sui iustitia ornare dignatus est, qua ipsorũ iniquitates obtegantur, ne in iudicio illo Dei in rationẽ veniant. Iudicãtur ergo & damnantur impij propter opera mala, quæ ex innata & propria malitia fecerunt, cùm Christo careant, qui solus illa tollere valet, gra-

gere poteſt. Vitæ autem hæredes fiunt pij, quia Chriſtum fide amplexi, huius merito liberantur, ne peccata ipſis imputari poſſint. Attamen de his quoq; agens Chriſtus operum mentionem facit, vt inanem & fucatam fidei profeſsionẽ diſtinguat à vera fide, quam operum bonorum feraciſsimam eſſe, alibi diximus: quæ tamen ipſa coram Deo non aliquid merentur, eò quòd illis quoq; ex carne noſtra ſemper aliquid ſcoriæ adhæret, quam Chriſti ſanguine & merito elui oportet. Itaq; fides in Chriſtum ſola, cauſam noſtram in extremo illo iudicio ſuſtinebit, quæ vt Chriſti conſortes reddit, ſic electionis noſtræ ſignum eſt infallibile.

Præterea autẽ hoc quoq; obſeruabimus, iudicium illud Chriſti, quod in reſurrectione fiet, nouiſsimum fore, & in æternũ duraturam ſententiæ, quam tunc feret, executionẽ. Erit ergo æterna & nullis fortunæ ludibrijs obnoxia piorum felicitas: Æternus quoq; erit impiorum cruciatus, quorũ ignis (vt alibi ſcriptura docet) nõ extinguetur, neq; vermis morietur. Verè ergo hìc elucet immenſa Chriſti potentia, quæ deitatis ipſius veræ teſtimonium eſt luculentiſsimum, quando hìc omnia cõcurrunt quæ ſolius Dei opera ſunt, Creatio nimirum, Viuificatio, Iudicium, & quæcunq; ex illo dependent. Transferamus autem iſta ad noſtram inſtitutionẽ: & primò quidẽ agnoſcamus ex his Ieſum Chriſtum, & in illius merito omnem collocemus noſtræ ſalutis fiduciam. Patienter itẽ feramus quæcunq; in hoc mundo nobis incidunt afflictiones, neq; nos impiorum conatibus terreri, aut à fide deijci patiamur: fidei autem profeſsionẽ vitæ et morũ innocentia confirmemus, vt olim in magno illo die ex mortuis reſuſcitati læta conſcientia in conſpectu Ieſu Chriſti cõparere, & cum illo ad regni nobis promiſsi hæreditatẽ ingredi poſsimus. Ipſi debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen. Iudicium nouiſsimum.

HOMILIA XLI.

Non poſſum ego à meipſo facere quicquam: ſicut audio, iudico: & iudicium meum iuſtum eſt: Quia non quæro uoluntatem meam, ſed uoluntatem Patris, qui miſit me.

GRauiter admodum per Iſaiam prophetam Deus pronunciat: *Annon ego Dominus? & non eſt alius Deus præter me, Deus iuſtus & Saluans nullus præter me.* Quæ ſententia vt omnẽ noſtræ ſalutis gloriam vni & ſoli Deo vendicat: Ita non obſcurè innuit, neq; Chriſtum à nobis Saluatorem & Redemptorem agnoſci poſſe, niſi illum Deum verum eſſe certò nobis conſtet. Non tam ergo ſuæ priuatæ gloriæ cauſa, quàm propter publicam humani generis ſalutẽ, Ieſus Chriſtus ſuam Deitatem aduerſus Iudæos tam prolixè & conſtanter aſſerit. Præcipuum verò huius demonſtrationis argumentum eſt, quòd Viuificandi poteſtate ſe inſtructum eſſe ait, quam ſolius Dei eſſe omnis ſcriptura docet. Ea autem occaſione digreſſus eſt nuper in locum de vniuerſali mortuorum reſurrectione, quam ſequetur iudicium illud poſtremum, in quo promiſſa ſibi vitæ æternæ præmia pij recipient, impij verò & à fide alieni ſempiternis pœnarum infernalium cruciatibus adiudicabuntur. Quæ omnia in eum finem à nobis conſiderari debent, vt ipſum agnoſcamus ſeruatorem noſtrum & euangelij præceptis obtemperemus: ne iudicem iuſtum & ſeuerum vindicem cogamur ſentire, quem ſalutis authorem & magiſtrum nolumus agnoſcere. Facit autem ad huius doctrinæ illuſtrationem & confirmationem locus hic, quem modò recitauimus: quo primùm probat, ſe non temeraria & futili arrogantia tantum honorem ſibijpſi vendicare, ſed hunc ſibi meritò deberi: deinde iudicium ſuum iuſtiſsimum fore docet, nec aliquem habiturum, quod de eius æquitate conqueratur. Iſa. 45.

Repetit autem quod ſupra dixerat, ſe nihil poſſe facere ex ſeipſo, & illud ad locum præſentẽ accommodat, docens ſe iudicandi poteſtate naturaliter (vt ita dicam) eſſe inſtructũ. Non poſſum (inquit) à meipſo facere quicquã: ſicut audio, iudico, &c. Humilius autẽ de ſeipſo loquitur, vt alibi monuimus, vt aduerſariorum de ſe conceptæ opinioni reſpondeat, qui ipſum nudum hominẽ eſſe arbitrabantur. Senſus itaq; eſt: Vobis quidẽ abſurdum et inſolens videtur quod dico, quia in vilem humani tatis aſſumptæ ſpeciem intenti, ſub hac latentem deitatẽ ignoratis. Sed vt paulò ante dixi, eam eſſe inter patrem & me coniunctionẽ, vt nihil poſsit ab alterutro fieri, in quo non alterius quoque virtus atq; maieſtas refulgeat: Ita hìc quoq; illud obſeruare oportet. Neque enim nego iudicandi poteſtatem vni & ſoli Deo competere: ſed quia ego & pater Deus vnus ſumus, & ille per me, ego in illo omnia Chriſto iudicium iure debetur.

facio, eadem quoq; ratione me iudicem olim venturum esse dico: & iudicium illud non humana ratione, sed diuina virtute administrabitur. Nam sicut audio, iudico. Id est, sicuti pater iudicat sic etiã ego, cum ab illo diuelli aut separari nullo modo possim. Ita verò impietatis crimine sese liberat, ne morte dignũ putent, si ea sibi vendicare ipsum audiant, quæ omni scriptura teste, vni & soli Deo ascribi debent. Quo argumento hodie etiam aduersus Iudæos pugnare debemus, qui nos impietatis & idololatriæ accusant, quòd salutis spem & fiduciam in Christum collocemus, quem hominẽ fuisse & in terris vixisse non possimus negare. Atqui non cupimus illud negare, quin potius eo gloriamur, quòd qui verus & æternus est Dei filius, & quem veteres etiã prophetæ IEHOVA vocant (quod nomen Dei essentiale & proprium est) propter nos homo fieri, vitam in terris mortalem agere, & pro nobis mori dignatus est. Libenter item amplectimur quæcunq; de eius humiliatione dicuntur, cùm eundem ab æterno Deum verum esse, & illius carnem quoque in cœlestis & diuinæ gloriæ consortium euectam esse sciamus, iuxta illud Dauidis: Dixit Dominus Domino meo, Sede à dextera mea, &c. Frustra ergo humanam Christi carnem impij illi nobis exprobrant, cùm fidei nostræ basis & fundamentum sit ipse Deus, qui (vt veteres promissiones & prophetarum oracula fore prædixerant) in carne manifestatus est, vt nostræ redemptionis negotium perageret.

Iudicũ Christi iustum est.

Sequitur altera huius loci pars, qua iudicium suum iustum & æquum esse docet. Quod ex eo euidentissimè colligi queat, quòd modo dixit, adhuc tamen aliam rationem profert: Quia nõ quæro voluntatẽ meam, sed voluntatem patris, qui misit me. Quia enim extra controuersiam est, Dei voluntatem iustam & æquissimam esse, fieri nequit, vt iniustè quicquam pronunciet, qui hanc obseruat, & vnice quærit. Atqui hoc ego facio (inquit Christus) & ideò iudicium meum nullius iniquitatis insimulari poterit. Est autẽ in hisce locutionibus simpliciter retinendus finis & scopus Christi, ad quem ipse hæc omnia dirigit: ne illorum contentionibus transuersi abripiamur, qui hinc disputandi occasionem arripuerunt de voluntate Christi, An nimirũ ea à patris voluntate diuersa sit, & quomodo à peccati macula eximi possit Christus, cùm sibi voluntatem aliam tribuat, quàm quæ patris est, & quæ sola absolutè sancta & iusta est? Atqui nihil tale hîc dicitur, sed in hominis persona, quam solam in ipso agnoscebant aduersarij istud dicit, vt ostendat, se non humano affectu abripi inter iudicandum, vt ijs fieri solet, qui carnis voluntatem & rationem sequuntur. Quia enim tales aut amore aut odio occupati sunt, aut etiam multa ignorant quæ ad causæ propositæ cognitionem pertinent, adhæc oratorum & caufidicorum sophistica decipiuntur: fieri non potest, quin iniqua aliquando pronuncient. Id verò abs se alienissimum esse ait Christus, & ex aduersariorum sententia sibi voluntatem hic tribuit, quam minimè habebat, corruptam nimirum et deceptionibus obnoxiam. Est igitur hoc loco intempestiua disputatio de voluntatibus in Christo, & ineptè faciunt (ne quid grauius dicam) qui eius verba ad finem alium detorquent, quàm qui ipsi propositus fuit. Nequaquam Monothelitis patrocinamur, sed vt in Christo naturam diuinam & humanam agnoscimus, sic voluntates quoque illi duas tribuimus, non tamen pugnantes, & proinde peccato minime obnoxias. Quoad enim diuinam naturam, eadem omnino filij voluntas est quæ patris. Quoad verò humanam naturam, crucem quidem horruit & mortis supplicium deprecatus est: non peccauit autem, quia se totũ patris voluntati subiecit. Plura de hoc argumento in Marco nostro Homil. 120. diximus. Nunc omissis disputationibus superuacaneis, tractationis huius capita obseruemus, quæ sunt: Christo omnẽ iudicandi potestatem esse à Deo patre traditam: Deinde venturũ hunc certò iudicem in nouissimo die: Postremò iudicium hoc fore iustum. Summa itaq; hæc nobis cura sit, vt coram illo iudice possimus comparere. Quia enim iustus est, scelera impunita non sinet. Rursum ex eo consolationem petamus in aduersis & persecutionibus, quòd remuneratorem olim venturum scimus eum, pro cuius nomine nunc affligimur. Cæterùm vt huius loci consyderatio amplius nostræ institutioni & consolationi seruiat, duo hîc erunt nobis excutienda.

Iudicia Dei semper iusta sunt.

Primum, Dei iudicia semper iusta & æqua esse, nec quenquã de illis debere conqueri. Testatur hoc passim scriptura, neque alia esse possunt, cùm ille iustus sit, adeoque iustitia æterna sit. Fatemur idem omnes homines, quando ipsis bene est, nec aliquid aduersi sentiunt. Quando autem vel morbis diuturnis excruciantur, vel egestate & fame premuntur, vel persecutionibus exercentur propter veritatis confessionem, florentibus interea & felici otio abundantibus impijs & manifestis Christi hostibus

hostibus, tunc de Dei iustitia dubitare incipiunt, & mox audiuntur voces istæ: Cur via impiorum prosperatur? & cur feliciter agunt qui impudentissimè præuaricantur? Quò vsque Domine clamo, & non exaudis? Multi denique eò vsque progrediuntur, vt Deum vel mortalia prorsus negligere dicant, vel etiam sceleratorum studijs delectari, & proinde nos ipsi frustra seruire clament: quales fuerunt, de quibus Malachias Capite tertio disserit. Neque impijs modò & carni per omnia deditis istæ cogitationes obrepunt, verumetiam pijs interdum tale quid in mentem venit, sicuti in Asaphi exemplo videmus, qui de semetipso Psalm. 73. sic scripsit: Parum abfuit quin nutassent pedes mei, ferè effusi fuerunt gressus mei. Nam vrebat me æmulatio propter stultos, cùm prosperitatem impiorum viderem, &c. Prodest ergo nos in hac causa diligenter instituì: & primò quidem probè tenendum est, nihil posse Deo vel inscio vel inuito fieri, cùm omnipotens sit, & ipsius prouidentia ad res omnes extendatur. Quod vt in scripturis vbique traditur, ita in totius mundi gubernatione palàm conspicitur: & in rebus minimis adeò manifestè elucet, vt gentium quoque philosophi illud agnoscere potuerint. Deinde cogitemus non posse quicquam ab illo iniustè fieri, qui legitimum habet in omnia imperium, & cuius sunt omnia quæ totus hic orbis continet. Siue ergo opes eripiat, siue viribus & valetudine nos spoliet, siue coniugem & liberos auferat, nihil tamen alienum rapit, sed quod suum est sibi vendicat. Eadem est ratio in persecutionibus, exilio & reliquis aduersis omnibus. Quia enim ipsius opus sumus, liberum illi est pro suo arbitrio nobiscum agere. Adhæc, affectus prauus in illum cadere non potest, cùm ex ijs quæ nobis accidunt, nihil ad illum commodi aut incommodi possit redire. Quoad verò afflictiones piorum & prosperitatem impiorum, multa sunt, quæ illic Dei iustitiam asserunt. Primò enim iustum est, vt mundi scelera puniturus, iudicia sua à domo sua exordiatur, ne quis illum in suis ea probare putet, quæ in alijs seueriter punit. Deinde exigit hoc innata nobis corruptio, vt disciplina arctiori in officio contineamur, quando optimi quique in secundis aut negligentiores fiunt, aut apertè etiam lasciuiunt. Tertiò afflictiones meritò ijs immitti cogitemus, qui beatæ immortalitatis hæredes fieri cupimus. Cur enim non cum Christo affligantur, qui cum illo viuere & regnare volunt? Postremò, vtut florere videantur impij, lubrica tamen est illorum conditio, & ferè ex improuiso pereunt ignominiosè, qui paulò ante semidei quidam esse putabantur. Quòd si verò nihil tale illis accidat, sistentur tamen ad tribunal Christi olim, vt dignas suæ impietatis pœnas exoluant. Est ergo iustissimus Deus, & iusta sunt illius iudicia. Quod qui ad hunc modum considerant, ij nequaquam impatientia vincuntur, vt aduersus illum murmurent, sed in aduersis quoque illius æquitatem & bonitatem prædicant, sicuti in Iobi, Dauidis & multorum aliorum exemplis est videre: quibus meritò adnumeraueris Mauritium Imperatorem, qui cùm ipso spectante duo ipsius filij & filiæ tres occiderentur, deinde vxor quoq; ad mortem raperetur, seq; illam mox secuturum sciret, exclamabat: Iustus es Domine, & rectum est iudicium tuum, &c.

Exẽplum Christi omnes imitentur. Magistratus.

Alterum huius loci caput est exemplum Christi, quod meritò obseruari debet, quando ipse nos passim ad eius imitationem hortatur. Potest hoc, imò etiam debet, ad omnis loci & ordinis homines extendi. Primo igitur imitentur hoc magistratus, quibus sua iudicia Deus commisit, & nihil pronuncient quod illis aduersum sit aut contrarium. Si enim Dei filius non plus sibi arrogat, sed patris voluntatem attentè obseruat, quæ impudentia fuerit, hominẽ mortalem eò audaciæ progredi, vt potestate sibi concessa pro sua libidine abutatur? Est itaque impia & intolerabilis illorum vox, qui immunitatem sibi vendicant, & hoc vnum in ore habent: Sic volo, sic iubeo, sit pro ratione voluntas. Meminerint ergo iudices, Deum non frustra leges iudiciales tulisse, sed ex illis summendas esse in quauis controuersia iudicum sententias. Cogitent præterea, se legum & iudiciorum Dei ministros & executores, non autem dominos esse constitutos. Tueantur ergo authoritate sua bene agentes, & rursum improbos transgressores dignis pœnis coerceant. Et vt ex odio innocentem damnare scelus esse norunt, ita non minus se peccare intelligant, si ex præpostera misericordia sontes absoluant, quos Deus ad supplicium abripere iussit. Qui enim in lege præcepit, ne pauperis causam iniustam ornemus, multò minus manifesta scelera vult impunita dimitti. Et non minus verè quàm grauiter Solomon dixit: Qui dicit impio, Iustus es: huic maledicent populi, & detestabuntur

eum nationes. Et rursum: Qui iustificat impium & condemnat iustum, ex æquo vtrumq; abominatur Dominus. Nam qui sceleratis parcunt, primò Dei præceptum transgrediuntur, qui illos puniri iussit. Deinde suo exemplo Deum nimij rigoris accusant, & cum illo misericordiæ certamen suscipiunt. Præterea impunitatis scelerum & licentiæ publicæ authores sunt, quam reipublicæ exitialē esse, omnium seculorum exempla testantur. Adhæc tam illis nocent quibus indignè parcunt, quam bonis quos tueri debebant: dum hos quidem opprimi & diuexari patiuntur, illos verò sua indulgentia audaciores faciunt. Fit ergo frequenter, quòd vt patres à filijs, quos indulgentius educauerunt, impiè vexantur: Ita magistratus eos sibi & reipublicæ grauissimos hostes sentiat, quibus indignè pepercit, cùm supplicium mererentur. In Romana historia certè Ciceronem à Popilio tribuno militum crudeliter occisum esse legimus, cuius causam ille defenderat, cùm parricidij reus ageretur. Accedit his, quòd iudicijs publicis cessantibus, ad priuatam vindictam accenduntur generosiores animi, qui iniurias sibi illatas sufferre non possunt. At priuatæ vindictæ cupiditas sæpe regna potentissima euertit, & interdum ad immerentes vsque grassatur. Nec est, quod à sceleratorum sanguine pij magistratus tantopere abhorreant, quando Deus ipse iudices à sanguinis reatu absoluit, quoties de illis puniendis loquens addit: Sanguis illorum sit super ipsos. Et scimus aliquos Dei iram incurrisse & sanguinis reos factos esse, quòd impijs et diuino iudicio damnatis pepercissent: è quorum numero sunt Saul & Achab. Discant ergo Dei iudicia & Christi exemplum obseruare, quicunque magistratum cum laude & publico bono gerere cupiunt.

Ecclesiarum ministri.

Deinde idem ad se quoq; pertinere sciant ecclesiarum ministri, quos suarū legum atq; iudiciorum præcones Deus constituit. In veteri testamento causæ grauiores ad summum sacerdotem deferebantur, vt de illis ex Dei ore pronunciaret: & apud Malachiā eo nomine sacerdotes corripiuntur, quod in lege, id est, in iudiciorum Dei promulgatione personas reciperent. Etsi verò vetus illud sacerdotium abolitum sit, durat tamen adhuc ecclesiæ ministerium, in quo cumprimis cauendū est, ne quid pro personarum respectu præter officium à ministris fiat. Peccant in hoc, qui eadem peccata in quibusdam odiosè exagitant, in alijs autem excusant atque extenuant. Item qui nefas & illicitum esse clamant, quod fieri permittit Deus, aut etiam fieri iubet: rursus verò quod hic prohibuit, licitū esse docent. Præterea qui sceleratissimos quosque pecunia accepta ab omni reatu absoluunt, pauperes verò aut sibi meritò contradicentes ad inferos detrudunt. Fiunt hæc omnia hodie in Papatu, vt illic planè eum regnare videas, quem leges & tempora mutaturum esse Daniel olim prædixit. Interim se Christi vicarios esse gloriantur, quos tamen is nunquam agnoscet, cùm eius adeò dissimiles sint, vt vel vnus hic locus euincit.

Voluntatē Dei omnes quærāt.

Postremò omnium est Christi exemplum imitari, ne suam voluntatem quærant, sed voluntatem Dei patris, qui nos quoque misisse dici potest. Ex illo enim vitam habemus, & idem ille singulos vocat, & alicui certo officio destinat. Semper ergo sonet in auribus nostris hæc Christi sententia, nec quicquam nos rectè facturos cogitemus, nisi quæramus voluntatem Dei, qui misit nos. Et vt Augustinus monuit, intolerabile scelus est, si suam voluntatem velint facere homines, qui Dei filium audiunt dicentem, Non quæro voluntatem meam, sed voluntatem patris, qui misit me. Non graue nobis sit Dei voluntatem sequi, quando constat nostram grauem & nobis ipsis noxiam esse. Quia enim intellectus noster non percipit ea quæ sunt spiritus Dei, & quæ ad nostram salutem faciunt: fieri non potest, vt ad ea feratur voluntas nostra, quæ ignoramus. Et qualia sint nostra desideria ipsi à pueris experimur, et in infantibus manifestè cernimus. Suspectum ergo nobis sit, quicquid caro suggerit. Dei verò voluntatem intrepidè sectemur, quæ vt sancta & iusta, sic etiam bona & salutaris est. Vult enim vt omnis generis homines seruentur & ad veritatis cognitionē perueniant. Hæc ergo nobis & religionis & totius vitæ regula sit, quæ nos errare non sinet, & mox docebit quid nos in re quauis facere conueniat. Ab ea autem quàm primùm deflexerimus, in tenebras & errorum præcipites rapimur: neque aliqua nobis excusatio reliqua est, cùm voluntatem suam Deus nobis summa fide manifestauerit. Sequamur ergo seruatoris nostri Iesu Christi exemplum, qui vnus in magno illo die iudicij pro suis agnoscet omnes eos, qui voluntatem patris sui fecerint. Illi debetur benedictio, honor, gloria, & potestas in æternum. Amen.

HOMILIA XLI.

Si ego testor de meipso, testimonium meum non est uerum. Alius est qui testatur de me, & scio uerum esse testimonium, quod de me testatur. Vos misistis ad Ioannem, & is testimonium reddidit ueritati: Ego autem ab homine testimonium non accipio: sed hæc dico, ut uos seruemini. Ille erat lucerna ardens & lucens: uos autem uoluistis ad tempus exultare in luce eius.

MVltis & grauibus argumẽtis demonstrauit hucusq; Iesus Christus se verum esse Dei filium, patri coæternum & eiusdem cum illo essentiæ atq; maiestatis. Finis & scopus totius demonstrationis est, vt primò crimen violati sabbati diluat, quod ipsi propter paralyticum sabbato curatum intentabatur: Deinde vt ostendat, se vnicum esse salutis humanæ authorem, & omniũ mentes ad fidem excitet, qua apprehensus nobis salutifer fit. At poterant hæc dicenti obijcere aduersarij, ipsum suarum laudum præconẽ esse, & proinde fidem ista nullam mereri. Pergit ergo, & doctrinam hanc testimonijs quatuor ex ordine productis cõfirmat, Ioannis Baptistæ nimirùm, Operũ suorum, Dei patris, & Scripturarum veteris Testamenti. Facit itaque hæc pars plurimùm ad declarandam fidei Christianæ dignitatem, quando docet, illam nec nuper inuentam esse, neq; hominum modò testimonijs niti: sed totius scripturæ consensu & authoritate diuina cõfirmari. In præsenti loco Ioannis testimonium producitur, quod qua ratione fiat videbimus.

Principiò obiectioni illorum occurit, dicens: Si ego testor de meipso, testimonium meum non est verum, &c. Ita verò per Concessionem & ex eorum sententia Christus loquitur, qui ipsum nudum hominem & affectibus obnoxium esse putabant. Si enim rem ipsam spectemus, verissimè de seipso testatur quòd Dei filius & Deus verus sit, neq; ipsius testimoniũ quisquam reijcere debet. Quis enim de Deo rectius testabitur, quàm ipse Deus, qui nisi se hominibus manifestare dignetur, nemo illũ nosse poterit? Vnde infra Cap. 8. dicet: Etiamsi ego testor de meipso, verum est testimonium meum: quia scio vnde venerim, & quò vadam, &c. Sensus ergo huius loci est: Esto, nullius authoritatis esse debeat quicquid de meipso loquor. Scio enim legibus publicis constitutum esse, ne quis in propria causa actor simul aut reus, & testis sit. Noui præterea illud Solomonis, quod ex spiritus suggestione ille dictauit: Laudet te alienus, & non tuum os: extraneus, & non labia tua. Libenter itaq; hoc vobis concedo, meum testimonium non esse verum, id est idoneum, quod fidem mereatur. Attamen non ideo falsum censeri debet quod modò de me dixi: quia non solus, neq; ex affectu carnis illud dixi. Est enim alius qui de me testatur, cuius testimonium scio esse verissimum, & tantæ authoritatis esse, vt vos illud reijcere nunquam possitis, vt ut mihi & doctrinæ meæ aduersemini. Istud verò de patre dicit, vt ex sequentibus patebit, ad quem quæ sequuntur testimonia omnia referri possunt, cùm ex eius inspiratione cum Ioannes tũ veteres prophetæ omnes locuti sint. Hoc enim potissimùm hic euincere vult, causam suam non suo tantùm aut alterius hominis, sed ipsius Dei testimonio niti. Atqui idem de semetipsis dicere possunt omnes credentes. Testamur nos Dei filios esse & regni cœlestis hæredes. Obijcit tam mũdus & princeps huius satan: Vos ista de vobisipsis dicitis, & proinde vana & futilis est ista persuasio, neq; vos illa in Dei iudicio tuebitur. At nos vicissim respondere possumus: Agedum, nullam fidem mereatur quod nos dicimus, non tamen falsa est hæc nostra fiducia. Idem enim Deus passim in scripturis promittit. Idem testatur in animis nostris spiritus sanctus, in quo clamamus Abba pater: & qui idem nostræ salutis arrhabo est, &c. Vides ergo cum nostra salute & eius certitudine coniunctum esse, quod hic de semetipso Christus pronunciat.

Christus non proprio tantũ testimonio nititur.

At simul obseruari debet hoc loco admirabilis filij Dei facilitas, qui vt nostræ saluti cõsulat, legibus inter homines receptis volens subijcitur. Poterat enim pro suo iure & authoritate simpliciter fidem à nobis postulare, & damnationem vel mortem æternam omnibus minari, qui mandatis suis non obediunt. Sed nostræ infirmitati sese accommodat, & vt animos nostros trahat, modò rationibus & argumentis, modò testimonijs vtitur. Facit idem passim in scriptura Deus, quando dicta sua rationibus luculentis confirmat, vel etiam suorum iudiciorum nobis rationem reddit, vt & iustitiam

Christus legibus inter homines receptis sese subijcit.

eius agnoscamus, & illius consideratione ad pœnitentiã excitemur. Eò igitur detestabilior est illorum improbitas & pertinacia, qui nihilominus Deo contradicere & reluctari audent, & quasi ipsi cum leuissimo aliquo ardelione res sit, disertis illius oraculis impudenter ogganniunt. Cõsutatur præterea exemplo Christi falsorum antistitum tyrannis, qui suas constitutiones ecclesiæ obtrudunt, & quàmuis nullo scripturæ testimonio confirmentur, illas tamen ab omnibus recipi volunt, & Romanam ecclesiam errare posse negant, cùm nõ errores modò, sed horrenda illius scelera & impij abusus in omnium oculis versentur. Neq; eo contenti, insuper eam immunitatem sibijpsis vendicant, quòd neq; reprehendi debeant à quoquã, neq; etiam alicui mortaliũ sui ministerij rationẽ reddere. Tuliam seculis aliquot horum tyrannidẽ ecclesia, sed videt illam Christus Dominus, qui inultã nõ sinet.

Testimonium Dei uerum est.

Obseruabis præterea Christi dictum, quo patris sui testimoniũ confirmat & ornat. Scio (inquit) verum esse testimonium, quod de me testatur. Quod de omnibus intelligi debere, quæ passim in scripturis habentur de Christo, paulò ante diximus. Verissimè autẽ hoc dici, res ipsa docet. Si enim promissiones Dei primas & prophetarum vaticinia cum euangelica Iesu Christi historia conferas, omnia inter se pulcherrimè conuenire videbis, vt nulla falsi species appareat. Ex Abrahami stirpe nasciturum esse humani generis redemptorẽ, olim Deus promiserat: At Christum inde prodiisse, Matthæus & Lucas euidenti genealogia demonstrant. Tẽpus incarnationis quoq; prædixerat tunc fore, quando Iudæis sub alieno imperio seruientibus, Dauidis familia ad priorem conditionem redisset, quam sub Iesse vilem & ignobilem habuerat. Quod quàm verè dictum fuerit, Lucas in natiuitatis Christi historia euidentissimè docet. Eadem est loci natalis, operum seu miraculorum, passionis & mortis, resurrectionis itẽ & ascensionis in cœlos ratio: quæ omnia olim prædicta, & deinceps verissimè præstita sunt. Hinc verò concludamus, nõ minus vera esse, quæ de eius æterna deitate & deuti nostræ redemptionis mysterio traduntur, cuius ipse mediator esse debuit. Id verò ad fidei nostræ confirmationem plurimùm faciet.

Ioannis Bapt. testimonium de Christo.

His præmissis, testes ex ordine incipit producere, inter quos primus prodit Ioannes Baptista, de quo sic agit, vt illius testimonium irrefragabile esse demonstret. Nam primò ait: Vos misistis ad Ioannem, & is testimoniũ reddidit veritati. Historiam vidimus Cap. primo, & huius in præsentiarum minit, ne Ioannem reijcere possint, & vt ostendat nullam inter hunc & se collusionẽ fuisse. Quasi diceret. Non alium vobis testem sistam, quàm eum, cuius fidẽ ipsi vestra authoritate & exemplo probauistis. Cùm enim Ioannes prædicatione & baptismo pœnitentiæ totum populum in Messiæ spem & expectationem excitauisset, vos ne vestro officio defuisse videremini, legationem ad illum misistis honorificam ex Pharisæis, qui illum quis nam esset, interrogarent. Quod nunquã facturi fuissetis, nisi illum magnæ authoritatis hominem & fide dignum esse existimauissetis. Quid verò ille? Cum inde magnam haberet occasionem aliquid de semetipso gloriosius dicendi, & Messiæ honorem in se transferendi, nihil tamẽ huius fecit, sed ingenuè & bona fide veritati testimonium reddidit. Id est, de me testatus est, quòd æternus sim Dei filius, & agnus ille Dei, qui peccatũ omne mundi expiet, adeoq; promissus ille redemptor sim, quem omnes audire atq; sectari debeant. Quæ ergo hæc vestra leuitas, quæ vos mihi tam infensos & aduersarios reddit? Hic verborũ Christi sensus est, in quibus memorabile exemplum continetur hostium veritatis: qui cùm omnia sua astutissimè instituant, ita tamẽ à Domino in sua astutia capiuntur, vt ipsi suis factis seipsos prodant, adeoq; propriores ipsos condemnent. Voluerunt isti surgentem euangelij doctrinam extinguere, & legationem illam graui & splendida Ioannem vel ab incepto absterrere, vel in suas partes pertrahere, vt malè occupatam in ecclesia tyrannidem retinere possent. Sed adeò non obtinuerũt quod quærebant, vt potius ab Ioanne grauiter reiecti sint, & ex eo facto Christus argumentũ petat firmissimum, quo illos impios & voluntariæ contumaciæ conuincit. Idem ab illis factitatum est, quando prophetarum sepulchra exornarunt atq; coluerunt, quorum doctrinam interea hostiliter in Christo persequebãtur. Et hodie multa huius generis fiunt ab aduersarijs nostris. Gloriantur enim successione apostolorum, patrum & Concilia vetera in ore habent, martyrũ sepulchra & ossa religiosè venerantur, adhæc scripturas sacras legunt & canunt in templis suis. Atqui omnia ista veritati testimoniũ reddunt, quam nos profitemur, & quam ipsi in nobis ferro & igne persequuntur. Suo igitur indicio sese, vt sorices, produnt, & seipsos inexcusabiles reddunt, cùm nihilominus in veritate oppugnanda perseuerent.

Catrum

Caterùm ne illũ perperam facere dicerent, qui in diuinis mysterijs humano testimonio vtatur, rursum hanc quoq; obiectionem diluit dicens: Ego autem ab homine testimoniũ non accipio: sed hæc dico, vt vos seruemini. Vbi rursus obseruabimus, illum ex aduersariorũ sententia loqui, nec simpliciter hominum testimonia reijcere, cum alibi discipulis mandet, vt ipsius testes sint Hierosolymis, & in Iudæa, in Samaria item & vsq; ad extremos orbis cardines. Sensus ergo est, quòd hominum testimonijs non opus habeat, & illa facilè negligere possit, ipsis tamen vti, quo facilius ipsi in salutis cognitione instituantur. At qui eodem affectu nos quoq; præditos esse docet. Optemus quidem innocentiam & fidei nostræ veritatem multorum testimonijs probari posse, vt & alij ad hanc amplexandam excitentur. At si ea fuerit mundi infelicitas, vt vel nemo illam agnoscat, vel agnitam quoq; multi calumnijs suis oppugnent & obruant: cogitemus nullo hominũ testimonio nobis apud Deum opus esse qui cordis intimos recessus inspicit, & sufficiat nobis spiritus sancti testimonium, qui nos de gratia Dei & salute nostra certos facit.

Christus hominũ testimonijs nõ opus habet.

Docet autem nos locus iste iudicare de verbi & ecclesiæ ministerio. Vbi principiò tenendum est, Dei & salutis nostræ mysteria nullis hominum testimonijs opus habere. Est enim Deus ipsa veritas, homines autem omnes natura mendaces sunt, nec quicquã veri dicere possunt, nisi veritatis diuinæ cognitione illuminentur. Deinde scriptura sacra, cuius libris mysteria ista continentur, quia θεόπνευστος, id est diuinitus inspirata est, nulla hominum authoritate nititur, sed ipsa ex sese fidem meretur. Itaq; impudentissima est eorum temeritas, qui vt Areopagitæ quidam noui in ecclesia eam sibi authoritatem vendicant, quòd ipsorum testimonio scripturas sacras oporteat confirmari. Voluit tamẽ ecclesiæ & verbi sui ministros esse Deus, qui de Christo Iesu testentur, vt nos seruemur, & his propter nos opus esse constat. Primò enim tanta est humanæ naturæ infirmitas, vt Dei nobis coràm loquentis maiestatem sustinere nemo possit, sicuti olim in legis promulgatione Israelitarũ exemplo est probatum. Reuelationes autem occultæ multis nominibus suspectæ esse possunt, cùm & ipsi nobis multa temere imaginemur, & satan eo prætextu sese apud nos mirifice insinuet. Vt ergo nobis consuleret Deus, voluntatẽ suam & omnia filij sui Iesu Christi mysteria scriptis comprehendit, & eorundem præcones publicos constituit, qui non ex suo cerebro, sed ex scripturis Christo testimonium reddant. Agnoscamus ergo hanc Dei bonitatẽ, & credamus testibus, quos ipse sistit. Quia enim hos producit, vt nos seruemur, constat omnes eos salutis expertes fore, quicunq; illis improbè contradicunt.

Quæ ratio ministerij ecclesiæ?

Pergit autem in Ioannis commendatione Christus, vt euincat, ipsos proprij exitij authores esse, qui tam egregiam salutis occasionem noluerint amplecti. Ille (inquit) erat lucerna ardens & lucens, &c. Lucernam vocat propter verbi ministerium, cuius finis est, vt homines cælesti luce illuminentur, qui ex semetipsis diuina videre non possunt. Typum mysterij huius olim in lege continebat candelabrum aureum, in quo lucernæ perpetuò ardebant. Significabat enim verbi lucem in ecclesia nunquam extingui, sed assiduè conseruari debere. Pulchrè autẽ lucernis conferuntur ministri: quia vt lucerna lucẽ non ex semetipsa habet, sed aliundè accenditur: Ita nisi spiritu Christi (qui lux vera est) accendantur illi, nihil lucis præbere poterunt. Commendat ergo hic Dei beneficium Christus, qui cùm prophetia aliquandiu cessasset, in Ioanne nouam lucem accenderit, & hunc lucernam ardentem & lucentem vocando, officio suo diligenter functum esse docet, vt quis ex doctrina quàm vitæ exemplo ipsis præluxerit. Quid autem vos? Voluistis ad tempus exultare in luce eius. Id est, simulatis quidem aliquam illius apud vos esse authoritatem, & missa legatione ex illo verum percontati estis: sed quia hoc agendo vestram modò gloriam quæsiuistis, non potuit diuturnum esse hoc vestrum studium. Imò quàm primùm ille vos accusauit, & ad seriam pœnitentiam hortatus est, Dei consilium spreuistis, & maiori in pretio apud vos fuerũt errorum tenebræ, quàm lux illa salutaris, quæ ipso diuinitus accensa fulgebat, &c. Adumbratur exemplo hoc mundi huius ingenium. Quando primùm innotescit diu prius occultata atq; sepulta veritas, magno cum applausu illam multi recipiũt. Vnde verò hoc? Quia in ea volũt exultare, id est, priuati cõmodi spe cõcepta singuli sub huius prætextu sua quærũt, alius opes, alius honores, alius viuẽdi licentiã et quiduis pro suo arbitrio agẽdi libertatem. Quoad ergo spes illa affulget, magnificè veritatis doctrinam prædicant, vt nihil non pro illa facturi videantur. Quàm primùm verò eam prauis suis cupiditatibus & corruptis studijs aduersari vident, mox feruor ille extinguitur, & lucem quoq; extinctã volunt, eò quòd tenebræ studijs

Iudæi ipsi sibi authores interitus.

ipsorum magis seruiunt. Sunt ergo similes malæ frugis famulis, qui ad lucernã ludunt & comessantur, cùm opus facere deberent. Vt enim illi ea gaudent, dum ipsorum lasciuiæ seruit, eandẽ vero ipsi extinguunt, si herum aduentare audiant, quò facilius suam nequitiam occultent: Ita isti euangelio gloriantur, quàm diu illo ad suos affectus abuti possunt; vbi verò huius luce peccata sua arguit, & Dei irã sibi denunciari sentiunt, illicò ipsi primi de ea extinguenda cogitant, quasi hac sublata, Dei quoq; iudicium simul sublatum sit. Et quod in genere fit circa euangelij doctrinã, hoc ipsum singulis huius ministris accidere solet. Si qui enim inter hos reliquis præstant, & priuatis multorum vitiis seruiunt, hi in pretio habentur, in omnium ore sunt, & illorum nomine plerique gloriantur. At si vel scelera liberius arguant, vel propter ipsorũ doctrinã ab exteris aliquid periculi immineat: mox fauor ille intermoritur, & publico omnium consensu damnantur. At quod Iudæis accidit, qui contempti euangelij graues pœnas dederunt, hoc ipsum omnibus illorum imitatoribus eueniet. Diligamus ergo lucem, & in illa perpetuò exultemus, vt olim cum Iesu Christo luce immortali in cœli fruamur. Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.

HOMILIA XLII.

At ego testimonium habeo maius quàm Ioannis: Opera enim, quæ dedit mihi Pater ut ea perficiam, ipsa (inquam) opera quæ ego facio, testantur de me, quòd Pater miserit me. Et qui misit me Pater, ipse testatus est de me. Neque uocem eius unquam audiuistis, neque speciem eius uidistis: & sermonem eius non habetis in uobis manentem: quia quem ille misit, huic uos non creditis.

POstquam Dominus noster Iesus Christus, aliquot firmissimis rationibus demonstrauit, se verum esse Dei filium, patri coæternum & coessentialem, tandem ne suspectus fieret, vt qui ipse suas virtutes ambitiosius prædicaret, hoc ipsum testimonijs idoneis & irrefragabilibus euincit. Est verò hoc ingens diuinæ bonitatis argumentum, quòd qui ipsa est veritas, & pro suo iure fidem à nobis postulare poterat, eò vsq; se demittit, & nostro ingenio sese accommodat, quò minus de salutis per ipsum acquisitæ certitudine dubitemus. Debet itaq; nos excitare bonitatis huius cõsideratio, ne tam familiariter nobiscum agentem nostra ingratitudine reijciamus. Cæterùm primus testium, quem Christus produxit, Ioannes Baptista fuit, de quo nuper diximus. Sequuntur nunc duo alia testimonia, de quibus isto Sermone agetur: quæ vt diuinam Christi maiestatem euidenter asserunt, ita fidei nostræ dignitatem & certitudinem plurimùm commendant, quam in tota hac actione cumprimis obseruandam esse, alibi monuimus.

Opera Christi de ipso testãtur

Secundo itaq; loco testimonium ab operibus suis desumptũ Christus allegat, quo nullum certius & verius adduci potest. Nam (vt vulgo dicitur) ex opere suo commendatur & probatur artifex. Quæ causa est, quòd alibi quoq; opera sua aduersarijs suis obijcit, & in præsenti testimonium hoc diligentissimè amplificat. Comparatione enim vtitur, & ait: At ego testimonium habeo maius quàm Ioannis: Opera enim quæ dedit mihi Pater vt ea perficiam, ipsa (inquam) opera quæ ego facio, testantur de me, quòd Pater miserit me. Sensus verborum est: Luculentum sanè, & fide dignissimum est Ioannis testimonium, quod neq; ipsi saluo honore potestis reijcere, cùm vestra legatione illud palàm approbaueritis. Non tamen illud ideo produxi, quòd hominum suffragijs causa mea nitatur. Habeo enim testimonium maius & luculentius, quod similiter cogemini pro idoneo & fide digno recipere: Opera nimirùm, quæ mihi pater dedit, vt ea exequar: ea (inquam) testantur, mihi virtutem inesse humana maiorẽ, & me ab ipso Deo patre esse missum. Opera autem sibi à Deo data dicit, partim propter assumptam hominis naturam, quam solam in ipso Iudæi agnoscebant: partim vt consensum patris & filij exprimat, & se nihil Deo aduersum, sed omnia secundùm illius voluntatẽ & decretum facere ostendat. Et ne quis inde colligeret, ipsum patre inferiorem esse, mox per expositionem addit: Ipsa opera, quæ ego facio: nimirùm propria virtute atq; potentia. Quoad verò disputationis huius statum, argumentũ ita formabis: Nemo, nisi Deus sit, opera diuina ex semetipso & propria virtute

virtute potest facere. Ego opera diuina facio. Ergo Deus sim oportet. At cùm alibi scriptura doceat Deum vnum esse, personas quidem patris & filij distinctas, vtrumq; verò eiusdē substantiæ & essentiæ esse colligimus. In præsenti autem de miraculis Christum loqui plerique arbitrantur. Quorum sententiam vt nō improbo, ita cùm constet, per sanctos eadem propè signa atq; miracula edita esse, altius inquirenda videntur Dei opera, quæ ille cum nemine mortalium, imò ne cum angelis quidē communia habet: vt illis perspectis, Iesu Christi deitas euidentius conspiciatur. Sunt autem propria Dei opera, Creare ex nihilo, Creata conseruare, vitijs & morbis virtute propria mederi, Ex morte asserere & cōferre vitam, Peccata remittere, Creaturis omnibus potenter dominari. Atqui omnia ista in Christo locum habēt, & vt Augustinus scribit, quodcunq; pater cum Christo facit, Christus facit, & quod Christus cum patre facit, pater facit: nec seorsum facit, nec seorsum aliquid agit inseparabilis charitas. Patet hoc euidenter, si singula ex ordine inspiciamus. Deum patrem mundum hunc totum ex nihilo creauisse scriptura docet: At in eadem Ioannes de filio clamat: Omnia per ipsum facta sunt, & sine illo factum est nihil. Similiter Dei virtute totam hanc mundi machinā conseruari constat; nec minus certū est Christi virtute creaturas omnes ali, pasci atq; foueri. Hoc enim cùm multa alia exempla, tum ea imprimis testantur, quibus modico cibo millia aliquot hominum ab ipso exatu rata fuisse legimus. Dei item opus esse mederi & sanare passim docemur: At hoc ipsum propria virtute Christum facere, nemo potest negare, qui euangelicam historiam vel à primo limine salutauit. Pro imperio enim morbis ille mandat, & mox illo iubente discedunt. Imò in Christi nomine apostoli eosdem ab infirmis expulerūt. De Deo etiam vno dicitur, quòd occidat & viuificet: Idem verò Christum posse, illius opera demonstrant. Nec enim mortuos modò in vitam reuocauit, verumetiam seipsum (quod nemini sanctorum vnquam contigit) tertio die discipulis suis rediuiuum exhibuit. Peccatorum verò remissionem in solius Dei potestate esse, pharisæi quoq; intellexerunt: At eandem potestatem penes se etiam esse, Christus Matth. 9. paralytici miraculosa restitutione demonstrauit. De dominio autē in creaturas quid attinet dicere, quando illum non modò morbis (vt paulò ante diximus) ventis item & aquis, verumetiā immundis spiritibus imperauisse scimus. Quin potius mundi simul & principis huius victor est, & victoriæ huius signa edidit luculentissima in Ascensione, quæ triumphi instar gloriosissimi fuit, in missione spiritus sancti, & euangelij per totū orbem propagatione, quam inuitis Romanis Imperatoribus factā fuisse omnes historiæ testantur. Et in hunc vsq; diem regnat in medio inimicorum suorum, quemadmodum de illo Dauid olim prædixerat. Est ergo reuera Dominus exercituū, quo titulo solum Deū prophetæ insigniunt: & proinde Deus quoq; est, eiusdem cum patre essentiæ, maiestatis atq; potentiæ. Docet itaq; locus iste, in quem finem opera Christi à nobis considerari debeāt: Nimirùm non vt historicam modo rerum ab ipso gestarum cognitionē ex ijs petamus, & ea nos otiose oblectemus: sed (quod ipse hic admonet) vt intelligamus, ipsū à patre missum esse. A patre verò missus dicitur, cùm quòd ab æterno ex patris essentia, ineffabili & inseparabili generationis modo, natus est: tum quòd carne assumpta in mundum venit, vt ex æterno patris decreto humani generis redēptor fieret. Ipsum ergo colamus, ipsum inuocemus, in ipso habeamus collocatam omnem salutis fiduciam: & ita spe nostra nunquam frustrabimur. Vide finē cap. 20.

Opera Christi propria.

Interea Christi exemplum imitari discamus. Docuit se Dei filium esse: illud verò non Ioannis tantùm testimonio, sed operibus proprijs luculenter probat. Profitemur nos quoq; Dei filios, & Deo patre gloriamur. Allegamus promissiones, fœderis cum Abrahamo facti articulos, prophetarum oracula, Christi & apostolorum testimonia, vnà cum sacramentis, quæ filiorum suorū externas tesseras Deus esse voluit. Sunt hæc sanè præclara & fide dignissima: at nō eadem coram Dei tribunali sufficiunt, neq; hic statim pro filijs suis omnes agnoscet, qui illis superbiunt, nisi reipsa & operibus se tales esse declarent. At quæ nā illa opera sunt? Fides &, quæ ex hac promanat, Charitas. Quia enim cum Deo non aliter, quàm in Christo, coniungimur, qui sola fide percipi potest, Dei filij esse non poterunt, quicunq; à fide alieni fuerint. At quia fides nō inanis persuasio est, aut in nobis temere enata opinio, sed certus & firmus animi assensus, quo Deum ipsum & promissiones eius in Iesu Christo apprehendimus: fieri nequit, vt non charitatem Dei simul & proximi in nobis accendat, quem nobis eiusdem fidei & salutis societas cōiunxit. Ideo Christus, quando nos patris sui imitatores esse iubet, beneficentiæ potissimùm meminit, qua is solem suum oriri finit super iustos & iniustos: & alibi chari

Christiani operibus se tales esse probent.

tatem dicit tesseram fore, ex qua agnoscamur, num ipsius discipuli, & filij Dei patris sui simus. Sed ô infelicitatem nostri seculi, cui si hanc regulam applices, mox patebit, quàm paucos filios inter nos etiam habeat Deus, qui ipsius nomine & verbo præ cæteris gloriantur.

Deus pater de Christo testatur.

Sequitur tertius Christi testis, Deus pater, de quo sic ille pronũciat: Et qui misit me Pater, ipse testatus est de me. Poterat hoc de omnibus exponi, quæ in scripturis de Christo continentur: quando certum est, illa non ad alium authorem debere referri, quàm ad Deum, cuius spiritu afflati Moses & prophetæ hæc nobis prodiderunt. At quia de scripturis postea peculiariter aget, ego libentius ista de peculiari patris testimonio expono, quod cœlitus delatum fuisse scribunt euangelistæ, quando Christus ab Ioanne baptizatus, & quasi inauguratione solẽni publicè inauguratus fuit. Tunc enim vox illa dulcissimæ consolationis plena audita est, quam postea in Thabor monte rursus repeti audierunt apostoli: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacitum est. Quæ sententia, vt nostræ salutis fundamenta continet, ita Christi plenam & perfectam descriptionẽ comprehendit. Quando enim filium dilectum vocat Deus, illum à communi hominum numero eximit, qui natura non dilecti, sed filij iræ sunt & damnationi æternæ obnoxij. Deinde officiũ quoq; illius indicat, dum in illo sibi complacitum esse dicit. Innuit enim hunc Mediatorẽ esse olim promissum, cuius intercessione nos ipsi reconciliari oporteat. Et hæc nunc paucis perstringimus, quia in Marco nostro pluribus sunt exposita. Credibile autem est, vocem hanc pluribus innotuisse, cùm Ioannes baptismum in publico administrarit, & Lucas non obscurè innuat, Christum vnà cum populi ad Ioannem confluentis multitudine ad baptismum venisse. Quò magis detestanda est Iudæorum pertinacia, qui tot testimoniis commendatum agnoscere noluerunt. Vbi tamen meminisse oportet, eodem cum illis reatu eos teneri, qui hodie adhuc salutis & fidei rationem incertam & dubiam esse conqueruntur, neq; in vno Christo acquiescunt, quem testimonio cœlitus delato pater toti orbi proposuit, &c.

Iudæorum obiectionibus occurrit.

Cæterum hæc dicente Christo, multa illi intra animos suos voluebant. Primò falsum & ab ipso confictum videbatur, quod de patris testimonio dicebat. Cogitabant ergo: Num huic testimonium perat Deus, qui ab ipso promulgatã legem de sabbato tam audacter violat? Vbi verò & quando hoc testimonium illi perhibuit Deus? Equidem patres nostri Deum olim in monte Sinai concionantem audiuerunt: prophetæ item multos & varios viderunt typos, quibus seipsum & voluntatem suam Deus manifestauit: Et nos ab illis Dei verbum scripturis comprehensum, quasi de manu in manum accepimus. At nihil vspiam audiuimus huiusmodi, quod huic fabri filio conueniat. Deinde hæc quoq; intra animos suos dicebant: Ecquid hunc audire siue amplecti opus est? Annon patres nostri olim Deũ audiuerũt & viderunt, priusquã iste nasceretur, & sine illo salui facti sunt? Annon nos quoq; Deum nobis in lege loquentem quotidie audimus? Quid ergo obstat, quò minus nobis sufficiat, quod patribus nostris sufficere potuit, & nos quoq; sine Christo hoc seruemur? Sunt hæ carnis cogitationes, quæ hodie etiã multos ab euangelij doctrina & vera fide auocãt, qui in eiusmodi voces palàm erumpunt. Sed nouit istorum cogitationes Dominus, & vt reipsa diuinitatem suam testetur, illas præuenit, & dicit: Neque vocem eius vnquam audiuistis, neq; speciem eius vidistis, & sermonem eius non habetis in vobis manentem, &c. Quibus verbis ipsorum confidentiã acriter corripit, Quasi dicens, Quid mihi patres vestros obijcitis? aut quid lege et verbi Dei cognitione gloriamini? Loquitur quidem in lege Deus, & in eadẽ seipsum manifestat, quatenus ab hominibus in hoc seculo agentibus cognosci atq; videri potest. Vos autem neq; eius vocem audiuistis, neq; vllam eius speciem vnquam vidistis, id est, nullam habetis eius cognitionem (sunt enim hæ locutiones metaphoricæ, ex vsu cõmunitatis petitæ, vt minimè opus sit de voce & forma Dei argutius philosophari) & verbum eius nequaquam in vobis habetis, adeoq; nihil vobis cum illo commune est. Est hæc grauis increpatio, qua vix quisquam grauius dici poterat. Obseruabis autem hoc illis dici, quorũ patres à Deo promissiones salutis & legem acceperant, quibus item Deus sese multiuariàm manifestauerat, & inter quos legis prædicatio solẽni ministerio debebat cõseruari: de quibus deniq; in Psalmis dicitur: Notus in Iudæa Deus, præclarum nomen eius in Israele. In Salem est tabernaculum eius, & mansio eius in Zione. Iterum: Deus nunciat verbum sum Iacobo, & decreta sua & iudicia sua Israeli. Non egit ad hunc modum cum vllis gentibus, &c. De illis (inquam) ista tam dura Christus pronunciat. Ergo Dei & salutis cognitio nequaquam vel carnali generatione vel ordinaria successione ad posteros propagatur, nec

illigenti ita alligatur Deus, vt non possit illa relicta gratiam suam ad alios transferre. Est & ita quæ vanissima Romanensium gloriatio, qui ecclesiæ sedem & verum scripturæ sensum apud se perpetuò quæri debere contendunt, cùm nihil habeant, quo suam illam prærogatiuam siue dignitatem tueri possint, præter anilia quædam figmenta, quæ pueris quoq; risum mouere queant.

Sine Christo Dei cognitio nulla est.

At ne cæco affectu ita in illos inuehi putetur, rationem huius dicti subijcit: Quia quem ille misit, huic vos non creditis. De seipso autem loquitur: qui viuum & æternum Dei verbum & eiusdē character gloriaq; eius splendor est. Vnde rursum colligimus, omnes eos Dei cognitione destitui, et eiusdem verbo frustra gloriari, quicunq; Christo non credunt, & in euangelio loquentē audire dedignantur. Damnantur itaque hoc loco omnes aliæ sectæ, non eorum modò, qui scripturas omnes hostiliter persequuntur & Deos plures colunt, quales olim gentes fuerunt: verumetiam eorum, qui Deo vero & vnico, mundi totius creatore gloriantur, & scripturæ libros, vel omnes vel aliquos in pretio habent, Christum verò non agnoscunt, neq; in illo vno collocatam habent suæ salutis fiduciam: quales hodie sunt Iudæi, Turcæ & Papistæ. Etsi enim Deum in ore habeant, scripturas legāt & canant, Deum tamen ipsum neque audiunt neque vident, neque sermonem eius in ipsis habent manentem. Quomodo enim Deum audiant, qui verbum illius essentiale & æternum explodunt? Quomodo eundem videant, qui illius filium, in quo se nobis verè manifestat, vel omnino aspernantur, vel figmentis suis obscurant? Aut quomodo sermonem Dei habeant in se manentem, qui omnia sua secus quàm ille iussit instituunt? Attamen hoc ipsum nobis quoque dici putemus, vt discamus, quomodo Dei verbum legi vel audiri debeat. Primò videndum est, vt quæ Deus nobis loquitur, fidam demissa per aurem (vt poetæ verbis vtar) toto animo insideant, & in eo sedem habeant firmam & stabilem. Vt enim semen in agro sparsum germinare & fructum ferre non potest, si à volucribus deuoretur, aut ab alijs inde auferatur: ita nec Dei verbum aliquem in nobis fructum feret, si illud ex animis nostris auferri patiamur. Maneat ergo in cordis penetralibus et assidua meditatione ruminetur, sicq; nobis salutare fiet. Deinde scopum totius scripturæ semper nobis ob oculos ponamus, qui est Iesus Christus, vt in illo quæramus quæcunque audimus nobis ad salutem necessaria esse, Pœnitentiam nimirum & Remissionem peccatorum. Nisi enim ad hunc omnia referantur, nunquam verum scripturæ sensum videre poterimus, & ex nobis ipsis idola faciemus, dum nostris viribus & nostrorum operum meritis tribuimus, quod in vno Christo quæri debebat, qui nobis à patre factus est sapientia, iustitia, sanctificatio & redemptio. Ipsi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. *Amen.*

HOMILIA XLIII.

Scrutamini scripturas: quia uos uidemini uobis in illis uitam æternam habere: & illæ sunt quæ testificantur de me. Et non uultis uenire ad me, ut uitam habeatis. Gloriam ab hominibus non accipio: Sed nouos, quòd dilectionem Dei non habeatis in uobis.

QVoniam tota nostræ salutis ratio in hoc versatur, vt verum atq; vnicum illius authorem, Iesum Christum rectè agnoscamus, & eundem vera fide amplexemur: non temere is præsentem hanc disputationem contra Iudæos instituit, qua quis nam sit, & cuius causa in mundum venerit, non minus constanter quàm dilucidè & diligenter docet. Eadem verò à nobis pari diligentia inspici atque considerari debet: quia vt cum acerrimis hostibus habita fuit, ita nos quoque aduersus omnes fidei hostes instruere potest. Nam vt vidimus hucusq;, non modò rationibus firmissimis pugnat Christus, verumetiam testes producit quàm maximè idoneos & fide dignissimos: ex quibus tres audiuimus, Ioannem Baptistam, opera ipsius verè diuina, & Patrem, qui de cœlo illi testimonium perhibuit. Sequitur nunc quartus testis, totius nimirum veteris Scripturæ consensus: quem ideò reliquis adijcit, vt seipsum & doctrinam suam à nouitatis suspicione liberet, qua illam aduersarij plerunq; grauare solent. Inde verò ad postremam transit huius tractationis partem, qua aduersariorū pertinaciam grauissimè accusat & reprehendit.

Scripturæ de Christo testantur.

De scripturæ veteris testimonio disserit his verbis: Scrutamini scripturas: quia vos videmini vobis in illis vitam æternam habere: & illæ sunt, quæ testificantur de me. Exponitur autem horum verborum pars prima bifariàm. Cyrillus non imperantis, sed quid illi faciant narrantis verba esse sentit, quasi dicat: Vos quidē scripturas assiduè legitis, & illarum inuestigatores vultis videri, dum in earum lectione vitam & salutem omnem consistere existimatis: interim verò me non recipitis, cui illæ testimonium perhibent. Alij in Imperatiuo modo hoc dictum esse arbitrantur, quem sensum etiam veterum plerisque placuisse, idem Cyrillus fatetur, & hîc mihi quoque magis arridet: Quia scrutandi verbum Iudæis minus conuenit, qui in scripturis non diligenti examine & inuestigatione vsi sunt, sed nuda & otiosa lectione contenti, illas perfunctoriè modò legerunt, nec vnquam ad profundiorem mysteriorum, quæ sub illis continentur, cognitionem penetrarunt. Imò (vt Paulus 2. Corinth. 3. de illis ait) expansum sibi ob oculos adhuc habuerunt velum illud, quod in Mosis faciem ipsos inspicere prohibebat. Itaque illos hortatur Christus, vt scripturas penitius inspiciant, & illarū arcanos sensus scrutentur: sic enim fore, vt illas vnanimi consensu de se testari intelligant. Rationē verò, qua ipsos vrgeat, adducit: Quia vos videmini vobis in illis vitam æternam habere. Quasi diceret: Cùm & vitæ æternæ studium profiteamini, huius verò consequendæ rationem scripturis contineri credatis, imò illas ita veneremini, vt in ipsarum lectione meritum aliquod salutis consistere putetis: par est, vt quæ in illis traduntur, maiori studio inuestigetis. Quod si fiat, non adeò insolens vobis videbitur quod dico, cùm scripturas idem testari audieritis. Conuenit autem hoc dictum cum eo, quod Lucæ vltimo habetur, vbi post resurrectionem discipulis ait, hæc sibi fieri oportuisse, vt complerentur, quæ de se scripta sint in Mose, prophetis & Psalmis. Et quod hîc dicitur, prolixè demonstrari poterat. Nam vt à primo Mosis libro exordiamur, præcipuum illius caput est promissio seminis illius, quod veteris serpentis caput contriturum sit, & in quo omnes gentes benedici atque seruari oporteat. Deinde in reliquis libris politia & externus cultus populi Israelitici traditur, vbi promissus ille redemptor typis multis & varijs adumbratur. Et huc maximè facit, quod Moses post omnia ista magnum illum prophetam pollicetur, quem omnes audire debeant. Quid autem illo opus erat, si per legem & eius opera seruari potuissemus? Post hæc sub Iudicibus & Regibus multa sunt facta, quæ redemptoris promissionem pijs in mentem reduxerunt atque confirmarunt. Dauid certè vt eius typum gessit, ita in Psalmis de ipsius regno & sacerdotio multa vaticinatur. Secuti sunt tandem prophetæ, qui omnia eius euidentissimè descripserunt, tempus nimirum sui in carnem aduentus, locum natalem, miracula, doctrinam, mortem, sepulturam, resurrectionem, ascensionem in cœlos, missionem spiritus sancti, euangelij & regni sui propagationem per totum orbem, & quæcunq; alia sunt huius generis. Quæ si cum Iesu Christi historia conferas, omnia in illo impleta & præstita esse patebit. Verissimè ergo hîc dicitur, quòd scripturæ de illo testimonium ferant. Id verò plurimùm facit ad commendandam fidei Christianæ vetustatem atque dignitatem seu certitudinem, vt alibi fusius est dictum.

Veritatis præcones causam propius cognosci cupiunt.

Vt autem hæc Iudæorum & omniū aliorum cæcitatem arguunt, qui cùm scripturas legant, & illarum cognitione glorientur, Christum tamen agnoscere & amplecti nolunt: Ita suo exemplo docet Christus, qua fide & ingenuitate agant qui sibi bene conscij, veritatis causam sustinent. Cupiunt illi vt causa cognoscatur, & vt hoc fiat rogant. Eam enim veritatis conditionē esse norunt, vt quo propius cognoscitur, eò magis in sui amorem hominū mentes abripiat. At longè alij impostorum & hypocritarum mores sunt, qui imprimis cauent, ne scripturæ vulgò ab omnibus legantur, & religionis causam ad eos solos pertinere clamant, qui sacris initiati sunt, reliquorum autem esse, vt simpliciter credant quæ à suis doctoribus traduntur. Est hoc vnicum præsidium, quo superstitiones suas impostores tuentur. Mahomet certè cùm scripturas simul omnes negare non auderet, hoc tamen cauit, magis suæ sectatores cum quoquam de religione disputent, & ea ratione scripturæ sacræ diligentiorē considerationem inter suos è medio sustulit. In Papatu autem peregrina lingua in templum inuecta est, nec prius ad scripturarum lectionem admissi fuerunt, qui aliquando sacris initiandi erant, quam prius philosophiæ placitis imbuti essent, quæ liberum arbitrium, hominis vires & operum nostrorum merita pepererunt. Imò omnis disputatio de religione interdicta fuit, vt quæ ad Concilia generalia pertineret, quorum potestatē & authoritatem omnem Pontifices sibi reseruarunt. Imitantur hos ex nostris

nostris etiam nõnulli, qui in controuersis articulis sua figmenta authoritate plus quàm censoria suis hominibus obtrudunt, solicitè autem cauent, ne causa propius cognoscatur, & ne aduersariorum libri legantur, ex quibus illa cognosci poterat. Sunt hi omnes à Christi moribus alienissimi, & suo indicio sese produnt, quòd causam malam & falsam sustineant, quæ non alio firmiori fulcro quàm hominum ignorantia nitatur.

Scripturæ sacræ commendatio.

At simul hac sententia Christus omnia comprehendit quæ ad scripturæ commendationem faciunt. Quo loco illius dignitas ante omnia debet considerari, quam maximam esse patebit, si penitiùs inspiciatur. Paulus Apostolus eam θεόπνευστον, id est, diuinitus inspiratam esse ait. Cui Petrus consentit, qui sanctos Dei homines ex spiritus sancti suggestione locutos esse scribit. Istud autem verè dici constat, siue prædictiones rerum futurarum, siue leges, siue historiam examinemus. Quæcunq; enim olim promissa aut prædicta fuerunt, verè præstita & impleta esse scimus. Veritatis ergo spiritum illius authorẽ esse oportet. Leges autem tam iudiciales quàm morales cum lege naturæ per omnia conueniunt. Quis ergo in illis totius naturæ creatorem atq; Dominum non agnoscat? Historiã verò ab ipsa rerum origine vsq; ad Messiæ aduentum, totius mundi consensu approbatam, scriptura vetus continet: quin ex ipsa sola series annorum & temporum certa colligitur, adeoque regulam habet, ad quam omnes historiæ aliarum gentium probari & corrigi possunt. Deinde si ipsos scriptores sacros consideres, qui vt aliquot seculorum interuallis disiuncti vixerunt, ita diuersæ conditionis homines fuerunt, tam certo tamen & vnanimi consensu Messiæ & salutis mysteria tradidere, vt in eo spiritus sancti suggestionem facilè deprehendas. Adde his Dei prouidentiam, qua libri sacri inter tam multa & grauia persecutionum pericula in hunc vsque diem seruati sunt, nequicquam illos abolere conantibus tyrannis potentissimis. Etenim hoc singulari consilio Dei factum esse ex eo patet, quòd interea tot millia librorum perierunt, quos ipsi reges conseruatos cupiebant. Ptolemæus certè Philadelphus bibliothecam magno studio instruxit, in qua septingenta millia librorum fuisse ferunt. Sed cùm annis non multò plus ducentis fuisset seruata, cõflagrauit tota eo bello, quo Cæsar Cleopatram à fratre pulsam restituit. Similiter Romæ regnante L. Aurel. Antonino Capitoliũ fulmine tactum est, quod simul bibliothecam nobilissimam absumpsit, & quo ex suis quoque libris aliquos exustos fuisse Galenus queritur. Et sub Zenone centum & viginti millia librorum vno incendio Constantinopoli periisse, Ioannes Zonaras scribit. Taceo nunc priuatas multorũ bibliothecas, quas omnes vel incendia temere exorta, vel bellici tumultus & militum furor, vel aliæ calamitates vastarunt. Cùm ergo inter hæc pericula libri sacri nobis seruati sint, quos multi perditos volebant, quis non potentem Dei manum agnoscat, qui hos vt suæ voluntatis testes atque interpretes extare voluit? Accedit his omnibus Christi testimonium, qui vt Mosis & prophetarum authoritate frequenter vtitur, ita post suam resurrectionem quoq; ex scripturis concionatur, & in illarum cognitione suos discipulos instituit.

Argumentum totius scripturæ.

Deinde argumentũ totius scripturæ hîc indicatur, quod est vita æterna, vel potius vera huius consequendæ ratio. Etsi enim Iudæis dicat Christus: Vos videmini vobis in illis vitam æternã habere: non tamen negat, vitam scripturis cõtineri, sed superstitiosam et ineptã illorum confidentiã reprehendit, qua vitæ æternæ et salutis meritũ in perfunctoria scripturarũ lectione cõstituebãt: quemadmodũ Monachi & multi etiã ex pseudoeuangelicis hodie faciunt, qui cùm scripturas nunquã non in ore habeant, & Psalmos quotidie decantent, Christũ tamẽ & vitæ Christianæ officia, quæ hisce libris traduntur, securè negligunt. Interim rectè & verè dicitur, in scripturis vitã æternã contineri. Nec enim aliã ob causam Deus verbũ suũ scriptis cõprehendere voluit, quàm vt ex eo vitæ et salutis cõsequẽdæ rationẽ discamus. Et quia totius scripturæ scopũ esse diximus Christũ, qui nobis verus & vnicus vitæ author est, in eadẽ vitã quoq; contineri negare non possumus. Quot quot ergo scripturas cõtemnunt et odiosè proscindũt, hi et Deũ ipsum atroci iniuria afficiunt, et vita seipsos spoliant: quia hanc nunquã obtinebunt, qui ab ipso Deo traditam illius inueniendæ rationẽ nolunt amplecti.

Quomodo in scripturis uersari debeamus.

Præterea vt in scripturis versari debeamus, Christus nos admonet. Vbi imprimis meminisse oportet, non sufficere, si libros sacros habeamus, eosdem splendidè ornemus, superstitiosè veneremur (quod Iudæi ad miraculũ vsq; faciunt) aut etiam legamus, & quæ illis continentur publicè recitemus: sed scrutari oportet quæ in illis latent mysteria. Nam vt in agris defossos thesauros nunquã obtinebi-

mus, nisi illi effodianturita Domini ager fossione opus habet, & diligenti studio, quo salutis thesaurum in lucem eruamus. Fiet hoc, si cum verbis res quoq; ipsas consideremus, & quæ olim dicta vel facta sunt, ad nostra tempora transferamus, vt nostræ institutioni atq; consolationi seruiant. Quia autem in omnibus scripturis Christus prædicatur, hunc vbiq; inquirere, huius mysteria passim scrutari, in hunc vnum omnia referre conuenit: & sic luce clariora nobis fient, quæ prius obscura & inextricabilia videbantur. Sed quia de hoc nuper quoq; diximus, hæc in præsenti annotasse sufficiat.

Iudæorum contumaciam corripit.

Transeamus nunc ad tractationis huius epilogum, quo Iudæorum voluntariam cæcitatem & contumaciam Christus grauiter accusat & reprehendit. Propositio & summa corteptionis est: Non vultis venire ad me, vt vitam habeatis. Ad Christum venire est, salutem in ipso propositam ardenti desiderio affectare & fide vera amplecti. Sic enim ipse locutionem istam exponet Cap. sequenti, quando ait: Qui venit ad me, non esuriet: & qui credit in me, non sitiet. Diserte verò ait, Non vultis venire, &c. vt crassam ignorantiam & voluntariam rebellionem denotet. Simul verò, quid ex ea secuturum sit docet, Nimirum vt nec vitam consequantur. Hinc autem generalis doctrina petenda debet. Vitæ expertes fore omnes eos, qui ad Christum accedere nolunt, vt ipsum fide vera approbendant. Quia enim in hoc vno vita nobis exhibetur, impossibile est, vt hac fruantur qui illum fastidiunt. Obseruent hoc, qui hodie in tanta euangelij luce, Christo ipsos vocante ad se, ipsi ad inanes Dei uorum cultus & superstitiones deflectunt: neq; eo cõtenti sunt, sed insuper Christum in euangelio suo ipsis loquentem hostiliter persequuntur, & in membris suis crudeliter trucidant. Gloriantur illi zelo pietatis & ardenti salutis studio. Atqui ijsdem Iudæi quoq; gloriabantur, quibus tamen spem salutis Christus negat, eò quòd ad ipsum venire nollent.

Ambitionis culpam declinat.

Cæterùm ne priuatæ gloriæ studio hæc tam constanter vrgere videretur, præoccupatione suspicionem istam abs se remouet: Gloriam (inquit) ab hominibus non accipio. Sed noui vos, quòd dilectionem Dei non habeatis in vobis. Sensus verborum hic est: Non ea est mea sors siue conditio, vt hominum iudicio atq; suffragijs mihi ad meæ causæ defensionem opus sit. Nam vtut illi de me iudicent, nihil tamen meæ gloriæ derogare poterunt. Quod autem hæc tanto studio apud vos ago, propterea fit, quòd vos his opus habere intelligo. Noui enim vos, quòd Dei dilectionem non habeatis in vobis. Egregiè quidem simulatis zelum Dei, & propugnatores gloriæ Dei videri vultis. Sed hoc vestrum studium omne vanum est & hypocriticum. Quia enim Dei amore non ardetis, nullius etiam veræ pietatis sensus vobis inest, sed sub plausibili cultus diuini prætextu rem priuatam & propriã gloriam quæritis. Et hæc causa est, quòd nec mihi credere potestis, nec salutis & vitæ consortes fieri. Id verò ipse postea adhuc pluribus exponet. At quod istis dicit Christus, non minus hodie nostris aduersarijs potest dici. Prætexunt quidem suis consilijs & actionibus zelum diuinæ gloriæ, & omnia in eum finem facere clamant, vt & illa propagetur, & publicæ omnium saluti consulatur. Sed non fallent Christi oculos, qui vt istorum dolos vidit, ita ipsos quoque amore Dei vacuos esse nouit, & olim digna factis ipsorum præmia rependet. Quin cordatus quisque non obscurè videt, quo zelo aut spiritu isti homines agantur. Si enim Dei dilectione ardent, cur huius gloriam in creaturas, & quidem in homines impurissimos transferri patiuntur, qui peccatorum remissionem in sua potestate esse contendunt, & eandem pretio vendunt, imò reges quoque ad pedum suorum oscula inuitant? Si Christi gloria tanguntur, cur illius merito derogant? cur quæ ille sanguinis sui pretio acquisiuit, illi frigidissimis ceremonijs & nostrorum operum meritis accepta ferunt? Si publicæ salutis cura ipsos solicitos habet, cur doctrinam salutis non audiunt? cur obstant, quo minus illa prædicetur? cur humanas traditiones tam pertinaciter defendunt, quibus se nequicquam coli Deus testatur? Vides ergo hypocritas esse, imò manifestos Dei hostes esse, qui hodie religionis Christianæ propugnatores haberi & dici volunt. Interim contra illorum furores & corrupta iudicia nos consolatur, quòd Christi Iesu & salutis nostræ causa non ab hominum iudicio pendet, sed æterno Dei decreto nititur: de quo cùm ex scripturis certi reddamur, non est quòd hominum istorum sermones vnius assis æstimemus. Quia verò impietatis omnis origo est, si Dei dilectionem animis nostris ejiciamus, prima nobis cura sit, vt illius ardor in cordibus nostris accendatur. Vbi multùm proderit, si nosipsos probè examinemus, & cum nostra corruptione conferamus infinita Dei beneficia, quæ cùm alioqui tum maximè in filio suo nobis præstitit. Nam qui ista non ociosè expendit, ferreus sit oportet, si non

si non toto animo sese commoueri sentiat. Addamus considerationi huic preces ardentes ad Deum, & mox suo spiritu nos donabit, qui vera Christi Iesu cognitione & fide illuminatos cœlestis regni desiderio accendet, quod ille nobis suo merito acquisiuit, cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

HOMILIA XLIIII.

Ego ueni in nomine patris mei, & non recipitis me. Si alius uenerit nomine suo, illum recipietis. Quomodo uos potestis credere, qui gloriam alij ab alijs accipitis, & gloriam quæ à solo Deo est, non quæritis? Ne putetis quòd ego accusaturus sim uos apud patrẽ. Est qui uos accuset, Moses, in quo uos speratis. Si enim crederetis Mosi, crederetis etiam mihi: de me enim ille scripsit. Si uerò illius scriptis non creditis, quomodo meis uerbis credetis?

POstquàm Dominus noster Iesus Christus causam suam aduersus Iudæos argumentis simul & testimonijs idoneis defendit, quibus demonstrauit, se verum esse Dei filium & vnicum humanæ salutis authorẽ: tandẽ postrema huius tractationis parte aduersarios suos grauiter increpat, & pœnas ijsdem minatur, quas de illis sumpturus sit Deus, eò quòd ipsum improbè aspernentur. Quo exemplo admonemur, non sufficere, si veritatis doctrina simpliciter proponatur, aut etiam rationibus certis confirmetur, sed simul argui & publicè accusari oportere hostium malitiam, vt vel ipsi terreantur, vel saltem alij intelligant, exemplo ipsorum neminem debere offendi. Quoad verò statum accusationis, in eo versatur Christus, vt aduersarios suos à fide & dilectione Dei alienos, & proinde ad vitæ cœlestis hæreditatem nunquam venturos esse euincat. Erat hoc auditu graue & intolerabile ijs, qui in selecto Dei populo primatu gloriabantur: Ideò dictum hoc suum modò rationibus solidissimis confirmat. Deinde nimia confidentia elatis pœnam sic denunciat, vt illis omnem impunitatis spem eripiat. Est autem locus hic consideratu dignissimus: quia notas habet, ex quibus etiam hodie verè pios ab hypocritis possumus dignoscere, & plurimùm seruit confutandis aduersarijs nostris, qui ex patrum & Diuorum cœlitum patrocinio impunitatis spem non minus confidenter conceperunt.

Prima pars duobus argumentis constat, quibus docet ipsos neque fidem habere, neque Dei dilectione tangi. Priorem comparatione vestit, vt sceleris magnitudinem magis amplificet. Dicit enim: Ego veni in nomine patris mei, & non recipitis me: Si alius venerit in nomine suo, illum recipietis. Nomine patris Dei veniunt, qui ab illo mittuntur, & commissa sibi Dei negotia fide bona agunt. Suo autem nomine veniunt, qui affectu prauo excitati sua sponte currunt, & priuatis modò commodis student. Argumentum est eiusmodi: Quicunq; Dei dilectionem habent, ij à Deo missos veritatis præcones & gloriæ Dei studiosos agnoscunt & recipiunt, detestantur autem omnes, quoscunq; sub hoc prætextu sua quærere animaduertunt: Vos autem me, qui à Deo missus in mundũ veni, qui missionis meæ testimonia habeo luculenta, qui denique mea omnia ad solius Dei gloriam dirigo, & hunc vnum doceo, non recipitis: recipietis autem impostores, qui vt suo honori & quæstui consulant, vos inanibus figmentis decipient. Ergo dilectione Dei vacui estis, vt ut illa gloriemini. Verè autem hoc à Christo prædictum fuisse, historiæ luculenter docent. Fuit enim hoc proprium Iudæorũ gentis, quòd cùm legis cognitione gloriarentur, quosuis tamen impostores admiserint semper, qui illos inanibus & noxijs figmentis seduxerunt. Nam olim, cùm prophetas plurimos daret Deus, pseudoprophetas tamen potius quàm illos audire solebant. Et ad præsentis loci expositionem pertinent, quæ de Ægyptio impostore Iosephus tradidit, de Theoda item & Iuda Galilæo, & reliquis seditionum authoribus. Et certò constat, post mortem & ascensionẽ Christi nunquam defuisse aliquos, qui populum vanis promissionibus & fraudulentis consilijs ad res nouas solicitarent: quæ causa fuit, quòd Romani misso exercitu terram Iudææ omnem vastarunt, vrbem exciderunt, & gentem Iudæorum per omnes populos fœdè dissiparunt. Nec tamen eo excidio prudentiores facti, postea Barcochaban receperunt, qui regnante Adriano se Messiam esse profitebatur: qui quantum mali illis

Probat Iudæos à dilectione Dei alienos esse.

dederit, in Zacharia nostro & alibi quoque diximus. Quò etiam referri debent, quæ Moses Cretensis fecit sub Theodosio, cuius præstigijs adeò dementati fuerunt Iudæi, vt ex altis rupibus desilientes in mare, se in Iudæam absq; nauibus tranare posse sibi pollicerentur. Taceo nunc Rabbinos, qui vanissimis & superstitiosis traditionibus miseros in hunc vsq; diem circunducunt. Verissimè ergo ista pronunciauit Christus, qui simul in genere docet, hoc animi impij & à Deo alienissimi certum indicium esse, si qui relicto expresso Dei verbo, quorumuis somnijs & inanibus promissis sese decipi patiantur. Vt enim matrona pudica & amore coniugali flagrans nullius blanditijs & promissis cedit, quantumuis splendidis: ita qui castum & verum Dei amorem animo suo conceperunt, nullius doctrinam admittunt, qui ipsos à Deo & vnico mediatore Iesu Christo abducere conatur.

Quomodo ueri doctores à falsis dignoscantur?

Cæterùm hîc primò obseruandæ veniunt notæ, quibus veri doctores à falsis dignosci possunt. Hîc ante omnia missionem videre oportet: quia teste Apostolo, nulli legitimè prædicabunt, nisi missi fuerint; & apud Ieremiam de quibusdam queritur Deus, quòd ipso non mittente eos ipsi cucurrerint. Deinde quò tendant obseruandum est, & quem sui ministerij finem sibi proposuerint. Quia nemini vni Deo per Christum suos sectatores adducunt, solius Dei gloriam pro virili prouehunt, nec de sua aliter soliciti sunt, quàm cùm Dei gloria exigit, vt sua authoritas ipsis salua maneat, hi pro veris & orthodoxis agnosci merentur. At qui nõ expectata vocatione legitima, vel temeraria presumptione munus hoc capessunt, vel malis artibus sese intrudunt, in eo autem constituti sibiipsis discipulos faciunt, & quæ solius Dei sunt sibijpsis arrogant, hi seipsos quærunt & impostores sunt, quocunque tandem titulo glorientur. Sunt notæ istæ tam euidentes, vt cuiuis pateant, qui animi oculos vel minimùm volunt intendere. Quòd si verò ad hunc indicem examines eos, qui hodie in Papatu ecclesiæ antistites haberi volunt, mox patebit, quales censeri debeant. Quam enim missionem afferre possunt, qui sacerdotium ex suo cerebro excogitarunt, quod nulla verbi diuini authoritate nititur? Quomodo Dei ministri dicentur, qui non illi adducũt, sed sibijpsis discipulos faciunt? Aut num Dei gloriam eos quærere putabis, qui Diuos inuocare, ligna & lapides colere docent, qui item sibijpsis honores diuinos vendicant, & sub religionis prætextu regnum sibi constituunt, in quo regibus quoq; legitimis superbè dominantur?

Mũdi uecordia

At hîc simul considerandа nobis venit mundi infelicis vecordia. Fatentur quidem omnes homines, Deum solum bonum, imò summum bonum & omnis boni fontem esse. Interim tamen eos odérunt, qui ad vnum hunc ipsos remittunt, eos verò amant & sectantur, qui aliò deflectere & inania humanarũ persuasionum somnia sequi docent. Cuius peruersitatis causa in carne nostra hæret, qua vt proprijs figmentis mirificè delectatur, ita Dei instituta spernit & odit, eò quòd illa vel non intelligit, vel studijs suis prauis aduersari videt. Sunt exempla omnium seculorum, quæ hoc naturæ nostræ vitium antiquum, & tantumnon incurabile esse docent. Paulus certè in posteriori ad Timoth. cap. 4. de nouissimo seculo vaticinans scribit: Erit tempus, cùm sanam doctrinam non sustinebunt, sed iuxta concupiscentias suas coaceruabunt sibi doctores, ij quibus pruriunt aures, & à veritate quidem aures auertent, ad fabulas verò conuertentur. Quò minus nos hodie offendi oportet, si hodie etiam contemptis euangelicæ veritatis doctoribus impostores in pretio esse videamus. Stultum enim fuerit ideò vel de euangelij doctrina dubitare, vel de ministrorum fide et industria aliquid iniquius suspicari. Nec enim ab hominum authoritate pendet verbi diuini veritas: & quid aliud sibi pollicentur ministri homines, quando Dei filium ab illis reiectum vident, qui Messiæ promissionibus quàm maximè gloriabantur?

Pœna eorũ, qui impostores Christo præferunt.

At quò minus offendamur, pœnam quoque obseruemus, qua istos Deus multare solet, & quam Christus Iudæorum exemplo simul cõprehendit. Fit enim iusto iudicio, vt impostoribus præda fiant qui veritatis & salutis doctrinam fastidiunt, & non modò fortunarum suarum, verumetiam corporis & animæ iacturã faciant. Minatur hoc disertè Deus Ezechiel. 14. cap. & exempla sunt plurima, quæ huic cõminationi fidem faciant. Sensit hoc Dei iudicium Pharao, quando à Magis suis seductus est, cùm Mosem & Aaronem, Dei ministros audire nollet. Et Saul, qui Samuelis viuentis monita aspernabatur, defuncti manes solicitare voluit, & diabolo sub assumpta Samuelis specie sese ludificandum præbuit. Achab item, qui Micheam importunum & morosum concionatorẽ odio prosequebatur, falsorum prophetarum dolis deceptus cum vita regnum amisit, & secum vna posteritatem suam

tem suam omnem perdidit. Nec melior fuit Zedechiæ sors, cui falsi prophetæ excidij authores fuerunt, cùm Ieremiæ sana consilia contemneret. Ne tamen intra Iudaici populi fines hoc Dei iudicium cessauisse putemus, Christus quoq; in euãgelio de nouissimi seculi impostoribus nos admonet, & Paulus in secunda ad Thessalonicenses de Antichristo vaticinans, illum in eos imperium habiturum dicit, qui amorem veritatis non receperunt vt salui fierent. Ideo (inquit) mittet illis Deus efficacitatem deceptionis vt credant mendacio, vtq; damnentur omnes, qui non crediderunt veritati. Quod quàm verè prædixerit Apostolus, historiæ testatur. Primò enim cùm in veteri ecclesia doctrinæ apostolicæ simplicitas sordere inciperet, agmina hæreticorũ excitauit satan, qui nõ minus ineptis quàm impijs delirijs ecclesiæ vnitatem sciderunt, & multos in præsens exitiũ adduxerunt, sicuti in Montani sectatoribus, Arianis & Manichæis est videre. Deinde verò cùm hæc iniquitatis mysteria operantem satanam plerique non obseruarent, paulatim magnus ille Antichristus ingressus est, qui primatum in templo Dei occupauit, & cum ecclesiæ doctrina rempub. quoq; mutauit, euertit, dissipauit, & eòusq; grassatus est, vt non aliqua in orbe terrarum familia reperiatur, quæ non illius tyrannidem atq; rapacitatem senserit. Implentur sub huius regno hodie etiam, quæcunq; hic à Christo & ab apostolis fuerunt prædicta. Quia enim puriorem Christi doctrinam fastidiunt, quæ in illo vno omnia monstrat quæ nobis ad salutem sunt necessaria, ij putidis hominum aut superstitiosorum aut malitiosorum traditionibus per auia multa circunducuntur, in quibus miserè pereunt: nec tamen illis gratis perire licet, nisi multa pecunia simul eos cõducant, qui ipsis exitiũ afferunt. De quibus cùm aliâs prolixè dictum sit, ista modò sufficiant. Debet tamen hoc ipsum ad ea quoq; extendi, quæ ad reliquæ vitæ humanæ officia faciunt. Videmus enim simili ratione accidere, vt qui parentibus obedire nolunt, in malæ frugis nebulones incidant, qui illis egestatis, infamiæ & nonnunquã mortis etiam autores sunt. Ita qui pijs magistratibus obsequium negant, tyrannis præda fiunt. Similiter qui coniugibus honestè cohabitare & fidem coniugalẽ seruare nolunt, scorta & scortatores sectantur, quorum illecebris inescati cum infamia pereunt. Adde his eos, qui exules Christi à suis vrbibus excludunt, quas postea immanissimis hostibus aperire coguntur. Eos itẽ, qui dum liberos suos Christo cõsecrare nolunt, illos postea Bachi, Veneris, Martis, imò satanæ mancipia esse vident. Nec multùm diuersa illorum sors est, qui opes suas exteris & barbaris militibus, aut ganeonibus coguntur relinquere, quas Christo in pauperibus suis postulanti negarunt.

Sed alteram quoq; rationem videamus, qua aduersarios suos à Dei dilectione alienos esse ostendit. Hanc ita proponit, vt in ipsos animi recessus penetret, & latentem in illis corruptionem arguat. Dicit enim: Quomodo vos potestis credere, qui gloriam alij ab alijs accipitis, & gloriam, quæ à solo Deo est, non quæritis? Ita verò nõ modò fide vacuos esse docet, quæ dilectionis Dei & omniũ aliarum virtutum mater est, sed simul tales esse innuit, vt fides apud eos non possit locum habere aliquem, quoad tales esse perrexerint. Argumentum est eiusmodi: Quicunq; humanã gloriam sectantur & diuinam negligunt, ij fidem habere non possunt. Vos humanæ gloriæ studiosi, gloriam Dei negligitis. Ergo fidem non potestis habere, qua me amplectamini. Maior in eo fundatur, quòd nisi homo suipsius cognitione humiliatus se dei gratia opus habere intelligat, ad Christum non accedet, qui nobis ad thronum gratiæ viam patefecit. Quia enim suarum virtutũ fiducia fretus se sibipsi sufficere arbitratur, suam quoq; iustitiam coram Deo superbè ostentat, neq; de ea apprehendenda solicitus est, quam ille nobis in filio suo ex gratia offert. Accedit his, quòd ijdem Deum nõ probè norunt, et proinde non multùm curant quales coram illo censeantur, imò illum perinde vt homines fuco externo deliniri & falli posse arbitrantur. Itaq; fit vt hypocrisi semper coniuncta sit ambitio, et qui hisce morbis laborant, omnia sua in eum finem instituunt, vt hominum iudicio sancti & præclari habeantur. Quod vbi se assecutos putant, mox homines quoq; omnes præ sese contemnunt, & immani cõfidentia supra nubes elati, preces suas & suorum operũ merita alijs diuẽdere, vel potius venditare audent. Præterea, vt hypocrisi acquisitum regnum tueantur, se inuicem honoribus magnificè præueniunt, & vt mutuum multi scabunt, ita illi titulis ambitiosis se mutuò inebriant, sicq; rudem populum inani splendore in sui admirationem maiorem abducunt. Sunt ergo verè ex superborum numero, quibus Deum ipsum aduersari Petrus testatur, & proinde fides apud illos locũ non habet, quæ donũ Dei est gratuitum. Atqui tales fuisse, quibus Christus hoc loco loquitur, facilè docent, quæ alibi de am-

Iudæi non possunt credere Christo.

bitioso illorum vestitu, de superbis Rabinorum titulis, de precibus item, ieiunijs & eleemosynis ad ostentationem compositis, item de sacrorum nundinatione dicuntur. Rectè ergo ista de illis Christus pronunciat, & hæc dicendo laruam ipsis detrahit, vt ab omnibus agnoscantur, qui sese illorũ artibus hactenus passi fuerant circunduci: & quid cum horum similibus agi debeat, suo exemplo docet.

Cur hodie fides rara sit?

Nos verò ista ad nostrorũ temporũ mores transferamus, vt hinc appareat, cur hodie in tanta euangelij luce fides in Christũ rara sit, & ita minus offendamur, quando plerique aduersus euangelij doctrinam hostiliter insurgunt, vel saltem illã insolenter nimis contemnunt, qui authoritate & potentia reliquis sunt præstantiores. Nam hæc vna causa hodie etiam illos remoratur, quòd gloriæ humanæ studio fascinati cœlestem atq; diuinam negligunt. Sunt enim duo ferè hominum genera, & in vtroque ambitionis malum dominatur. Alterum eorum est, qui aliquo religionis studio tenentur, & ad cœlestem felicitatem non ficto conatu aspirant. Et hi quidem licet facilè omnia contemnant, quæ huius mundi iudicio magnifica putantur, insolenti tamen ambitione coram Deo efferuntur, dum sui arbitrij libertatem, vires proprias, operum item suorum merita iactitant, & illis fiducia planè pharisaica nituntur. Itaq; ijdem Christum fide vera amplecti non possunt, imò eius doctrinã odio implacabili persequuntur, eò quòd illam bonis operibus inimicam esse putent. Alterum prophanos habet, qui etsi religionis studium profiteantur, ab illo tamen sunt alienissimi, & horum numerus vbiq; est longè maximus. Hi priuatis commodis intenti, Dei amorem habere non possunt, & multò minus eum fidere, quem suis studijs tam apertè aduersari vident. Patebit hoc euidentius, si singulos ex ordine inspicias. Et vt ab illis exordiamur, qui in ecclesia primatum sibi vendicant, quis non videt illos ambitionis æstro totos exagitari, cùm titulos illorum audit, in quibus Reuerendissimi, Sanctissimi, imò Sanctitas ipsa dici volunt? Quis enim apostolorum vnquam talis dici voluit? Sed tolerari posset histrionum illorũ ineptia, nisi diuinos quoq; honores sibi palàm vendicarent, dum se Christi Iesu vicarios dicunt, & penes se authoritatem esse aiunt, qua hominum peccata remittere, & quos velint cælo locare, aut ad inferos deijcere possint. Arguit illorum insolentiam atq; impostura lux euangelica, neq; illi negare possunt quæ omnibus nota sunt: sed nequicquam arguuntur. Quia enim nolunt videri errauisse, quia è gradu suo deijci, infames fieri & ad inopiam redigi nolunt, agnitæ etiam veritati aduersantur, & proinde credere nõ possunt. Sequuntur hos proximo gradu Reges & eo principes, qui cùm aut ditiones suas dilatare, aut immodico fastu suæ potentiæ splendorem ostentare soleant, vel toti voluptatibus immersi sint, religionis causam nihil ad se pertinere putãt, & ex eo præcipuam laudem vænantur, si omnes de doctrina & fide controuersias ad episcopos personatos remittant, & illos pro suo arbitrio in quosuis grassari patiantur. Quòd si quis illos liberius arguat, & sui admoneat officij, mox læsæ maiestatis accusatur, proscribitur, necatur, & reliquis dicendi leges prescribuntur, ne docendi libertas regiam maiestatem & principis celsitudinem in periculum adducat. Interim ijdem nunquam cogitant, quomodo sese Deo approbent, & illius gloriam vel falsis superstitionum traditionibus, vel publica morum licentia obrutã asserant atq; tueantur. Non possunt ergo hi quoq; fidei donum accipere, cuius dignitatem & virtutem non intelligũt, neq; etiã intelligere volunt. Eadem est ratio diuitum & aliorum, qui generis nobilitate gloriantur. Accedit tamen illis alia etiam remora. Quia enim filios suos sacerdotijs ditare, & ex illis alios quidem cathedralium ecclesiarum Canonicos, alios Abbates, alios episcopos facere consueuerunt, vt reliqui nobilitatis gradum sustinere & tueri possint, indignissimè ferunt, hunc quæstũ illis eripi, quo hactenus familiarum nobilissimarum splendor est conseruatus. Et quia hunc gloriæ Dei longè præferunt, satius esse ducunt, omnes homines superstitiosis cultibus circunduci, quàm posteros suos ob reddituum inopiam in plebeiorum ordinem redigi. Quòd si vulgus spectes, easdem remoras illic quoq; videbis, dum alij quastum, quem ex monasterijs & sacrificulis habuerunt, veritati præferunt: alij magistratus sui famam amittere nolunt, alij de existimatione sui nominis retinenda cogitant, plerique verò correptum odiunt, & cùm toti studijs corruptissimis sint addicti, Christiani tamen dici volunt, & ne ipsorũ impietas prodatur, euangelij lucem extinguere conantur. Adde his crucem, infamiam, exilia, mortem ignominiosam, quæ ferè Christi cultoribus imminẽt: & quia hæc carni intolerabilia videntur, Christo potius carere, quàm de honore suo simul & vita periclitari volunt. Hæc (inquam) mundi totius impedimenta sunt, quæ cum nemo cordatus negare possit, cur mirum nobis videbitur, fidem in terris rarã esse?

Cum

Quin potius Dei bonitatem admiremur, qui in tanta corruptione aliquos ad se vocat, quos salutari illa luce illuminat, vt in Christo salutem consequantur.

Quid ergo faciemus ô fratres? Primò priores illi seipsos agnoscant, & cum sua corruptione Dei iustitiam conferant, & mox pharisaicam illam & superbam suorum operum fiduciam concidere sentient. Ista enim cognitione humiliati cogentur cum Dauide & Paulo dicere: Noui quòd nõ habitet in me, hoc est in carne mea, bonũ. Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Ne ingrediaris ô Deus cum seruo tuo in iudicium, sed miserere mei secundùm multitudinem miserationum tuarũ. Ita verò simul cogentur ad Christum venire, vt hũc per fidem apprehendant, qui nobis à Deo iustitia & sanctificatio factus est. Alteri verò expendant diligenter, quæ sit omnium eorum conditio, quæ in hoc mundo magnifica videntur. Fluxæ sunt opes, incertæ & noxiæ sunt carnis voluptates, gloria autem huius seculi à vulgi iudicio & aura populari dependet, qua nihil leuius & inconstantius excogitari potest. At quæ Christus nobis parauit bona, firma, perpetua & æterna sunt. In illo habemus thesauros illos pretiosissimos, quos neq; tineæ corrumpunt, neq; fures diripiunt. Idem gaudia illa nobis acquisiuit ineffabilia, quæ nec oculus vidit, neq; auris audiuit, neq; in cor hominis ascenderũt. Idem nos Dei filios & cohæredes suos fecit, imò reges & sacerdotes fecit, quæ gloria omnem huius mundi dignitatẽ tantò superat, quantò cœli terra superiores sunt, & quantò temporaria æternis præstantiora habentur. Neq; ista nobis mundus hic suis iniquis sententijs eripiet, quibus nos proscribit, damnat, occidit. Colliguntur enim inuito illo animæ nostræ ad cœlestem patriam, & olim gloria nostra manifestabitur, quando seruator noster in nubibus cœli veniet, vt promissa nobis beatæ immortalitatis præmia rependat, hostibus verò suis dignas impietatis pœnas retribuat. Hæc si diligenter omnes expendant, mox inanes illos ambitionis spiritus in animis suis extingui seq; ad Christum vera fide amplectendum mirificè excitari sentient. Incredulitatis remedium.

Cæterùm vt ad Christi verba redeamus, hæc ipsum dicentem illi cõtemnebant, eò quòd non magni facere possent eum, in quo nihil homine maius agnoscebant, & quem in propria causa nimis inconsulte actorem simul & iudicem esse arbitrabantur. Deinde impunitatis spem ex eo concipiebant, quòd Mosis discipuli essent, quo ipsos præcipuè gloriatos esse infra Cap. 9. in cæcinati historia videbimus. Quapropter tractationem hanc grauissima comminatione concludit, qua & suam dignitatem rursus asserit, & confidentibus illis omnem impunitatis spem aufert. Ne putetis (inquit) quòd ego accusaturus sim vos apud patrem: Est qui vos accuset, Moses, in quo vos speratis, &c. Quasi dicentes. Scio quid de me cogitetis, & quæ fiducia vos dementet. Sed multùm fallimini hac vestra persuasione. Tam enim abest, vt Mosem habituri sitis patronum, vt potius hic aduersarius vester futurus sit, qui apud Dei tribunal vos accuset, & impietatis reos agat. Vbi nemo actionem forensem imaginabitur, quales in hoc seculo habentur, sed de tota Lege & Mosis doctrina loquitur, quæ ipsos conuincat, & hinc illos iustæ condemnationis testimonia & argumenta audituros dicit, vnde sibijpsis salutem polliceantur. Vis argumenti in eo est, quòd nec Mosi credant, in quo spem præcipuam salutis collocent. Id verò mox confirmat, quando addit: Si enim credidissetis Mosi, credere-tis etiam mihi: de me enim ille scripsit. Argumentum tale est: Qui Mosi credunt, eum redẽptorem agnoscunt, cui ille testimonium perhibuit. Id verò vos non facitis. Ergo nec Mosi creditis, & falsò gloriamini vos illius esse discipulos. De maiori nulla poterat esse cõtrouersia, eò quòd communi sensu nititur. Minorem ergo probat adiecta particula, qua Mosem de se scripsisse ait, quem tamen ipsi improbè contemnant & hostiliter persequantur. Verè autem hoc à Christo dici, nuper ostendimus, et facile hoc omnibus patebit, qui Mosis scripta nõ oscitanter legerint. Vt enim primo libro promissiones de Messia patribus datas describit: ita postea ad hunc vnum suos auditores remittit, & illos spẽ salutis ingratuito fœdere Dei collocare docet, cuius mediator est Iesus Christus, benedictum illud Abrahami semen. Facit autem locus hic multùm ad cõmendationem fidei & doctrinæ Christianæ. Est enim Moses scriptorũ omnium, qui extant, vetustissimus, quod nemo in historiarum cognitione & bonis literis mediocriter versatus negauerit. Cùm ergo ille de Christo scripserit, doctrinam quoq; de Christo & fidem Christianam omnium vetustissimam esse oportet. Mosis fiduciam confutat.

At quia multos offendebat, quòd sacerdotes & scribas, legis peritia claros & insignes, Christo aduersari viderent, scandalum hoc remouet, dicẽs: Si verò Mosis scriptis nõ creditis, quomodo meis Scãdalum ex sacerdotum incredulitate enascens remouet.

verbis credetis? Vbi non putabimus Mosem Christo maiorem & fide digniorem esse, sed ex illorum existimatione loquitur, qua Mosem omnibus longè præferebant. Sensus ergo est: Si Moses apud vos non inuenit fidem, quo legislatore & doctore gloriamini, quid de me fiat, quem aperte proscindetis? Deinde cùm scriptos Mosis libros adeò oscitanter legatis, vt luculenta quæ illic de me habentur testimonia hucusq; non deprehenderitis, quid mirũ fuerit, si mea verba, quæ cum sono aures vestras prætereunt, minus ponderis apud vos habeant? Seruit autem totus iste locus egregiè aduersus nostri seculi hypocritas, qui papisticas superstitiones tuentur. Legunt & canunt illi in templis scripturas, patres & Concilia tonant, Diuorũ patrocinio & intercessione confidunt, adhæc rudi populo ritus orbis Christiani consensum & longi temporis præscriptionem subinde inculcant. Atqui omnia ista aduersus illos faciunt. Omnes enim scripturæ vni Christo testimoniũ ferunt, & in illo vno quærere docent quæcunq; ad salutem nobis necessaria sunt. Diuos item cœlites omnes in fide Iesu Christi obiisse constat, quam pleriq; sanguine suo confirmarunt. Concilia verò vetera, quæ scripturarũ testimonijs & Christianorum Imperatorum authoritate confirmata sunt, non aliam salutis rationem tradunt, quàm quæ vno Christo cõtinetur. Attamen hanc aduersarij nostri oppugnant. Non ergo opus fuerit, vt per nos accusentur: Habent enim accusatores suos ipsam Mariam virginem, apostolos, martyres & patres orthodoxos, quorum memoriam superstitiose colunt, & quorum meritis confidunt. Frustra item illi ipsi nos in Concilia sua citant, cùm tam exigua apud illos sit veterũ Conciliorum authoritas. Neq; mirum cuiquã videri debet, si nobis impudenter ogganniant, cùm illorum doctrinam & fidem hæreseos damnent, quos inuocant, & quibus intercessoribus se saluos fore sperent. At discant simul Iudæorum exemplo, frustra ipsos scripturis & sanctorum cœlitum nominibus gloriari, nisi Christum apprehendant, quem illi nobis tradiderunt. Ita verò disputationem hanc concludit Iesus Christus, qua & factum suum excusauit, & suam deitatem asseruit. Nobis omnium istorum finis & vsus sit, vt in illo vno collocemus omnem nostræ salutis fiduciam, & eidem seruiamus in innocentia vitæ & charitate non fucata. Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.

CAPVT VI.

HOMILIA XLV.

POst hæc abijt Iesus trans mare Galilææ, quod est Tiberiadis. Et sequebatur eum turba multa, quia uidebant eius signa, quæ edebat in ægrotantibus. Subijt uerò in montem Iesus, & ibi sedit cum discipulis suis. Propè autem erat Pascha, festum Iudæorum. Cùm ergo sustulisset oculos Iesus. & uidisset quòd multa turba ueniret ad se, dicit Philippo: Vnde ememus panes, ut isti comedant? (hoc autẽ dicebat, tentans eum: ipse enim sciebat quid esset facturus.) Respõdit ei Philippus: Ducentorum denariorum panes non sufficiunt eis, ut singuli eorum pusillum quiddã accipiant. Dicit illi unus ex discipulis eius, Andreas frater Simonis Petri: Est puer quidam hic, qui habet quinq; panes hordeaceos, & duos pisciculos: sed hæc quid sunt inter tam multos?

Argumentum sexti Capitis.

EXPOSVIT *in Cap. præcedenti euangelista disputationem Iesu Christi cum Iudæis, qua se verum & æternum Dei filium esse demonstrauit, cui pater omnem vitæ & mortis potestatem atq; omne iudicium tradiderit. His commode noua disputatio hoc sexto Capite subijcitur, qua de ratione salutis in ipso acquirendæ disserit, docens nimirum, non modo quis ipse sit, & quid in illo nobis dederit pater: verumetiam quid nos facere conueniat, vt salutem quam ipse nobis acquisiuit, consortes efficiamur. Præmittit autem pro suo more historiam de quinq; panibus hordeaceis, quæ huic tractationi occasionẽ præbuit, & quæ simul multa continet, quæ nos fide*

fide confirmare & in vitæ officijs instituere possunt. Primò enim admirabilem Dei prouidentiã ob oculos ponit, qui non minus miraculosè fruges telluris multiplicat, vt nobis alendis possint sufficere. Deinde studium veræ pietatis commendat, ne metu inopiæ & famis nos ab illo auocari patiamur, quando Christum sectatoribus suis tam liberaliter prospicere videmus. Præterea docet hic Christus reipsa se panem illum viuificum esse, qui solus ad vitam æternã pascat, & aduersus omnes tentationum assultus nos confirmet atque sustentet. Postremò ministerij ecclesiastici typum habet, per quod Christus ipse & quæcunq; is nobis acquisiuit bona publicè dispensantur, vt nobis salutaria fiant. In præsenti ea describuntur, quæ ad miraculi huius occasionem & præparationem faciunt, quæ singula ex ordine videbimus.

Tempus huius historiæ.

Orditur autem à tempore Ioannes, quando ait: Post hæc abijt Iesus trans mare Galilææ, &c. Ne tamen particulam hanc ad ea quæ proximè præcesserunt referremus, postea dicit: Propè autem erat pascha, festum Iudæorum. Vnde patet menses aliquot inter huius Cap. tractationẽ & priorem illam intercessisse, quæ in præcedenti describitur, quãdo ea quoq; in festo facta fuit, quod Pentecosten fuisse pleriq; sentiunt. Patet præterea ex Matthæo & Marco, Christum post priorem illam disputationem in Galilæam profectum esse, vbi discipulos ad prædicandum emisit: & interea eodem tempore Ioannem Baptistam indigna morte fuisse extinctum, id quod ad Christum reuersi discipuli nunciauerunt. Itaque ex ea Galilææ parte, in qua tunc agebat, & quæ fortassis aulæ regiæ erat propinquior, secessit Christus cum discipulis, partim vt Herodis & emissariorum eius furorem declinaret, partim vt suorum quieti consuleret, qui longo labore fatigati, insuper populi vndiq; concursantis importunitate ita distrahebantur, vt ne cibum quidem possent capere. Quo loco Christi fides & humanitas venit consideranda, qua suos prosequitur, vt eos neq; periculis non necessarijs temere obijciat, neque laboribus immodicis enecet, quibus sine interposita quiete & respiratione nemo sufficit. Neq; hoc in externis modò obseruat, verumetiã in illis, quæ ad animam spectant. Nam etsi nos cum tentationibus aliquando conflictari patiatur, nouit tamen (vt Psal. 103. scribitur) cõditionem nostrã, quòd nimirum puluis sumus, & proinde non vltra quàm ferre possimus, nos tentari patitur, & interea amicis consolationibus confirmat, ne succumbamus. Imitentur exemplum hoc quicunq; in alios ius habent & imperium, ne illis pro sua libidine abutantur. Peccãt itaq; magistratus, qui immodicis exactionibus suos exhauriunt, bellis non necessarijs implicant, & insuper suis ministris & præfectis deglubendos propinant. Eadem quoq; culpa tenentur priuati homines, qui seruorũ & ancillarũ labore & opera inhumaniter abutuntur, & nec præcepti de sabbato sunt memores, quo diserte illorum quoq; saluti Deus consuluit.

Populi studium in Christo sectando.

Secundò de populo dicit Ioannes, qui Christo præcipuam miraculi occasionẽ dedit: Sequebatur eum turba multa, &c. Marcus itinere pedestri eos venisse ait, & quidem adeò festinanter, vt Christum qui nauigio cum suis vehebatur, præuenerint. Causa tam ardentis studij indicatur, quòd viderent signa, quæ in curandis ægrotantibus faciebat. Voluit autem hoc de signis Christi adijci spiritus sanctus, vt sciremus ipsum non inutilibus & ad vanam ostentationẽ compositis signis rudem populum ludificauisse, vt impostores solent: sed omnia eius generis fuisse, qualia sunt quæ in euangelio describuntur: vt nimirum aliorum saluti seruirent. Est verò hic miraculorum Christi omniũ vsus, vt nos ad ipsum sequendum excitent & ad veram eius cognitionem inducant. Vbi tamen diligenter caueri debet, ne carnis affectibus ducti, in Christo alia quàm decet quæramus: quod pleroſq; istorum fecisse, ex historia suo loco patebit. Nam etsi ex signis præclaram de illo existimationem animo concipiant, & prophetam, imò Messiam esse putent, pleriq; tamen in eo nihil nisi carnalia bona quærunt, & hic non inuentis, ab illo turpiter, nec sine indignatione & aperto murmure deficiunt. Solent hoc ipsum multi hodie facere cum propriæ salutis iactura & publico scandalo, quod inde ad infirmos redundat: quorum exempla nos terrere debent, vt in solius Dei gloriam & salutis æternæ studium intenti, carnis affectus minimè in consilium admittamus, vbi de regno Dei & salutis humanæ negotio agitur. Attamen qualescunq; isti fuerint, exemplo suo nostram socordiam arguunt. Nam etsi nihil cæleste adhuc in Christo agnoscerent, carnalium tamen bonorum studio & admiratione abrepti, illum relictis rebus suis omnibus sequuntur, pedites iter cum labore conficiunt, toto die cum illo manent, & tanto ipsum audiendi & videndi studio ardent, vt nec deserti loci incõmoditas, neq; noctis

appropinquantis tenebræ ipsos ab eo possint auellere. Imò neq; recenti Ioānis ab Herode occisi exem plo terrētur, vt ab eo abstineant, quod noui tumultus per ipsos orituri speciē habere videbatur. Co fer hæc cum nostris moribus, & quàm frigidi simus mox apparebit. Fatemur omnes Christum æter næ salutis & bonorum cœlestium largitorem esse. Interim vel ea modò quæ carnis sunt, in illo quæ rimus: vel hæc quoq; nobis liberaliter conferentem fastidimus. Et tam abest, vt relictis rebus alijs ipsum in verbo suo loquentem & salutis donum proponentem, per montes & valles, terras item & maria quæramus, vt ne ad nos quidem venientem, & fores nostras pulsantē admittamus. Et qui il lum admittere videntur, apud eos tamen ita vilescit, vt leuissima quaq; occasione vel territi, vel etiam irritati, ipsum relinquant & eiectum velint. Sed & neq; exemplis piorum mouemur, qui ex omnibus propè nationibus non sine impensis & periculo ad nos quotidie confluunt, vt eius mensæ mi cas colligant, quam nobis pace & otio abundantibus Deus tanta liberalitate instruit. Est hæc in gratitudo planè detestabilis, & graues pœnas meretur, quas nunquam effugiemus, nisi totis animis ad Dominum conuersi, serium salutis studium animo concipiamus.

Locus, in quo signum hoc editum.

Tertiò locus annotatur, in quem Christus secesserit. Subijt (inquit) in montem Iesus, & ibi sede cum discipulis suis. Videtur autem hunc locum sibi delegisse, quòd ad quietem cōmodus esset, qua se ipsum & discipulos reficere voluit, vt initio diximus. Exhibet autem locus hic elegantissimam ima ginē, qua Christi & ecclesiæ eius sors in terris hisce exprimitur. Vt quiete aliqua cum suis fruatur, in deserta loca & montiū cauernas Christus secedere cogitur. Interea verò in palatijs & magnifi ædibus voluptuabantur sacerdotes, scribæ & quicunq; alij tam ipsius quàm salutis publicæ hostes erant. Idem olim quoq; factum esse constat. In cisternam deiectus Ioseph esurit & eiulat, dum fratres lætum conuiuium peragunt. Per deserta & speluncas vagatur Dauid, Saule interea vrbes & pala tia incolente. Et prophetæ cum suis discipulis tenui victu alebātur, imò in speluncis latitabant, cum Baalis sacerdotes & pseudoprophetæ ex regia mensa epularentur. Et eandem hodie etiam Christi sortem esse in membris suis, nemo non videt. Collegia & templa magnifica & regijs ditata donatio nibus incolunt impuri sacrifici & ignaui monachi, cùm multi euangelicæ veritatis ministri tantùm non ostiatim victum quæritent. Marmore, auro & argento templa radiant, quæ superstitioso imagi num cultui seruiunt: pijs interim per horrea, per syluas & deserta locū quærentibus, in quo Dei ver bum tutò audiant. Similiter in publico & in regum aulis versantur cum honore & gloria, qui prima tem veram persequuntur, sacra omnia scurriliter rident, & omni libidine diffluunt: cùm interea ti tebras quærere cogantur, qui Dei cultum verum restitutū cupiunt, & publicæ saluti ex animo fi dent. Denique exulat in hoc mundo Christi Iesu ecclesia, nec facilè stabilem in terris locum inuenit, quæ ciuitatem & patriam suam in cœlis habet. At hic nos consoletur, quòd in deserto quoq; suos ad se trahit Christus, & ibi occasionem inuenit, qua magno cum fructu quàm plurimis innotescat. Ita enim ferè fieri solet, vt tunc longè lateq; spargatur Christi cognitio, quando ab omnibus locis exclu sus videtur, & tunc ecclesia felicissimè propagetur, quando homines vix aliquem illi locū superesse arbitrantur. Et in vili hac atq; contempta ecclesiæ sorte, diuina Christi virtus sese quàm maximè profert. Neminem ergo ista offendant. Vt enim in deserto monte cum Christo sedentes discipuli om nibus illis beatiores fuerunt, qui interea in regum & sacerdotum palatijs gloria & luxu huius sæcu li inebriabantur: Ita potior est dies vnus in atrijs domini, quàm alij mille; & longè melior eorum sors est, qui ad limen domus Dei, id est ecclesiæ desident, quàm qui in tentorijs impiorum versan tur. Vide Psal. 84.

Miraculi parasceue.

Porrò his præmissis ad miraculi parasceuen seu præparationem Ioannes transit, in qua describenda breuitatis studio quædā ab alijs annotata omittit. Nam vt Marcus scribit, appropinquante iam vespere, discipuli Christum de populo dimittendo admonent: & dum prouidi videri volunt, suam arrogantiam simul & temeritatem egregiè produnt, dum & Christo monitoribus opus esse & se tales esse putant, qui illū consilio suo iuuare possint. Reijcit ergo illos Christus, & non sine exple bratione illis dicit: Date vos illis quod edant. Quasi diceret. Si adeò vos tangit illorum cura, vt ea vobis magis quàm mihi cordi esse putetis, quin ergo illis prospicitis vt habeant quo vescantur? Philippo verò sublatis oculis ingentem populi multitudinem cōspicatur, & Philippo dicit: Vnde ememus pa nes, vt isti comedant? Interrogat autem, non vt ignarus rerum, sed vt illius animū adam explore,

& eius

& eius exemplo reliquos omnes ad miraculi futuri considerationem excitet. Videtur autem consultò Philippum delegisse, qui (quod Cap. 14. videbimus) vt reliquis tardior, ita discendi studiosior fuit. Et sanè in præsenti euidens tarditatis suæ specimen præbet. Cùm enim ex publica disputatione cum Iudæis habita, & signis, quæ hucusque plurima viderat, Christi diuinam potentiam agnoscere, & proinde respondere debuisset: Ego quidem qua ratione hoc fiat non video, tibi verò hoc facillimũ fore scio, si illos pascere hoc loco velis, &c. præsentibus modò intentus ex carnis ratione respondet: Ducentorum denariorum panes non sufficiunt eis, vt singuli eorum pusillum quiddam accipiant. Ita verò cùm populi multitudine impensas confert quæ faciendæ sint, si quis illos omnes cibo reficere instituat: & quia illæ Christi & discipulorum facultates longè excedebant, ridiculum illi videtur de hac re vel aliquid cogitare. Non tamen nunc quicquam respondet Dominus, sed discipulos abire iubet, & diligenter scrutari quot panes habeant. Quo facto, Andreas illi dicit: Est puer quidam hîc, qui habet quinque panes hordeaceos, & duos pisciculos: sed hæc quid sunt inter tam multos? Vbi obedientiæ quidem officium præstant discipuli, quando ad Domini mandatum vasa sua scrutantur, at ijdem suam quoque tarditatem simul omnes produnt, quando ne sic quidem excitantur, vt Christum aliquid nouum & insolitum moliri cogitent: quin potius commeatum hunc exiguum valde extenuant, vtpote cuius in tanta hominum multitudine omnino nulla ratio haberi debeat. Docemur autem horum exemplo, quæ sit nostri ingenij tarditas in percipiendis Christi mysterijs: cuius cognitio atque sensus nos ad serium studium excitare debet, ne primis initijs contenti simus, sed in Christi cognitione indies proficere studeamus. Neque tamen desperandum est, si infirmiores nos esse sentiamus: cùm idem in Apostolis videre licet, quos adeò non abiecit Dominus, vt potius illorum tarditate ad miraculi & gloriæ suæ illustrationem vsus sit. Ista enim occasione fit, vt omnibus constet, in tota ista multitudine non plures quinque panibus fuisse: quod ad asserendam huius historiæ veritatem perquàm necessarium fuit.

Cæterùm in his præcipuum est, quòd Christum sublatis oculis eos respexisse, deq; illis pascendis cogitauisse videmus, qui ipsum sancto & ardenti studio secuti erant. Videt enim & nouit quàm multi sint, quibus opus habeant, & (vt reliqui testantur) miseria illorum tangitur, cùm illos ouium instar esse videret, quæ pastore destituuntur. Est hoc magnæ bonitatis argumentum, & quòd sui verbi studiosis ille nihil desieri patiatur. Habet enim pietas (vt Paulus 1. Timoth. 4. ait) promissiones præsentis & futuri seculi: inter quas cumprimis euidens est, quam Christus ipse pronunciat. Quærite primò regnum Dei & iustitiam eius, & reliqua omnia adijcientur vobis. Quo & illud Solomonis referri debet: Non occidet Dominus fame animam iusti. Prouerb. 10. Exempla, quibus hoc probetur, passim occurrunt. Huc enim pertinent, quæ de Abrahamo, Isaaco, Iacobo, Mose, Elia, & de tota Israelitarum gente in deserto per annos quadraginta oberrante scribuntur. Et Apostoli in vltima cœna fatentur, sibi nihil vnquam defuisse, quando à Christo emissi eius mandata obierunt. Ista ergo nos consolentur, ne vel inopiæ metu fidem abnegemus, vel ad artes illicitas conuertamur, quibus victum & opes paremus iniustas. Nam (vt Cyrilli verbis vtar) ex alto præscientiæ suæ monte omnes videt, imò præuidet Deus, qui ipsum fide feruenti quærunt. Neque hîc nobis scrupulum moueat, quòd non semper quantum nos volumus largitur, & interdum nos egere ac esurire sinit. Nouit enim quibus opus habeat natura nostra, & prout nobis opus est, dona sua dispensat. Nam & hîc, etsi istos cibo reficiat, hunc tamen non ex lautitijs & dapibus sumptuosis, sed ex panibus hordeaceis constare voluit, vt nos paruo contentos esse doceret, nec offendi, si quando cruce condiuntur quæ ille nobis bona propinat. Imò pudeat nos non necessaria gulæ irritamenta quærere, quando Christum tam exiguo commeatu instructum fuisse videmus. Excitet præterea nos exemplum eius ad hospitalitatem & beneficentiæ studium: quam si fortunis nostris integris negligamus, inexcusabilis erit ea inhumanitas, quando Christum in desertis locis tam munificum fuisse videmus. Non pigeat ergo in eius membra opes nostras erogare, qui hoc in suas rationes ascribit, & olim remunerator erit liberalissimus. Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

Christus sui studiosos uidet & isdẽ prospicit.

HOMILIA XLVI.

Dixit autem Iesus: Facite ut isti discumbant, Erat autē gramen multum in eo loco. Discubuerunt ergo uiri numero quasi quinquies mille. Accepit autem panes illos Iesus, & actis gratijs distribuit discipulis: discipuli uerò discumbentibus: similiter etiam ex piscibus illis quantum uolebāt. Vt autem expleti sunt, dixit discipulis suis: Collígite quæ supersunt fragmenta, ne quid pereat. Collegerūt ergo & impleuerunt duodecim cophinos fragmentis ex quinque illis panibus hordeaceis, quæ superfuerant ijs qui comederant.

INter miracula Iesu Christi Domini nostri singularem considerationem meretur quod modo recitauimus. Nam præter id, quod vt reliqua omnia, diuinam illius virtutem euidentissimè declarat, multa simul alia comprehendit, quæ ad nostræ fidei institutionem atq; confirmationem faciunt. Quæ causa est, quòd spiritus sanctus illud ab omnibus Euangelistis describi voluit: qui cùm in plerisq; breuitati studeant, huius singulas partes copiosè exponunt. Et nuper quidem illius occasione, deinde Christi cum discipulis colloquium vidimus, quod instar præparationis fuit negotij totius. Sequitur nunc ipsa rei gestæ historia, cuius narrationem ita cōtexit Ioannes, vt in singulis partibus illius veritas & infallibilis certitudo conspici posſit. Quod omnino fieri oportuit, ne in tanta hominū multitudine aliquid fraudulenter aut artibus malis factū fuisse quis suspicetur. Nos primò quæ ad historiam faciunt considerabimus, deinde finem & vsum eius inspiciemus.

Christus populum iubet discumbere.

Et hîc quidem primæ partes Christo debentur, qui in præcedentibus suorum discipulorum tarditatem & diffidentiam egregiè in lucem protraxit, vt ex illorum etiam ore rei gestæ veritas nobis constaret. Et poterat sanè illos palàm & duriter increpare, cùm adeò oscitantes & stupidos inueniret. Quia tamen nihil ab illis malitiosè fiebat, reipsa potius fidem illorum instituit, dum ipsorum ministerio vtitur in re, quæ omnem humanæ rationis captum longè superabat. Iubet igitur vt turbam hanc omnem discumbere faciant, & quidem per distinctas quasi cohortes centenos & quinquagenos, sicuti Marcus annotauit. Id verò & mentes omnium in rei nouæ & insolitæ expectationem excitabat, ne miraculum, ipsis nihil tale obseruantibus, ederetur: & simul seruiebat ad cognoscendam populi multitudinem, id quod ad facti illustrationem quàm maximè pertinebat. Reperti sunt enim viri circiter quinquies mille. Matthæus mulierum & puerorum præterea meminit, qui tamen in cœtum non veniunt, ex veteri & recepta consuetudine Iudæorum, qui viros solos numerare solebant. Adhæc Christus exemplo hoc honestatem vulgò receptam commendare voluit, ne cibum sumpturi vel petulanter discurramus, vel impudenter distenti iaceamus, quod in sui seculi dimitibus Amos reprehendit.

Obedientiæ exemplum.

Cæterùm hîc laude non vulgari digna est obedientia cùm discipulorum tum totius populi. Hæsitabant enim multa vtrinq;, quibus ab ea reuocarentur. Et discipulis quidem ridiculū videri poterat, tantam hominū multitudinem ad discumbendum hortari, cùm scirent nihil eduliorum esse, præter quinque panes hordeaceos & duos piscículos, quos omnibus vasis diligenter inspectis inuenerant. Deinde verisimile est, vix quenquam in populo cibum à Christo expectauisse, cùm antehac nihil huius simile fecisset. Obtemperant tamen iubenti Christo discipuli, neq; timent vllum ex hoc populi ludibrium. Similiter populus, qui tanto itinere illum secutus fuerat, huic mandato se obsequentem præbet: & ita Christi beneficentiam magno cum fructu experitur. Imitemur exemplum hoc fratres, siquidem fide in Christum non frustra gloriamur. Fidei enim proprium est, omnes carnis sensus & ipsum quoque intellectum Dei verbo subijcere: & hunc euangelicæ prædicationis finem atque scopum esse, Paulus non vno loco testatur. Quem qui obseruant, ij Deū in promissis suis veracē esse sentiunt, & illorum fructum cum gaudio percipiunt. Pertinent huc Abrahami, Iacobi & aliorum exempla, quorum fidem scriptura nobis commendat. Hæc ergo nobis hodie cōsultationum omnium regula sit, nec est, quòd rerum confusione terreamur, quam multi metuunt. Facile enim est Deo expedire quæ cupiat, quæ nobis intricatissima videbantur.

Deinde

Deinde cùm ad eius mandatum populus discubuisset, Christus mox panes illos in manus sumit, & cùm gratias egisset sublatis in cœlum oculis, eos frangit, &c. Marcus illum benedixisse ait, quod idem est. Nam benedicendi verbum Hebræis non modò bona & fausta alicui precari, verumetiam laudare & virtutes alicuius prædicare significat. Quod cùm in gratiarumactione potissimùm fiat, frequenter de ea quoq; hoc verbũ vsurpatur. Minimè ergo putandum est, quòd exorcistarum instar preculas aliquas demurmurauerit, & occulta verborum virtute panes multiplicarit: sed palàm & audientibus omnibus gratias egit Deo patri, & illius liberalitatem prædicauit, qua omni animantum generi de victu suo prospicit, sicuti in Psalmis habetur. Inde verò fregit panes, fractos discipulis distribuit, qui illos populo discumbenti apposuerunt. Et quod de panibus factum est, hoc ipsum de piscibus fecit, ex quibus discumbentibus datum fuisse dicitur quantum volebant, vt magis exprimatur Christi suos alentis liberalitas. Faciunt autem ista quoq; ad asserendam signi huius veritatem. Quia enim hos ipsos panes, quos puer attulerat, in manus sumit Christus, eosdem frangit, fractos discipulis tradit, & in illis distribuendis horum ministerio atq; opera vtitur: quis non videat, totũ hoc negotium sine fraude fuisse peractum, diuinæ autem virtutis fuisse, quòd inter manus discipulorum panes illi & pisces ita aucti sunt, vt tantæ multitudini ad satietatem vsq; sufficerent? Christus panes frangit & dilaudat.

Caterùm hac parte cumprimis obseruari debet, quod de gratiarũactione, qua Christus vsus est, ab omnibus Euangelistis annotatur. Fuit hoc illi solenne & vsitatũ, sicuti ex alijs quoq; locis apparet, vt nunquam sine precibus & patris prædicatione ad mensam accederet. Hic tamen istud eam quoq; ob causam fieri oportuit, vt palàm ostenderet, se non ex præstigiatorum numero esse, qui magicis artibus & diaboli opera in suis actionibus vtuntur: quo crimine pharisæi ipsum quoq; aliquando diffamare conati sunt. Præterea cùm verus Dei filius sit Christus, eiusdem cum patre essentiæ & virtutis, illi neq; precibus neq; gratiarumactione opus fuit, cui liberum erat rebus omnibus, vt proprijs, pro suo arbitrio vti. Quapropter secundùm hominem assumptum precatus est & gratias egit, quidque nos facere conueniat, suo exemplo docuit. Et sanè multa atq; diligenti consideratione hîc nobis opus est. Scimus enim multa simul in nobis vitia concurrere, quando Deus dona sua vel liberaliter in nos effundit, vel etiam parcius distribuit. Cùm enim illa abundantius affluunt, tunc vel securi liberalitatẽ Dei non obseruamus, vel ingrati illis pro nostra libidine abutimur. Quòd si verò nobis pauciora cõtingant, mox queruli nimis aduersus illum murmuramus, et alijs sua odiosè inuidemus. Atqui omnibus hisce malis facilè medebimur, si ad gratiarumactionem nosmetipsos assuefaciamus. Per hanc enim admonemur, nobis ex Dei liberalitate obtingere quicquid boni habemus. Ipse enim creat vinum, quod exhilarat cor hominis: & oleum, quod nitidam reddit faciem: et panem, qui corda fortificat. Quod qui intelligunt, mox de gratitudinis officio cogitare incipiunt, neq; ijs abutuntur, quæ ex Dei manu se accepisse norunt. Præterea, etsi alijs vberiorem à Deo benedictionem affluere videant, non tamen eam illis inuident, neq; de sua sorte quiritantur, sed illa contenti sunt: cùm sciant Deo minimè deesse rationes, quibus paucula multiplicare possit, vt ipsis abundè sufficiãt. Hæc, inquam, omnia nobis in mẽtem reuocat gratiarumactio, si ex animo fiat. Non temere itaq; à Paulo dictũ est, per hanc nobis cibos omnes sanctificari, qui sine illa polluti, imò nobis noxij sunt. Excitatur item nostra gratitudine Deus, vt dona nobis data augeat, adeoq; inter manus nostras illa nobis nescientibus multiplicet: quod vt promissionibus multis scriptura docet, ita exemplis cùm veteribus tum quotidianis abundè confirmatur. Sed ô infelices nostri seculi mores. Non puduit Dei filium, cuius nutu & virtute animantes omnes aluntur, Deo patri gratias agere, quoties cibum aut ipse sumere, aut alijs distribuere voluit. At hodie plerique hoc aut omnino negligunt, aut officio pietatis se probè defunctos putant, si puerulum mensæ adhibeant, qui conceptis verbis illam sacret, ipsis interea vel nugas agentibus, vel certè nihil de Dei bonitate cogitantibus. Hinc immanis ille & belluinus donorum Dei abusus enascitur, qui solus ad prouocandam Dei iram sufficere poterat, si nihil aliud vitij accederet. Accedunt autem infinita alia, quæ ingratitudo, ceu mater scelerum fœcundissima, parere solet: & adhuc iram Dei in nos grassantem admiramur? Christus gratias agit.

Porrò omnibus saturatis, iubet Dominus fragmenta siue reliquias colligere, ex quibus cophini duodecim repleti sunt. Vbi rursus veritas miraculi asseritur, cùm & saturi facti sint qui comederant, & mensarum reliquiæ panes atque pisces, qui soli initiò habebantur, duodecuplo ferè superarant, Christus iubet colligere fragmenta.

rint. Continet verò postrema ista pars vtilem & necessariam doctrinam de vsu donorum Dei atque bonorum temporalium. In quo primum est, quòd nostræ necessitati seruire debent, cùm propter nos hæc omnia Deus creauerit. Et quia istos non modò comedisse, verumetiam expletos vel saturatos fuisse audimus, satis constat, non peccare eos, qui cibo & potu ad satietatem fruuntur, modò istud cum gratiarum actione fiat, & intemperantia vel gulæ studium caueatur, quo fit, vt post exemptam famem atque sitim restinctam, adhuc multa ingurgitent, qui non vt viuant edunt & bibunt, sed vt edant atque bibant se natos arbitrantur. Non ergo saturitati nostræ Deus inuidet: imò inter pœnas, quibus impios flagellat, hanc quoque numerant prophetæ, quòd etsi edant, non tamen inde saturentur, eò quòd baculum panis frangat Dominus, id est, cibos virtute sua spoliet, vt nihil alimoniæ & nutrimenti hominibus conferant. At quia inæquali sorte bona hæc terrena Deus distribuit, quicunque plus alijs acceperunt, se dispensatores eorũ constitutos esse meminerint, neque vnquam Apostolici dicti obliuiscantur, quo admonentur, vt ipsorum copia aliorum inopiæ succurrat. Iubet hoc ipsum passim Christus, & suo exemplo idem hîc docet, quando commeatum suum omnem in populum esurientem liberalitate summa distribuit: & quia in eo illi obtemperant discipuli, adeò nihil inde damni accipiunt, vt maius ad ipsos lucrum redeat, quàm ad eos, quos sua beneficentia iuuerant. Et multa sunt exempla, quæ illud Solomonis confirmant: Est qui dispergit, & ei additur amplius: est æquo sordidior, qui semper eget. Vbi verò bonis nostris ad hunc modum vsi sumus, tunc quod adhuc reliquum est pia & fideli prouidentia in vsus necessarios seruetur. Nec enim vult Deus, vt eius liberalitate ad luxuriam & fœdam donorum suorum dissipationem vtamur. Et hîc nobis semper in mentem venire debet, quòd Christus reliquias eiusmodi colligere iubet, ne quid pereat. Fit hoc bifariàm, si vel perire sinamus fruges, ne cui sint vsui, quod auari & fœneratores frequenter faciunt: vel etiam turpiter dissipemus, quæ multis alendis poterant sufficere. Confutantur igitur hoc loco, qui vt se fide in Deum egregiè instructos esse probent, rei domesticæ curam omnem simpliciter damnant, & ad suam negligentiam Christi dicto abutuntur, qui nos in crastinum solicitos esse prohibet. Deinde vsurarij quoque & auari, qui vt canes in præsepi fruges asseruant, quibus nec ipsi frui possunt, nec alios frui patiuntur. Imprimis verò lurcones & helluones, qui non quidem perire sinunt à Deo datas fruges, sed eas imprudenter perdunt: imò sibi & alijs noxias faciunt, dum & seipsos illarũ intemperanti abusu tam animi quàm corporis viribus spoliant: & alios multos vel malo exemplo offendunt, vel etiam aperta vi & conuitijs lædunt. Improbat hos passim scriptura, & exemplorum plenæ sunt historiæ, quæ docent quàm graues de eiusmodi hominibus pœnas cùm publicè tum priuatim Deus iam inde ab origine mundi sumpserit.

Vsus huius historiæ.

Restat vt historiæ istius vsum quoque inspiciamus, quem multiplicem esse diximus. Primò autem promissiones Dei obsignat, quibus ille nihil defuturum pollicetur ijs, qui regnum suum studio non fucato quæsierint. Nec est, quòd extraordinarium fuisse dicamus quod hîc factum est, & proinde nos nihil eiusmodi sperare posse. Nam quod hîc fecit Christus, quotannis fieri solet, quando pauca grana Dei benedictione fœcundata in segetes vberrimas adolescunt, & quæ vno & altero sacco inclusa in agrum deferebantur, ita augentur, vt immensa horrea fructibus recipiendis vix sufficiant. At quia hæc diuinæ beneficentiæ opera vsu quotidiano viluerunt, peculiaria quædam eius exempla scripturæ proponunt, quæ illam nobis in mentẽ reuocent: quod etiam Diuus Augustinus annotauit. Debent ergo huc referri Euangelica ista, & quæcunque de Mose, de Elia, Elisæo & discipulis eius leguntur, quos præter communem morem Deus mirifice aluit. Quatenus de his nuper diximus, & sæpe de ijsdem dicendi occasio occurrit, ista modò annotasse sufficiat. Deinde re ipsa demonstrare voluit Christus, se eum esse, quem se paulò post prædicaturum panem nimirum vitæ, qui solus animas pascat, salutis æternæ capaces reddat. De quo tum ipse in sequentibus prolixè disputet, non opus est de eo nunc disserere. Postremò ecclesiæ mysterium hic quasi sub viua imagine proponitur, quo cibum hunc viuificum nobis Christus propinat. Versamur omnes nos in deserto mundi huius verè inculti & sterilis, nec quicquam est, quod animas nostras saturare & conscientijs satisfacere possit. Quærunt quidem multi multis & magnis impensis atque laboribus famem istam propulsare cupiunt: At omnibus istis per ijsdem

dicit Dominus: Cur expenditis pecuniam vestram pro non pane, & laborem vestrum pro eo, quod non satiat? Vnus enim Christus Iesus panis ille est, qui semel sumptus nos esurire non amplius patitur, vt postea audiemus. At in præsenti panes, qui illum figurabant, ab ipso acceptos discipuli turbis apponunt. Ita Christum ministri prædicant, & in illo suum animabus cibum offerunt. Vbi diligenter illos videre oportet, ne quid tradant, quod non ab illo acceperint, & vt verbum euangelij ritè frangant atque secent, vt singulorum institutioni seruiat. Discumbunt turbæ ad hoc epulum. Ita animis nos discumbere conuenit, vt Christo frui possimus. Quod tunc fiet, quando sedatis & repressis affectibus carnis nostræ, per fidem in vno Christo acquiescimus, qui nos in lætis pascuis accumbere facit, & omni bono cœlesti inebriat. Seruantur hîc ex Christi mandato fragmenta seu reliquiæ. Ita in cœlesti doctrina, si quæ à populo rudiori nondum percipi possunt, ea in tempus commodius reseruari, & lacte interea eos cibari conuenit, qui cibum solidiorem nondum ferre possunt. Videndum præterea, vt doctrina Christi in ecclesijs seruetur, & ad posteros transmittatur, ne illi fame verbi laborent, quam impijs Dominus minatur. Et hîc quidem scholis opus est, è quibus cùm ferè petantur doctrinæ semina, illas non modò ecclesiarum ministris, verumetiam Christianis magistratibus commendatissimas esse decet. Vtitur verò in actione hac Christus precibus & patri gratias agit: Ita Dei beneficium nos agnoscere decet, qui verbi sui pabulo nos alere dignatur, & eundem assiduis precibus fatigare, vt idem illud in nobis viuificum & efficax reddat per suum spiritum, vt Christo Iesu insiti in illo viuamus: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

HOMILIA XLVII.

Homines ergo illi cùm uidissent signum quod Iesus ediderat, dicebant: Hic est uerè Propheta ille, qui uenturus erat in mundum. Iesus ergo cùm nouisset futurum, ut uenirent ac raperent ipsum, ut facerent ipsum Regem, secessit rursus in montem ipse solus.

AMicè quidē & benignè Dei filius nobis omnia ea offert atq; pollicetur, quæcunq; ad salutem consequendam necessaria sunt, & promissiones suas nō modò rationibus solidis, verumetiam signis euidentibus confirmat. At non minus infinitas rationes nobis caro & satan objciunt, quibus impedimur, quò minus ipsam recipiamus. Sunt inter has duæ reliquis omnibus frequētiores. Prima, quòd inopiam & egestatē metuimus, quādo ad cœlestia sola iubemur aspirare. Altera, quòd de Christo perperam iudicātes, in illo longè alia quærimus, quàm decebat. Vtriq; malo historia ea medetur, quam prima huius cap. parte Ioannes describit. Ad prius pertinet miraculū, quo hominū quinq; millia pauit Christus, qui ipsum secuti fuerant: vt reipsa testetur, nihil ijs defuturū esse, qui regnū Dei serio quærunt. Quod signum eò plus fidei meretur, quòd huius generis multa quotidie fieri videmus in ijs, quos cum numerosa familia nō sine miraculo alit Deus, cùm rebus ferè omnibus destituantur, quæ ad victū pertinent. Ad alterū referri debet quod modò sequitur. Narrat enim vt hoc miraculo affecti fuerint isti conuiuæ, & quid porrò fecerit Christus, cùm illos carnaliter affectos esse videret. Seruiet nobis tam populi quàm Christi exemplum, vt discamus, qualem nos Christum agnoscere, quidue in eo quærere conueniat, vt salutis consortes reddamur, cuius ille nobis author est.

De populo dicitur: Homines illi cùm vidissent signum, quod Iesus ediderat, dicebant: Hic est verè Propheta ille: qui venturus erat in mundū. Et his mox additur, quòd venire & eum arripere voluerint, vt ipsum Regem facerent. Quando Prophetam esse testantur, ad vaticiniū Mosis respiciunt, quod Deut. 18. sic legitur: Prophetā de medio tui, ex fratribus tuis sicuti me excitabit tibi Dominus Deus tuus: illum audietis, &c. Fuit vaticinium istud illo tempore vulgatissimum & omnibus notum, sicuti primo Cap. vidimus: & de Messia illud exponi debere, Apostolica authoritate admonemur, quādo Stephanus protomartyr, & ante hunc Petrus eo sensu illud interpretati sunt. Voluit autem Deus filiū suum Prophetā dici, non quòd nihil in eo præstantius & sublimius agnoscere debeamus: sed vt ostenderet, in illo doctrinæ præcipuam rationem haberi debere, qua regni eius my-

Iudæorum de Christo iudicium.

Christus Propheta dictus.

steria exponuntur. Nam nisi id fiat, nouum nobisipsis Christum fingemus, quod istis accidisse posteà dicetur. Praterea singulari consilio Dei factum est, vt vtrúq; testamentum, tam Vetus quàm Nouum, suum haberet Prophetam, ad cuius doctrinã, ceu Lydium lapidem, omniũ aliorũ doctrina examinari & probari posset. Et talis quidem in veteri testamento est Moses, qui primas salutis promissiones & mundi historiam, vel ecclesiæ potius, vsq; ad sua tempora descripsit: deinde legem Dei, suo ministerio promulgatam, ex Dei colloquio & spiritus reuelatione interpretatus est. Cuius vestigia prophetæ postea tanto studio secuti sunt, vt nihil in illorum sermonibus reperias, quod non ad certa Mosaicæ doctrinæ capita referri possit, promissiones nimirũ, siue minas, leges item vel morales, vel iudiciales, vel ceremoniales, quarum omnium interpretes sunt fidelissimi. Et hanc quidẽ doctrinam ad Ioannem vsq; extendi debuisse, Christus ipse testatur. Fuit ille primus noui testamenti minister, in quo prophetarum principis partes obit filius Dei in carne manifestatus, cuius spiritu veteres etiã prophetæ afflari docuerunt. Hunc omnes audire iubet pater: quod imprimis eos facere conuenit, qui docendi munus in ecclesia sustinent, ne Christi ouibus vocem alienam et incognitam ingerant. Rectè ergo Messiam prophetæ titulo exornauit Deus: et prodest ista obseruare, ne ijs locum demus, qui nouos prophetas atq; legislatores iactitant, quorum doctrina perficiantur quæ in veteris & noui testamenti libris non satis illustrata sint. Faciunt istud hodie non Turcæ modò, qui Machometem suum Christo vt tertium prophetam successisse fingunt: verumetiam Monachi, qui sectarum suarũ authoribus gloriantur, ab illis nouas leges & nouum vitæ institutum accipiunt, adhæc ab illis potius, quàm à Christo denominari volunt. Sed de his alibi prolixè est dictum.

Quoad verò Christum, ita hic Propheta est, vt simul ecclesiæ suæ Rex & Sacerdos sit, adeóq; humani generis redemptor, qualem Moses quoque descripsit, quando ad illum remittit eos, qui salutem in legis iustitia quærebant. Ergo Prophetam illum singularem isti dicendo, simul Messiam & promissum seruatorem esse fatentur. Et rectè quidem hoc faciunt. Est enim Christus verè Propheta ille, Mosi quidem similis quoad typum, sed eodem multò sublimior & excellentior quoad essentiam & officium, cui ipsum Deus destinauit: quia reipsa præstat ea, quæ sub Mose sub typis legalibus adumbrabantur, quemadmodum ipse paulò post docebit, quando in Mannæ mentionem incidet. Licet verò in istorum confessione nullus error insit, ijdem tamẽ turpiter & pernicioſè errant, quando priuata authoritate volunt Regem facere, quem Messiam esse agnoscebant. Nec enim ipsorum erat spiritualis regni administrationem in quenquam conferre, cùm hoc à solius Dei decreto dependeat. Terrenum verò regem facere, palàm seditiosum erat. Causa erroris fuit zelus cum ignorantia coniunctus. Etsi enim in Messiæ aduentum omnium mentes essent intentæ, regnum tamen eius carnale & terrenum imaginabantur ex prophetijs malè intellectis. Stimulos præterea addebat impatientia, quam sub duro Romanæ tyrannidis iugo animis suis iamdudum conceperant. Et quia natura ad seditiones proni erant, temerè Messias & assertores suos dicere solebant, quicunq; virtute aliqua singulari conspicui erant, aut illos promissis inanibus lactabant: cuius rei exempla non pauca Iosephus in sua historia describit. Est autem præsens hoc multa consideratione dignum, tũ quòd nostræ institutioni multiuariàm seruiat.

Vulgi ingeniũ circa religionẽ.

Et primò quidem elucet hîc, quod sit vulgi ingeniũ, adeóq; omnium, qui carnis affectus sequuntur. Multa et illustria signa antehac Christus fecerat, quibus doctrinam quoq; adiunxerat, vt illorũ finem & vsum omnes perciperent. At nullum illorũ tanti apud Iudæos momenti fuit, vt Messiam esse agnoscerent, & regium illi honorem deferrent, quàm hoc vnum, quo illos epulo gratuito exceperat. Vnde verò hoc? Ex eo nimirum, quòd priora illa quasi priuata erant, hoc verò publicum adeò omnes simul pertinebat. Deinde ventris negotium hîc agebatur, cuius studio vnicè tenentur, quicunq; ad cœlestia nondum seriò aspirant. Quia enim venter (vt ille aiebat) auribus caret, belluino affectu post sua desideria ruunt, qui huic se totos addixerũt, neq; res ipsas, de quibus agitur, altius inspiciunt, imò ne rationes quidem admittunt, quibus in viam reuocentur. Testantur hoc crebræ seditiones in repub. propter annonam excitatæ, quarum exempla in historijs passim occurrunt. Sed & Israelitas sub Mose post infinita signa in Ægypto & in mari rubro edita, postq; legis promulgatione terribili seditiosè tumultuatos esse legimus, quoties gulæ irritamentis locum dederunt. Et Micheas de sui seculi hominibus queritur, quòd non nisi eos prophetas obseruent, qui ipsos inanibus promissis de ventre frugum

frugum & vini prouentu lætant. Mich. 2. Tales hodie etiam sunt passim, qui non alio animo euangelij doctrinam suscipiunt, quàm quòd ex ea immunitatem à decimis sperant, aut ex bonorum ecclesiasticorum direptione ditescere cupiunt. Vt iam de illis nihil dicamus, qui ieiunia & qualemcunq; disciplinam, quæ in papatu seruatur, excutere volunt, & ad carnis licentiam aspirant. Et tales quidem, quoad spes aliqua supereſt, magno zelo feruntur, & nihil tam periculosum eſt, quod non audeant aggredi: quemadmodum in nostris hisce eſt videre. Cùm enim quinque millia tantùm essent virorum, nec omnes (vt credibile eſt) ad militiam apti essent: tamen & Herode & Pilato contempto regem creare volunt, & facinus tentant, quo seipsos simul et vniuersam gentem periculis maximis implicuissent, si ipsorum consilio sese accommodasset Dominus. At quid ijdem illi paulò poſt, vbi spe sua sese deiectos vident? Turpiter deficiunt, & patrem Iosephum ei exprobrant, quem nuc regem suum proclamant. Solet hoc ipsum hodie multis in locis fieri: quò magis cautos & circunspectos esse conuenit, ne eiusmodi hominum consilijs nos temere abripi patiamur, in quibus nihil poteſt firmum esse & solidum, cùm à carnis affectibus toti dependeant, qui Euripi instar in singula momenta mutantur.

Deinde diaboli astutiam obseruemus, qui dum Christi honorem promouere videtur, hoc maximè studet, vt illũ cordatis omnibus inuisum & exosum reddat. Quod cùm nulla alia ratione cõmodiore fiat, quàm si in suspicionem veniat, quòd regna aliorum inuadere & iura publica mutare conetur, omnibus seculis hunc lapidem potissimùm mouit, vt talem esse persuaderet. Ideo Iudæorum mentes erronea opinione de Messiæ regno terreno imbuit, quæ continuarum seditionũ seminarium atq; fomes fuit. Simili suspicione Herodes ille Magnus inflammatus, recens natum occidere tentauit, quòd regem Iudæorum fore putaret. Quin ipsum Christum ambitione tentare ausus eſt, cùm in excelsum montẽ subducto omnia mundi regna monstrat, & eadem illi pollicetur, si prostratus ipsum adoret. Facilè enim regem totius mundi ferre poterat Christum, modò humani generis redemptor esse desineret. Eiusdẽ artificij eſt, quòd nunc populi stoliditate abutitur, vt omissis cœlestibus bonis, in illo regnum terrenum quærant. Manarunt præterea ex eodem fonte discipulorum contentiones de primatu, quas nullis vnquam correptionibus Christus potuit reprimere, donec accepto spiritu sancto de regno eius rectius iudicare cœperunt. Nec multùm ab hoc dissimile eſt, quòd hodie cùm Christus prædicatur, mox seditiosos excitat verũ turbatores, qui primò quidem synceriores doctrinæ studium profitentur, & ita ecclesijs sese insinuant: mox verò data occasione circa res politicas tumultuantur, aliorum ius inuadunt, ecclesiarum bona diripiunt, & sua improbitate euangelium omnibus exosum reddunt. Vidit simile quid Germania, quando sub renascentis euangelij principia horribiles rusticorum motus exorti sunt: & paulò poſt Anabaptistæ, deinde & Libertini prodierunt, qui omnes sub religionis prætextu publicas leges conuellunt, & magistratuum authoritatem euertunt. Agnoscamus ergo hæc diaboli strategemata, nec temere illis locum demus, qui hodie similia tentare audent. Præstat enim in ijs, quæ corpus spectant, durissima imperia patienter ferre, quàm temerarijs & propter res temporarias excitatis seditionibus euangelij causam suspectam facere.

Diaboli astutia in Christo oppugnando.

Admonemur præterea hoc exemplo, quid zelus noster faciat in diuinis, si neglecto Dei verbo illum sequamur. Habent isti zelum per se bonum. Agnoscunt Iesum esse magnum illum Prophetam atq; promissum Messiam: & proinde illum honorare volunt. Sed qua re? Quæ & ipsos omnes miserè perdidisset, & totam promissæ salutis causam publicè feciſſet inuisam, si hoc passus fuisset Dominus. Accidit hoc ipsum omnibus, qui de Deo & eius cultu ex suo cerebro consultant. Nam & ipsi magnifica quædam commiscuntur, & ad illa Deum quasi rapere conantur, dum ipsi inuito & reluctanti obtrudunt, quæ verbo suo iam olim damnauit. Quid verò fit? Extinguitur per hæc tota religio, cultus verò externus in fastuosam & inanem pompã degenerat: & isdem figmentis ditati ecclesiarum præsules, sua insolentia fidem Christianam Turcis atq; Iudæis deridendam propinant. Represso igitur zelo nostro, nihil à nobis conficti Deo obtrudamus, sed quid ille à nobis requirat audiamus: neq; nobis vnquam excidat quod olim per Samuelem Sauli dixit: Obedientiam volo, & non sacrificium. Vt enim cultus Dei omnis ex fide dependet, ita hæc in verbum intenta per obedientiam se potissimùm exerit.

Zelus carnis fallax.

Christus regnũ sibi offerentes declinat.

Sed tempus est, vt videamus quid in hoc casu Christus fecerit, quod vt rectius cognoscatur, ex reliquis euangelistis supplendum erit, quod à nostro breuitatis causa omittitur. Primò enim, vt Matthæus & Marcus scribũt, discipulos nauim ascendere coegit, & Bethsaidam versus præcedere. Fecit hoc, ne qui falsa de regno eius opinione iam ante imbuti erant, populi cõsilio seditioso consentirent, & euangelij causam suspectam facerent. Est hoc diligenter curandum ministris, vt suos in officio contineant, ne turbulentis improborum consilijs sese admiscendo, communẽ religionis causam in periculum adducant. Imò decet hoc omnes qui Christi nomen profitentur, ne quam probabilem eluminandi occasionem præbeant ijs, quos manifestos veritatis hostes esse norunt. Deinde dimittit populum, & quidẽ amicè (vt ex Græco verbo apparet, quo Marcus hic vtitur) quàmuis errore grauiter imbutos videret: contentus nimirùm in præsenti illorũ conatum repressisse, cùm tempus & locus institutionem prolixiorem non admitterent. Imitentur hanc Christi mansuetudinem ministri ecclesiarum, vt eos lucrifacere studeant, quos per ignorantiã errare vident, ne fortè inconsulto rigore prorsus absterreantur. Tertiò dimissis omnibus, ipse se in montem recipit: nimirùm ne præsentia sua aliquam repetendi sui consilij occasionem præbeat ijs, quorum zelus nondum defer buerat, sicuti ex sequenti historia patebit. Simul etiam exemplo hoc docet, se nunquam illis adesse velle, qui sub religionis prætextu seditiones mouẽt, aut ipsi cultus suos arbitrarios obtrudunt, Quò referri debent propheterum sermones, quibus temeritatẽ illam superstitiosam non sine indignatione reijcit. Postremò in monte orauit Christus, & maiorem noctis partem in precatione transegit. Et hoc quidẽ ex sacerdotis officio fecit, cui illum pater destinauerat. Quod verò precum suarum argumentũ fuerit, ex circunstantijs colligi potest: vt nimirùm Deus pater vera sui Messiæ cognitione omnes illumines, & importuna hominum carnalium consilia refrænet: vt non quæ carnis sunt quærant, sed quæ ad Dei gloriam & æternam animarum salutem faciunt. Ita verò abundè docet Christus, regnum suum non esse de hoc mundo, sicuti postea apud Pilatum quoq; fatebitur. Est quidem illi omnis potestas data in cælo & in terra: non autem, vt terreni principis instar regnet, sed vt per spiritũ & verbum passim dominetur. Ideo Dauid dicebat sceptrum potentiæ eius è Zion egressurũ esse, quo euangelij verbum denotari Isaias & Micheas nõ obscurè docent, cùm aiunt: Lex è Zion exibit, & verbum Domini è Ierusalem. At hinc simul colligitur, regnum eius armis huius seculi neq; propagari, neq; tueri posse: qua de re non vno loco diximus. Patet præterea ex hoc Christi facto, nequaquam eius successores, nedum vicarios esse, qui sub huius prætextu regna huius mundi inuadunt. Nam quod ipse fecit, hoc ipsum Apostolos facere iussit, quando de primatu contendentibus dixit: Reges gentium dominantur eis, & qui potestatem habent in eas benefici vocantur: Vos autem non sic. Imò quæstionem hanc de regno suo terreno iam in cœlos ascensuro proponentes ad prædicandi munus remittit, & de cætero solicitos esse vetat. At hodie, qui primum in ecclesia Christi locũ sibi vendicant, vt regnis terrenis vacare possint, docendi munus quasi abs se alienissimũ intermittunt, & in aulis regum potius, vel etiam in castris, quàm in cathedra sacra conspici volunt. Quo vno satis testantur se non veros apostolorũ successores esse, sed ad Antichristi corpus pertinere, cui hoc tribuit Daniel, quòd regnis dominaturis, leges & tempora mutet, & thesauros terræ possideat. Adhæc omnes Christianos humilitatis admonet Dominus suo exemplo. Nam (vt Cyrillus ait) honor & gloria mundi ijs fugienda, qui gloriam Dei consequi volunt. Nec decet, vt honores alienos ambitiosè affectent, qui Christo gloriatur, qui cùm esset in forma Dei, seruus fieri voluit, vt patri obedientiæ officium præstaret. Nec tamen hoc ita dictum volumus, quasi nefas sit hominem Christianum publicis honoribus excellere, sed ambitionem, quæ multis exitio fuit, ab illo alienam esse volumus. Quòd si quis ad munera publica legitimè vocetur, non obstat Christiani nominis professio, quò minus vocationẽ suam sequatur, & commissum sibi officium bona fide obeat. Postremò admonemur, neminẽ alicuius simplicitate ad res suas stabiliendas abuti debere. Poterat aliquo prætextu excusari præsens factum, & ad regnum Christi propagandum non parum facturum videbatur. Sed suæ vocationis rationem habet Christus, nec per media illicita ad eius finem contendere instituit. Obseruarunt hoc ipsum apostoli, quando obtos sibi diuinos honores constantissimè reiecerunt. Quorum exempla Pontifices arguunt, qui insolitis vulgi stoliditate delectantur, nec taciti modò in sinu gaudent, sed per ludibriũ bonos Christianos vocant, quos falsis persuasionibus deceptos ad limina Petri & Pauli venire, adq; pedum suorum osculan-

la pro-
culam
beat,
huius
ria &

la prouolui vident. Quibus adnumerari merentur, qui purgatorij & aliarum superstitionum terriculamentis rude vulgus in officio contineri oportere clamant. Quasi verò quisquam Deo illudere debeat, vt hominibus suus honor maneat integer. Nos Christum Iesum imitabimur, qui nos neq; in huius præsentis seculi, neq; in futuræ vitæ via aberrare patietur. Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.

HOMILIA XLVIII.

Cùm autem uesper esset, descenderũt discipuli eius ad mare: & ingressi nauigium ibant trans mare uersus Capernaum. Et iam tenebræ erant, nec uenerat ad eos Iesus: & mare uẽto magno flãte insurgebat. Cùm itaq; remigassent quasi stadia uigintiquinq; aut triginta, uidẽt Iesum ambulantem super mare & appropinquantem nauí, & timuerũt. Ille uerò dixit eis: Ego sum, ne timueritis. Libenter ergo receperunt eũ in nauigium: & statim nauigium appulit ad terram, ad quam ibant.

QVoniam plerique hominum Christi Iesu regnum terrenum somniant, & in eo terrena atque carnalia modo quærunt: plerunq; fit, vt vel inopiæ & egestatis metu superati, vel persecutionum periculis territi, ab illo turpiter deficiant, qui ipsum iam toto animo amplexi videbantur. Ideo Christus suos aduersus hæc duo mala frequenter instituit, & vt suorum præceptorũ magis sint memores, in huius Cap. historia oculis quoq; subijcit, adeoq; manibus palpanda proponit, quæ nos in fide vera & confessionis Christianæ constantia confirmare possunt. Primò enim miraculo in quinq; panibus edito docet, nihil defuturũ ijs, qui ipsum animo non fucato sequuntur. Nunc verò se eorundem protectorem quoq; in periculis & fortissimum vindicem fore ostendit. Estq; pars ista dignissima, in cuius consideratione diligenter versemur: quia veram & propriam ecclesiæ imaginẽ quasi in speculo nobis exhibet, qua docemur, quæ eius in terris conditio sit, quæ singulorum credentiũ officia, & quid nos in Christo sperare conueniat.

Ordiuntur autem ab ipsa totius negotij occasione, quam his verbis comprehendit. Cùm uesper esset descenderunt discipuli eius ad mare & ingressi nauigium ibant trans mare versus Capernaum. At Discipuli Christo cogente nauim ascendunt.
hic repetendũ est, quod nuper diximus, non sponte, sed à Domino coactos nauim cõscendisse: qui cùm in deserto Bethzaidæ (vt Lucas annotauit) miraculum hoc edidisset, illos Bethzaidam præcedere iussit, vt nimirum inde sinu lacus traiecto rectà Capernaum contenderent. Est hoc obseruatu dignissimum ne quis postea periclitantes audiens, illos dignas temeritatis suæ pœnas dedisse putet, qui non consulto Christo nauigationem istam susceperint: quod nonnulli interpretũ minus circunspecti annotarunt. Atqui ex Domini mandato hoc omne fecerunt, cui certa constitit sui consilij atq; mandati ratio. Primò enim (vt nuper quoq; monuimus) cauere voluit, ne discipuli seditiosorum istorum consilio sese adiungerent. Deinde falso conceptam de regno suo opinionem reipsa conuincit, & suis sectatoribus non huius seculi felicitatem, sed crucem propositam esse docet, ad quã sese præparare debeant. Adhæc quia diuinam Christi virtutem in præcedenti miraculo (vt Marcus scribit) non satis obseruarant, noua illius demonstratione opus fuit: quam vt euidentiorẽ videant, periculo manifesto illos Christus obijcit. At nos hinc doctrinam generalem petere debemus. Nihil aduersi nobis præter diuina prouidentiæ consiliũ accidere. Vt enim hos nauigare cogit Dominus, cùm non ignoraret quid illis esset euenturũ: ita ipse nos in pericula adducit, aut illa nobis immittit: neq; aliquis putare debet, quicquã illo inscio aut inuito fieri, qui vt omnia ab æterno disposuit, sic omnipotens est, nec decreta sua sibi à quoquam interturbari patitur. Quia verò idem benignissimus pater est, non vt nos perdat affligit, sed vt nos ad virtutem & salutem exerceat, & sui nominis gloriã in nobis prouehat. Quapropter etsi nemo tantæ sanctitatis atq; innocentiæ sit, vt nõ quouis supplicio dignus censeri queat: at tamen non omnes afflictiones peccatorum pœnæ censeri debent, quando multæ aliæ ob causas immittuntur, sicuti non modò præsens hæc historia docet, verumetiam quæ de Abrahamo, Iobo & infinitis alijs passim traduntur. Et prodest hoc diligẽter obseruasse. Primò, ne ipsi desperemus si quid siniſtri

nobis accidit, aut nos Deo minus gratos & acceptos esse putemus. Deinde ne temere iudicemus de alijs, qui in causa bona periclitantur, & hanc quoq; vnà cum illis damnemus. Quin videamus semper ante omnia, num quid ex Dei mandato susceptum aut factum sit. Quòd si de eo nobis constet, non dubitemus, felicem eius exitũ fore, vt vt initia difficilia & acerba sint. Quòd si verò nos omnino succumbere sinat Deus, tunc quoq; eius bonitatẽ agnoscamus, qui quos propter peccata punire poterat, in bona causa affligi patitur, vt crucis filij sui consortes reddamur, & tandem illi etiam regni cœlestis cohæredes simus.

Discipuli nauigantes periclitantur.

Porrò videamus quid discipulis nauigantibus acciderit. Mare (inquit) vento magno flante insurgebat. Paucis verbis tempestatem periculi plenã describit. Adduntur tamen circunstantiæ, quæ illud amplificant. Prima ex his est, quòd tenebræ simul exortæ omnem lucem stellarũ & lunæ intercipiebant. Cùm verò hoc nauigantibus incommodissimũ sit, tenebræ ipsæ (si nihil aliud accedat) pericula quæuis terribiliora reddere solent. Deinde nondũ ad illos venerat Iesus, qui vt mox secuturus illos præire iusserat: & proinde eo destituebantur, in quo vno spes certa salutis esse poterat, & quo præsente minus illi timuissent. Accedit his diuturnitas periculi, quæ sola animos quantumuis intrepidos frangere potest. Nam, vt alij scribunt, sub quartam demum vigiliam (quæ postremarum pars est) cùm iam stadia circiter viginti quinque aut triginta remigassent, Iesus aduenientes rebus afflictis salutẽ attulit. Hæc omnia si in vnum conferamus, mox conijcere poterimus, quanto labore & quàm anxijs cogitationibus interea confecti fuerint discipuli, qui in singulas horas, vel momenta potius, mortem sibi imminere putabant. Sed proponitur hic ecclesiæ typus, quam olim quoque diluuij tempore per arcam Noæ adumbratam fuisse constat. Est hæc in mundo hoc naiculæ instar, quam diuersi venti inter immanes fluctus exagitãt. Mundum enim rectissimè mare dixerũ. Nam vt hoc quiescere non potest, cùm proprio motu nunc in hanc nunc in illam partem feratur, & simul ventorum flatibus obnoxium sit, qui insanos aquarum cumulos in altum extollunt, & horribilis fragore inter sese collidunt: Ita mundus hic pacem habere nequit, cùm ex impijs plerunq; constet, qui & proprijs affectibus turbantur, & diabolum principẽ habent, qui vt cædibus & sanguine gaudet, ita veritatis lucem odit, & ad illam extinguendam horribiles bellorum & persecutionum motus excitat. Fit ergo vt ecclesia miserè & periculosè iactetur, atq; nouas quotidie turbas sentiat, quibus interdum omnino succubitura videtur. Et quemadmodum in præsenti sola discipulorum Christi naicula tempestatem istam sustinet, nihil simile patientibus alijs, quas à Tiberiade eodem tempore illuc venisse, & crastino Iesum secutas esse postea audiemus: Ita cùm in mundo tutis agere liceat scleratis omnibus, qui sua quærunt & carni indulgent, sola ecclesia piorũ digna videtur, aduersus quam omnes insurgant, & quæ omnium insidijs vel armis petatur. Neq; noua aut momentanea est hæc calamitas, sed diuturnitate sua vires acquisiuisse dici potest, cùm ab ipsa mundi origine durauerit, ex quo Abelum fratrem impius Cain occidit. Et eò vsq; interdum res progreditur, vt nihil quam densissimæ tenebræ pios circunstent, quando neq; ipsi aliquid cõsilij ex semetipsis capere, neq; alicunde aliquam auxilij lucem affulgentem sibi videre possunt. Sed & ipse Christus interdum abesse videtur & ecclesiæ suæ curam deposuisse, cùm nulla diuini fauoris signa apparent, sed horribilis Deiira vndiq; tonat atq; ruit. Horum igitur consideratione excitati ad ista nos præparemus: & si quid periculi communis incidit, quiuis salutem suam sibi cum alterius salute communem esse cogitet: & vt in naufragij periculo nauclerus, nautæ, vectores & quotquot in eadẽ naui vehuntur, operas suas sine mutè conferunt, quando nemo se saluum fore videt, si nauis tota pereat: Ita in ecclesiæ periculis nemo se immunem arbitretur, sed omnes, cuiuscunq; loci aut ordinis, pro suæ vocationis ratione studium suum omne impendant, vt ecclesia conseruetur. Fiet hoc non sine fructu, si Dei verbũ sibi instar gnomonis proponãt, & secundùm hoc sua consilia, dicta deniq; & facta omnia dirigant. Hoc secuti, remigando promouebunt, vtut omnia sibi aduersari sentiant. Obseruauit hoc in præsenti historia Augustinus, quando ait: Interea ambulabant, promouebant, nec venti illi & tempestates & fluctus & tenebræ id agebant, vt vel nauis non promoueretur, vel soluta mergeretur: sed inter illa omnia maibat. Et enim quia abundauit iniquitas, & refrigescit charitas multorũ, crescunt fluctus, augentur tenebræ, sæuit ventus: sed tamen ambulat nauis piorum. Inter ista enim illi de virtute in virtutem proficiunt (vt in Psal. 84. dicitur) donec coram Deo in cœlesti Zione compareant. Nam qui in fide

vsq; perseuerat, saluus erit. Et vt inter scopulos & Charybdes defluens nauicula multos quidem assultus sustinet, procedit tamen & tandem in portũ recipitur: Ita singuli credentes per singula momenta ad vitæ suæ metã contendunt, quam tandem feliciter attingent, etsi omnes vires suas contra illos satan proferat. Neq; interea periclitantibus deest Christus, quemadmodum tertia huius historiæ parte admonemur.

Christus suos periclitantes non negligit.

Sequitur enim quid is fecerit. Vbi primò repeti debet, quòd in monte orauit. Addit Marcus, quòd suos periclitantes viderit. Tandem quarta noctis vigilia ad illos venit aquis & fluctibus inambulans: & primò quidem se præterire velle simulat, mox autem discipulis appropinquans nauim ingreditur, & omni periculo eos liberat. Concurrunt hîc multa simul, quæ & bonitatẽ & potentiam Christi nobis ob oculos statuunt. Bonitatis & paternæ prouidentiæ est, quòd licet absit corpore, suos tamen respicit, quòd ipsorum causam apud patrem agit, quòd vbi satis exercitatos videt illis opem tulit. Diuinæ autem virtutis & potentiæ est, quòd per medios ventorum vndiq; concurrentium procellas aquis inambulat vt terræ solidæ, adeoq; ventos simul & fluctus sub pedibus calcat. Transferamus ista ad nostram institutionem atq; consolationem. Nam vt Paulus ait, Christus heri & hodie, idem est etiam vsq; in secula. Videt ergo etiamnunc ex alto nos in hoc seculo laborantes, nec quicquam illo inscio nobis accidit. Imò vt Psal. 56. docet, fugas nostras ille numerat, & lachrymas nostras in suis rationibus ascribit. Fieri enim non potest, vt membra sua caput ignoret, aut bonus ille pastor oues suas securè negligat. Neq; tamen videt modò & nouit nos, verumetiã apud patrem suum pro nobis intercedit, cùm sacerdos & aduocatus sit noster. Et quàmuis opẽ promissam aliquousq; differat, suo tamen tempore adest, & se omni aduersaria potestate superiorẽ esse ostendit. Quia enim mundi huius principem iam olim deuicit, facile illi est tyrannos quosuis sub pedibus suis calcare, & vt Psal. 91. dicitur, super aspides & basiliscos incedere, deniq; omnium eorum conatus atq; vires frangere, qui se illi opponere, aut ecclesiam eius infestare audent. Exempla sunt omnium seculorum, quibus hoc demonstrari poterat: sed cùm multa quotidie fiant, quæ his fidem faciũt, illis commemorandis abstineo. Nos potius vsum istorum omnium diligenter obseruemus, vt inter pericula in vnum Christum intenti, quosuis assultus fortiter sustineamus, neq; de eius fide dubitemus, qui opem suam nobis toties pollicitus est atq; præstitit.

Discipuli uiso Christo timent.

Cæterùm ad discipulos redeamus, qui Christo viso timuisse, & præ metu exclamauisse dicũtur. Causa terroris tanti est, quòd se spectrum videre putant, qualia multa nauigantibus occurrere consueuerunt. Itaq; iam sibi cum malis spiritibus quoq; negotium fore arbitrati, metu eiusmodi corripiuntur. At non diu suspensos tenet Christus, sed illos alloquens se adesse testatur, & timorem omnem animis illorum eximit. Quare qui prius metu tantumnon exanimati fuerũt, nunc illum libenter in nauim recipiunt. Quo facto mox quieuit ventus, & nauis illico ad terram appulit, quæ longius adhuc abfuerat, cùm ad illos Christus peniisset. Quod ipsum quoq; non caret miraculo, & nouum est diuinæ in illo virtutis indicium. Obseruemus autem hoc loco, quanta sit nostra infirmitas & ingenij corruptio, quando Christum se nobis offerentẽ non possumus agnoscere, nisi per verbum suum ille se nobis manifestet. Imò nisi in hoc nobis ille loquatur, terrorẽ incutient quæcunq; alia in ipso videmus. Fit hoc in externis, quando aduersus impios hostes iudicia sua profert, & tyrãnos debellat, subq; pedibus suis regna calcare & euertere incipit. Tunc enim nouo metu pij quoq; corripiũtur, & sibi etiã cum impijs pereundum esse putant. At si illum in euangelio loquentem audiant, mox horribiles illos motus sibi minimè formidandos esse discunt, quando illi facile est suos tueri, etiamsi terra loco moueatur, & montes in medio maris nutent. Vide Psal. 46. Idem in religione etiam fieri solet. Nam si illic Christum sine verbo consideremus, vel terrifica vel contẽpta erunt illius omnia. Aut enim infirma assumptæ humanitatis conditio illum nobis despectum reddit, aut maiestatis ipsius diuinæ & iustitiæ consideratio facit, vt illum nihil ad nos pertinere arbitremur. Hinc est, quòd multi hodie Christum sibi fingunt terribilem planè & fulmine semper armatum, qualem Iouem suum olim poetæ depinxerũt: & ideo nouis mediatoribus & aduocatis sibi apud illum opus esse arbitrãtur: in quos cùm omnem Christi honorem transferant, illum quasi spoliatũ redemptoris & mediatoris officio, simul è suo gradu improbè deijciunt. Nos verò non ex nostro cerebro Christum nobis fingamus, sed qualem scripturæ proponunt amplexemur: & semper in auribus nostris sonent promissiones euangelicæ, qui-

bus se nobis seruatorem offert, & ad se venientibus salutem plenã atq; perfectam pollicetur. Imprimis verò, cum pericula instant, de Christo ad nos recipiendo & nobiscum retinendo cogitemus; nec eorum consilia audiamus, qui vt mundi pacem & amicitiã redimant, Christum cum euangelio suo explodunt, & ex eo sibi omnia tuta pollicentur. Sed accidit illis quod sine arte nauigantibus accidere solet, qui sæpe procella subitò exorta à portu in medios maris fluctus reijciuntur, quãdo iam ibi se in tuto fore putabant. At qui illum retinent, & hunc rerum suarum omnium ducẽ obseruant, ijs leuia sunt pericula, quæ alijs grauissima videntur, & ijdem mox ab illo in tutissimã veræ tranquillitatis portum deducuntur, vbi extra omne periculum constituti, pacem certam & vitã præsentem inueniunt. Primò enim cum Deo patre suos in gratiam ille reducit, & pacem cõscientiarum facit, quæ in medijs quoq; afflictionibus incõcussa manet, & proinde omnẽ huius mundi intellectũ superat. Deinde huius etiã seculi ventos & fluctus componit, ne vlterius quàm ipsi visum est, progrediatur. Tandem verò suos in æternæ felicitatis portum recipit, & sibi cohæredes facit eos, qui periculorum & crucis ipsius socij fuerunt. Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.

HOMILIA XLIX.

Postero die turba, quæ stabat trãs mare, ut uidit quòd nauis alia nõ fuisset illic, nisi una illa, in quã descenderant discipuli eius, et quòd non ingressus esset Iesus cum discipulis in nauim, sed soli discipuli eius abijssent: aliæ uerò nauiculæ à Tiberiade uenissent propè locum, ubi comederãt panem, postquam Dominus gratias egisset: Cùm (inquam) uidisset turba, quòd Iesus non esset illic, neque discipuli eius, conscenderunt ipsi quoq; nauiculas, & uenerunt Capernaum, quærentes Iesum. Et inuento eo trans mare, dixerunt ei: Rabbi, quãdo huc uenisti? Respondit eis Iesus, & dixit: Amen amen dico uobis, quæritis me, nõ quia uidistis signa, sed quia comedistis ex panibus istis, et saturati estis. Operemini non cibum qui perit, sed cibum illum qui permanet in uitam æternam, quẽ filius hominis dabit uobis: hũc enim Pater obsignauit, Deus.

VIdimus hucusq; duo eximia signa Iesu Christi, quibus docuit, se verum esse humani generis seruatorem, qui in se credẽtibus nihil deferi patiatur, & eosdem inter pericula quæuis atq; omnis generis afflictiones fideliter defendat atq; conseruet. At quia hæc in illo pauci vere agnoscunt, sequitur deinceps concio, seu potius disputatio publica, qua quid in se quæri debeat docet, & inde occasione sumpta, vniuersam nostræ salutis rationem diligẽter & absolutè tradit. Estq; hæc vna ex præcipuis actionibus Christi, quas Ioannes describit, cùm à reliquis certo spiritus sancti consilio præmissas videret. Quare in illius consideratione nos diligenter versari oportet, vt ad nos transferamus, quæ in hac ad nostram institutionem & consolationem facere possunt. Sunt autem loci præsentis partes duæ. Prima occasionem, altera summam vel propositionem totius disputationis continet.

Populus Christum quærit & sequitur.

Occasionem toti negotio præbuit præposterum populi studium, qui miraculo in quinque panibus edito excitatus, ad Christum denuo confluxit. Est autem in huius descriptione diligens admodum Ioannes, vt horum exemplo ipsi etiam instituamur. Quia tamen hyperbato longiori vtitur, prodetur ordinem huius negotij summatim comprehendisse, qui est eiusmodi. Cùm quinque millia virorum miraculosè Christus pauisset, mox postera die ingens hominum turba illic rursus conuenit, vbi miraculum editum fuerat. Causa huius concursus est, quòd Christum discipulos quidem naui gio peramare, ipsum verò illic substitisse vidissent, neq; aliam vidissent nauim, qua discipulos ille sequi posset. Sperant ergo se illum in eodem loco adhuc inuenturos esse, & idcirco illuc tanto studio contendunt. Atqui spe sua frustrantur quidem, non tamen hoc ipsorum studium omni fructu caret. Cùm enim Christum illic non inueniant, nauigio autẽ illum non traiecisse sciant, de miraculo admonentur, quod ipsum in transitu maris edidisse heri audiuimus. Nam etsi discipulis potissimùm diuinam suam potentiam

tentiam Christus eo facto manifestare voluerit, hanc ipsam tamen reliquo etiam populo voluit innotescere, quò plures in ipsius cognitione & vera fide confirmarentur. Quæ etiam causa est, quòd illius facta Euangelistæ ex spiritus suggestione descripserunt, vt posteri quoque ex illis veram ipsius cognitionem percipiant. Nostrum ergo fuerit hac eius bonitate rectè vti, ne istis (de quibus hic agitur) ignauiores deprehendamur, quos ventris studium excitare potuit, vt illum magno ardore sequantur. Nam cùm illum ex ijs locis discessisse, interea autem nauiculas plures à Tiberiade illuc conuenisse videant, mox illis conscensis Capernaum contendunt, & illic inuentum quando eò venerit, interrogant. Fuit autem quæstio hæc puerilis quidem & inutilis (quod Cyrillus quoque annotauit) attamen nostræ institutioni seruit exemplum hoc, vt discamus, vbi & quomodo Christus quæri debeat. Quærunt isti quidem Christum illic loci, vbi miraculum ingens fuerat editum: non autem illi loco Christum & diuinam eius virtutem astringunt, sed vbi illum aliò profectum vident, eò se conferunt, quò ipsum abijsse audiebant. Et hoc quidem rectissimè faciunt, licet carnis affectus concurrat, quo hoc illorum studium corrumpebatur. Sunt ergo imitandi nobis, ne Dei gratiam aut Christi meritum locis certis alligemus, aut ex signis, quæ olim facta sunt, colligamus Christum semper illic præsentem adesse, vbi aliquando sese manifestauit, aut beneficium aliquod singulare aliquibus contulit. Neque enim certis locis concluditur Dei gratia, quam immensam & infinitam esse constat: neque meritum Christi alicui loco astringi debet, quod ille per Euangelij prædicationem omnibus offert, & quod vbique terrarum fide percipi potest. Quærendus ergo est, vbi illum nobis scriptura monstrat. At quoad corpus, in cœlum ille ascendit videntibus discipulis, & ascensionis illius testes sunt angeli, qui reditum eius nullum alium quàm visibilem pollicentur, quem in nouissimo die futurum scimus. Quoad meritum verò & gratiam atque diuinam virtutem, illis se præsentem promittit, qui in eius nomine conueniunt, verbum eius attenti audiunt & patrem ex vera fide inuocant. Imò singulis credentibus semper adest, quatenus præsentia eius illis opus est: quia ad singulos pertinet promissio: Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi. His ergo studijs intenti simus, & vbique nobis præsens erit Christus, & suæ gratiæ consortes faciet. Confutantur his non modò superstitiosi illi, qui peregrinationes religionis ergò suscipiunt, & non sine periculo per terras & maria Christum in infelici & misera Palæstina quærunt, quem domi inuenire poterant, si in verbo suo loquentem audirent: verumetiam insolentes illi fidei dominatores, qui ecclesiam certis locis astringunt, & ad Romam suam omnes respicere cogunt, qui ecclesiæ membra dici atque haberi volunt. Nam vt omnia illis demus, quæ illi de veteri ecclesia Romana iactitant, nihil tamen illa ipsis patrocinabuntur, qui à maiorum fide & pietate iam pridem degenerarunt: neque magis illic inueniri poterit Christus, quam in deserto Bethsaidæ, vnde illum abijsse audimus, cùm illic præpostero studio quæreretur.

Christus illic quæri debet, ubi est.

Porrò Christum audiamus, quid ad se concurrentibus ille dixerit. Excipit eos oratione breui quidem, sed graui admodum, cuius duæ sunt partes. Prima illos propter carnis aut ventris studium acriter reprehendit: altera quid faciant docet, & illic sequentis disputationis summam proponit. Ad primam partem ista pertinent: Amen amen dico vobis, quæritis me, non quia vidistis signa sed quia comedistis ex panibus istis, & saturati estis. Voluit autem asseueratione vti, quò magis in illorum animos penetret, latentem carnis improbitatem arguat, quam illi simulato pietatis studio cælare conabantur. Sensus enim verborum est: Vultis quidem meorum signorum obseruatores & doctrinæ etiam meæ sectatores videri: sed nihil aliud quàm ventrem & ignauum ocium quæritis. Nam cùm multa hucusque signa fecerim, quibus me Dei filium & promissum humani generis redemptorem esse declaraui, nullo tamen alio vos adeò inflammati estis ad me sequendum, quàm hesterno illo, quo absque impensis vestris vos ad saturitatem alui. Vnde verò hoc? Nimirum quòd rebus vestris iam probè prospectum putatis, vt qui in me promum vel œconomum posthac habituri sitis, qui vos ignauos & inertes sua liberalitate alat & pascat. Non ergo signorum meorum maiestate aut diuinæ virtutis admiratione mouemini, sed ventris & gulæ studio, quod fucato hoc pietatis prætextu cælari posse putatis. Sed nequicquam hoc facitis. Noui enim qui sitis, neque ego externo fuco falli possum, qui cordium & renum arcana

Christus eos reprehendit qui propter uentrē ipsum quærebant.

inſpicio, &c. Admonemur hoc loco, non latere Chriſtum, quo animo illum ſequamur. Patet hoc non modò in præſenti, verumetiam in pluribus alijs exemplis, quæ illum arcanas cordium cogitationes vidiſſe & arguiſſe docent. Et ſupra cap. 2. dictum eſt, multos fidem in illum profeſſos fuiſſe, quibus tamen ipſe ſeſe non credidit, eò quòd hominum arcana nosſet, neque opus haberet, vt quis de homine apud ipſum teſtaretur. At quia idem ille ipſiſsima eſt Veritas, perfidos ſimulatores vel hypocritas ferre non poteſt, qui aliud ore profitentur, aliud in animo regunt. Et licet tales aliquando ferat in externa ſuæ eccleſiæ ſocietate, olim tamen ſeparatio fiet, quando illis publice dicetur: Neſcio vos, diſcedite à me qui operamini iniquitatem. Non omnis qui dicit mihi Domine Domine, introibit in regnum meum, ſed qui fecerit voluntatem patris mei, &c. Matth. 7.

Chriſtus non reſpondet ad ineptam quæſtionem populi.

Obſeruabimus præterea, quòd non ad illorum quæſtionem ineptam & curioſam reſpondet, qua interrogauerant, quando illuc veniſſet. Atqui poterat hoc facere cum ingenti & glorioſa diuinæ ſuæ virtutis prædicatione, & teſtes habebat, qui illum mari & fluctibus inambulauiſſe, & ad eius aduentum ventos & fluctus quieuiſſe viderant. Sed omiſſis ijs, quæ ad priuatam ipſius gloriam faciebant, ea dicit, quæ ipſos ab interitu in ſalutis viam reuocare poterant. Nam & aſſentatores fraudulentos corripit, & hypocritas arguit, & ei morbo medetur, qui ſaluti ipſorum quàm maximè officiebat. Obſeruent hoc miniſtri eccleſiarum, ne (vt Cyrilli verbis vtar) verborum ſuauitate & aſſentatiunculis decipiantur, quibus plerunque omnes vtuntur, qui non rectè de fide Chriſti ſentiunt. Et hi arguendi ſunt potius, & vt ipſi ſe ad melius transferant, & alij exemplo eorum firmentur. Requirit hoc innata nobis corruptio, quæ niſi arguatur, & noſipſos & alios inani virtutis ſimulatione, & vanis de ſalute noſtra perſuaſionibus miſerè perdimus.

Hortatur ad ſalutis æternæ ſtudium.

Cæterùm alteram quoque orationis Chriſti partem videamus, quæ vt diximus, ſummã ſequentis doctrinæ continet: quam ita proponit, vt pergat adhuc præpoſtero illorum ſtudio mederi. Dicit enim: Operemini non cibum qui perit, ſed cibum illum qui permanet in vitam æternam, &c. Senſus horum omnium eſt: Omiſſis rerum externarum & corruptibilium ſtudijs, curate, vt ſolis diuinis & æternis bonis intenti, ſalutem veram atque æternam conſequamini. Sed pro ſuo more metaphoricis locutionibus ex re præſenti petitis vtitur. Quia enim illi cibum corporis quærebant, anima vero etiam ſuo cibo vel alimento opus habet, de hoc diſſerere incipit. Cibum autem animæ dicit, quod ſaturat atque ſalutis certam & tranquillam reddit. Eſt q̃ propoſitio hæc duplex, cuius ſingulæ partes excuti debent.

In Chriſto non quæri debent terrena & temporaria.

Priori prohibet, ne cibum operemur, qui perit, id eſt, ne cibum corporis laborioſe & anxie quæramus. Vbi non putabimus legitimum laborem prohiberi, quo cibum quærere ſcriptura alibi iubet. Semper enim rata manet lex Dei, quam Adamo præſcripſit: In ſudore vultus tui comedes panem tuum. Cui illud Apoſtoli conſentit: Qui non laborat, ne manducet. Item: Qui furabatur, non amplius furetur: magis autem laboret operando manibus quod bonum eſt, vt poſſit impartire ei qui opus habuerit. Epheſ. 4. Quæ cùm ipſius Chriſti & Apoſtolorum exemplis confirmata ſint, à nemine in dubium vocari debent. Monet ergo in præſenti Dominus, ne in ipſo ſub fidei & religionis prætextu terrena & corporis victum quærant. Quæ admonitio perquàm neceſſaria eſt, eò quòd plerique carnalibus intenti cœleſtia negligunt, & tunc quoque carnis negotium agunt, quando Chriſtum ſequi videntur, vt æterna & cœleſtia quærant. Et vt Auguſtinus olim dicebat, vix quæritur Ieſus propter Ieſum. Sed & conqueritur pater ille, quòd ſuo tempore eccleſia illis impleretur, qui non aliud quàm beneficium aliquod temporarium vænabantur. Quod vtinam non hodie etiam fieret, quando plerique fidem in ſolum Chriſtum & Euangelicæ doctrinæ ſtudium non alio animo profitentur, quàm vt traditionum vinculis ſoluti liberius viuant quoad carnem, vel vt ad honores publicos acceſſus illis pateat, vel vt ex cœnobiorum & eccleſiarum redditibus diteſcant. Et hi quidem magno zelo Chriſti negotium agunt, quàm diu hæc ſpes illis integra manet. At omnibus talibus in præſenti Chriſtus loquitur. Et cùm multas rationes adducere potuiſſet, quibus hoc ſtudium diſſuaderet, hac vna contentus eſt, quòd cibum, quem quærebant, periturum dicit. Sufficit enim hoc ad demonſtrandum, quòd labore & ſtudio inani ſemetipſos excrucient: & eadem oſtendit, ſtultè facere eos, qui cùm æterna illis proponuntur, ad temporaria & breui peritura potius reſpiciunt. Et

vtili

rectè quidem cibum corporis periturũ vocat. Nam sumptus semel modò saturat, & mox in aluum demissus per secessum eijcitur, & fami iterum locum cedit. At quod de cibo dicitur, hoc ipsum de corporis valetudine, de diuitijs, honoribus & omni voluptatum genere dici potest. Quid enim in his omnibus certum, stabile aut æternum habetur? Inani ergo labore & studio seipsos miserè excruciant, quicunque ista totis animis sectantur.

Altera parte propositionis istius docet quid faciant. Operemini (inquit) cibum illum, qui permanet in vitam æternam. Id est, ea quærite, quæ animas saturare, & vos ad beatam immortalitatem alere possunt. Et mox se huius cibi dispensatorem, seu potius verum authorem à Deo patre constitutum esse docet. Ita verò paucis verbis negotium hoc omne comprehendit, quod postea fusius diducit, & per singulas partes exponit. At nos in præsenti docemur primò, quod sit præcipuum hominis officium: Nimirum spretis terrenis & temporarijs, cœlestia & æterna bona quærere. Docet hoc nõ modò scriptura sacra, verumetiam communis sensus, quem ex sublimiori illa rationis & intellectus lu ce qua olim Adamus donatus fuerat, nobis Deus reliquum fecit. Gentium certè philosophi, ex corporũ humani fabrica & rationis dignitate collegerunt, homines ex terra quidem progenitos esse, nõ autem vt terræ tantummodo incolæ et habitatores sint, sed quasi spectatores superarum rerum atq; cœlestium, quarum spectaculum (vt Cicero lib. 2. de Nat. Deorum ait) ad nullum aliud genus animantium pertinet. Et noti sunt versus illi Nasonis:

Pronaq; cùm spectent animalia cætera terram,
Os homini sublime dedit, cœlumq; tueri
Iussit, & erectos ad sydera tollere vultus.

Hominis est ad cœlestia aspirare.

Ne tamen in inani orbium cœlestium contemplatione officium nostrum omne consistere putemus, scriptura ad cœlestis vitæ & cœlestium bonorũ possessionem nos aspirare iubet, quæ sola animã hominis, alioqui insatiabilem, saturare & tranquillam vel contentam facere possunt. Et operandi verbi huc vtitur Christus, non vt operum nostrorum merita stabiliat, sed vt studio ardenti & indefesso opus esse doceat: cùm tam multa sint, quæ nos à diuinis & cœlestibus auocare solent. Inter illa ergo semper auribus & animis nostris occurrat hoc Christi dictum: Operemini non cibum qui perit, sed cibum illum qui permanet in vitam æternam, &c.

Quis verò cibus ille est, & vnde nobis datur? Docet hoc Christus, cùm addit: Quem filius hominis dabit vobis. Solus ergo Christus hunc cibũ nobis exhibet, qua de re postea pluribus dicetur. Magnum verò bonitatis eius argumentum est, quòd non requisitus illum offert. Nullam ergo excusationem habent, qui difficultate se absterreri dicunt, quò minus cibũ istum inquirant. Offert enim ipse Dominus, & omnes ad se inuitat, vt eo fruantur. Et huc pertinet, quod Isaiæ 55. dicit: O vos omnes qui sitistis, venite ad aquas: & vos, quibus non est pecunia, venite, comparate & comedite; emite sine argento & sine pretio vinum & lac, &c. Ergo accedamus saltem ad Christum, & mox cibo illo fruemur, qui nos ad vitam æternam saturos reddet.

Christus solus cibum uitæ uerum nobis exhibet.

At ne quid de semetipso arrogantius dicere videatur, addit: Hunc enim pater obsignauit, Deus. Id est, hunc vnxit Deus, vel ordinauit, & testimonijs publicis insigniuit, quòd is sit, qui cibũ istum nobis depromere & largiri possit. Opponit hoc ipsorum opinioni, qui ipsum propter vilem humanitatis speciem contemnebant: & ad illud Psal. 45. respicit, vbi vnctus dicitur oleo lætitiæ præ omnibus consortibus suis. Cui etiam illud addere licebit, quod Isa. 61. habetur: Spiritus Domini Dei super me est, eò quòd vnxit me Dominus, & misit me, vt læta nuntiem mansuetis, &c. Debent præterea huc referri testimonia patris publica, de quibus in Cap. præcedenti diximus: signa item & miracula, quibus abunde probauit, se veræ & perfectæ salutis vnicum authorem esse. Seruit verò hoc ad asserendam salutis nostræ certitudinẽ, quæ in Christo nobis prædicatur. Quia enim hunc Deus vnxit & obsignauit, fieri non potest, vt spes sua frustrentur, quicunque animarum salutem apud ipsum quæsierint. Confutantur præterea hoc dicto, quicunque gloriam hanc aliò transferunt, & animas suas alijs cibis satiare vel placare instituunt. Nam vt corpora non alijs cibis aluntur, quàm quos Deus illis in alimentum destinauit: Ita animæ non alium cibum admittunt, quàm qui à Deo propinatur, & quem is nobis saluificum fecit. Procul ergo facessant infelices coqui, qui vel alium Christum nobis parant, quàm qui in Euangelio nobis prædicatur; vel ad suum illum ignem purgato-

Christus à patre datus salutis author.

rium fercula noua coquunt, quæ animabus famelicis & salutis suæ incertis obtruaunt. Quæ quum enim hos audiunt, hi & seipsos decipiunt, & Deum simul falsi arguunt, qui omnem salutis nostræ rationem in vnico filio suo, Iesu Christo comprehensam esse docet. Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

HOMILIA L.

Dixerunt ergo ad eum: Quid faciemus, ut operemur opera Dei? Respondit Iesus, et dixit illis: Hoc est opus Dei, ut credatis in eum quẽ ille misit. Dixerunt ergo illi: Quod ergo signum facis, ut uideamus & credamus tibi? quid operaris? Patres nostri comederunt manna in deserto, sicut scriptum est: Panem cœli dedit eis ad edendum. Dixit ergo illis Iesus: Amen amen dico uobis, nõ Moses dedit uobis panem illum cœli: sed pater meus dat uobis panem illũ cœli uerum. Panis enim Dei hic est, qui de cœlo descendit, & dat uitam mundo.

DEscribitur hoc Cap. disputatio Iesu Christi, quã in schola Capernaitica aduersus Iudæos habuit. Continet ea vniuersam nostræ salutis rationem, quam ita proposuit Dominus, vt simul omnia ea amoliatur, quæ Iudæos in illa impediebant. Primò enim cùm carni deditos cerneret, hortatur vt cœlestia & æterna quærant, quæ animas saturare & æternæ salutis certas reddere possunt. Et mox ista in se vno contineri docet, quem pater æterno suo consilio destinarit, vt humani generis redemptor sit. Sequitur nunc plenior horum explicatio, cuius occasionem præbuerunt Iudæi, quorum obiectiones Euangelista diligenter cõmemorat, vt illorum exemplo discamus, quod fere sit cuiusque ingenium, quando æternæ salutis doctrina illam ad cœlestia & diuina excitat; & quibus rationibus illius petulantia retundi atq; coerceri debeat.

Iudæi de operibus Dei interrogant.

Principiò nouam quæstionem Iudæi proponunt. Cùm enim Christum audiuissent dicentem: Operemini nõ cibum qui perit, sed cibum illum qui permanet in vitam æternam, &c. facile intelligunt, magnum quid & insolens abs se requiri, & idcirco aiunt: Quid faciemus, vt operemur opera Dei? Dicuntur autem opera Dei, quæ Deus præcipit, & quæ huic probantur, adeoq; quæ illum nobis propitium reddunt. Et quidem laudem merentur isti, quòd cùm acriter illos reprehendisset Christus, non tamen ei impudenter oggannunt, neque odiosè illum conuitiantur: quòd item amicè quærunt quid facere debeant. Interim error insignis sub hac quæstione delitescit, quem operandi & operum vocabula non obscurè arguunt. Nam pharisaica legis & suorum operum fiducia decepti, non intelligunt, Deum nobis in filio suo gratiam suam & salutem offerre, quæ non aliter quàm fide apprehendi possit, neque nostrarum esse virium, vt eam nostris operibus mereamur. Et quia legi huicusque satisfecisse putant, simul etiam mirum illis videtur, Christum plus quiddam ab ipsis requirere. Apparet autem in horum exemplo, quales sint, qui zelo quidem salutis ardent, nondum verò seipsos satis norunt, nec adhuc Christi cognitione instructi sunt. Communis istorum omnium error est, quòd Deum ex suo ingenio æstimantes, illum externo operum splendore moueri, & proinde horum meritis salutem acquiri arbitrantur. Ideò solis externis intenti, prædicationem gratiæ Dei & meritum Iesu Christi aut omnino negligunt, aut certè non magni faciunt. Et hic fons superstitionum omnium, quotquot vnquam inter homines enatæ sunt. Hinc philosophorum disputationes de αὐτεξουσίᾳ vel libero hominis arbitrio, deq; virtutum meritis: sacrificia item omnis generis & solennia festa, quibus aut scelera commissa expiari, aut Dei iram auerti, aut fauorem eiusdem acquiri putauerunt. Hinc Iudæorum errores exorti sunt, quibus excæcati, Dei lege abusi sunt, vt ex ea suam iustitiam stabilirent contra Christum, cùm ex illa inhærentem sibi naturæ corruptionem cum suis fructibus agnoscere, & eiusdem manuductione ad Christum contendere deberent. Hæc ipsa persuasio Turcas quoque dementat, & crucis Christi hostes facit, in qua solam meritum salutis inuenitur. Et inter Christianos ex hoc fonte Papatus totus manauit, qui in veniarum peregrinationibus, votis monasticis, ceremonijs frigidissimis, & humanarũ traditionum obseruatione,

tione, deniq; in exequijs & sacris funebribus & igne purgatorio salutem quærere docet, quam nobis Deus ex gratia in filio suo Iesu Christo offert. Et tanta est huius persuasionis efficacia, vt gratiæ Dei inimicos reddat, qui huius prædicationem, quasi bonis operibus inimicam, odio & detestatione prosequuntur. Videtur hoc multis mirum, quenquam scilicet adeò stupidum esse & vecordem, vt labore & impensis magnis salutem quærere malit, quàm ex gratia oblatam per fidem amplecti. At mirum non est, si cogitemus, homines ex innata philautia suis commentis plus quàm Dei præceptis delectari: & externa hæc, quantùmuis laboriosa videantur, facilius præstari, quàm fidem in Christum & quæ ex hac enascitur totius hominis regenerationem. Hæc enim omnes hominis vires longè superant, vt alibi à nobis dictum est. Discamus ergo animos nostros ad Euangelij prædicationem rectè accommodare. Quod tunc fiet, si à nostri cognitione initio facto, vires nostras cum lege conferamus. Ita enim mox cum Paulo fatebimur, nos ab innata corruptione superari, vt legem præstare nullo modo possimus: adhæc peccatorum nostrorum multitudine & atrocitate territi, ad thronum gratiæ per Christum confugiemus.

Opus Dei fides in Christum.

Porrò Christum audiamus, qui rursus amicè respondet, & dissimulato ipsorum errore, simpliciter docet quid faciant, si Deo placere velint. Dicit enim: Hoc est opus Dei, vt credatis in eum, quem ille misit. Fidem ergo requirit, & hanc opus dicit per Mimesim (qua in vulgari sermone frequenter vtimur, si quando ineptis quæstionibus vel obiectionibus oportet respondere) vt illorũ quæstioni se accommodet, & erroneam ipsorum sententiam efficacius confutet. Quasi diceret: Quæritis quænam sint opera illa, quibus Deus placari & salus acquiri potest. Causa quæstionis est, quòd externis intenti, veram salutis rationem ignoratis. Dicam ergo quod res est: Si Deo probari, & in hoc vitam æternam consequi vultis, non aliquo opere externo, sed fide opus erit, qua me amplectamini, quem ille in mundum misit, vt meo merito genus humanum ex morte in vitam asseram. Vbi diligenter obseruari debet, responsionem hanc illorum quæstioni de operibus opponi. Quia enim nulla legalium operum mentione facta, solam fidem præcipit, euidenter docet, in salutis negotio fidem solam sufficere, & hanc gloriam nullis operibus, quantùmuis splendidis aut etiam bonis, tribui debere. Consentiunt huic doctrinæ omnes scripturæ. De Abrahamo certè Moses scribit, illum Deo credidisse, & fidem hanc illi in iustitiam fuisse imputatam. Et ne quis aliquam huius laudis partem Circuncisioni tribueret, pulchrè obseruauit Paulus, hanc postea demum secutam fuisse, cùm per fidem iam antea esset iustificatus. Rom. 4. Moses item, cùm omnia legis præcepta tradidisset, ad magnum illum prophetam, Iesum Christum, Israelitas remittit, quem audire & amplecti debeant. Et in Psalmis pij precantur, ne cum ipsis Deus in iudicium ingrediatur, sed suæ bonitatis memor peccata illis clementer condonet. Agnouerunt ergo, nullas sibi vires esse, quibus legi satisfaciant, aut peccata sua expient: & in sola Dei misericordia salutis fiduciam repositam habuerunt, cuius mediatorem esse sciebant promissum illud semen, de quo tam multa in Mose & prophetis traduntur. Omitto nunc quæ Apostoli docuerũt, quia de illis dicendi occasio passim occurrit. Quam verè autem ista dicantur, mox patebit, si opera nostra cum fide conferas, & vtriusq; rationem probè examines. Quoad opera enim, boni nihil ex nobis ipsis possumus, imò ne ad cogitandum quidem sumus idonei: sed Deus est, qui in nobis operatur & velle & facere. Etsi ergo opera aliqua bona in nobis reperiantur, illa tamen non nostra sunt, et proinde nihil per ea nobis mereri possumus. Deinde operibus bonis, quæ in nobis spiritus Dei operatur, semper ex nostra corruptione aliquid vitij adhæret, & idcirco consistere non possunt, si ad diuinæ iustitiæ regulam examinentur. Præterea qualiacunq; sint opera nostra, non tamen medium illud vel organum sunt, quo Christus apprehendi potest, in quo vno salus habetur. Vana ergo est, quæcunque in operum meritis collocatur salutis fiducia. Quoad fidem verò, primùm hæc veram Christi cognitionem tradit, quæ sine illa non potest aliqua esse. Deinde in eodem salutis fiduciam collocat, & ita eum apprehendit, qui vnicus nostræ salutis author est. Adhæc totos nos Christo vendicat, et huic insitos spiritus sui capaces reddit, qui ad omne opus bonum idoneos facit. Adde his, quòd cùm in vno Christo Deus nobis reconciliatus sit, nihil ipsi probari potest, quod non illius merito commendatur, cuius nos participes facit sola fides. Postremò non alia re magis quàm fide Deus colitur. Per hanc enim ipsi veritatis, bonitatis, iustitiæ, misericordiæ testimonium deferimus: quæ omnia ipsi negant, quicunq; Christum & in hoc nobis obla-

tam salutem non recipiunt. Ita verò confutantur quæcunque homines in salutis negotio conantur absq; fide in Christum. Nam Paulo teste, peccatum est quicquid non ex fide est, & impossibile est quenquam absq; fide ad Deum accedere. Rom. 14. Hebr. 11.

Iudæi signũ petunt, & patres allegant.

Sed ad Iudæos reuertamur, qui vbi audiunt Christum plus quiddam exigere, quàm vulgus prophetarum soleat: Nimirum vt salutis fiduciam in se vno collocent: iam tergiuersari incipiunt, & doctrinam hanc signis confirmari petunt. Quod ergo signum facis (inquiunt) vt videamus, & credamus tibi? quid operaris? Videntur hæc non sine stomacho dicta esse, quem illis monit Christus, quia operum fiduciam damnauerat. Ne quid tamen temere loqui videantur, patres allegant, & scripturis illorum exemplum amplificant. Dicunt enim: Patres nostri comederunt manna in deserto, sicut scriptum est: Panem cœli dedit eis ad edendum. Ita verò dicere videntur: Petis tu, vt relictis patrijs ritibus, quos à Mose maiores nostri acceperunt, salutis fiduciam omnem in te vno collocemus. Id verò nobis non immerito graue & durum censetur. Nec enim temere factum est, quòd maiores nostri Mosem secuti sunt, & nos quoq; illius discipuli hucusq; fuimus. Ille enim totis annis quadraginta illos in deserto aluit, neque cibum dedit vulgarem, sed manna, quem diuinus Psalter panem cœli nominat. Num igitur Mose relicto te sequemur, qui nihil huius fecisti: sed semel modò exceptos gratuito conuiuio, nunc ad te redeuntes durius excipis, & verbis inanibus pascis? Alter ergo res tuas instituas oportet, si nos tibi credere velis, quòd à Deo patre redemptor missus sis. Ita verò egregiè seipsos produnt, quòd non alio quàm ventris & gulæ studio religionis zelum profiteantur. Cùm enim infinitis alijs signis vocationem suam Moses probauisset, illi tamen omnibus præteritis hoc vnum allegant, quod ipsorum gulositati seruiebat. Similiter cùm Christus multa fecisset hactenus, quæ non nisi diuina virtute fieri poterant, & quæ (vt Nicodemus rectè obseruarat) illum à Deo missum esse testabantur: omnibus tamen contemptis, ignauum otium & gratuitas epulas sibi quotidie exhiberi cupiunt. Vides hîc carnis ingenium, quæ in religione (vt supra diximus) sua modò quærit. Potest hæc initiò prauos suos affectus egregiè dissimulare: at vbi arguitur & paulò seuerius accusatur, mox sese prodit. Et primò quidem in dubium vocat doctrinam, quam paulò ante probabat: cumque non aliter eam cauillari possit, signa quærit, quibus vt olim confirmetur. Deinde patrum exemplo sese tuetur, à quo discedere plerisque nefas putatur. Praterea scripturas quoque in medium adducit, sed truncatas, & ea duntaxat ex illis decerpit, quæ corruptis affectibus arrident: quod istos in præsenti fecisse constat. Si enim Psalmum 78. ex quo istud mannæ encomium desumpserunt, propius inspexissent, mox vidissent, se non alio loco scripture magis damnari, adeoque se maiorum suorum simillimos esse, quorum mores illic spiritus sanctus grauissimè accusat, & posteros ab illorum imitatione dehortatur. Fiunt huius generis multa quotidie. Prædicatur eadem verbi doctrina, quam olim prophetæ & Apostoli tradiderunt. Confirmatur ea signis & exemplis pluribus, quæ in huius hostes fiunt. Sed quasi nihil horum fiat, plerique eam in dubium vocant, & signa nescio quæ alia requirunt. Et ne quid proteruius facere putentur, patres suos subinde in ore habent, & scripturis improbè detortis sua commenta defendunt. Prodest ergo vetera exempla obseruare, quæ hoc mundi ingenium esse docent, ne ista hominum improborum proteruia offendamur.

Christus à Mose Iudæos ad se reuocat.

Quid verò Christus? Adhuc quidem amicè, sed tamẽ grauiter respondet. Nam vt inanem hanc cõfidentiam retundat, qua efferebantur, docet illos frustra in Mose id quærere, quod ille nõ habeat, neq; præstare possit. Sic autem ait: Amen amen dico vobis, nõ Moses dedit vobis panem illum cœli, sed pater meus dat vobis panem illum cœli verum. Panis enim Dei hic est, qui de cœlo descendit, & dat vitam mundo. Primùm asseueratione vtitur, quia difficile est eos ab instituto reuocare, quos veteres errores semel imbiberunt, maximè, si patrum authoritate illi confirmentur. Deinde duplici collatione eos conuincit, cuius altera parte Mosem & Deum, altera verò manna & verum panem cœlestem inter se confert, vt ostendat illos frustra de patribus & manna disputare, cùm ipse cibum longè excellentiorem polliceatur. Argumentum verò ex definitione ducit eiusmodi: Panis Dei is est cœlestis est, qui à patre cœlitus datur, vt vitam det mundo, id est, omnibus cuiuscunq; loci aut gentis sint, qui illum vera fide recipiunt. Atqui manna nihil horum habuit, quia non ex cœlo, sed nubibus descendit, nec toti mundo, sed patribus modò alimentum præbuit, idque non ad vitam æternam, sed mor-

sed mortalem hanc, quam pleriq; illorum infeliciter finierunt. Ergo manna non est verus ille panis, de quo nunc agimus. Neque hic quenquam moueat, quòd Paulus manna escam vel cibum spiritualem vocat. 1. Cor. 10. Sic enim vocat propter typum Christi, quem gerebat: cùm interim quoad suam essentiam, cibus esset carnalis, qui absq; fide sumptus animarum saluti nihil conferebat.

Christus panis uitæ.

Est autem locus hic diligenti consideratione dignissimus. Quia enim Christus se panem illum cœli verum esse testatur, qui dat vitam mundo, rectè hinc colligimus, mundum totum morti obnoxium, imò mortuũ fuisse: nimirùm per delicta, vt Paulus exponit. Vitam verò in Christo nobis offert Deus, neque vllus alius vspiam traditur, in quo illa contingat. Vita igitur carent & adhuc in morte detinentur, quicunq; Christo nondum vniti sunt aut insiti per fidem. Neq; habent ijdem, quod suæ incredulitati prætexãt. Quia enim è cælo descendit Dei filius, vt panis ille fieret, nosq; pasceret ad vitam æternam, venia nulla digni sunt, quicunq; illum superstitiose aut improbè fastidiunt. Frustra quoq; illi vitã hinc inde quærunt, quam propè se habent, & quã ex gratia omnibus Deus offert.

Ratio ministerij et sacramentorum.

Docet præterea locus hic, quid de ministris & externis omnibus iudicari debeat. Fuit Moses fidelis seruus in domo Domini. Fuerunt item sacra, quæ per illum Deus instituit, typi rerum futurarũ atq; cœlestium, imò quoad significationem & vsum, eadem fuerunt cum nostris, quemadmodũ Paulus in loco supra citato admonet. Attamen nec ipse Moses panem vitæ verum dare potuit, neque manna illis profuit, qui illo absq; fide vescebantur: quod ipsum de circuncisione, de arca fœderis, de sacrificijs, & de toto illo cultu Leuitico dici potest, sicuti prophetarum sermones non vno loco testantur, in quibus Deus hæc omnia reijcit. Distinguamus ergo inter ministros & Deum, inter signa item & res signatas. Sunt quidem ministri dispensatores mysteriorum Dei: sed ijdem saluos facere non possunt, neq; frugiferum erit illorum ministerium, nisi Deus incrementum dederit. 1. Cor. 4. & 3. Sic sacramenta quidem inania non sunt, sed verissima promissionum Dei & beneficiorũ in Christo exhibitorũ sigilla sunt: eadem tamẽ non prosunt ijs ad vitam, qui illis sine fide vtuntur. Quia illi Christo carent, qui non alia ratione, quàm per fidem recipitur. Confutantur ergo simul, qui hodie in Cœna ipsum Christum ab indignis quoq; manducari contendunt. Atqui Moses indignis nihil præter externum manna conferre potuit: multò minus igitur nos qui illo sumus longè inferiores. Vel num ipsum Christum mortis authorem facere volumus, qui se panem vitæ esse profitetur, & qui omnes sibi insitos manere postea dicet, qui ipsum manducauerint? Omissa ergo superstitiosa externorum fiducia, ipsum Iesum Christum fide amplectamur, qui solus ad vitam æternã nos alere poterit. Ipsi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.

HOMILIA LI.

Dixerunt ergo ad eum: Domine, da nobis semper panem istum. Dixit autem eis Iesus: Ego sum panis ille uitæ: qui uenit ad me, nõ esuriet: & qui credit in me, non sitiet unquam. Sed dixi uobis, quòd etiam uidistis me, nec creditis. Quicquid dat mihi pater, ad me ueniet: & eum qui uenit ad me, non eiicio foras. Quia descendi è cœlo, non ut faciam uoluntatem meam, sed uoluntatem eius qui misit me. Hæc autẽ est uoluntas eius qui misit me, patris, ut quicquid mihi dederit, non perdam ex eo, sed suscitem illud in nouissimo die. Hæc, inquam, est uoluntas eius qui misit me, ut omnis qui uidet filium, & credit in eum, habeat uitam æternam, & ego suscitabo eum in nouissimo die.

Simplex quidem & explicatu facilis est nostræ salutis ratio, hominum verò curiositate & improbitate fit, vt quæstionibus absurdis & obscuris intricetur: dum aut carnalia multi quærũt sub illius prætextu, aut odiose in alium sensum detorquent, quæ perspicuè & simpliciter dicuntur. Exemplum huius euidens in præsenti tractatione habemus. Cùm enim Christus Iesus populum Iudaicum, qui ventris studio ipsum sequebatur, hortatus esset, vt cibum cœlestem & nunquam periturũ quæreret, et hoc illos potituros dixisset, si ipsum fide vera amplectãtur: mox illi patres obijciunt, qui Mo

sem secuti manna cœlitus acceperint. Qua obiectione vt se adhuc gulæ deditos esse produnt, ita simul euincere conantur, eam religionem ad salutem consequendam sufficere, quam per manus maiorum suorum à Mose acceptam hucusq; sint secuti. Respondit ad hoc Christus, & disertè docuit, se de alio cibo excellentiori loqui, quem nemo hominum dare possit, sed qui cœlitus veniat, & vitam omnibus conferat, qui illum fide recipiunt. At ne sic quidem illi quiescunt, sed nouis obiectionibus occasionem præbent Christo clarius adhuc de isto mysterio disputandi, sicuti hoc loco & deinceps audiemus.

Iudæi Christum panẽ uitæ promittentem deridẽt.

Respondent enim Christo: Domine, da nobis semper panẽ istum. Id verò per Ironiam ab illis dictum esse, ex sequentibus patebit, vbi illos murmurauisse & turpiter defecisse audiemus. Idem ergo dicunt, quod Samaritana, quæ Christo aquam vitæ pollicenti respondebat per ludibrium: Da mihi aquam istam, vt non sitiam, neq; veniam huc ad hauriendum. Ita isti, Da nobis (aiunt) panẽ istum semper, ne scilicet nostro labore & impensis victum nobis parare cogamur. At quia hoc ab ipso præstari non posse putant, illius promissionẽ ista petitione deridẽt. Et Samaritide peiores sunt, quia à Domino reprehensi & admoniti, non tamen illi cedunt, sed in sua ista improbitate contumaciter pergunt. Nos autem horum exemplo docemur, quales tandem fiant, qui Christum ex carnis affectu sequuntur. Videntur initiò bene affecti esse, & salutis negotium seriò agere. At vbi doctrinam euangelij prauis suis desiderijs minimè conuenire sentiunt, illusores fiunt, & Christi præcepta simul atq; promissiones scurriliter rident. Talem olim Iulianũ fuisse constat, qui cùm simulato religionis Christianæ studio ad imperium venisset, totus in hoc fuit, vt Christianam fidem, quam armis frustra oppugnari videbat, vafris & scurrilibus præceptorũ Christi expositionibus, vel potius impiè deturpatis, omniũ ludibrio exponeret. Si qui enim iniurias passi apud illum querebantur, illos hoc cõtra Christi leges facere respondebat, qui dixisset: Ne resistatis malo: sed si quis te percusserit in dextram tuam maxillam, obuerte ei & alteram: & si quis te velit in ius trahere, & palliũ tuum auferre, permitte illi & tunicam, &c. Imitantur hunc hodie magistratus quidam, qui quos defendere debebant, sub patientiæ Christianæ prætextu turpiter deserunt. Qui item charitatis lege abutuntur, ne cui quod debent persoluant, ab alijs verò præter ius & æquũ quæuis exigunt. Proximè tamen ad Capernaitas accedunt, qui vbi promissiones Christi de gratia Dei, de pace, de vita æterna audiũt, mox eas secundùm literam de temporaria felicitate exponunt, & nisi omnia votis ipsorũ respondeant, easdem scurrilitate impudenti rident, & ministris in faciem dicunt: Quando tandem promissam illam Dei gratiam nobis exhibetis? Vbi pax illa & felicitas, quam toties polliciti estis? Adhæc cum ludibrio exclamant: Egregius verò Dei fauor, & egregia pax, quotidianis afflictionibus exerceri, exulare, egere, &c. Egregia vita inter media mortis pericula perpetuò versari, & mortem quasi secum semper circunferre, &c. Rident isti & cum sibilo reijciunt quæcunq; de cœlis & inferis atq; vita æterna dicuntur. Sed vt postea audiemus, sunt hi ferè ex reproborũ numero, & olim magno suo malo experientur vera esse, quæ nunc suauiter deridere solent. Quare omissis illis, ad Christi responsionem accedamus, quæ tribus omnino partibus constat.

Christus panis uitæ uerus est.

Prima rem omnẽ breuiter & dilucidè comprehensam proponit, & quàmuis acriter reprehendi mererentur, à doctrina tamen orditur, vt & peruicacia ipsorũ magis appareat, & suo exemplo doceat, cum reprobis quoq; ita agendum esse, ne de cælata veritatis doctrina conqueri possint. Dicit autem: Ego sum panis ille vitæ: qui venit ad me, non esuriet: & qui credit in me, non sitiet vnquã. Quibus verbis tria potissimùm agit. Primò se panem illum esse fatetur, de quo hactenus dixerat: panem nimirùm vitæ, id est viuificum, qui è cœlo descenderit, vt vitam mundo conferat. Insistit autem parabolæ quam cœperat, non tam quòd ex miraculo quinque panum & præpostero Iudæorum studio disputationis huius occasio enata fuit, quàm quòd ea plus quiddam cõtinet, quàm si simplici dicendi genere vsus se vitæ & salutis authorẽ dixisset: & eadem mysterium hoc animis nostris fidelius commendat. Simul enim conditionis nostræ nos admonet, quam hic obseruari admodum necesse est. Constat homo corpore & anima: & illud quidem ex terra originem ducit, hanc autem Deus illi inspirauit. Et quia vtraq; pars vitam non ex seipsa habet, cibo & alimento aliunde petito sustentetur oportet. Et corpus quidem, quia terrenum est & mortale, cibo etiam terreno atq; corruptibili in hac vita conseruatur, quoad Deo visum fuerit. Anima verò, quia spiritus est immortalis & incorruptibilis, non alio quàm spirituali, immortali & incorruptibili, adeoq; diuino cibo, ali atq; conseruari potest.

Et

Est Iesus Christus, verus & æternus Dei filius, qui è cœlo descendens homo factus est, vt nobis vnus cibus noster ad vitam æternam fieri posset. Et quia idem Deus & homo est, toti etiam homini, quoad corpus & animã, ad vitam æternam hoc præstat, quod cibus terrenus soli corpori in hac mortali vita præstare solet. Nam vt panis terrenus corpori vires nouas sufficit, illud alit, vegetat atq; sustentat: Ita Christus animam nostram viribus plus quàm humanis instruit, quibus peccato & diabolo resistere, ad cœlestia aspirare & opera verè diuina operari possit: alit præterea eandẽ & confirmat, ne inter pericula huius vitæ succumbat, sed æternæ & cœlestis vitæ spe sustentetur. Adhæc corpus quoq; conseruat, vt in terram & puluerem reuersum non tamen pereat æternùm, sed nouissimo die ad cœlestis & æternæ vitæ hæreditatem resurgat. Et hic quidẽ panis vitæ solus Christus est, sicuti ex eius definitione, quam nuper audiuimus, & quam posteà repetet, euidentissimo argumento colligi potest. Nam panis vitæ est, qui de cœlo descendit, vt det vitam mundo. Solus autem Christus è cœlo descendit, vt nobis vitæ author esset. Ergo solus hic panis vitæ est. Est hoc inter nostræ fidei principia non postremum, de quo nos seriò cogitare decet, quoties panem terrenum sumimus, vt eo corpora nostra reficiantur. Et qui mysteriũ hoc qua decet religione expendunt, ijs non mirum videbitur, Christum figuratis & parabolicis locutionibus vti voluisse: sed potius bonitatẽ eius exosculabuntur, qua se ad nostri captus imbecillitatem demisit, & de salute nostra cogitandi occasionem prabuit, quæ quotidiè in oculos nostros incurrit, nosq; ad horum consideratione excitat.

Quomodo Christus panis vitæ, manducetur?

Secundò quia cibus non prodest, nisi manducatus nobis quasi vniatur, rationem & modum tradit, quo panis huius cœlestis participes reddamur. Qui venit ad me (inquit) nõ esuriet, & qui credit in me, non sitiet vnquam. Duo dicit, quæ hic fieri oportet. Primum est, vt ad ipsum veniamus. Sic apud Matthæum clamat: Venite ad me omnes qui laboratis, &c. Et infra Cap. 7: Si quis sitit, veniat ad me & bibat. Non autem de eo loquitur, vt pedibus iter ingressi corpore ad ipsum contendamus. Ita enim ad ipsum conuenerant isti, quibus cum hic agit, & quos nihil ex eo fructus percepisse, historiæ huius exitus docebit. Ad eum verò modum nos illum accedere nõ possumus, cùm corpus suũ exteris in cœlum subduxerit, & alibi prohibeat illis fidem habere, qui ipsum certis in locis monstrare audent. Similiter neq; de externa fidei professione hoc debet intelligi qua multi (vt apud prophetam ait) ore & labijs ipsi appropinquant, quos tamen ille non agnoscit, eò quòd corde procul ab illo absint. Ergo de animi voluntate & desiderio, quo ad Christum percipiendũ ferimur atq; aspiramus, hoc exponi debet. Oritur hoc ex salutis cupiditate, quam (vt parabolæ propositæ ipsi quoq; insistamus) animæ famem & sitim dicere possumus: & qua in salutis negotio quàm maximè opus est. Quemadmodum enim cibus & potus corporis ijs modò salubris est, quorum appetitus fame & siti naturali prius ad ea percipienda acuitur, eadem verò nauseabundis vehementer nocent: Ita Christum Iesum nulli rectè & salutariter apprehendunt, nisi quorum animos spiritualis illa & sancta fames atq; sitis, id est serium æternæ salutis desideriũ accendit. Hi enim soli in fidei & religionis causa seriò agunt, cùm reliqui vel omnẽ illius mentionem nauseabundi fastidiant, vel vt delicatuli & voluptuarij solent, in ea nouas delitias quærãt, & omnia ad carnis suæ libidinem accõmodent. Inflammantur autẽ salutari hac fame & siti, qui peccata sua verè agnoscunt, & suæ simul infirmitatis sibi conscij, se Christi merito opus habere intelligũt in quo solum Deũ nobis reconciliari vident. Prodest ergo legis speculum frequenter intueri, & ad huius regulam mores nostros, imò etiam vires nostras examinare: & mox nos miseros & morte dignos esse sentiemus. Inde verò ad euangelij promissiones accedamus, & Christum audiamus, qui laborantes, esurientes & sitientes ad se vocat, sicq; confestim eius assequendi desiderio totis animis accendemur. Quia verò istud ad salutem non sufficit, alterum adhuc requirit Christus, vt nimirũ in ipsum credamus. Opus hic primùm historica eius cognitione, vt ex animo & verè talẽ esse sciamus atq; credamus, qualẽ scriptura proponit: Verum scilicet Dei filium & patri coæternum, qui secundùm promissiones ex æterno patris cõsilio homo factus, propter nos mortem subierit, vt peccata nostra expiaret, resuscitatus autẽ mortis imperiũ dissoluerit, ascensione sua cœlos nobis patefecerit, & ibi nunc cum patre regnet Rex & Sacerdos noster æternus, qui nouissimo die in nubibus cœli venturus sit ad iudiciũ, vt suos quidem anima & corpore in beatæ immortalitatis consortium recipiat, impios autẽ ad inferos detrudat, vbi æternis cruciatibus cum diabolo mulctentur. Accedat huic cognitioni & fidei historicæ certa animi fiducia, qua nobis talem esse

credamus, & proinde salutis spem omnem in ipso vno & solo collocemus. Hæc illa fides est, quam scriptura passim commendat, & hæc eadem vnica est ratio, qua Christus editur & bibitur, id est qua hic apprehenditur, vt nobis salutaris fiat, nosq; ad vitam æternam pascat & alat. Vnde D. Augustinus rectè dicebat: Vt quid paras dentes & ventrem? crede, & manducasti. Confutantur itaq; hoc loco, qui de carnali Christi præsentia in Cœna, & eiusdē manducatione, quæ ore & dentibus fiat, hodie rixantur: & Nicolai Papæ Canonem probant, in quo Berengarius fateri coactus fuit, corpus Christi non in sacramento solùm, sed sensualiter & in veritate, manibus sacerdotū tractari & frangi, dentibusq; fideliū atteri. Quod quàm craſsè & impiè dicatur, Canonis illius interpres vidit, cuius hæc verba sunt: Nisi sanè intelligas verba Berengarij, in maiorem incides hæresim, quàm ipse habuit. At inter euangelicæ doctrinæ instauratores reperti sunt, qui contendendi libidine abrepti ausi sunt glossam hanc (vti vocant) damnare, & Canonis verba simpliciter & absolutè tueri. Clamant illi, nos perperam facere, qui huius loci disputationē ad Cœnam transferamus, cùm nulla huius rei mentio fiat, imò ne instituta quidem fuerit Cœna, cùm hæc dicerentur. Quod vt libenter fatemur, ita illi nunquam negare poterunt, hoc Cap. de Christo vero cibo vitæ & eius manducatione ex professo disputari. Quia ergo de eadem nobis contentio est, non possumus nō ad ipsum Christum respicere, qui nusquam alibi euidentius causam istam tractauit. Neq; negamus, in Cœna sacramentale quoq; manducationē fieri: sed quia hæc non prodesse solet, nisi spiritualis illa accedat, frustra illi pro sacramentali digladiantur: nec video qua ratione excusari possint, qui propter eam charitatis vinculum abrumpunt, quo omnes eos constringi oportebat, qui eundem Christum profitentur, & eius corpus atq; sanguinem fide vera percipiunt.

De Consecrat. dist. 2. Cap. Ego Bereng.

Fructus manducationis Christi

Sed tertium huius sententiæ caput videamus, quo fructum manducationis istius veræ Christus exponit. Non esuriet (inquit) neq; sitiet vnquam. De pane loquens, sitim quoq; per hunc restingui ait. Quo dicto docet, se plenissimè nobis sufficere ad omnia, quæ nostræ saluti seruiūt: adeò, vt qui ipsum fide vera amplexus sit, nihil præterea requirat siue desideret. Videtur autem ad Isaiæ vaticinium respicere, qui de Christo liberatore & læta sub hoc piorum conditione loquens, inter alia sic ait: Ad vias pascentur, & in omnibus verticibus eminentioribus erunt pascua eorum: Non esurient, neque sitient, &c. Isa. 49. Impletur hoc primò quoad cōscientiam. Quia enim credentes Deum sibi in Christo reconciliatum esse norunt, nullis peccati terroribus consternantur, cùm illum dicentem audiant, Ego ego ille ipse sum, qui deleo transgressiones tuas, idq; propter me, & peccatorū tuorum non recordabor. Item: Si peccata vestra fuerint vt coccus, niue reddentur albiora: si rubeant instar purpuræ, vt natiua lana fient. Isa. 43. & 1. His & similibus promissionibus cōfirmati, cum Paulo dicunt: Quis incentabit crimina aduersus electos Dei? Deus est qui iustificat, quis ille qui condemnet? Christus est, qui mortuus est, qui & suscitatus est, qui etiā est ad dextram Dei, qui & intercedit pro nobis, &c. Deinde in aduersis quoq; hæc Christi virtus sese exerit. Nec enim afflictionibus vllis succumbere possunt, qui Deum sibi propitium esse, & proinde non ab illo irato, sed salutis ipsorum cupidissimo illas immitti sciunt. Rursum ergo cum Apostolo aiunt: Iustificati ex fide, pacem habemus erga Deum per Dominum nostrum Iesum Christum: per quem etiam fide habuimus aditum in gratiam hanc, in qua stamus, & gloriamur sub spe gloriæ Dei. Neq; id solum, sed etiam gloriamur in afflictionibus, scientes quòd afflictio patientiam operetur, patientia verò experientiam, experientia autem spem: porrò spes non pudefacit, quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, &c. Et rursum: Quis nos separabit à dilectione Christi? Num afflictio? num angustiæ? num persecutio? num fames? num nuditas? num periculum? num gladius? Imò in his omnibus plus quàm victores sumus per eum, qui dilexit nos, &c. Rectè ergo dicit Christus, quod qui ad ipsum veniunt & in ipsum credunt, neq; sitiant amplius, neq; esuriant. Nam etsi ad cœlestē vitam aspirent, & dissolui cupiant, vt sint cum Christo, nulla tamen conscientiæ carnificina exagitantur, quæ illos salutē hinc inde quærere cogat: sed vno Christo contenti sunt, in quo plenum & inexhaustum gratiæ Dei & salutis fontem sibi apertum esse sciunt. Miseri ergo & infelices sunt, qui hoc relicto cisternas pertusas & aquantes fodiunt, & magnis impensis atq; laboribus ea quærunt, quæ nec famem animarum neq; sitim sedare possunt. Fit hoc vulgo hodie inter Christiani nominis professores, vt non minus illis conueniat, quod de Iudæis olim querebatur Deus, qui ipso relicto ad falsos Deos & inanes superstitiones cōuer-

tebantur

tebantur. Isa. 55. Iem. 2. Et tolerabilis videri poterat istorum cæcitas, nisi multi eorum eò vsque progrederentur, vt plures alios eadem facere cogant, & inuitos à Christo ad inanes fœdasq; superstitiones abducant.

Iudæorum pertinacia accusatur.

Transeamus nunc ad secundam huius loci partem, qua Iudæorum incredulitatem & insuperabilem in respuenda salute contumaciam accusat & corripit. Sic verò ait: Sed dixi vobis, quòd etiam vidistis me, nec creditis. Sensus verborum hic est: Quid frustra laboro in vobis instituendis? Atqui satis noui vos incurabiles esse, & iam pridem prædixi, vos quàmuis me videatis, non tamen creditu ros esse. At Christum vidisse dicuntur, quia signa per illum edita viderãt, in quibus diuina eius virtus palàm elucebat, & quorum consideratio ipsos coegerat, vt & Messiam esse profiterentur, & regem creare vellent. Erat ergo voluntariæ & incurabilis indurationis argumentum, quòd nũc veri Messiæ officio fungentem & vitam ipsis tam liberaliter offerentẽ scurriliter reijciebant. Prædixerat hoc fore Christus olim per prophetas, maximè per Isaiam qui Cap. 6. voluntariã hanc Iudaici populi excæcationem, in visione sibi reuelatam prolixè describit. Et eòdem pertinent, quæcunque apud prophetas de Iudæorũ repudio & gentium vocatione leguntur. Idem Ioannes Baptista monuerat, quando Deum ex lapidibus filios Abrahami excitaturum dixit, securim verò iam nunc ad radicem arboris positam esse, qua ipsi excidantur, qui steriles & infrugiferi esse pergant. Quin ipsum Christum nuper illis dixisse audiuimus: Ego veni in nomine patris mei, & non recipitis me: si alius venerit nomine suo, illum recipietis. Hæc & alia huius generis nunc illis in mentẽ reuocat, & hanc contumaciam exprobrat, quia hæc præcipuè obstat, quò minus apud nos proficiat euangelij doctrina qua salus & vita nobis annunciatur. Deinde ideo quoque eam frequentius accusari & argui opus est, ne quis doctrinæ vitio hoc fieri arbitretur, quòd pauciores ad Christũ accedunt. Idem enim de nouissimi temporis hominibus similiter prædictũ est, quod hic Iudæis Dominus obijcit. Isaias certè de toto Christi et redemptionis nostræ negotio vaticinaturus, ab hac querela orditur, quòd pauci futuri sint, qui huic fidem adhibeant. Quis (inquit) credidit auditioni, id est prædicationi nostræ, quam ex spiritus reuelatione didicimus? & brachium Domini cui reuelatum est? Et in euangelio Christus nouissimis seculis securum doctrinæ et omnium admonitionum contemptum tribuit, & fidem in terris raram fore testatur. Vbi simul probè tenendum est, hoc omne hominum vitio fieri, & hos sibijpsis fui exitij authores esse. Nam reuelat illis regni sui mysteria Deus, & ea perspicuitate euangelium passim prædicatur, vt (quod de Galatis suis Apostolus dicebat) Christũ omnes ante oculos suos crucifixum intueri possint. At quia naturali corruptione omnes infecti sunt, plerique nec verbi prædicationem admittunt, nec spiritus sancti suggestionibus cedunt, sed carnis suæ desideria sectantur, quæ ipsos à salutis via transuersos abripiunt. Itaq; semper ratum manet, & omnium nationum hominibus accommodari potest, quod Israelitis per Hoseam dicit Dominus: Ex te Israel perditio tua, salus autem tua ex me est.

Contumaciæ deploratæ argumentum.

At simul hic meminerimus, eam demum pernicioſissimam & deploratam esse contumaciã, qua indurati ea etiã credere nolumus, quæ in oculos & sensus nostros incurrũt, neq; vlla honesta aut saltem probabili ratione negari possunt. Fit hoc in religione frequenter: & Iudæorum istorum hodie simillimi sunt, qui cùm Christi nomẽ profiteantur, & huius seruos apostolos atq; martyres magnificè prædicent, simul tamen fidem Christi & apostolorum doctrinam ferrè nolunt, & huius sectatores horribiliter persequuntur. Qui quàm procul absint à peccato in spiritũ sanctum, ipsi viderint. Illud certè negari non potest, illos proprio ore seipsos damnare, quoties Christi nomen iactitant, & pro Diuorum honore & cultu aduersus nos odioſissimè contendunt. Si enim Christum agnoscunt Dei filium esse, qui nobis à patre redemptor & mediator cõstitutus sit, cur non illo contenti sunt qui omnes laborantes ad se solum inuitat, & cuius verba sunt: Ego sum via, veritas & vita: nemo venit ad patrẽ nisi per me? Si tanti faciunt Diuos, cur eam doctrinam & fidem persequuntur, quam illi prædicarunt, & sanguinis sui testimonio confirmarunt? Cur illis nouos quotidie socios adijciũt, quos propter eiusdem fidei confessionem non minori crudelitate occidunt, quàm olim Romani Imperatores, Vandali item & reliqui ecclesiæ veteris hostes fecêre? Sequuntur hos proximo gradu, qui cùm quotidie videant prouidentiæ & iustitiæ atq; bonitatis Dei exempla, quæ sæpe inuitis quoq; aliquam veritatis confessionem extorquent: nihilominus tamen vbi in cupiditatibus suis incaluerunt, hæc omnia in du

bium vocant, imò non obscurè negant, & aduersus Deum indignis planè modis murmurant. Adhis, qui cum non modò in aliorum hominum exemplis discant, verumetiam in semetipsis non sine dolore experiantur, quàm sæua & noxia peccati pestis sit, quanta omnis generis malorum seges ex amritiæ studio, ex ebrietate & intemperantia, ex stupris & vagis libidinibus proueniat: pergunt tamen in his pœnitere nescij, & insuper fidos atq; amicos monitores odijs implacabilibus exercent. Vident isti omnes & sentiunt quid fieri vel caueri debeat, non tamen credunt: imò licet interdũ conscientiæ testimonio conuicti credant, & quod verũ est fateantur, incurabiles tamen manent, & ex eo laudem vænantur, si nec ministrorum fidis monitionibus cedat, neq; magistratuũ legibus obtemperent, sed res omnes pro sua libidine instituant. Licet illis aduersus Deum pugnare, sed illius iustitiam & potentiam vincere nunquam poterunt, qui vbi mensuram iniquitatis suæ impleuerunt, sui iudicij rotrem in illos profert, & sæpe infernalibus furijs eos exagitari patitur, vt horrenda iustitiæ ipsius exempla fiant, qui gratiæ & gloriæ vasa esse noluerunt.

Respondet obiectionibus quæ ex hominum incredulitate enascuntur.

Sequitur tertia huius loci pars, qua per Anthypophoram cogitationibus occurit, quæ multis obrepunt, quando incurabilem hanc mundi contumaciam vident. Equidem tunc nonnulli dicere poterant: Si qui Messiam viderunt & adhuc vident, non credunt, quid fiet de alijs, quibus illum nec cuiàm videre neq; audire datur? Vnde ergo suam ecclesiam ille colliget? Vel num Iudæorum incredulitas Dei promissiones irritas faciet, & promissum illud Messiæ regnum remorabitur? Occurrunt hæc & alia huius generis hodie frequenter ijs, qui adhuc infirmiores sunt, & ijdẽ sæpe in astutos cauillatores incidunt, qui argumentum hoc mirificè amplificare possunt, vt Christi regnum extenuent & multorum fidem labefactent. Addunt his nonnulli: Cur ista fieri patitur Christus? Cur non omnes quoq; credere cogit, cùm ipsi omnis potestas data sit in cœlo & in terra, idemq; nouas mentes fingere & hominum voluntates pro suo arbitrio mutare possit? Cæterum his omnibus respondet Dominus, sic dicens: Quicquid dat mihi pater, ad me veniet: & eum qui venit ad me, nõ eijcio foras. Quod diceret: Etsi vos in vestra contumacia, vt dignum est, pereatis, nihil tamen regno meo decedet: neq; etiam necesse est, vt vel vos vel alios quoscunq; violenter cogam. Iam olim enim priusquã mundum hic conderetur, eos prædestinauit & elegit pater, quos mihi daret, & quos vbi tẽpus esset adduceret, vt voluntarij ad me accedant & iugum meum sponte in se suscipiant. Et hos ego omnes recipiam benigne, nec modò recipiam, verumetiam fideliter seruabo, vt nec ipse eos foras eijciam, neq; alicuius astutia vel temeritate mihi patiar eripi. Vtq; firmior ac certior apud nos esset huius promissionis veritas, causam siue rationẽ subijcit, qua illam confirmat: Quia descendi è cœlo, non vt faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me. Quæ verba non curiosè diuexanda sunt, quasi quod salutis nostræ negotium, alia patris, alia filij voluntas sit. Nam humano more loquitur, vt se bonæ fidei legatum esse ostendat, qui non aliud spectet, quàm vt sibi commissum munus dignè exequatur, adeoq; non aliam sibi voluntatem esse, quam quæ patris sit, & nihil aliud quærere, quàm vt ea suum effectum habeat. Et mox voluntatem hanc prolixè exponit, sic dicens: Hæc autem est voluntas eius, qui misit me patris, vt quicquid mihi dederit, non perdam ex eo, sed suscitem illud in nouissimo die. Et ne dubium sit, de quibus loquatur & ad quos promissio ista pertineat, per expositionem subijcit. Hæc, inquam, est voluntas eius, qui misit me, vt omnis qui videt filium & credit in eum, habeat vitam æternã, & ego eũ suscitabo in nouissimo die. In eum finem verò hæc dicit, vt omnes intelligent, nunquam defuturos qui ad ipsum per fidem accedant, neq; se defuturum suo officio, quò minus tam in hoc quàm in futuro seculo eos seruet, qui ad ipsum accesserint. Estq; locus hic multa cõsiderationis dignissimus, qui multa continet, quibus in fide vera institui & confirmari possumus.

Hominũ incredulitas Christi regno nihil derogat.

Primò enim docemur, regno & gloriæ Domini nostri Iesu Christi nihil decedere, licet maior hominum pars illum reijciat. Habet enim Deus electos suos vbiq; terrarum, & in quouis hominũ genere: quos cum ipsi videtur trahit, & præter omnem expectationẽ in ijs locis ecclesias constituit, vbi nulli esse putabantur, qui ipsum reciperent. Viderunt hoc, & quidem cum dolore maximo, Iudæi magnates & qui horum partes tuebãtur. Nam etsi consilia sua & vires omnes in eum finem dirigerent, vt Christi doctrina in ipsa quasi herba extingueretur, obstare tamen non potuerunt, quò minus ipsis intuentibus Hierosolyma ecclesia colligeretur, quæ paulò post incredibili successu per totam Iudæam propagata fuit. Quod ipsum inter gentes etiã factum est. Quàmuis enim has sub tenebrarum potestate

potestate diabolus multis seculis detinuisset, & tunc temporis orbem terrarum sub suo imperio haberent Romani, qui veteres superstitiones pertinaciter tueri & nascentem Christi fidem sua authoritate & armis extinguere conabantur: vbique tamen locorum reperti sunt, qui Apostolos audirent, Euangelio ab ipsis prædicato crederent, & posito omni metu cœtus sacros instituerent, & fidem in Christum publicè profiterentur. Neq; hoc plebei modò & nullius iudicij homines fecerunt, sed inter philosophos, proconsules, prætores & alios summæ authoritatis viros reperti sunt, qui relictis superstitionibus Christo accederent: quales in Actis leguntur Cornelius Centurio, Paulus Sergius Cypri proconsul, Publius Melitæ præses, Dionysius Areopagita & infiniti alij; vt iam de Neronis aulicis nihil dicam, quorum mentionem Paulus facit ad Philippenses, & ijs, qui (vt Ecclesiastica historia docet) sub Imperatoribus crudelissimis fidem Christianam constanter professi sunt. Et huius generis exempla hodie multa vidimus: quorum omnium hic nobis vsus sit, vt primùm non desperemus de regno Christi & ecclesia, licet hostes vndique insurgant: deinde ne putemus regnum illud vlli loco vel genti alligatum esse, & nosipsos inani spe lactemus, quasi nobis reiectis ecclesia simul omnis cum vniuersis promissionibus Dei ruitura sit. Potest enim hanc vbiq; terrarum instaurare Christus, & passim inueniet, qui ipsum vera fide recipiant.

Continetur præterea his verbis tota nostræ salutis ratio, cuius hæc sunt capita. Primò offert hanc nobis Deus in Christo Iesu, in quo nos ab æterno elegit ex mera gratia. Perfecta autem est salus ista, eo quòd in Christo perfectè habemus omnia, quæ nobis necessaria sunt. Ipse enim nobis à Deo factus est iustitia, sapientia, sanctificatio & redemptio. Et quia hæc omnia solus habet, in solo etiam illa salus inuenitur, cuius consortes nunquam erunt, qui ad ipsum accedere dedignantur. Deinde, qui nam ad ipsum accedant & salui fiant, indicatur. Hi nimirum, quos illi pater dedit. Sunt hi, quos priusquàm mundus hic conderetur, Deus prædestinauit. Eos enim, vbi tempus est, vocat, ipsi verò vocantem sequuntur, & ipsum fide amplexi iustificantur & ei conformes fiunt. Describit ordinem hunc egregiè Paulus ad Romanos octauo his verbis: Quos præsciuit, eosdem & prædestinauit conformes fieri imagini filij eius, vt is sit primogenitus inter multos fratres. Quos verò prædestinauit, eos etiam vocauit: & quos vocauit, eos etiam iustificauit: quos autem iustificauit, hos etiam glorificauit. Facit autem ad salutis certitudinem, quòd Christus ad se venientes benignè suscipit, sicuti exempla infinita testantur publicanorum, meretricum, phariſæorum, qui ad eum accesserunt. Nec recipit modò, sed nihil ex eis perdit. Est enim bonus ille pastor, qui in læta verbi sui pascua oues suas deducit, errantes à via reducit, conscientiæ terroribus oppressas erigit: tandem verò vbi vitæ finis adest, animas illorum ad se recipit, corpora autem in nouissimo die ijsdem restituit, vt tam corpore quàm anima regni sui gaudijs fruantur, qui ipsi crediderunt. Est ergo salus nostra certissima & perfectissima. Principium eius est ex voluntate Dei æterna & impermutabili. Mediator autem is, cui omnis potestas data est in cœlo & in terra. Is quia eiusdem cum patre voluntatis est, sibi ab hoc datos ceu depositum quoddam pretiosissimum fidelissimè custodit. Ad hunc ergo accedamus, & neque diaboli illecebris, neque huius mundi terroribus nos superari patiamur, vt ab eo discedamus, qui solus nobis ad omnia sufficit. Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

Cõpendium salutis humanæ.

HOMILIA LII.

Murmurabant ergo Iudæi de eo, quia dixerat: Ego sum panis ille, qui è cœlo descendi. Et dicebant: Nónne hic est Iesus, filius Ioseph, cuius nouimus patrem & matrem? Quomodo ergo dicit iste: E cœlo descendi? Respondit ergo Iesus, & dixit eis: Ne murmuretis inter uos. Nemo potest uenire ad me, nisi pater qui misit me, traxerit eum: & ego resuscitabo eum in nouissimo die. Est scriptum in prophetis: Et erunt omnes docti à Deo. Quisquis ergo audiuit à patre, & didicit, uenit ad me. Non quòd patrem uiderit quisquam, nisi is qui est à Deo, hic uidit patrem.

Dominus & seruator noster, Iesus Christus, fidei veræ & salutis nostræ doctrinam nuper huiuiter quidem, sed euidenter & perfectè comprehendit. Primò autem docuit, salutem omnem in se vno cõmeri, qui nobis ex gratia à Deo datus sit, & qui solus animos nostros exatiare atq; quillos reddere possit. Deinde mediũ ostendit, quo tam ipse quàm salus in ipso apprehenditur, fidem quæ & ipsa Dei donum est. Postremò fructum totius negotij exposuit, qui est, quòd & in hac vita salutis certi sumus, & olim corporibus quoque nostris ad vitam æternam resurgemus. Sunt hæc dei Christianæ principia, quæ animis probè inscribi necesse est: quia vt sine his salus nostra non possit consistere, ita ab incredulis perpetuò oppugnantur, qui ea euersa volunt, vt vel superstitiones stabilire possint, vel in cœpto vitæ sceleratæ cursu pro animi sui libidine progredi. Exemplum huius mali hoc loco proponitur. Cùm enim ab ipso Dei filio hæc doctrina proposita esset, adeò tamen nõ persuasit omnibus quod volebat, vt potius inter auditores murmur & contentio obortæ sit, quæ mox abrepti, ipsi contumeliosè ogganniunt. Quid ergo hodie speremus, quando ab hominibus eadem doctrina traditur, qui vt authoritate plerunque destituuntur, ita suis quoque vitijs ferè laborant, quo illos suspectos & multis exosos reddunt? Sed vt minus offendamur nostri seculi contentionibus, prædixerit huius loci historiam diligenter inspexisse.

Iudæi cõtra doctrinã Christi murmurant.

Principiò murmurant Iudæi de eo, quod dixerat se panẽ illum esse, qui è cœlo descenderit. Fuit hæc quasi paterna huius gentis hæreditas (vt Cyrilli verbis vtar) quòd leuissima quauis occasione oblata, aduersus Deum atque seruos eius murmurarunt. Huius autem murmuris causæ fuerunt primò, quòd ventris & gulæ studio ad illum quærendum excitati, de cibo cœlesti & spirituali differentem audiunt. Non possunt ergo hoc patienter ferre, quòd se spe sua frustratos viderent. Deinde, quemadmodum Messiæ regnum terrenum & victorijs atque huius seculi splendore præclarum somniabant: ita Messiam quoque nudum hominem fore arbitrabantur. Itaque licet quidam ipsum pro Messia agnoscerent, ijsdem tamen hoc nouum & insolens erat, quòd se è cœlo descendisse diceret, accedit his, quòd plerique de Christo secundum speciem externam iudicabant, vt Nazarethani, de quibus Cap. 4. diximus: & proinde intelligere non poterant, quomodo è cœlo descendisset, quem ex Maria natũ esse sciebant, & quem à pueritia multi ipsorum nouerant. Ideò in verba ista contemptus plena erumpunt: Nõne hic est Iesus, filius Ioseph, cuius nouimus patrem & matrem? Quibus illis impudentis nimium arrogantiæ accusant, qui cum talis sit, tamen inter suos gentiles atq; conciues suos tam magnifica de semetipso polliceri audeat. Et inter sese murmurarunt, sicuti ex Christi verbis apparet. Licet ergo plerique tam corrupto essent iudicio, fuerunt tamen qui rectius sentirent, aut saltem modestius de illo loquerentur, quæ causa fuit, vt murmur à primis illis cœptum in contentionem & altercationem abierit.

Vt mũdus euangelij doctrina affici soleat.

Hoc autem exemplo docemur, vt mundus euangelij prædicatione affici soleat. Proprium huius est, quòd terrenis intentus ea modò quærit, quæ carni grata aut iucunda sunt. Vt primum ergo audiuntur quæ huius desiderijs non conueniunt, mox reclamat, vel etiam conuitiatur. Exempla huius generis Actorum liber passim exhibet, in quo videmus vbiq; gentium contentiones & publica dissidia exorta esse, vbi Apostoli euangelium prædicare cœperunt. Idem etiam illorum successores experti sunt, quibus insuper hæretici lites mouerũt, qui à gentiũ superstitionibus alieni videri volebant. Nemo ergo ceu re noua offendatur, si quid simile hodie fiat: neq; hoc euangelij doctrinæ, sed mundi malitiæ feramus acceptum. Dicitur enim signum contradictionis Christus, non quòd dignus sit cui omnes contradicant, aut quòd ipse contentionum materiam & occasionem iustam alicui præbeat, sed quòd ea est mundi corruptio, vt illum ferre non possit. Per hanc ergo fit, vt alij aduersus doctrinam eius insurgant, quòd opera sua huius luce nolunt argui. Alij affectibus prauis occupati, omnia id contemnunt, quod illis sentiunt aduersari. Alij ne insipientes & indocti videantur, pro falso & noxio reijciunt quicquid nõ intelligũt. Alij cruce offenduntur, & carnis sapientia decepti stultũ putant, qui propter religionem periclitari velit. Itaq; omnes isti murmurant, vbi fide, patientia, studio & diligenti inquisitione, adhæc precibus ad Deum opus erat. Ad ista ergo nos præparemus, & omnis cura sit, ne ex externa specie de doctrina euangelij aut huius professoribus iudicemus. Vt enim sola carnis & mundi iudicio stulta & ridicula videtur: ita ferè ab ijs recipitur & traditur, quos mundus pro fatuis & insipientibus contemnere solet. Hinc præterea consolationem petant Christi cultores ad-

res aduersus corruptum & iniquum de ipsis mundi iudicium. Vt enim Dei filium non agnouerunt Iudæi, quàmuis manifesta in ipso elucerent diuinitatis indicia: Ita pios quoq; & credentes mundus hic pro filijs Dei non agnoscit, etiamsi multa in illis videat, quæ eos diuino spiritu donatos esse testantur. Sed tunc nobis succurrat quod Euangelista noster in sua Epistola Cap. 3. scribit: Videte qualem charitatem dedit nobis pater, vt filij Dei vocemur. Propterea mundus non nouit nos, quia non nouit eum. Charissimi, nunc filij Dei sumus, sed nondum apparuit quod erimus: scimus autem quòd cùm manifestatus fuerit, similes ipsi erimus, &c. Vide item quæ habentur in libro Sapientiæ Cap. 5.

Sed ad Christum transeamus, qui ad murmur illorum mox respondet, eò quòd illo infirmorum fides vehementer labefactari poterat: & suo exemplo docet, quid in simili casu debeat fieri. Nam etsi patienter ferri debeat contumelia & iniuria quæ nobis fit, minimè tamen ferendum est, vt eadem infirmos offendat & Dei gloriam obscuret. Arguitur itaque Christi exemplo eorum ignauia, vel perfidia potius, qui sub prætextu Christianæ patientiæ quæuis audire et ferre solent, imò indignè ferunt, si qui alij ad impiorum cõuitia respondeant, quibus illi veræ pietatis doctrinam publicè proscindunt. Non tamen directè ad id respondet Christus, de quo ipsi inter sese contendebant. Fruſtra enim de æterna sua generatione ex patre, de conceptione item ex spiritu sancto & toto incarnationis mysterio apud illos disputauisset, qui nihil horum adhuc capere poterant. Omissis ergo his, quæ vberiorem dedissent rixandi materiam, scandalum remouet, quod ex murmure isto infirmis obijciebatur, & rursus exemplo suo ostendit, vnde peti debeat quæstionum omnium solutio, quæ cùm captum humanum superent, contentiones gignunt nunquam finiendas, quàm diu ex humanæ rationis placito de illis pronuntiauerimus. Sunt enim responsionis huius partes tres. Prima omnem huius mysterij cognitionem non aliunde quàm ex Deo proficisci docet, qui eam non promiscuè omnibus, sed electis tantummodo conferat. Sic autem ait: Ne murmuretis inter vos: Nemo potest venire ad me, nisi pater qui misit me, traxerit eum, & ego resuscitabo eum in nouissimo die. Ad Christum venire dicuntur, qui serio salutis desiderio accensi ad illius veram cognitionem aspirant, & eundem fide amplectuntur, sicq; in ipso seruantur. Exponit autem his verbis illud, quod de ijs nuper dixerat, quos sibi pater donauerit, & qui certò ad se venturi sint: & huius causam indicat, quòd nimirum eosdem pater trahat & spiritu illuminet, vt se verè agnoscant atque amplectantur. Id verò ad præsentem causam accommodans, docet minimè ipsos inter se mutuò murmurare vel altercari debere, quando non mirum sit, si ista non intelligant: hæc enim mysteria non humana ratione inuestigari & percipi, sed spiritus illuminatione opus esse, qui solus nos eorum capaces reddere possit. Ita verò omnem rixandi materiam præscindit, & monet simul, vt omissis inutilibus rixis Deo magistro sese accommodent, & spiritum eius pijs precibus impetrare studeant. Quod vt facilius ipsis persuadeat, priorem promissionem de læta resurrectione ad beatam immortalitatem iam tertiò repetit: vt intelligant, se minimè passurum esse, vt spe sua fruſtrentur, quicunq; hoc animo ad ipsum veniunt.

Christus murmurantibus respondet.

1. Christi cognitio non nisi diuinitus obtingit.

Hic verborum scopus, & eorundem simplicissimus sensus est: quem dum multi non obseruant, ad quæstiones curiosas & inutiles delabuntur, quæ murmura aduersus Deum & contentiones multò pestilentiores pariunt, quàm Capernaitarum istorum fuerint. Alij enim scire cupiunt qui nam electi sint aut reprobi, & in quorum albo seipsos censere debeant? Alij Deum quasi in ius vocant, dum imperiosè quærunt, cur hos quidem trahat, illos verò negligat & in errorum tenebris perire sinat? Sunt item, qui cùm opus esse audiunt, vt à patre trahamur, prædicationem euangelij, sacramenta, preces & totum ministerium ecclesiæ, vnà cum fidei & pietatis veræ exercitijs, reijciunt, & homines illis fruſtrà occupari clamant. Sunt hæc ab instituto Christi alienissima, & vt captum nostrum longè excedunt, ita cum impietate coniuncta sunt, & fidei atque salutis nostræ fundamenta vehementissimè labefactant. Omissis ergo illis, rem ipsam inspiciamus, & ea solùm consideremus, quæ ex Christi verbis necessariò colliguntur, & sine quibus non potest certa esse salutis cognitio.

Vbi primò obseruabimus, fidem Dei donum esse, quod is electis suis absque vllo ipsorum merito ex gratia conferre solet. Si enim ad Christũ venire nõ possumus, nisi nos pater trahat: priusquàm verò trahamur, nihil ex nobis ipsis boni habemus: quis non videat tractum hunc ex gratia fieri, nullo intercedente nostrorum operum merito? Facit ad huius sententiæ confirmationem, quod alibi Chri-

Fides Dei donum est.

ſtus dicit: Sicut palmes non poteſt ferre fructum à ſemetipſo, niſi manſerit in vite: ita nec vos, in me manſeritis. Item: Abſque me nihil poteſtis facere. Sed & alibi hoc ipſum, quod hîc dicit, vobis diſertis declarat. Cùm enim Matth. 11. de regni ſui & ſalutis noſtræ myſterijs loqueretur, ſcandalo mederi vellet, quod ex credentium paucitate & infidelium multitudine oritur, ſic ait: Confitias ago tibi pater, Domine cœli & terræ, quòd abſconderis hæc à ſapientibus & intelligentibus, & reuelaris ea infantibus. Etiam pater, quia ita placuit tibi. Omnia mihi tradita ſunt à patre meo, & nemo nouit filium niſi pater: neque patrem quiſquam nouit niſi filius, & cuicunque voluerit filius reuelare. Et rurſum Petro, cùm ipſum confeſſus eſſet, ait: Beatus es Simon Bar Iona, quia caro & ſanguis non reuelauit tibi, ſed pater meus, qui eſt in cœlis. Veriſimè autem hæc dicit ſa docebit, ſi humani ingenij tarditatem conſideres. Etſi enim in externis magna illius vis ſit, tamen quæ ſunt ſpiritus ſancti, planè nihil poteſt: ſicuti in gentium philoſophis eſt videre, qui in reliquis acutiſſimi fuerint, pueri tamen & infantes videri poſſunt, ſi de Deo & vera hominis felicitate ſermonem inſtituunt. Quid enim illi poſſent, qui Dei verbo prorſus deſtituuntur, quam ne ex lege quidem Iudæi veram ſalutis cognitionem haurire potuerunt, cùm Chriſtum non admitterent? Dei ergo donum eſt fides & quæ huic coniuncta eſt myſteriorum ſalutis cognitio. Vis tu bonitatem illius agnoſcere decet, qui ex corrupta humani generis maſſa aliquos eligere dignatus eſt, quos filio ſuo adduceret: non autem illius iuſtitiam accuſare, qua alios omnes præteriit. Licet enim ipſi de ſuo diſpenſare pro ſuo arbitrio, & quia nemini debitor eſt, nemo etiam habet quod de illo queratur. Rectè ergo Auguſtinus dicebat. Magna gratiæ commendatio. Nemo venit niſi tractus. Quem trahat, & quem non trahat: quare illum trahat, & illum non trahat, noli velle indicare, ſi non vis errare: Semel accipe & intellige: Non traheris, ora vt traharis, &c. Quo etiam

Vſus prædeſtinationis.

lud ſponſæ dictum pertinet: Trahe me, vt poſt te curramus. Expoſtis itaque diſputationibus ſuperuacaneis, potius electionis & prædeſtinationis diuinæ vſum cõſideremus, qui duplex eſt. Primus, quem in præſenti Chriſtus reſpicit, ne corruptis hominũ de religione iudicijs & credentiũ paucitate offendamur, quando negotium hoc omne ab æterna Dei prædeſtinatione audimus pendere, cuius voluntas ſancta, iudicia verò omnia iuſta & recta ſunt. Alter, vt hinc certam concipiamus ſalutis fiduciam, qua nos in tentationibus ſuſtentemus. Quia enim in æterno Dei conſilio ſalus noſtra fundata eſt, eadem certiſſima ſit oportet, niſi aliquis reperiatur, qui Deum viribus & potentia ſuperet, & proinde huius decreta impedire poſſit. Quia tamen de hoc alibi etiam dictum eſt, hæc modò attauiſſe ſufficiat.

Quomodo nos trahat Deus?

Deinde modum & rationem nouiſſe oportet, qua in trahendis nobis Deus vtitur. Sunt enim qui cùm nos trahi audiunt, violentum quid ſomniant. Sed quia myſterium hoc totum in hominis mente & voluntate perficitur, quæ cogi non poteſt (quis enim inuitus aliquid velet?) cogitationes eiuſmodi minimè admittendæ ſunt. Nobis enim ſeſe Deus accommodat, & mediis vtitur, quæ noſtræ naturæ & ingenio conueniunt. Sunt illa partim externa, partim interna. Ad externa pertinet eccleſiæ miniſterium & quæ hoc continentur, Verbi nimirum prædicatio & legitimus ſacramentorum vſus. Ideò Paulus ſcribebat: Quomodo credent ei, de quo non audierunt? quomodo autem audient abſque prædicante? Item: Fides ex auditu eſt, auditus autem per verbum Dei. Rom. 10. Ac quia ſonus externæ prædicationis fruſtra aures feriet, niſi interior cordis illuminatio accedat, dicit ſuis ſpiritum quoque ſuum adhibet Deus, qui corda illorum aperit, illuminat, emollit & trahit efficaciter, vt ex nolentibus volentes fiant, & inſolito cœleſtium bonorum deſiderio inflammati ad Chriſtum totis animis aſpirent, qui prius & ipſum ignorabant, & à cœleſtibus abhorrebant. Sunt ergo nimis temerarij, qui electionis doctrina miniſterium eccleſiæ, verbi prædicationem, preces & alia pietatis exercitia tolli clamitant: cùm illa à Deo inſtitutum ordinẽ non aboleat, ſed potius commendet, & vt nos illi accommodemus animos noſtros excitet. Eadem tamen nos cauere docet, ne externæ prædicationi aut noſtræ vel etiam miniſtrorum induſtriæ tribuamus, quod ſolius Dei opus eſt. Sunt quidem miniſtri diſpenſatores myſteriorum Dei, ſunt item Dei cooperarij, vt Paulus ait: ſed ijdem niſi à Deo vocentur, & donis ſpiritus ſancti inſtruantur, nec ad munus hoc accedere poſſunt, neq; verbum ſalutis rectè ſecare. Adhæc quàmuis & legitimè vocati & ſpiritu ſancto donati, neceſſarijs egregiè inſtructi ſint, docendo tamen nihil proficient, niſi ſpiritus Dei, qui in ipſis agens auditum

auditorum mentes aperiat atque dicto audientes reddat. Potest hoc exemplis probari cùm veteribus tum quotidianis, quando negari non potest, sanctissimorum quoque seruorum Dei prædicationem non semper neque in omnibus fructum ferre: & Paulo in Antiochia Pisidiæ docente, credidisse dicuntur quotquot ordinati erant ad vitam æternam: eò quòd horum modò mentes illuminaret spiritus Dei, reliquis in sua contumacia perseuerantibus. Rectè ergo Paulus ecclesiæ ministerium agriculturæ conferens, se quidem plantasse, Apollon autem rigauisse scribit: sed idem mox addit: Neq; qui rigat, neq; qui plantat est aliquid, sed Dominus qui dat incrementum. 1. Corinth. 3. Hæc qui in ista causa non oscitanter considerant, ijs plurimum consolationis doctrina electionis afferet, quæ si superuacaneis & curiosis disputationibus intricetur, conscientiæ terrores & contentiones parit nocentissimas.

Christus scripturis sua confirmat.

Sequitur secunda pars responsionis Christi, qua quod dixit testimonio prophetico probat, ne quid nouum & prius inauditum dixisse putetur. Est (inquit) scriptum in prophetis: Et erunt omnes docti à Deo, &c. Extat oraculum hoc apud Isaiam Cap. 54. ubi de ecclesiæ instauratione & felici per omnes gentes propagatione vaticinans propheta, Deum totius negotij authorem inducit, qui verbo & spiritu suo vndique adducturus sit eos, qui Christo accedant, & ecclesiæ filij efficiantur. Diligenter autem obseruari meretur Christi modestia, qui cùm suam authoritatem simpliciter vrgere posset, scripturæ tamen testimonijs vti dignatur. Sufficit huius exemplum confutandis omnibus, qui vel scripturas scurriliter contemnunt, vel sua figmenta non vlla harum authoritate confirmata ecclesijs temere obtrudunt. Mox autem in præsenti conclusionem denuo infert Christus, sic dicens: Quisquis ergo audiuit à patre, & didicit, venit ad me. A Deo audire & discere, est interna illuminatione spiritus ea discere, quæ nostrum captum excedunt. Auditus autem meminit, vt ostendat discipulos fieri oportere eos, qui ad istam cognitionem peruenire cupiunt. Nam vt solus Deus doctoris veri titulum meretur, qui & ministros dat, & eorum ministerium efficax facit: ita nihil proficient vnquam in salutis negotio, quicunq; se huius magisterio submittere nolunt. Simul autem obseruabis, eos qui Deum magistrum audiunt, ad Christum venire, hunc vera fide amplecti & solum atque vnicum suæ salutis authorem agnoscere. Ergo neque Dei discipuli neq; ecclesiæ filij sunt, qui non ad Christum veniunt, sed ad creaturas, Diuos nimirum, monachos, sacrificulos, pontifices & suorum operum merita confugiunt. Docet itaque locus hic iudicare de nostri seculi hominibus, quando paucissimi sunt, qui à Deo audiant & discant. Multi enim verbum Dei externum improbè reijciunt, & hostiliter persequuntur. Multi internæ etiam spiritus suggestioni reluctantur, & eam extinctam volunt. Plerique verò ab hominum authoritate pendent, patres, Concilia & principum statuta in ore habent, & salutem vbiuis potius quàm in vno Christo quærunt.

Deus per filium nobis loquitur.

Quæ verò de ijs dixerat, qui à Deo audiunt & discunt, tertia parte huius responsionis Iudæorum crassæ & carnali imaginationi occurrit, quam illi animo concipere poterant, quasi nobis cum Deo coràm colloqui necesse sit: qualem olim Minoa summi Iouis ὀαριστὴν, id est, collocutorem poeta finxerunt. Dicit ergo: Non quòd patrem viderit quisquam, nisi is qui est à Deo, hic vidit patrem. Sensus est: Nemo hæc audiens existimet patrem cœlitus descendere, & humano more cum hominibus coràm aut visibiliter colloqui. Hoc enim nemini contingit, quàm filio vnigenito, quem ille in mundum hunc misit, vt voluntatem suam hominibus annuntiet. Conueniunt ergo hæc verba cum ijs quæ Cap. 1. audiuimus: Deum nemo vidit vnquã, filius vnigenitus qui est in sinu patris, is enarrauit nobis. Ita verò se à communi hominum sorte Christus eximit, & essentialem cum patre coniunctionem profitetur, simulq; se vnicum esse docet voluntatis diuinæ interpretem. Faciunt hæc ad fidei nostræ commendationem. Est hæc Dei donum, qui suorum mentes illuminat & efficaciter trahit. Fundamentum eius, quo nititur, est æternus Dei filius, qui ad se venientes benignè excipit, nec minus fortiter tuetur. Interpres quoque eiusdem idem est, qui per Euangelium & spiritum suum nobis loquitur, neq; nos permitiosè à salutis via aberrare sinit. Hunc ergo audiamus & sequamur, qui & in carne viuentes seruat, & ex hac vita migrantes suorum animas ad se recipit, eorundem verò corpora olim ad regni sui hæreditatem capessendam excitabit. Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

HOMILIA LIII.

Amen amen dico uobis, qui credit in me, habet uitam æternam. Ego sum panis uitæ. Patres uestri comederunt manna in deserto, & mortui sunt. Hic est panis qui è cœlo descēdit, ut ex eo edat aliquis, & non moriatur. Ego sum panis ille uiuus, qui è cœlo descēdi: si quis ederit ex hoc pane, uiuet in æternum. Et panis quem ego dabo, caro mea est, quam ego dabo pro mundi uita.

PAulus Apostolus, vas electionis, quoad humanæ salutis negotium, se nihil aliud nouisse fatetur, quàm Iesum Christum: idem quoque omnia, quæ in hoc mundo eximia habuit, pro damno ducebat, vt Christum assequeretur. Quo exemplo docemur, vt ipsi quoq; hoc vno cōtenti, illius cognitioni sedulò studeamus. Cōstat hæc duabus ferè partibus. Prima, vt sciamus quis nam ille sit, & quid in eo nobis sit datum. Altera, vt à nobis percipi possit. Vtrūq; ipse Christus in huius Cap. disputatione euidentissimè tradit, & hoc quidem loco summatim cōprehendit, quæ hucusq; fusius dixit, & postea quoq; pluribus exponet. Nam cum propter ea, quæ dixerat, inter Iudæos murmur esset oborsum, illa sopito hæc subijcit, quæ totam nostræ salutis rationem breuiter & dilucidè continent.

Summa doctrinæ Christi.

Propositio breuis est, & nullo verborum inuolucro velata, grauis tamen & diligenti consideratione dignissima, cùm eam ipse Dei filius iureiurando confirmet. Sic enim ait: Amen amen dico vobis, qui credit in me, habet vitam æternam. Dependet hoc ex ijs, quæ præcesserunt, & ita dicere videtur: Monui, vt abiectis desiderijs carnalibus, cibum quæratis, qui ad vitam æternam vos allat atque conseruet. Docui item, me cibum illum esse, & proinde me recipi oportere. Sed video me nescio quid crassum & absurdum imaginari, & insuper mea vilitate offendi, quasi plus quiddam mihi arrogem, quàm præstare possim. Agite ergo apertius vobiscū agam, & rem ipsam verbis prijs atque disertis edisseram. Hæc omnium, quæ dixi, sententia atque summa est, quòd qui in me credit, is panem istum vitæ obtinebit, quo satiatus æternùm viuet. Ita verò non aliud dicit, quàm quod prius Nicodemo & Samaritanæ, & postea Capite quinto Hierosolymis in publica disputatione iisdem propè verbis dictum fuisse audiuimus, & quod passim in Euāgelio inculcatur. Vt enim Christus ipse semper sibi constat, & (vt Apostolus ait) idem est heri & hodie, & etiam in seculum; ita eadem semper suiq; similis est doctrina salutis, cuius authorem & præconem Deus illum constituit. At quia ista salutis ratio, quæ in sola fide monstratur, carni leuicula videtur, & eadem multis offenduntur, quasi bonis operibus inimica sit, & carnis securitatem atque peccandi licentiam pariat; hic nos in mentem reuocare oportet, quæ iam sæpius de fide, de eius authore & causa, de effectis item & fructibus fidei dicta sunt. Cogitemus deinde, non temere fieri, quòd filius Dei tanta cum grauitate, & non sine iureiurando doctrinam hanc nobis toties proponit, & hanc ipsam euangelicæ prædicationis summam esse voluit, cùm discipulos, salutis doctores in orbem vniuersum emitteret. Ita facile intelligemus, nihil hîc fingi, & mysterium hoc tantum esse, vt humanas vires & omnem nostri ingenij captum longè excedat; adeoq; fidem in Christum plus quiddam esse & excellentius, quàm sint omnia opera in vnum aceruum congeras, quæ homines suis viribus possunt præstare. In præsenti verò obseruabimus, sententiam hanc à Christo indefinitè proponi, vt non vnius modò gentis aut ætatis, sed simul omnium gentium, imò omnis loci & ordinis homines comprehendat. Deinde, quòd de sola fide loquitur, non aliqua vel ceremoniarum legalium, vel operum quorumcunq; mentione facta. Vt ergo ista salutis ratio omnibus communis est, sic vnica etiam est, neque vlla alia inuenitur, per quam homines seruari possint. Et quia hanc nobis Deus ipse constituit, salutem absq; dubio consequentur, quicunq; eam fuerint secuti. Est enim fides hæc diuini tractus & electionis nota certissima: & ideò non potest non recipere Dei filius eos, qui per hanc ad ipsum accedunt; & idem nihil eorum perire patitur, sicuti supra promisit.

Christus in se credentes uiuificare potest.

Quia verò hæc (vt modò diximus) captum nostrum excedunt, & carni mirum videtur, Christum (quo nihil in mundo vilius est & contemptius) tam magna præstare posse, propositionem hanc plenius confirmat & illustrat. Id verò facit per similitudinem panis, cùm quòd inde prima disputa-

uum

tionis huius occasio exorta fuit, tum quòd simul confutari oportebat, quod illi de Manna & de patribus obiecerant, qui sub Mose Manna comederunt. Sunt autem cõfirmationis huius partes tres. Prima rationem reddit eius quod modò dixerat. Ego sum (inquit) panis ille vitæ. Sensus est: Non temere aut futili arrogantia dixi, vitam æternam habere eos, qui in me credunt. Nam qualiscunq; vobis videar, sum tamen panis ille vitæ, id est viuificus, qui & in meipso vitam habeo, & eandem omnibus confero, qui me recipiunt siue amplectuntur. Quibus verbis causam salutis in seipso, non in nobis Christus monstrat, vt intelligamus credentibus vitam promitti, non quòd fides nostra hanc mereatur, sed quia per illam Christum amplectimur, qui vita ipsa & nostræ etiam vitæ author est. Debet hoc in eum finem obseruari, ne quando desperemus, si fidem nostram vel imperfectã vel æquo infirmiorem esse sentimus. Nam (vt alibi diximus quantulacunq; sit, nobis ad Christum apprehendendum sufficere potest, qui omne hoc abundè sarcit, quodcunq; nobis deest. Secunda parte Iudæorum confidentiam amolitur & confutat, quæ illis obstabat, quò minus ipsum reciperent. Nitebantur enim legalibus ceremonijs, & Mosis discipuli volebant videri, à quo secessionẽ facere nefas esse putabant, cum tam felix sub hoc fuisset patrum conditio. Quod ergo nuper dixit, Mosem non dedisse verum illum panem cœlestem, qui vitæ æternæ alimentum ministrat, id ipsum nunc clarius exponit, sic dicens: Patres vestri comederunt Manna in deserto, & mortui sunt. Hic est panis, qui è cælo descendit, vt ex eo edat aliquis, & nõ moriatur, &c. Fateor (inquit) patres vestros in deserto Manna comedisse, seq; de eo mihi cum aliquo lis est. Quid verò hoc ad æternæ salutis negotium, de quo nunc agimus? Nam patres illi vestri mortui sunt, & quidẽ irato Deo prostrati sunt in deserto, nec quisquam eorum terram promissam, vitæ æternæ typum, ingressus est. Ego de eiusmodi pane loquor, qui semel sumptus hominem facit immortalem & æternæ vitæ consortem. Id verò nullus panis ex corruptibilibus elementis constans præstare potest, sed cœlesti & supernaturali opus est. Is ego ipse sum, qui patri coæternus & coessentialis cœlitus descendi in hunc mundum, vt eiusmodi panis efficerer ijs, qui alioqui æternam mortem subituri erant, &c. Neq; contentus est Christus hoc semel dixisse, sed quia mysterium hoc caro difficulter admittit, per repetitionẽ addit: Ego sum panis ille viuus, qui è cælo descendi: si quis ederit ex hoc pane viuet in æternum. Nam (vt Cyrillus ait) duris animis varia & frequenti doctrina opus est: imò in electis quoq; hæc locum habet propter adhærentem nobis naturæ nostræ corruptionem: quam Paulus obseruans Philippensibus scribebat: Eadem scribere vobis, me quidem haud piget, vobis autem tutum est. Et debet nos ista Christi & spiritus sancti diligentia excitare, vt ipsi quoq; salutis mysteria frequẽter & assiduè meditemur. Mox verò tertiam partem subijcit Dominus, qua apertius exponit, qua ratione panis vitæ sit dicens: Et panis, quem ego dabo, caro mea est, quam ego dabo pro mundi vita. Quod vt intelligi debeat, mox dicetur. Nunc singula huius doctrinæ capita excutienda erunt, vt hoc salutis nostræ mysterium rectius intelligamus.

Mosis & patrũ fiducia confutatur.

Primum inter hæc est, quòd se panem illum vitæ vel viuificum esse dicit Dominus, qui vitam æternam nobis conferat. Est autem hæc symbolica siue figurata locutio, quæ vt ex præcedenti miraculo desumpta est, ita ad hominis conditionem referri debet, quem ad vitam huius seculi terreno, ad æternam autem cœlesti cibo ali atq; sustentari oportet, vt nuper in eiusdem locutionis expositione diximus. Vbi tamen meminisse oportet, Christum sub ista promissione totum hominem comprehendere. Ita enim animæ cibus dicitur, vt ex eodẽ totius hominis vita salusq; dependeat, quæ in nouissima resurrectione ad corpus quoq; redundabit, cùm illud etiam immortale & incorruptibile factum in beatorum sedes transferetur. Imprimis verò hoc obseruari debet, quòd ita se panem illum vitæ Christus esse dicit, vt omnia alia diserte excludat, in quibus superstitiosi vitam quærere solent: adeò vt ne Mannæ quidem hanc gloriam concedat, quòd à morte quenquam liberare potuerit. Atqui scimus hanc Christi figuram fuisse, & à Paulo cibum spiritualem vocari, quando patres eandem spiritualem escam nobiscum edisse testatur. 1. Cor. 10. Cæterùm Paulus partim de pijs loquitur, qui cum Manna per fidem Christum quoq; manducarunt, qui illa figurabatur: partim spiritualem dicit propter typum, non quòd ipsi spiritus vitæ esset alligatus. Quia ergo hoc vescebantur impij murmuratores & fide destituti, nihil illos iuuit esca illa, sed propter peccata sua (vt diximus) in deserto prostrati sunt. Itaq; solus Christus panis ille vitæ est, & falluntur turpissimè, quotquot animarum

Christus panis vitæ.

famem atq; sitim aliquo alio cibo restinguere conantur. At quia de hoc dicendi occasio frequenter o
currit, hoc modò annotauisse sufficiat.

Quomodo Christus panis uitæ fiat?

Secundò quomodo Christus panis vitæ fiat, videndum est. Vbi tria dicuntur, quæ ad hoc capu
pertinent. Primò se cœlo descendisse ait. Quo dicto illorum quidē errori medetur, qui in ipso nihil h
mine maius agnoscebant: simul verò totum suæ incarnationis mysterium comprehendit, sine quo illa
nihil nobis proderat. Cibum enim quo alimur, aliquam nobiscum communionem habere oportet, n
nobis vniri possit. At nobis nihil cum Deo commune est, cùm propter peccatum filij iræ simus, neq
etiam nostris viribus cœlum ascendere possumus, vt illo fruamur. Nemo etenim ascendit in cœlum
nisi qui è cœlo descendit, filius hominis, qui est in cœlo. Dei ergo filium ad nos descendere oportuit, q
hominem verum fieri, vt illo ad vitam æternā pasci & ali possemus. Quapropter mox addit (quod
alterum huius secundi capitis membrum est:) Et panis, quem ego dabo, caro mea est. Carnem
meminit, quam ex nobis nostræ per omnia similē assumpsit, non quòd hæc suapte natura vitæ cibum
esse posset, sed quia ipse per incarnationem (vt modò diximus) nobis vnitus est: deinde quia caro eius
diuinitati in vnam personam coniuncta ex illa vim viuificantem accepit. Itaq; carne sua nos pascit
& alit Dei filius, dum ea canalis instar est, per quem viuificās Dei virtus ad nos vsq; diffunditur.
Nec enim Capernaiticum quid hic animo concipi debere, ipse Christus docet, quando tertiam adhuc
particulā adijcit: Quam ego dabo pro mundi vita. His verbis modū disertè exprimit, quo seipsum
nobis cibum aut alimentum fecit. Nam vt cibum præparari oportet, vt esui aptus fiat: ita Christ
quoq; carnem parari necesse fuit, vt à nobis percipi, & eadem nos alere posset. Id se facturum dicit,
quando illam daturus sit pro mundi vita. Eatenus ergo caro eius panis vitæ est, quatenus illam pro
mundi vita in mortem tradidit. Hoc verò in cruce factum est, vbi mortis suæ merito peccata nostra
expiauit, iustitiam nobis veram acquisiuit, nosq; cum Deo patre in gratiam reduxit, id quod nostra
vita & salus est. Quapropter cibat nos carne sua Christus, non autem ratione carnali, qua illa no
bis realiter aut corporaliter vniatur (vt in cibo corporis fieri consueuit) sed modo spirituali, dum s
totum nobis impendit, nosq; suo merito & spiritu viuificatos regni sui cœlestis & æterni hereditat
cit. Qua ratione cibum hunc spiritualem vocamus, non quòd Christi caro quoad suam essentiam spi
ritualis sit, sed quòd per hanc ille nos cibat & alit spirituali communicatione, non autem modo
carnali & corporeo.

Quomodo Christi caro manducetur?

Facit ad huius rei explicationē tertium huius tractationis caput, in quo modus exponitur, qu
carnem illam Christi manducamus. Nam sicuti ex cibo & potu nulla ad nos redit vtilitas, nisi a
edamus & bibamus: ita neq; Christi caro & sanguis ad vitam nobis aliquid conferent, nisi reali
dignè à nobis percipiantur. Opus hic ante omnia fame, id est ardenti & serio salutis desiderio, quod
ex nostræ miseriæ cognitione & diuinæ bonitatis diligenti consideratione enasci nuper diximus. Ca
terùm vt non iuuat esurire & sitire, nisi etiam insit corporibus nostris vis illa naturalis, qua cibos
ingestos recipit, receptos concoquit & in membra digerit: Ita animis quoq; nostris vim illā inesse opo
tet, qua Christum apprehendere & retinere possimus, vt in nos quasi transformetur, vel potius nos
sui similes efficiat. Ea autem si nostram naturam spectes, in nobis nulla est, cùm terrenis modo in
biare, à diuinis autem & cœlestibus abhorrere soleamus. Ergo cœlitus illam nobis conferri oportet,
neq; alia res est, quàm fides, quam Dei donum esse nuper prolixè demonstrauimus. Itaq; Christia
nem edunt, qui fide vera ipsum apprehendūt, & ipsi penitus vniti salutis consortes fiunt, quam mor
tis suæ merito nobis acquisiuit. Quem sensum non ex nostro cerebro fingimus, sed ex Christi verbis
colligimus, quæ cùm alibi tum in præsenti tractatione multoties repetita inculcat. Promiscue enim
veniendi, edendi & credendi verbis vtitur: & idem vitæ æternæ præmium tam credentibus in
quàm carnem suam comedentibus pollicetur. Atqui vitæ consequendæ vnicam rationem esse omnes
scriptura testatur: fidem nimirùm, qua vnicus ille vitæ author apprehenditur. Vnde D. Augusti
nus aiebat: Qui manducat intus, non foris: qui manducat in corde, nō qui premit dente. Item: Et ma
corpus Christi, qui volunt viuere de spiritu Christi. At corpus Christi fiunt, qui illi per fidem inseru
tur & (vt ita dicam) incorporantur.

De Cœna Domini.

Hæc si in Cœnæ dominicæ causa non oscitanter considerentur, mox omnibus controuersijs finem
imponere poterunt, quæ iam multis annis ecclesias miserè turbarunt. Etsi enim hoc loco nulla Cœnæ

suæ mentionem faciat Christus, quæstionem tamẽ de vera corporis sui manducatione pulchrè soluit, de qua hodie contenditur, & sine qua Cœnæ vsus planè inutilis est. Clamant aduersarij, carnem Christi verè esse cibum, & eundem in Cœna dixisse: Hoc est corpus meum, &c. Et inde colligunt, illum carnalem sui corporis præsentiam & eiusmodi manducationem sanciuisse, qua verum eius corpus, non in sacramẽto tantùm, sed realiter & essentialiter ore percipiamus atq; manducemus. Atqui carnem Christi cibũ esse ipsi quoq; fatemur, sed illa nos non carnali modo pasci dicimus, cùm eatenus nos pascat quatenus in mortem data est & pro mundi vita. Vnde simul colligitur, eius manducationem, non ore aut dentibus, sed fide sola confici. Quoad verba Cœnæ, locutiones sacramentales agnoscimus, de quibus cùm alibi prolixè sit dictum, eadem hic repetere superuacaneũ putamus. Discant pij bonitatem Dei agnoscere, qui filium suum pro nobis in mortem tradidit. Hunc fide vera amplexentur, & ita illis panis vitæ erit, qui solus ad vitam æternam pascit & conseruat. Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.

HOMILIA LIIII.

Pugnabant ergo Iudæi inter se, dicentes: Quomodo potest hic nobis carnem dare ad edendum? Dixit ergo eis Iesus: Amen amen dico uobis, nisi ederitis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, nõ habetis uitam in uobis. Qui edit carnẽ meam, & bibit sanguinem, meum, habet uitam æternam, & ego suscitabo eum in nouissimo die. Caro enim mea uerè est cibus, & sanguis meus uerè est potus. Qui edit meam carnem & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo. Sicut me misit uiuens ille Pater, & ego uiuo propter patrem: & qui manducat me, ille etiam uiuet propter me. Hic est panis ille, qui de cœlo descendit: non sicut comederunt patres uestri Manna, & mortui sunt: qui ederit hunc panem, uiuet in æternum.

QVemadmodum homo animalis sui ingenij solertia non percipit ea quæ sunt spiritus Dei: ita ferè simplicem & perspicuam veritatis doctrinam ipse absurdis cogitationibus in alienũ sensum detorquet & obscuram reddit. Exemplũ huius rei nobis Iudæi exhibent, quibus cum Christus in præsenti agit. Primò enim carnalia in eo quæsiuerunt, qui cœlestia & æterna bona ipsis promittebat. Deinde promissiones eius cum murmure excipiunt, & diuinam virtutẽ atq; gloriã sibijpsi verè vendicanti parentes obscuros & inopes exprobrant. Quod ergo prius obscurius & allegoricè tradiderat Dominus, nuper diserè & absq; omni verborum inuolucro exposuit, se docens vnicum salutis autborem esse, qui carnem suam pro mundi vita daturus sit, in cuius merito vitã inuenturi sint omnes, qui ipsum fide vera apprehendant. Sed adeò nihil profecit explicatione ista apud carnales & suis cogitationibus præoccupatos, vt potius nouam concertandi occasionẽ inde arripiant. Quæ causa est, quòd eandem doctrinam hoc loco repetit Dominus & maiori studio auditoribus inculcat.

Sed Iudæos primò videamus, qui inter se pugnauisse dicuntur. Prius illos murmurauisse audiimus, quòd Christum è cœlo descendisse audirent, quem ipsi nudum hominẽ & Iosephi filium esse ar- Iudæi ob Christi uerba altercantur.
bitrabantur. Nunc magis exacerbati in apertas altercationes erumpunt, & de eo summa animorũ contentione digladiantur, quòd carnem suam dixisset panem illum cœlestem esse, quo nos ad vitam æternam ali oporteat. Non mirum ergo aut insolens cuiquam videri debet, si hodie etiam ad euangelij prædicationem rixæ & contentiones oriãtur, neq; malum hoc doctrinæ veritatis acceptum ferri debet. Hæc enim vt perspicua est, ita fidei vnitatem & charitatem mutuam nobis vnicè cõmendat. Hominum autẽ vitio fit, vt hac proposita dissidijs inter se scindantur, qui prius consentiebant, dum quisq; illam pro suo arbitrio rapit & detorquet. Apparet hoc euidenter in præsenti exemplo. Clamant enim rixatores Iudæi: Quomodo hic potest nobis carnem dare ad edendum? Atqui non dixerat Christus, quòd carnẽ ad edendum ipsis dare vellet, sed se hanc daturũ promiserat pro mundi vita. Et ne quem esum aut potum carnalem imaginarentur, inter alia dixerat: Qui venit ad me, nõ

esuriet: & qui credit in me, non sitiet vnquã. Et nuper omnem huius mysterij rationem disertis verbis exposuerat: Amen dico vobis, qui credit in me, habet vitam æternam. At his neglectis illi de aliquid Christi verbis assuunt, & quærunt, quomodo carnem suam ipsis manducandã apponere possit? Itaq; contentionis materiam ipsi sibi præbent, & suis additionibus obscurum & intricatum faciunt, quod Christus simpliciter & perspicuè tradiderat. Fit idem hodie in omnibus articulis controuersis. Disputatur de imaginum vsu in templis, an vt libri laicorũ proponi debeant, per quos illiterati & rude vulgus ad fidei & pietatis officia excitetur? At quid horum vnquam dixit Deus, qui simpliciter præcepit, ne quæ imago fiat, & se sine sacrilegio effingi posse negat? Quin ergo nos verbis insistimus, & nulla esset de imaginibus cõtendendi occasio. Similiter quãdo de Christo mediatore & Diuis cõtenditur, multi sanctos cœlites ignominia extrema affici clamant, quãdo illos aequo Deum aduocatos & mediatores nostros esse negamus. At cur non ijdem Christum audiunt dicentem: Ego sum via & veritas & vita: Nemo venit ad patrẽ, nisi per me? Quibus illud Apostoli consentit: Vnus Deus, & vnus mediator inter Deum & homines, homo Christus Iesus. Num verò vel Christus vel Paulus Diuos aliqua contumelia affecerunt, cùm ista dicerent? Id opinor nemo cordatus dixerit. Cur ergo nobis idem dicentibus hæc calumnia intenditur? cur aduersarij nostri sua illa consequentia non minus iniqua quàm inepta colligunt, nos suum Diuis honorem denegare? cur suis additionibus disputationẽ hanc intricant & odiosam reddunt? Idem fit in Cœnæ dominicæ negotio, vbi infinitis quæstionibus res tota inuoluitur. Quæritur enim an in ea sacrificetur Christus pro viuis & mortuis? an panis & vinum transubstantientur in corpus & sanguinem Domini? an ne sub vel cum pane exhibeatur corpus Christi tam indignis quàm dignis? an panis extra vsum Cœnæ religiosè asseruari, adorari, circungestari & coli debeat? At quid obsecro horum Christus vnquam dixit aut docuit? Cur non obseruatur prima Cœnæ institutio, cuius narrationẽ Apostoli simplicissimam contexunt, neq; alicuius miraculi aut rei insolentis mentionẽ faciunt, quæ eiusmodi quæstionibus occasionem præbeat? Cur non finem atq; vsum Cœnæ retinemus, quem ipse Dominus tam diligenter tradidit, dicens: Hoc facite in mei commemorationem? Cur non Paulus auditur, qui verba Christi exponens ait: Quotiescunq; panem istum ederitis, & poculum hoc biberitis, annunciatis mortem Domini donec venerit? Hæc certè omnes quæstionum nodos soluunt, & vt verum fatear, ita tradunt, ita docent extra hunc nihil in ijs contineri, quod ad nostram salutem faciat. Sed Iudaici similes sunt aduersarij nostri, & suis additamentis implicatissima reddunt, quæ in scripturis perspicuè & simpliciter traduntur.

Christus propter aduersariorum pertinaciam nõ mutat doctrinæ genus

Sed ad Christi responsionem transeamus, qui quod prius dixit, nunc fortius vrget & inculcat, significq; exemplo suo docet verbi ministros, ne aduersariorum proteruiæ cedant, neq; propter illorum temeritatem vel improbitatẽ in veritatis doctrina quicquam immutent. Peccatur in eo à multis die, qui carnis rationem in consilium adhibent, & dum prudentes videri volunt, veritatem turpiter produnt, aut locutionibus ambiguis cothurnos fingunt, quos diuersissimarũ opinionum sectatores in suam sententiam trahere possunt, quæ deinde contentionum nouarum & multò grauiorum causa est. Longè aliter Christus, qui totus in hoc est, vt salutis doctrinam luculentissimè tradat, non vt hominibus placeat, quos prauis affectibus transuersos abripi videbat. Nec tamen ad illorum quæstionem directè respondet, eò quòd ipsi sibi viam obstruerent, qua ad veritatis cognitionem venirent, cùm non discere vellent, sed doctrinam eius ineptis quæstionibus exagitarent. Sunt autem responsionis huius partes tres, quibus mox tractationis totius conclusionem subijcit.

Necessariũ est, vt edamus carnẽ Christi, &c.

Prima parte non possibile modò, verumetiam necessarium esse docet, quod illis absurdum & insolens videbatur. Sic enim ait: Amen amen dico vobis, nisi ederitis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habetis vitam in vobis, &c. Rursus autem contestatione vtitur, vt maius pondus orationis: & significanter carnem filij hominis dicit, vt apertius præposterum ipsorum de iudicium perstringat. Quasi diceret, Quàmuis filius hominis sim, & vobis hominum omnium abiectissimus esse videar, adeò tamen verum est quod dixi, vt nisi carnem meam edatis & sanguinem meum bibatis, vitam non possitis in vobis habere. Et hoc ipsum sententia opposita confirmat, addens: Qui edit carnem meam & bibit sanguinem meum, habet vitam æternam, &c. Vbi ante omnia probè obseruandum fuerit, quid sit edere carnem Christi & sanguinem eius bibere. Sunt enim, qui ex his verbis

Quid sit carnẽ Christi edere?

nalem

tialem in Cœna præsentiam Christi colligunt, & eiusdem carnem atque sanguinẽ in illa realiter & substantialiter manducari & bibi contendunt. Et veteres olim horum verborum authoritate moti, Cœnam mysticam infantibus dare solebant. Sed reipsa isti conuincuntur. Primò enim de eiusmodi manducatione loquitur Christus, quæ per se ad salutem necessaria est, & sine qua nemo seruari potest. At Cœna ad salutem non ita necessaria est, vt non sine illa seruentur, quos necessitas, non prophanus cõtemptus, ab eius vsu excludit. Ergo ista ad Cœnam nõ debent restringi. Deinde de ea manducatione loquitur Dominus, cui salus necessariò coniuncta est. Cœna autem multis exitium potius quàm salutem affert, sicuti Iudæ proditoris & Corinthiorũ exemplis docemur. Quapropter Christi verba de eiusmodi manducatione debẽt exponi, quæ nullis externis rebus alligata, semper & vbiq; potest fieri ab electis, & quæ sola ad salutem sufficit. Ea est, quæ per fidem fit. Hæc enim vt Christi merito nititur, ita nec loci nec temporis circunstantijs, neq; etiam externorum signorum vel rituum defectu impeditur, sed semper & vbiq; potest fieri. Eadem quoq; salutem præsentem offert, quam sine illa nemo consequi potest. Per hanc enim solam Iesum Christum apprehendimus, qui & vita & vitæ author est credentibus. Itaq; Christi carnem edunt, qui fructum mortis Christi, quatis in carne sustinuit, fide vera percipiunt: & eiusdem sanguinem bibunt, qui similiter huius meritum apprehendunt. Sensus ergo verborum est: Nisi in me credideritis, qui carnem meam in ara crucis pro mundi vita offeram, & sanguinem meum pro peccatis mundi effundam, vitam in vobis nec habetis, neq; habituri estis, quoad in vestra hac incredulitate perseueraueritis. Qui enim (vt paulò ante dixi) in me credit, habet vitam æternam: neq; vos offendat quòd credentes quoq; quoad corpus moriuntur. Ego enim illorum corpora in nouissimo illo die suscitabo, vt ipsa quoq; eius vitæ consortium habeant, in quam prius illorum animæ transiuerunt. Iterum verò nouissimæ resurrectionis meminit, ne huius seculi facie offendamur, quæ credentibus omnia tristia minatur, & vt cogitemus vitam nostram in ipso absconditam nunc esse (vt Paulus ait) olim verò manifestandam fore, cùm ipse in gloria sua veniet ad iudicandum viuos & mortuos, &c. Hic (inquam) verborum Christi sensus est, quem verum & germanum esse, totius disputationis contextus euincit. Idem enim prius credentibus promisit, quod hic suam carnem edentibus & sanguinẽ suum bibentibus pollicetur. Et mox addet: Qui edit meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo. Atqui per solam fidem nos Christo inseri constat, vt in ipso maneamus, & ipsum in nobis habeamus manentem. Sola igitur fide caro eius editur, & sanguis bibitur. Neq; nos primi hanc expositionem confinximus, sed huius suffragatorem habemus D. Augustinum, qui huius loci exemplo regulam suam illustrat qua locutiones figuratas à proprijs dignoscere docet. Nam de doctrina Christ. lib. 3. cap. 16. sic scribit: Si præceptiua locutio est, aut flagitium aut facinus vetans, aut vtilitatem aut beneficentiam iubens, non est figurata. Si autem flagitium aut facinus videtur iubere, aut vtilitatem aut beneficentiam vetare, figurata est. Nisi manducaueritis, inquit, carnem filij hominis, & sanguinem biberitis, non habebitis vitam in vobis: facinus vel flagitium videtur iubere. Figura est ergo, præcipiens passioni dominicæ esse communicandum, & suauiter atq; vtiliter recondendũ in memoria, quòd pro nobis caro eius crucifixa & vulnerata sit. Hæc Augustinus. Perperam ergo faciunt, qui ex hisce verbis carnalem Christi in Cœna præsentiam atq; manducationem colligunt, vt antea monuimus. Neq; minus inepti sunt, qui cùm hæc verba rectè intelligant, in Cœna tamẽ corpus & sanguinẽ Christi realiter & substantialiter manibus ministrorum distribui & communicantiũ ore percipi contendunt, neq; permittunt, vt ex huius Cap. tractatione disputatio de Cœna illustretur. Nam (vt sæpe iam monuimus) etsi in præsenti de Cœna non disserat Christus, de vera tamen & salutari corporis sui manducatione disserit, cuius externũ sigillum in Cœna habemus, ad quam qui fide instructi accedunt, ij Christi corpore & sanguine pascuntur, reliquis iudicium sibijpsis manducantibus, qui fide destituuntur. Neq; alia ratio afferri potest, propter quam Ioannes Cœnæ mysticæ institutionẽ prætermisit, quàm quòd hoc Cap. rem ipsam abunde expositam sciret, cuius sacramentũ in illa habetur. Obseruauit hoc ipsum D. Augustinus, qui cùm his verbis societatem corporis Christi & membrorum eius nobis commendari dixisset, mox hæc subijcit: Huius rei sacramentũ, id est vnitatis corporis & sanguinis Christi, alicubi quotidie, alicubi certis interuallis dierũ in dominica mensa præparatur, & de mensa dominica sumitur, quibusdam ad vitam, quibusdam ad exitium. Res verò ipsa, cuius & sacramentum

est, omni homini ad vitam, nulli ad exitium, quicunq; eius particeps fuerit, &c. *Vt igitur quo*
tempore curandum est, vt Christi carnem & sanguinem vera fide percipiamus, & mortis eius me
moria fruamur ad vitã æternam: Ita cumprimis in hoc nos esse decet, quando ad Domini mensã
accedimus, ne nudis signis intenti hæc pro rebus ipsis accipiamus (quam idem August. alibi mise
lem animarum seruitutem esse dicit (sed animis per fidem in cœlum subuectis Christum apprehenda
mus, in quo vno vita salusq; habetur.

Caro Christi uerè est cibus.

At ne quis miretur, Christum carni & sanguini suo tantum tribuere, secunda huius responsio
nis parte dicti istius rationem hanc subijcit: Caro enim mea verè est cibus, & sanguis meus vere
est potus, id est verè habent virtutem cibandi & alendi hominem ad vitam æternam, neq; typum
modò seu figuram referunt, sicuti olim Manna, quod patres vestri comederũt. Ideo qui edit meam
carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo. Quibus verbis similitudo subest a cibo
corporis & alimenti ratione desumpta. Solent enim cibus & potus corporibus nostris vniri, & per
digestionem ita per omnia membra diffundi, vt hæc non modò alimentum ex illis sentiant, verum
etiam per ea in aliam quasi naturam mutentur, dum alimenti qualitates totum corpus recipit, &
per hoc vel incalescit, vel refrigeratur, vel humectatur, vel exiccatũ arescit. Ita (inquit Christus)
caro mea pro mundi vita tradita, & sanguis meus in peccatorum remissionem effusus, si per fidem
apprehendantur, homini vniuntur, vt & illum totum mihi vendicent, & ego illum meo spiritu to
tum transformem atq; immutem, vt me in omnibus suis actionibus referat, & spiritus mei ipsum
inhabitantis indicia euidentissima præbeat. Et hæc quidem per fidem confici, scripturæ omnes do
cent. Per fidem enim in Christo manemus, dum eius membra facti, ipsum caput nostrũ agnoscimus.
Facit item eadem fides, vt Christus in nobis maneat, dũ illius templa efficimur, quæ ille suo spiritu
inhabitat. Quo sensu Paulus Ephesijs precatur, vt Christus per fidem habitet in cordibus ipsorum.
Ephes. 3. Et de seipso idem dicebat: Viuo, non iam ego, sed viuit in me Christus: Vitam autẽ, quam
nunc viuo in carne, per fidem viuo filij Dei, &c. Gal. 2. In præsenti verò carnis & sanguinis in
subinde meminit Christus, vt nos ea demum fide seruari ostendat, quæ ipsum in carne manifestatum
apprehendit, & omnem salutis spem in mortis eius merito collocat, quam ipse in assumpta carne
subijt, vt paulò ante diximus.

Fidei uirtus magna.

Hic igitur eximia fidei virtus nobis consideranda venit, quæ hoc nobis præstat, quod nulla hominum
industria aut viribus præstari potest. Nam Christo Iesu nos inserit, & quia hoc exequi
præstat omnibus credentibus, simul eosdem omnes inter se quoq; coniungit, vt eiusdem corporis mem
bra sint sub vno capite, Iesu Christo, qui spiritum vitæ in omnes illos diffundit. Viuunt igitur in
Christo, vt modò de Paulo dictum est, & simul mutui amoris vinculo inter se arctissimè constrin
guntur. Hæc vt consolationem dulcissimam afferunt in quouis tentationum genere: ita falsi conten
dunt omnes, qui cùm fide glorientur, nulla tamen præbent spiritus Christi indicia, sed prauis affectibus ducti, in peccati sordibus assiduè volutantur. Nec enim temere ab Apostolo dicitur: Qui dicit se
in eo manere, debet sicut ille ambulauit, & ipse ambulare. 1. Ioan. 2. Deinde hypocritas quoq; hic lo
cus arguit, qui temere excommunicant eos, quos Christus per fidem sibi cõiunctos pro suis agnoscit.
Regnat ea temeritas inter Anabaptistas hodie, quibus leuiculum videtur, propter leues offensiones
totas ecclesias damnare, in quibus pura euangelij doctrina prædicatur, & multi insuper reperiuntur,
qui hanc amplexi piè ac innocenter viuunt. Quia verò certum est eos in Christo manere, & Christum
in seipsis habere manentẽ, quicunq; in ipsum credunt, nemo temere tales eijcere conetur, ne quæ tali
infertur iniuria, in Christum vsq; redundet.

Christi caro nõ manducatur ab indignis.

Seruit præterea illis confutandis locus hic, qui in Cœna mystica verũ Christi corpus & sangui
nem dignis simul & indignis distribui, & ab vtrisq; manibus & ore percipi docent: adeoq; Iudã pro
ditorem nõ minus quàm Petrum Christi corpus comedisse clamãt. Imponit illis vana persuasio, qua
mysterium hoc omne virtute verborum confici putant, licet illud quidam constanter negent, quum
men res ipsa abunde cõuincit. Abutũtur præterea verbis Pauli, qui in priori ad Corinth. cap. 11. scri
bit: Quisquis ederit panem hunc, aut biberit poculum hoc indignè, reus erit corporis & sanguinis Do
mini. Putant enim reum corporis & sanguinis Christi neminẽ posse fieri, nisi qui illa realiter percu
perit. At nos fortius multò ex hisce Domini verbis argumentabimur: Quicunq; edunt carnẽ Christi
& bibunt

& bibunt eius sanguinem, ij in Christo manent, & eum in seipsis manentem habent. Impij non manent in Christo, neque hunc habent manentem in ipsis. Ergo ijdem non edunt Christi carnem, neque illius sanguinem bibunt. Neque est, quòd aduersarij de Cœna hîc agi negent. Hoc ipsum enim nos quoque supra confessi sumus. Attamen de vera corporis & sanguinis Christi perceptione agitur, cuius sigillum in Cœna nobis exhibetur. Et quia carni Christi viuifica virtus coniuncta est, eadem nemini exitio esse potest, qui ipsam sumpserit, vt paulò ante Augustini quoque verbis docuimus. Qui idem hæc quoque scribit: Hoc est ergo manducare illam escam, & illũ bibere potum, in Christo manere, & illum manentem in se habere. Ac per hoc, qui non manet in Christo, & in quo non manet Christus, proculdubio nec manducat spiritaliter carnem eius, nec bibit eius sanguinem, licet carnaliter & visibiliter premat dentibus sacramentum corporis & sanguinis Christi: sed magis tantæ rei sacramentum ad iudicium sibi manducat & bibit, quia immundus præsumpsit ad Christi accedere sacramenta, quæ aliquis non dignè sumit, nisi qui mundus est, &c. Et idem pater alibi Iudam panem Domini, non autem panem Dominum accepisse ait. Quoad Pauli locum, non vident aduersarij, aut saltem videre nolunt, illum ipsis aduersari. Disertè enim panis & poculi, id est, vini meminit, non corporis & sanguinis Christi. Ridiculum verò est, quòd non aliter quenquam putent reum corporis & sanguinis Christi fieri, nisi illa realiter & essentialiter manibus indignis contrectet & ore prophano sumat: cùm læsæ maiestatis crimen verè incurrant, qui principis procul etiam absentis sigillum aut statuam violant. Et Paulus indignè accedentes ad mensam hanc corporis & sanguinis reos vocat, non quòd illa sumant, sed quòd illa contemnant, & fidem in Christum fallaci professione prophanent, &c.

Vnde sit carni Christi virtus illa viuifica.

Atomißis his ad tertiam huius responsionis partem accedamus, qua quod de suæ carne dixit, amplius confirmat, docens, vnde hæc illi virtus sit, quòd ipsam manducantibus vitam & salutem conferat. Dicit autem: Sicut me misit viuens ille pater, et ego viuo propter patrẽ: & qui manducat me, ille etiam viuet propter me. Missionis nomine totũ incarnationis negotium cõprehendit, & simul in æterno Dei decreto doctrinæ huius certitudinem nobis monstrat. Sensus itaq; verborum est: Deus pater me in mundum venire & incarnari voluit, vt meæ mortis merito vitam hominibus acquirã. Viuo igitur & simul in me credentes viuifico propter patrem, id est, quia is meam carnem huic fini & vsui destinauit, vt vitam conferat. Idcirco qui me edunt aut vera fide amplexantur, illi etiam propter me viuent, redempti nimirum meæ mortis merito & meo spiritu animati, qui ipsos à morte posthac absorberi non patietur. Hunc verborum Christi statum quia nõ obseruarunt olim hæretici, ex ijs colligebant, Christum patre minorem esse, & ex hoc vitam habere, non autem ex semetipso. Quæ causa fuit, ob quam patres multis disputant, quomodo propter patrem viuat filius, & tamen vitam ex semetipso habeat. Est autẽ disputatio hæc superuacanea, & à Christi scopo aliena, qui non suam deitatem hîc asserere, sed nostræ redemptionis & vitæ æternæ mysteria tradere instituit. Itaq; secundum suæ incarnationis dispensationem loquitur, & vitæ quidem fontem in patre nobis monstrat, se verò huius mediatorem esse docet, per quem illa ad nos dimanet, & quem nos fide apprehendere oporteat, si vita frui velimus. Est autem obseruatu dignißimum, quòd ad patris decretum nos remittit, & carni suæ viuificam illam vim non aliunde inesse docet, quàm quòd illam Deus ad hunc vsum destinarit. Hinc enim constat, vitam & salutem ex nulla re nobis obtingere, quæ non similiter per Dei decretum ad eum finem destinata est. Iugulantur ergo hîc omnes superstitiones, quæ nobis extra Christum salutem monstrant. Nisi enim demonstretur, Deum alia præter hunc media salutis instituisse, frustra hominum suffragijs aut etiam longi temporis præscriptione commendabuntur. At soli Christo hanc gloriam deberi, scriptura docet. Apud Isaiam certè ipse clamat: Ego Dominus, & hoc est nomen meum, & gloriam meam alteri non dabo. Isa. 42. Et rursus: Ego ego ille ipse sum, qui deleo transgressiones tuas, idq; propter me, &c. Isa. 43. Quibus verbis apertè excluditur omnes aliæ peccatorum expiationes: & quia hanc sibi soli Christus tribuit, ad se quoq; solum nostræ redemptionis gloriam pertinere docet. Quod Apostoli quoq; obseruarunt, quorum vox est de Christo: Non est in quoquam alio salus: neq; enim aliud nomen est sub cœlo datum inter homines, in quo oporteat nos saluos fieri. Act. 4. Possent huius generis infinita testimonia produci, sed quia passim occurrunt scripturas legentibus, hæc modò sufficiant.

Conclusio loci huius summaria.

Sequitur disputationis huius conclusio, qua repetit præcipua capita, quibus Iudæorum obiectiones confutarat. Propositio principalis fuit, se solum esse panem verè cœlestem, qui mundo vitam conferat. Hoc vt persuaderet, expugnanda fuit fiducia, qua illi Mosi & patrum exemplo nitebantur. Præterea modum tradere oportuit, quo ipse apprehendi potest. Atqui omnia hæc fusissimè exposuit. Nunc ergo in vnam summam ista colligens & simul ad propositionem rediens infert. Hic est panis ille, qui de cœlo descendit, id est, verè cœlestis & incorruptibilis: Non ei similis, quem patres vestri in deserto comederunt, qui nihilominus mala morte extincti, & Deo irato prostrati sunt. Nam qui hunc panem, me videlicet, ederit per fidem, is viuet in æternum. Sunt hæc aperta satis, & nulla ampliori explicatione opus habent. Continent autem summam nostræ fidei, quæ vt omnes alias superstitiones excludit, ita vni Iesu Christo confidere docet, qui ideò è cœlo descendit, vt homo factus carnis suam daret pro mundi vita, & suæ mortis merito redemptos sibi coniungit, vt in se vno alimentum vitæ imò ipsam vitam æternam habeant. Illi ergo, qui cum patre & spiritu sancto Deus vnus & æternus est, debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

HOMILIA LV.

Hæc dixit in synagoga, docens in Capernaum. Multi ergo ex discipulis eius, cùm audissent, dixerunt: Durus est hic sermo, quis potest eum audire? Iesus autem cùm nouisset in semetipso, quòd de hoc murmurarent discipuli ipsius, dixit eis: Hoc uos offendit? Si ergo uideritis filium hominis ascendentem eò, ubi erat prius?

AVdiuimus concionem Domini nostri Iesu Christi, qua sub panis & potus allegoria totam salutis nostræ rationem & fidei veræ doctrinam luculenter exposuit. Docuit enim se esse panem verè cœlestem & viuificum, qui fide perceptus nos alat & pascat ad vitam æternam. Sequitur postrema huius Cap. pars, qua narratur, vt doctrinam hanc auditores Capernaitæ acceperint. Et primò quidem producuntur, qui ea offensi aduersus Christum murmurauerunt: quæ causa fuit, vt clarius exponat Dominus quod quibusdam obscurius dictum videri poterat. Deinde opponuntur his Apostoli, qui rectius in fide instituti, eam ingenuè fatentur. Habebimus ergo exempla, tam contemptorum Christi, qui cibum hunc vitæ fastidiunt: quam electorum, qui illum dignè & salubriter manducant: quorum hi quidem nobis imitandi, illi verò studiosè cauendi sunt. In præsenti de incredulis agitur, & circunstantias omnes Euangelista diligenter exponit, vt illorum exemplum institutioni nostræ magis inseruiat.

Christus in Synagoga docuit.

Principiò locus indicatur, vbi hæc docuit Christus: Capernai nimirũ in synagoga. Solebat enim (vt aliâs dictum est) in synagogis publicè docere, cùm vt plures in veritatis doctrina instituerentur, tum vt ex eo omnibus constaret, ipsum nihil à lege Dei alienum tradere, quæ ibidem proponebatur, neq; se ex impostorum numero esse, qui clàm obrepere, & suis strophis atq; sophismatis rudiores & imperitos capere vel irretire consueuerunt. Adde his, quòd dum ista in publico & frequenti cœtu proponuntur, non obscurè innuit, doctrinam hanc ad omnes pertinere, & absq; eius cognitione salutem nostram consistere non posse. Itaq; confutantur Christi exemplo, qui à doctrina hac multos excludunt, & Iudæorum atq; ethnicorum instar mysteria fingunt, quæ nemini nisi sacris ipsorum initiato attingere vel audire liceat: adhæc fidei doctrinam linguis peregrinis obscuriorem faciunt, & quantũ in ipsis est improbè sepeliunt. Cæterùm quia ad religionem omnes homines conditi sunt, omnes etiã in ea institui necesse est: & nimiùm impudentes sunt, qui regni Dei mysteria aliquos celant, cùm illa omnibus in Christo patefecerit Deus, & ad eius societatem omnes inuitet. Præterea Christi fides & industria obseruari debet, qua is in officio suo vtitur. Erat enim missus, vt prophetæ illius magni vices obiret, quem Moses venturum dixerat, & ipse alibi se ad prædicandum eximiè testatur. Nullam ergo occasionem omittit seu negligit, qua aliquos lucrifaciat. Imò cùm quiescere vellet & discipulos suos à laboribus recreare, populi tamen concursu mouetur, vt mox ad officium redeat: neq; contentus in deserto doctrina & miraculo se ipsis manifestauisse, nunc in synagoga quoq; cadem

Christi fides et industria.

eadem de re disputationem instituit. Et multa passim occurrunt huius generis exempla, quæ de illius studio erga salutem nostram testantur. Debent ipsum imitari omnes ecclesiæ ministri, ne sua negligentia eos perdant, quorum salutem ille tam solicitè quæsiuit. Obseruent hoc ipsum, qui in magistratu constituti sunt, & quicunque in aliquo munere sibi diuinitus commisso versantur. Si enim viri boni est dolere, quando se impediri videt, quò minus possit officium facere: inexcusabile & nulla venia dignum scelus est, à Deo oblatas occasiones negligere, & priuatum otium publicæ multorum saluti præferre.

Deinde quid factum sit narratur, cùm ista Dominus doceret. Multi ex discipulis eius, cùm audissent, dixerunt: Durus est hic sermo, &c. Ergo doctrina hac offensi murmurarunt, vt postea clarius exponitur. Atqui miretur aliquis non immerito, Christum, qui æterna est sapientia, in publico docentem, quàm plurimos aduersarios inuenire, & quidem inter eos, qui promissiones de Messia habebant, legem quotidie legebant vel audiebant, & ex prophetis pleniorem veritatis cognitionẽ haurire poterant: imò qui ipsum tanto studio erant secuti & discipuli eius dicebantur, adeoq; inter eos, ad quorum obiectiones tam diligenter hucusq; responderat. Sed ita est mũdi huius ingenium, & prodest exempla eiusmodi obseruare, ne offendamur, si quid simile nobis hodie accidat. Quid enim sibi de sua industria polliceantur ministri homines, quando Dei filius tam ingratos & præfractos reperit, quibus se totum dies & noctes impendebat? Aut quæ ratio iubet nos de doctrinæ veritate dubitare, eò quòd huic multi contradicant, cùm idem olim factum sit, quando is eam proponebat, quem Deus vniuersalem salutis doctorem constituit, & testimonio cœlitus delato commendauit? Auditores Christo obmurmurant

Porrò videamus, quid illi dicant. Durus (inquiunt) est hic sermo, quis potest eum audire? Primò Christi doctrinam duram, id est, absurdam & nõ modò difficilẽ intellectu, verumetiam scandali plenam esse aiunt. Deinde ne seipsos tarditatis nomine infament, talem esse queruntur, quam nemo hominum audire vel intelligere possit. Est hoc proprium impijs, quòd non modò fastidiunt & reijciunt verbum Dei, sed hoc insuper accusant, & cùm ipsi duri atq; intractabiles sint, culpam omnem in veritatis doctrinam reijciunt, quasi hæc eiusmodi sit, quam nemo cordatus & bonus ferre queat. Itaque fatui (vt D. Cyrillus scribit) sublimiori doctrinæ, quam non intelligunt, detrahere solent: & edentulorum instar solidiorem veritatis doctrinam respuunt, fluidis verò & lubricis impostorũ traditionibus aut proprij ingenij figmentis delectãtur. Fit hoc ipsum etiam hodie. Quid enim simplicius & dulcius Christi doctrina, quæ relictis & explosis superstitionum ambagibus, vnum Deum in spiritu & veritate adorare, in solius filij merito salutem quærere, illius intercessione niti, & eidem in puritate & vitæ innocentia seruire docet? Attamen multis perplexa, obscura, bonis operibus inimica, & proinde intolerabilis esse putatur. Idem olim prophetæ experti sunt, & notum est Achabi exemplum, qui Micheam fastidiebat, vt rigidum nimis & importunum, falsis autem prophetis & improbis impostoribus se seducendum præbebat. Doctrina Christi dura videtur

Quid verò istos adeò offendit, vt Christi sermonem durum & intolerabilem dicerent? Primum, quòd dixisset: Ego sum panis ille vitæ, qui de cœlo descendit. Alterum: Nisi ederitis carnem filij hominis, & sanguinem eius biberitis, non habetis vitam in vobis. Ex istis enim, illud quidem impiũ & sacrilegum, hoc verò barbarum & ab omni humanitatis sensu alienum videbatur, cùm nec Christum vere nouissent, neque illius verba aliter quàm ex carnis sensu interpretarentur. Vbi obseruabimus, quæ nam doctrinæ veritatis sors sit. Multa hucusque docuerat Christus, quæ vnanimi fere omnium consensu probata fuerunt. Cùm enim legem interpretaretur, & eam à scribarum traditionibus purgaret, omnes illius doctrinam admiratos fuisse Matthæus scribit: eò quòd non instar sacerdotum, sed cum efficaci spiritus virtute doceret. Et sæpe aliàs cateruatim ad eum confluxit populus, neque vnquam aduersus illum adeò impudenter murmurauit: quando nimirum scribas atque sacerdotes accusabat, & circa res externas versabatur, quæ humanis viribus cõficI posse videntur. At nunc, quando auditores suos à terrenis altius in cœlos euehit, & in se vno omnem salutem quærere, & per fidẽ sibi inseri docet: mox plerique offensi murmurant, & in voces eiusmodi non minus meptas quàm impias erumpunt. Similia hodie passim fiunt. Quando enim circa initium prædicationis Euangelij, fraudes impostorum detegũtur, Pontificum & Episcoporum tyrannis accusatur, Monachorum & sacrificum mores corripiuntur, magno cum applausu hanc doctrinam ple Quid in Christi doctrina maxime offendat?

rique audiunt, qui non modò eam probant, verumetiam ministrorum fortitudinem atq; prudentiam laudibus in cœlum euehunt. Vbi autem illi longius progressi, iustificationis veræ rationem traderent & disciplinam ecclesiasticam instituunt: tunc & hypocritis iustitiarijs & palàm flagitiosis aut certe omni mundoq; deditis, doctrina hæc dura & intolerabilis videtur. Hi enim disciplinã omnem odernt, & indignum putant nouis legibus morum licentiam coerceri: illi verò pietatis studium extinguunt, & bona opera prohiberi clamant. Et ea est hominũ improbitas, vt quod ipsis improbatur, nemini merito talium probari posse existiment: & ideò vndique exempla conquirunt, quibus suam contumaciam tueantur. At tunc nobis ista in mentem venire debent, quæ olim Christo & Apostolis acciderunt, ne improborum clamoribus nos decipi aut vinci patiamur.

Christus murmuratoribus respondet.

Cæterùm ad Christum accedamus, qui in semetipso mox intelligit, auditores hac doctrina offensos eiusmodi sermones inter se serere, quibus illius veritas in dubium vocabatur (quid enim non audeat, qui Deus verus & ipsissima est sapientia?) & proinde mox occurrens, illorũ petulantiam grauiter retundit, dicens: Hoc vos offendit? Sic enim eos interrogans, non obscurè innuit, nõ aliquã fuisse causam iustam, quæ ipsos talia dicere cogat. Suo autem exemplo docet, non tacere nos debere ad eorum murmura & dicteria, qui veritatis doctrinæ detrahunt: neq; audiendos esse eos, qui sub mansuetudinis Christianæ prætextu nobis tacendi & dicendi leges præscribunt. Quis enim Christo modestior & mansuetior vnquam inter homines visus est? At nihil ille dissimulat, quando veritatem & salutis doctrinam in periculum venire videt, sed illico ad murmura respondet, & calumnias diluit. Fecerunt idem olim prophetæ, et postea etiam Apostoli: vtq; hoc fiat tam Dei gloria quàm salus proximi requirit, quæ duo nobis quàm maximè curæ esse debent. Est ergo animi irreligiosi & nimis inhumani argumentũ, si qui ad omnia conniuere & quæuis patientibus auribus ferre possunt. Imprimis tamen hæc cura ad verbi ministros & ad magistratus pertinet, quos publicæ fidei gloriæ vindices & comunis omnium salutis custodes Deus constituit. Quibus si priuatim opem ferant patresfamiliâs, & deinde singuli quiq;, mox apparebit, quàm magnos in vera pietate progressus faciant, qui omnino perituri esse videbantur.

Ascensio carnalem Christi mãducationẽ confutat.

Ne tamen inanibus verbis agat Christus, argumenta quoq; profert, quibus vtrumq; scandalum remouet, ad quod illi offendebant. Primum in præsenti his verbis proponit. Quid igitur, si videritis filium hominis ascendentem eò, vbi erat prius? Rursum verò propter vnitatem personæ de humana natura, quam assumpsit, pronuntiat, quod reuera ad solam diuinitatẽ pertinet. Iuxta hanc enim ait æterno cum patre fuit, & quidem in cœlesti regno fuit, priusquàm incarnaretur: ibidem verò esse non potuit, quæ priusquàm nasceretur, ne in rerum quidem natura erat. Ascensionẽ verò adiungat, & per hanc (vt diximus) vtrũq; scandalum è medio aufert. Quasi diceret: Offenditis vos, quod me cœlitus venisse dixi, & carnem meam verè cibum esse, quem necessariò eos manducare oportet, qui volunt vitam consequi. Vt enim nihil homine maius in me agnoscitis, ita barbaram & immanem carnis humanæ lanienam animo concipitis, qualem in Anthropophagis omnes meritò execrantur. At longè aliter rem habere, ipsi aliquando intelligetis. Vbi enim me relictis terris in cœlũ ascendere, & inde per spiritus sancti missionem & infinita alia diuinam potentiam declarare videbitis, tunc simul meam originem cœlestem, & me verũ Deum esse sentietis, neq; quicquam carnale de manducatione carnis esu cogitari, sed omnia ista sensu altiori & mystico accipi debere, &c. Scio hæc verba à nonnullis aliter exponi, cæterum hic sensus vt simplicissimus est, ita Christi instituto optimè seruit, & ex toto disputationis huius contextu rectissimè colligitur. Placuit idem veteribus quoq;, ex quibus Cyrillus locum hunc ad diuinitatis Christi demonstrationẽ refert, & in ascensione patuisse ait, carnem eius viuificandi virtutem habere, eò quòd non nudi hominis caro sit, sed diuinitatem sibi connatam habeat. D. Augustinus autem in hæc verba sic scribit: Hinc soluit illud quod non nouerant: hinc aperuit vnde fuerant scandalizati, hinc planè si intelligerent. Illi enim putabant eum erogaturum corpus suum, ille autem dixit, se ascensurum in cœlum, vtiq; integrum. Cùm videritis filium hominis ascendentem vbi erat prius, certè vel tunc videbitis, quia non eo modo quo putatis erogat corpus suum, certè vel tunc intelligetis, quia gratia eius non consumitur morsibus, &c.

Bonitas Christi

Cæterùm obseruatu dignissima est Iesu Christi bonitas atq; facilitas. Etsi enim iustas & graues causas haberet illos increpandi, adeoq; aduersus ipsos fulminandi horrendas minas, amice tamen qui cum-

eos compellat, & oculárem demonſtrationem ijs pollicetur, qui propter incurabilem contumaciam quouis ſupplicio digni erant. Facit hoc ſæpe Deus: & ipſi frequenter hanc eius bonitatẽ experimur, dum euidentiſſimis exemplis ſuas promiſſiones atq; minas probat & confirmat, vt illis perſpectis ad obedientiæ & pietatis ſtudium excitemur. Vbi nos meminiſſe oportet, inexcuſabiles fieri omnes eos, qui hac Dei longanimitate contempta in ſceleribus nihilominus pergunt, aut etiã aduerſus verbum illius odioſè murmurant.

Deinde vſum aſcenſionis Chriſti hæc ſententia docet, quem multiplicẽ eſſe conſtat. Primùm autem teſtatur, illum verum & patri coæternum eſſe Dei filiũ, qui noſtræ redemptionis ergò in mundum venerit. Nam vt Capite tertio audiuimus, nemo aſcendit in cælum, niſi filius hominis, qui in cælo eſt, id eſt, qui licet homo verus ſit factus, ſimul tamen ab æterno verus Deus in cæleſti gloria cum patre conſidet & regnat. Quia autem aſcenſionem reſurrectio præceſſit, facilè patet, ipſum humani generis redemptorem eſſe, qui vt morte ſua peccatum mundi expiauit, & reſurrectione mortẽ deuicit: ita per aſcenſionem de omni aduerſaria poteſtate triumphauit, captiuam ducens captiuitatem, adhæc viam in cælos nobis aperuit, carnem ſuam eò intulit, vt pignus eſſet noſtræ carnis olim eòdem transferendæ, & nunc illic pro nobis aduocatus & mediator coram patre apparet. Habet ergo aſcenſio certiſſima ſalutis argumenta, & in omni tentationum genere dulciſſimam nobis conſolationem exhibet. Deinde docet nos eius conſideratio, ne in Chriſti regno & redemptionis noſtræ negotio aliquid carnale imaginemur. Si enim vel regnum eius de hoc mũdo eſſet, vel in carnis ſuæ præſentia ſalutis noſtræ ratio conſiſteret, nunquam illam ex mundo hoc ſubducere, & videntibus diſcipulis in cælos ſubuehere voluiſſet. Excluduntur ergo eadẽ ratione carnales de corporis Chriſti manducatione in Cœna myſtica cogitationes: & ex Auguſtini verbis, quæ ſupra adduximus, ſatis apparet, nos nequaquam noui & prius inauditi dogmatis authores eſſe, quando ex Chriſti aſcenſione argumenta petimus, quibus aduerſariorum de carnali eius præſentia & manducatione ſententiam oppugnamus: cùm ipſe Dominus Capernaitas tale quid ſomniantes ad illam remittat. At plura de hoc in ſequentibus dicentur, vbi aliud argumentum contra illos profert. Sufficiat nunc Chriſtum verè agnoſcere, qui cùm filius Dei & Deus verus ab æterno ſit, propter nos tamẽ incarnatus in terras venit, & peracto noſtro redemptionis negotio, corpus ſuum in cælos ſubuexit, vt noſtræ carnis et futuræ beatitudinis illic arrhabo ſit, nobis autem ſalutis arrhabonem dedit ſpiritum ſanctũ, vt hoc animati in ipſo viuamus, & ſalutem eam firmiter retineamus, quam ipſe nobis acquiſiuit. Illi debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.

Aſcenſionis Chriſti vſus.

HOMILIA LVI.

Spiritus eſt qui uiuificat, caro nõ prodeſt: quícquã: Verba quæ ego loquor uobis, ſpiritus ſunt & uita ſunt. Sed ſunt quídam ex uobis, qui non credunt. (Nouerat enim ab ínitio Ieſus, qui eſſent non credentes, & quis eſſet qui ipſum erat ꝓditurus:) & díxit: Propterea díxi uobis, quòd nemo poteſt uenire ad me, níſi fuerit eí datũ à patre meo. Ex eo multí diſcipulorũ eius abíerunt retro, neq; amplíus cũ eo ambulabant.

QVemadmodum Ieſus Chriſtus ſub panis & potus parabola diligenter expoſuit noſtræ ſalutis rationem, & hanc in ſe vno contineri docuit, qui in ſe credentes alat & vitæ æternæ conſortes reddat: Ita grauiter admodum ijs occurrit, qui doctrina hac, vt dura & barbara offendebantur. Et quia iſti carnis ſuæ manducationem & ſanguinis ſui potationem carnalem animo concipiebant, diſertè monet, nihil tale ipſos cogitare vel imaginari debere. Et primò quidem reipſa eos conuincit, dum ad aſcenſionem ſuam eos remittit, in qua ipſo corpus ſuum ipſis videntibus in cælum ſubuehente, intellecturi ſint, illud in terris nequaquam carnali modo manducari poſſe. Quàmuis verò hoc argumentum ſufficere poſſit, aliud tamen hoc loco ſubijcit, quo magis eos confutat: & mox ſcandalo etiam medetur, quod ex ipſorum diffidentia, vel contumaci potius inobedientia, enaſcebatur.

Carnalis Christi manducatio neq; utilis neq; necessaria est.

Argumentum, quod producit, in hoc potissimùm incumbit, vt euincat, carnis suæ manducationem, qualem ipsi animo conceperant, neque vtilem neque necessariam esse, & proinde nihil tale debere cogitari. Dicit enim: Spiritus est qui viuificat, caro non prodest quicquam, &c. Quæ verba nonnulli, vt crassam suam & planè Capernaiticam de Cœna Domini opinionem tueantur, de spiritus & carnis ingenio vel intellectu & sensu exponunt, quorum hic quidem inutilis, ille verò salutaris sit. Sed ijdem toto huius disputationis contextu conuincuntur. De carne enim sua Christus disserit, quæ verè cibus sit, & quam manducare oporteat eos, qui vitam æternam velint consequi. Deinde non de carnis ingenio aut sensu, sed ipsissima Christi carne, murmur & astantium offensio fuerat exorta. De hac igitur respondet Christus, nisi illum Andabatarum more responsionis suæ argumenta temere protulisse dicamus. De carne ergo sua loquitur, & hanc quam prodesse negat, & proinde ineptam & superuacaneam esse hanc ipsorum de illius esu disputationem.

Quomodo Christi caro nihil prosit?

At hîc noua quæstio oritur, quam omnino solui oportet, priusquàm ad exponendũ loci huius sensum progrediamur: Quomodo nimirum carnem suam nihil prodesse Christus dicat, cùm huius nostræ mendæ causa in mundum venerit, & eam ex virgine intemerata oportuerit assumi? At non simpliciter de carnis suæ vsu aut vtilitate loquitur, sed istorum crassis imaginationibus respondet. Facilis ergo est quæstionis huius solutio, & mox patebit, quomodo prosit caro Christi, & non prosit, si incarnationis eius causam finalem & horum crassam opinionem inter sese conferas. Quia enim carnem ex Maria virgine propter nos assumpsit Dei filius, ea inutiliter assumpta fuisse dici non potest, imo quoad nostræ redemptionis & salutis negotium, multiplex & perquàm necessarius illius vsus est. Hanc enim in mortem pro nobis tradi oportuit, vt pro peccatis nostris sacrificium fieret: eandem à mortuis resuscitari necesse fuit, vt mortis imperium & vires dissoluerentur. Quin illa nostra cum Deo reconciliationis medium est, & nunc pignoris instar in cœlis agit, quo de nostra carne olim eidem subuehenda certiores efficimur. Hac igitur ratione caro Christi non modò vtilissima, verùm etiam necessaria est, cùm sine ea salutis nostræ ratio non posßit consistere. Rursum eadem non prodesset, si carnaliter & ore corporis manducetur, quod fieri oportere Capernaitæ somniabant. Et hoc sensu verba ista D. Augustinus intellexit, qui sic scribit: O Domine magister bone, quomodo caro non prodest quicquam, cùm tu dixeris: Nisi quis manducauerit carnem meam, & biberit sanguinem meum, non habebit in se vitam? An vita non prodest quicquam? & propter quid sumus quod sumus, nisi vt habeamus vitam æternam, quam tua carne promittis? Quid est ergo, non prodest quicquam? Caro non prodest quicquam, sed quomodo illi intellexerunt: carnem quippe sic intellexerunt, quomodo in cadauere dilaniatur, aut in macello venditur, non quomodo spiritu vegetatur, &c. Itaq; sensus istorum verborũ hic est: Quæ hæc ô boni vestra est stupiditas & inertia, quòd vitam, quæ solo spiritu constat, ex carne manare arbitremini? Spiritus sit oportet quod vitam gignit. Vnde enim viuat caro, nisi ex spiritu? quem si auferas, cadauer est, quod nec sibijpsi viuit, neq; alios viuificare potest. Hoc ipsum ergo in nostra hac disputatione obseruari debebat. De vita enim æterna nobis sermo est, quam caro nulla dare poterit, cùm ne temporariam quidem hanc ex semetipsa habeat. Spiritus, id est, diuina virtus est, quæ carnem meam viuificam reddit, vt suo merito peccatum expiet, mortem vires & laqueos dissoluat, genus humanum à damnatione redimat, & fidei ore percepta ad vitam æternam pascat & alat. Eadem verò dentibus laniata, & per fauces in aluum demissa, nihil prodest. Itaq; verba mea, quæ vobis loquor, spiritus & vita sunt. Id est, doctrina hæc spiritualis est, quæ non in literæ cortice vos hærere vult, sed animos sursum in cœlos euehit, & me fide, non carnis sensu, quærere docet. Adhæc vita quoq; est, id est, viuifica est omnibus, qui illam sano sensu intellectam fide apprehendunt, & eidem, vt par est, obtemperant.

Superstitiones omnes iugulantur.

Iugulantur itaq; hac Christi sententia omnes superstitiones, quæ hominũ mentes in externis & imbecillis huius mundi elementis detinent, & salutem in carne, id est, carnis exercitio atq; operibus quærere docent. Quod enim in præsenti dicit Dominus, latissimè extendi potest. Non profuit Nazarethanis, Christo à pueris hospitium dedisse: non pharisæis et sacerdotibus, quòd cum illo colloquentes sunt, aut etiam eundem mensis suis adhibuerunt: non Iudæ, quòd illi familiarissimè conuixit, quod in eius nomine prædicauit, miracula fecit, dæmones eiecit, quòd epulo paschali interfuit, quòd ex ma-

nu ipsius

nu ipsius panem illum mysticum accepit: non etiam in nouissimo die multis proderit si ipsum dominum dicere, euāgelij doctrinā & signa in eius nomine edita iactitare possint: & ne quid omittamus, si possibile foret, ipsam Christi carnem in aluum demittere, & eiusdem sanguinē haurire, nihil tamen hoc quoq; ad salutem animarum aut totius hominis æternam faceret. Quæ ergo, malùm, vesania est, in nostra aut aliorum carne gloriari? Num generatio, quam iuxta carnem habemus ex maioribus nostris, filios Dei & regni cœlorum hæredes faciet, cùm Iudæos viperarum progeniem & diaboli filios dici audiamus, qui ex sanctissimis patribus oriundi erant, & ex quibus suam carnem Dei filius assumpserat? Num piscium, olerum, leguminum, halecum esus præstabit, quod caro Christi carnaliter manducata præstare non potest? Nū cilicia, chameunias, peregrinationes, superstitiones & quæ cunq; alia sunt corporis exercitia, apud Deum in maiori honore & pretio esse putabimus, quàm euangelij prædicationem & miracula in Christi nomine ad ipsius gloriam edita? Hæc qui rectè secum expenderint, mox videbunt, non temerè ab Apostolo dictum esse: Non est regnum Dei cibus & potus, sed iustitia, & pax, & gaudium in spiritu sancto. Rom. 14. Et rursum: Corporalis exercitatio paululum habet vtilitatis, at pietas ad omnia vtilis est, &c. 1. Timoth. 4.

Euangelij dignitas.

Præterea doctrinæ Christi (quam vulgo euangelium dicimus) dignitas hoc loco nobis commendatur. Hanc enim spiritum & vitam esse ait. Et spiritus quidem nomine subiectum vel argumentum eius indicatur, quod circa res spirituales versari constat, & eas quæ ad æternā hominis totius salutem faciunt. In hoc igitur disciplinas omnes longè superat, quæ ferè circa res externas & corporeas, aut saltem circa inutiles rerum inanium & incertissimarū speculationes occupantur. Deinde modus quoq; exprimitur, quem nos in eius tractatione obseruare decet. Quia enim spiritualis est doctrina ista, non ea quæ corpori & carni seruiunt, sed spiritualia & æterna in ipsa quæri debent. Quod nō ita dictum volumus, vt vbiq; omisso simplici sensu allegorias vænemur, quod olim Iudaico planè spiritu ductus Philo fecit, cuius exemplum Origenes secutus, multos scripturæ locos violenter detorsit, & secum innumeros alios in errorum Labyrinthos & absurda dogmata abduxit. Nam vt Epiphanius prudenter monuit, nō omnia scripturæ verba allegoricis expositionibus opus habent, sed in proprio sensu primùm accipienda, deinde penitius excutienda, & ita secanda sunt, vt nostræ ædificationi seruiant, nosq; à terrenis & externis per fidem in cœlestium mysteriorum considerationem subuehamur. Hic modus obseruatus facit, vt doctrina hæc nobis vita sit, id est vt vitam homini toti afferat, quæ alioqui impijs & contumacibus odor mortis ad mortem esse consueuit. Verè autem viuifica est Christi doctrina. Nam & spiritus sancti consortes reddit, qui corda nostra innouat, & renatos ex verbi semine ad omne opus bonum idoneos facit, salutis item æternæ arrhabo & pignus est certissimum, quam olim in resurrectione mortuorū corpora quoq; nostra assequentur. Inde verò colligimus, eos & vitam & bona simul omnia amittere, quicunq; Christi doctrinam nō admittunt, aut in mundi gratiam vel periculorum metu eam abnegant atq; reijciunt: de quo alibi fusius est dictum.

Occurrit scandalo defectionis multorum.

Cæterum quia nihil tam vulgare est, quàm ad aliorum exempla respicere, & de religionis doctrina secundùm sectatorum eius multitudinem aut splendorem pronunciare, rursum scandalo occurrit Dominus, quod ex defectione mox secutura oriri poterat. Nam sermonem quasi abrumpens per correctionem planè patheticam subijcit: Sed sunt quidam ex vobis, qui non credunt. Quasi diceret, At quid ista tam multis nequicquā inculco, cùm non ignorem, quales sint pleriq; vestrūm: alieni nimirum à fide, & proinde non capaces eorum, quæ abs me dicuntur. Tales autem esse nunc prædico, ne quem ipsorum subita defectio offendat. Nec enim hæc ex mea doctrina orietur, quæ & simplex & salutaris est, sed ex ipsorum malitia & improbitate. Sed & iam ante testatus sum, fidem donum Dei esse, nec aliquem ad me venire posse, nisi cui hoc diuinitus detur, &c. Et hæc quidem Christum non temere dixisse, Ioannes per interpositam parenthesin testatur. Nouerat enim (inquit) ab initio Iesus, qui essent non credentes, & quis esset, qui ipsum erat proditurus. Est hoc euidens diuinitatis argumentum, quod in aduersis & crudelibus hostium nostrorum consilijs atq; machinationibus dulcissimam consolationem exhibet. Vt enim suos nouit Christus, neq; aliquem illorum ex manibus suis eripi sinit: ita hostes quoq; suos nouit, quot sint numero, quàm potētes & instructi sint, quid item moliantur, & facile illi est rationem inuenire, qua consilia illorum conturbet. Neque nos moueat, quòd interdum illis multa indulget, & suorum oblitus videtur. Nam vt Iudam non coercuit violenter,

licet ipsum probè notum haberet, ne quid patris sui decreto æterno aduersum siue contrariũ faceret. Ita non rarò patitur, vt ecclesia hostium libidini ad tempus succumbat, & duris flagris excitentur, quos ocium & pax vel confidentes nimis, siue securos fecit.

Non temere pronunciandũ de aliorum salute.

Interim obseruemus, Christum non temere istud de auditorum suorum incredulitate pronunciauisse, sed illos probè cognitos & perspectos habuisse, cùm hæc diceret. Adhæc licet tales esse sciret, non tamen eos ipse deserit, sed sua sponte discedentes suo ipsorum arbitrio relinquit. Discamus hoc exemplo non temere pronunciare de aliorum fide & salute. Nemo enim nouit ea quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui est in eo: Imò ne is quidem ea semper videt & nouit, quæ ad salutis nostræ causam faciunt, nisi Dei spiritu illuminetur. Multò minus verò ab ecclesijs temere discedendũ est, in quibus purior veritatis doctrina sonat: ne nostro discessu eos præcipitanter nimis damnemus, qui fortassis ex electorum numero, & nobis meliores sunt. Quin potius Paulinum illud semper in mentem reuocemus: Tu quis es, qui condemnas alienum famulum? proprio domino stat aut cadit: stabilietur autem: potest enim Deus eum stabilire. Rom. 14. Quò etiam referri potest, quod de impari coniugio iunctis in priori ad Corinth. 7. scribit, ne quis ab infideli coniuge statim discedat: cùm nesciamus, an is nostra consuetudine lucri fieri possit. Vbiq; certè scripturæ temeraria iudicia damnant, & multò plura de colligendis fratribus, quàm excludendis aut deserendis, præcepta habemus. Quæ vtinam obseruarent Anabaptistæ, quibus leuiculum videtur, totas ecclesias damnare, & quantum in ipsis est, satanæ tradere: quando non omnia in illis pro suo arbitrio instituta esse vident. Nec minori studio hîc ministris ecclesiarũ opus est, ne ab illis inconsiderato zelo discedant, apud quos potius operi instare debent, cùm illos nondum apertos videant veritatis hostes esse factos.

Discipuli multi deficiunt à Christo.

Porrò vbi disputationi huic finem Christus imposuit, illius euentum Ioannes cõmemorat. Fuit is, quòd aperto schismate facto, alij quidem ex Christi comitatu palàm defecerunt, alij verò constanter cũ illo perseuerarunt. Itaq;, vt nuper monuimus, exempla subijciũtur, tam eorũ qui ipsum digne manducarunt per fidem, quàm eorum qui impio fastidio & nausea absterriti ipsum sunt aspernati. Et de his quidem in præsenti dicitur: Et ex eo multi discipulorum eius abierunt retro, ne q; amplius cum eo ambulabant. De illis ergo loquitur euangelista, qui hactenus non vulgares modò auditores fuerant, sed qui in eius comitatum assumpti, nomẽ ipsi dederant. Hi nunc doctrina ista offensi, ab eo defecerunt. Poterat hoc insolens & incredibile videri, nisi multa huius generis fierent quotidie. Nã etsi hodie etiam omnes homines ad sese inuitet Christus, & se totum cum omnibus bonis suis offerat, adeoq; comedendum propinet, maximus tamen illorum numerus est, qui cùm Christiani dici & haberi velint, eaq; omnia palàm profiteantur, quæ hucusq; de seipso ille tradidit, nihilominus leuissima occasione offensi pedem referunt, & de doctrinæ eius nimio rigore conqueruntur. Fuit autem euidẽs impietatis & ingratitudinis argumentum, quòd nulla iniuria affecti ab eo secessionẽ faciunt, qui beneficia infinita in eos contulerat, neq; illius interpretationem admittunt, qua quod illis durius dictũ videbatur, tam commodè mitigauerat. Eodem itaq; reatu tenentur, quicunq; hodie ad quamuis occasionem resiliunt, & nullis rationibus se emolliri patiũtur, adeò vt facilè appareat, eos iamdudum deficiendi occasionem quæsiuisse. At debent ijdem meminisse, Christi spiritu eos modò viuificari, qui corporis eius membra sunt, & proinde vitæ expertes fore omnes, qui ab eo separantur. Ideo D. Augustinus dicebat: Nihil sic debet formidare Christianus, quàm separari à corpore Christi. Si enim separatur à corpore Christi, non est membrum eius: si non est membrum eius, non vegetatur spiritu eius: Quisquis autem (inquit Apostolus) spiritum Christi non habet, hic non est eius, &c. Rom. 8. Interea admonemur exemplo hoc, non debere quenquam offendi, si etiam hodie multi ab euangelio deficiant. Si enim hoc contigit Christo docente, qui vt gratia et spiritus virtute omnes excelluit, ita suam doctrinam miraculis infinitis confirmauit, quid de nobis speremus, qui neq; hominum corda in manu nostra habemus, neq; omnes offensiones cauere possumus, quæ ex corrupta carnis nostræ natura nobis inscijs, et nõnunquam inuitis protuberant? Adde his mundi ingenium, qui scãdala nõ data quærit, & simplicissima veritatis doctrina offenditur. Neq; tunc nobis aliquis oggganniat: Cur ista nunc dicta sunt? Cur non alijs verbis vsi sunt, qui ista proponere voluerunt? &c. Poterãt enim hæc ipsa Christo etiam obijci, quem tamen extra culpam fuisse, nemo pius negauerit. Annitendum quidem est nobis, ne quem temere offendamus. Nemo tamen sibi de seipso tantum polliceri debet, quod

absq;

absq; omni animorum offensione Christum prædicare posſit. Itaque si præter nostram culpam aliqui offendantur, nostrum fuerit veritatis doctrinam constanter tueri, quando constat hominum improbitate illi nihil detrahi aut derogari posse.

Docet præterea exemplum hoc, quàm noxium sit, animo non syncero ad Christi doctrinam accedere. Hinc enim certi gradus sternuntur, per quos ad interitus & mortis æternæ præcipitium ascenditur. Impegerunt isti, vt dicitur, in ipso limine, quando ventris studio excitati ad Christum cõuenerunt. Quid ergo fit? Vbi suum hoc præposterum studium Christo improbari, seq; ad æterna & cœlestia bona remitti audiunt, mox murmurant, & patrum exemplo ad superstitiones suas defendendas abeuntur. Neq; eo contenti, ab occulto murmure ad apertas cõtentiones siue rixas progrediuntur. Rixas impiæ voces & conuitia excipiũt, quibus Christum accusant, quasi impia temeritate diuinos honores sibi vendicet, & barbarũ seu Cyclopicum humanæ carnis esum inuehere conetur. Tandem defectio sequitur, quæ illis interitus causa fuit. Sunt hæc vulgaria nimis hodie, & ideo prolixa demonstratione nequaquam opus est. Itaq; horum memores, suspecta habeamus carnis nostræ desideria, quæramus autem in Christo Iesu cœlestia bona, peccatorum videlicet remissionem, reconciliationem cum Deo patre & vitæ æternæ hæreditatem, quæ is nobis suæ mortis merito acquisiuit, & in se credentibus liberalissimè confert. Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.

Nocentissimum est non syncero animo accedere ad Christũ.

HOMILIA LVII.

Dixit ergo Iesus duodecim illis: Num & uos uultis abire? Respondit ergo ei Simon Petrus: Domine, ad quem ibimus? uerba uitæ æternæ habes. Et nos credimus & cognouimus, quòd tu es Christus, filius ille Dei uiuentis. Respondit eis Iesus: Nõne ego uos duodecim elegi? & unus ex uobis est diabolus? Loquebatur autẽ de Iuda Simonis Iscariota: hic enim erat eum proditurus, cùm esset unus ex illis duodecim.

Spiritus sanctus in scripturis non modò fideliter & dilucidè tradit, quæ nobis ad veræ salutis cognitionem necessaria sunt, sed vt nostræ tarditati sese accommodet, simul doctrinam hanc exemplis illustrat, quibus ad ea excitemur, sine quibus salus nostra consistere non potest, absterreamur autem ab ijs, quæ huic officere consueuerunt. Fit hoc ipsum in huius cap. tractatione. Postquam enim Ioannes Christi doctrinam exposuit, qua ostendit se verum illum & viuificum panem esse, qui solus nos alat & satiet ad vitam æternam: postrema Capit. parte exempla subijcit, quibus docemur, quid circa hanc doctrinã à nobis fieri aut caueri debeat. Et primò quidẽ eos produxit, qui veteri errore & superstitiosa externarum ceremoniarũ fiducia præoccupati, cibum hunc fastidierunt, & infames apostatæ facti sunt. His verò nunc duodecim discipulos opponit, qui Christũ vera fide amplexi, carnem eius verè manducarunt, & sanguinem eiusdem verè biberunt. Est itaque horum exemplum multa consideratione dignum, eò quòd & fidei veræ summam continet, & simul multa alia tradit, quæ ad huius considerationem faciunt.

Principiò Christus, cùm alij ab illo turmatim deficerent, omissis illis, quos neque minis neq; admonitionibus vllis in officio contineri posse videbat, ad apostolos conuersus, cum illis agere incipit: & non sine tenerrimi planeq; paterni affectus significatione ipsos interrogans, ait: Num & vos vultis abire? Quasi diceret. Videtis ô charissimi, quid fiat, & ad quem exiguum numerũ redacti simus, in quorum partes paulò ante tota Iudæorum gens concessura videbatur. Dilabuntur enim nunc, & cum indignatione à me secessionem faciunt, qui prius nimio feruore inflãmati me regem facere conabantur. Neq; dubito, hoc vobis præter omnem spem accidere. Quid ergo vos facturi estis? aut quid ego de vobis sperare debeo? Num ipsi etiam me relicto ad pristinũ vitæ genus redibitis, ne soli hanc causam meam inuidiæ & odij plenam tueri videamini? Ita verò eos compellat, non vt defectionem illis suadeat, aut abs se reijciat manere volentes: sed vt ad diligentiorem salutis considerationem excitet, ne se instabilis vulgi exemplo ab instituto suo sancto & saluberrimo dimoueri patiantur. Neq; etiam vt ignarus rerum quærit, sed vt ex illis veræ fidei confessionem eliciat, quæ aliorũ defectioni

Christus discipulos interrogat quid ipsi sint facturi.

opponatur, & ex ea enatum scandalum remoueat. Est autem hæc insignis Christi mansuetudo, quod neq; multitudine neq; improba apostatarum scurrilitate sese irritari patitur, vt commissum a Deo patre munus deserat, & pauculas illas credentium reliquias, de quibus propheræ crebro vaticinantur, reijciat, quod ferè faciunt, qui in re sancta affectus suos in consilium adhibent. Quin potius amantissimè cum illis agit, fidem eorum fouet, & simul ipsis spem facit, qua intelligant, se non frustra fore mansuros esse. Vsus est hac bonitate Deus iam olim quoq;, & semper suorum saluti tunc imprimis prospexit, quando impiorum scelerata contumacia ipsum ad iram iustam prouocauit. Factum hoc in diluuio, quando pereuntibus simul omnibus hominibus, Noa cum suis mirabiliter seruauit. Simili ratione Lothum ex imminenti excidio eripuit, cùm infames Sodomæos malè perderet. Et Isaias temporibus minimè negligebat pauculos illos, qui sub impio Achas portenti instar habebantur, eò quod soli verbo ipsius morigeros sese præberent. Et hodie licet maior mundi pars euangelij doctrinæ spernatur, multi ab eadem turpiter deficiant, ecclesiã tamen suam inter pericula & omnis generis insidias mirificè tuetur. Solentur nos ista ne vel nostra paucitate, vel aduersariorum multitudine vel splendore offendamur. Nec enim ab hominum authoritate regnum Dei dependet, neque vllis hominibus aut nationibus alligatur: sed vbiq; liberum est Deo ecclesiæ suæ reliquias colligere, & collectas aduersus quoslibet tueri. Imò Christus ipse gregem suum pusillum vocat, & de regni eius translatione ad alios scripturæ non vno loco concionantur.

Christus nec cogit, nec supplex fit discipulis.

Interim verba quoq; diligenter obseruari debent, quibus in præsenti Dominus vtitur. Numquid & vos (inquit) vultis abire? Sunt hæc eiusmodi, vt cum bonitate & facilitate suam quoq; maiestatem non obscurè ostendat. Vt enim illos non repellit abs se inhumaniter: ita neq; seruiliter illis supplex fit, vt defectionem cogitantes precibus retinere conetur, vel etiã inuitos cogere vt maneant. Sed ut interrogat, vt illis quodammodo liberum relinquat facere quod velint. Ita verò fieri oportuit, vt ipsum alicuius indigere putemus, & proinde necessariò aliquibus supplicem fieri, aut etiam miserere. Quod interdum principibus huius seculi accidit, vt præter animi sui voluntatem multa inuitos cogere cogantur suis subditis, dum vel seditionem aut subitam defectionem ad hostes metuunt. Longa alia enim est Iesu Christi conditio, è cuius manu nemo eos rapere potest, quos ipsi pater dedit, & qui in medio inimicorum suorum potentissimè dominatur, & regni sui maiestatem facilè aduersus quoslibet tuetur. Simul verò hac quæstione non obscurè innuit, se voluntarios discipulos quærere, qui non vi coacti officium faciant: quod olim Dauid prædixit, quando Christi cultores populũ voluntarium, id est voluntarium vel spontaneum vocat. Quia enim fidei sedes est animus, qui nulla vi externa cogitur, voluntarij Deo suum obsequium præstant, quicunq; fide vera illuminati, Christum vere comprehenderunt. Ideo is, vt ad regni sui consortium gentes omnes adduceret, non armatas militum cohortes emisit, neq; Romanis Imperatoribus, quorum tunc summa erat in orbe terrarum authoritas, ad eam rem vsus est, sed apostolos exire iussit, & euangelij prædicatione sibi adducere gentes, quæ prius errorum tenebris inuolutæ ad exitium tendebant. Neq; alia est hodie quoq; commodior ratio qua regnum eius & veræ fidei cognitio propagari possit. Neque ideò, dum hoc dicimus, magistratum legitimam potestatem abolemus, multò minus autem disciplinam ecclesiasticam tollimus. Etsi non nostrum non sit, hominum mentes vel mutare vel cogere, disciplina tamen omnino opus est, partim quidem propter pios, qui vel proprijs cupiditatibus vel aliorum exemplis sæpe transuersi abripiuntur: partim verò propter falsos doctores, qui rudes & infirmos insidiosis artibus circumuenire solent, & apertos ecclesiæ hostes, qui illam dissipare conantur. Interim firmum ratumq; erit semper, non fore ex veris Christi ouibus alios, quàm qui voluntarium obsequium ipsi præstant.

Petrus omnium nomine respondet.

Et tales sunt hoc loco duodecim discipuli. Respondet enim omnium nomine Petrus: Domine, ad quem ibimus? &c. Vnus autem Petrus ad respondendum prosilit, non quòd inter Christi discipulos primatum obtineret (de hoc enim disputantes ille non semel grauiter reprehendit) sed quòd alijs feruentior, animi sui studiũ non potuit diutius dissimulare, cùm illos de defectione interrogari audiret. Est enim hoc proprium pijs, quòd cum multa patienter ferant, nihil tamen ferre possint, quod Dei rum fidem & gloriam Christi in dubium vocare videtur. Vno igitur hoc argumento se manifestum produnt, qui tam facilè admittunt eorum rationes, qui apertam à fide defectionem ijs suadent, qui Christo nomen dederunt. Sunt autem responsionis huius partes duæ.

Prima

Prima omnem defectionis suspicionem procul remouet, & quidem cum acri & affectus magni plena interrogatione: Domine (inquit) ad quem ibimus? Quasi diceret. Ah quid ais ô Domine? Tu ne nos tantum facinus vnquam in animum inducere posse, aut nostræ salutis adeò oblitos esse arbitraris? Nam etsi ea nobis inesset leuitas animi, quò tamen abire, aut quem nobis salutis magistrum eligere possemus? Num sacerdotes & scribas? At cùm humanas traditiones doceant, iam olim illos per Isaiam damnauit Deus, quando se ab ijs nequicquam coli dixit, qui humana figmenta sequuntur. Num gentium philosophos? Atqui nihil apud eos certum & solidum inueniri potest, qui sententijs diuersissimis inter sese scinduntur. Num ab vno & solo Mose pendebimus, & in legis ceremonijs salutem quæremus? At ipse Moses nos abs se ad prophetam illum magnum remittit, quem omnes audire debeant. Quis verò ille est? Tu nimirùm, qui verba vitæ æternæ habes. Id est, tibi vni & soli à Deo patre commissa est salutis doctrina, tibi pater eius rei testimonium cœlitus perhibuit, neq; salutis doctor modò & magister, verumetiam author constitutus es, qui quod verbis doces reipsa etiam præstas. Te ergo relinquere non possumus, nisi scientes volētes ad interitum ruere velimus. Ita verò omnibus alijs apertè renunciant, quæ hominibus aliquā salutis spem faciunt, & hanc in vno Christo haberi testantur. Pulchrè etiam hoc illorum sermonibus opponunt, qui dixerant: Durus est hic sermo, quis potest eum audire? Defectionis suspicionem remouet.

Elucet autem hic discrimen electorum & reproborum. Hi quia nihil præter carnem & terrena sapiunt, durum & intolerabile illis videtur, quicquid ipsorū studijs resistit. Quod cùm imprimis faciat Christi doctrina, hanc nullo modò ferendā esse arbitrantur, & eandem cane & angue peius oderunt. Illi verò, quia ab vno Deo pendent, & ad cœlestium bonorum hæreditatem aspirant, à Deo datum doctorem mox agnoscunt, & dulcissimam saluberrimamq; sibi experiuntur eam doctrinā, quæ alterius illis tam dura & intolerabilis videtur. In ea enim non modò iucundissimas salutis & vitæ æternæ promissiones sibi proponi audiunt, verumetiam viam sibi monstrari vident, quæ nos ad eius possessionem tutissimè deducit; & proinde ab ea diuelli non possunt. Ideo olim Dauid dicebat, verba Dei auro optimo præstantiora, & fauis melle stillantibus dulciora esse. Et nota est Pauli apostoli vox: Non me pudet euangelij Iesu Christi, potentia enim Dei est ad salutē omni credenti. Et Christus ipse infra hanc notam constituit, ex qua filij Dei & filij diaboli possint dignosci, quòd illi quidē verbi sui studium sectentur, hi autem ab eodem totis animis abhorreant. Discamus ergo ex hoc loco iudicare de nostrorum moribus quibus leuiculum videtur ab euangelij doctrina deficere, aut etiam eandem hostibus turpiter prodere, vt cum mundo in gratiā redeant, & eius amicitia fruantur. Discamus itē, quid ijs respondeamus, qui nos relicto euangelio Iesu Christi ad superstitiones redire volunt. Scimus nos in euangelio verba vitæ æternæ cōtineri, neq; hoc illi (quantumuis impudentissimi sint mortalium) negare audent. Quò ergo ibimus? Num relicto salutis fonte ad lacunas mortiferas humanarum traditionum deflectemus? Num neglecto Christo vitæ authore, personatum eius vicarium colemus? Num contempto totius scripturæ consensu, in hominum ineptissimorum & sua quæ-rentium verba iurabimus, & à Deo nobis donatam animarum libertatem turpiter prodemus? Aut ergo vitam æternam non in vno Christo reperiri negent, & hanc alibi etiam inueniri posse demonstrent: aut nos missos faciāt, nisi publicæ salutis hostes & iniqui fidei dominatores haberi velint, quos ab ecclesia eijci debere scriptura docet. Discrimen inter electos & reprobos. Psalm. 29.

Altera pars fidei confessionem habet, qua plenius illustratur, quod in priori breuius est dictum. Ait enim Petrus: Et nos credimus & cognouimus, quòd tu es Christus, filius ille Dei viuentis. Fidei cognitionem coniungit, vt hoc sibi certò & infallibiliter persuasum esse testentur. Crediderant enim verbis Christi, et vocantem secuti fuerant. Deinde ex signis & operibus ipsius miraculosis reipsa intellexerant, illum esse Dei filium & promissum humani generis seruatorem. Et hæc quidem fidei conditio est, quòd ex auditu verbi Dei primùm enascitur, deinde verò pleniori indies Christi & rerum eius cognitione magis magisq; confirmatur. Auget enim dona sua Deus ijs, qui primam gratiam dignè excipiunt. seq; ipsi erudiendos præbent, iuxta illud: Omni habenti dabitur. Est autem magna fidei dignitas, quòd certa Christi & salutis cognitione nititur, nō (vt reliquæ scientiæ omnes) circa incertas speculationes & dubias opiniones versatur, quarum ipsi homines sibi authores sunt. Apostolica fidei confessio.

Iesus est Christus.

Quid verò illud est, quod de Iesu hoc, Petrus omnium discipulorum nomine confitetur? Tu (inquit) es Christus, filius ille Dei viuentis. Duo dicit, quibus vera & salutaris eius cognitio abunde continetur. Primùm, quòd sit Christus, id est vnctus Dei, & proinde promissus mundi seruator. Ita enim illum vocant scripturæ ex veteri more, quo reges & sacerdotes inungi solebant. Nec temere hoc fit, quando illum à Deo sui populi regem & sacerdotem constitutum esse constat. Vide Psal. 2, & 110. Quibus adde quæ Psal. 45. habentur de vnctionis modo, quem spirituale fuisse Cap. primo diximus. Continet ergo ista vox omne filij Dei in carne manifestati officium. Est enim Rex noster, qui ex hostibus communis, diaboli, tyrannide nos asseruit, qui leges dedit sanctissimas, qui regni sui cœlestis thesauros & spiritus dona liberaliter distribuit, & omni bono spirituali ditatos aduersus omne genus hostium fidelissimè tuetur. Est præterea sacerdos, qui de Dei patris voluntate nos edocuit, & quotidie adhuc docet, qui peccata sui corporis & sanguinis sacrificio expiauit, qui pro nobis apud patrem intercedit, & cum illo reconciliatos omni benedictione spirituali beatos reddit. De quibus cum sæpe dictum, paucis ea modò perstringimus. Ne tamen de solo eius officio loquantur, filium illum Dei viuentis esse aiunt. Vtitur autem ex arcana spiritus suggestione hac phrasi Petrus, vt illum verè & genuinum Dei filium, patriq; coessentialē esse testetur, & à reliquis distinguat, qui Dei filij dicuntur propter adoptionem, quæ ex gratia facta est. At quia hoc de Iesu fatentur discipuli, quem ex Maria virgine hominem verum natum esse probè nouerāt, non obscurè in vna & eadem persona Deum simul & hominem esse docent, de quo mysterio supra in Cap. præcedenti abunde est disputatum. Ita qui hæc est fides apostolica & orthodoxa, in qua sola homines seruantur. Vnum Iesum Christum vitæ & salutis authorem agnoscunt, & extra hunc vitam reperiri negant. Quod enim hic vno & altero verbo dicunt, postea in Senatu Hierosolymitano clarius exponūt, quando de Christo sic testantur: Non est in alio quoquam salus: nec enim aliud nomen est sub cælo, quod datum sit inter homines, per quod nos seruari oporteat. Porrò hunc Iesum, quoad essentiam, verum Dei filium & primùm incarnatum: quoad verò officium, Regem & sacerdotem vnicum ecclesiæ profitentur, qui numquam officio suo semper fungatur, suis semper adsit, neq; vllis vicarijs opus habeat. Nihil item de Petri aut successorū eius primatu disputant, nullius præterea sacrificij mentionem faciunt, nihil de Diuorum intercessione, purgatorio, operum nostrorū meritis, peregrinationibus, alijsq; eius farinæ superstitionibus proferūt. Quid, quòd neq; de reali & essentiali corporis aut carnis Christi vel præsentia vel manducatione contendunt? Imò quia talem esse credunt & profitentur, fide hac carnem illius vescuntur, & eiusdem sanguinem verè bibunt. Hinc ergo suam quoq; simplicitatē primitiua ecclesia habuit, in qua de sacramentis & externis ritibus nullæ contentiones fuerūt: quæ tunc demum exortæ sunt, quando fides vera in hominum animis vilescere, falsa autem & superstitiosa nostrorūm operum fiducia radices agere cœpit. Et hodie ferè de externis illis ardentissimè cōtendunt, qui vbi fides vera constanti confessione vel fraternæ charitatis studio præstanda est, nimis turpiter frigent. Sufficiant itaq; nobis, quæ olim apostolis & veteri ecclesiæ sufficere potuerunt, quæ vt fidei integritate, ita innocentia & dilectione mutua maximè floruit, ita martyres dedit innumeros, quorum memoria terris celebratur, animæ verò in cœlis gaudent atq; triumphant.

Iesus est filius Dei viuentis.

Christus de Iuda proditore suos admonet.

Cæterùm ad Christum redeamus, qui discipulis respondens ait: Nonne ego vos duodecim elegi, & vnus ex vobis est diabolus? Quibus verbis illos de nouo periculo, quod ipsis imminebat, admonet: primò quidem, ne fidei suæ constantia elati, securiores fierent, sed vigilantia & studio sibi opus esse viderent: deinde verò, ne postea offenderētur, quando Iudam ex discipulo & symmysta proditorem factum videbant. De hoc enim locū hunc exponi debere, euangelista mox verbis diserte admonet. Sensus ergo huius admonitiunculæ est: Bene quidem dicitis, & hæc fides vobis vitam atq; salutem afferet. At non ideo securis esse licebit, quasi iam plena sit & perfecta vestra victoria, quam reliquus turpiter deficientibus, vos in fide perstitistis. Noua enim vos certamina manent, neq; enim nos modò hostes vobis satan suscitabit, sed domesticus quoq; insidijs vos petet, vnde scandalum plane luctuosum enascetur. Nam etsi vos duodecim elegerim, vt præ alijs mihi familiares sitis, & vestro ministerio reliqui mihi adducantur, vnus tamen ex vobis diabolus, id est diaboli mancipium, & minus quàm ipse diabolus mihi aduersarius est. Quid ergo de reliquis fiat, nisi gratia peculiari seruet Deus, quam vos assiduis precibus expetere oportebit? &c. Non autem nominat Iudam, quo

vt id fieret minimè opus erat, cùm illum in discipulorum numero manere oporteret, vt secundùm ve
tera prophetarum oracula Christus à domestico suo proderetur. Et debēt Christi exemplum imitari
ecclesiarū ministri, vt scelera quidē grauiter accusent, & infirmos aduersus scandala præmuniant,
curent autem, ne temere quosuis traducendo ecclesias turbent potius, quàm ædificent. Præterea de
alijs quoq; hic locus nos admonet, quorum consideratio nobis vtilissima, imò etiam necessaria est.

Primò apparet hîc, nullum hominū ordinem adeò sanctum & perfectum esse, vt non suos quoq; in eo habeat satan, quorum ministerio in pijs opprimendis, aut saltem turbandis, vtatur. Sic inter primos Adami filios Cainum habuit, qui cùm primogenitus esset, & à parentibus maximi fieret, eo tamen honore non contentus, aduersus fratrem, pium Dei cultorē, hostiliter insurrexit. In Noæ item familia, quā solam diluuij periculo Deus eripuit, Cham repertus est, homo proteruus & in patrem impius, ex cuius progenie acerrimi ecclesiæ hostes prodierunt. Quales verò Iacobi filij fuerint, omnes norunt, cùm paterno exemplo & quotidiana promissionum Dei cōmemoratione officij admonerentur. Omnia tamen hæc superat, quòd in eo grege quem ipse Dei filius ex toto hominum genere sibi selegerat, vt illorū ministerio orbem totum illustraret, Iudas habetur, qui plus quàm diabolica audacia & impietate Dei filium proderet, cuius diuinam virtutē ipsemet in signis eius nomine edi-
tis deprehenderat. Quid ergo reliqui sibijpsis de suo ordine polliceantur? Sunt autem temerarij nimis, qui cùm ista non ignorent, tamen totas ecclesias damnare non verentur, in quibus aliquos vi-
dent improbos, qui præter officium multa faciunt. Offendunt ad hunc lapidem Anabaptistæ, qui ple
rung, leuissimis de causis ab ecclesijs secessionem faciunt, dum aliorum potius vitia obseruant, quàm quid ipsos facere deceat. Atqui non tibi fraudi erit aliorum improbitas, modò tu officium feceris, neq; illorum sceleribus communicaueris. Detestabile autem scelus est, ex priuato affectu ecclesiæ vnitatem scindere, qua nihil Deo magis gratum est, & quam vnice seruatam oportet.

Nullus hominū ordo perfectus est.

Deinde ardens salutis studium nobis hoc exemplum commendat, adeoq; illo cumprimis opus esse docet. Si enim tanta est diaboli astutia, vt domesticum Christi discipulum circūuentre, quotidianas admonitiones in obliuionem adducere, acceptorum beneficiorū immemorem reddere, deniq; ex Chri-
sti discipulo & facultatum eius dispensatore diabolum facere potuerit: quæ cura & diligentia ad ca
uendas illius fraudes superuacanea esse poterit? Nec enim in Iuda modò vires suas communis ille hostis exeruit, sed postea omnibus discipulis simul insidias struxit, & Petrum quidem abnegatorem fecit, reliquos autem ita perterruit, vt Christo relicto turpi fuga sibi cōsulerent: nec dubium est quin illi quoq; salutis iacturam facturi fuissent, nisi pro illis intercessisset Dominus, & Deo patri commen
datos seruasset. Vigilemus ergo semper ô fratres, & preces fundamus ad Dominum indesinenter, ne vel confidentia nostra decepti, vel satanæ artibus irretiti à statione nostra deturbemur.

Studio salutis ardēti opus est.

Postremò admonet exemplum hoc, non sufficere ad salutem, si in sanctissimorum hominū ordine censeamur, & munus quoq; sanctū sustineamus, nisi etiam respondeamus professioni nostræ, & tales reuera simus, quales nos esse conuenit. Erat Iudas ex duodecim discipulorū numero, quos alibi salem terræ & lucem mundi Christus vocauit. Idem cum alijs emissus euangeliū docuit & in Christi nomi
ne signa fecit, quibus fidei doctrina confirmabatur. Quia tamen fidem non seruauit, diabolus factus est, & turpis lucri cupiditate superatus, Christum turpiter prodidit. Sufficit exemplum hoc ad con-
futandos Pontifices & Episcopos, qui sibi in ecclesia quiduis licere putant, eò quòd Apostolorum sint successores. Atqui demus hoc illis; imò Apostolos aliquando ipsos fuisse fateamur. Num verò inde sequetur quod ipsi colligunt? Num ideò absq; omni contradictione recipi debet, quicquid illi ex suo cerebro parturiunt? Minimè. Nec enim de illorum antecessoribus nobis lis est, sed de ipsorum vita, moribus, doctrina contendimus. Edant ergo sanctimoniæ, integritatis, fidei, doctrinæ specimina, quæ lia in Apostolis habentur, & libenter illos Apostolicos esse agnoscemus. Cùm verò auaritia, sacro-
rum nundinatione, libidine, impietate & implacabili veritatis odio, Iudam referant, non Petrum, desinant quæso nobis suam dignitatem cōmendare, & inanibus titulis sese venditare, quos ipsi suis factis mendaces esse nimis impudenter ostendunt. Relictis ergo illis, veros discipulos imitemur, & vno Iesu Christo contenti, in illo solo omnem collocemus nostræ salutis fiduciam, illum vnum audia-
mus, qui vt vitæ æternæ verba habet, ita vitæ huius cohæredes sibi facit omnes eos, qui ipsum fide
syncera amplectuntur. Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

Externa professio non sufficit ad salutem.

CAPVT VII.

HOMILIA LVIII.

ET circuibat Iesus post hæc in Galilæa: non enim uolebat in Iudæa circuire, quia quærebēt eum Iudæi interficere. Propè autem erat festum Iudæorum, Scenopegia. Dixerunt ergo ad eum fratres eius: Digredere hinc, & uade in Iudæam, ut & discipuli tui uideant opera tua quæ facis. Nemo enim in occulto facit aliquid, & quærit ipse celebris esse. Si hæc facis, manifesta teipsum mundo. Nam ne fratres quidē eius credebant in eum. Dicit ergo illis Iesus: Tempus meum nondū adest, tempus autem uestrum semper est paratū. Non potest mundus odisse uos: me autem odit, quia ego testor de eo, quòd opera eius mala sint. Vos ascendite ad festum hoc, ego nondum ascendo ad hoc festū: quia meum tempus nondum impletū est. Hæc autem cùm dixisset eis, mansit in Galilæa.

EXPOSVIT *Euangelista duobus proximis Cap. duas Iesu Christi conciones, seu potius disputationes, quibus summam doctrinæ Christianæ complexus est. Nam quinto Cap. suam diuinitatem argumentis fortissimis asseruit, & ita eam causam tractauit, vt inde euidenter colligi queat, quis nam ipse sit, & quare in mundum venerit. Sexto autem Cap. de fide disseruit, qua sola apprehendi potest, vt nobis salutaris fiat. His commodè in duobus modis sequentibus Cap. subijcit acerrimas Christi concertationes, quæ illi cum hostibus suis intercesserunt, qui iam non verbis nudis pugnarunt, sed illum capere & occidere conati sunt. Probè autem ista præcedentibus cohærent. Vt enim illic veræ doctrinæ formam proposuit, quæ semper in ecclesia retineri debet: Ita nunc suo exemplo ministros verbi, adeoque omnes pios instruit, & docet qua fide & constantia veritatis doctrinam tueri, vt item in suo munere versari, & per omnia aduersa eluctari debeant, ne vllis rationibus se ex statione sua deijci patiantur. In præsenti historiola præmittitur, quæ omnibus istis quasi occasionē præbuit. Narratur enim, qua occasione Christus Hierosolyman ascenderit, vbi hæc certamina subijt aduersus illius loci principes. Et fuit hæc tertia eius in vrbem profectio, quod annotari oportet, cùm Ioannes (vt alibi monuimus) historiam suam in profectiones istas quasi diuidat. Nunc præsentis narratiunculæ singulas partes ex ordine considerabimus.*

Christus in Galilæa subsistit.

Primò vbi locorum Christus egerit indicatur, posteaquàm ea gessit, quæ nuper exposita sunt. In Galilæa nimirum, quam circuiuisse dicitur, vt (quod alij Euangelistæ annotarunt) totam doctrina sua & miraculis illustraret. Cur autem intra Galilææ fines tam diu substiterit, etiam indicat Ioannes: nimirum eò quòd Iudæi ipsum occidere conarentur: qua de re Capite quinto multis est dictum. Adeò nihil profecit Dominus prolixa illa & diligenti disputatione, qua se Dei filium & promissum humani generis redemptorem esse docuit, simulque aduersarijs penas suæ incredulitatis denunciauit. Fuit ergo incurabilis istius gentis contumacia, neque excusationem aliquam admittit, quando vim iniustam ei inferre volunt, quem nulla probabili ratione alicuius erroris conuincere potuerunt. Petant autem ex Christi exemplo consolationem ministri ecclesiarum, si quando se multùm docendo, monendo, hortando, arguendo nihil proficere vident: ne ideò studium suum Deo minus probari arbitrentur, cùm hoc ipsum Dei filio in terris agenti acciderit. Similiter priuati quique hinc discant, non ideò debere in dubium vocari veritatis doctrinam, si à nemine, aut certè à paucissimis recipiatur. Hoc enim non doctrinæ, sed hominum vitio fieri Capite quinto audiuimus, qui ambitione & auaritia fascinati, aures & animos suos obstruunt, quo minus fides in illis radices agere & fructum aliquem ferre possit.

Cæterum

Cæterùm quando Christum in Iudæam noluisse ascendere audimus, eò quòd vitæ eius Iudæi insidiati sunt, non putabimus ipsum adeò impotentem fuisse, vt hostiũ manus non alia ratione cohibere, aut etiam inter illos saluus & turò versari potuerit. Extant enim multa exempla, quæ docent, quàm facile illi fuerit hominum conatus eludere, & vires aduersariorum coercere. Sed quia hominẽ verum assumpserat Dei filius, humanas quoq; infirmitates penes se locũ habere voluit, neq; eas semper dissimulauit, ne humanitas eius in dubium veniret. Adhæc exemplo suo de multis nos admonet, quorum consideratio nobis vtilissima simul & necessaria est. Et primò quidẽ docet hoc loco, quid veritatis hostes tandem maneat, quorum rabies ad sanguinis innoxij effusionem vsq; exardet. Nimirum, quòd cum illis quasi diuortium faciat ipse, & sui meriti gratia spoliatos iræ & maledictioni exponat, quæ illos tam in præsenti hac vita quàm in futura hostiliter persequatur, & omnibus modis miseros atq; infelices reddat. Nam etsi multa in nobis patienter ferat Deus, deuotas tamen ad veritatis odium mentes & insatiabilem sanguinis sanctorum suorum sitim non fert: sicuti omnium seculorum exempla testantur. Hæc certè olim exilij Babylonici causa fuit, vt vltimum secundi Paralip. cap. diserè testatur: & ob eandem causam postremum quoq; vrbis & templi excidium vnà cum horribili gentis Iudaicæ dispersione accidisse, Christus non vno loco docet. Vide Matth. 23. Luc. 19. Et Romanorũ historiæ indicant, Deum grauissima iudiciorum suorum exempla in eos edidisse Imperatores, qui doctrinam hostiliter persequi & seruorum eius sanguinem fundere ausi fuerunt. Quorum consideratio nos admonet, quid de nostri seculi tyrannis speremus: imò aduersus illorum machinationes nos consolatur, ne illos perpetuo successu vsuros esse putemus: quando certum est, Deum contra illos quoq; fulminaturum esse, vbi suæ impietatis mensuram impleuerint. Neq; interea de ecclesiarum & doctrinæ conseruatione nos desperare conuenit. Vt enim hoc loco Galilæa Christo hospitium præbet, quem Iudæa ferre dedignatur, & sub Herodis tyranni immanissimi ditione doctrinã suam Christus longè lateq; dispergit: Ita frequenter fit, vt præter omnem expectationem Deus ecclesiæ suæ asylum apud eos constituat, qui nihil tale vnquam admissuri putabantur.

Cur Iudæorum insidias declinauerit Christus?

Deinde apparet ex hoc loco, quantũ mali dent falsi antistites, qui sub religionis prætextu suam gloriam & quæstum quærunt. Tales enim fuisse Iudæorum sacerdotes et scribas, iam sæpe diximus. At ijdem funesti huius & sanguinarij consilij aduersus Christum authores fuerunt, & ideò propter illos Christus discedit, imò cùm illorum consilijs seductus populus Apostolos & fidei doctrinam persequeretur, vnà cum illis paulò post miserè perijt. Ita olim prophetarum tempore falsi doctores, reges, & populum non semel in exitium abduxerunt. Pertinent huc quæ de Achabo & eius interitu leguntur 1. Reg. 22. De Zedechia item & vrbis excidio apud Ieremiam, in Threnis potissimùm habentur. Et quot malorum iam seculis aliquot authores fuerint Rom. Pontifices eorumq; emissarij, notius est quàm vt cõmemorari oporteat. Quæ exempla vtinam ab illis obseruarentur, qui hodie tales fouent, & eorum artibus plus quàm proditorijs veritatis doctrinam & sectatores circunueniri patiuntur. Sentient hi quoq; magno suo malo pestes fuisse maximas eos, quos nunc in pretio habent & vt publicæ pacis conseruatores seu defensores venerantur.

Quantum nocent mali antistites?

Admonet præterea Christi exemplum, licere ministris & pijs omnibus hostium insidias declinare, & ex ijs locis sese subducere, in quibus se nihil profecturos sciunt, insuper verò periculum sibi struendum esse vident, quod nulla alia ratione euitari potest. Iubet hoc Christus, quãdo discipulis dicit: Si vos persecuti fuerint in vna ciuitate, fugite in aliam. Item, Cauete vobis ab hominibus. Quod illos fecisse, Actorum liber non vno loco testatur. Paulus certè, cùm oraculo admonitus esset, se coram Cæsare etiam de fide testaturum esse, insidias tamen sibi à Iudæis structas non neglexit, imò iudicium quoque insidiosum subterfugit, & legitimis armis potius defendi voluit, quàm periculo manifesto se obijcere. Secuti sunt Apostolorum & Christi exemplum sancti patres, quorum pietas & fides in historijs prædicatur. Athanasius equidem non modò fugit & latuit nonnunquam, verumetiam Synodis interesse noluit, quæ aduersus veritatem cogebantur, quales fuerunt Syrmienses, Ariminenses, Mediolanenses, Seleuciana, Constantinopolitana & Antiochena. Et Ambrosium legimus ad ecclesiam suam prouocauisse, cùm de eius doctrina lis esset, nec voluisse in aula causam dicere apud eos iudices, quos veritati palàm infensos esse sciebat. Qua ergo ratione hodie nos vrgent aduersarij, vt fidei & doctrinæ causam, quæ non nostra sed Dei est, Papisticis Concilijs subijciamus, in quibus

Licet insidias & iudicia iniqua subterfugere.

præsident qui in Papæ verba iam ante iurauerunt, et proinde sententias liberas dicere non possunt. Aut quæ impudentia est, petere vt veritatis causam scientes volentes prodamus, quam Christiani homines sanguinis sui testimonio potius tueri debent?

Tẽpus præsentis historiæ.

Sed redeamus ad huius loci historiam, quæ tempus etiam notat, quo ista facta sunt. Prope erat (inquit) festum Iudæorum, Scenopegia. Vocatur hoc alio nomine festum Tabernaculorum, & mense septimo, qui nostro Septembri ex parte respondet, celebratur, de quo Moses Leuit. 23. sic scribit: Celebrabitis diem istum festum Domino septem diebus in anno. Statutum hoc perpetuum sit ad posteros vestros, & mense septimo celebretis hunc diem festum. In tabernaculis manebitis septem diebus, omnes indigenæ de Israel sedebunt in tabernaculis, vt posteri vestri sciant, quòd ego fecerim habitare in tabernaculis filios Israel, cùm educerem eos è terra Ægypti, &c. Erat ergo festum hoc filiorum commemoratio beneficiorum, quæ totis quadraginta annis in patres per desertum incertis sedibus errantes Deus olim contulerat, priusquàm terram sibi promissam attingerent. Adhæc alterius sensu conditionis humanæ ipsos admonebat, vt se in terris peregrinos esse, patriam autẽ in cœlis habere recordarentur, & proinde relictis studijs terrenis ad cœlestia contenderent. Qua ratione ad nos quoque pertinet huius festi solennitas, sicuti in Zacharia nostro diximus, qui Cap. vltimo de Christi regno vaticinans, Dei iram & plagam horribilem ecclesiæ hostibus denuntiat, qui ad festivitatis celebrationem nolint ascendere. Loquimur autem non de ceremonia externa, quam in Christi morte abolitam esse non ignoramus: sed de eius mystico sensu & vsu, quem modò annotauimus. Hunc nunquam cessariò retinendũ esse. propheta docet: quia nihil est, quod hominem magis in officio contineat, quam si in terris se peregrinum esse cogitet, à Deo accepta beneficia memori mente meditetur, & omnem totum ad cœlestis patriæ hæreditatem consequendam adijciat. Qui ista non cogitant, solis terrenis immersi, cœlestia negligunt, & dum sibi in terris bene esse volunt, salutis æternæ iacturam faciunt. Eorum enim similes sunt, qui vitam omnem in peregrinationibus curiosis potius quàm necessarijs terunt, & exterarum regionum illecebris capti, patriæ obliuiscuntur, simulq; sua negligentia patrimonium suum omne amittunt.

Fratres Christum odiosè iubent Hierosolymam ascẽdere.

Porrò, quia hæc alterius loci sunt, nunc Christi fratres audiamus, qui ex temporis circumstantia occasionem arripientes, illum vt Hierosolymam ascendat, hortantur. Vocat autem Ioannes Christi fratres ex more Hebræorum eos, qui ei secundum carnem propinqui aut cognati fuerunt, siue illi Mariæ virginis consobrini fuerint, siue Iosephi putatitij eius patris ex vxore priori filij, vt Theophylacto visum fuit. Hi inquam acerbè & amarulenter nimis illi dicunt: Digredere hinc, et vade in Iudæam, vt & discipuli tui videant opera tua quæ facis. Discipulos autem dicũt eos, qui in Iudæa sibi acquisiuerat, cùm illic prius docuisset. Addunt autẽ hortationi isti rationẽ ex communi sensu aut generali sententia desumptam: Nemo enim in occulto facit aliquid, & quærit ipse celebris esse, & pro tali haberi, qui libere & ingenuè omnia dicat & faciat. Et mox inferunt: Si hæc facis, id est, si verè & absq; fraude vel impostura facis quæ de te dicuntur, & quæ facere vis videri, manifesta te mundo, & in publicum prodi, non in obscurioribus locis apud homines rudes & impostores teipsum vendita. Ita verò crimina grauissima illi intentant, ambitionem & gloriæ priuatæ studium, impostoras item, quibus vulgo ignobili fucũ faciat, & ignauam timiditatẽ, quæ ipsum prohibeat in eorum conspectũ prodire, quos prudentia & iudicio instructos esse norit. Addit his perfidiam tam, quasi turpiter negligat discipulos, qui ipsi in Iudæa nomẽ dederãt. Vnde verò hæc animorũ acerbatio apud eos qui vel propter cognationis vinculũ erga ipsum melius affecti esse debẽãt? Respondet huic quæstioni Euangelista, cùm addit: Nã ne fratres quidẽ eius credebãt in ipsum. Quamprimum fide destituti erãt, affectibus prauis sese abripi passi sunt, vt & gloriã omnẽ ei inuideant, et exitium cupiant, cùm non tantũ cõmodi ex illo ad se redire viderẽt, quantũ fortasis initiò sperauerãt, quin potius propter illũ multis suspecti et exosi essent. Est aũt nobis hoc loco obseruanda Christi fratres quẽ non modò exteri & alienigenæ, verumetiã fratres vel consanguinei oderunt, & illi negotium faciunt. Fit hoc ipsum frequẽter hodie. Qui enim à fide alieni sunt, si quos ex suis Christi ministros videant, mox aut illis palàm aduersantur, et illorũ eos pudet: aut ex illis aliquã vtilitatẽ primam sperãt, & quoad spes illa durat, eos in aliquo pretio habẽt: quàm primùm verò eadẽ ipsos fallit, mox odium concipiunt, & omnia eorum calumniantur. Similes horũ sunt, qui cùm veritatis studiũ pro-

fitentur,

fiteantur, & fratres nostri haberi velint, iubent tamen in Concilia Papistica nos abire, illic euangelium proponere, & temere vitã periclitari. Quid enim isti aliud dicunt, quàm quod in præsenti Christo dicunt eius fratres? At non offendant nos talium iudicia, sed præparemus nos ad eiusmodi certamina, ne quãdo incauti circũueniamur, vt leuissimorum hominũ affectibus nos accõmodemus. Præterea exemplo istorum docemur, quàm inutilis sit carnis prærogatiua in salutis negotio. Sunt hi consanguinei Christi Iesu, quo cum à pueris versati multa videre potuerãt, quæ illos de diuina eius virtute admonerent. Adeò tamen nihil in eius cognitione profecerunt, vt multis alijs ad ipsum accedentibus quotidie, ipsi eum tam scurriliter lacessere audeant: & vt ex Christi responsione apparebit, toti carnales & improbis mũdi studijs ita addicti fuerunt, vt mundus eos odisse non posset. Est ergo inutilis planè generis gloriatio atq; fiducia, qua huius seculi filij insolenter nimis efferũtur. Vera enim nobilitas in eo consistit, vt Dei filij simus. At tales non ex carne & sanguine (vt primo Cap. dictũ est) sed ex verbi semine & spiritus sancti operatione per fidẽ generantur, quam Dei donũ esse scimus. Ad quam dignitatẽ adeò nihil prodest carnalis generatio, vt ne Christũ quidẽ ipsum secundùm carnem genuisse quicquam coferat, nisi fides accedat, per quã Deo verè coniungimur: cuius rei euidens testimoniũ Luc. 11. Cap. habetur. Cùm enim Christo docente mulier quædã exclamaret: Beatus venter quite gestauit, & vbera quæ suxisti: Respondit ille: Quinimò beati qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud. Ad huius ergo studiũ aspirent qui verè nobiles & generosi fieri cupiunt, inanem veró stemmatum ostentationem ijs relinquant, qui Christi gustum aliquem nondum perceperunt.

Carnis prærogatiua ad salutem non prodest.

Porrò audiamus quid ille fratribus suis responderit. Propositio vel summa responsionis est, se nolle adhuc ascendere Hierosolymam. Docet autem suo exemplo, ne faciles simus ad obtemperandum quibuslibet, qui nos omnia pro suis affectibus vellent agere, & ferè sub religionis prætextu sua quærunt. Et hoc quidem imprimis ad verbi ministros pertinet, quibus non rarò sub amicitiæ prætextu tam cognati ipsorum quàm alij complures negotium faciunt, dum hortantur, vt modestè agant, neminem lædant, concordiæ studeant, ita demiq; suas rationes omnes instituant, vt amicos sibi parent quàm plurimos, & in pretio habeantur. Et hi quidem Sirenum instar sese insinuant, & ea quã ipsi præscribunt docendi ratione plus profici aiunt, quàm si rigidius cum illis agatur, qui superstitionibus aut morum licentiæ assueuerunt. At tunc in Dei verbum illi respicere debent, & ex eo de sua functione iudicare, & ab illa in nullius hominis gratiam vel latũ vnguem discedere. Cogitent item sibi olim ad Christi tribunal rationem esse reddendam, nec alicuius mortalium authoritatem tanti esse, vt eos excusare possit, qui ipsius mandata transgrediuntur. Cæterùm ne præfractus videatur Christus aut superbus gentis Hierosolymitanæ & sacrorum omnium contemptor, rationes quoque allegat, quibus impediatur, quò minus fratribus suis morem gerat. Et primò ait: Tempus meum nondum adest. Loquitur autem de tempore profectionis huius quæ instabat, vt non opus sit hîc vel de mortis vel de gloriæ Christi tempore curiosius disputare. Hoc autem dicendo omnes verbi ministros admonet, ne quid temere & inconsultò faciant, sed temporum, locorũ & hominum, quibus cum agunt, diligentem habeant rationem, ne importunè & imprudenter agendo communi causæ Christi & religioni officiant. Et huc referri debet, quòd alibi in domus suæ dispensatore non fidem modò, verumetiam prudentiam requirit, vt quæuis suo loco & tempore depromat: & quòd Paulus omnia ad ædificationem fieri iubet. Quin ipse fatetur, se omnia omnibus factum esse, & Corinthios lacte aluisse, cum solidioris cibi nondum essent capaces. Quod autem de ecclesiæ ministris dicitur, in genere de omnibus debet intelligi. Nam vt Solomon ait, omnia suum tempus habent: & vt in rerum natura alio tempore seritur, alio fructus crescunt, alio metuntur & colliguntur: alio item tempore terra quæsiti nuibus tecta & frigore torpida, alio quasi euigilans vires suas profert & operatur: Sic hominum negotijs tempora sua Deus distribuit, & tempus est occidendi, tempus medendi, tempus demoliendi, & tempus ædificandi: tempus lachrymandi, & tempus ridendi: tempus lugendi, & tempus saltandi, &c. Hæc vtinam obseruarent omnes hoc nostro seculo, quando verbi prædicatio longè lateque apud omnes gentes instaurata, & horrendi in orbe motus, signa item omnis generis abundè testantur iam tempus esse pœnitentiæ, qua nos ad nouissimum Iesu Christi aduentum præparemus, & Deum nobis iratum placare studeamus. Sed ea est hominum socordia, vt plerique omnibus istis contemptis, eorum mores imitentur, qui Noæ & Lothi temporibus Dei iram sua li-

Christus fratrũ consilium respuit.

Tempus obseruari debet.

centia magis accenderunt: & verißimè de nobis dici poterat, quod per Ieremiam Cap.8. de Iudæis dicit Dominus: Ciconia in aere nouit tempus suum: turtur, grus & hirundo obseruant tempus profectionis suæ: at populus meus non cognouit iudicium Domini, &c. At hîc simul meminerimus, Iudæis (vt ipse Christus Luc.19. testatur) hanc excidij causam fuisse, quòd visitationis suæ tempus non agnouerunt, &c.

Christo non idē licuit, quod fratribus.

Sed ad Christum reuertamur, qui per præoccupationem fratrum suorum obiectioni occurrit. Poterant enim illi dicere: Atqui nos iam ascendemus ad diem festum, quod cùm à nobis ratio temporis exigat, quid obstat quò minus tu quoque te ad iter accingas & nos illuc euntes comiteris? Respondet ergo Christus: Tempus vestrum semper est paratum, &c. Id est, longè alia est ratio vestra quàm mea. Vobis enim semper licet tutò ire quòcunque vultis, mihi non item. Mundus enim non potest vos odisse, vtpote sui similes & ijsdem cum eo studijs addictos. Me autem odit mundus, quia ego testor de eo, quòd opera eius mala sint: & proinde mihi non semper tutum est hac aut illac iter facere, sed cautius & circunspectius res meas instituere cogor. Quapropter ascendite vos ad festum hoc: ego nondum ascendo ad hoc festum, quia meum tempus nondum impletum est, id est, nondum ea hora aduenit, quæ mihi quoque illuc tutò eundi occasionem præbebit, &c. Pulchrè autem his verbis primò mundi infelicis ingenium exprimit, qui salutis publicæ ministros, adeoque mediatores suos odisse solet, ijs verò delectatur, qui ipsi interitus authores sunt. Hinc fit, quòd cùm in publico & absque periculo versari liceat adulteris, scortatoribus, vsurarijs, homicidis & flagitiosis omnibus, soli pij omnium odio expositi sint, vt illis non liceat facere ea quæ ad Dei gloriam & publicam salutem promouendam pertinent. Deinde rursum suo exemplo ministros omnes officij admonet, quod est, vt ipsi quoque testentur de mundi operibus. Testandi verbo modum exprimit, quem inter docendum obseruent. Testis enim est ingenuè dicere quod verum esse nouit, neque in vllius hominis gratiam aut odium quicquam facere, quod veritati aduersetur. Eadem ergo libertate ministri peccata arguere debent, nec aperta modò flagitia accusare, sed latentem quoque corruptionem protrahere, & luculentis verbi Dei testimonijs conuincere. Neque hîc mundi malitia aliquid est tribuendum, qui hoc fert indignißimè. Nam vt hoc fiat, partim Dei gloria exigit, partim salus publica, quæ constare non potest, nisi singuli sua vitia agnoscant, & ita ad thronum gratiæ per Christum Iesum confugiant. Obseruarunt hoc prophetæ & Apostoli omnes, quorum vestigia si hodie ministri imitentur, & officium suum facientes populus patienter ferat, mox eximij penitentiæ publicæ fructus sequentur, & sibi cōsecratos Iesus Christus vitæ æternæ hæredes faciet. Ei debetur benedictio, hnor, gloria & potestas in æternum. Amen.

HOMILIA LIX.

Vt autem ascenderunt fratres eius, tunc & ipse ascendit ad festū, non manifestè, sed uelut in occulto. Iudæi ergo quærebant eum in festo, & dicebant: Vbi est ille? Et murmur multum erat in turbis de eo. Alij quidem dicebant, Bonus est: alij uerò dicebant, Non, sed seducit turbam. Nullus tamen palàm loquebatur de eo, propter metū Iudæorum. Festo autem iam dimidia ex parte peracto, ascendit Iesus in templum, ac docebat. Et mirabantur Iudęi, dicentes: Quomodo iste literas nouit, cùm non didicerit?

Dominus & seruator noster, Iesus Christus, doctoris officio, quod ipsi pater imposuit, ita fungitur, vt non modò fideliter tradat salutis doctrinam, verumetiam suo exemplo doceat, quæ sint vera ministrorum verbi omnium officia. Est hoc obseruatu dignißimum, eò quòd multa incidere soleant, quæ ministros ab officio suo transuersos abripere possunt, nisi pobè sint instructi. Modò enim illis parentes, fratres & cognati negotiū faciunt, cùm vel illis inuident, vel sua quærentes ipsis pro suorum affectuum arbitrio audacter præscribunt. Modò aperti hostes insurgunt, qui violenter veritatis doctrinam opprimere conantur. Modò ex occultis insidijs periculum imminet, vt iam de ijs

nihil

nihil dicamus, quæ intra animos nostros satan & propria caro solent obijcere. At aduersus omnia ista Christus suo exemplo nos instruit, quod hoc Cap. & insequenti etiã describitur. Et nuper quidẽ de ipsius fratribus aut consanguineis dictum est, qui cùm ipsi inuiderent, nihilominus autem ex illo priuata commoda sperarent, amarulenter nimis ipsum solicitauerunt, vt Hierosolymam ad festum tabernaculorũ ascendat, & illic ceu in publico totius populi theatro sese operibus miraculosis cognoscendum præbeat. Sed non gerit illis morem Dominus, & suo exemplo docet, ne illorum votis nos ac commodemus, qui omnia sua secundùm priuatos carnis affectus instituũt, & sub religionis prætextu sua quærunt. Sequitur nunc, quid porrò fecerit, cùm sibi insidias structas sciret, & sacerdotum rabies apertè etiam grassaretur.

Fratres Christi, illo relicto, ad festum ascendunt.

Primùm profectio Christi in vrbem paucis narratur. Cùm enim eius fratres sub initiũ festi vnà cum alijs ex more illuc ascendissent, ipse in Galilæa per aliquot dies substitit, & his elapsis eòdẽ profectus est, sed occultius vt nec comitatum haberet numerosum, nec inter eundum miraculis & signis seipsum manifestaret. Hic autem de fratribus aut propinquis Christi aliquid dicendum est. Egerat cum illis ipse grauiter, & in ipsis nimium mundi studium nõ obscurè accusauerat, qui ipsum non alia de causa odisset, quàm quòd verbi sui luce opera illius mala argueret. Debebat hoc vnũ ipsis suffice re, vt à mundo sibi cauerent. Attamẽ admonitione ista minimè tangũtur, nec ideo relictis mundi studijs, Christo & eius voluntati sese accommodant: quin potius relicto Christo Domino de seruanda mundi amicitia cogitant, idq; sub religionis prætextu, quando absq; omni mora cum reliquis suis gentilibus ad festũ proficiscuntur. Solet hoc ipsum hodie frequenter fieri, maximè si quando de festis agitur, quæ carni & mundo adlubescunt: qualia sunt encæniorum, Bachanaliorum reliquiæ, quæ quadragesimã proximè præcedunt, & peregrinationes in Diuorũ honorem publicæ & solennes, & quæ alia sunt eius generis. Quàmuis enim ex Dei verbo abunde doceamur, hæc omnia ex mundo, imò gentilismi reliquias esse, & iisdem Christiani nominis professionem turpiter prophanari, adeò tamen nihil proficitur admonitionibus eiusmodi, vt plerique ab ipso Christo potius discedere & euangelio longum Valere renunciare malint, quàm receptæ consuetudini & mundi studijs sese opponere. Et cùm hoc faciant, tamen Christianos se esse profitentur, quo nomine non magis digni sunt, quam hi fratres Christi dici debuerunt, de quibus in præsenti agitur.

Christus Hierosolymam ascendit.

Sed omissis istis fidei & nominis Christiani prophanatoribus, Christi factũ inspiciamus, qui cùm tempus idoneũ esset, ipse etiam ad festum ascendit. Nam etiamsi Hierosolyma indigna esset, quam inuiseret, cùm in ea superstitiosi cultus, sacrorum nundinatio & sanguinaria hostiũ veritatis coniuratio regnarent: non tamen idcirco negligi debebant piorũ reliquiæ, qui ex diuersis locis eò confluere solebant. Propter hos ergo Hierosolymam proficiscitur Dominus, nõ vt cum crasso & superstitioso Iudæorum vulgo festum celebret, sed vt doctrina sua piorum mentes illuminet, ac de ijs admoneat, quæ festi istius ceremonijs adumbrabantur. Est hoc magnũ fidei & bonitatis Christi argumentum, qui suos nunquam negligit, neq; nobis fraudi esse patitur impietatem & malitiam aliorum, qui sese ipsi hostiliter opponunt. Obseruent hoc quoq; ministri, nẽ malorum contumacia ita se irritari patiantur, vt pios quoq; negligant aut deserant, quorum salus ipsis cõmendatissima esse debet. Simul verò obseruatu dignissima est prudentia, qua totum istud negotium gubernauit. Licet enim propter pericula nollet à patris sui mandato discedere, prudenter tamen hostium insidias cauet, cùm hoc absque omni culpa inobedientiæ fieri posset. Et huc referri debet, quòd non circa initiũ festi iter ingreditur, quando omnes viæ frequenti Iudæorum vndique aduentantium multitudine impletæ erant: sed eò vsq; profectionẽ suam differt, vt nullius indicio prodi posset: quòd item occultius omnia sua instituit, neq; statim in publicũ prodit cùm eò venisset, sed occasionẽ diligentissimè vœnatur & obseruat. Hoc magistri sui exemplum imitentur omnes euangelij præcones. Licet quidẽ illis, vt imminenti periculo sese ad tempus subducant, Meminerint tamen non temere deseri debere stationẽ, in qua illos Deus constituit: & dum suam functionem obeunt, circunspectè & cautè agant sua omnia: nec vnquã illis excidat quod Christus dixit, filios huius seculi prudẽtiores esse in sua generatione, quàm filios lucis: & proinde suo studio preces coniungant assiduas & indefinentes, quibus Dei opem & fidem implorent. At circa hæc in omnem partem peccatur. Alij enim periculorum metu superati officium suum prorsus negligunt. Alij seipsos & suæ fidei commissos temere in periculum adducunt, omnesq; eos dif-

fidentiæ & incredulitatis accusant, qui non volunt cum ipsis insanire. Longè aliter Christum tum hic quàm alibi egisse scimus, qui vt idem sui faciant monet, quando illos in periculis cauendis serpentina prudentia vti iubet. Sunt etiam sanctorum vtriusq; testamenti exempla, qui hoc diligenter obseruauerunt.

Christus quæritur ad mortem.

Sed pergit in cœpta narratione Ioannes, & quid interea de Christo in vrbe consultatū & actum sit, commemorat. Vbi primò occurrit, quòd illum Iudæi quæsiuerint. Loquitur autem de sacerdotibus & Senioribus Iudæorum, qui præ alijs sanctū illud & illustre populi Dei nomen ad se rapuisse, quasi penes ipsos esset tota gentis illius dignitas: vt hodie nostri Præsules solent, quando se solos ciuitatum Domini & spirituales nominant. Isti Christum quæsiuisse dicuntur, nimirum ad ipsum occidendum, sicuti huius Cap. initio est dictum. Fuit igitur inquisitio ista diligentissima, qualis contra eos institui solet, qui magni alicuius sceleris aut publici mali authores esse putantur. Et quando illum nuspiam comparere, nec etiam quæsitum inueniri posse vident, hoc agunt, vt ijs suspectū & exosum reddant, apud quos in aliquo pretio hucusq; fuerat. Nam non tam cotemptim quàm inuidiosè vociferantur: Vbi est ille? Quasi dicerent. Vbi tandem latet ille magnificus suarum virtutum ostentator, qui miraculis sese apud vulgus imperitum venditauit, & magnum illum prophetam se dici passus est? Cur non nunc prodit in publicum? Cur non in festo totius gentis celeberrimo & inter homines eruditione & rerū experientia instructos sese sistit, vt de illius factis & doctrina iudiciū fiat? Hæc verò & alia his similia dicendo, non tam ipsum Christum, quàm ipsius sectatores suggillant, quasi ipsos homini vano & impostori seducendos temere præbuerint. Et non omnino irritus fuit iste conatus. Ea enim occasione per totam vrbem in populo murmur exortum est, & passim de Christo disputare cœperunt, qui ista à magnatibus dici audiuêre. Alij enim de illius virtute testimonium dabant, quòd bonus sit, & indignus in quem eiusmodi inquisitio fiat. Alij verò hoc diserte negāt, & vt quouis supplicio dignū esse euincant, seductorem esse aiunt. Tales enim Deus in lege occidere iubebat. Vide Deute. 13. Interim nemo palàm de illo loquebatur propter metum Iudæorum seu potius antistitum, qui vt suæ gloriæ & quæstui consulerent, Christi nomen & memoriam omnino extinctam & abolitam cupiebant. Licebat quidem illum quærere, inuentum prodere, doctrinā et miracula eius calumniari: at honorificam eius mentionem facere tutum nō erat. Causam periculi huius infra Cap. 9 & 12. euangelista exponet, Excōmunicationem nimirum, qua omnes Christi discipulos multisq; decreuerant Pharisæi. Erat hoc malum non leue, & summa cum ignominia coniunctum. Quicunq; à populi Iudaici & sacrorum consortio excluſi erant, simul etiā à promissionibus Dei et salutis æternæ hæreditate excluſi videbantur. Imponebat autē rudi & misero Iudæorum vulgo, quòd inter veram & falsam ecclesiam non rectè discernerent, & ab externo nominis atq; professionis splendore perderent. Quod ipsum hodie etiā multis imponit, vt brutis Pontificum fulminibus sese terreri patiatur. Discant illi in Dei verbum respicere, ex cuius semine ecclesia generatur, & vanis istorum comminationibus Dei promissionem opponant; Benedicam benedicentibus tibi, & maledicentibus tibi maledicam. Gene. 12. Hanc qui probè expendunt, & eandem in Christo ratam esse intelligent, illi certè hominum temerarijs comminationibus non multùm mouebuntur. Sunt autem hoc loco quædam non oscitanter consideranda, de quibus ex ordine breuiter dicemus.

Diuersa Iudæorum de Christo iudicia.

Christi hostes seipsos produnt ab omni religione alienissimos esse.

Et primò quidem obseruabis præpostera hostium veritatis iudicia, quibus ferè seipsos ab omni pietate alienissimos esse produnt, dum pijssimi & sanctissimi videri volunt. Accusarunt isti Christum, quòd in sabbato hominem sanum fecisset, qui annis continuis triginta octo paralyticus decubuisset, neq; illis satis facere potuit, quòd sine omni opere seruili hoc omne confecerat, & diuinam suam potentiam veramq; deitatem argumentis firmissimis demonstrarat, vt Cap. 5. vidimus. At nunc ipso in festo omniū celeberrimo illum solicitè quærunt, vitæ eius insidiantur, & multa faciunt, quæ alij non nisi labore magno fieri non poterant. Quis ergo eos aliqua sabbati religione teneri dixerit? Quis non videmos hic deprehendat prophanos, sanguinarios, & corruptissimis affectibus omnino deditos? Sciant huius generis hodie multa fieri ab aduersarijs nostris. Accusant nos quòd schisma in ecclesia faciamus, dum ad vnū Christum Iesum omnes remittimus: interim ipsi infinitas monachorū sectas introduxerunt, qui omnes professione, vestitu, ritibus & ceremonijs differunt: nec ijs contenti nouas quotidie cōminiscuntur. Similiter quouis supplicio nos dignos esse clamant, quòd Diuorum inuocationem

& cultum improbemus: cùm ipsi interea eam fidem & doctrinam, pro qua Diui ferè omnes mortui sunt, & quam sanguinis sui testimonio obsignarunt, impiam & hæreticam esse palàm dicant. Ita sacramentorum prophanatores nos esse querũtur, dum ea secundùm institutionẽ Christi simplicissimè administramus: eadem verò ipsi turpiter diuendunt, & his non minori impudentia quàm olim Iudæorum sacerdotes ad suum quæstum abutuntur. Adhæc inexcusabile scelus esse vociferantur, si ecclesiæ minister vxorem habeat vnam, & fornicatorem vocãt eũ, qui coniugij vinculo sese astrinxit: interim autem sacrificulos & monachos plures concubinas domi alere, et insuper insatiabili libidine per omnium toros vagari patiuntur. Possem infinita huius farinæ recensere, sed sufficiat occasionẽ cogitandi dedisse rudioribus, ne fucata sanctitatis specie decipiantur, quando illos sacra omnia in ore habere audiũt, quasi illorum acerrimi sint propugnatores.

Schismata & dißidia in religione.

Admonet præterea locus iste, non nouum aut insolens esse, si de salutis doctrina & fide concertationes atq; dißidia excitentur. Quia enim homo animalis non percipit ea quæ sunt spiritus Dei, & pleriq; sua quærunt, fieri non potest, quin in sectas diuersas scindãtur. Cœpit itaq; malum hoc in ipsa rerum origine, vt Caini & Abeli exempla testantur. Postea totus orbis in duas sectas principales scissus fuit, Iudæorum & gentium, & ne hi quidem vtriq; inter se conuenire potuerunt. Inter gentes enim variæ & diuersæ fuerunt de summo bono concertationes. A Iudæis verò Israelitæ defecerunt, qui cultus gentilitios cum veri Dei professione coniungebant. Tandem sub Ioanne Hircano annis circiter 129. ante incarnatum filium Dei exortæ sunt sectæ Pharisæorum, Sadducæorum & Essenorum, quæ totum populũ in studia planè contraria distraxerunt. Quòd si verò Christus Iesus schismata hæc tum non potuit è medio tollere, vt de ipso etiam & eius doctrina nouæ lites & concertationes sint exortæ: quid miramur, si hodie idem fiat, quando veritas per homines obscuros & nullius authoritatis prædicatur? Præparemus nos ergo ad certamina huiusmodi, nec tanti faciamus hominum leuißimorum iudicia, vt propter illos vel veritatis doctrinã in dubium vocemus, vel nos ex statione nostra deijci patiamur. Simul autẽ nos consoletur, quòd in horribili ista populi Iudaici confusione & sub duro sacerdotum dominio, reperti sunt aliqui saniorìs iudicij homines, qui Christum agnoscerent, & illi testimonium ferrent. Fit hoc ipsum vbiq; terrarum, vt semper sint, quos spiritus sanctus aliqua veritatis cognitione imbuit, vt huius hostibus sese opponant: & ferè posteritas rectius de illis iudicat, quos præsens ætas odiose contemnit & lacerat.

Christus dicitur impostor.

Præterea hoc quoq; obseruemus, quòd qui via, lux & veritas est, seductor populi dicitur, & qui idem ab ijs, qui iampridem cum externo cultu doctrinam quoq; corruperant, & impudenti sacrorum omnium nundinatione religionem in contemptũ adduxerant. Simulant hi nunc veritatis & publicæ salutis studium, & quodammodo dolorẽ animi profitentur, quem ex populi seductione conceperint, cùm lupi essent crudeliſsimi, neq; vlla cura aliorum tangerentur. Faciunt hoc ipsum hodie nostri aduersarij. Nam qui iam seculis aliquot in grege Christi vulpes & lupi fuerunt, cultum Dei prophanarunt, doctrinã veritatis partim extinxerunt, partim hominum traditionibus adulterarunt, seductores & impostores nos esse vociferantur, quando euangelium simpliciter prædicamus, salutem omnem in sola Dei gratia per Iesu Christi meritum ostendimus, & veram vitæ Christianæ officia sedulò vrgemus. Et qui infelicis populi superstitiones & eiusdem miseram sortem non modò neglexerunt, sed tacitu in sinu riserunt, hi nunc gemitus & lachrymas fingere possunt, quibus eius interitum deplorent. Sed hi impostorum mores sunt, & hoc vetus illud crimẽ est, quo omnibus seculis diffamati sunt veritatis præcones & publicæ salutis patroni. Sic Mosem & Aaronem olim accusabat Pharao, & prophetas hoc ipso nomine aduersarij traducebãt: apostolos item orbis totius turbatores dixerũt, qui veteres superstitiones tuebantur. Et vt in præsenti palàm Christo conuitiari licet, eiusdẽ verò innocentiam defendere non satis tutum est: Ita hodie cuius permittitur veritatis ministros maledictis lacerare, periculum verò subeunt præsens quicunque illorum patrocinium suscipiunt. At cùm eadem Christi quoq; sors in terris fuerit, patienter hanc ipsi etiã feramus. Excusat nos apud Dei tribunal mens bene sibi conscia, & Deus ipse suorum innocentiam asserere & tueri solet, quod exempla multa testantur.

Christus publicè docet in templo.

Porrò redeamus nunc ad Christum, qui cùm festũ hoc, quod diebus aliquot continuis durabat, dimidia ex parte peractum esset, in templum ascendit, & illic publicè docuit. Sic ergo sibi cauit, vt

tamen officio suo non defuerit, simulq; hoc suo facto ijs animũ addere voluit, qui de illo honestius tiebant atq; loquebantur. Obseruent exemplũ hoc ministri, ne dum sibijpsis cauent, eos deser in fide confirmare debent. Rursus verò euidenti argumento diuinitatẽ suam Christus probat, quo do publicè docet inter eos, qui illum paulò ante ad mortem quærebant: & nunc docentẽ ferre cogu tur, qui prius absenti insidiabantur. Agnouerunt in eo multi ex vulgo diuinam prouidentiam a virtutem, vt suo loco audiemus. Et quod tunc fecit dominus, hoc ipsum hodie sæpius fit, quando p ter omnem expectationem veritatis doctrina inter medios lupos & grauissimos hostes propagat Agnoscamus tunc quoq; Christi potentiam, & ex ea petamus consolationis argumenta, qua fide stram suffulciant. Non autem temere factum putabimus, quòd in templo docuit Dominus, intere dum alij circa victimas & festi ritus externos occupabantur. Videtur enim hoc illorũ errori oppo re, qui cultum in externis cõsistere putabant, nihil de mysterijs fidei sub eo latentibus solciti. Pr cipuum ergo ecclesiæ exercitium circa doctrinam versatur, quam sedulò prædicari & audiri conue nit, vt omnes obedientiæ assuescant, quam omnibus sacrificijs atq; ceremonijs externis Deu pa fert, vt iam sæpe diximus.

Iudæi Christum mirantur, nõ tamen credunt.

Cæterùm docente Christo Iudæi mirantur & obstupescunt, nõ autem credunt. Vident enim re nouam & insolitam, literis nimirum & scripturarum cognitione instructum esse eum, qui in schola nullis vnquam fuerat institutus. Licet verò hoc humani ingenij vires longè superare sciant, tam men quid hoc sibi velit inquirunt seriò, nec diuinam virtutem agnoscunt. Imò credibile est, malu hoc ex malo dæmone profectum putasse, cuius virtute signa quoq; fieri sacerdotes dicebant. Ita ver fieri solet, quando carnis affectus sequimur, vt ipsi nobis noxia faciamus, quæ salutẽ nostram pro uere poterant, si illis rectè vteremur. Si enim nostro ingenio sese Deus accommodat, & medijs solis vtitur, pleriq; illis solis intenti, ipsius manum & virtutem non agnoscunt. Quòd si noua ratione m biscum agat, stupore & admiratione abrepti, quiduis potius quàm Dei operationem animo concip mus, & proinde circa vanas atq; noxias speculationes vagamur. Facilè autem huic malo medel mur, si in operum Dei admiratione ita versemur, vt illa omnia applicemus ad veritatis cognitio inuestigandam, qui nobis studiorum omnium scopus vnicus esse debet. Ita fiet, vt Iesum Christum telligamus solum & verum salutis authorem esse, & in eo vitam consequamur æternam. Illi debe tur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.

HOMILIA LX.

Respondit illis Iesus, ac dixit: Mea doctrina nõ est mea, sed eius qui misit me. Si quis voluerit voluntatem eius facere, cognoscet de doctrina, utrum ex Deo sit, an ego ex meipso loquar. Qui à semetipso loquitur, gloriam propriam quærit: qui autem quærit gloriam eius qui misit ipsum, hic verax est, & iniustitia in eo non est.

Diuus Ioannes apostolus & euangelista in priori epistola grauiter scribit: Dilecti, ne cuiuis spiritui credatis: sed probate spiritus, an ex Deo sint. Consentit eidẽ Paulus, qui Thessalonicensibus suis dicit: Prophetias ne cõtemnatis: omnia probate, quod bonum fuerit tenete. Sunt hæ admonitiones vtiles omnino & necessariæ. Quia enim omnibus seculis falsi doctores fuerunt, hisce autem nouissimis temporibus quotidie noui impostores exoriuntur, qui infirmorum fidem euertunt, sperm tis in dubium vocant, & Dei cultum turpiter prophanant: regulam omnino esse oportet certam, ad quam istorũ dogmata examinentur. Tradidit hanc olim veteri populo Deus, quando pro impostoribus habere iussit eos, qui Deos alienos quærere docent, etiamsi hanc suam doctrinam signis euidentibus confirment. In nouo autem Testamento non modò rata adhuc est huius præcepti auctoritas, verumetiam ipse Dei filius absolutũ veri & orthodoxi doctoris exemplũ proponitur, & idem mandatis in locis suæ doctrinæ rationem sic reddit, vt certas notas proponat, ex quibus de quauis doctrina iudicium fieri possit. Et huc imprimis debet referri præsentis loci tractatio. Cùm enim in templo publicè docuisset Christus, Iudæi singularem eius gratiã admirati quidem sunt, sed latentem sub humana

humanitatis specie deitatis virtutem agnoscere non potuerunt: quæ causa fuit, vt scandalum ex eo enatum sit, quod ipsos in sublimiorẽ promissi seruatoris cognitionẽ adducere debebat. Ideo nunc rem omnem clarius exponit, & suæ doctrinæ veritatem ita tuetur, vt simul certam & infallibilem probandi doctrinas omnes rationem præscribat. Est ergo locus hic dignissimus, cuius singulæ partes diligentius inspiciantur.

Primò autem Iudæis respondet, quibus nouũ & insolens videbatur, ipsum scripturas allegare & exponere posse, cùm in nullis scholis vnquam fuisset institutus. Dicit ergo: Mea doctrina non est mea, sed eius qui misit me. Quæ verba primo intuitu paradoxon quid & ἀσύνατον continere videntur, quando doctrinam eandem suam & non suam esse dicit. Sed hic quoq; (vt etiã alibi dictum est) ex aduersariorũ sententia vel opinione loquitur, qui in ipso nihil quàm nudum hominẽ agnoscebant, & proinde sensus verborũ est: Admirationẽ vobis parit doctrina hæc mea & docendi facultas, qua me instructum videtis. Admirationis causa est, quòd nihil in me homine maius agnoscitis. Sed longè aliter res habet. Nec enim nudus homo, sed verus quoq; & patri coæternus sum Dei filius. Itaq; doctrina hæc non mea est vt hominis, quem solum videtis, sed ad Deum patrem referri debet, qui me misit, vt humani generis redemptor simul & doctor sim, quem me fore olim prophetæ prædixerunt. Non ergo vos offendere debet quòd ista possum præstare, cùm in literarũ studijs nunquam versatus sim. Nam vt pater ex semetipso omnia nouit, neq; alio magistro aut institutore opus habet: Ita neq; ego, qui eiusdem cum illo essentiæ, imò æterna patris sapientia sum. Hæc autẽ dicendo, in ipsos retorquet argumentum, quo maleuoli eius doctrinã populo suspectam facere volebant. Perinde enim est, ac si dixisset: Hoc vos offendit, quòd à nemine institutus docere possum. At hinc colligere debebatis, hoc totum negotium non humanũ esse, nec humana industria, sed diuina virtute administrari, &c. Vbi apparet, non temere factum esse, quòd Deus filium suum in carne manifestatũ, non in scholis & literarũ studijs institui, sed ab arte manuaria (quam illũ cum Ioseph patre putatitio exercuisse in Marco nostro diximus) ad docendi munus vocare voluit: quòd item Christus ipse in apostolorũ numerũ homines idiotas, piscatores, publicanos & ab omni literarũ atq; ingenuarum artiũ cognitione alienissimos cooptauit, cui facillimum erat, ex sacerdotum filijs & scribis aliquos asciscere, quorum opera & ministerio vteretur in propaganda fide & vera salutis cognitione. Nimirũ, vt res ipsa doceret, negotium hoc totum diuinum, non humanũ esse, & cordatiores quiq; rei nouitate excitarentur ad diligentiorem eorum considerationẽ, quæ proponebantur. Hoc certè argumento olim Amos sese defendit, cùm Amasias sacerdos idololatra ipsi negotium faceret, cui ita respondit: Ego non sum propheta, neq; filius prophetæ, sed homo pecuarius ego sum, sycomora stringens: Tulit autẽ me Dominus cum greges sequerer, dixitq; mihi Dominus: Vade, & propheta ad populũ meum Israel, &c. Quibus verbis Amasiam admonere voluit, ne sine numine factum putet, quòd ipse ad docendũ prodierit, & proinde non temere cum Deo certamẽ suscipiat. Eòdẽ referri debet, quòd sacerdotes & seniores Hierosolymitanos apostolorũ libertate perculsos fuisse Lucas Act. 4. scribit, cùm cõperissent ipsos homines idiotas & illiteratos esse. Et hodie multi mirantur, homines obscuros et nullius antehac authoritatis nostro seculo tam subitã & incredibilem ecclesiæ, adeoq; orbis totius mutationẽ inuehere potuisse. Eandem tamen videmus esse improbitatẽ & pertinaciã plerorumq; quæ inter Iudæos Christi tempore obtinuerat. Nam etsi negare nõ possint gratiam Dei, quæ in euãgelij ministris & toto illo reformationis ecclesiasticæ negotio elucet, pergunt tamen contemnere veritatis doctrinã, & eandem oppressam volunt.

Doctrina Christi nõ humana, sed diuina est.

Cur Christus et apostoli non instituti fuerint in scholis?

Quoad verò huius loci tractationem, diligenter obseruari debet Iesu Christi modestia, qua se patri submittit, & cum omnem hanc laudem sibijpsi verè posset tribuere, tamen pro assumptæ humanitatis ratione eam Deo patri transcribit. Imitentur eius exemplũ, quotquot se donis aliquot præstantioribus instructos vident; & quàmuis interdum aduersariorum improbitate cogantur dignitatẽ & authoritatem sui nominis tueri, meminerint tamẽ, eam sibi à Deo obtigisse, & sic illam propugnent, vt omnis gloria ad vnum Deum referatur. Obseruauit hoc diligẽtissimè Paulus, qui auditorũ simplicitate nunquam abuti voluit, vt sui nominis authoritatẽ stabiliret in se transferendo ea, quæ soli Deo debentur. Ego (inquit) plantaui, Apollo rigauit, sed Deus dedit incrementum. Et alibi cùm coactus esset dicere: Amplius quam alij omnes laboraui: Mox subiecit: Non ego tamẽ, sed gratia Dei

Pij omnia ad Deum referũt.

quæ mihi adest. Itẽ, Gratia Dei sum, quod sum. 1. Cor. 15. Qui ita affecti sunt, donis à Deo accepti recte vtuntur, & siue in ecclesiæ ministerio cõstituti sint, siue in repub. versentur, magna cum laude & publico bono functionem suam obeunt. Qui verò nec locũ quem tenent, neq; dona quæ ipsis in à Deo sibi obtigisse cogitant, ij ambitione elati omnia pro suo arbitrio instituunt, & dum suæ glo consultũ volunt, seipsos Deo exosos faciũt, & ecclesiam simul atq; rempub. secũ in periculũ adducu

Solius Dei doctrina in ecclesia doceri debet

Præterea quoad scopum totius tractationis, quam hoc Cap. contineri diximus nuper, admo mur, non aliam in ecclesia doctrinã debere proponi, quàm de qua ministri hoc ipsum verè possint cere, quod non ipsorũ & ex proprio cerebro enata sit. sed Deum authorem habeat. Quia enim eccle sia Dei domus est, nefas fuerit, aliam in ea vocem audiri, quã veri illius patrisfamiliãs, qui ipse filij sui vnigeniti & dilectissimi sanguine acquisiuit. Dei ergo verbũ solũ doceri debet, quod verbũ Testamenti libris ex spiritus sancti suggestione prophetæ & apostoli comprehenderunt, nec aute merentur, qui vel suas vel aliorum traditiones proferunt. Has enim iam olim Deus vna sententi iugulauit, quando se frustra ab ijs coli dixit, qui hominum doctrinis nituntur. Sunt hæc testimo infinitis confirmata, ea tamen est nostri seculi infelicitas, vt multi non sine graui scripturæ sacræ ignominia doctrinas falsas inuehant, quas hoc vno argumento tuentur, quòd scripturis non omnia

Cõtra traditiones hominum.

sint comprehensa, quæ ad Dei cultum & nostræ salutis rationem faciunt. Et ne hoc absq; ratione di cere videantur, Christi verba allegant, qui infra discipulis dicet: Adhuc multa habeo quæ vobis di cam, sed non potestis portare modò. Cùm autem venerit ille, qui est spiritus veritatis, introducet vos in omnem veritatem. Item: Hæc locutus sum vobis apud vos manens: Paracletus autem ille, spi tus sanctus, quẽ mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia, qu dixi vobis. Addunt his quod Paulus in posteriori ad Thessal. scripsit: Itaq; fratres state, & tene traditiones, &c. Ex quibus omnibus colligunt, neq; Christum omnia coràm docuisse apostolos, sed multa sibi reseruasse suo demum tempore reuelanda: neq; apostolos scriptis mandasse quæcũq; cognos & obseruatu necessaria sunt. sed quædam traditionibus quasi per manus acceptis contineri, quarum non minor debeat esse authoritas, quàm eorum quæ scripta sunt. Hoc autẽ principio cõstituto, mu traditionem apostolicam esse clamant, quicquid scripturis non potest probari. Sed facilis est ad hæc responsio. Et de Christi quidem verbis suo loco fusius dicetur, nunc sufficiat annotauisse, quod spe tum à Christo promissum apostoli vndecimo statim ab ascensione die acceperũt, & quod is nihil no docere, sed prius audita & malè seruata denuo suggerere debuit. In Christi ergo doctrina ostendan illi ea, quæ traditionum nomine venditant. Deinde vt demus multa tradidisse apostolos, quæ n ad verbum libris eorum continentur, ea tamen vel conueniunt ipsorum scriptis, vel aduersantur. Si conueniunt, penes nos est victoria: sin discrepant, nos ab eodem Christi spiritu illa profecta esse ne bimus, quando impossibile est spiritum veritatis sibijpsi contradicere. Sunt ergo isti non impostores modò, sed in fideles Christi apostolos & spiritũ sanctum iniurij, quando bilingues fingunt hos omnia vt suam in ecclesia tyrannidem tueantur. Sit ergo firmum ratumq; semper principium hoc, nullam doctrinam debere recipi, nisi quæ Deum authorem habeat: qui cùm in scripturis nobiscũ loquatur, ad has ceu Lydium lapidem omnia examinemus, neque nos ad incerti authoris traditiones remit patiamur.

Christus doctrinam suam examinari vult.

Caterùm hoc illo dicente, obijcere poterant: Tu quidem te à Deo missum esse ais, & doctrinam tuam pro diuina venditas. Atqui idem antehac fecerunt multi, qui suis mendacijs nobis maximo rum malorum authores fuerunt. Et quia in hoc casu verum à falso discernere difficillimũ est, non opinor nos accusabit, si contemptis & relictis omnibus nouatoribus, antiquis patrũ vestigijs in mus, &c. Adhæc igitur & alia eiusmodi respondet Dominus his verbis: Si quis voluerit voluntatem eius facere, cognoscet de doctrina, vtrum ex Deo sit, an ego ex meipso loquar. Habent hæc ante optimè sibi conscij euidens argumentum. Primò enim liberum facit omnibus, vt in doctrinam suam inquirant, adeoq; vt istud diligenter faciant hortatur. Deinde talem esse ostendit, vt facile cognosci queat, qualis sit, modò animos erga Deum piè affectos afferant. Et sunt hæc duo nobis non ostentan considerandæ. Nam primùm aduersus eorum tyrannidem nos Christus instruit, qui fidei aliena do minari cupiunt, & doctrinas quasuis nullo adhibito diligentiori examine recipi debere contendũ Cuius sententiæ hanc solam rationẽ habent, quòd res ista sanctior & abstrusior sit, quàm vt a quouis

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

inuestigari vel possit vel debeat. At longè aliter hîc Christus sentit, cùm vulgo loquens indocto, omnes ad suæ doctrinæ cognitionẽ excitet. Et idem infra Cap. 10. hoc ouibus suis tribuit, quòd inter veri pastoris & impostoris mercenarij uocem probè discernere possint. Quò etiam Apostolica illa præcepta referri debent, quæ huius Sermonis initiò adduximus. Vehementer ergo & pernitiosè errant, qui supino & nimium seruili animo præditi sese circunduci patiuntur, & sua simplicitate se excusatos putant coram Deo, etiamsi à veritatis scopo longissimè aberrent. Fallũt hi seipsos, dum culpam erroris omnem in huius authoribus hærere putant. Etsi enim grauior illorum culpa sit, non tamen omnino immunes sunt, qui diuini præcepti immemores somnia quæuis sequuntur: & notum est illud Christi: Si cæcus cæco dux fuerit, ambo cadunt in foueam. Multò tamen detestabilior est eorum tyrannis & impudentia, qui suas traditiones examinari nolunt, adeoq; sibi in ecclesia maiorem potestatem, quàm ipse Christus, vendicant, qui vt suam doctrinam probent, hortatur. Rursum igitur hoc indicio sese prodit Antichristi spiritus, qui se supra Deum ipsum extollit.

Sed videamus, quo animo nos ad istud examen doctrinarum accedere oporteat. Eo nimirum, quidam penes se constituerit Dei voluntatem facere. Ita verò animum verè pium, & ad omne obsequium Dei propensum, neq; vllis cupiditatibus prauis subiectum describit. Habet is sibi coniunctum discendi studium, cùm non obscurè experiatur, quàm multa sint, quæ nos à veræ obedientiæ officio auocare possunt. Atqui talem animum nunquã concipiemus, nisi abnegatio præcedat, qua fit, vt affectibus nostris longum valere renuntiemus. Qui verò ita affecti sunt, eorum studiũ nequaquam frustratur Deus, & ne pernitiosè aberrent, aut in errore perseuerent, spiritu suo eos illuminat, vt mox intelligant qualis doctrina sit quæ proponitur. Dum autẽ ista Iudæis dicit Christus, simul innuit, ipsos à pietatis studio alienos esse, & proinde ipsorum culpa fieri, quòd ex sua doctrina tam parũ hucusq; profecerint. Itaq; debent hæc ad nostra etiã tempora referri, & mox apparebit, cur hodie euangelium nullo ferè cum fructu, aut saltem tam exiguo prædicetur. Ideò nimirum, quòd pauci sunt, quorum animos verus timoris Domini & pietatis sensus tangat, & qui de facienda Dei voluntate seriò cogitent. Regnat enim apud omnes ordines impia illa securitas, quam nouissimorũ temporũ hominibus scripturæ tribuunt. Et qui studiũ religionis profitentur, simul tamẽ animi improbitatẽ aperte produnt, dum in dubium vocant fidei & salutis nostræ mysteria, & ex argutis speculationibus laudem sibi quærunt. Conqueruntur ijdem sæpe, se quidem ad verum Dei cultũ propensos esse, sed in tot tamq; acerbis concertationibus veram eius rationẽ videre non posse. At si eo animo præditi sunt, cur non in ijs rebus suum Deo obsequium præstant, in quibus nullum est de eius voluntate dubium? Cur scortantur, mœchãtur, furantur? Cur leges publicas peruertunt? Cur viduas & orphanos affligũt? Cur militiam mercenariam sectantur, et ob vilem pecuniolam sanguinem innoxium fundunt? Num ista quoq; Dei legibus aduersari ignorant? Non equidem arbitror. Vel cur in multis alijs ingenij acumen tam feliciter exercent, quæ magis perplexa sunt et intricata? Omnibus ergo illis ex Christi verbis responderi potest: Si diuinæ voluntatis studium & vera pietas vobis cordi esset, facilè videretis, verum doctrina euangelij ex Deo sit, an ex seipsis loquantur, qui istam hodie in lucem reduxerunt. Quod cùm videre nolitis, voluntaria hæc est ignorantia vestra, & non tam ignorantes rerum quam impios & prophanos religionis totius contemptores vos esse proditis, &c.

Qui nam ad doctrinæ examen sint idonei?

Pergit autem Christus, & ne suspensos diutius teneat simplicis vulgi animos, notas subijcit, quibus veri doctores à falsis discerni, & vtriq; agnosci possint. Qui à semetipso (inquit) loquitur, gloriã propriam quærit: Qui autem quærit gloriam eius, qui misit eum, hic verax est, & iniustitia in eo nõ est. A semetipso loquitur, qui sui cerebri figmenta profert, & hanc quasi definitionem ponit falsi doctoris. Quia enim homo animalis non percipit ea quæ sunt spiritus Dei, & insuper (vt Dauid ait) omnis homo mendax est, fieri non potest, vt de diuinis & cœlestibus aliquid veri dicant, qui suis opinionibus ducuntur, nec diuinitus sunt illuminati. His tribuit, quòd docendo suam gloriam et priuatum commodum quærant, & ex eo pro impostoribus agnoscendos esse monet. Illis autem eos opponit, qui contempta gloria sua priuata, solius Dei gloriam prouehere studeant, & eos veraces & ab iniustitia alienos esse ait. Debet autem iniustitiæ vocabulum ad præsentem causam restringi, vt sensus sit, eos nihil dolo malo vel fraudulenter agere, sed fidi legati officio ingenuè fungi. Possunt autẽ ex istis verbis tres notæ colligi, quæ nos de doctoribus & doctrina iudicare docent. Primò missionis mentio- 1. Missio.

Notæ, quibus veri doctores à falsis discernantur.

nem facit, quam omnino legitimam esse oportet. Quomodo enim prædicabunt (inquit Apostolus) nisi missi fuerint? Est autem missio duplex. Alij immediatè à Deo mittuntur, vt olim prophetæ, quos cessantibus in suo officio sacerdotibus Deus extraordinariè excitauit, & deinde Apostolis, quos ipse Dei filius nihil tale cogitantes vocauit, & postea donis instruxit necessarijs, vt ad euangelium in toto orbe diuulgandum emitterentur. Et ea ratione in vtroq; testamento aliquos mitti oportuit, vt omnibus constaret, Deum ministerij huius esse authorẽ. Alij secundùm canones in scripturis traditos ab ecclesia ordinantur vel mittuntur, quales erant, quos Titus in Creta ad verbi ministerium destinauit, & plures alij, quos simili modo Apostoli & viri Apostolici vocauerũt. Et tales quidem minus quàm priores illi pro legitimis ministris habebantur, eò quòd ad Deum ipsum rectè referretur, quod secundùm illius præscriptum ex fide & religiosè fieri consueuit. Ideò manuũ impositione ab ecclesijs publicè cõmendabantur, ceremonia nimirũ ex sacrificantium more petita, vt illos Deo consecratos & eius ministros esse omnes intelligerent. Si qui ergo nec à Deo immediatè, nec ab ecclesia legitimè missi aut ordinati sunt, sed ipsi sese intrudunt temere, ij impostores, imò (vt infra Christus loquetur) fures et latrones sunt, qui per aliud ostium ingressi gregem perfidè populantur. Altera vera doctoris nota est, quòd non ex semetipso loquitur, sed à Deo accepta & cõmissa proponit. Rationem huius supra adduximus, quia ecclesia Dei domus sit; sed idem etiam legationis ratio postulat, quam ministris aut doctoribus cõmissam esse, Paulus testatur, cùm ait: Nomine Christi legatione fungimur, velut Deo precante per nos, oramus Christi nomine, Reconciliemini Deo, &c. Vt ergo bonus legatus est nihil de suo affingere, nihil etiam omittere, sed bona fide proponere quæ in mandatis accepit. Ita hoc à ministro ecclesiæ cumprimis exigitur, vt Dei verba purè & fideliter prædicet, & neq; in prætiã neq; in odium alicuius quicquã vel dissimulet, vel loquatur. Ad hoc mandatũ olim prophetas sic Deus obstrinxit, vt videre est Ierem. 1. et Ezech. 3. cap. Apostolis quoq; nõ liberũ facit, vt pro suo arbitrio nouũ doctrinæ genus confingant. sed ea vbiq; terrarũ prædicare iubet, quæ ipse eis tradiderit. Quod tanta cura & fide illi obseruarunt, vt Paulus se anathema dicat fore, si aliud euangelium prædicet, & ne angelo quidem aliud quiddam docenti credendum esse monet. Ergo falsi doctores & impostores sunt, qui ex suo cerebro noua dogmata fingunt, aut hominum aliorum traditiones ecclesijs obtrudunt. Solent illi Patres & Concilia semper in ore habere. At quò magis ista tonant, eò magis produnt se malæ fidei legatos esse, nisi scripturis sacris ea consentire doceant, quæ patrum & Conciliorum authoritate probare volunt. Tertia boni doctoris nota est, si non suam sed Dei gloriã quærat, & hunc suæ doctrinæ scopum sibi habeat præfixum, vt vnus & solus Deus ab omnibus coga[illegible]tur, timeatur, ametur & colatur, sicuti ipse nobis præcepit. Itaq; seductores erunt, quicunq; humanas traditiones aliter instituunt; & quemadmodũ perfidus legatus fuerit, qui reipublicæ nomine ad res publicas conficiendas abutitur; ita perfidi in domo Dei dispensatores sunt, qui sub eius prætextu primariam cõmodum & gloriam quærunt. Sunt hæ notæ tam manifestæ & certæ, vt nemo tam simplex sit, qui non eas obseruare, & ex ijs de quouis doctore iudicare possit. Transferamus itaq; eas ad nostros seculi antistites, qui primum sibi in ecclesia locum vendicant, & mox patebit, quo loco haberi debeant. Primò enim se à Deo missos esse nunquam probare poterunt, quando constat sacerdotium illud, quod maximè gloriantur, à Deo non esse institutum: vt iam de primatu nihil dicamus, cuius ambitiosam affectationem in discipulis Christus toties & tam grauiter reprehendit. Gloriantur quidem Apostolorum successione, sed plus quàm siculneum, hoc est præsidium. Nec enim de eo agitur, qui nam quibus ex ordine successerint, aut vbi locorum sibi suas sedes constituerint: sed de doctrina, de cultu Dei & fidei mysterijs controuersia est, quam ex Apostolorum scriptis, nõ inani successionis gloriatione dirimi oportet. Deinde si doctrinam examines, maxima eius pars hominum traditionibus constat, & licet aliquem in ecclesia scripturis locum reliquum fecerint, easdem tamen priuatæ interpretationi subijciunt contra Petri Apostoli admonitionem, quando verum illarum sensum non aliunde quàm ex scrinio cordis Pontificij petendum esse clamant. Quid quòd Monachorum regulas conflixerunt, & infinita alia, quæ scripturis palàm contradicunt? Quòd si finem & scopum illorum considerabis, sua illos quærere videbis, vt nimirum malis artibus quæsitam tyrannidem peioribus tuean[illegible]tur. Si enim gloriam Dei quærunt, cur ad Diuos remittunt & hos inuocare docent? cur Christum [illegible] rito derogant, dum peccatorum expiationem in Missæ sacrificio, purgatorio igne & nostris satisfactionibus

2. Doctrina à Deo tradita.

3. Gloriæ Dei studium.

2. Pet. 1.

ctionibus monstrant? cur conscientias legibus abs se conflictis grauant & excruciant? cur imaginum cultum defendunt, quas zelotes ille Deus tantopere abominatur? cur sibi omnem potestatem in ecclesia vendicant, & ad pedum suorum oscula reges & principes inuitant? cur deniq; piorum gemitus, lachrymas, clamores, tot iam seculis liberationem petentium, surdis auribus prætereunt? Imò cur regum armis ad eos opprimendos abuntur, quos suæ tyrannidi aduersari vident? Negent ista fieri, si possunt. At negari ista non possunt, cùm res ipsa loquatur, & tamen adhuc quid fieri debeat, consultamus? Sed fugiamus ô fratres crudeles & astutos lupos, sequamur autem verum pastorem Iesum Christum, qui in Prophetis & Apostolis loquitur, & ita salutis æternæ in illo consortes erimus. Ipsi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

HOMILIA LXI.

Nónne Moses dedit uobis legẽ, & nemo ex uobis factis præstat legem? Quid me quæritis interficere? Respondit turba, & dixit: Dæmonium habes, quis te quærit interficere? Respondit Iesus, & dixit eis: Vnum opus feci, & omnes miramini. Atqui Moses dedit uobis circuncisionem (non quòd ex Mose sit, sed ex patribus) & tamen sabbato circunciditis hominem. Si circuncisionem accipit homo sabbato, ut non soluatur lex Mosis, mihi indignamini, quòd totũ hominẽ sanum fecerim sabbato? Ne iudicetis secũdùm aspectũ, sed iusto iudicio iudicate.

DOminus noster Iesus Christus nuper doctrinæ suæ rationẽ reddidit, et argumentis euidentissimis euicit eam veram atq; diuinam esse: quia & à Deo ipse missus sit, & non ex priuato carnis affectu loquatur, adhæc Dei gloriam vnice quærat. Et hæc quidem ita proponit, vt ex ijs certa ac infallibilis regula peti possit, ad quam doctrinæ omnes examinentur: qua de re heri abundè diximus. At non ignorabat Christus hostium argumenta, quibus rudi populo diuersum persuadere conabantur. Inter quæ præcipuum erat, non posse à Deo missum censeri, qui legem Dei non obseruet, & sabbatum violare ausit, cuius obseruationem scripturæ tanta cum grauitate passim cõmendent. Occasionem verò hæc dicendi ex eo petebant, quòd die sabbati paralyticum sanasset ad piscinam probaticam, & grabbatum gestare iussisset. Istis ergo in præsenti occurrit, & crimen hoc non minus verè quàm grauiter diluit. Pertinet autem hoc quoq; exemplum ad ministrorum verbi institutionem, qui admonentur, non satis esse, si vera doceant & doctrinæ suæ rationem quibusuis reddere possint, nisi factis quoq; & vitæ suæ exemplo doctrinã suam cõmendent, suamq; innocentiam aduersus eos tueantur, qui falsis criminibus doctrinam veritatis suspectam & exosam reddere student. Videamus ergo vt hanc causam ille egerit, vt ex eo constet, quid in simili causa nos facere deceat.

Principiò iniquè eos facere dicit, quãdo ipsum eius sceleris accusent, cuius reatu ipsi simul omnes teneantur. Nónne Moses (inquit) dedit vobis legem, & nemo vestrum factis præstat legẽ? &c. Interrogatione eos vrget, vt quasi proprio testimonio cõuincantur. Emphasis autẽ est in dictione VOBIS. Hac enim illorũ confidentiã perstringit, qua elati lege perinde vt suo peculio superbiebãt, quasi ipsis solis esset data. Eò enim turpior erat ipsorũ improbitas, quando legẽ hanc nihilominus transgrediebantur. Sensus itaq; verborũ est: Iniqui et iniusti nimiùm sunt, qui cùm ipsi leges, quas ad se cumprimis pertinere aiunt, transgrediantur, in alios rigidius animaduertunt. At vos hoc facere, negari non potest. Cùm enim Moses legẽ vobis dederit, & vos hãc ad vos potissimùm pertinere gloriemini, nemo tamẽ inter vos reperitur, qui eam factis præstet, & se ei in omnibus obsequentẽ præbeat. Quid ergo me queritis interficere? Id est, quæ hæc est vestra iniquitas, qua me ob leuiculũ crimen, de quo non satis adhuc cõstat, occidere conamini? At legis transgressores esse dicit Iudæos, non modò quòd ipsi necem molirentur, sed quòd ea esset omnium improbitas & corruptio, vt in multis singuli peccarent, nec quisquam reperiretur, qui omnia verè præstaret, quæ in lege præscribuntur. Patebit hoc nimis euidenter, si ad verum legis sensum, quem Matthæi quinto Capite tradidit Christus, homines omnes examinemus: ex quorũ numero Iudæi eximi non possunt, cùm innumeris exemplis se reliquis gentibus deteriores esse demonstrarint. Videtur autẽ argumentũ populare magis quàm firmũ esse,

Iudæos legis transgressores esse conuincit.

neq; multùm ad Christi defensionẽ facere. Nam & vulgò improbãtur qui aliorũ delictis sua tegere vel excusare volunt: neq; firmũ satis aut ratum est hoc principiũ, quòd aliorũ scelera nemo reprehendere aut punire debeat, nisi ipse omnino innocens & ab omni transgressionis labe alienus sit. Quia si hoc statuamus, mox disciplina omnis cùm ecclesiastica tum politica corruet: quando neminẽ inuenire licebit, qui nõ in multis peccet, & cui non sua quoq; delicta exprobrare possint ij, qui ab ipso corripiuntur. Cæterùm, si cum ipso Christo totã hanc causam & omnes eius circũstantias consideremus, nihil rectius & cõuenientius dici potuisse apparebit. Primò enim insons planè erat ipse Christus, nec alicuius sceleris cõuinci poterat. Licebat ergo ei aliorũ improbitatẽ liberè accusare. Deinde publicæ salutis ratio postulabat, vt aduersarijs suis laruã detraheret, qua iniustitiã suam et tyrannidẽ palliare solebant, cùm legis vindices videri vellent, qui non alio instituto Dominũ persequerentur, quàm vt Deo suam gloriã vindicarent, quam ab ipso pollui & cõculcari dicebant. Et quia multis in hac re officium facere videbantur, publicè demonstrari oportuit, eos nõ Dei zelo moueri, sed affectu praeuo abripi, & Christo priuatas ob causas præter omne meritum infensos esse. Estq; hoc memorabile exemplum, quo docemur, eos publicè argui debere, qui sub prætextu zeli sancti & religionis studio veritatis doctrinam & huius sectatores opprimere student. Est hoc vulgare nimis, & constat omnium seculorum persecutores priuatis suis affectibus publicæ salutis studium & zelum gloriæ Dei prætexuisse. Et hinc ferè fit, quòd nebulones isti plurimùm proficiunt, quando pleriq; ipsorum artes non possunt obseruare, & illos non malo animi instituto impelli arbitrantur. Vt ergo simplices isti errore liberentur, & piorum saluti prospiciatur, in lucem illos protrahi necesse est. Habet hæc admonitio vsum magnum nostro seculo. Audiuntur enim passim horrenda crimina, de quibus nos aduersarij nostri accusant: qui scripturæ sacræ libros falsis interpretationibus per nos corrumpi, sacramenta prophanari, Diuos contemni, ordines ecclesiasticos confundi & incestis connubijs pollui, disciplinam omnem aboleri, opera bona in contemptum adduci, adhæc pacem publicam turbari & seditionibus omnia misceri dicunt. Et de his quidem ita conqueruntur, vt qui eos non nouit, viros bonos & gloriæ Dei studiosissimos esse iuret. Sed facilè hæc crimina diluuntur. Iniuriam enim nobis fieri res ipsa docet. Quis autem istorum hominum zelus sit, quóue affectu ducantur, ipsorum dogmata superstitiones, mores & totius vitæ ratio abundè testari possunt, etsi nemo nostrum verbum faciat. Sed enim seriò ista loquuntur, cur ipsi scripturas detruncant, & frustillatim discerptas proponunt? Cur ne quis illas legat interdicunt? Cur peregrinis potius linguis quàm vernacula in ecclesijs vtuntur? Cur sacramenta partim mutilant, partim suis additionibus obscurant, & planè alia reddunt? Cur eadem in alienos vsus detorquent? Cur Diuorum doctrinam hæresin dicunt, & eandem ferro atque igne persequuntur? Cur non ipsi suum clerum (vt loquuntur) in officio continent? Cur ecclesiarum antistites, monachos item & moniales scortari & mœchari sinunt? Cur ad stupra, ad abortus violentos & paricidia conniuent? Cur in detestandũ Sodomiæ scelus non maiori seueritate animaduertunt? Cur carnispriuiorum obscœnos lusus, encæniorum lasciuos conuentus & quæ sub religionis nomine designantur scelera non coercent? Cur deniq; sceleratis omnibus patrocinantur, modò Romanæ ecclesiæ primatum agnoscant? Cur subditis coniurationum & seditionum authores sunt aduersus pios magistratus, quos ad libertatem Christianam aspirare vident? Atqui omnia ista fieri illis partim instigatoribus, partim ad ea conniuentibus, nemo est qui negare possit. Nequicquam ergo pietatis zelum & ecclesiæ curam cruentis suis consilijs prætexunt, quando ex his cordati omnes facilè agnoscunt, eos à religione omni alienissimos esse, & proinde alijs affectibus seu studijs exagitari.

Argui debent, qui prætextu zeli Dei ueritatem opprimunt

Sed vt vberior huius loci vsus sit, præter ea quæ eius statum vel scopum principalem attinent, alia quoq; obseruari debent, quorum nos Christi verba quasi obiter admonere possunt. Inter quæ primum occurrit, quòd Iudæos non eo nomine reprehendit, quòd legẽ vel abiecerint, vel legere et audire nolint, aut etiam ignorent: sed quòd nemo ipsorũ illam factis præstet. Ergo non sufficiet legẽ à Deo latam accepisse, legisse, audiuisse, vel etiam nunc in ore habere: sed vt illi verè obtemperemus necesse est. Nam vt Paulus ait, non qui audiunt legem, iusti sunt apud Deum, sed qui legem factis præstat iustificabuntur. Rom. 2. Et hoc quidẽ passim inculcat Moses, apud quẽ istæ voces sæpissimè repetuntur: Hæc sunt statuta & iudicia, quæ ego doceo vos, vt faciatis, & viuatis, &c. Item: Si audieris vocem Domini Dei tui, & custodieris feceris q; omnia præcepta mea, venient super te omnes benedictiones

Non sufficit legẽ habere, nisi factis exprimatur.

nedictiones istæ, &c. Nec de veteri modò lege ista dicuntur, sed ad euangelij doctrinam hæc ipsa Christus accommodat, quando sermonem illum celeberrimum in monte habitum ita concludit: Omnis qui audit sermones meos, & facit eos, illum similem dicam viro prudenti, qui ædificat domum suam super petram, &c. Vide locum Matth. 7. Et rursum Luc: 11. Beati, qui audiunt verbũ Dei, & custodiunt illud. Debent ista semper in auribus nostris sonare, ne inani veritatis cognitione inflati, officiũ negligamus, & tandem propriæ cõscientiæ testimonio condemnemur, quãdo ex eorum seruorum numero esse deprehendimur, qui voluntatem heri sui nouerunt quidẽ, non autem faciũt, quos pluribus plagis vapulaturos esse Christus minatur. At quod de diuinis legibus dicitur, hoc idẽ ad ciuiles referri debet, quæ ad iudicia publica & morũ honestatem pertinent. Nisi enim illis obtemperet populus, & ijsdem sua authoritate atq; executionis seueritate vigorẽ, adeoq; vitã magistratus inserant, nequicquam vel in codices publicos referentur, vel promulgabũtur publicè. Imò si illas impunè transgredi licet cuiuis, vnà cũ ipsis magistratuum quoq; authoritas intermoritur, quã reipublicæ pestem & interitum esse plurimarum gentium exempla testantur. Id ne fiat, curent primùm principes, vt æqualis sit erga omnes legum executio, ne, (quod Anacharsis dicebat) leges aranearum telæ sint, quæ crabronibus & vespis peruiæ, muscas & culices imbecilles irretiunt. Fit enim potentiorum licentia, vt tandem omni disciplina sublata, contemptissimi quique aduersus magistratum proteruire audeant. Deinde ne ipsimet legum transgressores sint, qui earum vindices esse debebant. Præterquàm enim hoc turpissimum est, nihil etiam ad labefactandam authoritatẽ legum et processum reipublicæ efficacius habetur. Quod enim istis Christus vtiliter exprobrat, hoc improbi ferè in eum finem suis magistratibus obijciunt, vt occasionem inueniant, qua omnis disciplina & publica morum honestas euertatur. Itaq; non ipsi modò peccant, sed simul pessimi exempli & scandali nocentissimi authores sunt. Quæ causa est, quòd Deus ipsos quoq; magistratus legum cancellis coercuit, & eosdem pœnis subijcit, quæ si non semper legitimè de illis sumi possunt, non tamen ideo dormitat iudicium Dei, qui ferè principum libidinem & licentiam vel seditionibus, vel domesticis insidijs, vel bellis exteris & regnorum translatione punire consueuit: cuius rei exempla in historijs omnium gentiũ passim occurrunt. Admonet præterea locus hic, vt de alijs seuerius iudicaturi, prius in nos ipsos descendamus, & mores ac vitam nostram examinemus: ne vel in simili vel turpiori flagitio deprehensi, maiorem nobisipsis infamiam asciscamus. Quod cùm maximè ad eos pertineat, qui reliquis præsunt, tamen priuatis quoq; hominibus seruit, vt memores huius doctrinæ iudicia sua minus præcipitent, nec temere de alijs pronuntient, quod in ipsos regeri possit, & suo seipsos iudicio damnent: quod Dauidi accidisse legimus, quãdo Nathan eius sententiam quæsiuit de diuite, qui pauperioris ouem rapuerat. Vide 2. Samuel. 12.

Magistratus ipse leges obseruet.

His excussis videamus, quid Christo populus responderit. Dæmoniũ habes (inquiunt) Quis te quærit interficere? Fuit hoc audax & vehemens nimis conuitium, quod partim rei indignitas, partim ignorantia illis extorsit. Quia enim plerique sciebant scelus esse hominem innocentem occidere, non potuerunt non commoueri, quando se eius insimulari audiebant. Deinde quia consilium sacerdotum ignorabant, & proinde hoc ab illo inuidiosè confingi arbitrabantur, in eiusmodi vocem erumpunt, qua in Dei filium grauissimè peccant. Tantò meliores fuerunt nostri seculi hominibus, qui homicidijs et sanguinis effusione gloriatur, et ex ijs laudẽ quærũt, quæ olim Iudæis et gentibus horrori fuerunt. Interim hoc exemplo docemur, cautè & circũspectè agendum esse, si quando intentata nobis crimina diluere & innocentiã nostram asserere instituimus: ne quid temere & contumeliosius effutiendo nocentes fiamus, qui prius eramus innocentes: quod istis accidisse constat. Cùm enim sanguinarij suorum procerum consilij nequaquam conscij essent, & illud ipsum ex animo abominarentur, simul tamen inconsulto animi affectu abrepti, scelus in Christum ipso homicidio atrocius cõmittunt, quando à malo dæmone ipsum exagitari dicunt. Ita multos hodie nimiùm seipsos defendendi studiũ abripit, vt tunc maximè suam petulantiam prodant, quando se ab omni sceleris suspicione liberare volunt. Simul etiam hoc loco obseruanda venit indigna Christi sors, quam in hoc mundo sustinet. Est ille ipsissima veritas, neque alia de causa in mundum venit, quàm vt diaboli imperium & opera destruat. Attamen mendax simul & dæmoniacus dicitur: & quidem ab ijs, quibus se totum dies atque noctes impendebat. Solet idem membris eius accidere, vt omni conuitiorum genere obruan-

Christus dæmoniacus dicitur.

tur, & pessimam ferè gratiam referant ab illis, pro quorũ salute ipsi indesinenter excubant. Sic ve-
teres Christiani teterrimarum superstitionum repertores, Romani imperij hostes, libidinum inuen-
rum sectatores, adhæc paricidæ & anthropophagi dicebantur, qui in sacris suis carnibus humanis
vescerentur: cùm toti in hoc essent, vt orbem terrarum à superstitionibus & sceleribus purgarent.
Nemini ergo nouum & insolens videri debet, si quid simile nobis hodie obijciatur, quando Christus
eiusmodi calumnijs diffamatum fuisse scimus: quin potius ex eius responsione discamus, quid nos in
tali casu facere conueniat.

Christus amicè conuitium confutat.

Nam modestè & amicè respondet, nec conuitia conuitijs rependit, sed rẽ ipsam agit, quæ in re-
trouersiam venerat: & partim quidem affirmat, illos sibi occultè necem moliri, cùm hoc à seniori-
fieri certò sciret: partim verò hoc illos iniustè & iniquè facere docet. Vnum opus feci (inquit) &
mnes miramini, quasi hoc factu indignissimum sit, & mortis supplicium mereatur. Loquitur autem
de miraculosa paralytici curatione, quam Capite quinto vidimus: & Vnius modò operis meminit,
vt tacitè innuat, ab ipsis multa fieri, quæ magis reprehensione digna sint. Quod vt manifestius ap-
reat, exemplum adducit, & legum collatione suam innocentiam tuetur. Confert enim inter se
de sabbato & circuncisione datas, & ita euincit, sabbati religionem non obstare, quò minus ea fiant,
quæ ad hominis salutem faciunt. Itaque vis argumenti in eo consistere videtur, quòd propter exte-
na præcipuus legis finis aut scopus (qui est salus hominis) minimè negligi debeat. Atqui Moses (at
dedit vobis circuncisionem (non quòd ex Mose sit, sed ex patribus) & tamen sabbato circuncidi
hominem, &c. Sensus verborum est: Idem Moses, qui legem de sabbato tulit circuncisionem quo
à patribus acceptam vobis præcepit: cuius ea lex est, vt octauo à partu die infans masculus circu
cidatur. At frequenter fit, vt octauus dies in sabbatum incidat, neque tamen circuncisio ideò dif
tur, neque aduersus legem quid fieri dicitur: imò ne illa soluatur, circuncisionem in sabbato hom
accipit. Quæ igitur ratio vos cogit, vt mihi indignemini, qui ne legi deessem, quæ proximũ perinde
nosipsos diligere iubet, totum hominem sanum feci? Ad huius argumenti amplificationẽ et confirma
tionem multa faciunt, quæ simul concurrunt. Primum, quòd maiori cum labore circuncisio fiebat,
qua præputium secari, & postea medicinam adhiberi oportebat, quàm id quod Christus fecerat. De
inde, quòd infans non sine acutissimo dolore circuncidebatur, Christus autem dolore omni para
cum liberauerat. Præterea, circuncisio salutis signum modò erat, Christus verò homini paraly
salutem ipsam attulerat, cùm & corpus à morbo, animã verò eiusdem à peccati vinculo liberas
set, & fide vera donasset. Quis autem non videat, minus reprehendi debere eum, qui totum homi
saluũ facit nullo cũ labore, quàm qui operosa actione symbolũ modò salutis exhibet? Rectissimè ergo
argumentatur Dominus, & videtur argumentum hoc ex parte ei simile esse, quod Matth. 12. cap.
de sacerdotibus adducit, qui cum die sabbati victimas mactarent, ligna in altari struerent & incen-
derent, aliáq; eius generis multa facerent, quæ ad Dei cultũ & humanæ redemptionis mysteria per-
tinebant, non tamen violati sabbati accusabãtur. Hoc autem loco Circuncisionis potius meminit,
& patres quoq; in mediũ producere voluit, vt veterẽ illam cultus diuini simplicitatẽ illis in mente
reuocaret, quæ patrum seculo in vsu fuit, qui solis promissionibus de semine benedicto & horum fœ-
naculo, Circuncisione, cõtenti, operosiores illas ceremonias, quæ posteris demum temporibus ceruicis
causas institutæ sunt, prorsus ignorauerunt: & ita cogitent, instare iam tempus quãdo eadem ra-
sus aboleri oporteat: nec odiosius de ijs contendendũ, quibus sanctissimi patres absq; omni salutis in-
tura caruerint. Sed cùm argumentũ hoc tam sit euidens, mirum alicui videri poterat, hoc à nemine
prius obseruatum, & simul omnes nullam ob causam Christo tam vehementer indignatos fuisse. Ad
tanta est superstitionis vis, vt ea quoq; videre non sinat, quæ luce clariora sunt. Imò vt isti quæ la-
dem merebantur odiosè damnant, eò quòd receptæ consuetudini aduersari viderentur: ita hodie mul
tos non pudet hoc vno argumento niti in ijs condemnandis, quæ secundùm scripturas bene & rectè
fieri non possunt negare. Nemo igitur talium hominum calumnijs moueatur, sed Christo medico no
curandos præbeamus, qui solus toti homini quoad corpus & animam, mederi potest.

Iustè iudicandũ

Sequitur huius loci conclusio, quæ salutari admonitione constat. Ait enim: Ne iudicetis secun-
dum aspectum, sed iusto iudicio iudicate. Non vetat Christus, quò minus in eius facta & doctri-
inquirant: imò (vt alibi vidimus) hoc nos facere iubet. Gaudet enim diligentiori examine veritas,
eò quòd

eò quòd illo magis illustratur: at qui dolo malo agunt, lucem fugere, & omne iudiciũ detrectare solent: quod nimis impudenter Pontifices faciunt, qui à nemine iudicari aut reprehendi volũt, etiamsi animas hominum cateruatim ad inferos abducant. Hoc autẽ exigit Christus, vt nõ secundùm aspectum, sed iusto iudicio iudicent, id est, vt non personas neq; primam causæ, de qua agitur, apparentiam, sed rem ipsam inspiciant, & quod verum rectumq; inuenerint, pronuntient. Est hæc iudiciorum ciuilium regula tritissima, cuius multa fit mentio in scripturis, & de qua in Prophetarũ expositione non vno loco diximus. Magnus autẽ & necessarius illius vsus est in religione & doctrina, ne ab hominum authoritate pendeamus, sed singula ad scripturæ sacræ canonem examinemus, qui nos errare non patietur. At quia scripturæ totius scopus est Iesus Christus, in quo vno salus omnis continetur, nemo audiri meretur, quàm qui ad hunc vnum remittit, cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen. Distinct. 40. Cap. Si papa.

HOMILIA LXII.

Dicebant ergo quídam ex Hierosolymítanis: Nonne hic est quem quærunt interficere? Ecce palàm loquitur, & nihil ei dicunt. Num uerè cognouerunt príncipes, quòd hic uerè est Christus ille? Sed nouímus unde hic sit: cùm autẽ uenerit Christus, nemo cogníturus est unde sit. Clamabat ergo Iesus in templo docens ac dícens: Et me nostis, & unde sim nostis: & à meipso non uení, sed est uerax qui mísit me, quem uos non nostis. Ego uerò nouí eum, quia ab ipso sum, & ille me mísit.

QVàmuis Dei filius salutis doctrinam simpliciter proponere & pro sua in omnes authoritate à nobis fidem & obedientiam exigere posset, nostræ tamen infirmitati consulit, & frequenter tam doctrinæ suæ quàm operum suorum rationem reddit, quò magis in fide vera confirmemur. Exemplum huius bonitatis cumprimis euidens hoc Cap. proponitur. Cùm enim multi mirarentur, quòd qui illiteratus erat, docendi facultate omnes alios superaret, diserte ostendit, vnde hãc habeat, simúlq; docet, quomodo de sua simul & aliorum doctrina iudicare debeamus. Deinde cùm principes Iudæorum ipsum occidere conarentur, quasi sabbatum violasset, hoc quoq; factum suum rationibus & argumentis firmissimis excusat. At quia hæc ferè cum peregrinis egerat, qui sanguinariũ sacerdotum consilium ignorabant, sequitur deinceps, vt ciues Hierosolymitani his affecti fuerint, & vt horum incurabilem pertinaciam ille reprehenderit. Quo loco docemur, hominibus reprobis nullas rationes quantùmuis graues sufficere, & quomodo cum talibus agi debeat.

Hierosolymitani enim ciues intra animos suos scinduntur, & proprio ore suam improbitatem produnt. Primò dicunt: Nonne hic est, quem quærunt interficere? At ecce palàm loquitur, & nihil ei dicunt, &c. Mirantur ergo, quòd liberè & palàm in templo concionetur, quem ex cõmuni sacerdotum & seniorum decreto ad mortem quæri sciebant. Et cùm hoc non sine miraculo fieret, in quo Dei prouidentiam agnoscere debuissent, non tamen ad illam respiciunt, sed causam huius rei aliam cõmiscuntur ex suo cerebro, quando addunt: Num verè cognouerunt principes, quòd hic verè est Christus ille? Ergo miracula, quantùmuis eximia sint, per se tamen non prosunt, nisi in illis Deum autorem & eorundem finem verum agnoscamus. Hoc enim vnum Iudæis tam hoc loco quàm multis aliis obfuit, quòd in externa modò intenti, animos suos non altius in diuinæ virtutis contemplationem subleuarunt, quæ in omnibus Christi factis elucebat. Et hodie hoc ipsum multis accidit, quibus mirum videtur, euangelij doctrinã indies magis atq; magis propagari, cùm hostes habeat potentissimos, ministros autem & sectatores nullius pretij homines & nulla ferè potentia instructos. At quia non obseruant hæc ex Dei nutu fieri, neq; ad scripturarum vaticinia respiciunt, quibus hoc ita euenturum esse olim prædictum est, in hoc suo stupore euanescunt, nec mouentur vt ipsi quoq; Christi sceptro se submittãt, sed vel timore superati in superstitionibus suis pergũt, dum euangelij successum non perpetuum fore timent; vel etiã veritatis odio in rabiem accensi, principibus indignantur, vt qui nimium ignauiter tantum negotium agant, adeoq; cum ipso Deo certamen suscipere non ve- Hierosolymitanorum ciuiũ improbitas.

rentur. Sunt hi planè istorum similes, quos ita animo affectos fuisse, ex sequentibus patet. Nam et
de mutata principum suorum voluntate aliquam suspicionem conceperint, tamen neq; horum auc
ritas illos permouet, vt causam hanc diligentius expendant, & ipsi quoq; Christo Iesu se se subm
tant: quin potius aduersus illum argumentantur: Cum venerit Christus, id est promissus ille popul
seruator, nemo sciet vnde sit. At hic vnde sit nouimus, ex Nazaretho nimirum obscuro Galilee
pido, & ex parentibus egenis prognatus. Ergo non est Christus. Hæc autem dicendo turpissime p
ralogizant, & in maiori simul & minori falluntur. Primò enim vulgari opinione decepti, originem
Messiæ prorsus ignotam fore putant: quæ opinio ex scripturis perperam intellectis enata videtur.
Isaias etenim de illo vaticinans inter alia dixit: Generationem eius quis enarrabit? Isa.53. Et M
cheæ cap.5. scribitur: Exitus eius ab initio, à diebus æternitatis. Quod autem prophetæ partim d
æterna ac ineffabili diuinitatis generatione, partim de abscondito & inenarrabili modo incarnatio
nis Christi dixerunt, hoc isti in genere de illius parentibus & loco natali exponunt, neq; observans
his certa & perspicua veteris scripturæ testimonia extare. Deinde in minori etiam errant, cum e
Nazaretho eum prodijsse putent, qui Bethlehemi natus fuerat, & Iosephi filium esse arbitrentur,
quẽ ex spiritus sancti virtute Maria virgo conceperat. Vbi diligẽter obseruari debet, Iudæos hâc
opiniones ipsos sibi finxisse, & proinde sibijpsis incredulitatis & exitij fuisse authores, in quam
quoq; ipsis perseuerare libuit, cum de principibus concepta suspicio scandalum omne iam remouisse
quod ex illorum authoritate ipsis prius obiectum fuisse videbatur. Adeò ingeniosa est caro nostra
excogitandis rationibus, quibus incredulitatem & contumaciam suam tueatur, & seipsam in eam
firmet. Et apparet ex hoc loco, propria impietate Iudæos excidiũ meruisse. simulq; omnes inexcu
biles fuisse, & nullius iniquitatis aut nimij rigoris Deum debere accusari, qui miserũ & infelix p
gus vnà cũ sacerdotibus & senioribus horribiliter puniuit. Quis enim solos principes in culpa fui
dixerit, cùm istas voces ab hominibus plebeis proferri audiamus, qui principes iam in Christi per
concessisse suspicabantur? Est ergo exemplum hoc dignissimum, in cuius consideratione frequenter
versemur. Multis enim res indigna & iniqua videtur, si principum & antistitum authoritate fal
sus populus, vnà cum illis idololatriæ & superstitionis pœnas luat. At si rẽ ipsam inspiciamus, n
hil hic præter ius & æquum fieri patebit. Plerunq; enim fit, vt eiusmodi antistites populus sibi ass
sat, & (quod Paulus de nouissimis temporibus prædixit) doctrinam veritatis non patiatur, sed
teruatim sibijpsis coaceruent impostores, qui aures delicatulas fabulis inanibus demulceant. Nec
hoc viri modò faciunt, verumetiã mulieres & pueri, qui simul omnes ex superstitionibus summa
voluptatem capiunt. Fit ergo quod olim Iudæis Ieremias exprobrauit, dicens: Filij colligunt ligna
& patres incendunt ignem, vxores autẽ massam subigunt, vt faciãt placentas machinæ cœlorũ, et
Quòd si verò Deus meliores doctores submittit, & veritatis lucẽ accendit, mox ignobile vulgus,
propria malitia vel impostorũ consilijs accensum, seditiosè tumultuatur, vt illius ministros exti
& illam penitus extinguat. Quid, quòd nec episcoporum & præsulum authoritate multi commo
tur, quando hos relictis erroribus ad Christũ transijsse vident: sed aduersus eos hostiliter insurgu
quos prius in honore & pretio habebant. Cuius rei exempla nostro seculo in Germania, Anglia, S
lia, Gallia & multis alijs locis vidimus. Iusto igitur Dei iudicio puniũtur tales, & meritò cum se
seductoribus pereunt, qui fidos salutis duces sequi dedignantur.

Ierem.7.

Hierosolymitanorum crassa ignorantia.

Obseruari præterea debet hoc loco crassa Hierosolymitanorũ ignorantia, qui de Messiæ & eius
mysterijs tam ineptè & pueriliter balbutiunt, cùm præ alijs ista nouisse deberent. Dicebatur enim
vrbs sancta, eò quòd eam templi & cultus externi sedẽ constituisset Dominus, qui Dauidi dixerat:
Hæc mea est requies sempiterna, hic habitabo, quoniam expetiui eam. Psal.132. Erat ergo ibi p
cerdotum atq; scribarum collegium, & proinde schola totius gentis celeberrima. Itaq; scripturarum
quoq; cognitione imprimis gloriabantur, ex quibus vitam æternã sibijpsis promittebant, vt Chri
vidimus. Quis verò nescit, in scripturis perspicuè tractari omnia, quæ ad Messiæ promissi cognitio
nem faciunt? Ex Dauidis stirpe illum nasciturum esse, prophetæ prædixerant. Aduentus tempus
Iacobo & Danieli ita denotatum fuerat, vt vulgò tunc omnes in eius expectationem erecti essent.
Locum natalem Bethlehemi fore, docuit Micheas. Attamen vulgaris opinionis figmento decepti,
quasi nihil horum vnquam audiuissent, Messiæ originem planè ignotam fore dicũt. Negillus pate

suæ leuitatis, quando Messiæ nomen ei tribuunt, de quo nihil sibi certi constare fatentur. Admonemur itaq; hoc exemplo, quàm inanis & inutilis sit externorũ omniũ fiducia in salutis negotio. Nec enim huius cognitio locis certis alligata est, neq; ex quotidiano ceremoniarũ vsu dependet. Et quod istis accidit, hoc ipsum clarissimis vrbibus accidisse scimus, Antiochiæ, Ephesо, Corintho, Alexandriæ & infinitis alijs, in quibus olim ecclesias celeberrimas apostoli constituerunt, nunc autem in iisdem barbara Machometanorum superstitio dominatur. Hoc vtinam expenderent Romanenses, quos veteris Romæ authoritas ita inebriat, vt eam ecclesiæ sedem perpetuã esse contendant, & eam errare posse negent, cùm non errores modò, verumetiam horribiles abusus & nefanda scelera, quæ ibi sub religionis prætextu designantur, lippis & tonsoribus nota sint: imò veteri prouerbio notata sint, quo eò longius à Christiana religione discedere dicuntur homines, quò propius ad Romam accesserint. Docemur præterea, quàm periculosum sit, opiniones temere obortas sequi, & non à solis scripturis dependere. Solet enim has Dei promissionibus & oraculis miscere satan, vt illarum nebulis veritas obscuretur. Et in Messiæ quidem negotio inter Iudæos hoc multiuariàm factum fuit, quando nõ hoc modò de incerto illius ortu figmentum excogitauit, verumetiam regnum eius terrenum fore persuasit, in quo illi neglectis cælestibus bonis libertatem carnis, victorias, gloriam & opes huius seculi sperarunt. Inter Christianos etiam multa huius generis olim sparsa sunt, & adhuc hodie spargũtur. Huc enim pertinent fabulæ de Antichristo Babylonis ex tribu Dan nasciturο, deque signis nouissimum Christi aduentum præcessuris. Quæ omnia vt scripturis sacris contraria sunt, ita in eum finẽ à diabolo sunt conficta, vt his intenti homines, verum Antichristũ non obseruent, sed huius laqueis sese irretiri patiantur, adhæc securi negligant signa, quæ Christus proposuit, vt eorum consideratione ad ipsius aduentum excitemur. Et quantum mali suis hisce figmentis dederit satan, orbis totus sensit, & ipsi adhuc non sine dolore experimur. Tutissimum ergo fuerit à solis scripturis pendere, quæ nos errare non patientur.

Noxium est opinionibus temerarijs niti.

Porrò Christum audiamus, qui etsi se contemni videat & improbè traduci, non tamẽ sese è turba subducit, neq; turpi silentio causam suã prodit & deserit. sed contra insurgens clamat, id est liberè & intrepidè suam authoritatem aduersus illos tuetur. Nec enim de ipsius modò honore, verumetiã de multorum aliorum salute agebatur, qui istorum paralogismo seduci poterãt. Exemplo autẽ suo ministros omnes sui officij admonet. Sunt hi cõstituti, vt veritatis verbum prædicent, & illius prædicatione Dei gloriam prouehant, & in salutis viam deducant eos, qui ad interitum ruunt. Quòd si hoc bona fide faciant, non desunt aduersarij, qui mirificis artibus sese opponũt, & multi aperta etiã vi aduersus illos pugnant. Tunc ergo animis opus est, ne vel minis & periculis absterreantur, vel dolis aut ementitis blanditijs sese circunueniri sinant. Itaque confutare debent cõtradicentes, & argumenta falsa arguere, quibus rudes & imperiti decipi poterant: hostibus item apertis & tyrannis sanguinarijs Dei iudiciũ denunciare, pios autem pijs consolationibus armare, ne metu succumbant. Sic olim Ieremiam, Amos & reliquos prophetas fecisse legimus: & hoc ipsum Apostoli fecerunt, sicuti illorum acta & scripta testantur. Et rectè hos omnes fecisse, Christi exemplũ docet, qui hoc ordine in confutandis suorum aduersariorum argumentis progreditur.

Christus cõstanter se hostibus opponit.

Primò ignorantiæ excusationem illis adimit, vt ostendat ipsos malitiosè & deuoto ad impietatem animo hæc omnia dicere. Ait enim: Et me nostis, & vnde sim nostis. Quibus verbis vehemens admodum Sarcasmus subest, non tamen eiusmodi, qui nos illa per Antiphrasin exponere cogat. Sensus enim hic esse videtur: Rectè quidem dicitis, vos scire vnde sim: Nam non modò me Galilæum, Nazarethanum, Mariæ filium, adeoq; fabrum esse scitis: Verumetiam me non vulgarẽ hominem esse scitis. Hoc enim opera mea vobis testantur, quæ ignorare aut dissimulare non potestis, nedũ negare. Attamen quod in schola Capernaitica aliâs dixi, etsi me videatis, non tamen creditis, sed vndique conquiritis argumenta, quibus vestram incredulitatem atq; contumaciam foueatis. Itaq; voluntaria est hæc vestra cæcitas, neq; excusationem vllam meretur, cùm hic vestro indicio vosipsos egregiè prodatis. Fauent huic sensui multa loca, quæ Iudæos Christi cognitione non omnino destitutos fuisse testantur. Nicodemus certè ipsi dicebat: Rabbi, scimus te à Deo venisse magistrum: nemo enim potest signa edere quæ tu edis, nisi Deus sit cum ipso. Et hi ipsi, quibus modò loquitur, paulò post dicent: Christus cùm venerit, num signa plura edet ijs quæ hic edidit? Quid, quòd apud Mat-

Ignorantiæ excusationem adimit.

Ioan. 6.

thæum pharisæi de censu illum interrogaturi aiunt: Magister, scimus quòd verax es, & viam D... in veritate doces? &c. Exprimitur ergo in his reproborũ conditio, qui licet veritatis ignari videa... tur, plerumq; tamen eius cognitionem habent maiorem quàm ipsis profit: & diu dissimulatam tan... dem vel temere produnt, vel extrema necessitate circunuenti eam prodere cogũtur: quod Phar... maris Rubri fluctibus circunuento accidit. Et in nostri seculi hominibus multa eiusmodi fiunt, v... proprij oris testimonio sese condemnent, qui prius pio zelo pro veritate pugnare videbantur.

Christus suam authoritatem asserit.

Deinde authoritatem suam asserit Christus aduersus eos, qui hominem obscurum ex priua... affectu surrexisse & docendi munus suscepisse calumniabãtur. Et à meipso (inquit) non veni, sed q... verax qui misit me. Id est, Deus pater me misit, vt veterum promissionum fidem asserat, & huma... num genus liberet. Veritatis enim diuinæ hic perinde, vt infra coram Pilato Cap. 18. meminit, v... ostendat promissiones Dei omnes in ipso esse Etiã & Amen, vt Pauli verbis vtar. 2. Cor. 1. Et sane non alibi magis elucet Dei veritas, quàm in Christo, cùm in hoc vno nobis præstita sint, quæcunq; olim patribus pollicitus fuit. Et facit ad illius cõmendationem, quòd filium dilectum potius in ig... miniosam crucis mortem tradere voluit, quàm promissis suis deesse: cùm tam multa in nobis de... henderentur, quæ illum facilè excusare poterant, si quid ijs negasset, qui fidem datam toties fefelle... mus. Facit huius mysterij consideratio ad fidei nostræ confirmationem, ne de vllis Dei promissis du... bitemus. Cur enim in reliquis, quæ præstitu faciliora sunt, nos falleret, qui tam tenax promissi fu... quando de filij vita agebatur? Simul verò admonemur, frustra eos Dei gratia & promissionibus gloriari, qui Christum, qui vnicus istarum mediator est, non agnoscunt: quales sunt Turcæ, Iudæi, & quicunq; ex nostris suorum operum meritis gloriantur.

Iudæis veri dei cognitionem adimit.

Postremò, quia eos Dei cognitionem sibi vendicare, & eius fiducia insolentiores esse noue... hanc illis adimit, dicens: Quem vos nõ nostis, ego verò noui eum, quia ab ipso sum, & ille me misit. Deum sibi vni verè cognitũ esse ait, quia ex eo generatione æterna genitus, & proinde eiusdem cum illo naturæ seu essentiæ, adhæc æterno eius decreto missus sit in mundum, vt humani generis redem... ptorem agat. Itaq; verbis istis diuinam simul & humanam naturam, adeoq; officium suum compre... hendit, cuius gratia homo factus in mundũ venerat. At qua ratione (dixerit aliquis) Iudæi agno... tionem Dei omnem adimit Christus, qui legem habebant & externũ cultum, & gentium nobis exosi vnius veri Dei cultum & nomen profitebantur: cùm illam gentibus magna ex parte Paulus tribuat, quando ipsis innotuisse dicit quicquid de Deo cognosci potest? Rom. 1. Cæterum Christus non de generali notitia Dei loquitur, qualis ex operum & iudiciorũ eius consideratione elici potest, sed de salutifera & speciali, qua eius bonitas & salus ipsa apprehenditur, et quæ ad solos electos pertinet. Hanc in solo Iesu Christo manifestari, aliàs abundè diximus: quem cùm Iudæi agnoscere nolent, Deum salutariter nosse non potuerunt. Vbi rursum confutantur omnes sectæ, quæ Christum explodunt, aut eius cognitionem nouis somnijs obscurant atq; inuoluunt. Nam quotquot Christum ignorant, hi ne Deum quidem patrẽ salutariter nouerunt, & proinde Deo carere non immeritò dicuntur: quo nomine gentes olim Paulus ἀθέους dicebat, quibus tamen (vt modò diximus) generalem illam Dei cognitionem tribuere non dubitauit. Interea Christi exemplo ministri omnes admone...

Ministri suæ missionis certi sint.

tur, vt ipsi quoq; suæ vocationis atq; missionis certi sint, & hanc simili libertate aduersarijs suis ob... ijcere possint. Quantum enim hoc faciat ad animandum ipsos in periculis, prophetarum exempla docent, & inter hæc Amos imprimis, quem Amasiæ sacerdoti fugam suadenti hanc opposuisse fama... Et Paulus non alia de causa vocationem suam toties & tam constanter asserit, quam vt huius fidu... cia seipsum confirmet, & simul hostes eius fulgore perterreat. Hodie minor in ministris ecclesiarum fortitudo apparet, quia ferè legitimam missionem non expectant, sed malis artibus in huius munus administrationem obrepunt. Quod ipsum cùm in repub. quoq; fiat, non immeritò temeriam illam ambitionem tam ecclesiæ quàm reipub. pestem dixeris, qua fit, vt vtriq; remissius agant qui vtro præsunt. Porrò vt dicendi finem faciamus, omnium fuerit Iesum Christum amplecti, quem Deus sit, vt per ipsum compleretur promissionum eius veritas & humani generis redemptio. Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

H...

HOMILIA LXIII.

Quærebāt ergo eum prehendere, sed nemo manum ei iniecit, quia nondum uenerat hora eius. Multi autem ex turba crediderūt in eum, & dicebāt: Christus cùm uenerit, num signa plura edet ijs, quæ hic edidit? Audierunt Pharisæi turbam hęc murmurantem de eo: ac miserūt pharisæi & principes sacerdotum ministros, ut prehenderēt eum. Dixit ergo eis Iesus: Adhuc paululum temporis uobiscum sum, et uadam ad eum qui misit me. Quæretis me, sed non inuenietis: & ubi ego sum, uos non potestis uenire. Dixerunt ergo Iudæi inter se: Quò hic iturus est, ut nos non inueniamus eum? Num in dispersionem Græcorum iturus est, & docturus Græcos? Quis est hic sermo quem dixit: Quæretis me, sed non inuenietis; & ubi ego sum, uos non potestis uenire?

Respondit nuper Dominus Iesus Christus ciuium Hierosolymitanorum argumentationi, qua euincere conabantur, ipsum pro Messia patribus promisso agnosci non posse, eò quòd ipsius origo omnibus nota & perspecta esset. Quod argumentum ita in eos retorsit, vt palàm ostendat, eos non ignorantia peccare, sed malitiosè omnia conquirere, quæ ipsum populo suspectum reddant. Deinde suam quoq; authoritatem aduersus illos constanter asseruit, & à Dei cognitione alienißimos esse docuit, quotquot ipsum non recipiunt. Didicimus nos ex eo loco, promißiones Dei omnes complementū suum habere in Christo, & extra hunc neq; salutem neq; Dei cognitionem veram atq; salutiferā inueniri posse. Sequitur modò, vt doctrinam hanc auditores acceperint, quorum alij crediderunt, alij verò in maiorem rabiem accensi cruenta de illo occidendo inierunt consilia. Vbi in seipso exemplum præbet Dominus, quo docemur, quæ omnibus seculis doctrinæ suæ sors futura sit.

Principiò de promiscua auditorum turba scribit Ioannes, quæ in duas partes scißa fuit. Erant enim, qui quærebant eum prehendere: & rursum erant alij, qui in eum credidisse dicuntur. Et prioris quidem verisimile est ex sacerdotum assecłis & parasitis fuisse, qui ipsum capere & ad principes abducere cupiebant, vt eo facto aliquam apud illos gratiā inirent. Additur autem, quòd etsi voluntas ad scelus hoc ipsis propensa fuerit, nemo tamen eorum illi iniecerit manum, aut quicquam hostile tētarit. Vnde verò hoc, cùm nemo esset, qui Christi causam vel armis vel publica authoritate defenderet? Ex eo nimirum, quòd hora eius nondum venisset. Ita verò loquitur euāgelista, non quòd Christum astris subiectum, aut horam aliquam alijs per se inauspicatiorem esse putarit (quemadmodum superstitiosè solent, qui syderum motus & temporum articulos anxiè obseruant) sed horam Christi vocat tempus illud præfinitum, quo ex æterno patris decreto mortem subire debebat. Itaq; quàmuis omni in humanis auxilio destitueretur, occulta tamen Dei protectione tutus fuit, vt nihil aduersus illum potuerit hostium furor, cùm hora illa nondum venisset, quæ nō ab astris aut alia re vlla, sed ex sola Dei voluntate pendebat. Est autem locus hic dignißimus, qui semper nobis ob oculos versetur, eo quod ad nostram institutionem & consolationem plurimùm facit. Primò enim hostium veritatis incurabilem malitiam nobis in mentem reuocat, qui vbi semel instituerunt vel priuatæ libidini vel aliorum affectibus obsequi, nullis rationibus à proposito abduci possunt: quin potius ijs irritātur & effectatores fiunt, quibus alij in veritatis cognitione erudiuntur. Hinc est quòd veritatis prædicatione furor illorū accenditur, & multa atq; terrifica de eius oppressione consilia ineant, qui prius illam contemnebant. Exempla huius rei omnium seculorum historiæ nobis exhibent, quæ nos in eum vsum obseruare oportet, ne offendamur, si hodie similia fiant, nec (vt plerique solent) fideles verbi ministros accuſemus, quasi illi præter officiū aliquid immodestius egerint, aut quædam dixerint petulantius quæ maiori cum fructu taceri poterant. Nec enim vlla hominū modestia siue prudentia ad coercendam hostium veritatis improbitatem sufficit: & quacunq; ratione Dei verbum prædicetur, non tamen aliter à mundo quàm ab istis excipitur, de quibus hic sermo est. Odit enim lucē hanc mundus, & idem spiritum veritatis non potest percipere, quoad non innouatur & mutatur potenti Dei manu. Stultitia ergo, imò arrogantia summa fuerit, si de nostra prudentia vel modestia nobis ipsis

Quidam Christum prehendere cupiūt, &c.

Hostes veritatis incurabiles.

id polliceamur, quod nec ipse Dei filius præstare potuit, cùm doctrinæ suæ signa omnis generis coniungeret.

Impij non possunt quicquid volunt.

Est autem consolationis plenum, quòd impiorum conatus non semper suum habent effectum, nec illi semper possunt quod posse videbantur. Quod enim de Christi hora dicitur, ad omnes homines extendi debet. Sumus siquidem omnes sub Dei gubernatione, & ex eius prouidentia res nostræ omnes dependent. Cur enim hominem, & quidem in suo seruitio occupatum deserat aut impiorum furori temere permittat, qui flores agri respicit, volucres cœli pascit, & absq; cuius voluntate ne passer quidem, quorum duo minuto asse veneunt, in terram cadunt? Hinc certè Christus consolationis argumenta petere docuit discipulos, quando illos ad prædicandũ emittebat. Et mortis horam nobis a Deo constitutam esse, nosq; interea dum illa venit, occulto Dei præsidio custodiri atq; protegi testatur. Nam si totum vitæ humanæ cursum inspicias, vndique nos pericula circunstant, vnius mortis imago occurrit, & vix quicquam adeò vile & imbecillum est, quod nobis conficiendis sufficiat. Alios enim aqua absorbet, alios ignis cõsumit, alij ex alto delapsi pereunt, alijs ex alto quid decidens vitæ finem affert. Fuerunt etiã, quos acinus vuæ aut pilus caprinus in lacte haustus suffocauit. Taceo nũc insidias hostiles & apertam vim, qua sæpe petimur: morborũ item examina, quibus omnes sumus obnoxij, & quæ indies noua atq; incognita prius enascitur. Quibus omnibus tan accedit, publicus humani generis hostis, qui rugientis leonis instar obambulans indefinenter quærit quem deuoret. Quid verò de periculis occultis dicemus, quæ sæpe inscij & inuiti declinamus, vbi ea euasimus demum rescimus in quanto discrimine fuerimus constituti? Quis verò in his omnibus nos tuetur? quis seruat? quis aduersus omnia ista præmonet atque præmunit? Certè vt in multis aliquid nostra industria & virtute perfici videatur, negari tamẽ non potest, in plerisq; nos occulta Dei prouidentia conseruari: quæ nisi pro nobis excubaret, etsi nullũ aliud periculum imminet, somnis certè nos iugularet Satan, quando ad nostri defensionem nihil prorsus ipsi conferre possumus. Est igitur mortis hora nobis à Deo constituta, & priusquam illa appropinquet, nulla vel externa vel occulta vis nobis nocere potest: & certum est, nihil planè nobis accidere, quod non ex certo Dei consilio immittatur. Horum itaq; cõsideratione excitati, contemptis periculis omnibus vocationi nostræ sedulò sequamur, neq; vllo metu nos à statione nostra patiamur auelli. Castrametatur enim angelus Domini circa eos, qui ipsum timent, & eripit eos. Consoletur item nos, quòd in Dei conspectu luctamur, qui fugas nostras numerauit (vt Dauidis verbis vtamur) et lachrymas nostras ad se rigit: nec graue sit ex eius decreto aduersa quæuis subire, qui cùm pater sit indulgentissimus & saluos velit, nunquã nos vltra quàm ferre possimus tentari patitur, &c. Vide 1. Cor. 10. & 2. Cor.

Multi in Christum credunt.

Sed ad Christi auditores redeamus, quorum magna pars illum fide amplexa est, licet ex ipsa ab alijs strui viderent. Dicit enim euangelista: Multi ex turba crediderunt in eum, & dicebant Christus cùm venerit, num signa plura edet ijs, quæ hic edidit? Credidisse dicuntur, quia clarus veritatis lux animos illorũ illustrauit, vt promissi Messiæ indicia in ipso obseruare & agnoscere possent: quàmuis multa adhuc ipsis defuerint quæ ad veram & perfectam Christi cognitionem facerent, quam ne apostolos quidem tunc habuisse scimus. Habet hoc dulcissimam consolationem, quia tales esse sustineant, quando prima quoq; fidei initia atq; rudimenta fidẽ dici audiunt. Hanc enim certe format spiritus Dei, & suis incrementis quotidie auctiorem reddit, sicuti non vno loco Dominus pollicetur. Et tale quid in istis videmus, qui quod crediderunt publicè etiã confessi sunt, & Christi causam aduersus hostes eius argumentis, quibus poterant, defenderunt. Insunt autem huic exemplo multa, quæ considerationem diligentiorem merentur.

Euangeliũ nunquam sine fructu prædicatur.

Primò admonemur, euangelium nunquã absq; fructu prædicari, vt vt multi fremant, & edax sus illud extrema quæq; moliatur. Facit huc pluuiæ parabola, quam ex Isaiæ 55. alibi adduximus. Habet enim vbiq; terrarum suos electos Deus, & ferè ab ignobili vulgo & hominibus illiteratis accipitur Christus, quem in publica authoritate constituti improbè fastidiunt. Ita verò solet fidelibus salutis æternæ dona dispensare Dominus, vt ex eius bona voluntate mysteriũ hoc omne pendere intelligamus, & nemo quicquam suæ aut aliorum hominum industriæ tribuat. Vide quæ in hanc sententiam Paulus scripsit 1. Cor. 1. circa finem Cap. Et de his quidem Ioannes nos non obscurè admonet, quando non simpliciter ait, multos in Christum credidisse, sed multos ex turba hoc fecisse scribit, quo

nomine homines plebeios & vulgares denotat, quos phariſæis & toti ſcribarum atq; ſacerdotum collegio opponit, qui eundem hoſtiliter perſequebantur. Debet autem horum conſideratio miniſtris animum addere, ne mox deſperẽt, ſi potentiores quoſq; ſibi aduerſari videant. Imò priuatim ſinguli hinc conſolationem petant, ne hoſtium veritatis ſplendore & potentia terreantur. Qui enim furioſis Oceani fluctibus arenam oppoſuit, ad quam illi colliſi concidunt, vt præfixum ſibi terminum tranſire nõ poſſint: idem ille frequenter hominum nullius in mundo authoritatis opera & miniſterio vtitur in coercenda hoſtium potentiſſimorum ferocia, qui aduerſus illum inſurgunt.

Deinde obſeruari debet, qua ratione iſti ad hanc Chriſti cognitionem peruenerint. Chriſtus (inquiunt) cùm venerit, num ſigna plura edet ijs, quæ hic edidit? Ex quibus verbis patet, ipſos ad prophetarum vaticinia reſpexiſſe, quæ promiſſum illum redemptorem factis miraculoſis illuſtrem fore docebant: quale eſt, quod apud Iſaiam Cap. 35. ad hunc modũ habetur: Ecce Deus veſter cum vindicta & retributione veniet, & ſeruabit vos. Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures ſurdorũ reſerabuntur: tunc ſaliet claudus tanquam ceruus, & iubilabit lingua muti, &c. Conferunt cum his iſti quæ tunc paſſim fiebant, & cùm Chriſti virtute cæcos illuminari & viſum recipere, ſurdorum aures aperiri, claudos viribus nouis inſtrui, mutorum linguas ſolui, adhæc leproſos mundari, dæmoniacos liberari & ad mentẽ meliorem reuerti, aliaq; huius generis infinita quotidie fieri viderent: non potuerunt non in illo Seruatoris promiſſi ſigna agnoſcere. Profuit itaq; eis, quòd non ex hominũ arburio ſiue ſententia, ſed ex ſcriptura ſancta de Chriſto & factis eius iudicarunt. Hoc ſi hodie omnes facerent, mox finis eſſet controuerſiarum de religione, quæ totum ferè orbem terrarum crudeliter & miſerè exagitant. Ita enim in controuerſis articulis facilè pateret, quid Dei verbo conſonum, quidue huic aduerſum tradatur. At quia ab hominum authoritate pleriq; dependent, ſcripturas vel contemnunt & negligunt, non mirum eſt lites quotidie longius ſerpere, & tenebris indies profundioribus eos immergi, qui acerbis cõtentionibus ad veritatis lucem eluctari conantur. At quod iſtos in mueſtiganda Chriſti cognitione feciſſe videmus, hoc ipſum in Antichriſto cognoſcendo fieri debebat. Extant de hoc clariſſima vaticinia apud Danielem, quòd ex Romani Imperij ſchiſmate exoriturus ſit, quòd mutaturus ſit leges & tempora, Deum facturus nouũ & prius inauditum, quem auro & argento colat: & de eodem Apoſtoli vaticinantur, quòd in eccleſia Dei, & quidem in vrbe rerum domina ſedem ſuam habiturus ſit, ciborum vſum & coniugium vetiturus, cultum deniq; omnẽ cõuerſurus in ſuum quæſtum. Quæ ſi cum ijs conferantur, quæ iam ſeculis aliquot facta ſunt, & adhuc hodie fiunt, nemo tam ſtupidus fuerit, qui non intelligat, quis nam Antichriſtus ille magnus ſit, quem cauere debent quotquot ſalutem à Chriſto nobis partam retinere volunt. Ratio, qua iſti crediderunt.

Præterea fatentur iſti fidem ſuam in Chriſtũ, & quàmuis nota ipſis eſſet ſacerdotum atq; ſeniorum tyrannis, qua illum extinctum cupiebant, cauſam tamen eius publicè tuentur, & ipſi plebei atq; illiterati ſcripturas ijs obijciunt, qui præcipuam eruditionis exiſtimationem apud omnes ſuſtinebãt. Vnde apparet ipſos cauſam hanc ſeriò egiſſe, neq; ex eorũ numero fuiſſe, qui cum religionẽ ex quæſtu modò metiantur, quiduis ſimulare & diſſimulare poſſunt, adeoq; eorũ moribus & ſententijs ſeſe accõmodant, quibus cum vitam degunt. Sunt hi ex tepidorũ numero, quos Chriſtus euomit: ſicuti Laodicẽſibus olim minatus eſt. Apoc. 3. Regnat iſtud hominũ genus hodie, et ſoli ferè ſapientiæ & humanitatis laudẽ merẽtur, qui in religione ad hunc mundũ Protheos et Vertunnos agere poſſunt. At longè aliter Chriſtus requirit, quando Mar. 8. ait: Quencũq; mei et ſermonũ meorũ puduerit in natione hac adultera & peccatrice, pudebit illius & filiũ hominis, vbi venerit in gloria patris ſui cum angelis ſanctis. Et notũ illud Pauli, Corde creditur ad iuſtitiã, ore autẽ fit confeſsio ad ſalutẽ. Rom. 10. Fidem confitentur.

Cæterum pergit Ioannes, & quid Chriſti hoſtes porrò fecerint narrat, quando aliquos viderunt eſſe, qui illi publicè patrocinabantur. Audierũt phariſæi (inquit) turbam hæc de eo murmurantem, ac miſerunt phariſæi & principes ſacerdotum miniſtros, vt prehenderent eum. Primùm ſolos phariſæos nominat, qui has vulgi voces audiuerint: poſtea verò illis cõiungit ſacerdotum principes, quando miniſtros ad illum capiendum emiſſos eſſe ſcribit. Phariſæi ergo reliquis ſtudioſiores fuerunt, vt ſpeculatorum inſtar Chriſti facta omnia & populi totius de eo iudicia atque ſententias obſeruarent. Oderant enim Chriſtum quàm maximè, eò quòd operum iuſtitia eius doctrina euerteretur, cuius ſi ducia ipſi potiſſimùm nitebantur. Quæ cauſa eſt, quòd hodie etiam Euangelio præ alijs infenſi ſunt, Phariſæi Chriſtum capere iubent.

qui suorum operum meritis confidunt: quales sunt Monachi aut Fratres mendicantes, ex quorum ordinibus ferè prodeunt hæreticæ prauitatis Inquisitores, qui pijs ubiq; locorum negotium faciunt per suos emissarios dicta & facta illorum explorant, & postea magistratus in illos armant. Ita planè hîc factum est. Nam quia pharisæis non ea potestas erat, vt soli aduersus Christum aliquid auderent, rem omnem ad sacerdotum principes referunt, & mox omnes illi quasi coniunctis copijs & viribus illum capere & occidere conantur. Vbi rursum apparet veritatis hostes quotidie in peius proficere, & suis incrementis tandem ad extremam impietatem progredi, adeoq; ijs irritari, quibus lucrifieri debebant. Iam ante enim isti odium Christi animis conceperant, à vi tamen aperta hactenus abstinuerunt, dum illum ex æquo omnibus inuisum esse, aut saltem à plerisq; contemni arbitrantur. At vbi illum à multis in pretio haberi audiunt, qui de illo magnificè sentiãt, eius causam tueantur, & promissum illum redemptorem esse palàm dicant: mox maiori rabie accensi nihil sibi amplius dissimulandum esse censent, nec ex populi sermonibus ansam arripiunt de toto hoc negotio diligentius cogitandi, sed mox sceleris ministros expediunt, qui comprehensum adducant. Vides autem in his crudelitatem cum prouida & diligenti astutia coniunctam, qua factum est, vt nullam eius opprimendi occasionem neglexerint. Conspicitur vtraq; in nostris aduersarijs hodie, qui vt crudelibus ausis ... siam fidemq; Christi veram opprimere student: ita dies & noctes excubant, ne qua occasio elabatur, quæ ipsorum instituto seruire potest Arguit autem illorum sedulitas nostram ignauiam, qui ferè interea stertimus, & bene agendi occasiones turpiter nimis negligimus, adeoq; oscitantia nostra illis animos addimus, & eorundem cruenta consilia adiuuamus.

Christi concio ad hostes.

Porrò tempus est, vt Christum Iesum audiamus, qui de improbo hoc suorũ hostium conatu tam populo toti quàm ministris sacerdotum sic concionatur: Adhuc paululum temporis vobiscum sum, & vadam ad eum qui misit me. Quæretis me, sed nõ inuenietis: & vbi ego sum, vos non potestis venire. Quibus verbis tria dicit. Primò ingratitudinem ipsorum arguit, qui molestè ferant ipsius consuetudinem, cùm non nisi publicæ salutis ergò in hunc mundum descenderit. Deinde conatus ipsorum planè inutiles et superuacaneos, adeoq; irritos fore docet. Postremò pœnas graues denuntiat, quibus ipsorum improbitatẽ punire velit. Sensus itaq; verborũ est: Ego cœlitus ad vos veni, & familiarissimè vobis cohabito, vt in mei cognitionem adductos patri reconciliem, & salutis æternæ hæredes faciam. Vos autem hominum ingratissimi hoc vnum agitis, vt me dolis vestris circunuentum è medio tollatis. Atqui tanto studio minimè opus erat. Breue enim adhuc tempus mihi in terris agendum restat: quod vbi elapsum fuerit, ad Deum patrem redibo: neque vos vnquam efficietis, vt non euehar in cœlestem patriam, & inde misso spiritu sancto regnum meum per totum orbem extendam. Itaque me sublato è terris, non tamen vobis omnia pro votis vestris succedent. Imò futurum est, vt ego quidem gloriosus victor regnem, vos autem extremis malis circunuenti me quæratis, & me optetis vobis redemptorem obtingere: sed non inuenietis me, qui ingratos & rebelles prorsus deseram, vt dignas vestra cõtumacia & improbitate pœnas exoluatis. Neq; vos tunc eò venire poteritis, vbi ego ero, vt vel ex gloria & regno meo me deturbetis, vel me vindice et protectore vtamini. Et hæc quidem quoad literã impleta sunt. Nam paulò post cùm hora illa præfinita aduenisset, Christus spiritum sua animã deposuit, & inde resuscitatus in cœlum ascẽdit, & discipulos spiritus virtute instructos in orbẽ emisit, quorũ prædicatione regnũ eius longè lateq; est propagatũ. Mox autẽ eodẽ tempore cœpit gentis Iudaicæ calamitas. Seditionibus enim assiduis Romanos cõtra se prouocarũt, qui misso exercitu terram omnẽ vastarunt, vrbem obsederunt, & tandẽ captã solo æquarũt. Passi sunt tunc Iudæi durissima quæq;, & non dubium est, quin sæpe illis in mentem venerint promissiones Messiæ, multo etiam de Christo contumeliosè reiecto cogitarint. Neq; tamen illic cessauit iudicium Domini, sed regnum quoq; suum ab illis transtulit ad gentes, & spiritu vertiginis miseros percussit, vt Rabbinis somnijs seducti Messiã adhuc quærãt, & semetipsos anxia atq; inani expectatione excruciant. Adhæc quàm diu Christũ contemnere pergunt, ad beatas regni cœlestis sedes peruenire nõ possunt, in quibus nunc ille triumphat & regnat. Ita verò omnes gratiæ suæ in Christo exhibitæ cõtemptores Deus punire solet: vt primò quidẽ externis malis & miserijs inuoluat, quando indigni sunt, qui aliquẽ gratiæ gustũ sentiant, qui huius mediatorẽ aspernãtur. Deinde verò ijsdẽ verbi sui lucẽ aufert, quæ sola eos consolari poterat. Fit ergo vt tam corpore quàm animo discurrant, & nequicquã quærãt ... vias

vias. Tandem à regno suo reiectos sempiternis inferorũ cruciatibus addicit. Exempla, quibus hæc probentur, passim occurrunt, quibus nos excitari conuenit, vt Dominum quæramus dum propè est & inueniri potest, neque quas Deus nobis offert salutis occasiones elabi patiamur.

Cæterum quæ istis dicit Christus, hæc singuli sibijpsis accommodent, vt ijsdem rationibus sese aduersus impiorum insidias & quæuis aduersorum genera consolentur. Primò itaque cogitent vitæ huius curriculum breue esse, & proinde diuturnas esse non posse afflictiones, quæ hîc incidunt. Quid, quòd ex eo in singulas horas aliquid decedit, cùm irremisso temporis cursu ad metam nostram semper properemus. Vidit hoc Marcus Castritius, qui Cn. Carbone sibi minitante, & inter alia dicente, multos sibi esse gladios, respondit: Et ego annos multos habeo. Intrepidum itaque faciebat senectus, quæ alios solet meticulosos reddere, cùm se exigui temporis iacturam facere, & alioqui suo fini iam proximum esse cogitaret. Quantò magis autem hæc cogitatio Christianis hominibus debet animos addere, qui vt vitæ tempus modicum esse vident, ita sibi æterna gaudia parata esse norunt, quæ hoc stadium emensos excipient? Deinde ad hæc sibi viam patere recordentur per mortem, quæ cùm olim peccati pœna esset, nunc per fidem Christo insitis ad vitam æternam est transitus. Addant his, quòd in cœlis extra omnẽ teli iactum erimus, eò quòd nihil in illos iuris est diabolo & huius ministris, qui nos in hoc seculo infestant. Fit etiam frequenter, vt quos in vitus agentes mundus hic odit, sublatos magno desiderio quærat & honorificè prædicet, &c. Val. Max. lib. 6. cap. 2.

Sequitur huius actionis catastrophe, qua docetur, vt grauem hanc Christi admonitionem impro bi eius aduersarij acceperint. Dixerunt inter se: Quò hic iturus est, vt nos non inueniamus eum? Num in dispersionem Græcorum iturus est, & docturus Græcos? Quis est hic sermo? &c. Est hoc magnum impietatis summæ argumentum. Quasi enim obscurius locutus esset, quò nam velit abire interrogant. Atqui ad patrem se abiturum dixerat. Deinde illum defectionis ad gentes insimulant, cùm nullam tam iniquæ suspicionis occasionem dedisset. Adhæc sua dignitate nimis confidenter elati, gentes per contemptum dispersas vocant: quasi ipsi soli populus sint verè vnitus, reliquis omnibus per loca & sedes diuersas longè lateq; dispersis: cùm illo tempore Iudæi in sectas diuersas scissi & per orbem ferè totum dissipati omnium gentium ludibrio subiecti essent. Erat hoc reprobationis futuræ præludium, cùm miseriã suam, quæ iam tunc cœperat, non sentirent, sed quasi saluis rebus suis omnibus insolenter superbirent. Cumprimis verò memorabile est, quòd cùm minas Christi scurriliter eludant, ignari contra seipsos vaticinantur. Quod enim Christum facturum dicunt, reuera factum est. Abijt enim ad gentes, quando ipsis repudiatis euangelij lucem ad illas transtulit, sicuti olim prophetæ sæpius monuerat. Ad eundem modum frequenter seriò sentiunt impij, quod per ludibrium pronuntiant. Horum igitur exemplis territi, ad minas Dei contremiscamus & exhibitam in Christo Iesu gratiam totis animis amplectamur, vt salutis per hunc acquisitæ hæreditatem adire possimus. Ipsi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen. Christi uerba impij detorquent & rident.

HOMILIA LXIIII.

In ultimo autẽ die festi, magno, stetit Iesus & clamauit, dicens: Si quis sitit, ueniat ad me, & bibat. Qui credit in me sicut dicit scriptura, flumina ex uentre eius fluent aquæ uiuentis. Hoc autẽ dixit de spiritu quem accepturi erant credentes in eum: Nondum enim erat spiritus sanctus, quia Iesus nõdum erat glorificatus. Multi ergo ex turba, cùm audissent hunc sermonem, dicebãt: Verè hic est Propheta ille. Alij dicebant: Hic est ille Christus. Alij uerò dicebant: Enimuero, num ex Galilæa ueniet Christus? Nónne scriptura dicit, quòd ex semine Dauidis, & ex uico Bethlehem, ubi erat Dauid, Christus uenturus sit? Itaq; dissidium factum est in turba propter ipsum. Quidam autem ex ipsis uolebant eum prehendere; sed nemo iniecit in eum manus.

TOto hoc Capite Euangelista Ioannes Christum Iesum veritatis & salutis æternæ doctorē proponit, & quia in eodem veri doctoris & doctrinæ exemplum exhibere instituit, non modò illius conciones describit, verumetiam narrat vt illas Iudæi exceperint: nimirum vt in ipso videamus, quæ semper doctrinæ huius sors futura sit in hoc mundo, & quid eius ministros facere conueniat, quando illa in controuersiam trahitur. Pertinet eòdem etiam præsens hic locus, qui postremam, quam in festo Tabernaculorum habuit, Christi concionem continet, cuius idem planè qui priorum effectus & euentus fuit.

Christi fides & dicendi libertas commendatur.

Orditur autem à diligenti circunstantiarum descriptione Ioannes, eò quòd hæ singulæ Christi fidem & ingenuam fortemq; dicendi libertatem cōmendant. Vbi ante omnia meminisse oportet, de hîc sermonem fieri, quem principes iam pridem decreuerant occidere, et ad quem comprehendendum seruos suos emiserant, quod ille ignorare non potuit, qui cordium arcana inspicit. Quid verò is fecit? In vltimo die festi, magno, stetit & clamauit, &c. Tempus primò annotatur, vltimus nimirum festi illius dies, quem magnum dicebant, eò quòd in eo ferè omnia ea peragebantur, quorū gratia dies festos Deus instituerat. Tunc enim totius populi cœtus habebatur, quem conuocationem sanctam dicebant. Recitabatur in ea lex Domini, fiebant item preces publicæ, & immolabantur victimæ solennes, & ita non sine solenni & publico religionis exercitio populus, qui vndiquaq; confluxerat, dimittebatur. Captauit ergo istam occasionem Christus, vt quàm plurimos haberet auditores eorum, quæ cognitu cumprimis sunt necessaria, & vt discessuris summam veræ doctrinæ traderet, cuius recordatione postea etiam in officio cōtinerentur. Deinde gestus etiā docentis describitur: Stetit enim, cùm illo seculo sederent qui docendi officio fungebantur. Fuit ergo hoc quoq; animi intrepidi & imperterriti indicium, quo sese furiosis hostiū conatibus opposuit: neq; in publicum prodire & illic stare veritus est, vbi se ad mortem quæri sciebat. Præterea, non submissa voce docuit, vt solent qui exaudiri nolunt, & pauculis modò in aurem susurrant quod illis tradere instituerūt: sed alta voce clamauit, vt ab omnibus audiri posset quod dicebatur.

Typus boni doctoris.

Habemus in his veri doctoris typum seu exemplum. Illius est, non modò interdum & obiter veritatem proponere, sed omnem captare occasionem, ne quid negligat. Solent hoc obseruare, quicunq; aliquid seriò agunt. Quātò magis ergo hoc obseruare conuenit, quibus ecclesiæ suæ & verbi ministerium Deus commisit, in quo ludis aut segnitiei nullus locus esse potest? Et cùm tempora certa obseruent agricolæ, & qui pisces aut feras venantur, nefas fuerit, si suæ functionis idoneum tempus elabi sinant, quos animorum agricolas & hominū piscatores Deus esse voluit. Admonet de hoc Christus, quando in Oeconomo suo prudentiam cum fide coniunctam esse vult, vt familiæ suæ cibum in tempore depromat. Imprimis verò curent, vt fidis admonitionibus eos instruant quos dimittunt, aut à quibus ipsi discedere coguntur. Sunt enim isti ceu hami quidam, qui absentibus quoque ministris hominum aures, vel potius cōscientias, vellicant, ne inter varias tentationes officij sui omnino obliuiscantur. Viderunt hoc Paulus & Barnabas, qui Antiochiam, vnde emissi erant, redituri, ecclesias abs se collectas prius ex ordine inuiserunt, & salutaribus admonitionibus in fide confirmarunt, atque singulos sui admonuerunt officij. Acto. 14. Et dum ista agunt, non vlla pericula metuant, vt sese à statione sua dejci patiantur, sed Christum Dominum suum imitentur, à cuius exemplo deflectere nefas putent. Dominabātur tunc Hierosolymis, præcipuè in templo, sacerdotes & scribæ, hostes eius acerrimi, qui non alia re magis quàm populi motu continebantur, quò minus aperta vi aduersus ipsum insurgerent. Iam ergo sub finem festi periculum maius instabat, cùm populus diffluereret, singulis ad sua redeuntibus. Pergit tamen Dominus, & maiori quàm antea libertate docere cœpit. Pudeat igitur nos ignauiæ nostræ, qui Domino nos ad res magnas & præclaras vocante rationibus vanissimis nos excusamus, quas nos in eius conspectu commemorare non pudet, quasi ipse quicquam ignorare possit.

Concio Christi formā sanæ doctrinæ continens.

Sed ipsam Christi Iesu concionē audiamus, cuius summā Ioānes annotare voluit, vt eius doctrinæ formam proponeret, quæ semper in ecclesia debet retineri, et quæ omnia absolutè cōprehendit, quæ nobis ad salutis cognitionem necessaria sunt. Constat hæc duabus partibus. Prima benignè ad se vocat omnes, qui serio & anxio salutis desiderio tenentur. Ait enim: Si quis sitit, veniat ad me, & bibat. Vbi rursum nobis cōsideranda est temporis circunstantia, quòd nimirum in vltimo die festi ad se venire iubet eos, qui iam omnibus ijs probè defuncti erant, quæ in festo fieri solebāt. Interfuerant enim

enim cœtibus sacris, audiuerant legem publicè exponi, sacrificia pro more adduxerant Domino, & iam nunc in postremo huius festi actu versabantur. Attamen adhuc sitientes dicit, & illos ad se vocat, vt ex fonte gratiæ hauriant & bibant aquam, quæ conscientiæ æstus possit restinguere. Hinc ergo luce clarius apparet, opera legis ad hominis iustificationem & veram salutem nihil potuisse conferre, nisi quòd Christo adducere debuit, qui nobis iustitia, satisfactio et sanctificatio factus est. Itaq; inepissimi sunt homines, qui hodie legis iustitiam stabilire conantur, aut in humanarũ traditionum obseruatione salutis meritum quærunt, cùm à Deo præscriptæ ceremoniæ nihil horum præstare potuerint. Porrò singula Christi verba videamus.

Primò disertè eos notat seu nominat, quos ad se venire velit. Eos nimirum qui sitiunt. Nam est quidem Dei gratia semper omnibus exposita in Iesu Christo, eam verò nõ omnes amplexantur, quia non omnes sibi illa opus esse putant. Ergo sitiendi verbo docet, quales simus quoad nostram naturam atq; conditionem, & quales nos esse conueniat. Sumus autẽ instar terræ arentis & siticulosæ, steriles nimirum, neq; vllos fructus regno Dei dignos ferre possumus. Quid enim boni ex seipso proferat, qui in peccato conceptus atq; natus est, cuius item figmenta ab ineunte ætate mala sunt, & qui quantus quantus est, nihil nisi peccati seruus est? Est hæc quidem magna humani generis calamitas, eò autem maior est atq; nocentior, quòd illam in semetipsis non omnes agnoscunt, & proinde vel nulla suæ salutis ratione habita in prauis desiderijs æstuant, & ea modò sitiunt, quæ mortem accelerare solent, vel suarum virium fiducia inebriati, suorum operum meritis nituntur. Vtrum verò ex his fiat, remora inijcitur, quo minus ad Christum veniant. At qui suam corruptionem & miseriam verè agnoscunt, is veræ salutis desiderio accensi, gratiam Dei sitiunt, in qua sola remedium sibi propositum esse vident. Nec temere desiderium hoc animæ suam corruptionem sentientis & intra conscientiam suam æstuantis siti confertur. Nam vt siti nihil molestius & intolerabilius est, sicuti in ægrotantibus & in æstu magno per loca inaquosa iter facientibus est videre: ita nihil est, quod animas acutius & maiori cum molestia excruciet, quàm vbi peccata sua sibi semper ob oculos versari, & se damnationem meruisse sentiunt homines, & nihil in semetipsis remedij inuenire possunt. Hinc enim acerbæ illæ voces promanant: Transgressionem meam agnosco, peccatum meum semper coram me est. Nõ est pax ossibus meis propter peccatum meum. Iniquitates meæ transcendunt caput meum, ceu onus intolerabile grauiora sunt quàm sim ferendo, &c. Item, Miser ego homo, quis me liberabit ex corpore mortis huius? Est autem hæc sitis nostræ salutis initium. Nam qui ita affecti sunt, in ijs carnalium desideriorum æstus extinguitur, & ijsdem mundus hic totus cum omnibus suis illecebris sordere incipit, eò quòd ad Dei gratiam aspirant, & æterna regni cœlorum bona consequi cupiunt. Comitantur ergo querelas istas, quas modò recitauimus, ardentes preces & saluberrima cum Deo colloquia, qualia sunt: Domine, ne in ira tua me arguas, neue castiges me in furore tuo. Vt cerua mugit ad torrentes aquarum, sic anima mea mugit ad te ô Deus. Sitit anima mea Deum, Deum viuum: quando veniam, vt compaream in conspectu Dei? Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam, &c. Domine, propitius esto mihi peccatori, &c. Hi ergo sunt sitientes illi, quos cùm hoc loco tum alibi Christus vocat, neq; vlli alij ad regnum Dei idonei sunt, quàm qui sitim hanc intra sese accensam sentiunt.

Sitientes inuocant.

Animæ desiderium siti confertur.

At quid istos facere iubet Dominus? Veniat ad me (inquit) & bibat. Non dicit: Si quis sitit, bibat. Neq; etiã: Si quis sitit, quærat vnde bibat: Quid enim hoc aliud fuisset, quàm suo ipsorum arbitrio homines permittere, quæ omnium superstitionũ causa atq; origo est? Sed fontem aquæ viuentis, id est, gratiæ Dei in se monstrat, vt omnes intelligant, vbinam aqua ista inueniri possit. Ad se autem venire iubet, quòd non alia ratione quàm per fidem fieri potest. Hæc enim Dei verbũ secuta hominẽ ad Christũ deducit, in quo nobis fontẽ salutis Deus aperuit, sicuti olim per Zachariã prophetã prosaria sunt. Quid enim hîc aliud clamat, quàm quòd per Isaiam Cap. 55. prius ijsdem prope verbis ad hunc modum dixit? O vos omnes qui sitistis, venite ad aquas: & vos quibus non est pecunia, venite: comparate, & comedite: emite sine argento & sine pretio vinum & lac. Cur expenditis pecuniã pro non pane, & laborem vestrum pro eo quod non satiat? Quibus planè conuenit quod supra Samaritidi dixit: Omnis qui bibit ex aqua hac, sitiet rursum. Quisquis autem biberit ex aqua illa, quam ego

Sitientes ad Christum ueniant et bibãt.

Zach. 13.

dabo ei, non sitierit in æternũ: sed aqua illa quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. Quibus connumerari potest, quod Matth. 11. habetur: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego requiem vobis præstabo. Omnium enim istorum vnus et idem sensus est, quia qui conscientiæ æstuantis ardores restinguere & salutẽ animarum certam consequi velint, ad Christum vnum cõtendere, & ex illo solo quæ salutis sunt haurire debeant. Quod vt omnibus dicitur in genere, ita imprimis hoc ministri obseruare debẽt, ne quos salutis siti accensos vident aliò remittant, aut sua somnia vel aliorum hominum figmenta illis propinent. Nam qui hoc faciunt, quasi Circæo poculo inebriatos detinent, vt ad Christum verum salutis fontem non accedant, & ita publicæ salutis proditores & homicidæ fiunt, dum vitæ & salutis duces haberi volunt.

Ex Christo bibere idem est quod credere.

Sequitur altera pars concionis, qua seipsum exponit, & præmium ijs pollicetur, qui ipsi obtemperant, sic dicens: Qui credit in me sicut dicit scriptura, flumina ex ventre eius fluent aquæ viuentis. Atqui similitudinis ratio exigebat, vt diceret: Qui bibit ex me. Sed credendi verbo vtitur, vt doceat, ex ipso bibere non aliud esse quàm in ipsum credere. Vt enim qui bibunt, potum intra se se recipiunt, & eo recreantur: Ita credendo Christum intra animos nostros recipimus, & eius spiritu atq; virtute irrigamur, recreamur & sustentamur, ne vllis tentationibus superemur. Dictum est de locutionibus istis alibi prolixius, ideoq; hîc sumus breuiores. Interim fidei regulam nobis hoc loco prescribit Christus, scripturas nimirum, ex quibus ipse discitur, & quæ nos in vera fidei atq; cultus ratione instituunt. Est regula hæc obseruatu dignissima, imò admodum necessaria. Nec enim nobis licet Christum ex nostro arbitrio fingere, qualem ipsi volumus: sed talis credendus & apprehendendus est, qualem scripturæ sacræ proponunt. Olim quidem Christo gloriabantur hæretici ferè omnes, sed ijdem, cùm in scripturas minus intenti essent, circa fidem naufragium fecerunt, cùm alij nudum hominem, alij Deum solum in ipso agnoscerent: rursum alij carnem è cælo allatam somniarent, multi verò personæ vnitatem negarent, multi naturas cõfunderent. Credebant hi omnes aliqua ex parte in Christum, sed quia eorum fides scripturis sacris non consentiebat, per eam seruari nequaquam potuerunt. Hodie etiam Turcæ Christi nomen in pretio habent, illum Dei verbum & animum esse fatentur, adhæc in nouissimo die venturum aiunt ad iudicandum viuos & mortuos: at quia Alcorani sui fabulis plus quàm scripturæ sacræ tribuunt, Dei filium esse negant, & eiusdem mortem non recipiunt, quæ præcipua sunt redemptionis nostræ capita, hæc quoque illorum fides irrita & inanis est. Similiter inter Papistas multa est Christi mentio, qui illum verum Deum simul & hominem esse agnoscunt, neque aliquam historiæ euangelicæ partem reijciunt: ijdem tamen longè alium fingunt quàm scripturæ tradant: qui nimirum verbis quinque euocatus in panem descendat, quotidie pro peccatis nostris offeratur, vicario opus habeat Pontifice, collegas admittat Diuos & Diuas: & hæc dicendo incarnationis, mortis, resurrectionis & ascensionis eius fructum euacuant, dum non vno illo contenti sunt, sed insuper nouas pro peccatis nostris satisfactiones, noua sacrificia, nouos mediatores fingunt, adeoq; præcipuam nostræ redemptionis gloriam in seipsos & operum suorum merita transferunt. Christum ergo habent, non autem qualem nobis scripturæ prædicant, sed sui meritis gloria spoliatum, & proinde veri Christi nomine frustra gloriantur. Vides ergo non temere nos hoc loco admoneri, vt in ipsum credamus, sicut scriptura docet. Quò etiam illud referri potest, quòd ipsa Cap. 17 se pro illis orare ait, qui per sermonem Apostolorum in se credunt, id est, qui talem ipsum agnoscunt, qualem Apostoli prædicarunt.

Fidei regula.

Credentes spiritu sancto donantur.

Quid verò ad hunc modum credentibus pollicetur? Flumina ex ventre eius fluent aquæ viuentis. Hoc autem illum de spiritu sancto dixisse, Ioannes interpretatur. Sensus ergo est, credentes spiritu sancto liberalissimè donari, qui non modò ipsos intra animos ipsorum salutis certos faciat, et omni donorum genere exornet, verumetiam in alios quoq; redundet, dum ex eius suggestione multis alijs vitæ & fidei duces, adeoq; salutis authores sunt. Quia enim fidei cõiunctus est spiritus ille, qui nos ex verbi semine regenerat, fieri non potest, quin noui homines facti, fructus quoq; nouos feramus, qui nouorum instar ad alios quoq; dimanent, quos & charitatis vel beneficentiæ officijs, & vitæ fideiq; exemplo iuuamus, vt ex nobis occasione sumpta, de Deo & toto salutis mysterio diligentius cogitare incipiant, Deũ glorificent et salui fiant. Factũ est hoc frequenter in primitiua ecclesia: et multa passim exẽpla inueniuntur eorũ, qui saluberrimis istis riuis doctrinæ et vitæ sanctæ multos ad Christum adduxerunt,

adduxerunt, qui prius odio illius flagrabant. At quia hæc Christianorum nota est proprijssima, satis apparet, qui nam censeri debeant, ex quorum linguis & vitæ exemplo aquæ fluunt stygiam paludem & infelicis Acherontis vndas redolentes, quæ euangelij doctrinam, quam profitentur, multis suspectam & exosam reddunt. Sunt isti omnes à fide vera alienissimi, & nec Christi sunt, cùm nulla spiritus Christi effecta in illis conspiciantur.

Porrò ipsum Ioannem huius loci interpretem audiamus, qui sic ait: Hoc autẽ dixit de spiritu, quem acceperi erant credentes in eum. Nondum enim erat spiritus sanctus, quia Iesus nondũ erat glorificatus. Debet autem postremũ hoc membrum, quod vt causæ redditionem subiecit, non de essentia spiritus sancti, neq; etiam simpliciter de eius donis intelligi, quasi vsq; in illud tempus nulla fuerint. Quoad enim spiritum ipsum, notum est illud Psalmi: Verbo Domini cœli facti sunt, & spiritu oris eius omnis exercitus eorum. Item Psalm. 139. Quò discedam à spiritu tuo? Quoad verò effecta & dona spiritus sancti, veteres illa à Deo petiisse constat, inter quos Dauid orabat: Spiritum tuum sanctum non à me auferas. Psalm 51. Petrus autem apostolus prophetas Christi spiritu instructos fuisse scribit, quo duce seruati sint, quid illum pati oporteat, & quanta eius afflictiones secutura sit gloria. Et rursum in posteriori epistola sic scribit: Non voluntate hominis allata est olim prophetia sed à spiritu sancto impulsi locuti sunt sancti Dei homines. Testantur hoc eximia dona fidei & omnis generis virtutum, quæ in veteribus eluxerũt, neq; ad vllum alium authorem, quàm spiritũ sanctum referri possunt. Quæ omnia cùm Ioannes non ignorauerit, certum est, hæc verba illum pronunciasse de solenni illa spiritus sancti missione, quæ primùm in die Pentecostes facta discipulos vberrimis & nunquam antea visis spiritus sancti donis repleuit, vt nimirum scripturas nossent, linguis peregrinis loquerentur, signa facerent stupenda, & tã dicendi libertate imperterrita quàm vitæ exemplo hostibus quoq; terrori & admirationi essent. Prædixerãt hanc spiritus missionem olim prophetæ, & inter hos Ioel imprimis, cuius authoritate Petrus eodẽ die seipsum & collegas suos aduersus impios calumniatores atq; illusores defendit. Debuit autẽ missio ista differri vsque in glorificationem Christi, quæ ipsi in ascensione obtigit, quando corpus suum è terris in altum subuexit, & ad dexteram patris collocatũ cœlesti gloria donauit. Tunc enim hoc ablato pios nouo salutis arrhabone confirmari, & paracletum nouum accipere discipulos item spiritus donis liberaliter instrui oportebat, vt intrepida fidei constantia regnum eius, sicuti iussi erant, longè latèq; propagarent. Est autem non oscitanter prætereundum hoc euangelistæ exemplum, qui Christi verba, quæ multis obscuriora videri poterãt, interpretatione sua illustrare voluit, vt absurdis & ineptis cogitationibus ansam præriperet. Obseruarunt hoc sæpe apostoli, & ipse Christus frequenter interpretatus est quæ in parabolis antea obscurius dixerat. Licet ergo scripturas exponere, imò vt hoc fiat necesse est, quãdo multa in ijs occurrunt, quæ si secundùm literam accipiantur, ipsos fidei articulos euerterent, & quæstiones parerent nunquam finiendas. Quare nimiùm inepti & duri sunt, qui literam vbiq; pertinaciter vrgent, & mox phanaticos & sacrilegos vel hæreticos esse clamant eos, qui obscuriores & duriores locos collatione aliorum locorum & obseruata fidei analogia illustrant & leniunt. Vbi tamen ijs minimè patrocinamur, qui impia confidentia quiduis effutiunt, & quasi scriptura priuati ipsorũ iuris sit, quiduis ex quouis fingere audent. Sed de his dicendi locus alibi erit commodior.

Quomodo spiritum sanctum nondũ fuisse dicat Ioannes.

Transeamus nunc ad postremam huius loci partem, quæ concionis istius effectum cõtinet, quem multis describit Ioannes: summa autem omnium est, quòd dissidium in populo propter illum factum fuisse dicit. Fit hoc ferè semper quando euangelium prædicatur, quod Christus non vno loco diserte monet. Vbi nemo putet hoc euangelij vitio fieri, cuius doctrina passim nobis vnitatẽ fidei & charitatis studium commendat. Mali ergo huius causa est, quòd diuersa sint hominum ingenia, & quòd latentem in animis improbitatem sua luce euangelium arguit atq; reuelat. Vt ergo salutaria & efficacia pharmaca non ipsa humores noxios gignunt, sed iam ante collectos & suo demũ tempore erupturos mouent, vt ocyus eijciantur: Ita euangelium per se dissidiorum causa non est, sed facit, vt dissimulatam impietatẽ non sine tumultu prodant, qui nisi vrgerentur, fortassis diutius monstrum illud fouerent, donec cum publico omnium interitu illud in lucem ederent. Neminem ergo eiusmodi turbæ offendant, quæ certa sunt satanæ ex sua possessione iam discessuri indicia. Proponuntur autem in præsenti duo hominum genera, & in singulis quædam diuersitas elucet. Primum eorum est, qui

Dissidium oritur propter Christum.

Iudæorum de Christo iudicia.

aliquod fidei semen conceperant, quod iam intra animos ipsorum germinare incipiebat. Ex his vn
alij Prophetam illum magnum esse dicunt, quem à Mose olim promissum fuisse, iam multoties
mus: alij ipsum Christum, id est promissum illum populi seruatorem aut redemptorem esse testa
Atqui vnus & idem erat, quem Moses prophetam, prophetæ verò Christum siue Vnctum Dom
dixerunt. Fuit ergo hæc crassa nimis ignorantia scripturarũ inter Iudæos in eo articulo, quem
nibus notissimum esse oportebat. Causam huius dicere possumus partim sacerdotũ & scribarum
gligentiam, partim quòd vulgò regnum promissi Messiæ terrenum somniarent, & proinde in
illo nihil prophetici agnoscere possent. Videntur autem isti respexisse ad prophetias, quæ felicem
Messiæ regno piorum conditionem & vberem spiritus sancti gratiam aquarum & fontium
lis describunt. Obseruabimus hîc obiter quantum mali dent antistites ignaui aut perfidi. Eò
tiæ sub his deuenit populus, vt præcipua fidei & salutis capita nõ intelligat, aut saltem nõ ob
Est hoc videre in Papatu, vbi paucos reperias, qui orationis dominicæ sensum teneant, aut
apostolici articulos seriò expendant. Quò fit, vt cùm ex his argumenta proferuntur aduersus
superstitiones, perinde obstupescant aut etiam insaniant, ac si res noua vel palàm impia
Docemur præterea istorum exemplo inter electos non paria esse spiritus dona, nec eandem
nes esse fidei mensuram, sed alios alijs præstare, prout Deo visum fuerit, qui dona sua rectè
ter pro nostri captus ratione dispensat. Ergo non offendamur statim, si quos adhuc minus
videmus, neq; etiã tales statim damnemus, sed potius (vt Paulus monet) suscipiamus cum
tate, vt pleniora edocti proficiant. Rursum qui se reliquis inferiores esse vident, non inuideant
dona præstantioribus, ne dum homines odiosè carpũt, in ipsum Deum peccent, qui ipsos præ
ornare dignatus est. Denique studeant singuli in commune deponere quod ipsis datum est, vt
siæ communis ædificationi seruiat.

Aduersarij Christi scripturis abutuntur.

Alterum genus hominum, quod hic producitur, Christi aduersarios & hostes habet, qui
inter se diuersi sunt. Alij enim rationibus & argumentis aduersus eos pugnant, qui ipsum Christ
esse dicebant. Enimuero (aiunt) num ex Galilæa veniet Christus? Nonne scriptura dicit, quòd
semine Dauidis, & ex vico Bethlehem, vbi erat Dauid, Christus venturus sit? Scripturas ergo
allegant, sed ijsdem turpi ignorantia abutuntur, dum non obseruant ipsum Bethlehemi natum
sicuti Micheas prædixerat, educatum verò & manifestatũ primò in Galilæa, quod ipsum
debuisse Matthæus cap. 4. ex Isaia docet. Sunt itaq; isti exemplũ eorum, qui sibijpsis fidei
ponunt, & ex scripturis colligunt argumenta, quibus aduersus veritatem & propriam salutem

De resurrect. carnis.

tinaciter pugnant. Fecerunt hoc olim hæretici, qui (vt Tertullianus olim scripsit) esse non
non & perperam scripturæ intelligi possent. Solent enim (vt idem pater lib. 4. aduersus Marc
annotauit (aut nudas & simplices voces coniecturis, quò volunt, rapere: aut rursum cõditionales
rationales simplicitatis conditione dissoluere. Exempla apud veteres passim occurrunt, quibus
momorandis insistere non est opus, cùm nostro seculo hoc ipsum omnes faciant, qui puriorẽ
renascentis doctrinam extinctam volũt. Quis enim nescit papatum totum eiusmodi argumentis
quæ ex scripturis malè detortis petita sunt? Similiter Anabaptistæ paruulorum baptismum,
randi vsum, ius gladij, ordinarium ecclesiæ ministerium & quæcunq; alia ipsorũ furoribus
sunt, scripturæ verbis oppugnant. Et in sacramentaria contentione aduersarij Cœnæ verbis
dùm literam acceptis pertinaciter insistunt, nec quicquam admittunt eorum, quæ de corporis
veritate, de eiusdem ascensione in cœlos, de Cœnæ fine & vsu ex eiusdẽ Christi ore
potius, vt in Cœnæ verbis Tropũ omnẽ excludat, scripturæ locos infinitos, imò
ticulos et historicas de Christi gestis narrationes Tropicis expositionibus obscurat, detorquet,
in dubium vocant. Ad eundem lapidem offendunt qui Chiliastarum errorem instaurare
aureum quoddam seculum fingunt, quo in profunda pace & extra omne periculũ pij sub
terris victuri sint, sublatis simul omnibus, quæ ipsis possint aliquid negotij facere. Abutuntur
prophetarum oraculis, qualia sunt, quæ Isa. 2. 11. 35. 60. 61. 65. &c. habẽtur: & secundùm
vniuersali totius orbis pace exponunt, quod spirituali sensu de interna ecclesiæ felicitate
ad solos pios restringi debebat. Eadem illorum ratio est, qui regenerationis & innouationis
mysterium ita interpretantur, vt mox damnent omnes eos, in quibus aliquas carnis &

quias conſpicantur: imò totas eccleſias immani audacia reijciunt & conculcant, in quibus nõ omnia ipſorum placitis reſpondent. Cæterùm aduerſus omnes iſtos tenendũ eſt, non temere quibuſuis credi debere, qui ſcripturas in ore habent, ſed cautione & attentione diligenti opus eſſe, ne inani fuco decipiamur. Quid enim non audeat ſatan in ſuis membris aduerſus nos, qui aduerſus Dei filium coràm ſcripturis impiè detortis pugnare non eſt veritus? Vera quidem & rata perpetuò manent ſacræ ſcripturæ verba, ſed non ſemper eo ſenſu vera ſunt, quem illis affingunt, qui ipſorũ authoritate pro ſuo arbitrio abutuntur, vt malè conceptos errores tueantur.

Sed ad Chriſti hoſtes redeamus, quorum alij primis iſtis peiores ipſum prehendere & ad principes abducere voluerũt: nimirũ quòd argumentis nihil aduerſus illum profici viderent. Et tales quidem ſemper excitat ſatan, quia veritatẽ rationibus vtcũq; argutis & mirificè fucatis nequicquam oppugnari nouit. Experimur hoc hodie, quando inſignes Theologos non pudet publicè claſsicum canere, vt reges ad arma vocent, quibus veritatis doctrinam opprimant. At hic nobis in mentem veniat, quod hoc ipſo loco ſubijcit Ioannes: Sed nemo iniecit in eum manus. Voluerunt quidem illum captum abducere, neq; deerant ad hunc capiendum emiſſi miniſtri, quos publica authoritas aduerſus populi furorem tuebatur. Nec alicuius mentio fit, qui iſtorum voluntati & conatui ſeſe oppoſuerit. Non tamen quicquã mali ei faciunt: Ergo occulta Dei virtute repreſſi ſunt, ne auderent quod volebant, & quod inſuper poſſe videbantur. Eſt hoc plenum conſolationis, qua noſipſos confirmare debemus, ſi quæ pericula imminent. Dominatur enim Ieſus Chriſtus in medio hoſtium ſuorum, & idem ſuos in medijs periculis facilè tuebitur. Ipſi debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen. Hoſtes Chriſti uim parant.

HOMILIA LXV.

Venerunt ergo miniſtri ad põtifices & phariſæos, qui dixerũt eis: Quare non adduxiſtis eum? Reſponderunt miniſtri: Nunquam ita locutus eſt homo, ut hic homo. Reſponderunt ergo eis phariſæi: Num & uos ſeducti eſtis? Num quis ex principibus credidit in eum, aut ex phariſæis? Sed turba hæc, quæ non nouit legẽ, execrabiles ſunt. Dicit illis Nicodemus, is qui uenerat ad eum nocte, qui unus erat ex illis: Num lex noſtra iudicat hominem, niſi prius audierit ab ipſo & cognouerit quid faciat? Reſpõderunt & dixerunt ei: Num & tu Galilæus es? Scrutare, & uide, quod à Galilea propheta nõ ſurrexit. Et profectus eſt quiſque in domum ſuam.

OMnis quidem ſcriptura regnum Ieſu Chriſti æternum, & proinde inuictum atq; inſuperabile fore docet: eadem tamẽ illud in præſenti ſeculo multiuariàm oppugnari teſtatur, neq; hoc ipſe Chriſtus diſsimulat, quãdo diſcipulos frequenter de cruce admonet, & aduerſus omnis generis pericula præceptis atq; conſolationibus inſtruit. At quia hoc carni moleſtiſsimũ & ſcandali plenum eſt, non doctrina modò, verumetiam exemplo proprio nobis præire voluit: quod vt alibi, ita in præſenti quoq; hiſtoria luculentiſsimum proponitur. Hactenus enim ſanguinaria hoſtium conſilia & crudeles inſidias audiuimus, quibus illũ intercipere conati ſunt. Vidimus item diuerſa de illo vulgi iudicia, cùm alij doctrinam & facta eius probarint, alij damnarint, quidam etiam in principum gratiã illum capere voluerint. Inter quæ omnia ſic ſe geſſit, vt partim diſcamus, quid nos in ſimili caſu facere conueniat: partim quoq; intelligamus, quàm vani ſint impiorum omnium conatus, qui Chriſti regnum euerſum volunt. Ad cuius conſolationis confirmationem plurimùm facit præſens hic locus. Redit enim euangeliſta ad hiſtoriam de miniſtris, quos ad illum capiendum emiſſos fuiſſe ſupra audiuimus, & narrat quàm ridiculus concilij huius aduerſus illum inſtituti finis ſeu exitus fuerit.

Et primò quidem miniſtros rediiſſe ait in ſuorum dominorum conſpectum: qui cùm ab illis Chriſtum non adduci viderent, indignabundi magno cum ſtomacho interrogant: Quare non adduxiſtis eum? Ita enim ſolent perſonati præſules, qui ſibi omnem in ſacris poteſtatem vendicant. Quia enim Miniſtri ſine Chriſto redeũt.

prophano fastu sese supra Deum extollere, & sub inani religionis prætextu cum illo ludere audeat. intolerabile scelus illis esse videtur, si inter homines reperiantur, qui se illis vel palàm opponãt, vel non simpliciter obediunt. Et huius generis exempla hodie nõ modò in Pontificibus, Cardinalibus & Episcopis videmus: verumetiã in Monachis, quorum olim nulla erat in ecclesijs authoritas, nunc autem ita sibi omnem in illis potestatem vendicant, vt legitimis magistratibus quoq; sese opponant, ditiones alienas suis sordibus polluant, & ira tantum non rumpantur, si quis secus quàm ipsi velint aliquid liberius dicat aut faciat. At quo spiritu agitante hoc agant, istorũ exemplo docemur, de quibus in præsenti agitur. Neminẽ ergo ecclesiasticæ aut diuinæ authoritatis prætextus terreat, quo tales sibi falso vsurpant, & quem olim magna cum ipsorũ confusione illis Deus eripiet, vt simul & vulgo formidabiles esse desinant.

Ministri sacerdotum Christo testimonium ferunt.

Quid verò principibus Iudæorum ministri respondent? Nunquam ita locutus est homo, vt hic homo. Quasi dicerent. Ideo non adduximus eum captiuum, quia indignũ putauimus, qui aliquid tumeliosum pateretur. Incidimus enim in eius concionẽ, quæ eiusmodi fuit, vt nihil huius simile audiuisse cogamur fateri. Tanta in verbis eius gratia eluxit, tãta doctrinæ grauitas & tã efficax spiritus operatio animos nostros perculsit, vt nihil in illũ tentare potuerimus, &c. Ita verò Christum eum esse testantur, de quo olim Psaltes dixerat, gratiã in labijs eius diffusam esse: & dum testimonium eius doctrinæ tam præclarum perhibent, non obscurè doctrinam, quæ tunc à scribis & sacerdotibus proponebatur, ceu futilem & inefficacẽ, reprehendunt, simulq; heros suos iniquitatis & vanitatis accusant, qui talem persequi ausint & extinctum velint. Elucet itaq; hic magna vera Dei virtus, quo hostes etiã interdum intra animos suos conuincuntur, vt velint nolint, veritati testimonium ferre cogantur: quod hodie frequenter euenire scimus. Vbi tamen obseruabimus, non sufficere istud, nisi emolliti cedamus, & Deo nos præbeamus obsequentes. In hoc enim isti peccant, quod Christi virtutẽ senserint, neq; dissimulare possint, illum à Deo missum & singulari spiritu vnctum instructum esse, non tamen se illi totos subijciunt, sed in eorum seruitio manent, quos aduersus illum hostiliter affectos esse sciebant. Hoc autem illos priuati commodi & ventris gratia fecisse non est dubium, cùm nulla commodior vitæ ratio se illis offerret. Est hoc nimis vulgare hodie, quando multi illicita cum apertis Christi hostibus commercia non alia ratione excusant, quàm quòd rei domesticæ aliter consulere non possint. Coguntur illi multa audire quæ nollent, & quia ad ea respondere nõ audent, turpi dissimulatione veritatem abnegant, & fidei semen, quod iam animo conceperant, extinguunt. Taceo nunc eos, qui agnitam veritatem conuitijs proscindunt, vt eos sibi demereantur, quorum amicitiã sibi vtilem esse putant. Imò frequenter fit, vt tales tandem manum quoq; admouere cogantur ad veritatem opprimendam, quod hisce sacerdotum seruis accidisse in passionis Christi historia suo loco videbimus.

Dei potentia in eludendis hostiũ conatibus.

Deinde obseruatu digna est hoc loco Dei potentia, qua hostium suorum conatus eludere consuit. Emissi fuerunt ministri isti, vt Christum capiant, ne in templo docere pergat: nec dubium est, quin heros suis hoc officiũ illi præstare voluerint. Sed ecce Christi verbis ipsi capiuntur, & ad heros suos reuersi, doctrinæ eius testimonium ferunt. Simile quid in eius sepultura & resurrectione accidit, quando eius præcones & testes facti sunt milites, qui prohibere debuerant, ne à mortuus resurgeret. Sic Paulus ad vastandum ecclesias Damascum emissus, subitò mutatus & ex persecutore apostolus factus est. Et huius generis exempla in historijs multa passim occurrunt, & nunquam non impletur, quod in Psalmo secundo scribitur, Deum consilia eorum ex alto deridere, qui aduersus ipsum & vnctum eius coniurant. Vnde nos consolationis argumenta petere debemus, si hodie similis conatus multos aduersus ecclesiam conspirare audimus.

Nemo obediat illicita iubentibus.

Officij præterea exemplum hoc ministrorum nos admonet, ne vel heris priuatis vel magistratibus obediamus in ijs, quæ illicita sunt, & ad gloriam Dei opprimendam instituuntur. Semper enim firma ratáq; manere debet regula Iesu Christi: Date Cæsari quæ sunt Cæsaris, & Deo quæ sunt Dei. Et vt impiè agunt principes, si non contenti suis finibus, in Dei ditionem ius suum extendere conentur, vt vel cultum Dei verum aboleant, vel doctrinã veritatis extinguant: ita inexcusabilis est eorum leuitas, qui cùm in baptismo Christo nomẽ dederint, aduersus illum operã suam locent, quos eius hostes esse nouerunt. Viderũt hoc apostoli, qui cùm à Senatu Hierosolymitano inberentur

à docendo

à docendi officio cessare, vnanimi consensu responderunt: Oportet Deo magis obedire quàm hominibus. Et in veteri testamento obstetrices Ægyptiæ laudantur, quæ contra regis sui edictum infantes Hebræorum seruarunt. Pertinent huc quæ de Daniele & socijs eius leguntur, qui regum suorum mandatis sese constanter opposuerunt, cùm ea iuberentur, quæ salua pietate & fide, qua Deo obstricti erant, fieri non poterant. Quorũ vestigia secuti sunt Martyres, qui quæuis supplicia maluerunt subire, quàm principũ edictis & legibus cedere, quibus fidem in Christum abnegare iubebantur. Est ergo turpis & impius illorũ error, qui in fidei & religionis causa magistratibus simpliciter obediendum esse clamant, & seditiosos reipub. turbatores esse aiunt eos, qui vt Deo obtemperent, principum statuta negligunt. Faciunt quidem illi sibi blanditias, quando omnem culpam in principibus suis hæ suram arbitrantur. At multùm fallet eos hæc ratio: quia vt sua fide iustus viuet, ita sua defectione & contumacia damnationem merebuntur, qui Christum deserunt, & si cæcus cæco dux fuerit, simul ambo cadunt in foueam.

Sacerdotum responsio.

Sed accedamus ad principum responsionem, plenam arrogantiæ & iniquitatis. Primò enim contijs agunt, quibus & Christum & ministros suos proscindunt. Num & vos (aiunt) seducti estis? Seductorem ergo vocant Christum, & Emphasim habet particula, VOS, qua rei indignitatẽ exprimunt. Quasi dicerent, Tolerabile videri poterat, quòd homines plebei & rerũ imperiti doctrinis falsis se circunueniri & seduci patiuntur, quibus nihil commercij intercedit cum doctis & rerum vsu exercitatis, qui in authoritate constituti sunt. At quòd vos quoq; illos imitamini, qui nobis familiares estis, & quorum ministerio vti dignamur, id demum ferri nullo modo potest, &c. Quo loco obseruare debemus, quænam Christi & euangelij eius sors sit in hoc mundo. Seductorem vocant eum, qui ipsa est veritas, lux & via, & quem nullius erroris vnquã potuerunt conuincere. Similiter euangelij doctrina falsi accusatur, cùm ad vnum Deum nos deducat, & quidẽ ea via, quam ille in verbo suo præscripsit. Factum hoc omnibus seculis, & hoc strategemate satan vtitur, vt bonorũ quoq; animos à Christo & salutis doctrina alienos reddat. Obseruent ergo illius artes quibus sua salus cordi est, neq; calumnijs eiusmodi sese abstterreri patiantur, sed in rem ipsam diligentius inquirant.

Exemplis magnatum ueritas premitur.

Deinde exemplis quoq; vtuntur principes isti, vt sui nominis authoritate & ignobili sectatorum Christi specie ministros suos ab huius fide absterreant. Addunt enim: Num quis ex principibus credidit in eum, aut ex pharisæis? Sed turba hæc, quæ non nouit legem, execrabiles sunt. Conferunt inter se Christi sectatores & hostes: & in illorum quidem ordine imperitum vulgus collocant & homines nullius pretij, quos propter legis ignorantiã execratione dignos dicunt: inter hos verò principes numerant tam ecclesiasticos quàm politicos, & imprimis pharisæos, quorum propter singularem sanctitatis existimationem summa erat inter Iudæos authoritas. Est hæc omniũ grauissima ratio, qua euangelij hostes apud suos vti consueuerũt. Videte quæso (inquiũt) vtriusq; partis homines, & mox quid vos facere oporteat intelligetis. A nobis enim stant Imperatores, Reges, principes, Pontifices, Cardinales, Episcopi, denique quotquot in mundo aliquã sapientiæ, dignitatis & sanctimoniæ existimationem sustinent. Num hos omnes nulla suæ salutis cura teneri putatis? aut viris eruditis ita de situm putatis, vt quod verum est non intelligant? Quòd si alteros illos spectetis, Deum immortalem quam videbitis hominum colluuiem? Quos enim alios quàm sutores, cerdones, agricolas, nauas & alios huius generis homines quos natura rerum nouarum studiosos finxit, reperietis? Quibus si qui alij coniuncti sunt aliquo dignitatis titulo prædititi, ij aut apostatæ sunt perfidi, qui abiecta cuculla veneris & Veneris ergò ex claustris suis effugerunt: aut principes obærati & bonis suis exuti nobiles, qui gradum suũ se tenere non posse vident, nisi sub religionis prætextu bona aliena inuadant, & res nouas moliantur. Hæc (inquam) pleno ore hostes nostri coram imperitis tonant. Et licet in quibusdam splendidè mentiantur, & multos potentia & dignitate summa præditos astutè prætereãt, quos euangelio fauere & Christi fidos sectatores esse probè norunt: verè tamen hoc dicunt, quòd huius seculi splendore nos longè superent. Nam hoc ipsum Paulus quoq; fatetur, inter Christi sectatores ferè inueniri obscuros, ignobiles, infirmos, stultos, & qui mundi huius excrementa censeri possint. At nemínem istud offendere debet. Scimus enim hominum authoritatem in fidei & religionis causa nullam esse, nisi Dei verbo confirmetur. Et dum istorum glorioſas voces audimus, quibus nos contemptissimè abijciunt, illud Christi nobis in mentẽ veniat: Gratias ago tibi pater, domine cæli & terræ,

quòd absconderis hæc à sapientibus & intelligentibus, & reuelaris ea paruulis, &c. Neq; etiã mo-
ueamur, quando insuper successionis suæ ordinẽ & longi temporis præscriptionem in medium addu-
cunt, & eo prætextu sibi supremum ius in ecclesia vendicant. Quoad enim ista omnia, potior fuisse
Iudæorum antistitum causa, quorũ ordo à Deo institutus, ab ipso Aarone ad illos vsq; erat propaga-
tus, & annis iam amplius mille quingentis durauerat. Quin etiam lege diuina illorum authoritas
defendebatur, cùm ex populo Dei excindi iuberetur, qui summi sacerdotis sententiã spernere ande-
ret. Cæterùm conditionaliter hac authoritate illos donarat Deus, vt nimirùm ex lege sua de re qua-
uis pronunciarent, non pro suo arbitrio. Sic enim Malachias cap. 2. ait: Labia sacerdotis custodient
scientiam, & legem ex ore eius requirent. Quam conditionem cùm ipsi negligerent, vanus fuit auth-
ritatis sacerdotalis prætextus, & meritò contemni debuerunt ab omnibus: quod ipsis euenturũ esse
idem propheta prædixerat. Quantò magis igitur hoc in nostris obseruari debet, quorũ sacerdotium
& omnis dignitas non alio, quàm inani & fragili traditionum humanarum fulcro nititur?

Sacerdotes seipsos suo ore damnant.

Priusquam verò ab horum verbis discedamus, obseruari præterea debet, quàm impudẽter pro-
prio testimonio seipsos condemnent. Primò enim hoc nomine gloriantur, quòd neminẽ sui ordinis ha-
beant, qui Christo credat. Ergo laudem quærunt in scelere, & excidio digni fuerunt, qui salutis au-
thorem vnanimi consensu reiecerunt. Horum similes sunt, qui hodie incurabilem contumaciam, qua
euangelium abs se repellunt, sibi laudi ducunt, & veteres superstitiones nimis ambitiose iactitant.
Nec dubium est, quin illis quoq; hæc gloria magno constitura sit, nisi maturam agant pœnitentiam.
Interim facit hoc multùm, ad doctrinæ Christi commendationem, quòd ijs probari non potest, qui
totos pessimis affectibus dediderunt. Hinc enim patet, eam cum vitijs nihil commune habere, vnde
eam infelix mundus proscindat atq; diffamet. Deinde populum legis ignarum, & proinde execra-
tione dignum esse aiunt. Quod si verùm est, cuius quæso culpam hanc fuisse dicemus? Nonne ipso-
rum, qui populũ in legis cognitione sedulò instituere debuerant? At sublata legis doctrina nouis tra-
ditionibus miseram plebem ab ipsis circunductam fuisse scimus, quæ sectarum causa fuerunt, vt
Pharisæos, Sadducæos & Essenos scinderentur, qui vnius & eiusdẽ fidei atq; religionis cultores
debebant. Seipsos ergo accusent egregij isti antistites, dum veræ fidei & salutis doctrinam omnibus
inuisam facere volunt. Quis verò adeò stupidus est, qui non in istis nostri seculi antistitum mo-
agnoscat? Queruntur illi passim de euangelicæ doctrinæ progressu, quam nouam & seductoriũ vo-
cant: Populi item stoliditatẽ accusant, qui doctoribus nouis tam facilè fidem habeat, & relicta ma-
rum religione nouam fidei & cultus diuini formam sequatur. Et ne quid omittant, maximam hu-
mali causam in eos reijciũt, qui libros sacros nostro tempore in linguas vulgares transtulerũt. Hoc
enim factum aiunt, vt rerum sacrarum imperiti ex scripturarum lectione nouas & absurdas opi-
nes conceperint, quibus orbis Christianus in partium studia sit distractus. Neq; his contenti, diri-
uouent & solenni cum pompa excommunicant omnes eos, qui meliora edocti ab ipsorũ synagoga
cessionem fecerunt: & in posterum cauendum esse clamant, ne biblia vulgò legantur: & vt à libro
nostrorum lectione populus absterreatur. Sed liceat mihi patres Reuerendissimi, paucis vobis
agere. Si tam stolidus est populus, quàm vos illum esse dicitis, cur non vestræ vos pudet ignauiæ (
quid grauius dicam) qui illum tam turpiter hucusque neglexistis? Cur ecclesijs à vobis pastores pa-
tentibus muliones, agasones, stabularios & nequitiæ vestræ ministros præficitis? Cur sublata ve-
doctrina linguam peregrinam in sacros cœtus inuexistis? Cur laicorum libros fecistis imagi-
quas mẽdacij & erroris doctores vocat propheta? Cur vobis authoribus sub nouo Testamẽto pe-
est populi Dei conditio, quàm olim sub Mose fuerit, quando libri sacri lingua vulgari extabant,
cuiuis priuato domi suæ familiam in lege Domini licebat instituere? Cur non fidei Christianæ pri-
cipia fideliter traditis, vt horum notitia præmuniti rudiores impostorum dolis minus pateant? Cur
adhuc in populi ignorantia vestræ tyrannidis præsidiũ constituitis? Deniq; cur execramini eos, qui
quales quales sunt, vestra culpa sunt? Respondete ad ista si potestis: aut si non potestis, culpam agno-
scite, & de ea emendanda seriò cogitate. Nec enim verborũ phaleris Deus decipitur, neq; titulorum
ementito splendore terretur, quò minus in eos animaduertat, qui populum suum vel ipsi seducunt,
vel ab alijs seduci patiuntur. At nequicquam hæc illis dico, qui non minus quàm olim Iudæi ad om-
nes admonitiones obduruerunt. Ad pios ergo reuertor, quos moneo, vt in veteri hoc speculo intiqui

hoſce fidei dominatores agnoſcant, neq; vllis eorum clamoribus aut minis terreantur. Diſſipat enim illorum conſilia Dominus, vt poſtea audiemus: & licet illi maledicant, benedicet tamen ſuis Deus, maledictio autem in illorum redibit capita, qui Chriſtum omnis benedictionis authorem in verbo & membris ſuis perſequuntur.

Sed ad præſentis loci hiſtoriã redeamus, qua docetur, vt vnius hominis interceſsio iſtorũ impetũ fregerit, qui Chriſtum iam abſorpturi videbantur. Prodit enim vnus ex illorũ ordine præter omniũ expectationẽ, Nicodemus nimirũ, qui (vt tertio Cap. vidimus) noctu ad Chriſtũ venerat, & ab eo in fidei veræ principijs & humanæ redemptionis negotio probè inſtitutus fuerat: & quàmuis formidoloſior adhuc illius cauſam nondũ audeat palàm ſuſcipere, in hoc tamen incumbit, vt legũ et publicarũ iuris authoritate ſanguinaria iſtorum cõſilia interturbet. Nec enim Chriſto apertè patrocinatur, quin eius ne mentionẽ quidem facit, ſed modum agendi, quo procedebant, improbans, illos officij admonet. Quo loco aliud exemplum Dei hoſtes ſuos ludificantis proponitur. Dixerant illi, neminẽ ex principibus & phariſæis Chriſto credere. Et ecce occultus Chriſti diſcipulus eſt Nicodemus, quem et principem & phariſæum fuiſſe conſtat. Accidit hoc frequenter tyrannis & eccleſiæ hoſtibus, vt inter ſuos familiares habeant eius doctrinæ & fidei fautores atq; patronos, quam ipſi extinctã volunt. Sic Pharao, cùm de Iſraelitarum gente vel excindenda vel opprimenda & ſub imperio ſuo continenda cogitaret, illius vindicem atq; liberatorem, Moſem, in ſinu ſuo fouet, & nepotis loco educat. Sic Achab, cùm prophetas Dei omnes ad necem quæreret, Abdiam habet præfectum prætorio, qui illos in ſpeluncis abſconditos ſeruat & alit. Ita Nabuchodonozor ille Magnus, cùm veri Dei templum vna cum vrbe excidiſſet, eccleſiæ membra per omnes Orientis prouincias longè lateq; diſperſiſſet, totusq; in hoc incumberet, vt Babylonicas ſuperſtitiones ad omnes populos propagaret, ſuis interea impenſis educari & in artibus bonis inſtitui curat Danielem eiusq; ſocios, quorum ſtudio verus Dei cultus poſtea feliciter propagatus eſt &c. Eadem poſteris temporibus Romanorum Imperatorum ſors fuit. Primus eccleſiæ hoſtiles manus admouet Nero, & in Chriſti cultores crudelibus ſupplicijs graſſatur. Idem tamen inter aulicos ſuos habet verè credentes, quorũ mentionẽ Paulus facit in ſuis epiſtolis. Similiter cùm Dioclerianus & Maximianus aduerſus Chriſtũ & eccleſiã eius cõſpirauiſſent, & per omnes Romani Imperij prouincias in pios immanibus tormentis ſæuirent, non poſſunt tamen Conſtantium cum filio Cõſtantino tollere, quorum ille interea apud Britannos eccleſiã tuebatur, hic verò poſtea cultus Deorum omnes euertit, & eccleſiæ pacem dedit. Iuliano item abolitas ſuperſtitiones volenti reducere militarunt Iouinianus & Valentinianus, qui illius in Imperio ſucceſſores & veræ fidei defenſores fuerunt. Poſſem his noſtri ſeculi exempla connumerare, quæ multa & præclara vidimus, niſi ſatis nota eſſent. Diſcamus nos in hiſce omnibus Dei potentiã agnoſcere, & ex iiſdem petamus conſolationem, ſi quando omnes ſimul in eccleſiæ excidium conſpirauiſſe videntur: neq; dubitemus poſſe Deum illius patronos & vindices ex hoſtium numero ſuſcitare.

Nicodemus collegarum furorẽ ſe opponit.

Cæterum Nicodemi noſtri exemplũ paulò diligentiorẽ conſiderationẽ meretur, quæ cum primis neceſſaria eſt ijs, qui ſimiliter apertis Chriſti hoſtibus cõuerſantur, & illis inſeruiunt poſtquàm veritatis cognitione ſunt illuminati. Pleriq; enim iſtorũ exẽplo hoc turpiſsimè abuntuntur, dum fidei diſſimulationẽ, imò manifeſtam abnegationẽ huius prætextu excuſant. Qui etiam dum ſibijpſis molliter blandiuntur, ferè excuſſo numinis metu & veræ pietatis ſenſu, paulatim ad ſuperſtitiones redeunt, quibus quã apud pios fecerũt fidei veræ profeſsionẽ impiè polluunt atq; prophanant. Hi vt iſto prætexto cõmodius vtantur, Nicodemũ laudibus magnificis euehunt, & tantũnon Chriſtianũ Aiacem & fidei acerrimum protectorẽ ex eo faciunt, qui tamen in præſenti actione non hominis verè Chriſtiani, ſed tantummodo viri politici & iuſti iudicis exemplum præbuit. Quid enim pro Chriſto dicit, quod non ſimiliter in cauſa furis aut latronis vel cuiuſcũq; facinoroſi dici poſsit, ſi iudices tumultuarie potius quàm legitimè in eo damnando procedere velint? Ita ergo nobis inſpiciendus eſt Nicodemus, vt quid in illo vituperiũ, quid è cõtra laudẽ mereatur videamus. Atqui vituperio planè dignũ eſt, quòd cùm aliquẽ haberet cognitionis Chriſti guſtũ, illis tamen adhærere pergit, quos iuratos Chriſti hoſtes eſſe, & aduerſus eum dies noctesq; cõſultare ſciebat. Nota enim ſunt Dei verba, qui ſuos è medio impiorũ exire iubet, ne immundũ tangant qui ipſius vaſa ferunt. Et Chriſtus ſui nominis confeſsionem exigit, & graue minatur ſupplicium ijs, quos ſui & verborũ ſuorum pudet. Quam verò

Quid in Nicodemo laude & quid vituperio dignũ fuerit

Iſaiæ 52.

fidei suæ confessionẽ hucusq; Nicodemus edidit? Vel annon ipsum adhuc doctrinæ Christi pudet, ...
eam pro falsa & erronea exibilari patitur, & ne ministrorum quidem ingenuitate excitatur, qui ...
lam cõmendare ausi fuerant? Neq; hîc mihi quisquam obijciat, multum ex Nicodemo vtilitatis ...
Christũ & cõmunem fidei causam rediisse, cùm illius opera concilium illud cruentum dissipatum ...
Nam non ex euentu facta hominũ æstimari debent, cùm sæpe immanissimorũ scelerum euentus ...
gnum aliquod & publicum bonum pariat. Quod si fiat, non illorum authores, sed Dei bonitati ac ...
pientiã nos prædicare decet, qui vitijs quoq; nostris bene vtitur, vt ad sui nominis gloriã & malorum ...
salutẽ faciat, quod à nobis præter officiũ est factum. Ita in præsenti singulare opus Dei agnoscamus, ...
quòd frigida hæc Nicodemi actiuncula aliorũ sanguinarios conatus interturbauit. Nisi enim sua ...
manum huic negotio Deus adhibuisset, quid aliud obtinere poterat Nicodemus, quàm vt Christus ...
in Concilium productus audiretur? Quid verò hoc aliud erat, quàm veritatis causam hostium malitiæ ...
cio subijcere? Est igitur Nicodemus reprehensione dignus, neq; eius exemplũ quicquam ijs patrocinatur, ...
natur, qui cùm fidei luce aliqua donati sint, hostiũ tamẽ castra sequuntur, & vt cõmodius tuti ...
teant, superstitionibus quoq; illicitis interdum sese polluunt. Interim laude dignũ est, quod ...
tu & pudore ignobili impeditus hucusque peccauerit, non tamen consentit iniquis & impijs ...
Christi consilijs, sed occasionem captat, qua illa interturbet. Hoc itaq; in Nicodemo imitemur, ...
bus omnino discedere nõ licet, ne interea peccatis alienis communicent, aut ipsi etiam turpi dissi- ...
latione veritatis causam prodant. At si rem omnem probè expendamus, constat maiori cum peri- ...
lo coniunctum esse, aliquam inter hostes Christi de se veræ fidei suspicionẽ præbere, quàm profes- ...
fidei publicè facta ab illis discedere. Consultius ergo nihil fuerit, quàm illicò pedem referre, ...
carnis rationes audimus, idem nobis quod Petro ad prunas pontificias calefienti contingat. Pauci ...
quidem fidei & verbi sui semina inter media hostium consortia seruare Deus, vt suo tempore ...
ctum ferant, quod in Nicodemo etiam factum fuisse scimus: At quia quid de nobis futurum sit ig- ...
mus, præsenti occasione nos vti decet, ne dum Dei bonitate ad peccandum abutimur, fidem nostram ...
in periculum adducamus, & Deum tentando illius contra nos iram prouocemus.

Licet uni se Cõcilijs opponere

Admonemur præterea Nicodemi exẽplo, licere vt pauci, imò etiã vnus, se conciliorũ decretis ...
ponat, quæ iniqua esse & ad veritatis oppressionẽ tendere videt. Fecit enim hoc Nicodemus nihil ...
& maiori cũ laude fecisset, si maiori libertate fuisset vsus. Fecerũt hoc ipsum alij multi, qui sua ...
titudine laudẽ immortalẽ sibi acquisiuerunt. Elias certè ad montẽ Carmeli in publicis regni comitijs ...
nõ veritus est solus cum Baalis sacerdotibus quadringentis & quinquaginta congredi, quos rex ...
uor & authoritas tuebatur: & illius factũ miraculo cælitus edito Deus probauit. Nec multis post ...
eius exemplũ secutus Micheas, pseudoprophetis quadringẽtis sese opposuit, qui Achabo contra Syros ...
bellũ molienti fausta omnia prædicabant. Et in Ecclesiastica historia Paphnutius laudatur, quòd ...
in Nicena Synodo coniugij liberũ vsum asseruit & defendit, cùm plerique ecclesiarũ ministros ad ...
libatum adigere conarentur. Similis fuit Diui Athanasij constantia, qui cùm ex Imperatorũ libi- ...
to frequentes Synodi cogerentur, quæ Nicenum Symbolum corrumpebant aut impugnabant, om- ...
nibus tamen illis sese opposuit, & in longinquis terris exulare potius voluit, quàm impijs Concilijorum ...
decretis subscribere. Possent huius generis exempla infinita adduci, quæ nos in eum finem obseruare ...
decet, vt ea illorum insolentiæ & tyrannidi opponamus, qui hodie liberas ciuitates & populos, ...
florentissima regna, Romanensium Pontificum Concilijs subijcere conantur, & nimis insolenter ea, ...
intolerabile facinus esse existimant, si qui se illis opponunt, & verbi diuini authoritatem Concilijorum ...
decretis præferre audent. Sed de hac re alibi plura dicentur.

Nicodemus legis ignorantiã sacerdotibus exprobrat.

Nunc Nicodemi orationẽ videamus, qua argutè in ipsos retorquet crimẽ, cuius illi imperitiã ar- ...
gus insimulabãt, legis ignorantiã nimirũ. Num (inquit) lex nostra iudicat hominẽ, nisi prius audie- ...
rit ab ipso, & cognouerit quid faciat? Sensus verborũ est: Rectè quidẽ in populo maiore diuinæ legis ...
cognitionẽ desideratis, neq; inficior meritò execrabiles cẽseri, qui cùm in eius notitia possent proficere, ...
hanc tamẽ turpiter & impiè negligũt. Sed vobis etiã atq; etiam videndũ erit, ne eadẽ culpa vos ...
deprehendatur, si iudicia vestra aliter quàm lex Dei iubet instituatis. Atqui lex nostra cauſſas ...
genter cognoscere, tam paruũ quàm magnũ audire, nec aliquẽ non audita prius causa illius damnare ...
docet. Cur ergo vos Christũ damnatis, & vt mortis supplicio dignum in vincula trahere conamini, ...

cùm neq; ipsum coràm audieritis, neq; eius causam inspexeritis qua decet diligentia? Et hæc quidē de iuris administratione Nicodemus bene & satis fortiter pronunciat, quibus si fidei in Christū confessionem addidisset, & illius causam apertè defendisset, nihil in ipso desiderari amplius poterat.

Iudicū officia.

Sunt ergo eius verba probè consideranda iudicibus, vt ex ijs officij sui admoneantur. Vbi primò obseruabis quod dicit: Num lex nostra iudicat hominē? Ad legē ergo illos remittit, ne se liberā iudicandi potestatē habere arbitrentur. Videtur autē ad illud respicere, quòd scriptura iudiciū omne nō hominis alicuius, sed solius Dei esse docet. Quod si obseruent qui iudicijs præsident, se ministros modò esse intelligunt, & proinde non sua placita, sed à Deo præscripras leges sequuntur. Itaq; non legitimi magistratus, sed intolerabiles tyranni sunt, qui sibi omne ius ita vendicāt, vt non vereantur dicere: Sic volo, sic iubeo, sit pro ratione voluntas. Cæterùm vt secundùm leges pronunciare possit iudex, pars vtraq; audiatur oportet. Vehemēter enim peccant, qui accusatores auribus arrectis & patentibus audiunt, deinde verò suspicionibus et præiudicijs præoccupati, reos audire dedignātur: quo typo olim Apelles iudicē iniquū & calūniatoribus nimis addictū artificiosè vltus est. Et merito cōmendatur Alexādri Magni apophthegma, qui cùm in iudicio alterā aurē obturasset, se illā reo liberam seruare aiebat. Nec tamē obiter audiuisse sufficit, sed res ipsas diligenter inspicere, circūstantias oēs cōsiderare, et ita causas expēdere oportet. Est ergo in iudicijs pernicioſa admodū festinatio, qua multi sententias præcipitāt, & cùm maximè possent, tamē causas cognoscere nolunt. Sequatur autē causārū cognitionē sententia quæ legū authoritate nitatur, & quæ cuiq; quod suū est reddat. Hæc qui nō ocitanter obseruāt, ij in iudicijs publicis nō facilè aberrabūt, & simul laudē merebūtur nō vulgarē.

Sacerdotes Nicodemum conuitijs excipiunt

Quid autem Nicodemo hæc dicenti respondent reliqui principes? Num crimen sibi obiectum diluunt? aut facti sui ratione reddunt? Nihil minus, sed amicè monentem cōuitio excipiunt. Num & tu Galilæus es? Ita verò vocabant Christi sectatores, adeoq; ipsum Christū, vt propter publicā eius gētis infamiā omnibus suspectus et inuisus fieret. Et videtur ab his suæ petulantiæ exemplū mutuatus esse Iulianus apostata, qui simili proteruia Christū solebat Galilæū dicere, quē tamen postea contō vulneratus victorē fateri cogebatur. Est autē hoc magnū innocentiæ Christi et sectatorū eius testimoniū, quòd non alia eis exprobrare possunt virulentissimi hostes, quàm quæ nullo cū scelere coniuncta sunt, & ipsorū potius iniquitatē produnt, quàm vt pijs aliquā dignam infamiæ notā inurant. Ne tamen isti sine ratione Galilæos diffamare videantur, argumentū proferunt eiusmodi: Nullus vnquā ex Galilæa propheta prodijt: ergo Christus hīc, cùm Galilæus sit, propheta haberi non debet. Et vt efficacius argumententur, ipsum Nicodemū quasi testem sistunt. Scrutare (inquiunt) & vide, quòd à Galilæa propheta nō surrexit. Est tamen argumentū nimis ridiculū, vt mirum sit homines eruditos et exercitatos tam pueriliter hallucinari potuisse. Nam vt verū planè sit antecedens, num inde sequetur, Deum suam gratiā Galilæis ita negauisse, vt ne in posterū quoq; propheta aliquis ex illis prodire possit? Sed eiusmodi rationibus nitantur oportet, qui veritatē expugnare volūt, qua nihil magis inuictū est. Imò quia hæc seipsam tuetur, hoc vnum reliquū fit hostibus, vt conuitijs & ex vulgo corrasis suspicionibus illā imperitis rerū inuisam reddant. Ita hodie euangelij hostes odioſè nimis gentiū vitia aut veteres gentiū inimicitias cōmemorant & inuisis nominibus suspectos faciūt, quos nullius criminis possunt cōuincere. Sunt hi principū & pharisæorū istorum socij, nec dubium est quin in ipsum Deum peccent, qui in illos quoq; grauiter animaduertet. Si enim Solomone teste, qui pauperi illudit, factorē eius probro afficit: quanto magis, qui patriā & gentem alicui odioſē exprobrant, in ipsum Deum delinquunt, quem omniū gentium creatorem & Dominum esse constat? At hīc simul obseruabis, Nicodemū, etsi fidem in Christū egregiè dissimulauerit, non potuisse tamen collegarum suorum odium atq; conuitia virulenta effugere. Est enim tam impotens apud impios veritatis odium, vt ne minimam quidem pietatis veræ speciem ferre possint. Quò fit, vt ferè ob res nullius momenti in periculum veniant, qui pro Christi causa & publica salute nihil audendum esse putauerunt. Exempla eius generis hodie passim occurrunt, quæ docent, pacem veram & solidam ab ijs sperari non posse, qui veritatis odium semel animis suis conceperunt, & illud fouere pergunt. Quare tutissimum fuerit, in vnum Deum respicere, & veritati ingenuè atq; fortiter patrocinari.

Finis Concilij ridiculus.

Restat totius negotij finis quē paucis verbis Ioānes exponit. Profectus est quisq; in domū suam. Itaq; vnius hominis medij & dissimulatoris inexpectata oratio totius Cōcilij sanguinarios conatus

turbauit, vt post mutuas altercationes re infecta domũ redeant, qui Christũ simul cum doctrina
vno impetu expugnaturi videbãtur. Elucet in hoc admirabilis Christi potentia, qua hostiũ rabi
occultè coercuit, imò eos excæcauit, vt tam leui occasione inter se mutuò cõmitterẽtur, qui ad ipsum
opprimendũ conuenerant. Et sanè si hostiũ potentiam, authoritatẽ & dignitatẽ cum Christi infirma
& ignobili specie conferas, diuinæ virtutis hoc opus fuisse patebit. Docet autẽ locus hic, quis fere ex
tus sit Conciliorũ, quæ aduersus Christũ & doctrinã eius congregantur. Ludificantur ferè à Domi
no, vt vbi verba quædã inter se cõmutarunt, vel iniurijs mutuis offensi, vel hostiũ aduentu terri
vel pestis obrepentis metu perculsi dilabantur, qui sibi certã de Christo & ecclesia eius victoriã pro
mittebant. Factũ hoc olim non semel, vt veterum Conciliorũ historiæ testantur, & multa huius ge
neris à tempore restituti euãgelij per annos circiter quadraginta vidimus. Quòd si quid impij pro
mittit Deus, hoc ad ecclesiæ castigationẽ & emendationẽ facit, quæ alioqui otio nimio torperet & vi
tijs varijs infici consueuit. Finis autẽ periculorũ felix & lætus est, & his qui Deũ diligunt (vt Pa
lus aiebat) omnia cooperantur in bonũ. Simus ergo fortes in Iesu Christo, qui suis nunquam deer
quos pretioso sanguine suo redemptos pro peculio suo, imò pro fratribus & regni sui cælestis cohære
bus agnoscit. Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

CAPVT VIII.

HOMILIA LXVI.

IEsus autem profectus est in montẽ oliuarum. Et diluculò rursus ad-
fuit in templo, & totus populus uenit ad eũ, & sedens docebat eos.

DOMINVS et seruator noster Iesus Christus in præcedenti Cap. summã suæ doctrinæ pro
posuit, qua omnibus veram & æternã salutem sitientibus fontẽ gratiæ Dei & ipsius vi
in se vno monstrat. Est hæc promissio admodum præclara atq; liberalis, cum qua si Chri
stum quoad speciem eius externam conferas, ex eo vix tale quid sperari potest. Ideò eam exemplis
plurimis cõfirmauit semper, & in præsenti habemus quæ ad eius confirmationem faciunt. Descri
enim Ioannes prima huius Cap. parte duo Christi facta, quorũ alterum publicum, alterũ priuatum
dici potest: ex quibus luculenter apparet, ipsum fontem salutis vberrimum esse, qui incomparabili li
beralitate nobis omnia ea propinat, quæ ad vitam veram consequendam necessaria sunt.

Studiũ Christi erga salutem populi.

Et primò quidẽ assiduum eius studiũ exponit, quo publicè in populo instituendo vsus est, quem
rerum diuinarũ ignorantia & sectarũ diuersitas miserè disperserat, vt instar ouiũ essent, qua pa
rem nullũ habent, sicuti Matth. cap. 9. annotauit. Itaq; nocte quidẽ, seu potius sub vesperã in mon
oliuarũ Christus exit, partim vt loco cõmodo precibus vacare possit, partim verò quòd in vrbe
grata & sanguinaria hospitiũ tutum non haberet. Diluculo autẽ in vrbẽ redit, & ad se confluentem
populũ in templo publicè docet. Est exemplũ hoc multa & diligenti consideratione dignũ, eò quod no
stræ institutioni multiuariàm seruit. Primùm verò obseruabimus, quòd cùm Concilio aduersus

Periculis erepti non otientur.

ipsum congregato non sine magna hostiũ suorum confusione finis impositus, et proinde imminentis
eo periculi metus sublatus esset, non tamen ignauo otio se dedit Christus, neq; discipulos suos in pos
rum securos esse iubet, sed dies noctesq; suo officio inuigilat, & nocturnũ quidẽ tempus ad monẽ
uarum in precibus, diem verò in populo instituendo consumit. Imitemur nos hoc exemplũ, ne peric
lis exempti otiũ sectemur, aut securi nimis voluptatibus illicitis nos addicamus: sed nostræ condi
nis memores assiduis precibus gratiã Dei imploremus, ne ab illo cõcessa pax nobis damnosa aut ex
tialis fiat: singuli item à Deo cõmissum munus fideliter obire studeant, vt huius rationẽ illi aliqua
do possint reddere. Peccatur in hoc plurimùm hodie, & hæc mihi non postrema malorũ nostri sec
causa esse videtur: quòd vt periculis vndiq; feruentibus nimiùm diffidentes sumus, & impatien
murmure Deo obstrepimus: ita si quando ille hostiũ consilia turbat, & pacẽ, quam vix sperare au
bamus, restituit, mox in effrenem licentiã effundimur, & nouis quotidie sceleribus Dei iram prouo
camus. Quid ergo Dei rigorẽ miramur, qui aut plagis assiduis nos mulctat, aut interdum recon
tus subitò irascitur, & nouis plagis suam seueritatem declarat? Christũ sequamur, & magis sali
fauore Dei fruemur.

Præter

Præterea finem & scopum obseruemus, quem in hoc suo studio Christus sibi propositum habuit. Fuit hic salus populi, adeoq; omnium hominũ, quos erroribus plurimis et perniciosis satan hucusq; dementauerat. Neq; enim sibi ipsi vigilauit aut laborauit Dei filius, cuius gloria & regnũ æternũ est, nec vllis hominum præsidijs opus habet. Sed vt propter nos in mundum venit et homo factus est, ita propter nos in docẽdo, precando, & factis miraculosis tam fuit assiduus. Cuius studij atq; sedulitatis consideratio dulcissimam consolationem affert in tentationibus, & fidem nostram mirificè fulcit, ne de salute nostra dubitemus, quam illi adeò cordi fuisse constat, vt tempus omne sibi perijsse putarit, quod non totum nobis impendit. Eadem omnis loci & ordinis homines sui officij admonet, ne in sua vocatione ipsos alicuius laboris aut temporis pigeat, siue pœniteat. In hoc ergo exemplum intenti sint ecclesiarum ministri, neq; vllam de ecclesijs bene merendi occasionem intermittant. Excitet illos gregis fidei cõmissi dignitas. Quia enim hunc filij sui sanguine redemptum Deus oculi sui pupilla charioremhabet (vt Zacharias olim monuit) idem sine scelere negligi non potest, & graues haud dubiè pœnas dabunt, quicunque talenta sua turpi segnitie defodiunt. Quòd si hoc minus curant, saltem de periculo cogitent, quod ecclesijs semper imminet. Nec enim dormitat satan, communis gloriæ Dei & humanæ salutis hostis: sed instar leonis rugientis obambulans subinde quærit quem deuoret. Cui nisi resistant ministri, quos in domo sua speculatores fecit Deus, proditores & pessimæ fidei serui esse iudicabuntur. Quæ ratio est, quòd Christus tales dissecandos ait, quam pœnam antiquitus de proditoribus sumptam fuisse ex historijs constat. Quod verò istis dicitur, hoc ipsum principes & politici viri ad se quoque pertinere putent. Hos enim ecclesiæ suæ nutritios & tutores Deus constituit. Sua ergo authoritate ministros tueantur & adiuuẽt: neq; illos huius patrocinij pudeat, quo nullum pulchrius & gloriosius ab homine suscipi potest. Industrios autem & sedulos faciat, quòd nullam diligentiam in hoc munere nimiam vel superuacaneam esse vident. Adeò enim procliue ad errores & vitia est humanum ingenium, vt subitò deuient & exorbitent, qui vix toto seculo à veritatis & virtutis tramite abduci posse videbantur. Et vt terra, quàmuis probè colatur, subinde tamen spinas, vrticas, tribulos & alia huius generis profert: Ita in populo sponte succrescunt quæ paulò ante eradicata fuerunt, & subitò collabuntur, quæ ita constituta sunt, vt à nemine labefactari posse putes: sicuti repentinæ ecclesiarum & reipub. mutationes docent. Similiter patresfamiliâs & qui horum vices gerunt, sibi quoq; Christi exemplum imitandum proponant, vt liberos suos & domesticos omnes in veri Dei & præceptorũ eius cognitione instituant, & ad obedientiã sanctam eos assuefaciant, quos corruptæ naturæ ductu ad vitia pronos abripi vident. Nec graue sit omnibus istis pro aliorũ salute excubare & laborare, aut etiã laborẽ inanẽ suscipere. Fecit enim hoc ipsum Dei filius, quẽ nobis inseruire non puduit, & qui vitam pro nobis fundere dignatus est, cùm saluti nostræ aliter cõsuli non posset. Nec manus cenſeri debet labor, qui Deũ remuneratorẽ habet, et quo animas nostras (si omnia alia fallãt) ab interitu liberabimus, quemadmodũ Ezechieli Dominus pollicetur. Potuit olim Decios, Curtios, Scæuolas et alios horũ similes patriæ amor, vel etiã priuatæ gloriæ studium extimulare, vt pro publica salute capita sua deuouerent. Nimis ergo ignaui & nulla venia digni erimus, si Dei Opt. Max. mandata & promissiones amplissimæ minus authoritatis apud nos habuerint. Ne tamẽ in aliorum salutẽ intenti, propriã negligamus, singuli priuatim sibijpsis quoq; prospiciant, ne vel prauis affectibus vel satanæ dolis atq; illecebris se ab officio suo & salutis via auocari patiantur. Vbi multùm proderit, si otium fugiant, pestẽ nocentissimã, & ad laborẽ aliquẽ honestum animũ suum appellant. Ita enim minus apud illos poterit satan, qui otiosis & nihil agentibus mirificè obrepit, & præter spẽ illos transuersos abripit. Accedant labori & occupationibus honestis assiduæ preces, quibus Dei opem & gratiã postulemus, sine qua neq; ecclesiarum & verbi ministri neq; reipub. gubernatores, neq; patresfamiliâs suo studio quicquã proficient. Vide 1. Cor. 3. Psal. 127. Hæc si ad nostri seculi mores transferamus, summa corruptio & horribilis tam publicæ quàm priuatæ salutis contemptus deprehendetur apud omnes homines, qui ferè præsentibus modò bonis & suæ carnis studijs intenti, cœlum & inferos facilè negligunt vnà cum omnibus ijs, quæ ad salutem veram sunt necessaria. Nisi ergo Deus manum suam admouerit, quid aliud quàm extremam perditionem expectabimus?

Finis & scopus Christi.

Postremò hac parte populus quoq; obseruari debet, qui diluculo ad Christũ in templo conuenisse dicitur, nimirum vt docentem audiret. Agnouerunt ergo dispersæ illæ oues Israelis pastorẽ suũ, cuius

Populus ad Christum conuenit.

fides & bonitas hoc ipso cõmendatur, quòd ad illum veniunt, quos fames & sitis verbi diu extra-
rat, & ille ad se venientes benignè excipit & pascit. Ad hunc ergo typum seipsos examinent pa-
nati Episcopi, quales nobis Roma creat, qui oues suo fastu absterrent, et pastoritium munus ita
gligunt, vt dominium quidẽ illorum graue & superbum omnes sentiant, eosdem verò pro pastori
agnoscere non possint, quos nihil tale vnquã fecisse viderunt. Confluit quidẽ ad illorum pom
lidum vulgus, non autẽ vt aliquid ex illis audiat, sed vt inani spectaculo oculos pascat. Itaq;
illis suspicit & miratur, quàm quod in suis tyrannis gentes barbaræ admirari solent. Vi
cam de ijs, in quorum apparatu lupinam rabiem oues agnoscunt, & hac visa trepidant &
Quales me olim in Anglia vidisse memini, ad quorum conspectum viri nobiles & opulenti
ne illi ipsis visis luporum instar in rabiem accenderentur, & de illis capiendis atq; occidendis
inirent. Et huius generis multos hodie habet orbis Christianus, ad quos nemo sponte venit, nisi
aut superstitio dementat, aut commodi priuati spes allicit. At talis minimè fuit Christus,
cunq; iter fecit aut vbicũq; substitit, ingentes omnium greges attraxit, cùm præter verbi
nam & miracula, quibus hanc confirmabat, nihil haberet, quod illos posset allicere.

Ecclesiæ Christi primitiæ.

Non temere autem nullam hoc loco principum aut sacerdotum et scribarum mentionẽ
uangelista, sed solius populi, quem ad audiendum Christi doctrinã conuenisse ait. Quod
queq; est facilitatũ. Ergo ecclesiæ Christi primitiæ fuerunt homines plebei & nullius
hoc mundo, qui neminem nisi diuitijs & potentia illustrem reuereri solet. Et quod initiò
hoc posteris quoq; temporibus similiter factum fuisse constat. Apostolus enim 1. Cor. 1. scribit,
tis vocationem vestram fratres, quòd non multi sapientes secundùm carnem, non multi
multi nobiles: verùm quæ stulta sunt in mundo, elegit Deus, vt pudefaciat sapientes, &c.
euangelij doctrinam ferè recipiunt, qui propter conditionem suam vilem & obscuram à
temnuntur. Non tamen hoc ita accipi debet, quasi diuites & potentes seu magnates omnes
simpliciter excludat à regni sui cõsortio. Quia enim omnes ad se vocat, qui laborant &
omnes item qui iustitiã & regnum Dei esuriunt atq; sitiunt, neminẽ quantùmuis opulentum
strem reijcit, qui in hac sua cõditione peccatum suum & naturæ suæ corruptionẽ agnoscit,
pondere gemit & ad cœlestis vitæ beatitudinẽ aspirat. Exẽpla horũ in Abrahamo, Mose, Dauid,
Zachæo, Lazaro Bethaniẽsi, Iosepho Arimathæo, Nicodemo, Paulo Sergio, & innumeris
bentur, qui cùm opibus abundarent, & honoribus publicis ornati essent, Deo tamen grati
runt. At tamen quia tales plura habent salutis impedimenta, et vel ipsi sibi delicias faciunt,
latorũ suorũ blanditijs dementantur, vt se à cõmuni hominũ sorte exemptos & quasi
existiment, ferè fit, vt illos egeni & obscuri homines anteuertãt, quibus multò facilius
vt se miseros esse, & gratia Dei singulari opus habere intelligant. Adde his, quòd cùm
huius seculi honoribus inebriati ad ecclesiã accedunt, ferè secum licentiã morũ inuehunt, &
emplo disciplinã ecclesiasticã labefactant: vel reliquos omnes inani externorum præsidiorum
implent, & securos nimiùm faciunt eos, qui prius perpetuò in excubijs stabãt, & vt Paulus
salutẽ suam cum timore & tremore operabantur. Et hæc quidẽ verissimè dicti, historiæ
D. Augustinus certè de sui seculi hominibus queritur his verbis: Vnde existunt in ecclesia
gemimus, nisi cùm tantæ multitudini obsisti non potest, quæ ad submergendã propemodum
mirat cùm moribus suis à sanctorũ itinere penitus alienis? Tract. in Ioan. 22. Quod autẽ
ritur, hoc nos hodie non vno in loco experti sumus. Neminẽ ergo ignobilis & rudis vulgi
cõcursus offendat, sed in eo Dei bonitatẽ exosculentur: caueant autẽ oẽs, ne diuitum et
cessio vel licentiã peccandi vel securam confidentiã, duas nocentissimas pestes, in ecclesiam

Populi studium & feruor.

Cæterùm cùm Christi bonitate & diligentia populi quoq; feruor considerari debet, quẽ
fuisse apparebit, si rem penitius inspicias. Primò enim magna erat principũ authoritas &
quos simul omnes aduersus Christũ conspirauisse, & iam aliquoties sanguinaria consilia
poterant ignorare. Præterea ridiculum videri poterat, relictis Rabbinis (quos titulorum
cius splendor, publica ecclesiæ authoritas, perpetua Leuitici ordinis successio, vestitus & habitus
terni splendor cõmendabat) ad Christi pedes sedere, quem plerique fabri filium putabant, &
ter pauculos piscatores ex Galilæa secum adductos, ferè nullos alios discipulos habebat. At

rum istos mouet, quò minus ad illum cõfluant: & quidem summo mane in templo comparent, vt ex illo doctrinam salutis æternæ audiant. Est hoc magni studij argumentum, & illorum exemplo nostra ignauia arguitur, qua in Christum grauissimè peccatur. Fuerũt quidem apud nos quoq; feruida admodũ renascentis euangelij initia, & plerosq; ab illo audiendo neq; metus neq; pudor neq; vlla magnatum reuerentia absterrere potuit. At hodie ignauus, vel potius detestabilis languor omniũ ferè mentes occupat: qui vt ad omne bonum segnes reddit, ita ingeniosissimos facit in confingendis argumentis, quibus ingratitudinem nostram excusemus. Alij enim principum suorum minis se impediri aiunt, alij temporis importunitatem prætexunt, alij loci & itineris longioris difficultatẽ accusant, alij negotia priuata cõmemorant: multi in ministris omnia nimis curiosè obseruando in singulis inuenunt, quod desiderent. Omnium verò hic vnus finis & scopus est, vt impium euangelicæ doctrinæ fastidium excusent, quam plerique ita oderunt, vt se felices & beatos fore arbitrentur, si qua occasione ad sordes papisticas redire possint. At ô miseri superuacanea est hæc cogitatio. Nec enim raptore aliquo opus erit, qui euangelium violenter vobis auferat, sed ex remissis manibus illud sponte excidet, vt hoc sublato iram suam iustam aduersus vos exerat Deus, qui nullo scelere magis quàm gratiæ & verbi sui contemptu offenditur. Neq; desunt exẽpla cùm vetera tum recentia, quæ nos officij nostri admonere poterant, nisi toti obduruissemus. Itaq; excusso hoc veterno pestilentissimo, istos imitemur, & non frustrabitur nos Christus Dominus, qui neminem ad se venientem foras eijcit, sicuti nuper Cap. 6. audiuimus. Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.

HOMILIA LXVII.

Adducunt autem ad eum scribę & pharisæi mulierem in adulterio deprehensam: & cùm statuissent eam in medio dicũt ei: Magister: hæc mulier deprehensa est in ipso facto adultera. In lege autem Moses mandauit nobis, ut huiusmodi lapidentur. Tu ergo quid dicis? Hoc autem dicebant tentantes eum, ut possent eum accusare.

MVltis quidem argumentis suam bonitatem & meriti sui gratiam Iesus Christus nobis commendat. At quia in tentationibus difficile est certã & inconcussam salutis fiduciam animo concipere, doctrinam suam exemplis quoq; multis & euidentibus confirmat. Et in prima quidẽ huius Cap. parte Ioannes duo proponit, in quorum primo vidimus, qua fide & diligentia publicam totius populi curam susceperit, nec quicquam eorum omiserit, quæ ad huius salutem necessaria erant. Sequitur alterum, quo priuatim mulieri in adulterio deprehensæ opem tulit, & ex mortis periculo liberatam amicè instituit atq; consolatus est. Cuius historia ad confirmandam doctrinam gratiæ plurimum facit. Docet enim nullum peccati genus tam atrox & graue esse, quod non expiet ille & condonet, si ad illum nos adduci patiamur. Itaq; diligentem considerationem meretur. Quia enim satan Iesum Christum seruatorem esse negare non potest, hoc tamen strategemate fidem nostram ferè oppugnat, quòd nos à communi peccatorum numero eximit, vt nos omnibus alijs sceleratiores, & proinde indignos esse persuadeat, quibus Christi meritum & Dei gratia cõmunicetur. Quapropter non pauca in publicis flagitijs infames diuinæ bonitatis exempla scripturæ nobis proponunt, vt eorũ consideratione aduersus diaboli & propriæ conscientiæ insultus confirmemur. Et vt ea nunc prætereamus, quæ in veteris Testamenti libris cõmemorantur, huc referri debet, quòd publicanos ad pœnitentiam vocauit Christus, quòd ad Zachæum principem publicanorum diuertit, quòd ex eorum ordine Matthæum in apostolorum chorum cooptauit, quòd Samaritidem diligenti institutione ex diaboli laqueis asseruit, quòd peccatrici peccata sua deflenti remissionem illorum gratuitam promisit, quòd latronem iam moriturum in cruce paradisi promissione consolatus est, quòd Petrum abnegatorem in suam dignitatem restituit, quòd Paulum ecclesiæ persecutorẽ truculentissimum conuertit, quòd denig; per euangelij prædicationẽ salutem gratuitam Hierosolymitanis prædicari voluit, qui indignæ suæ mortis præcipui authores fuerant. Quibus præsens hoc nõ immeritò adnumerari debet, quo capitali supplicio dignam à sceleris reatu simul & mortis periculo liberauit. At quia præter hoc

Historiæ istius vsus.

multa etiam alia continet, quorum cognitio vtilis & necessaria est, omnes eius partes euang[elista] describit.

Occasio totius negotij.

Orditur autem à facti totius occasione, quam scribæ & pharisæi Christo præbuerunt. Illo enim in templo docente, importuni irrumpunt, & mulierem in ipso facto adulterij deprehensam adducũt, & ipsius de illa sententiam requirunt. Cum enim eam in medium statuissent, quò magis in huius consideratione omnes excitarentur, dicunt ei: Magister, hæc mulier deprehensa est in ipso facto adultera: In lege autem Moses mandauit nobis, vt huiusmodi lapidentur. Tu ergo quid dicis? Hæc quidem dicendo veritatis & iustitiæ studium simulant, interim verò insidiose illum tentant, vt quæstione hac irretitum vel in periculũ manifestum adducant, vel populo inuisum reddant. Si enim illam lapidibus obruere iubeat, & suam legi authoritatem vendicet, crudelis & sanguinarius vocabitur, imò sibijpsi contrarius, qui se venisse dixerat vt peccatores vocet ad pœnitentiã. Itaq; clementiæ & mansuetudinis laudem amittet, & gratiæ prædicationem proprio exemplo euertet, quæ potius imprimis trahebatur, & quæ sacerdotibus molestissima erat, eò quòd satisfactiones legales destrueret, ex quibus illi quæstum maximum faciebant. Sed neq; Messias esse amplius à quoquam diceretur quem captiuos & vinctos liberaturum esse prophetæ olim prædixerant. Notus est enim locus Esaiæ quẽ in schola Nazarethana de se ipso interpretatus erat: Spiritus Domini Dei super me est, eo quòd vnxit me Dominus & misit me, vt lætæ nunciẽ pauperibus, vt obligem vulnera corde contrito, vt proclamem captiuis libertatem, vinctis apertionem, &c. Quòd si verò adulteram absoluat Christus, mox illum diuinæ legis authoritatem abrogare, nec Mosi modò, sed ipsi Deo contrarium esse iudicabunt, qui adulteris pœnam capitis statuerit. Sed & plenis velis aduersus gratiæ doctrinam ferentur, vt quæ sublatis legum repagulis & omni pœnarũ metu extincto flagitijs & sceleribus patefiram aperiat: In quo argumento hodie etiam dicendo plurimùm possunt, qui euangelij lucem extinctam volunt. Præterea reipub. turbatorẽ dicere possunt, qui priuata authoritate leges publicas violat, & morte dignos absoluat. Hæc omnia illi pro sua astutia excogitare potuerunt, vt plane videtur, illis in cognoscenda veritate non ingenium, sed voluntatem defuisse: quod ipsum in nostris aduersarijs hodie apparet, qui cùm aliquando ignorantiam prætexant, in oppugnanda tamen veritate calliditate & astutia vtuntur, vt satis constet, illos plus scire, quam saluti ipsorum conducat.

Incurabilis sacerdotum & pharisæorum pertinacia.

Hic verò nobis obseruanda venit inuicta & incurabilis horum pertinacia, qua in Christo prosequendo vsi sunt. Multa enim erant, quibus moueri poterant, si animos suos ad seriam veritatis cognitionem voluissent appellere. Inter quæ locum primum habebant miracula, quæ nemo negare, aliqua probabili ratione reprehendere poterat. Sed & in doctrina eius singularis gratia & sancti virtus elucebat, quam ipsorum ministri agnoscere potuerant, & de illa testimonium tam luculentum vt nuper in fine Cap. 7. audiuimus. Accesserat his Nicodemi authoritas, quem illa suspectũ fuisse, ex eodem loco apparet. Debebat præterea illos terrere ridiculus Cõcilij exitus, qui aduersus illum fuerat congregatum. Adhæc populi studio ipsos excitari conueniebat, vt cautiores omnem propius inspicerent, nec temere damnarent quod multis non omnino obesæ naris prodebant. At nullis rationibus isti mouentur: imò dum populus salutis studio inflammatus ad illum confluit & docentẽ audit, illi insidias struunt, neq; illos pudet cœtum sacrum suo importuno adu & sanguinario conatu interturbare. Causas tã impudentis pertinaciæ alibi Christus exposuit, nimirum sub religionis prætextu priuatum commodum & gloriam quærebant, & salute populi cile negligebant, modò suis rebus consulerent. Horum similes hodie multos videmus, qui in euangelij prædicatione diuinam Iesu Christi virtutem manifestè sentiant, & consiliorum suorum ces exitus quotidie experiantur, pergunt tamen in suo instituto, & suis viribus æterna Dei expugnare conantur. Sed quod Iudæorum principibus accidit, hoc illi quoq; sentient, quando rum & impietatis suæ accerimum vindicem habebunt, quem seruatorem suum agnoscere

Christum tentaturi seipsos produnt.

At inter ista consolationis plenum est, quòd isti quàmuis astutissimè consilia sua instituant, tamen aliter agere possunt, quin suam nequitiam egregiè prodant. Primò enim mulierculam cunt, & de supplicio quod meruerit illa, interrogant. Cur verò hanc solam comprehenderunt, cum ea mœchum quoq; non in ipso facto deprehensum esse dicant? Peccarunt ergo personarum tu, & quod Anacharsis Scytha de legibus dicebat, inter Iudæorum quoq; proceres iam obtinuit,

vt nimirum telarum araneæ similes, muscas quidem & culices irretirent, crabronibus autem essent peruiæ. Solet hoc ferè passim fieri in legum executione, vt secundùm poetæ dictum,

Det veniam coruis, vexet censura columbas.

Et hoc in legibus de stupris & adulterijs cumprimis locum habet. Si quis enim è vulgo diuitis & generosi viri filiæ vitium offerat, quouis supplicio dignus putabitur, cùm interim ditiorum & nobilium filij virginum & puellarũ pauperũ pudicitiæ impunè insidientur. Ita nobilis aut opulenti viri vxorem polluere immane scelus censetur, tenuiorum verò hominum toros violare plerisq; lusus & iocus est. Similiter marito vxorem in adulterio deprehensam occidere licet, at si idem in vxoris conspectum scorta adducat & insatiabili libidine palàm æstuet, nemo illum pœna dignũ dixerit. Est hoc summæ corruptionis argumentum, qua tunc quoq; Iudæorum gentẽ laborauisse, præsens hoc factum abunde docet. Deinde magistrum vocant, vt honorifici tituli appellatione illum sibi demereantur, cuius doctrinam non modò deridebant, verumetiam hostiliter oppugnabant. Aut ergo iniquè oderũt illum, aut turpi adulatione ei blandiuntur qui odio dignus erat. Præterea Mosis legem allegant, qui adulteros lapidibus obrui iusserit. Cur ergo quid cum ista fieri debeat quærunt, cùm Mosis discipulos se esse publicè profiterentur? Vel quid opus erat Christi sententiam inquirere, qui palàm testabatur, se non venisse vt legem dissolueret, sed potius impleret? qui denique sua interpretatione legem de adulterio adeò non abrogarat, vt etiam arctiorẽ & seueriorem fecerit, quando non stuprum modò, verumetiam concupiscentiam malam & lasciuum alienæ fœminæ aspectum ea prohiberi docet? Dum ergo illum astutè tentant, & suis dolis circunuenire conantur, seipsos produnt, quòd calumniatores sint improbi, & legem Dei non magni faciant, vt ut ea magnificè glorientur. Et ita solent, qui veritatis odio fascinati simul bonas quoq; leges abolitas & extinctas volunt. Hinc sceleribus patrocinari videantur, quæstiones mouent mirificas, & casus fingunt intricatissimos, quorum omnium hic finis & scopus est, vt sceleribus fenestrã aperiant, & leges omnes è medio tollant, aut saltẽ illarum executionem impediant, quam si sustuleris, mortuis similes, ad publicæ honestatis defensionem nõ magis vtiles sunt, quàm canis mortuus ad venandũ. Fit istud hodie in multis articulis tam in religione quàm in politicis rebus, imprimis autem in adulterijs, quorum licentia cùm hodie multis in locis ad extremum vsq; peruenerit, loci istius occasione de illis omnino aliquid dicendum erit.

Adulterium est viri aut mulieris cum coniuge alterius cõmixtio. Vnde nonnulli vocem hanc à particula AD & nomine ALTER compositam dixerunt, eò quòd vel vir ad alteram mulierem, vel hæc ad alterum virum accedat. Germani huic sceleri proprijssimum nomen dederũt à fractione, quia per hoc frangitur aut dissoluitur vinculũ, quo cõiuges inter se mutuò deuincti & obstricti sunt. Est autem probè tenenda hæc definitio, vt intelligamus, adulterium non modò à mulieribus maritatis committi, verumetiam à viris, si ad alias mulieres accesserint. Errant enim in hoc multi, qui cùm adulteria in vxoribus seuerissimè reprehendant, & (vt reuera sunt) intolerabilia putent, in se ipsis tamen culpam non agnoscunt vllam, si cõtempto & abrupto coniugij vinculo promiscua & vaga libidine cum quibusuis misceantur. Sed confutatur illorum error per mutuum sacri coniugij ius, quod vtriq; coniugi Deus commune & par esse voluit. Quia enim eodem vinculo tam vir quàm mulier tenentur, & neq; hæc neq; ille sui corporis potestatem habet, adulterium sit oportet, si vel maritus vel vxor alteri sese miscuerit. Rectè igitur à D. Ambrosio scriptum est: Nemo sibi blandiatur de legibus hominum. Omne stuprum adulterium est, nec viro licet, quod mulieri non licet. Eadem à viro, quæ ab vxore debetur castimonia. Quicquid in eam, quæ non sit legitima vxor, cõmissum fuerit, adulterij damnatur crimine, &c. Nam etsi propter alienæ sobolis suppositionem & hæreditatis translationem ad alios, & plures alias eiusmodi circunstantias grauior sit vxoris adulteræ culpa, quoad tamen ipsum adulterij factum, vtring; peccatur, & pœnã vtrisq; Deus constituit, vt suo loco dicetur. Disputat de hoc grauiter D. Augustinus lib. 2. de Adulterinis coniugijs cap. 8. contra eos, qui virili sexui iniuriã fieri putant, si in luendis pœnis mulieribus comparentur, & ideo sibi plus licere dicunt, quia viri sint. Quasi (inquit) non propterea magis debeant illicitas concupiscentias viriliter frænare, quia viri sunt: quasi non propterea magis debeant mulieribus suis ad virtutis huius exemplum se prebere, quia viri sunt: quasi non propterea minus debeant libidine superari, quia viri sunt: quasi non propterea minus debeant lasciuienti carni seruire, quia viri sunt. Et tamẽ indignan-

Adulterium quid? Ecb. huc.

tur, si audiant adulteros viros pendere similes adulteris fœminis pœnas, cùm tantò grauius eos p
niri oportuerit, quantò magis ad eos pertinet & virtute vincere, & exemplo regere fœminas, q
Et paulò post Antonij Imperatoris legem adducit, qua maritus vxorem de adulterio accusare
simitur, cui moribus suis non præbuit castitatis exemplum. Quibus cõsentit omnino D. Hier
qui ad Oceanũ in epitaphio Fabiolæ scribit: Quicquid viris iubetur, hoc consequenter red
fœminas. Et mox cùm gentium licentiam reprehendisset, addit: Apud nos quod non licet fem
æquè non licet viris, & eadem seruitus pari cõditione censetur. Ex quibus satis euidenter app
adulterij legibus viros nõ minus quàm fœminas teneri: quod nisi obseruetur, nequicquam mul
bus pœnæ statuentur, viris in omnem libidinem impunè ruentibus.

Adulterij scelus graue & multiplex.

Nunc proximum est, vt quàm graue & multiplex sit adulterij scelus videamus. Vbi dilige
tia & animo ab omni affectuum perturbatione & carnalibus præiudicijs libero opus est. Nam
carnem & mundũ audias, leuiculum videbitur peccatum hoc, & vix vlla animaduersione dignum
Et notæ sunt rationes, quibus in eo extenuãdo homines libidinosi vtuntur, dũ alij hoc naturæ cer
consentaneum esse aiunt, alij vetustatem allegant & exempla, multi quoq; necessitatem, quasi
omnino fieri oporteat, & proinde iniquos nimiùm & crudeles iudicant eos, qui quod cauere ni
seuerius punire velint. At si rem ipsam penitius consideremus, longè aliter iudicabimus: eò quod
vno hoc scelere multa simul concurrunt, quibus horribiliter in Deum, in proximum & in scipso
cant, quicunq; sacras coniugij leges violãt. In Deum certè peccatur multiuariàm, cùm & fœdus
illo sanctissimè institutum prophanatur, quo nullum ad conseruandam vitæ honestatem & humani
generis propagationem vtilius est magisq; necessarium: & sub eius nomine data fides violatur, q
mulq; huic consecrata corpora impudicitiæ & diaboli seruitio mancipantur. Quæ quam grauia
& horrenda facilè vident, qui non vnà cum pudore oculos quoq; & rationẽ omnem amiserunt. Pr
fidiæ pœnas luunt, qui inter homines pacta fœdera violant, & datam fidem turpiter fallunt. Quæ
tio igitur impunitatem illis concedet, qui coniugij fœdus, cuius author Deus est, dissoluere & con
ecclesia datam fidem fallere non verentur? Seruum item fugitiuũ leges punire iubent, & here
rius quid in illum statuendi ius concedunt: Quis ergo iniquum dicet Deum, si quos filij sui sangu
redemptos sibi vendicauit, pro meritis suis puniat, quãdo ipso relicto diaboli mancipia fiunt? Q
si proximum spectes, multa hic quoq; concurrunt, quæ sceleris huius atrocitatem arguunt. Hui
scelere ea societas læditur, ex qua fons omnium necessitudinum humanarũ exoritur. Fraudatur
bito suo coniunx, & plagij crimẽ admittitur, dum qui corporis sui ius non habent, illius vsum
concedunt. Extinguitur coniugalis amor, aut saltem turbatur, quem sanctissimũ & syncerissimu
seruari oportebat. Adhæc doloris, solicitudinis, iræ et vindictæ crudelis occasio præbetur ei, qui
& eadem nobiscum caro esse debebat. Nec in coniuge hæc iniuria modò residet, sed in plures
dundat. Aut enim alterius vxore vel filia vir adulter, aut alterius marito vel filio mulier adul
ra ad libidinẽ suam abutitur, & ita grauissimè eos offendũt, qui in illos ius habẽt. Adhæc illos
vnà secum diaboli mancipia faciunt, & ipsdẽ sæpe grauissimorum scelerum, quæ adulterijs plerun
comitari aut sequi solent sunt authores, qualia sunt, abortus violenti, infanticidia, veneficia, cæ
& infinita alia, quæ commemorare longum foret. Adde quod ijdẽ in rempub. & communẽ patriã
peccant, quando ex historijs constat vagas libidines & adulteria regnis & gentibus semper dam
fuisse, & ex his ferè exortos fuisse horribiles motus, qui rempub. fœdè conuulserunt, & nonnunq
euerterunt, vt postea in exemplorum aliquot commemoratione patebit. Quis verò eos, qui hæc &
lia faciunt, cõtra seipsos quoq; & propriam salutem peccare negauerit? Sed & aliorum scelerũ
paratione docemur, adulterij crimen grauissimum esse. Scortationem certè, qua soluto cum fœ
illegitimo concubitu miscetur, inter ea scelera Apostolus numerat, quæ ab hæreditate regni Dei
cludunt, & scortatorem in proprium corpus peccare ait, eò quòd membra Christi faciat scorti mẽ
bra, & templũ spiritus sancti prophanet. Quid ergo de adulterio dicetur, quo insuper fœdus illud
iugale dissoluitur, vt modò diximus? Præterea morte dignus iudicatur, qui contra leges natur
rentes vel dicto vel facto læserit. At sanctiorem & arctiorem mulò esse coniunctionẽ inter mari
& vxorem, quàm inter parentes & liberos, ex ipsa matrimonij institutione discimus, in qua lex
lata fuit, quam sua authoritate postea Dei filius confirmauit: Relinquat homo patrem & matrem

& adhæ

& adglutinetur vxori suæ, & sint duo in carnem vnam. Grauius itaq; peccant qui coniugij fœdus violant, quàm qui parentes aliqua iniuria afficiunt. Adde his furtum, quod vt Deus puniendũ esse censuit, ita plerisq; scelus imprimis turpe & infame putatur. Atqui pœnas grauiores Deus adulteriis quàm furibus constituit. Adulterium ergo furto grauius & atrocius scelus est. Neq; aliquis nos temere ad hunc modum argumentari dixerit, quando hoc ipsum obseruauit sapientissimus mortaliũ Solomon, qui Prouerb. 6. sic scribit: Non reputant probro furi, si esuriens furetur, vt vitam sustentet: sed deprehensus aut septuplum rependit, aut vniuersam substantiã domus suæ reddet. Qui verò adulterium committit cum muliere, excors est, & qui hoc facit, animam suam perdit. Verbera insuper & ignominiam inuenit, cuius opprobrium nunquam poterit deleri. Quia zelus est furor viri, & non parcet si vindictæ occasio offeratur. Neq; vllius intercessoris faciem recipit, nec munera quantumuis magna admittit. Et hæc quidẽ à Solomone non minus verè quàm grauiter dicta esse cõmunis sensus docet. Vt enim leuior est fortunarum & facultatum, quàm honoris & famæ iactura: ita qui aliquo honestatis & proprij honoris sensu tangũtur, mallẽt centies bona omnia amittere, quàm cum infamia coniunctam rei domesticæ dissipationẽ pati. At solet illa ex adulterijs enasci: quibus si mulieres semel indulserint, negligentius domũ curant, liberos legitimos negligunt, in adulterio conceptos fœtus maritis supponunt, & quia illi pro legitimis habentur, hæreditatem alienam intercipiũt. Itaq; adulterio furtũ coniunctum est, & omniũ istorum infamia cumprimis ad maritos redundat, qui etsi ista ignorent, ferè tamẽ conscij esse putãtur, eò quòd nemo ad illos libenter refert, quæ de vxorum impudicitia per omnium ora volitant. Vides ergo adulterij crimen non sine grauissimis rationibus furto atrocius censeri. Quis igitur non deploret nostri seculi cæcitatem, quando furti crimen omnes exhorrent, adulterium verò lusum iocumq; ducunt? Attamen hæc omnia superat, quòd idololatriam & defectionem à Deo spiritus sanctus adulterijs confert, & adulteros vocat eos, qui relicto vero Deo creaturas & imagines sectantur. Non potest ergo non atrocissimũ esse scelus illud, quod eius similitudinem gerit, quo nullum atrocius aut horribilius excogitari potest. Possent huius generis infinita adduci & in immensum extendi oratio, sed ista modò sufficiant.

Ex his enim quiuis intelligit, adulteria in scripturis nõ temere tanta cum seueritate prohiberi. Nec enim in Decalogo modò dicit Deus, Ne mœcheris: sed insuper pœnam capitalem adulteris constituit. Nam Leuit. 20. sic scribit Moses: *Vir qui adulterium cõmittit cum vxore alicuius, qui (inquam) adulterium cõmittit cum vxore proximi sui, omnino moriatur, tam adulter quàm adultera.* Et rursum Deut. 22. *Si deprehenditur quispiam, qui dormierit cum muliere maritata, moriantur ambo illi, tam vir qui iacuit cum muliere, quàm mulier ipsa: & exures malum ex Israele.* Item: *Si fuerit alicui desponsa puella virgo, inuenerit q; eam aliquis in ciuitate, & dormierit cum ea, educetis vtrumq; ad portam ciuitatis illius, & obruetis eos lapidibus, vt moriantur.* Adde his, quòd suspicionis quoq; rationem haberi voluit Deus, vt lex de Zelotypia testatur, quæ extat Num. 5. Vbi obseruabimus, non tunc demum cœpisse puniri adulteria, sed vt Adam ex occulta spiritus suggestione matrimonij dignitatẽ agnouit, & legem sanxit, qua vinculum eius indissolubile esse iubetur: ita gentes propè omnes naturæ legibus ductæ, illud in summo pretio habuerunt, & eius violationẽ quouis supplicio dignam iudicarunt. Pharao certè cum Saram Abrahamo abduxisset, nescius vxorẽ eius esse, à Deo multatus peccatũ agnouit & illam abs q; mora marito restituit. Similiter Abimelecho regi, cum eadem errore peccauisset, dicit Deus: *En tu morieris propter mulierem, quam rapuisti: quia maritо iuncta est.* Et Iobus vitæ suæ integritatem contra amicos suos, nimiùm morosos & iniquos iudiciorum Dei censores asserens, inter alia adulterij quoq; crimẽ abs se longissimè remouet his verbis: *Si cõcupiscentiæ vxoris alienæ obnoxium fuit cor meum, & ante ostium sodalis mei sum insidiatus: permolat vxorem meam alius, & subigant eam alij.* Hoc enim grande flagitium est, & iniquitas capitali actione digna. Ignis enim est, qui ad interitum vsq; vorat, &c. Horum cognitione instructus Iosephus hæc libidine furentis calumniã potius perpeti & vitæ periculum subire voluit, quàm totum alienum polluere. Et vt ad gentes transeamus, vix vlla tam barbara fuit, quæ adulteris impunitatem permitteret. Parthi nullum scelus adulterio grauius puniebant. Apud Gortynam verò vetustissimum & celeberrimum Cretæ oppidum adulter omni vita sua ignominiosus erat, neq; ad rem pub. aut honores publicos vnquam admittebatur. Ægyptij illum virgis cædebant ad plagas mille,

Adulterij pœna capitalis.

Adulterium omnibus seculis, et apud omnes gẽtes punitum.

adulteram autem naribus mutilabãt. Lacedæmonijs adeò deteſtabile erat adulterij ſcelus, vt illud à nemine committi poſſe arbitrarentur. Celebratur enim cuiuſdam Geradæ dictum, hominis Lyciatiæ vetuſtiſſimi, qui ab hoſpite rogatus quid apud eos adulteri patiantur, reſpondit: O hoſpes, nemo apud nos fit adulter. Illo autem ſubijciente: Sin verò fieret? Taurum (inquit Geradas) perſolui adeò magnũ, vt à Taygeto ſeſe inflectens ex Eurota bibat. Hoſpite verò admirante dicente, quo poſſit fieri tam vaſtus bos? ridens Geradas, Quo nam pacto (ait) adulter queat Spartæ fieri? Quid verò hanc opinionem illos concepiſſe putabimus? Ex eo nimirũ, quòd cùm omnes patriæ & reipublicæ amantiſſimi eſſent, impoſſibile exiſtimarunt in quenquã ſuorũ tantũ ſcelus cadere poſſe, quo reipublicæ cumprimis turbari & ciuium animi odijs implacabilibus accendi ſolent. Laciadæ ea corporum pœna adulteros puniebant, qua peccauerant. Saletus apud Crotoniatas ignis ſuppliciũ ſtatuit adulteris, & cùm ipſi in adulterio deprehenſo cum fratris vxore populus parcere vellet, ſponte in ignẽ inſiluit, ſceleris turpitudine ſuperatus. Apud Athenienſes adulter morte mulctabatur, adulteră quamuis tumelia afficere licebat, non autem occidere, vt diutius cruciaretur. Apud Gothos quoq; (vt Procopius ſcribit) adulterium capitale fuit. Ad iſtorum mores quàm proximè acceſſerunt maiores noſtri Germani veteres, de quibus Cornelius Tacitus ſic ſcribit: Pauciſſima in tã numeroſa gente adulteria, quorum pœna præſens, & maritus permiſſa. Acciſis crinibus nudatã coram propinquis expellit domo maritus, ac per omnẽ vicum verbere agit: Publicatæ enim pudicitiæ nulla venia, non formã, non ætate, nõ opibus maritum inuenerit. Nemo enim illic vitia ridet, nec corrumpere & corrumpi ſeculum vocatur. Quantò igitur ſanctiores, quoad hanc cauſam, maiores noſtri fuerunt, cum alias gentilium ſuperſtitiones ſequerentur, quàm pleriq; hodie, qui Chriſti nomen profitentur? Poſſet verò, etſi multitudo peccantium (vt D. Hieronymus ad Gaudentium ſcripſit) peccandi licentiam faciat, niſi rauerit, tanta tamẽ publicæ honeſtatis cura reliqua manſit, vt adulteria legibus ſeueriſſimis vindicata habuerint, quotquot virtutis laudem aliquam quæſtuerunt. Hinc apud Romanos Lex Iulia de adulteris, qua adulteri capite pœnas dabant, & quam Chriſtiani Imperatores ſua authoritate confirmarunt. Conſtantinus enim (vt in Codice l. Quàmuis, habetur) adulteros ſacrilegos nuptiarũ violatores, & ideo indignos putat, qui hanc lucem aſpiciant. Iuſtinianus verò legem hanc, quoad adulteros, reliuit quidem, ſed ea conditione, vt fuſtibus cæſæ in monaſterium detruderentur, vbi perpetuò manerent, niſi eas mariti reperijſſent. Et hodie, licet magna ſit adulteriorum licentia, & flagitioſa impunitate indies augeatur, licet tamen marito adulterũ & adulteram impunè occidere, ſi in facto deprehenderit; quod ipſum olim Plato permiſit, vt lib. 9. de Legibus eſt videre. Quod quàm rectè quo iure fiat, nunc non diſputo, iſtud tamen cum ſumma magiſtratuum ignominia fieri dico, qui prio teſtimonio ſeipſos condemnant, dum adulteria ipſi leuiſſimè puniunt, permittunt autem, vt maritus in ipſo facto deprehenſos, quantum in ipſo eſt, tam anima quàm corpore perdat, quos ipſi maritiri manum euadant, vix pauculorum dierum ſpacio in carcere detinent, & deinde in honore & otio habent, imò plerunq; ad ſummos honores euehunt. Quis hic non exclamet, O mores, ô tempora!

Inſtit. lib. 4. tit. 18. de pub. iudicijs.

Adulterij pœna in nouo Teſtamẽto non abolita.

At obijciat aliquis, ſeueriores fuiſſe ſcelerum pœnas ſub Moſe, & gentes quoq; cum naturam deliores eſſent, hæc tam dira ſupplicia adulteris conſtituiſſe: in Chriſto autẽ patefactum eſſe immensam gratiæ & maiorem clementiam atq; manſuetudinẽ eos decere, qui noui Teſtamenti legibus vtuntur, in quo adulteræ clementer pepercerit Dominus. Cæterùm reſpondet iſtius ipſe, quãdo ſe reuocit, vt legem impleat, non vt diſſoluat. Manet ergo contra pœnitere neſcios eadem, quæ olim fuit, veritas legum, neq; iudicia publica Chriſtus abrogauit, quibus ſcelera puniuntur: & vt diximus, pra, legis diſciplinam ſeueriorem fecit, quando oculis quoq; & cogitationibus leges dedit, ne laſciuæ poſt formas alienas vagentur. Quod adulteræ, de qua hic agitur, pepercit, longè alia ratione factum eſt, vt ſuo loco dicetur. Apoſtolus certè ſcortatores & adulteros à regno Dei excludit, & pœnis ternis inferorum cruciatibus ſubijcit, tam abeſt, vt à pœnis ciuilibus eos eximat. Idem ad Ebræos ſcribens, grauiſſimè pronunciat: Honorabile eſt inter quoſuis coniugium, & cubile impolluta: ſcortatores autem & adulteros iudicabit Dominus. Quibus verbis docet, quòd etſi humana leges ſent, & nemo iudicum in puniendis adulterijs officium ſuum faciat, illa tamen non impunita rum eſſe Deum, quin in hoc etiam ſeculo horrenda in illos exempla edat, & abſq; pœnitentia tes ſempiternis pœnis excruciet. Quod veriſſimè dici, exempla omniũ gentiũ & ſeculorũ teſtan-

Huc enim referri debent, quæ de Pharaone & Abimelecho paulò ante dicta sunt. Eòdem pertinet quod de Leuitæ vxore à Gabaonitis violenter constuprata et inde exorto bello in libro Iudicum traditur, quo sexaginta quinq; millia virorum cæsa sunt, & maxima pœnæ pars in eos redundauit, qui stuprorum licentiam tam diu impunè grassari permiserant. Quid verò de Dauide dicemus, quo patrono cumprimis vtuntur adulteri? Hunc quidē, quia ipse summum magistratum gerebat, nemo iudicio sistere & secundùm leges damnare potuit. Iudicauit tamen illum Deus, vt primò quidem donum propriam incestu & parricidijs fœdissimè pollui videret, tandem verò per filium regno pulsus, à Semeio ignominiosè lapidibus peteretur. Vtinam verò qui huius exemplum adducunt, eius pœnitentiam quoq; imitarentur, quam acerbissimā & omnibus numeris absolutam fuisse, ipsius Psalmi testantur. Adde his, quòd inter Babylonicæ captiuitatis causas prophetæ adulteria & stupra illicita numerant. Sic enim inter alia per Ieremiā loquitur Dominus: Filij tui adulteri facti, in domo meretricis collegerunt sese. Fuerunt equi saginati, mane educti, quisq; ad vxorē proximi sui adhinnit. An super his non visitabo eos? &c. Et huius generis multa ex prophetis adduci poterant. Quòd si gentium historias inspiciamus, vix vllam reperies, quæ non exhibeat iudicij diuini exempla, quæ vel in summos reges, vel etiam in homines priuatos sunt edita. Lacedæmonijs certè finis imperij imminere cæpit, cùm à maiorum legibus & moribus turpiter defecissent, & stupris subditorum atq; prouincialium animos abs sese alienassent, sicuti historia de constupratis Scedasi filiabus apud Plutarchū testatur. Græciā cum Asia cōmisit Helenæ raptus et licentiosa Paridis libido, quæ patriæ cōmuni exitium attulit. Romæ propter stuprū Lucretiæ oblatum reges vrbe pulsi sunt, & reipub. forma mutata est, quæ res bellorum maximorū causa fuit. Adulterium præterea Gallis Senonibus occasionē præbuit, vt in Italiam exercitum ducerent. Cùm enim nobilis adolescens Clusinus Lucumon tutoris sui vxorē rapuisset, tutor hoc iusto dolore incensus, Celtas seu Gallos inuitauit, vt in ea Italiæ parte vberrima sedes quærerent, & scelus Lucumonis punirent. Fuit ea res toti Italiæ luctuosa & ex hoc principio exorta tempestas Romā vsq; peruasit, quam ijdem hostes captā diripuerunt. Valentinianus tertius vitam & Imperium amisit, quòd Maximi vxorē dolo ad se euocatā vi cōpressisset. Sed quid istis immoror, quando totus dies non sufficeret ijs exponendis, quæ in adulteros exempla Deus edidit. Et possent quædam recitari, quæ nostris temporibus acciderunt: sed quia omnibus nota sunt, ijs etiā sciens abstineo. Quòd si priuatos homines respiciamus, quotidie eorū exempla occurrunt, qui sua libidine morbos fœdissimos, egestatē, infamiam & sæpe mortē quoq; ignominiosam sibijpsis accersunt. Non ergo cessauit sub Christi aduentū Dei seueritas, qua scelera, & inter illa adulterium atq; stupra illicita, olim punire consueuit. Inter homines autem cessauit honestatis publicæ cura, & cum pudore simul extincta & sepulta iacet matrimonij dignitas. Viam huic malo strauit Antichristi doctrina, quæ matrimoniū carnis immunditiem vocat, & sub religionis prætextu cœlibatū inuexit, cui non modo stupra virginū, & adulteria & incestus, verūetiam Sodomiæ nefariū scelus debemus, quo se imprimis polluerunt, qui reliquis omnibus pudiciæ exemplar esse debebant. Itaq; factū est, vt populus antistitum exemplo seductus, de coniugio minus honorificè sentire, & paulatim in omnē libidinem ruere cœperit. Ferent quidē omnes suum iudiciū. Grauius autē multò subibunt, qui ex tenebris istis in euangelij lucē educti, in eadem tamen immunditie perseuerant, & adulteris impunitatē concedunt, vt ipsis quoq; pro sua libidine viuere liceat. Mirantur equidem multi continuas nostri seculi calamitates, quibus nos Deus castigat. Sed quid faciat ille, quando (vt reliqua omnia nunc omittamus) hoc vnum ad prouocandam iram eius potest sufficere? Horum itaq; memores, simul in Christi studiū incēti simus, qui in hoc fuit totus, vt à peccatis & diaboli potestate liberatos Deo patri suo reconciliaret, vt ipsi seruiamus in sanctitate & iustitia omnibus diebus vitæ nostræ, & huius cursum emensi cum illo æternùm viuamus. Ipsi debetur benedictio, honor, gloria potestas in æternū. Amē.

Exempla iudiciorum Dei in adulteros.

HOMILIA LXVIII.

Iesus autem inclinans se deorsum, digito scribebat in terram. Cùm autē perseuerarēt eum interrogare, erexit se, & dixit eis: Qui uestrūm immunis est à peccato, primus lapidem in illam iaciat. Et rursum inclinans se deorsum scribebat in terra. Illi uerò cùm audissent, & à cōscien

tia redarguerentur, singulatim alius post alium exierunt, initio facto à senioribus usq; ad ultimos: & relictus est solus Iesus & mulier in medio stans. Cùm autem erexisset se Iesus, & neminẽ uideret præter mulierem, dixit ei: Mulier, ubi sunt illi tui accusatores? Nemo te condemnauit? Ipsa uerò dixit: Nemo Domine. Dixit ergo ei Iesus: Nec ego te condemno: uade, & ne amplius pecces.

GRauiter admodũ & verè pronunciat Paulus Apostolus in priori ad Timotheũ: Certus sermo & modis omnibus dignus quem amplectamur, quòd Christus Iesus venit in mundum peccatores seruaret. Neq; solus Apostolus hæc dicit, sed multa in eandem sententiam passim dicuntur. Quia verò in hoc plurimùm peccatur, quòd qui peccatis se grauatos sentiunt, aut in illis delirant, aut remissionem eorum atq; salutem alibi extra Christum quærunt: ipse tam doctrinam quàm facta sua omnia in eum finẽ dirigit, vt nos in huius promissionis fide confirmet. Imò totus fere mundus est, vt aduersariorũ ora obturet, qui gratiæ prædicationẽ impedire conabantur. Quod ipsum in primis sentiri etiã historia luculenter facit. Quia enim ipsum vulgo hoc potissimùm nomine gratũ & acceptum esse videbãt Iudæorũ scribæ & pharisæi, quòd peccatores non grauibus minis terreret, sed amicis consolationibus afflictas conscientias foueret & gratuitam peccatorum remissionem polliceretur, magno studio in hoc incumbunt, vt ab eo docendi genere ipsum abstrahant. Ideò mulierem in adulterio deprehensam ad illũ adducunt, & quid de ea statui velit interrogant. Hoc verò vnum insidiantur, vt vel indulgentia solita vsus aliquid contra legẽ Mosi pronunciet, quæ tales lapidibus obruere iubebat, sicq; ipsis aliquã accusandi occasionẽ præbeat: vel legis seueritatẽ secutus, diuersum eo facere videatur, quod docebat, & ita populo inuisus & exosus fiat. Cæterùm causam hanc ita moderatur, vt miseram à mortis supplicio liberans, officio Messiæ cumprimis fungatur, & tamen suam legi authoritatem saluam ratamq; habeat. Multa igitur in huius historiæ tractatione considerata consyderatu dignissima, ex quibus nonnulla vidimus, de reliquis modò dicturi sumus.

Iesus scribit in terram.

Sequitur autẽ prima huius loci pars, quid cum scribis & pharisæis egerit. Iesus (inquit Euangelista) inclinans se deorsum, digito scribebat in terram. Quid verò scripserit, non indicatur, quod superuacaneum foret hoc curiosius inquirere, quod spiritus sanctus nos cælatũ voluit. Sed & causam huius facti non exponit Ioannes, quas tamen ex circunstantijs reliquis aliqua ex parte colligere & deprehendere possumus. Nam eiusmodi gestu vtitur, qui industrios & de salute sua seriò cogitantes de nonnullis obseruatu dignis & vtilibus admonere poterat. Et primò quidem, quia legem addiscere, & eius cognitione insolentius gloriabantur, adeoq; plus quàm humanam sapientiam sibi vendicabant, quales reuera sint innuit: homines nimirũ carnales & terrenis studijs dediti, qui & huius verum vsum impiè contemnant, neq; pluris faciant, quàm ea, quæ in terram scripta & rumuis pedibus conculcantur. Deinde admonet non temere pronunciandũ esse de aliorum delictis, sed rem ipsam prius diligenter inspici & examinari debere. Faciunt huc Dei præcepta, qui iubet tam paruum quàm magnum audire iubet, ne dum præcipitanter agunt, per errorem et ignorantiam iniquas sententias ferãt. Neq; verbis modò, verumetiã proprio exemplo de hoc nos admonet Deus, quando in scripturis cælo descendere et hominũ opera atq; instituta spectare dicitur, priusquam eorum pœnas exigat. Vide quæ in eam sententiã de turris Babel ædificatoribus & Sodomæis in sacra historia scribuntur. Præterea illis relictis quasi aliud agendo, innuit indignos esse quibus respondeatur, cùm malitiosè & fraudulenter omnia agant. Et rursum docet exẽplo suo nõ semper respondendum esse ad omnes impiorum & illusorum veritatis quæstiones. Multa enim eiusmodi sunt, vt præterire præstet, quàm relictis grauioribus circa res inutiles occupari. Multa quoq;, si in disputationem trahantur apud homines prauos & suis deditos affectibus, quæstiones pariunt nunquam finiendas, quibus sæpe salutis nostræ principia atq; fundamenta conuelluntur. Et tunc locum habet illud Solomonis: Ne respondeas stulto secundùm stultitiam suam, ne adæqueris ei etiam tu. Quæ sententia prudenter prohibet, non modò ineptas verborum cõmutationes & mutua conuitia, quibus homines contentiosi sese inuicem proscindunt: verumetiam disputationes, quæ ex quæstionibus superuacaneis & curiosis enatæ nihil diuini salis habent, & ad destructionẽ potius quàm ædificationẽ facere

Et vtinam hodie regula ista inter theologos obseruaretur, qui frequenter publicis scriptis de lana caprina aut asini vmbra contendunt, et magno cum scandalo infirmorum ea in dubium vocant suis disputationibus, quæ nos simpliciter credere oportebat, cùm humana ratione inuestigari nequaquam possint. Alia ratio est eorum, sine quibus salutis ratio consistere non potest. Quando enim illa ab hominibus vel ineptis vel malitiosis in disputationem trahuntur, tunc (vt idem Solomon monet) stulto secundum stultitiam eius (id est, sicuti ipse meretur) respondendum est, ne fortè sibijpsi egregiè sapere videantur, & ita insolentiores fiant.

Aduersarij Christum improbè urgent.

Cæterùm hoc agente Christo, illi vehementius instant interrogando, & ipsum vrgent, vt suam de proposita quæstione sententiam edisserat. Audaciores ergo fecisse videtur dissimulatio illa, quòd nimirum eum animo perturbatum putarent, nec habere quod respondeat. Itaque victoriam sibi certam pollicentur, & ideò tanta importunitate interrogare pergunt. Est hic impiorum mos, qui aduersus veritatem certamen semel susceperunt, vt piorum silentio aut prudenti dissimulatione ferociores fiant, eò quòd illius causas non obseruant, & piorum ignorantiæ tribuunt, quod charitati, modestiæ & concordiæ studio tribui debebat. Non autem hoc nobis graue videri debet, neq; ideo quicquam immodestius aut præcipitantius agendum est. Semper enim occasionẽ suo tempore offert Deus, qua nostri nominis honorem tueamur, & illorum petulantem impudentiam cum publica ipsorum confusione coerceamus. Solet enim illis, quod ineptis & furiosis equitibus accidere, qui dum inconsulta temeritate ruunt, & quæuis obuia prosternere conantur, sæpe semetipsos ex equis excutiunt, aut vnà cùm illis se miserè perdunt. Quod istis accidisse modò audiemus.

Christus improbis respondet.

Quia enim Christo impudenter instant, erigit seipsum ille, & eo gestu docet, audaciam illorum sibi minimè terribilem esse, neque sibi deesse modum atq; rationem, qua se ab illis expediat. Et mox sententiam profert: Qui vestrùm immunis est à peccato, primus lapidem in illam iaciat. Quod responsum nonnullis absurdum poterat videri, qui seculi illius mores ignorant. Sed ex legis consuetudine desumptum est, & ratione æquissima nititur. Iubebat enim lex, vt in capitalibus iudicijs primos lapides iacerent in damnatos, qui de illorum scelere testimoniũ dixerant. Vide Deut. 17. Quod in Stephani protomartyris supplicio etiam obseruatum fuisse apparet, quando testium mentio fit, qui vestes suas ad pedes Sauli deposuisse dicuntur, nimirum vt expeditiores essent ad iaciendum lapides, & sua alacritate testimonij sui veritatem probarent. Neque id sine ratione magna Deus statuerat. Ita enim linguæ petulantiam frænare voluit, quæ facilè labitur, & si prauus affectus accedat, quàdus temere effutit, quoad verbis solis res agitur. At si ad manus deuenire oporteat, maior solet adhiberi in deliberando & ponderandis verbis omnibus prudentia, ne temere maioris alicuius mali nobismetipsis authores simus. Voluit ergo Deus testibus metum aliquem incutere, ne quid aliud decerent, quàm quòd facto & manibus quoque proprijs auderent confirmare. Etsi verò mos iste postea abolitus sit, non tamen sublata est & abolita Dei seueritas, qui in testibus veritatis studium summum requirit, & (vt Solomon ait) testem mendacem odit, adeoque talionis lege punire iubet eos, quicunque falsis testimonijs proximo malum dant. Quare cogitent testes homicidium non manibus modò, verumetiam lingua cõmitti, & non minus homicidij reos esse qui lingua occidunt, quàm qui manibus vel lapides proijciunt, vel gladium in alicuius latus aut iugulum stringunt. Si qui ergo vel à sanguinis innoxij effusione, vel à carnificis aut lictoris publici officio abhorrent (vt meritò omnes boni abhorrere debent) curent ijdem, quando testes sistuntur, ne vel falsum quid dicendo, vel verum reticendo, capitalis sententiæ authores sint, & carnificum manibus eos obijciant, qui nihil tale meruerunt.

Christi dicto nõ tollũtur iudicia pub. & pœnæ scelerũ.

Sed abuntur quidam hoc Christi dicto, & dum ex eo regulam generalẽ colligunt, qua iudices omnes astringunt, nimis impudenter iudicia simul omnia tollunt, & scelerũ omnium impunitatem inuehere conantur. Clamant enim, Christum de adultera dixisse, Qui vestrùm immunis est à peccato, primus lapidem in illam iaciat. Et ex eo inferunt: Ergo nemo de alterius peccatis pœnas debet sumere, nisi qui ipse ab omni peccato liber est. Atqui fatemur, hoc iudicibus obseruatu imprimis necessarium esse: vt nimirum dum in alios animaduertunt, ipsi innocentiæ & honestati studeant. Nisi enim hoc fecerint, non scelera sancto odio persequi, sed his obnoxios homines ex priuato affectu odisse videbuntur. Itaq; nulla erit illorũ authoritas, & plerisq; crudelitas vel tyrãnis esse videbitur, quic-

quid illi sub legũ & iuris prætextu statuunt. Et exempla tam vetera quàm recentia testantur, dum sua seueritate non in officio continere subditos, sed potius seditionũ causas præbere, dum supplicium crudelitate sceleratos & improbos quosq; irritant, malo autẽ exemplo morumq; petulantia bonos quoq; & honestatis publicæ amantium animos abs se alienos reddunt. Quòd verò isti ex Christi verbis regulam generalẽ colligunt, turpissimè falluntur. Primò enim etsi grauis sit iudicis culpa, si exemplo suo scandalũ alicui præbeat, idem tamẽ scelera in alijs puniendo officium facit, neq; eo nomine reprehendi, sed potius laudari debet, quòd non sublatis simul vniuersis legum repagulis, publicæ rum licentiam inducit. Deinde neq; Christi verba rectè expendũt. Nam Græca vox ἀναμάρτητος qua Ioannes vtitur, non eum modò significat, qui peccatum nullũ designauit, sed eum potius, peccare quidem possit, adeoq; ab omni naturæ corruptione sit alienus. At tales in rerũ natura inueniuntur. Omnes enim peccauerũt, ac destituuntur gloria Dei, &c. Rom. 3. Omniũ cordibus visceribus lex peccati insidet, qua Paulus se captiuũ duci queritur. Rom. 7. Omnes ex Christi scripto oramus, Remitte nobis debita nostra, &c. Ergo, si istos nouos legislatores audiamus, licebit vel latronẽ, vel furem, vel adulterũ, vel falsariũ, vel parricidã, vel quencunq; alium sum punire. Semper enim obijciet aliquis: Qui vestrùm immunis est à peccato, primus in hos tiam ferat, primus gladiũ stringat, aut laqueũ expediat. Ita verò frustra leges tulerit Deus, iudiciorum suorum executionẽ iudicibus cõmiserit, & falsò dixerit Paulus, magistratus Dei esse, qui non frustra gladium gestent, sed ideò hunc gestent, vt bonos quidem tueantur, facinorosos tem pro meritis puniant atq; coerceant. Non ergo generalem regulam aut legem hîc tulit Christus, sed personale (vt ita dicam) est hoc responsum, & præsenti modo causæ eiusq; actoribus accõmodatum, neq; ad vllos alios extendi debet, quàm qui horum similes reperiuntur. Voluit enim istorum im sam quæstionem eludere, cùm simplici responso indigni essent, & simul hypocrisim ipsorum arguere, qui cum aliorum seuerissimi censores essent, & vix vllis supplicijs satiarentur, in propriis tamen lictis nimiùm faciles & indulgentes erant, & sibi ipsis turpiter blandiebantur. Ideò non vniuer lem sententiam pronuntiat: Quicũq; à peccato immunis est, primus lapidem in illam iaciat: Sed VESTRVM immunis est à peccato, &c. Est ergo particularis hæc propositio, & illis solis loquens Dominus, à quibus insidiosè tentabatur. Vult autem vt in seipsos descendant, vitam anteactam mores suos examinent, conscientiæ suæ scrinia scrutentur, & ita mox inuenturos innuit, quæ ipsi propria salute potius cogitare cogant, quàm aliorũ vitæ & honori insidias struere. Neq; hoc inu factum aut dictum fuisse, euangelica historia abundè docet. Nam vt de auaritia, ambitione, & gulæ studio alijsq; vitijs, quæ cũ multis alijs cõmunia habebãt, nihil dicamus, horrenda & supplicio digna erant illorũ scelera, quæ circa religionẽ et doctrinã designabant, cùm Dei legis nis traditionibus adulterarent, sacra omnia turpi nundinatione prophanarent, afflictis conscientijs laqueos injicerent, denig; sub religionis prætextu omniũ fortunas deprædarentur. Quis ergo tam gnos diceret, qui legũ vindices & iudiciorũ publicorũ executores essent? Quin, si in præsenti facto stamus, plus ab illis quàm ab adultera peccatum fuisse patebit. Hæc enim fidẽ marito datã rat, illi sanctissimũ Dei fœdus, quo is gentẽ illam sibi desponsauerat, impudentissimè violarãt. vnum modò virum iniuria afficerat, illorum iniquitas ad totum populũ redundabat. Hæc mu fortunas modò & honorem læserat, illi publicam omniũ salutem in periculum adduxerant, imo thores fuerũt vt vniuersa Iudæorum gens paulò post horribili excidio perierit. Hæc intra animum suum peccati conscientia torquebatur, de vitæ emendatione cogitabat, Dei gratiam implorabat, cum illo reconciliari vnicè cupiebat: illi verò securi & confidentes pœnitentiæ doctrinã hostiliter ijciebant, scelera sceleribus quotidie accumulabant, Dei gratiam contemnebant, & illius mẽbra palàm persequebantur. Rectè ergo Christus incurabilem ipsorum malitiã traducit, & miserã lam (quæ etsi errauisset, ouis tamen erat) ex luporũ immanitũ faucibus eripit. Fuit autẽ hoc re istius gentis vitiũ, quòd cùm lege gloriarentur, et huius acerrimi vindices haberi vellẽt, illã illã impudentissimè violarent: quod ipsum Paulus illis ad Rom. 2. cap. grauiter exprobrat his verbis: Ecce, tu Iudæus cognominaris, & acquiescis in lege, & gloriaris in Deo, & nosti voluntatem eius, & internoscis quæ discrepant, instructus ex lege: confidisq; te ducem esse cæcorum, lucem eorum qui sunt in tenebris, eruditorẽ insipientiũ, magistrum infantium, vt qui habeas informationẽ cog

tionis ac veritatis per legem. Qui igitur doces alium, teipsum non doces? qui prædicas non furandũ, furaris? qui dicis non mœchandum, mœcharis? qui abominaris idola, sacrilegium admittis? qui de lege gloriaris, per legis transgressionẽ Deum dedecoras? Nam nomen Dei propter vos blasphematur inter gentes, &c. Hæc ideò recitare libuit, vt in veteri exemplo nostri seculi hypocritas & iustiriarios agnoscamus, qui simili arrogantia omne ius omnemq; potestatẽ in ecclesia & in quosuis priuatim sibi vendicant, cùm Iudæis hisce & illorum pharisæis nihilò meliores sint, &c.

Interim dum illos ad propriæ conscientiæ scrutiniũ remittit Christus, omnes homines docet, ne dum in alios exempla fiunt, petulantius agant, vt qui crudeli spectaculo oculos pascere cupiant, quod olim barbaræ gentes facere solebant: Sed potius in illis cõmunem humanæ naturæ corruptionem & miseriam agnoscant, quando certum est, omnes nos coram Dei iudicio nihil non malorum meruisse, & nullũ scelus tam atrox & nefarium esse, quod non in nos quoq; cadere possit, nisi gratia Dei singulari in officio contineamur. Est ergo memorabilis admodum D. Augustini sententia, quæ dum in cliquem exempla fiunt, semper animis nostris obuersari debet: Aut sumus, aut fuimus, vel possumus esse, quod hic est. Hoc qui non ocitanter cogitant, ij pia cõmiseratione tacti humanæ corruptionis, miseram sortem in alijs deplorant, & eius consideratione excitati sibijpsis eò diligentius cauent, & ita ex aliorum exemplis fructum capiunt vberrimum.

Sed ad Christi aduersarios, scribas & pharisæos redeamus, qui cùm hæc sibi ab illo responderi audissent, mox propriæ cõscientiæ testimonio conuicti, è templo se subducunt, dum ille inclinatus ad scriptionem redit, quam in pauimẽto exarare cœperat. Et quidem simul omnes exiuisse dicuntur, initio facto à senioribus: quos haud dubiè diuini iudicij sensus magis percelluit, quòd se tam in Deũ ipsum, quàm in totum populum plus omnibus alijs peccauisse scirent. Hìc autem primò obseruabimus insuperabilem nostri redemptoris Iesu Christi potentiam, & quàm verè à Solomone sit dictum: Non est sapientia, non prudentia, non consiliũ contra Dominum. Diu multumq; antea aduersus hunc isti consultarunt, et quidẽ in Concilio eam ob causam congregato causam hanc diligentissimè tractarunt, vt nuper in fine Cap. 7, audiuimus. Sed nequicquam hoc fecerunt, quando vnius Nicodemi intercessio, frigida licet, illorũ consultationibus finem imposuit. Non tamen quiescunt, & nunc laqueum inextricabilem se inuenisse putant, quo comprehensus euadere non possit. Sed ipsi incidunt in foueam, quam fecerunt, quod impijs euenturum olim Dauid prædixit. Psal. 7. Nam qui Christum insidiosa quæstione circũuenire volunt, vno eius dicto capiuntur, & pudore confusi non sine publica ignominia discedunt, suoq; discessu se peccatores esse, imò adultera muliere deteriores esse testantur, & proinde indignos, qui in populo Dei aliquam dignitatẽ obtineant. Et huius quidẽ generis exempla in euangelica historia passim habentur. Huc enim pertinent insidiosæ quæstiones de vita aterna, de censu Cæsari soluendo, de resurrectione mortuorum & alijs articulis aduersus Christũ institutæ, quarum omnium hic finis fuit, quòd huius quidem diuina sapientia clarius eluxit, hostiũ verò improbitas atque insciitia magis patefacta est. Taceo nunc ea, quæ in Christi morte & resurrectione acciderũt, de quibus suo loco dicetur. Ita verò impleri oportuit, quæ olim in Psalmis & reliquis prophetis de Christi regno & victoria, deq; irritis aduersus hunc impiorũ conatibus prædicta fuerunt. Non autem nunc cessauisse putemus hanc Christi potentiam. Quia enim spiritum suum credentibus promisit, qui illis consultror & consolator adsit, in illis quoq; ita operatur, vt sæpenumero astutissimi nebulones eorum responsis confundantur, qui ob simplicitatem omnibus ferè ludibrio sunt. Istorum ergo consideratio nos consoletur, si quando nobis cum eiusmodi hominibus res est. Etsi enim illi potentia, rerũ vsu & astutia præstare videantur, fortior tamen, potentior & sapientior est qui in nobis agit, & cuius proprium opus est capere sapientes in calliditate ipsorũ, & consilia versutorum eludere. Vide Iob. 5.

Aduersarij Christi sese subducunt.

Docet præterea exemplum hoc, quanta sit conscientiæ vis apud impios quoq;, qui omnia pro suo arbitrio agere instituerunt. Possunt illi omnem Dei timorem ex animis suis excutere, verbũ & admoniones omnes cõtemnere, exempla item quæ in sui similes fiunt scurriliter eludere: at ijdem conscientiã suam eludere aut sopire non possunt, quò minus scelera etiã inuitis in memoriã reducat, Dei iudiciũ ipsis ob oculos statuat, & terroribus diris exagitet, qui omnia ipsis in festa reddunt. Neq; hìc vi magna opus est, sed vnicũ verbulũ, aut casus aliquis leuissimus, vel etiam tacitè obrepens cogitatio sufficere potest, vt conscientia, quæ aut nulla esse aut quietè dormire videbatur, subitò excite-

Cõscientiæ vis magna.

tur, & terroribus istis nos excruciet. Adeò irritabilis est animus noster, vt nõ tam facilè leonem tigridem, quàm illum aduersus teipsum prouocaueris. Hinc factum fuit, quòd isti, cùm potentia authoritate omnibus præstarent, vnico tamen hoc dicto Christi, quo nihil tunc contemptius & externam speciem infirmius erat, ita percelluntur, vt ne conspectum quidem eius amplius ferre sint. Experimur hoc ipsum in nobis ipsis frequenter, vt nunc nihil dicam de horrendis exemplorum, quos conscientiæ terror ad extremam desperationem adigit, dum illius accusationes molestissimas nec effugere, nec vllis rationibus confutare possunt. Vsus verò istorũ nobis hic sit, vt primo ipsi dem impiorum crudelibus ausis minus offendamur aut terreamur, qui vtut insaniant & immanitate cælum terræ miscere conentur, intra animos tamen hunc stimulum sentiunt, & occulto constringuntur, quantùmuis ipsum dissimulent. Deinde excitet nos horum consideratio ad timorem Dei & verbi eius obseruantiam, & semper illud Ioãnis Apostoli nobis occurrat: Si condemnet nos cor nostrum, maior seu potentior est Deus corde nostro, & nouit omnia. Quid ergo fiet, si ipse Deus suo iudio aduersus nos tonare, & scelerum pœnas exigere incipiat, cùm ne propriæ quidem conscientiæ iudicium possimus effugere?

Impij etsi conuincãtur intra conscientiam suã, non tamen conuertuntur ad Christum.

Sed nequicquam ista dicuntur hypocritis, qui vt suo honori consulant, reluctante etiã conscientia sua veritatem oppugnant. Quales istos fuisse, de quibus hîc agitur, multa illorũ facta testantur. Multoties enim conuicti à Christo, cùm neq; doctrinam eius cõfutare, neq; miracula negare possent, illum tamen odisse & persequi nunquam desierunt. Nunc verò iterum conuicti & confusi, nisi tamen ad illius gratiam confugiunt, quam is oneratis & laborantibus conscientijs benignissimè accommodatissimè offerebat: sed dilapsi sese occultãt, nimirum de huius seculi honoribus & nominis sui existimatione magis quàm de gloria Dei & salute æterna soliciti. Ita ferè faciunt quicunque suorum operum iustitia freti, aduersus gratiæ prædicationẽ hostiliter insurgunt. Etsi enim Dei verbo conuincantur & se peccatores atque miseros esse intra animos suos negare non possint, ne tamen tales videantur Christi conspectu sese subducunt, cœtus sacros declinant, & verbi prædicationẽ subterfugiunt. Et quidem multis alijs meliores sunt. Inueniuntur enim, qui etsi se conuictos sentiant, nullo tamen pudore suffunduntur, sed Christo in faciem adhuc obstrepunt, dum verbo eius publicè reluctantur. Tertiq; tamen semetipsos miserè fallũt. Nam nec priores illi à Christi conspectu fugere, aut eius oculis latere possunt, qui omnia penetrat & vbiq; præsens est: neq; alteri illi sua audacia iudicij eius formidatem superabunt vnquã, sed tandẽ magno suo malo sentiunt, quid sit cum Deo certamen suscipere. Nos itaq; mulierem imitemur, quam isti ad Christũ adduxerũt. Poterat illa quoq; dilabentium accusatoribus suis sibi fuga cõsulere & latebras quærere, ne iterũ comprehensa in periculum veniret. Sed cum Christo mansit, cuius gratiã & bonitatẽ procul dubio iam intra animum suum gustauerat & concipiebat, & hæc mansio ipsi salutẽ attulit. Mansit enim misera apud fontem misericordiæ, & hoc auxilio subleuata est. Mansit ouicula cum pastore, qui perditam inuenit, errabundam ad gregis societatem reduxit, fauciam obligauit, & debilitatam prorsus nouis viribus instruxit. Mansit peccatrix cum iustitia, & huius imputatione iustificata est. Itaq; in illa impletur, quod nuper dixerat Christus: Si quis sitit, veniat ad me & bibat, &c. Veniamus ergo nos quoq; ad fontem hunc fontem, vel ab alijs adducti cum illo maneamus, & ipsum nobis etiam salutarem experiemur.

Christus erigit se ad consolandum peccatricem.

Facit autem ad huius confirmationem actio Christi cum muliere, quam Euangelista diligenter admodum describit. Primùm erigit se Christus, neq; aliquem præter mulierem conspicatur: ex quo mirum, qui illam adduxerant. Manst tamen reliquus populus (vt ex sequenti concione patebit) quem actio ista nihil pertinebat, & quem ipsius audiendi causa collectum fuisse nuper audimus. Erigit autem nunc se Christus vt miseram hanc consoletur & liberet, qui prius cõtra hostes suos erexerat, vt eos confunderet atq; profligaret. Est ergo potentia Christi & eius declaratio piis quidem grata & salutaris, impijs verò terrifica & exitialis, eò quòd iudicem seuerũ ferre coguntur, quem seruatorem agnoscere nolunt. Ideò in Psalmis frequenter clamant pij: Exurge Domine in furore tuo, nimirum vt hostes impios dissipes. Exurge in adiutorium mihi. Exurge & intende iudicio, etc. Inde est hoc ingens discrimen inter pios & impios, quòd ex Dei inuicta potentia & maiestate, hi quidem terrorem, illi verò dulcissimam consolationem & spem lætam in medijs tribulationibus concipiant. Est præterea hoc ingens fidei & bonitatis Christi argumentũ, quòd non contentus hostes profligare & seruos

& seipsum ex laqueis insidiatorum extricauisse, mulierẽ quoq; ex periculo omni liberat, quam apud se mansisse videt. Ita passim suorum curam gerit. Imò cùm ad montem oliueti se captum iri videret, discipulos tamen tuetur & asserit, ne quid mali ab improbis hostibus patiantur. Quantò magis ergo nos nunc illi curæ esse putabimus, quando omnibus priuatis periculis exemptus in cœlis regnat & triumphat? Nemo igitur in periculis desperet aut ignauo metu succumbat. Sed in Christi promissiones respiciamus, quales sunt: Non relinquam vos orphanos: Ecce ego vobiscum sum vsq; in consummationem seculi. Adhæc officij nostri nos Christi exemplum admonet, vt ipsi etiam non contenti nobispsis consuluisse, simul eorum quoq; saluti prospiciamus, quos nostræ fidei Deus commendauit. Qui enim hos negligunt, modò ipsis bene sit, ij se à fide simul & charitate omni alienissimos esse produnt.

Deinde ad mulierem conuersus ait: Mulier, vbi sunt illi tui accusatores? Nemo te condemnauit? Et de istis quidem interrogat, nõ quòd aliquid horum ignoraret, sed vt calumnijs occurrat, ne quis illum aliquid contra leges & ius publicum ex priuato affectu fecisse dicere possit. Solent enim leges accusatoribus locum dare, & eadem sceleris conuictos damnare iubent, neq; alicui priuato licet sententiam legũ authoritate confirmatã reuocare aut irritam facere. Ne ergo vel accusatores temere reiecisse, aut cõtra iudicum decretum hanc liberauisse putetur, quæstiones istas præmittit. Et vbi neminem esse videt, qui accusationem aduersus illam instituit, neque iudicis sententiam adhuc pronuntiatã esse intelligit, tunc demum infert: Nec ego te condemno. Non ego simpliciter aut temere illam absoluit, multo minus legem de adulterijs & adulterorum pœna abolet, sed quoad se liberam pronunciat, vt qui non venisset in mundum, vt vel magistratum gereret, vel iudicem ageret, sed peccatores ad se cõuersos saluos faceret. Sic enim supra Nicodemo dixit: Non misit Deus filium suum in mundum, vt condemnet mundum, sed vt seruetur mundus per eum. Estq; itaq; turpis nimiùm illorum error, qui ex hoc loco colligunt, abrogatam esse per Christum legem de adulteris, neq; posthac illos capite plecti debere. Ita verò Christum licentiæ & impunitatis peccandi authorem faciunt, qui vt iustitiam sempiternam (vt Daniel loquitur) adduceret, incarnari & in carne mori voluit. Non distinguunt hi inter ministrorũ verbi & magistratus officia, quæ Deus ipse distincta esse vult. Et ministrorum quidem est religionem veram docere, pœnitentiam prædicare, singulis sua officia ex Dei verbo præscribere. Inobedientes autem & transgressores dignis pœnis coercere, ad magistratum pertinet, cui in eum finem à Deo gladium esse traditũ, supra ex Paulo docuimus. Et coniunctionem quidem summam inter hosce duos ordines esse voluit Deus, eosdem tamen confundi non vult, sed vterq; intra limites suos sese contineat præcipit. Licet ergo ministris magistratum negligentiorẽ officij sui admonere, hortari, increpare: sed ijsdẽ gladio vti non licet alio quàm spirituali, qui Dei verbum est, quo scelera debellare, prauos affectus ex hominum animis excindere, & quosuis ad salutarem fidei obedientiam adducere debent. Eadẽ ratione magistratibus licet ministros vel negligentes vel perfidos in ordinem redigere, aut etiã officium facere detrectantes è suo gradu deijcere, alios substituere, curare deniq; vt Dei cultus saluus & syncerus seruetur; at vt ipse ecclesiastica tractet, & ministrorum officia obeant, nusquam à Deo est institutum. Et hæc quidem exemplis plurimis & scripturæ locis confirmari poterant, si in re omniũ manifestissima testimonijs opus esset. Nam vt in veteri Testamento soli Leuitæ ad tabernaculi & templi ministeriũ admittebantur, & Vziam lepra percussit Dominus, quòd sacerdotũ munus inuaderet: Ita in euangelio inter apostolos & principes huius seculi euidenter distinxit Christus, quando hos quidem dominari, illos autẽ non ita debere ait res suas instituere. Quia ergo Christus ad docendum venerat, quemadmodum Marci primo & Luce quarto Cap. testatur, alienam functionem inuadere nec voluit nec debuit. Et quæ ratio iubebat vt iudicem ageret, cùm nec ipsi quidem scribæ & pharisæi, qui mulierem adduxerant, talem agnouerint, sed eius modò de Mosis lege & adulterij pœna sententiam, vt doctoris alicuius voluerint audire? Alienam ergo Christo personã nostri illi hodie imponũt, & falso argumentantur: Christus adulteram ad capitis supplicium damnare noluit: ergò adulteri capite plecti non debent. Noluit enim illud facere Christus, quia hoc non sui erat officij, cuius ergo in mundũ venerat, non quòd legem abolitam & abrogatam voluerit, qua adulteris pœna capitis statuitur. Et si argumentũ istud valeret, eadem ratione quis argumentari posset: Christus inter fratres de hæreditatis diuisione altercantes arbiter esse noluit. Ergo nõ licet hæreditatẽ cum quoquã diuidere, aut vt illud legitimè & iustè fiat

Christus nihil facit legibus publicis contrarium.

curare. Quis verò non videat quàm absurdum & ab omni æquitate alienum hoc fuerit? Non ex quouis Christi facto vniuersalis doctrina colligi debet, sed inter personalem eius vocationē & quæ vt homo omnibus in exemplum fecit, diligenter distinguere oportet, ne dum Christi sectatores deri volumus, vnà cum religione Christiana iustitiam quoq; publicam & vitæ honestatē è medio lamus. Neque hic mihi aliquis obijciat, Christum regis quoq; officio fungi debuisse, & sub regno sona à prophetis describi. Fatemur hoc nos quoq;, sed ex illius ore didicimus, regnum eius non esse hoc mundo, & proinde illū nec iudicia more huius seculi administrare, multò minus leges iudiciales & scelerum pœnas abrogauisse. Est itaq; probè tenenda distinctio illa, quam paulò ante adduximus alioqui multa absurda & iniqua sequentur.

Christus adulteram absoluit.

Postremò absoluit adulteram Christus, dicens: Vade, & ne amplius pecces. Abire illam iubet quò velit, & ita eam à culpa & pœna liberat, quoad corpus & animam: & ita veri redemptoris cio fungitur, sicuti illud Isaias Cap. 61. descripsit. Addit autem: Et ne amplius pecces. Quo dicto gem de coniugali fide & adulterij pœna non obscurè confirmat. Nec enim huic concedit peccandi centiam, sed potius vitam anteactam illi in mentem reuocat, & innocentiæ studium serio & ter illi commendat. Idem enim huic dicit, quod Cap. 5. paralytico dixit: Vide ne posthac peccaueris ne quid deterius tibi cōtingat. Et Matth. 9. in genere testatur, se venisse, vt peccatores vocet ad nitentiam. Calumniatores ergo sunt, qui per Christi & gratiæ prædicationem carnis securitatem peccandi licentiam inuehi clamant, cùm huius prima pars sit pœnitentiæ doctrina, à qua euangelium prædicationem ipse Christus exordiri iubet. Luc. 24. Imprimis autem cauendum est, ne in solita priora relabamur, & ita canes efficiamur, qui (vt Petrus ait) ad vomitū suum redeunt, aut porci qui abluti rursum in cœno & stercore volutantur. De his enim ipse Christus pronunciat, quòd postrema eorum fiant peiora primis. Nam peccandi cōsuetudine indurantur, & tandem incurabiles cum macia & deuoto ad omnem impietatem animo sempiternum exitium sibijpsis accersunt. Interim cet ista admonitione Christus, quæ nam vera sit satisfactio, quam à nobis Deus exigit: Nimirum posthac peccemus, id est relictis prioris vitæ studijs innocentiam & vitæ sanctitatē sectemur, & membra nostra Deo cōsecremus, vt iustitiæ arma aut vasa sint, quæ prius diaboli instrumenta ad iniquitiam & immunditiem fuerunt. Vide Rom. 6. Non ergo meritum intelligi debet, quo peccatum expiemus, sed officium potius, quod Deo debemus, cuius gratia per filij sui meritum liberati sumus. Quapropter grauiter errarunt, qui solennes & publicas satisfactiones, quibus olim peccatores reconciliabantur, in superstitiosas scelerum expiationes conuerterunt; & vtinam non hodie nostris superstitionibus occasionem præbeant, qui satisfactiones eiusmodi rigidissimè exigunt. Nobis certè Christum fecisse legimus, qui à peccatis ad se conuersos absq; omni ceremonia aut ritu solito in gratiam recepit, & ecclesiæ suæ coniunctos esse voluit, &c.

Ratio iustificationis et salutis humanæ.

Hæc itaq; in adulteræ per Christum liberatæ historiam dicta sunt: quæ inter alia omnem nostræ iustificationis & salutis nostræ rationem pulchrè adumbrat. Et primò quidem nostræ tionis nos admonet, qui natura peccatores sumus, & quotidie, vel potius omnibus horis, instar teræ huius in peccatis deprehendimur. Sunt enim figmenta cordis nostri praua ab ineunte ætate, indefinenter occasionē peccandi nobis suppeditant, & modò nobis cōsentientibus ex animo, modò ligentius agentibus. Sæpe etiam inuitis & reluctantibus, in opus erumpunt, vt Deo datā fidem lemus. Hic verò non deest oblatæ sibi occasioni satan, sed abreptos ad Dei tribunal sistit, & accusat miseros, vt æternæ damnationis reos agat. Testibus autē contra nos vtitur, propria confirmat animo nostro, quo nullus testis fide dignior & terribilior produci poterat. Tabulas quoq; & scripta menta profert, ipsam Dei legem, quæ mortē & maledictionē transgressoribus denunciat. Nec modò crimina obijcit, sed falsa quoq; comminiscitur, & calumniosis interpretationibus multa addit sus nos torquet, quæ pro nobis faciūt: vnde apud Græcos diaboli nomen accepit. At hic quando nobis cadendū esset necessario, Christus Iesus sese interponit, quem nobis mediatorem & aduocatum pater ab æterno constituit. Is enim mortis suæ merito peccata nostra expiauit, mortē deuicit, diabolum è regno suo eiecit, & quod cōtra nos erat legis chirographum in cruce sanguine suo delenit, vt nec morti nec diabolo quicquam iuris sit in eos, qui illum fide vera amplexātur. Sed obstrepunt hypocritæ iustitiarij, & ex eius conspectu sese subducere cupiunt, quod tamen nequicquā tentant,

ipsi omnis potestas in cœlo & in terris data sit. At qui peccatorum suorum agnitione & sensu tangun tur, ad illum veniunt, & eidem fide insiti cum illo manent, neq; vllis exemplis aut periculis, aut illecebris se ab eo abstrahi patiuntur. Hos ergo ille absoluit, & suæ iustitiæ cõsortes factos in pace dimittit, omnibusq; conscientiæ terroribus liberat. Nostrũ verò est, vt totos nos ipsi consecremus, ipsi viuamus atq; moriamur, qui pro nobis viuere & mori dignatus es℄. Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.

HOMILIA LXIX.

Rursum ergo Iesus locutus est eis, dicens: Ego sum lux illa mundi. Qui sequitur me, non ambulabit in tenebris, sed habebit lumen uitæ.

VLt quidem Deus pater omnes homines (vt Paulus ait) saluos fieri & in veritatis cognitionem venire: ea autem es℄ hominum improbitas, vt ipsi sibi obstacula ponant, quò minus saluti assequantur. Sunt hæc duo præcipua, vt multa alia omittamus. Primum, quòd non cõtenti Iesu Christo, in quo vno gratiæ & salutis fontes nobis Deus aperuit, circa res inanes occupantur, & (vt per Ieremiam Deus loquitur) cisternas sibi fodiunt pertusas, quæ aquam non habent, & interdũ ne infusam quidem continere possunt. Alterum, quòd etsi vno Christo omnem salutem contineri sciant, salutis tamen suæ securi ferè eorum obliuiscuntur, quæ ipsos cumprimis memori mente tenere et indiuulsè sequi oportebat. Vtrique malo Christus ipse medetur. Nam quoad primum, hoc vnum in omni sua doctrina assiduè vrget, quòd in se vno animarum refocillationẽ & salutem æternã inuenturi sint, quicũq; illam sitiunt aut esuriunt. Et quod ille docet, hoc ipsum authore spiritu sancto Apostoli eius vno ore prædicant. Quoad alterum verò, doctrinam hanc parabolis multis illustrat, quas ex rebus vulgò notis & in vsu quotidiano versantibus desumit, vt quocunq; oculos vertamus, semper occurrat, quod nobis de illo & salute nostra cogitãdi occasionẽ præbere possit. In quẽ finem nuper fontis parabola vsus est, panis item, quæ duo inter homines vsitatissima esse solent. His in præsenti lucis aut Solis parabolam subijcit, qua omnia ea breuiter complectitur, quæcunq; nobis tam ad ipsius cognitionem quàm ad salutem omnem seruire possunt. Huius verò studij hic nobis vsus esse debet, vt vndiq; se offerentes salutis occasiones animis attentis apprehendamus, ne inexcusabiles simus apud Deum, quando omnibus contemptis in errore & ignorantia scientes volentes pergimus.

Christus ingratis & indignis prædicare pergit.

Accedamus ergo ad huius loci tractationem, quem ijs, quæ proximè præcesserunt, ita connectit Ioannes: Rursum ergo Iesus locutus est eis, &c. Vbi emphasim habet particula RVRSVM. Nam ad præcedentem historiam respicit, in qua illum à scribis & pharisæis improbè tentatũ fuisse audiuimus. Innuit ergo, quòd licet nouã haberet occasionem discedendi ab ingratis & cõtumacibus, denuo tamen ad docendi munus redierit, ne quorundam improbitas electorum reliquijs fraudi esset, quas vocari & institui oportebat. Est autem obseruatu dignissima hæc Dei bonitas, qua semper est vsus & quam hodie passim experimur. Etsi enim salutis doctrina partim hostiliter oppugnetur, partim pseudochristianorum licentia polluatur, non desinit tamen ille lucernam hanc accendere, & eam multorum reluctantium oculis ingerit, ne ea electos suos spoliet, quos per hanc illuminari & dirigi oportet. Superat in eo parentes indulgentissimos, quos frequenter liberorum quorundam incurabilis malitia prouocat, vt ea faciant, quæ toti familiæ, & interdum etiam posteritati ipsorum noxia sunt. Debet autem huius bonitatis Dei consideratio nos nõ modò consolari in tentationibus, ne de salute nostra temere desperemus, verumetiam animos nostros excitare, ne illam contemnamus, sed nos Deo præbeamus obsequentes, quem indefesso studio salutem nostram quærere videmus. Adhæc mittentur Christi exemplum ecclesiarum ministri, ne multorum improbitate se superari patiantur, vt abiecto ministerio ab ecclesijs suis discedant, & eos imprudenter deserant, quorum fidem eo magis confirmari oportet, quò plures sunt, qui eis aduersantur. Sed & omnibus alijs exemplum præbuit Christus, ne benefaciendo defatigentur, sed officiũ suum facere pergant sedulò, licet plerosq; ingratos sentiant. Est enim nobis merces apud Deum reposita, quam certò consequentur, qui vocationem suam fideliter obeunt.

Christus è re præsenti occasionem docendi arripit.

His præmißis transeamus ad Christi concionem, cuius argumentum vel occasionem ex re præsenti accepisse videtur, quod illi familiare fuit, sicuti in multis alijs locis apparet. Cum Samaritidi enim collocuturus apud fontem Iacobi, ex aqua dicendi occasionẽ sumit. Et nuper eos ad cœlestis vitæ studium excitaturus, qui panes & epulum gratuitum quærebant, doctrinã suam panis parabolis illustrauit. Et in naui sedens de regno cœlorum sub rei piscatoriæ inuolucro disseruit. Eandem ergo rationẽ hic quoq; obseruat. Quia enim matutino tempore in templum venerat, exoriente iam Sole & omnia fulgore suo illustrante, exclamat ille: Ego sum lux illa mũdi: Qui sequitur me &c. Quasi diceret. Magna est Solis oriẽtis iucunditas, & eius lucem non absq; singulari voluptate admirantur. At cur non simul totius mundi lucẽ obseruatis, qua nulla luculentior & salutarior inueniri potest, eò quòd ipsas mentes irradiat & cœlestiũ bonorũ cognitione beatas reddit? Atqui lux illa ego sum, quem mundo toti Deus pater oriri voluit. Me ergo sequimini, & ita non errabitis posthac in tenebris, quæ vos hactenus miserè seduxerunt, &c. Hæc concionis huius summa est, cuius singulas partes examinare proderit.

Christus lux mundi.

Et primò quidem videbimus, quis sit Christus, aut qualem se esse profiteatur: Nimirùm lucem totius mundi. Respicit autem ad prophetarum oracula, quæ talem nobis illũ describunt. Apud Isaiam enim Cap. 42. sic de filio suo in carne manifestando loquitur Deus: Ego Dominus vocaui te in iustitia, & apprehendam manum tuam, custodiam te, & dabo te in fœdus populi, in LVCEM gentibus. Vt aperias oculos cæcorum, vt educas vinctos è carcere, & de domo carceris sedentes in tenebris. Et rursum Cap. 49. Leue sit, quòd seruus meus sis ad erigendas tribus Iacob, & ad reducẽdas vastitates Israelis, nisi te dedero, vt LVX sis gentiũ, vt sis salus mea vsq; ad extremum terræ, &c. Ad hæc (inquam) & alia huius generis respiciens Christus, se lucem illam mundi esse ait. Sensus autem est, se esse promissum humani generis seruatorem, qui solus miserum genus mortalium veritatis cognitione illuminet, & vitam conferat in tenebris mortis sedentibus, vt alio in loco Isaias dicit. Duo autem sunt, quæ in lucis parabola obseruemus.

Mundus totus in tenebris est.

Primò admonet, mundum hunc totum tenebricosum, adeoq; potestati tenebrarum obnoxium fuisse, priusquam Christi aduentu illustraretur. Quod quam verè dicatur, mox apparebit, si quales singuli natura simus, & quæ olim gentium omnium conditio fuerit, consideres. Quia enim Adamus peccando non modò à dignitate sua excidit, verumetiam diuina illa rationis luce spoliatus est, qua illum initiò Deus donarat, & in ea conditione suam posteritatem genuit, factum est, vt homo animalis non percipiat ea quæ sunt spiritus Dei. Errat itaque cognitione Dei & voluntatis eius, & quia simul legem peccati in membris suis circunfert (sicuti de semetipso Paulus testatur) affectibus prauis abripitur, vt quantus quantus est peccati seruus fiat, tenebras simul & principẽ tenebrarum amet, eademq; cum illo stipendia accipiat. Quod verò de singulis hominibus dicimus, hoc ipsum in gẽtibus simul vniuersis est videre: quæ (vt idem Paulus ait) cùm sub tenebrarum potestate cõstitutæ, nihilominus ex semetipsis sapere vellent, stultæ factæ sunt, & veri Dei ignorantia excæcatæ Deos sibi nouos finxerunt, cultus item partim ridiculos partim infarios & horrendos instituerunt, adhæc oraculis diabolicis se circunduci passæ sunt, & in omnem peccandi licentiã effusæ grauißimis sceleribus sese polluerunt. Poterant hæc exemplis infinitis demonstrari, sed quia hæc in historijs paßim occurrunt, illorum commemoratione non est opus. Et quid hodie patiantur, qui Christi cognitionem nullam habent, nemo est qui ignoret. Est ergo mundus hic in tenebris, neq; aliqua ex hominibus lux est, quæ tenebras istas discutere aut pellere poßit. Hic autem secundo loco Christus se profert, qui vt lucem illam mũdi se esse clamat, ita omnia ea fidelißimè præstat, quæ lucis propria sunt.

Christus omnia lucis officia præstat.

Vt enim lux per se purißima est, neq; aliũde polluitur siue inquinatur licet fœdißima quæq; loca, et ipsas quoq; clocas illuminet: Ita Christus Iesus suapte natura purißimus & sanctißimus est, & quàmuis in terras hasce venerit, homo factus sit, & inter homines diuersissimè versatus sit, adeoq; publicanorum quoq; & aliorum commercia non exhorruerit, quos publica scelera infames fecerant, nihil tamẽ ex his omnibus labis aut sordium contraxit. Deinde vt lux & ipsa videtur, & reliqua omnia, vt videri poßint, illustrat (vnde illam visus medium physici dixerunt) Ita Christus lux est, quæ & ipsa agnoscitur, & vbi nobis innotuit, simul mentes nostras irradiat, vt Deum & quæcũq; alia nobis ad salutẽ necessaria sunt, videre poßimus. De illo enim verißimè Psalmista dixit: In luce tua videbimus lucem. Præterea vt lux tenebras discutit, & animos tenebrarum

Psalm. 36.

horror

horrore prius consternatos exhilarat: Ita Christus Dei ignorantiã à nobis remouet, conscientiæ terrores fugat, & mentes nostras nouo diuinæ gratiæ gustu aut sensu mirificè recreat atq; serenat. Item vt lux non gressus modò nostros, verumetiam negotia omnia dirigit, quæ in tenebris perfici non possunt: Ita Christus verum illud æternumq; Dei verbum est, quod Dauid lucernam pedum nostrorum & lumen semitarum nostrarum olim dixit, eò quòd eius fulgore per viam præceptorum Dei deducimur, quæ vnica & certissima est actionum nostrarum omnium regula. Rursum vt lux discussa tenebrarum caligine, multa detegit, quæ prius latebant, & idcirco furibus, adulteris, scortatoribus & ferè facinorosis omnibus exosa est: Ita Christus sublatis ignorantiæ tenebris peccata nostra detegit, superstitiones & errores arguit, imò corruptionẽ naturæ humanæ accusat, & fœda atq; noxia esse docet, ex quibus plerunq; summam voluptatem homines capiunt: quæ etiam causa est, quòd plerique ipsum odio persequuntur, qui opera sua praua cælare, aut sub inani superstitionum inuolucro latere cupiunt. De qua re supra Cap. 3. ipse disseruit. Deniq; vt vnus Sol mundo vniuerso sufficit, & omnis lucis quasi fons est vnicus: Ita Christus spiritualis et cœlestis lucis author vnicus, solus omnes illuminat, nec aliquem sui muneris aut honoris socium admittit. Eius enim vox est apud Isaiam: Ego Dominus, hoc est nomen MEVM, & gloriam meam alteri non dabo. Et supra primo Cap. dictum est, ipsum lucem illam veram esse, quæ in mundum veniens omnem hominem illuminet. Neq; hic mihi aliquis apostolos obijciat, qui ab ipso Christo lux mundi dicuntur. Hoc enim nomine eos ex gratia dignatur, vt ipsorum ministerium cõmendet, nõ quòd ipsi lux vera sint, sed quia lucem illam veram ipsi inferunt atq; proponunt: quo nomine Baptistam supra lucernã vocauit Ioannes, vt eum à luce ipsa distingueret, quæ nõ alia est, quàm Iesus Christus, Sol ille iustitiæ, quem Malachias oriturum prædixerat. Quapropter apud hunc solum quæri debet salutifera veritatis cognitio, neq; dubium est, in tenebris omnes eos oberrare, quibus lux illa nondum affulsit. Magnum verò hoc est diuinæ bonitatis argumentum, quòd cùm tenebræ illæ aliter discuti non possent, lucem hanc in filio suo accendere, & hunc in terras venire voluit, ne miseri in tenebris periremus.

Magis tamen bonitas ista elucebit, si quorũ lux sit Christus consideremus: Mundi nimirum totius. Nam mundi vocabulo omnes omnis loci & ordinis homines comprehendit, nec aliquem excludit, qui lucis & salutis amans est. Docent hoc ipsum Isaiæ verba, quæ suppra adduximus, quibus lux gentium & salus vsq; ad extremum terræ dicitur. Et verè hoc dici, ex eo patet, quòd apostolos in totum orbem emisit, quorum prædicatione lux illa omnibus innoresceret. Facit hoc multùm ad consolationem tristium conscientiarum, ne quis propter peccata aut priorem conditionem se à Christo & salutis consortio exclusum esse arbitretur. Vt enim propter tenebras lux accẽditur, & accensa non sub lecto aut modio occultatur, sed candelabro imponitur, vt omnibus luceat qui in domo sunt: Ita Christus ad dissipandum regnum tenebrarum in mundum venit, & candelabro ecclesiæ impositus se omnibus offert, & frequenter nobis inuitis ingerit, vt eius beneficio ex caligine liberemur. Quis ergo ipsum ad se venientes reiecturum putet? Neq; nos offendat, quòd aliquando non pleno lumine nobis affulget, sed interdum paruulã modò scintillam exhibet. Nam pro fidei nostræ modulo lucem istam videmus. At fides quàmuis exigua sit, Christum tamen apprehendere potest, & illo apprehenso nouus quotidie augmentis crescit, donec ad finem suum pertingat. Præterea dum lucem mundi Christus se esse ait, salutis rationem, quæ in ipso continetur, omnibus communem esse docet, vt quam necessario omnes amplecti & sequi debeant, quotquot seruari volunt. Confutat ergo eorum deliria, qui vnumquemq; in sua religione saluũ fieri putant, modò animi intentio bona atq; sancta sit. Videntur hi omnium hominum cõmodissimi, qui neminem temere damnare velint, aut cum quoquam propter religionem certamen suscipere. At ijdem dum hominibus parcunt, in ipsum Deum contumelioси sunt, & scripturas omnes negant, omnemq; religionẽ euertunt, adhæc stultos & dementes faciunt (quantum in illis est) sanctos Dei cultores, qui pro fide Christi sanguinẽ fundere ausi sunt. Quid enim hoc fieri opus erat, si in quauis alia religione seruari potuissent? At quia de hoc alibi quoq; diximus, hæc paucula modò sufficiant.

Christus toti mundo offertur.

Videamus nunc, quid eos facere cõueniat, qui luce ista ad salutem frui volunt. Qui sequitur me (inquit) non ambulabit in tenebris, &c. Non ergo vniuersaliter concludit, vt quemadmodũ lucem mundi se esse dixit, ita omnes simul illuminari & ex tenebris educi affirmet, sed hoc eius beneficium

Vt luce in Christo frui possimus.

ad eos restringit, qui ipsum sequuntur. Non ergo ad salutem nostrã sufficit, quòd in filio suo salutis lucem Deus accendit, quòd is in mũdum venit, quòd per euãgelij prædicationem se omnibus offert, sed requiritur porrò, vt ipsi in luce ista ambulemus. Sunt enim qui tenebras potius amant quàm lucem, & oculos occludunt, ne illius fulgore perstringantur. Scire autẽ oportet, quid sit Christũ sequi. Vbi nõ putabimus illũ de sequela agere, quæ corporis incessu perficiatur. Eiusmodi enim nunc nulla potest institui, cùm corpus suum è terris ille subduxerit, neq; olim profuit hypocritis et malignis doctrinæ eius censoribus, quòd ipsum per montes et valles sequebantur, animis autem ab illo erãt alienissimi. Spiritu ergo & fide illum sequamur oportet, & ita mysterium hoc ipse exponit Cap. 12. vbi eandem doctrinam repetens inter alia sic ait: Dum lucem habetis, credite in lucẽ, vt filij lucis sitis. Item: Ego lux in mundum veni, vt omnis qui credit in me, in tenebris nõ maneat. Et sanè sola fides animos nostros attollit, vt relictis terrenis omnibus ipsum apprehendamus, & in vnum hunc intũ eundem sequamur, & ab eius amore nos non patiamur diuelli. Quod qui semel assecuti sunt, ipsum exemplum quoq; eius sibi imitandum proponunt, & actiones suas omnes ad verbi eius regulam dirigunt. Vt ergo Christum sequamur, fide opus est, qua hunc vnum agnoscamus seruatorem nostrum. Parit ea dilectionem Christi, qua omnia vincimus. Hæc verò obedientiæ studium gignit, dũ illi placere cupimus, in quo salus nostra omnis reposita est, et quem vita quoq; nostra chariorem habemus. Pertinent huc apostolorum admonitiones, quales Rom. 13 & Ephes. 5. habentur. Nox progressa est, dies autem appropinquat. Abijciamus ergo opera tenebrarũ, et induamus arma lucis, tanquam in die compositè ambulemus, &c. Item: Eratis quondam tenebræ, nunc autẽ lux in Domino, vt filij lucis ambulate, &c. Et rursum 1 Ioan. 1: Hæc est annunciatio, quam audiuimus ex eo, & annunciamus vobis: Quòd Deus lux est, & tenebræ in eo nõ sunt vllæ. Si dixerimus quòd societatem cum eo habeamus, & in tenebris ambulamus, &c. Docẽt nos hæc iudicare de nostri seculi moribus. Nam si hodie ista quæras, fortassis lucerna in ipso meridie opus erit, vt olim philosophus dicebat, qui vnũ bonum quærere instituerat. Quid ergo mirum, si plerique in ignorantiæ et errorum tenebris male pereant?

Lucis fructus.

Restat huius sequelæ fructus & effectus: Non ambulabit in tenebris, sed habebit lumen vitæ. Duo pollicetur. Primũ, Qui me sequitur, nõ ambulabit in tenebris. Tenebræ ad satanæ regnũ pertinẽt, qui princeps tenebrarum dicitur. Continent aũt ignorationem veri Dei & salutis, superstitiones, idololatriam, peccata omnis generis & quæcunq; inter carnis fructus numerantur. Horum omnium ea conditio est, vt sectatores suos impingere faciant, dum erroribus excæcati nihil certi statuere possunt, aut affectibus superati præcipites in exitiũ ruunt. At ab omnibus istis Christus liberat. Hic enim vera Dei cognitione nos instruit, fidei lucem in nobis accẽdit, idololatricas de Deo cogitationes eximit, peccati odium animis nostris instillat, & verbi sui atq; spiritus sancti luce gressus nostros dirigit, ne vel proprijs affectibus vel mũdi illecebris transuersi abripiamur. Ergo qui Christũ sequitur, is in tenebris non ambulat, & proinde nec impingit aut offendit, vt salutis suæ iacturã faciat. Alterum est: Sed habebit lumen vitæ. Lumen vitæ dicit viuificam veri Dei & regni eius cognitionem, seu potius cordis illuminationem, cuius nobis author est Christus per suum spiritum. Habebit autem inquit, vt lucis huius perpetuitatem exprimat, quæ sectatores suos nunquam destituit. Longè alia enim eius ratio est, quàm externæ huius lucis naturalis vel artificialis. Solis certè radios modò nubes dẽsæ hebetare, modò lunæ corpus interpositũ nobis intercipere solẽt, & eundem cum sua luce nox sub terras quasi abscondit. Lucernas autem & faces venti & pluuiæ extinguũt, aut nulla vis accedat, cum sua materia deficiunt. At diuina illa lux, Christus Iesus, nunquam impeditur quò minus suorum mentes irradiet, nunquam occidit, nunquam extinguitur, & idẽ æternus est quoad essentiam suam atq; operationes suas salutiferas. Qui ergo hunc sequuntur, hi inter tenebras mundi lucem habẽt, quæ pedes ipsorum dirigit, quando eius verbum neminẽ errare patitur, et ipsi olim in cœlis luce illa inaccessa fruentur, quam Deus inhabitare dicitur. Excitent nos ista fratres, vt relictis sapientiæ humanæ tenebris, relictis superstitionibus & procul abiectis tenebrarum operibus, Iesum Christum sequamur, in quo solo lux vitæ nobis affulget, cui æternæ salutis hæreditas coniuncta est. Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

Ho-

HOMILIA LXX.

Dixerunt ergo ei Pharisæi: Tu de teipso testaris, testimoniũ tuum non est uerum. Respondit Iesus, & dixit eis: Etsi ego de meipso testor, uerum est testimoniũ meum: quia scio unde uenerim, & quò uadam: uos autem nescitis unde uenerim & quò uadam. Vos secundùm carnem iudicatis, ego nõ iudico quenquam. Quòd si etiam iudicem ego, iudicium meum uerum est: quia solus non sum, sed ego & Pater, qui misit me. Sed & in lege uestra scriptum est, quòd duorum hominũ testimonium uerum est. Ego sum qui testor de meipso, & testatur de me Pater, qui misit me.

AVdiuimus heri concionem Domini nostri Iesu Christi, qua docuit, se esse lucẽ illam mundi ueram, quæ sola regnum tenebrarum discutit, mentes hominum illuminat, & eos qui ipsam sequuntur, per asperas & periculi plenas huius uitæ semitas pede inoffenso ad cœlestis regni possessionem deducit. Vius illius doctrinæ est, ut relictis omnibus alijs studijs & quæcunque in salutis ratione excogitant homines superstitiosi, unum Christum sequamur, in quo omnia nobis reposita sunt quæ saluti nostræ inseruiunt. At quia doctrina hæc non semper locum inuenit, & ideò multorum fides sæpe fluctuat, quando plerosq; huic hostiliter aduersari uident, ne hoc nobis nouum & insolens uideatur, commodùm subijcit Ioannes concertationem acerrimam, quæ Christo ob hanc doctrinã cum pharisæis intercessit: In qua primùm discemus non nouũ aut insolens esse, si ueritatis doctrina in hoc mundo explodatur, quando talia aduersus ipsum Dei filium olim ausi sunt, qui omnium sanctissimi habebantur. Deinde verò audiemus, quibus rationibus ille doctrinæ suæ ueritatẽ asseruerit, & quibus nos etiam hodie aduersus eius hostes pugnare conueniat.

Pharisæi Christi de seipso testimonium reijciunt.

Principiò autem pharisæi inducuntur, qui cùm Christi gloria & authoritate suam obscurari uiderent, mox se illi opponunt: & cùm rem ipsam, de qua nuper egerat, negare nõ possint, ut pote miraculorum splendore & propriæ conscientiæ testimonio conuicti, ex modo, quo inter docendum Christus utebatur, calumniandi occasionẽ arripiunt. Aiunt enim: Tu de teipso testaris. At ne id fiat in causis controuersis leges omniũ gentiũ prohibent. Ergo tuum testimoniũ uerum non est, neq; fidẽ aliquam meretur. Et rectè quidem in eo sentiunt, quòd illicitum ipsis uidetur, ut quis in propria causa testis sit. Tanta enim est uis philautiæ, quæ omnium animos & sensus occupat, ut errores nostros aut non uideamus, aut agnitos quoque excusemus & defendamus. Malè autem hoc argumento aduersus Christum utuntur, qui cum à communi hominum grege esset exemptus, lege illa nequaquam tenebatur, ut postea pluribus dicetur. Apparet autem in istorum exemplo, quo ingenio & quibus moribus

Ingenium iustiariorum.

ferè præditi sint, qui propriæ iustitiæ fiducia aduersus gratiæ doctrinam efferuntur. Tales enim phariseos fuisse, ex multis alijs locis constat. Primùm adeò non cedunt ueritati, ut quò magis illa lucẽ suam oculis ipsorum ingerit, eò magis aduersus eam insurgant, & ut mente capti in eos maximè sæuiunt, qui illos ab erroribus liberare, aut animis malè affectis medicinam salutarem adhibere cupiunt. Solent ita omnes hypocritæ, eò quòd simulatum istud sanctimoniæ studium sibi quæstuosum et coram mundo honorificum esse sentiunt. Idem etiam palàm impij faciunt, quibus graue uidetur à sceleribus discedere, quibus assueuerunt, & ex quibus summam uoluptatem capiunt. In eo autem patris sui diaboli ingenium referunt: qui tunc quàm maximè furit atque tumultuatur, quando sibi cedendum esse uidet, sicuti in dæmoniacorum historijs est uidere, quos ab eius tyrannide Christus asserit. Neminem ergo istorum furor & horribiles conatus terreant: quin potius ex eo consolationem petamus, quòd hæc ferè postrema impiorum luctatio sit, eoque minus dubitemus de ueritatis doctrina, quò magis hanc ijs exosam esse cernimus, quibus nihil placere potest, quod ad prouehendam Dei gloriam facit. Deinde Christum mendacij insimulant, quando dicunt: Testimonium tuum non est uerum. Fuit hæc magna temeritas & impudentia plus quàm ethnica, cùm scirent illum omnis doli & peccati expertem esse, ut paulò post patebit. Interrogante enim illo, Quis ex uobis arguet me de pec-

catoꝛ non habent quod reſpondeant. Attamen nunc mendacem & vanum propriæ virtutis praeco vocare audent. Faciunt hoc ipſum noſtri temporis phariſæi. Nam etſi ſciant nos nihil aliud tra quàm quod ſcripturis ſacris continetur, doctrinam tamen noſtram audent falſam & hæreticam cere. Hoc igitur exemplo fidem noſtram aduerſus eiuſmodi calumnias obſirmemus. Nec enim ſeq tur falſum & hæreticũ eſſe, quod multi potentia & authoritate prædíti hoc nomine infamant, quan do hoc ipſum olim Prophetis & Apoſtolis accidit, imò ipſi filio Dei, qui ab omni ſuſpicione quoq & fraudis alieniſſimus fuit.

Chriſtus doctrinæ ſuæ ueritatem aſſerit.

Porrò ipſum audiamus, qui mox reſpondet aduerſarijs, & quàmuis incredibili (ꝛ cam) manſuetudine atrociſſimas quaſque iniurias patienter tulerit ſæpe, hic tamen ferre non teſt, vt doctrina eius publicè proſcindatur, & apud vulgus in dubium veniat. Et quidem magna cum grauitate cauſam hanc agit. Nec enim de ipſius perſona tantùm hic agebatur, ſed Dei patris gloria & humani generis ſalute, cuius ergò in mundum venerat. Non debuit ergo vt in ſua perſona multorum ſalus periclitaretur, quos phariſæorum authoritas à veritatis ſtu abſtrahere poterat. Imitentur exemplum hoc eccleſiarum miniſtri, imò Chriſtiani etiam magiſtr tus, ne ſub manſuetudinis & patientiæ prætextu fidei veræ doctrinam in periculum venire patia tur. Qui enim hoc faciunt, ij non manſueti aut modeſti, ſed potius iguaui & perfidi gloriæ Dei publicæ ſalutis deſertores, aut etiam proditores ſunt, cuius vindices & aſſertores eſſe debe Meminerint ergo patientiæ & modeſtiæ locum eſſe in ijs, quæ ipſos ſolos attinent, neq; cum pub cæ ſalutis & gloriæ Dei periculo coniuncta ſunt: aliam autem eſſe rationem eorum, in quibus tu ſalutis ratio ſimul oppugnatur. Vidit hoc Moſes, ipſius etiam Dei iudicio manſuetiſſimus mort lium: quando Coritis tanta cum vehementia ſeſe oppoſuit, qui in ipſo communem reipublicæ & cleſiæ ſtatum oppugnabant. Et Paulus Apoſtolus, cùm iniuriarum tolerantiſſimus eſſet, acerri tamen aduerſus illos vbique diſputat, qui Apoſtolatum eius in dubium vocabant: quia non ſolo illos contendere videbat, ſed iſtud potius agere, vt ſanam de iuſtificatione fidei doctrinam ex terent. Et veterum patrũ ea fuit ſententia, quòd in hæreſis crimine nemo patiens eſſe debeat. Ha hæc obſeruanda hodie aduerſus aſtutos euangelicæ doctrinæ labefactatores, qui huius quidem pri profitentur, interim verò ſub modeſtiæ & Chriſtianæ manſuetudinis prætextu modò hunc modò lum articulum vel apertè produnt, vel malitioſè corrumpunt, & ita paulatim ſuperſtitiones vbi cunt, vel potius Epicureiſmum inuehũt, & multorum fidem euertunt, qui parum referre arbitra tur, quam religionis formam vel regulam quiſque ſequatur, quando ſuos antiſtites & procerum frigidè affectos eſſe vident. Videamus autem quo ordine, & quibus rationibus aduerſus hoſtes ſu Chriſtus pugnet, & quid nos hodie facere conueniat.

Chriſtus inter ſe & reliquos homines diſtinguit.

Primum ad legẽ publicam reſpondet, quæ prohibet, ne quis in propria cauſa teſtis aut iudex ſ Et hanc quidem neq; abolet neq; iniquam aut iniuſtam eſſe ait, ſed inter ſeipſum et reliquos homi diſtinguit, vt ſe iſta lege nequaquã teneri oſtendat. Dicit enim: Etſi ego de meipſo teſtor, verum teſtimonium meum. Quaſi diceret: Fateor non temere nec iniquè conſtitutũ eſſe, ne quis ſibiipſi te monium ferat, cùm ne in priuato quidem colloquio probentur, qui ſuas laudes ſuperbè prædicat. Ab longè alia eſt ratio mea, quàm aliorum hominum. Quod enim in illis improbatur, hoc mihi facere cet, & vt faciam res ipſa exigit. Cauſam verò ſeu rationẽ hanc affert: Quia ſcio vnde venerim, quò vadam. Id eſt, ſcio quis ſim, & à quo miſſus ſim, quid item mihi in mandatis datum ſit, & q rediturus ſim, vbi meam functionem obiero. Alij quidem homines è terra nati terreni negotij cupiuntur & affectibus carnis abrepti in propria cauſa ea loquuntur & agunt, quæ illis conueniu aut ſeruiunt, ideoq; ſuſpecta meritò ſunt illorum omnia. Ego autem ex ipſo Deo proceſi, cuius unus & illi conſſentialis filius ſum, & licet hominem quoque aſſumpſerim, hoc tamen non communi tione, qua alij homines generantur, factum eſt, ſed ſpiritus operatione, quæ mihi ex virgine genitr tionem puram & ab omni vitio naturæ humanæ aut hæreditariæ corruptionis alieniſſimam pr buit. Nullis itaq; affectibus prauis abripior, ſed totus à Dei patris mãdato pendeo, vt quod illi mi iniunxit exequar, id eſt, vt humanum genus meæ mortis merito redimam, inde verò reſpiſcat mortis imperiũ deſtruam, & relictis terris aſſumptam carnem in cœlos inferam, vt illic gloriæ mæ cæleſtis conſors fiat. Quia ergo talis ſum, verus nimirum Dei filius, homo autem factus ſum ad

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

peccato, adhæc non priuatas res ago, sed quas Deus pater ad publicam humani generis redemptionẽ mihi iniunxit, nemo me quoad hanc causam humanis legibus teneri dixerit, quò minus de meæ dispensationis mysterio, quod humani ingenij vires longè superat, testimonium feram. Quis enim alius hoc facta cõmodius & verius? Itaque argumentum hoc vestrum minimè consistit, & quàmuis ego contra vulgò receptam inter homines consuetudinem de meipso tester, testimonium tamen illud legitimum, idoneum & fide dignissimum est, &c.

Christus suæ doctrinæ testis idoneus & sufficiens.

Obseruabimus hoc loco primùm, Christum suipsius & doctrinæ suæ testem esse idoneum & per omnia sufficientem, adeò vt eam nullis præterea testimonijs opus sit confirmari. Docet hoc lucis parabola, quam heri vidimus. Vt enim lux suo splendore de semetipsa testatur, neq; alia luce opus habet, qua illuminetur aut innotescat: Ita quia lux vera & æterna Christus est, ipse etiã proprijs operibus se mundo declarat, vt testimonia noua aliunde producere non sit necesse. Adde hũc, quod Deus verus est. Quis verò Deum testimonijs aliorũ subijci debere dixerit? Sed & Veritas ipsa est, quam gentium quoq; philosophi nudam finxerũt, vt eam nullo externo præsidio aut phaleris ascititijs opus habere docerent. Præterea cùm à Deo missus sit, qui ipsi publicè testimoniũ tulit, cùm ab Ioanne baptizaretur, in Deũ iniurij & impij sunt, quot quot illi fidem adhibere dedignantur. Sunt hæc ijs opponenda hodie, qui Euangelij doctrinam ecclesiæ testimonio confirmari oportuisse contendunt, idque eam potissimum ob causam dicunt, vt ecclesiæ authoritatem supra scripturas euehant, deinde verò sub ecclesiæ prætextu potestatẽ sibijpsis vendicent inuehendi nouas traditiones & quiduis cõstituendi pro suo arbitrio: sicuti iam seculis aliquot ab illis factitatum fuisse scimus. At sicut Christus ipse sibi testis est sufficiens, ita Euangelium quoque ab ipso nobis traditum authoritatem & fidem ex seipso habet, & tam abest, vt ab hominum testimonijs pendeat, vt nec sancti nec ecclesiæ membra, aut promissionum Euangelij consortes censeri debeant, nisi qui ex illo semine renati, se totos illi per fidei obedientiam subiecerint.

Christus conscientiæ suæ testimonium allegat.

Deinde non præteriri debet, quòd suæ conscientiæ testimoniũ aduersus hostes suos & prophanos suæ doctrinæ cõtemptores Christus allegat. Scio (inquit) vnde venerim, &c. Quasi diceret: Etsi vos me ignoretis, aut etiam scientes de me falsa & iniqua loquamini, ego tamen scio qui sim, quod item mandatum à Deo patre acceperim, & qua fide in eo hactenus sim versatus. Et hoc mei animi probè sibi conscij testimonium mihi sufficit, vt vestris calumnijs minimè offendar. Ita nos quoque nobisipsis animum addere conuenit, quando non aliud est, quo nos aduersus hostium veritatis conuitia & mendacia tueamur. Cogitemus nos causam bonam sustinere, neque latere Deum qua fide hactenus egerimus, & eundem cùm iustus & fidelis sit, minimè neglecturum seruos suos, qui officiũ suum probè faciunt. Deinde vt Christo Domino nihil decesserit ex hostium ignorantia aut improbitate, ita nec nobis officient ingrati mundi calumniæ, quò minus studium nostrum Deo probetur, & suum quoque effectum habeat. Et ista quidem cumprimis locum habent in fidei & religionis negotio. Ibi enim ferè audiunt schismatici, hæretici, impostores, seductores & turbatores publici, quicunque vni Deo per fidem in Iesum Christum seruire student: neque vllus excusationi locus est apud tyrannos, qui cùm omnes homines facilè contemnant, in hac sola causa Pontificibus gratificari in animũ induxerunt. Tunc ergo cum Christo dicamus: Scimus quis nos in istam arenam deduxerit, & vbi nobis brauium sit repositum. Quibus etiam illud Pauli addere licebit: Scio cui crediderim, & mihi persuasum est, eum posse depositum meum in illum diem seruare, &c. Obseruemus hoc ipsum in ominibus alijs negotijs, quæ nobis incumbunt, quando constat Deum omnium inspectorem esse, & eos tueri qui bona conscientia in commisso sibi munere funguntur. Fecit hoc olim Dauid, quando Saulis tyrannide pressus omnia fora & tribunalia sibi clausa videbat. Tunc enim ad Deum prouocabat, bene nimirum sibi conscius: neque eum fefellit conscientiæ testimoniũ quando vindicem sensit Deũ, in quo sperabat. Idem Paulum fecisse legimus, cùm publicus Iudæorum hostis esse, & in illorum odium gentes ad ecclesiæ consortium adducere crederetur. Tunc enim Rom. 9. sic scripsit: Veritatem dico in Christo, non mentior, attestante simul mihi conscientia mea per spiritum sanctum, quòd dolor mihi sit magnus, &c. Idem aduersus ministerij sui calumniatores hoc ipso potissimùm argumento se consolabatur, vt in posteriori ad Corinth. cap 1. est videre, vbi ait. Gloriatio nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ, quòd cum simplicitate & syncerit ate Dei, non sapientia carnali, sed

Psal. 7. 26. &c.

per gratiam Dei versati fuerimus in mundo, abundantius autem erga vos, &c. Discant ergo tales sibi applicare omnes ministri atque magistratus, qui ingratos & improbos suorum laborum & curarum æstimatores experiuntur eos, pro quorum salute ipsi dies & noctes inuigilãt. Faciant idem coniuges, quibus contigit cum duris & morosis coniungi: serui item, quibus cum heris iniquis res est: subditi, qui tyrannos immites sentiunt: omnes denique, qui iniquis iudicijs circunuenti innocentiam suam aliter tueri nõ possunt. Atq; hoc ingens illud bonæ conscientiæ bonum est, quod omnia aduersa mitigat & leuia reddit: cuius consideratio sola innocentiæ studium nobis cõmendare debebat, quando hoc bono frui non possunt, qui aut malis artibus in aliquam functionem sese intrudunt, aut in officijs suis perfidè & malignè omnia faciunt.

Causam erroris indicat phariſæis.

Sed redeamus ad præsentis loci tractationem, vbi Christus phariſæis causam erroris ipsorum aperit, & simul ipsorum temeritatem reprehendit, qui ipsum nimis præcipiti iudicio damnabant. Vos (inquit) nescitis vnde venerim, & quò vadã, id est, nescitis qui sim, quæue mea sit origo, et quæ mea dispensationis scopus & finis sit. Hinc fit quòd secundum carnẽ iudicatis, quia & in me nihil aliud nisi humilem carnis assumptæ speciem consideratis, & simul vestræ carnis affectum sequimini, qui nisi priuati cõmodi & gloriæ studio transuersos abripit, ne quod verum & vobis salutiferum est videre possitis. Longè aliter ego, qui non quenquam iudico, id est, non ita indulgeo affectibus, vt meum non sit cum præcipitem, sed etsi magna & iusta mihi sit occasio aliquid seuerius contra vos statuendi, tamen memor cuius causa in mundum venerim, saluti potius tam vestræ quàm aliorum hominum cõsulo. Et iudicium autem omne in eum diem reseruo, quem illi Deus pater ab æterno constituit. Hæc verba Christi sententia, meo iudicio, simplicissima est, & cũ præsenti tractatione optimè conuenit. Vt primùm illius modestia diligenter considerari debet, cum ista & conuenienti seueritate coniunctã. Poterat enim in illis accusare malitiosum & incurabile contendendi studium, imò dignas impietatis suæ pœnas ab illis exigere poterat, & exempla in illos edere, qualia olim Mosis & Eliæ temporibus in verbi Dei contemptores edita fuisse scimus. Sed mansuetudinis suæ memor culpam illorum extenuat, et ignorãtiæ tribuit, quod impietas dici merebatur. Nescitis (inquit) vnde venerim, quis sim. Ita tamen hoc dicit, vt simul non excuset aut dissimulet temeritatem ipsorum, quæ ex voluntaria & crassa ignorantia enascebatur. Mox enim addit: Vos secundùm carnem iudicatis. Quum & iniustum esse non poterant ignorare, qui legum & iuris præsides volebant haberi. Sed istam temeritas ista inscitiam comitari, quando ita comparatum est, vt ferè damnemus quicquid non videramus, ne res viles & alicuius pretij ignorare videamur. Est autem exemplum hoc Christi nobis clarum valde, & dignum quod omnes imitentur: ne vel odiosius exagitent errores aliorũ, qui emendari adhuc possunt: vel ignauè & turpiter dissimulent, quæ reprehensione digna sunt, & quæ emendari necesse est. Exigit vtrunque charitatis lex, quæ proximi peccata operire, & rursum errantes corrigere iubet, ne vel vulgò infames fiant, vel in suis erroribus malè pereant. Peccatur hodie nimiùm vtranq; partem. Regnat enim vbiq; inuidiæ malum, quo fit, vt leuissima quæque delicta nimis facilè notemus, & mox odio abrepti eadem mirificè exaggeremus, adeoque capitale facinus putemus quicquid præter officium alij faciunt. Neque tamen hoc illis audientibus facimus, vt quicquid emendatione dignum sit intelligant, sed potius ne quid emendare possint, clàm illis obtrectamus, & hoc vnum intenti, vt apud omnes exosi & infames fiant. Vide autẽ quàm alieni sint à spiritu Christi qui hæc faciunt. Is enim etsi iudicio suo falli non posset, & iudicandi potestatem sibi deberi sciret, noluit tamẽ quicquã præcipitantius pronunciare in eos, qui quouis supplicio digni erant. Num ergo eius spiritu duci eos putabimus, qui cum sæpe nihil certò cõperti habeant, & se falli posse sciant, tamen certi sunt, adhæc sibi interdictũ esse sciant, ne quem temere iudicent, nihilominus tamen affectibus suis tam impotenter indulgent, vt omni contumeliæ & probri genere eos adobruant, quos amare & fouere, & errantes amicè in viam reducere debebant?

Christi modestia seueritate temperata.

Ignorãtia Christi errorum omnium causa est.

Docet præterea locus hic, ignorantiã Christi Iesu præcipuã omnis erroris & impietatis causam esse. Quia enim solus hic lux mũdi est, & extra illum tenebræ omnia occupant, fieri non potest, vt non turpiter & pernicioſè errent, quicunq; illius cognitione destituuntur. Fit hoc in fidei & religionis negotio, ex quo salus nostra dependet. Quomodo enim non errabit in fide, qui huius fundamenti, [illegible]

stium Iesum, ignorat? Quomodo item Deum rectè colet, qui fide caret, sine qua peccatum est quicquid facimus? Aut num cum Deo in gratiã redire & seruari poterit, qui gratiæ & salutis mediatorem non agnoscit? Quàm multiplex certè errandi occasio hic sẽ offerat, res ipsa docet, quando cõstat mundum olim in sectas diuersissimas scissum fuisse hanc vnam ob causam, quòd Christum ignoraret: & hodie non alia sectarum & dissensionum, adeoque absurdissimarum superstitionum causa est, quàm quòd Christum non nouit mundus vel saltem illum non vult nouisse. Nam si huius cognitionem admitteret, mox neq; satisfactionibus, neq; nostrorum operum meritis, multò minus autem personato eius vicario, sacrificio Missæ, purgatorio, Diuorum intercessione aut alijs eiusmodi rebus opus esse videret, quæ miseros hinc inde distrahunt. Eadem est vitæ totius ratio. Qui enim Christum nouerunt, ij peccata odisse solent, quæ eius morte expiari oportuisse intelligunt, simul verò innocentiæ & sanctimoniæ studium animo concipiunt, & in illo propositum vitæ exemplar sedulò sequuntur, quod illos à vero virtutis tramite aberrare nequaquam sinit. At qui illum ignorant, ijs lusus & fabula est, quicquid de sceleribus & horum pœnis dicitur, & ijdem facilè Epicureas de Deo cogitationes admittunt, et illis seducti in omne scelus ruunt, quod suis desiderijs arridere sentiunt. Exemplis hîc minimè opus est, cùm res ipsa abundè loquatur. Studeamus ergo Christi cognitioni, quæ tunc demum vera & nobis salutaris erit, si neq; secundùm vilem carnis ab illo assumptæ speciem, neque secundùm nostræ carnis sensum de illo iudicemus, sed talem agnoscamus, qualem propheticæ & Apostolicæ scripturæ depingunt.

Christi iudiciũ semper uerum est.

His interfertis redit ad institutum Dominus, & amplius docet, maximũ inter se & illos discrimen esse, neq; reijci debere testimonium seu iudicium suum, quod de seipso aut alijs hominibus ferat. Ait enim: Quod si etiã iudicem ego, iudiciũ meum verum est. Rationẽ, qua hoc probet, hanc affert: Quia nõ sum solus, sed ego et pater qui misit me. Patrẽ sibi adesse dicit, non vulgari more loquens, vt cum aliquẽ aliorũ præsentia siue auxilio stipari dicimus, sed vt coniunctionẽ, quæ illi cum patre intercedit, arctissimã & summã exprimat. Missionis enim vocabulo (quod et Augustinus annotauit) non aliquã filij à patre separationẽ, sed incarnationẽ denotat, qua factũ est, vt in carne nobis manifestaretur, qui tamen à patre, quoad diuinitatis essentiã nunquam recessit. Vnde idem Augustinus dicebat: Si in cœlo pater, in terra filius, quomodo pater cũ filio erat? Quia & pater et filius vbiq; erat. Non enim in cœlo sic est Deus, vt non sit in terra. Quòd si verò priusquàm caro Christi glorificaretur, filius ille vbiq; fuit quoad diuinitatẽ, cur hodie illius in ecclesia præsentiã negare dicimur, quando eum quoad carnẽ, hbi in cœlis locũ certũ delegisse docemus, cuius diuinitas omnia penetrat? At præsentis loci hic sensus est: Quandocunq; ego iudico, siue de mea causa, siue de vobis aut alijs hominibus, iudiciũ meum ratum erit: Non enim sum ex hominũ vulgarium numero, sed verus & patri coæternus atq; coessentialis sum Dei filius, qui à patre nusquã diuellor aut separor, et licet homo factus in mundũ venerim, illum tamen quoad carnem quoq; mihi semper habeo cõiunctum, neq; aliquid ex carnis affectu ago, sed in oĩbus actionibus meis obseruo patris voluntatẽ, & illius spiritu ducor. Facit hoc multum ad Christi cõmendationem, & ad asserendam salutis nostræ certitudinẽ. Debet enim ad omnia extendi, quæ illum vnquam fecisse legimus, vt nimirum illum agnoscamus verum Dei filium, qui ab illo cõmissum sibi munus obierit, & cũ patre semper manserit & maneat cõiunctus. Quoties ergo docentem audimus, cogitemus non solum esse, sed patrem secum habere, adeoq; vnũ et eundẽ cum patre Deum esse: & proinde doctrinã eius non hominis, quem assumpsit, sed Dei esse, & pro diuina recipi debere. Audimus promissiones, quibus in se credentibus vitã æternã pollicetur: cogitemus hæc non ab homine solo dici, sed à Dei filio, cui pater hanc potestatẽ dederit, eiusq; promissiones ratas esse velit. Audimus illum famem, sitim, ignominiam, flagra & verbera, mortem demiq; acerbam in cruce sustinuisse: hîc nobis in mentẽ veniat, illum nõ solum esse, sed Deum simul & hominem esse, & licet nihil horum passa sit Deitas, tamen quæ ille in assumpta carne passus est, ex coniuncta sibi Deitate suam dignitatẽ obtinent, & ideò ad peccatorũ nostrorum expiationẽ sufficere possunt, quia idẽ ille dilectus Dei filius est, qui vt homo cõemptissimus ista omnia sustinuit. Ex hæc cogitando minus offendemur crucis ignominia, & certissima nobis erit, quam in eius merito collocamus, nostræ salutis fiducia. Cæterum vt ista de se pronunciat Christus, ita nos quoq; idem nobis & omnibus ijs conuenire cogitemus, qui ex Dei mandato aliquid dicunt aut faciunt, licet non naturaliter & essentialiter

cũ Deo vniti sint. Prophetis certè olim pollicebatur Deus, quòd ipse illis adesse, & sua verba in illorum ora & linguas deponere vellet: & Christi ad Apostolos vox est: Non vos estis loquentes, sed spiritus sanctus. Item: Ecce ego vobiscũ sum vsq; ad cõsummationẽ seculi. Hinc ergo colligamus Prophetas & Apostolos non solos fuisse, & illorum doctrinam ad Deum authorẽ debere referri, & proinde certam esse & infallibilem. Idem ad se quoq; pertinere sentiant ministri omnes, qui iniunctum sibi docendi munus fideliter obeunt: & qui illos contemunt, se in illis ipsum Deum & Dei filium contemnere sciant, cuius nomine (vt Paulus ait) ipsi legatione funguntur. Eadem magistratus legitimi est ratio. Quia enim hunc Deus instituit, huic sua iudicia commisit, & se in iudicum consessu medium versari dicit, non soli sunt iudices quando sententias dicunt ex lege Dei, sed hunc secum habent, qui sententias eiusmodi nequaquam patietur irritas esse. Similiter quæcunque parentes cum liberis ex officio agunt, non soli agunt, sed adest illis Deus, qui authoritatem, qua illos muniuit, labefactari minimè patietur. Sint ergo in huius dicti consideratione frequentes omnis loci & ordinis homines: sic enim fiet, vt qui officium aliquod publicum sustinent, animum ex eo concipiant imperterritum, reliqui verò libenter se ijs submittant, quæ diuina authoritate fieri intelligunt.

Christus legis authoritate pugnat.

Pergit autem Christus, & vt auditorũ, vel potius hostium acerrimorum ingenio se melius accommodet, argumentũ ex lege profert, quo illorum calumniam confutat, & sui de seipso testimonij veritatem asserit. Sic autem ait: Sed & in lege vestra scriptum est, quòd duorum hominũ testimonium verum est, &c. Lege vestra, inquit, non quòd hanc Dei legem esse neget, sed quòd illis potissimùm data esset, & ipsi huius cognitione cũprimis gloriarentur. Extant autẽ leges istæ Deut. 17. & 19. ad hunc modũ: Secũdùm os duorũ aut trium testiũ morte mulctetur (scilicet qui facinus aliquod capitale designauit) secundùm os vnius testis non interficiatur. Et rursus: Nõ stabit testis vnus cõtra aliquem in quacunq; iniquitate, in quocunq; peccato, in quocunq; scelere, in quo peccatũ fuerit: sed in ore duorũ testiũ, aut in ore triũ testium stabit omnis actio. Quibus legibus iudiciorũ licentiã Deus coercere voluit, & iudices in audiendis testibus officij admonere, ne temere accusationes quorumuis recipiant, quando nemo tam inculpatè viuit, qui non hostem aliquem habeat, qui ipsius honori & vitæ insidiatur. Et quàm periculosum sit viro bono fortunas & famam suam testibus subijcere (qui si non malitia, certè inscitia & obliuione, peccare facilè possunt) exempla multa testantur. Hinc autẽ ex recepto & diuinitus præscripto iudiciorũ forensium more Christus argumentũ eiusmodi ducit: Si duo de re eadem vnanimiter testentur, testimoniũ illorũ verum est, id est, idoneum et verum esse iudicatur. Atqui ego de meipso testor, & simul de me pater quoq; testatur, qui me misit. Ergo testimonium illud pro idoneo & vero haberi debet. Poterat tamen argumentum hoc, si ad legum ciuilium regulam examinetur, infirmius videri, quia hæ neminẽ in propria causa testem admittunt, neq; etiam testandi potestatem faciunt parentibus aut quocunq; propinquiori consanguinitatis gradu coniunctis. At hîc repetemus, longè aliam esse Dei rationem, qui humanis legibus non tenetur, & Christum quoque tam propter diuinam eius naturã, quàm propter personam ipsi à Deo patre impositam è cõmuni hominum gradu eximi debere. Et sufficiebat in præsenti demonstrare, non omnino alienum esse à publica & recepta iudiciorũ forma, quod ipse pro causæ suæ defensione afferebat. Habet autẽ locus hic videns de distinctione personarum patris & filij testimonium. Quia enim duos testes sistit, seipsum nimirum & patrem, quoad personas distingui eos oportet, licet quoad essentiam vnus Deus sint. Rectè ergo hunc locum contra Sabellianos & Patripaßianos D. Augustinus producit, qui vt Deum vnum esse probarent, personas confundebant, & Patrem ipsum hominem factum & passum esse contendebant. Neq; periculum est, ne duos Deos nobis fingamus. Manet enim firmum principium hoc, quod scriptura tradit, Deum vnum esse, quàmuis in illo vno tres personæ distinctæ nobis describantur. Præterea diuinitatis Christi argumentum hîc continetur aduersus Arianos veteres & nouos, qui quando filium à patre mitti audiunt, mox aliud quid quàm incarnationem imaginantes, illum hoc inferiorem & minorem esse clamant. At qui alibi dixit: Ego & pater vnum sumus, hîc eandem sibi cum patre authoritatem atq; fidem tribuit. Nam in eodem sese cum patre gradu collocans, ait: Ego sum qui testor de meipso, & testatur de me pater, &c. At quia hæc alterius loci sunt & temporis, nunc ijs omißis ea videamus, quæ ad præsentem tractationem pertinent.

Vbi pri-

Vbi primùm occurrit, quòd Christus doctrinã suam non alio quàm suo & patris testimonio confirmat. Atqui nõ deerant testes alij authoritate graues, vtpote Moses, Dauid, Solomon, propheræ, Simeon, Anna, Ioannes Baptista, denique angeli, qui illum natum primi pastoribus nunciauerunt. Sed vno hoc in præsenti contentus est, vt ostendat totam suæ doctrinæ & nostræ in ipsum fidei causam, non hominum testimonijs, sed Dei patris authoritate niti, adeoq; authoritatẽ ex seipsa habere. Est ergo turpis nimiùm error eorum, qui in religionis causa ad homines respiciunt, quorum fides nõ potest non dubia esse, cùm carnis ratio in diuinis planè cæca sit, nec quicquam videre possit, nisi Dei spiritu illuminetur. Itaq; nemo offendatur, si hodie euangelicæ veritatis sectatores paucos & ferè ignobiles, huius autem hostes illis numero, potentia & authoritate multò superiores esse videat. Semper enim iam inde à prima origine rerum maior fuit eorum numerus, qui de Deo minus rectè senserunt, & hoc nouissimis quoq; temporibus sic fore Christus non vno loco prædixit.

Christus patris solius testimonio nititur.

Præterea doctrinæ Christi seu euangelij certitudo hinc colligi potest, quòd Dei patris testimonio illam confirmari audimus. Est hoc multiplex admodum. Huc enim referri debent primæ promissiones, quarum authorem fuisse Deum, liber Geneseos abunde testatur. Pertinent eòdem quæ apud Mosem in reliquis libris de Christo habentur, quando hæc ille non aliunde quàm ex Dei colloquio & spiritus reuelatione habuit. De prophetarum oraculis idem dicamus oportet, nisi illos incertis somnijs agitatos fuisse dicere libeat. Luculentissima tamen omnium sunt, quæ de illo iam in carne manifestato cœlitus pronunciauit, dicẽdo: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui: Hunc audite. Accedunt his opera, quæ inter patris de se testimonia referri debere, ipse docebit Cap. 14. his verbis: Verba quæ ego loquor vobis, à meipso non loquor: Pater autem in me manens, ipse facit opera. Potest his connumerari vnanimis apostolorum consensus, quos ex spiritus suggestione de Christo & euãgelio eius testatos fuisse scimus. Quibus omnibus si Martyrum chorum addas, qui doctrinam hanc atq; fidem sanguine etiam suo confirmarit, fatendum erit, nullum vnquam doctrinæ genus extitisse, quod pluribus & fide dignioribus testibus fuerit confirmatum. Est ergo maxima nostræ religionis & fidei dignitas, inexcusabilis autẽ & quouis supplicio digna illorum temeritas, qui post hæc omnia illius certitudinem in dubium vocare audent. Nos itaq; relictis illorum delirijs vnam hanc doctrinam audiamus, quæ vt omnium est certissima, sic omnibus, qui hanc amplexantur, salutem certam & omnibus numeris absolutam offert in Christo Iesu, vnigenito Dei filio & seruatore nostro: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

Euangelij certitudo.

HOMILIA LXXI.

Dicebant ergo ei: Vbi est pater tuus? Respondit Iesus: Neq; me nostis, neq; patrem meum: Si me nossetis, patrem etiã meum nosssetis. Hæc uerba locutus est Iesus in Gazophylacio, docens in templo: & nemo prehendit eum, quia nondum uenerat hora eius.

Dui euangelistæ ex spiritus sancti suggestione diligenter describunt crebra & assidua certamina, quæ Iesus Christus cum suis hostibus sustinuit: nobis verò illorum vsus est duplex, vt primum ex his discamus, quæ semper doctrinæ eius in hoc mũdo sors futura sit, neq; offendamur temerè, si hanc & eius sectatores à multis oppugnari & certaminibus periculosis exerceri videamus. Deinde vt exemplo Christi discamus, quid nos interea facere cõueniat. Quo loco plurimùm nobis seruire potest præsentis concertationis tractatio, si scopum probè obseruemus, quem in ea Christus sibi propositum habuit. Est is, quòd ostendit in se patefactam esse salutiferam æternæ veritatis lucem, quæ sola in tenebris versantes illuminet & dirigat, vt vitam cõsequi possint. Hoc verò negantibus aduersarijs Dei patris testimonium opponit, & cùm multa alia producere potuisset, hoc vnum sufficere putauit, quo causam suam tueretur. Idem ergo hoc nobis quoq; sufficiat aduersus omnem huius mundi authoritatem & hostium veritatis calumnias, quòd nimirùm scimus nos causam bonam sustinere, & ipsius Dei testimonio probari, qui solus huius causæ iudex est.

Iudæi Christũ de patre interrogant.

Sed videamus locũ, quem modò recitauimus, cuius prima parte narratur, quid Christo patris testimonium alleganti, pharisæi responderint: Vbi (aiunt) est pater tuus? Est hæc quæstio prophanæ contemptus plenissima, & simul insidiosa nimis. Perinde enim est, ac si dicant: Multa quidem tu de patre tuo gloriaris, & huius authoritatẽ nobis subinde inculcas. At vbi tandem est pater ille tuus? quin illum coràm sistis, vt quis nam aut qualis sit videamus? Vel num adeò nos, vecordes & leues esse putas, qui eius testimoniũ admittamus, quem nobis nondum contigit videre, & qui albus ne aut ater sit, nescimus? Hæc autem dicendo, simul apertam de patre suo confessionem ex illo elicere cupiunt, vt ampliorem calumniandi occasionem habeant. Si enim patrẽ suum dicat Deum, mox illum impium diuini honoris affectatorem, & proinde morte dignũ esse clamabunt: quod supra illos fecisse vidimus Cap. 5. Quòd si patris sui putatitij, seu nutritij potius, mentionẽ faciat, cum risu illum excipient, qui hominem pauperculum, idiotam, fabrum, & qui fortassis non amplius in viuis erat, sanctissimo doctissimoq; pharisæorum atq; scribarum collegio opponat, sicq; toti populo deridendũ propinabunt. Venit itaq; hic nobis consideranda astuta & subdola hostiũ veritatis improbitas, qui quicquid cum illis agas, inueniunt semper quod calumnientur. Non possunt illi ad argumenta Christi respondere, multò minus opera eius negare, quibus se ex Deo natum esse probabat. Improbè tamen & scurriliter contemnunt atque eludunt, quod de Deo patre dixerat, & vbi nam ille sit quærũt, cuius virtus & potentia in omnibus Christi dictis & factis elucebat. Similis est hodie multorum improbitas, qui si scripturarũ testimonijs conuincantur, vt ea negare non possint, neq; rationibus idoneis confutare, ad calumnias conuersi, scripturæ sacræ authoritatem cõuellere audent. Fatemur (inquiunt) hæc scripturis contineri, sed an Deus ista dixerit, quærimus. Vel, vbi nam ista dixit Deus, quæ vos sub eius nomine proponitis? Scripturas quidem vos allegare audimus, sed annon mendacia quoque perinde vt quod verum est scribi possunt? Vel quis nos certos faciet, ne vel vos ipsos vel saltem vestri similes librorum istorum authores esse dubitemus? Audiuntur hæc & alia huius generis multa, quæ vt de seculi nostri impietate testãtur, ita facilè cõfutari possunt. Et vt ab eo exordiamur, quod illi postremo loco inferunt, vnanimi vetustatis consensu, adhæc Iudæorum & Turcarum testimonio excusamur, scripturæ veteris libros neq; à nobis neq; nostri similibus confictos aut scriptos esse. Inter huius enim authores, vel potius amanuenses spiritus sancti, Moses numeratur, Imperator celeberrimus, quo cum nullus eorum conferri potest, qui aliarum gentium historijs cõmendantur. Quem enim dabis alium, qui tot armatorũ millia vnà cum suis vxoribus, liberis, senibus fortunis deniq; suis omnibus, totis annis quadraginta duxerit, & inter omnis generis pericula seruarit? Sequitur hunc Iesue, regum potentissimorum victor. His accedunt Samuel, qui summũ in Israelitica gente magistratum gessit, Dauid & Solomon, reges potentissimi. Sed & inter prophetas, non omnes eiusdem loci & ordinis fuisse cõstat. Alij enim ex sacerdotibus, alij ex nobilibus & regijs familijs, alij ex plebeis prognati fuerunt, quosdam verò ab agricultura & re pecuaria ad docendi munus Deus vocauit: quos ipsum de noui quoq; Testamenti scriptoribus ex parte dici potest. Iam si ipsas scripturas videamus, quid hæ aliud tradunt, quàm quòd partim naturæ legibus, partim ipso rerũ euentu cõfirmatur? Leges enim & præcepta cum communi sensu & lege naturæ conueniunt, promissiones verò & prædictiones euentu ipso comprobantur. Historia verò rerum cognitu dignissimarũ ab ipsa mundi origine in scripturis continetur, ea diligentia consignata, vt ex solis his certa temporũ series colligi possit, ex qua de aliarum historiarum fide iudicium fiat. Quæ ratio olim Ptolemæum Philadelphum mouit, vt libros illos in Græcam linguam transferri curaret, vt in Bibliotheca totius orbis celeberrima locum habere, & à pluribus legi possent. Adde his consensum totius scripturæ, qui inter scriptores tam multos tamq; diuersos tantus apparet, vt vel solus hic testetur, omnes illos ex vnius & eiusdem spiritus suggestione locutos esse atq; scripsisse. Est ergo horribilis & omni execratione digna istorum hominum impietas, qui in tanta euangelij luce hæc dicere audẽt, quæ Iudæorum improbitatẽ omnino referunt. At simul horum exemplo admonemur, quæ causa sit, quòd hodie etiã doctrina Christi passim contemnitur: Nimirùm quòd de eius patre adhuc pleriq; dubitant, neq; Dei filium, aut à Deo missum doctorem esse credunt. Hinc fit, vt licet nomen Christi multi ore profiteantur, eundem tamen vita & factis abnegent, & in corde dicant: Vbi est pater Christi? Vel quis tandem Christus ille, cuius legibus omnes obedire necesse est? Nisi enim prophanæ istæ opiniones & cogitationes impiæ multorum

Scripturæ authoritas asseritur.

torum animos occupassent, impossibile foret, euangelij doctrinam tam parum authoritatis habere inter eos, qui Christianorum nomen sibijpsis publicè vendicant.

Adumbratur præterea in his cõmunis humani ingenij cæcitas, qua fit, vt Deum quasi nuspiã sit, subinde quæramus. At vbique sit oportet, qui cœlum & terram implet, sicuti de semetipso apud Ieremiam testatur. Et Dauid se illius conspectũ subterfugere non posse dicebat, siue in cœlum ascenderet, siue in maris abyssum descenderet, aut etiã in terræ visceribus occultaretur. Psal. 139. In illo denique (vt Paulus Poetæ ethnici verbis docet) sumus, viuimus atq; mouemur. Attamen vbi nam sit Deus, pleriq; quærunt, & interdum pijs quoq; eiusmodi cogitationes obrepunt, vt Dei locum sibi manifestari cupiãt, vt suo tempore in Philippi exemplo discemus, qui Christo dicebat: Domine, ostende nobis patrem. Idem ergo quoad Deum fieri solet, quod de anima fieri videmus. Vt enim de illius sede multi anxiè & curiose disputant, cùm illa in omnibus corporis nostri membris efficaciter operetur, & in omnibus actionibus nostris, imò in somnis quoq; sese conspiciendam præbeat: Ita cùm Deus non procul absit ab vnoquoq; nostrûm (vt rursum Pauli verbis vtamur) & singulis momẽtis illius opera oculis nostris obuersentur, adhuc tamen vbi nam ille sit, quærimus. Sunt autem eiusmodi cogitationes siue quæstiones admodum periculosæ. Nam vt disputationes de anima multis de illarũ immortalitate dubitandi occasionem dederunt, qui primus ad Epicureismum gradus est: Ita otiosæ de Deo disputationes multos eò deducunt, vt Deum esse omnino negent, aut saltẽ dum vbi ille sit, nescire volunt, eius prouidentiam in dubium vocent. Quæ causa est, quòd rebus secundis turpiter abutuntur, & quasi Deo absente pro sua libidine omnia faciũt: in aduersis verò horribiliter desperant, & licet Dei præsentis testimonia plurima habeant, adhuc tamẽ se ab illo ignorari & omnino derelictos esse queruntur. Fugiamus ergo quæstiones eiusmodi, & vt Deum esse credimus, ita illum nobis præsentem adesse cogitemus, vt in conspectu eius sanctè viuamus, & certam in quouis aduersariorum genere habeamus consolationem.

Humani ingenij cæcitas.

Porrò Christum Dominum audiamus, qui ad quæstionẽ illorum non directè respondet, sed ignorantiam ipsorum maiorem esse docet, quàm ipsimet arbitrentur. Et meritò quidem sic eos tractat, qui mitiori institutione nequaquam digni erant, cùm non discendi studio interrogarent, sed malitiose calumniandi occasionem quærerent. Deinde necesse fuit arrogantẽ illorum persuasionem deijci, qua sese efferebant, quasi in vera Dei cognitione omnium instructissimi essent. Quod ipsum etiam hodie fieri oportet, si in cõfidentes sciolos incidamus. Vt enim malè instituti discipuli sub præceptoribus nouis & eruditis nihil proficiũt, nisi quod perperã didicerunt rursus dediscant: Ita nec in Christi schola cum aliquo fructu versabuntur, qui veteres opiniones nõ prius abijciunt, & se prorsus rudes & ineptos esse sentiunt. Sic ergo istos alloquitur Christus: Neq; me nostis, neq; patrem meum. Videmini quidem vobis egregiè sapere, adeoq; Dei veri cognitionem vobis solis quasi ex priuilegio quodã vendicatis: Me verò hominem arbitramini vilem & obscurum, qui meritò à vobis contemni debeam. Sed in vtroq; multùm fallimini. Nam neque me nouistis qui sim, neque patrem meum. Et mox sui dicti rationem subijcit: Si me nossetis, patrem etiam meum nossetis. Quæ verba contraria videntur ijs, quæ Cap. 7. dixit: Et me nostis, & vnde sim nostis. Sed contradicentiæ species facilè tollitur, si vtrobiq; rem ipsam, de qua agitur, inspiciamus. Supra enim per Sarcasmum in illos regerit quod ipsi dixerant, se Christum nouisse humili loco natum, qui Messias dici nullo modo mereatur, & vt proprij oris testimonio illos conuincat, eam sui cognitionẽ illis tribuit, quam ex operibus eius vel inuiti concipiebant, & quæ illis condemnandis sufficere poterat, cùm opera illum hominem non vulgarem esse abunde testarentur. Itaq; plus illos nouisse dicit, quàm aliquando ipsis sit profuturũ, si in impietate sua contumacius perseuerent. Hic autem de vera & perfecta sui cognitione loquitur, qua electi ipsum agnoscunt verum & æternum patriq; coessentialem Dei filium, qui ex æterno patris decreto homo factus, genus humanum redimat. Hãc quia Iudæi nõ habebant, rectè se ab illis ignorari dicit. Inde verò colligit, quòd neq; patrem nouerint. Neq; enim rectè agnoscitur Deus, nisi talem agnoscamus qualis reuera est, & qualem sese præbet in nostræ redemptionis negotio, quod opus eius omnium excellentissimum esse, nemo sanus negauerit. Quia verò hoc totum per filium confecit, fieri nõ potest, vt illum verè norit, quisquis hunc ignorauerit. Est itaq; locus hic multa consideratione dignissimus. Docet enim, quæ vera & salutifera sit Dei cognitio, ad quam omnes homines necessariò aspi-

Christus Iudæorum ignorantiam arguit.

Quæ uera Dei cognitio.

rare debeant. Habuerũt quidem aliquam supremi numinis notitiam gentes, quam ex operibus eius illis obtigisse, Paulus scribit. At hæc intra suos terminos substitit, quòd nimirum in genere intellexerunt Deum esse, qui mundum hunc creasset, creatũ gubernet, & quòd idem tam iustis quàm iniustis remunerator sit. Eundem verò hunc simul patrem esse, qui nos per peccatum ex priori dignitate ejectos denuo adoptarit, & in filio suo vero renatos sibi filios et regni sui hæredes fecerit, minimè intellexerunt. Quare cognitio illa aliquem quidem numinis metũ incutere, & superstitiosorum cultum causam præbere potuit. salutẽ verò & vitam conferre non potuit. Eadem ratione dæmonibus quoq; Dei cognitionem Iacobus apostolus tribuit, ad quam illi contremiscunt: at quia ijdem non talẽ agnoscunt, in quo certã salutem sperare, & cui obedire debeãt, nihil ex ea vtilitatis capiunt. At quia animalis homo suis viribus ad sublime illud humanæ redemptionis mysterium ascendere nõ potest, hinc quoq; salutiferam Dei cognitionẽ nunquam assequetur, nisi in Christo eam apprehenderit, qui redẽptionis nostræ author, voluntatis diuinæ verus interpres, adhæc imago Dei est, qui cùm inuisibilis sit & lucem habitet inaccessam, in filio incarnato se manifestare dignatus est. Et sanè in Christo elucent quæcunq; ad veram Dei cognitionẽ faciunt. Nam qui hunc intuetur, mox Deum, qui essentia vnus est, personis trinum esse videt, cùm pater filium ex se coæternum sibi genuerit, & ex vtroq; spiritus procedat. Quò referri debet, quòd ineffabile illud adorandæ Trinitatis mysterium in Christi baptismo oculis quoq; & sensibus hominum subiecit, & de eodẽ nos admonet, quando per baptismum Christo consecramur. Quoad verò iustitiam, veritatem, sapientiam, potentiã Dei, nusquam hæc omnia euidentius & plenius, quàm in Christo cognosci possunt, vt alibi fusius est dictum. Bonitatem paternã, qua nos in filiorũ locũ adoptauit, & hæredes suos scripsit, in solo Christo sentitur: quem si è medio tollas, quæcunq; alia de Deo dicuntur, terrorẽ potius incutere possunt, quàm salutem præbere. Vides ergo verissimè à Christo dictum esse: Si me nosses, patrẽ etiam meum nosses. Huc etiam illud numerabimus, quod Cap. 17. dicet: Hæc est vita æterna pater, vt te solum cognoscant Deum verum, & quem misisti Iesum Christum. Ita verò rursum damnantur omnes sectæ, quæ veram Dei cognitionem veram, vel salutẽ certam extra Christũ pollicẽtur, de quo aliàs prolixè diximus.

In Gazophylacio docuit Christus.

Cæterùm locum indicat Ioannes, vbi hæc à Christo dicta sint, quod vt ad fidẽ narrationis suæ facit, ita doctrinam hanc nobis vehementer commendat. Oportet enim non vulgarem fuisse, quam tanti fecit Euangelista, vt omnes eius circũstantias tam diligenter annotandas esse putarit. Hanc autem illum in Gazophylacio locutum scribit, & quidem non temere aut quasi aliud agentem, sed ita

De bel. Iud. lib. 7. cap. 11.

doceret populum. Fuit autem Gazophylacium locus certus in templo, in quo (vt ex Iosepho colligi potest) plures arcæ erant, in quibus oblationes & donaria sacra asseruabantur. Vnde apparet hunc fuisse imprimis celebrem & frequentẽ. Christus certè illo præcipuè delectatus fuisse videtur, cum illum aliquando eos spectauisse & obseruasse scribat Marcus, qui donaria sua eò conferebant. Dicimus ex eo, opes publicas ecclesiæ non improbari Deo, qui has colligendi rationem in lege sua instituit, & quarum curam semper habuerunt diligentem, quotquot verum Dei cultum prouehere aut conseruandam doctrinam & externum Dei cultum, qui in cœtibus sacris & sacramentorum administratione consistit, ad pauperum alimoniam item, opibus non minus quàm olim opus sit. Quæ causa fuit, vt in primitiua ecclesia ærarium sacrum apostoli instituerint, in quod opulentiores conferebant sua, vt ex ijs pauperes ali & ecclesiæ necessitatibus prospici posset: qua de re in Marco nostro plura diximus. Quibus hoc vnum addo, quod Iosephus scribit, in Gazophylacio imprimis horribile Dei iudicium apparuisse, cùm vrbs à Romanis capta esset. Illic enim crudeliter trucidati sunt qui eo confugerant, & arcæ incensæ cum vestibus & pecunijs conflagrarunt: ita nimirũ vlciscente Deo opes sacrarum abusum, qui inter Iudæos iam pridem obortus fuerat, cùm omnia ad seraperent sacerdotes, qui interea cum doctrina pauperes quoq; negligebant, vt in publico stipem mendicare cogerentur, qui ex sacro ærario ali debuissent. Quod exemplum vtinam obseruarent, qui hodie sub euãgelij pretextu ecclesias deprædantur, & domesticos fidei in mendicitate turpiter negligunt, &c.

Diuina Christi potentia.

Quoad verò præsentis tractationis historiam, videtur Ioannes loci ideo quoq; mentionem fecisse, vt simul Christi diuinam potentiã demonstraret. Addit enim: Et nemo prehendit eum. Quæ dicebat, Etsi in publico doceret, & quidem in templo, vbi rerũ potestas omnis penes sacerdotes erat, &c.

de illo occidendo dies noctesq; consultabant, imò illis præsentibus ista diceret, tutus tamen fuit, vt ne capere quidem auderent, quem occisum volebant. Vnde verò hoc? Quia nondum venerat hora eius, id est tempus illud, quod eius morti æterno Dei decreto erat constitutũ. Diximus de hoc sæpe: nunc autem obseruemus, nobis quoq; certum vitæ & mortis tempus esse à Deo præscriptũ, quod nulla hominũ rabies aut potentia intercipere aut detruncare queat. Nec enim cogitare decet, eum vitæ dies negligere, qui pilos capitis nostri in numerato habet, & absq; cuius voluntate passerculi non pereũt. Huius ergo memores, vitam omnem Deo consecremus, in periculis autem animosi simus & fortes, neq; hominum furiosis minis nos à statione deijci patiamur, in quam nos Deus collocauit. Consolatur his argumentis discipulos Dominus, cùm illos ad prædicandum emitteret. Matth. 10. Luc. 12. Eadem verò singuli ad se transferant, & intrepidi suum cursum absoluant, neq; dubitent Iesu Christi protectione tutos fore omnes, quicunq; illi fideliter inseruiunt. Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.

HOMILIA LXXII.

Dixit ergo iterũ eis Iesus: Ego uado, & quæretis me, & in peccato uestro moriemini. Quò ego uado, uos nõ potestis uenire. Dicebant ergo Iudæi: Nũquid occidet seipsum qui dicat, Quò ego uado, uos non potestis uenire? Tunc dixit eis: Vos ex inferis estis, ego ex supernis sum: Vos ex mundo hoc estis, ego non sum ex hoc mundo. Dixi ergo uobis, quòd moriemini in peccatis uestris. Nam nisi crediderit is quòd Ego sum, moriemini in peccatis uestris.

OMnis quidẽ scriptura Iesum Christum prædicat, qui vnicus humani generis redemptor sit, & cui pater omnem potestatem in cœlo & in terra dederit. Ne verò regnum eius terrenum esse putemus, & neglectis bonis æternis atq; cœlestibus, temporaria in illo quæramus, eadem non minus diligenter docet, illum in terris hiscte hostes habiturum innumeros, qui se ipsi indesinenter opponant, & regnum eius vnà cum illius doctrina & huius sectatoribus extinctũ velint. Et sanè vt nihil nunc de ijs dicamus, qui iam inde ab origine rerum regni eius hostes fuerunt, constat illi nunquã defuisse aduersarios, quàm primùm homo factus in terris versari cœpit: id quod euidẽter docet euangelica historia, quæ illius assiduas cum aduersarijs concertationes studiosè describit. Vt primò discamus, quid nos in hoc mundo sperare conueniat. Deinde, vt hostium veritatis ingeniũ & mores agnoscamus, neq; offendamur si similia hodie contingant, sed aduersus illa constãti fide nos armemus. Postremò, vt intelligamus, quid hostes eius maneat, qui & in hoc seculo spe sua frustrantur, & olim pœnas æternas dabunt, quas ab illis Deus exiget. Et huc imprimis facit præsens hic locus. Quia enim Christus aduersarios suos incurabili contumacia pergere vidit in suo instituto, nouam concionem orditur, qua pœnas illis denunciat quas breui de illis sumpturus sit Deus. Vbi ante omnia obseruari debet indefessum Christi studium, quo docendi munus subinde repetit apud eos, quos incurabiles & sibi infensissimos esse sciebat. Hoc enim vt de eius erga nos fide & bonitate testatur, ne salutẽ nostrã ab illo negligi putemus: ita omnes ministros sui officij admonet, ne auditorum inobedientia atq; protervia se superari patiantur, sed commissum sibi à Deo munus constanter obeant.

Iudæis pœnas denunciat.

Concionis autem huius argumentum est, quòd quid de se simul & hostibus suis futurũ sit docet. Ego vado (inquit) & quæretis me, & in peccato vestro moriemini, &c. Sensus verborum hic est: Video vos hoc vnũ agere, vt me atq; doctrina mea liberemini, & ideo de me occidendo dies noctesq; consultatis. At ista cura vel solicitudine hauquaquam opus erat. Nam ego ipse iam vado, & tam meipsum quàm doctrinam meam à vobis omnino auferam. Non autem tunc (vt putatis) læta & fausta omnia vobis contingent: quin potius fiet, vt me quæratis, id est vt extremis malis & angustijs circumuenti, Messiam & olim patribus promissum liberatorem vobis dari exoptetis, qui vobis opem ferat. Sed nihil proderunt tunc vota vestra. Quia enim non aliud quàm liberationem ex temporarijs afflictionibus quæretis, non autem vt cum Deo verè reconciliemini, nihil proderunt vestra

vota, sed interim perseuerabitis in hac vestra contumacia in finem vsq;, quæ vobis excidij & in-
tus extremi causa erit. Facit autem ad huius sententiæ cõfirmationem, quod addit: Quò ego va-
vos nõ potestis venire. Ego enim ad patrẽ abeo in cœlos, vt illic æterna gloria & beatitudine fru-
vos autem in terris hisce inter omne genus malorũ luctabimini, donec ad vestrum quoq; patrẽ
lum abeatis, æternis cum illo supplicijs excruciandi. Et hæc quidem verissimè impleta sunt. N
paulò post Christus in cruce moriens corpore suo è terris discessit. Deinde, cùm illi non desinerẽ
stolos persequi, & fidem Christianam vbiq; terrarum hostiliter infestarent, doctrinam quoq; sa
ab illis abstulit. Quo facto, mox cœpit horribilis illa, & à prophetis etiã prædicta gentis Iudaic
lamitas. Nam duro Romanorum præsidum imperio oppressi, Messiam quidem expetierũt, sed
qualem Deus promiserat, verùm qui carnis affectibus satisfaceret, & miseros in libertatem va
caret. Qua occasione factum est, vt seductoribus seipsos circunducendos præberent, qui perpetuo
rum nouarum studio & quotidianis tumultibus Romanos irritarunt, vt missis in Iudæam exerci
bus, regionem omnem crudeliter vastarent, deinde vrbem quoq; obsiderent, quam post horrendæ
auditæ crudelitatis exempla cœperunt, incenderũt & dirutam solo æquarunt. Tanta autem fuit
hisce calamitatibus Iudæorum contumacia, vt ne tunc quidẽ vel cum Deo vel cum Romanis re
tiam redire cuperent, cùm res suas in extremum discrimen redactas esse viderent. Scribit enim Io-
Lib. 6. belli Iud. cap. 14. phus, Titum aliquando, cùm fossas cadaueribus è muro deiectis repletas vidisset, cum gemitu e
tensis in cœlum manibus testatum fuisse, hoc non suum opus esse, sed Iudæos se inuito tanta mala
ipsis accersere. Itaq;, sicuti prædixit Christus, in peccatis suis mortui sunt, cum in finẽ vsq; incum-
les manerent, & hodie adhuc in peccatis suis miserè pereunt, quando proprijs figmentis excæ-
Christum odisse & persequi non desinunt. Sunt autem in Christi verbis aliqua diligentius obser-
da, quæ ad nostram institutionem faciunt.

Pœnæ contemptorum gratiæ Christi.

Primò generalem de pœnis contemptorũ aut hostium Christi atq; euangelij ipsius doctrinæ
locus continet. Vt enim aliâs suæ bonitatis exemplum in Iudæorum gente Deus præbuit, ita nu-
etiam præluſum est, quid omnes gratiæ in Christo exhibitæ contemptores passuri sint, nisi resipi-
Primò abit ab illis Christus, & suam ab illis doctrinã simul atq; spiritum auferens, proprio ar-
bitrio relinquit. Sequũtur mox omnis generis calamitates. Sublato enim authore benedictionis,
ledictionem succedere necesse est, quam mala omnia comitantur, quæ ex peccato suam originem
xerunt. Quod si fiat, liberatorem quidem quærunt homines, sed quia illorum vota cum bellum
latu coniuncta sunt, & ipsi sibi redemptores fingunt, qui prauis illorum affectibus respondeãt,
inde vtilitatis referunt. Et quia carni nunquã renunciant, in peccatis quoq; pergunt, in quibus
dem horribiliter pereunt. Pœnis enim & iudiciorũ Dei sensu non emolliuntur qui tales sunt, sed
durantur & irritantur, vt (quod de Turno suo Vergilius dicebat) animæ illorum cum indig-
tione ex hoc mundo fugiant. Cuius rei exemplũ memorabile in Iuliano historiæ proponunt, qui
se letaliter vulneratum sentiret, sanguinem manu exceptum in aerem sparsit, & Christo vi
scurriliter insultans dixit: Vicisti Galilæe, vicisti. Nec tamen solus iste sic perijt, sed multi tu
non multò felicius occumbere videmus, quibus lusus iocusq; videtur Christum Iesum in euang
& membris suis hostiliter insectari. Non autem in morte pœnarum aut malorum finis est, sed
morte in pœnas sempiternas transeunt, & licet integras sacrificulorum myriades conducant, q
pro ipsis sacra faciant, canant, legant, aut Pontificum quoq; bullis vt asini clitellarij onerent
nunquam tamen ad beatorũ sedes peruenient, in quibus Christus solis ijs locum parauit, qui ip
vera fide amplexantur. Hæc vtinam cogitarẽt hodie, qui in Pontificum gratiam euangelium
Christi & huius studiosos persequi audent, &c.

Mortis cõditio quæ sit?

Deinde obseruabis quòd de morte sua loquens, se vadere aut abire ait. Qua locutione docuit
quæ sit mortis cõditio, & vt nos de illa iudicare oporteat. Videtur hæc multis terribilis esse, quia
minem totum in ea interire putant. Atqui non interitus est hominis, sed profectio potius ex hoc
do, in quo peregrinamur, in patriam, vbi nobis hæreditas nostra est reposita. Quod enim de sepa
cit Christus, hoc idem ad omnes credentes extẽdit, quando illos à morte in vitam transire affir
Ioan. 5. Atqui profectionis huius initium non in mortis demum articulo constitui debet, sed in ip
potius natiuitatis nostræ hora. Vt enim nascendo in hanc lachrymarum vallem ingredimur, sic

uersum nostræ vitæ tempus peregrinatio aut profectio continua est, in qua singulis horis & momentis ad metam nostram propius accedimus. Est autem magna huius considerationis vtilitas. Excitat enim securos, vt vigilemus, ne mortis hora nihil tale cogitantes ex improuiso obruat. Deinde in omni afflictionum genere dulcissimam consolationem exhibet, si cogitemus, nos singulis momentis progredi, & proinde in horas singulas ex nostris ærumnis aliquid decedere. Imprimis autem aduersus tyrannos & fidei persecutores hæc meditatio nos consolatur. Hi enim, si quod maximè volunt conficiant, & nobis vitam hanc eripiant, quid aliud faciunt obsecro, quàm quòd nostram hanc profectionem accelerant, quò citius ad metam exoptatam veniamus? Quod ubi fecerunt, nihil illis in nos iuris est amplius, eò quòd illi eò venire nō possunt, quò nos abimus. Progrediuntur quidem illi quoq; in via sua, sed longe alium vitæ finem inuenient, cùm Christo duce destituantur. Nos autem moriendo manus illorum effugimus, & ita nobis maximi boni authores sunt, qui nos persequendo sibiipsis interitum accersunt, vt modò diximus.

Videamus autem, vt grauem hanc Domini admonitionem Iudæi acceperint. Rident, & verba eius scurriliter in sensum non modò alienum, sed impium planè & blasphemum detorquent. Nunquid occidet seipsum (aiunt) qui dicat: Quò ego vado vos nō potestis venire? Quasi dicerent: Si abiturus est, quò nos ipsum sequi non possumus, vtiq; ipse sibi manum inferet, vt maiori ignominiæ sese subducat, quādo se omnibus exosum esse videt. Atqui licet illi per nos ire quò volet, quin ocyus hinc facessat à nobis, qui illum sequi nequaquam cupimus. Est hoc magnum proteruiæ & impudentiæ incurabilis argumentum. Quid enim vnquam Christus vel dixerat vel fecerat, cuius ergò tale quid de illo suspicari deberent? Qui enim sibipsis mortem conscisciunt, hi aut desperatione, aut impatientia superati hoc faciunt, aut mente capti nesciunt quid agant. Num verò adeò sceleratè vixerat Christus, vt de Dei gratia desperare cogeretur? Nequaquam, Imò ipsi paulò post interrogati, nullius peccati illum possunt conuincere. Num iniuriarum tam impatientem viderunt, vt ex eo hoc cogitandi occasionem potuerint arripere? Ne id quidem. At mente captus videri non potuit, quem omnia cum ratione optima dicere & facere videbant. Attamen crimen hoc illi obijciunt, quo nullum atrocius excogitari poterat. Vbi tamen obseruabis, quòd dum illi conuitiantur, seipsos prodiderunt, & Christi verba confirmarunt, qui eos in peccato suo morituros dixerat. Quis enim eos emendari aut conuerti posse arbitretur, qui absq; vlla graui causa aduersus monitorem suum eò vsque exasperantur? Vides autem in horum exemplo, quò vsque Christi hostes progrediantur, si affectibus suis indulgere incipiant. Nimirum, vt nullius sceleris & impietatis eos pudeat. Quod enim de istis dicitur, in multis hodie cernimus: qui ex eo laudem vænantur, si omni pudore abstersо aduersus veritatis doctrinam atrocissima quæque dicant & faciant, atq; insuper pios exquisita maledicentia lacerent. Tunc autem patientes nos reddat Christi exemplum, nec graue nobis sit ea ferre, quæ ille propter nos sustinuit. Simul tamen meminerimus, cautè et circūspectè versandum esse cum ijs, quos obstinatis animis aduersus Christum pugnare videmus. Vt enim ferè astutissimi sunt, (vt et Christus ait) prudentiores filijs lucis in sua generatione: ita nihil tam iniquum, tam immane & atrox est, quod non ausint facere, si irritatis animis aliqua sese occasio offerat: & vehementer falluntur, qui ab eiusmodi hominibus aliquid moderatum aut æquum sibijpsis pollicentur, qui ipsum Deum & verbum eius iamdudum conculcarunt.

Iudæi minas Christi rident.

Sed ad Christū redeamus, qui cùm indignos videret quos porrò doceat siue admoneat, grauius cum illis agere incipit, & vehementi obiurgatione comminationem priorem repetit atq; confirmat. Initio autem omnis mali fontem aperit, ostendens vnde hoc sit, quòd nullas rationes admittant, quibus emendentur. Vos (inquit) ex inferis estis, ego ex supernis sum. Et hoc ipsum declarans, addit: Vos ex mundo hoc estis, ego non sum ex hoc mundo. Inferos ergo vocat mundū, adeoq; infelicem illam mundi conditionē, quæ ex peccato originem duxit, qua fit, vt homo animalis diuina & cœlestia non sapiat, non amet, neq; quærat, sed solis terrenis & impuris carnis suæ studijs occupetur. Opposuit huic conditioni corruptæ superos, & ita se ex communi hominum sorte eximit, non (vt quidam hæreticorum olim somniarunt) quoad humanæ naturæ veritatem, qua verè ex virgine matre homo factus est, sed quoad corruptionem & cognatam nobis legem peccati, quæ in illo locum non habet, cuius conceptio & natiuitas omnibus modis sancta & pura fuit. Sensus ergo verborum hic est:

Fons impietatis ostenditur.

Non mirum cuiquam videri debet, vos me & doctrinæ meæ mysteria capere non posse, tamsi horrenda de me cogitare. Tam ingens enim inter vos & me discrimen est, quanta inter cœlum & terras distantia cernitur: & ideo inter nos conuenire nunquam poterimus, nisi prius totus immutemini. Vos quanti quanti estis, ex inferis & mundo estis, neque alia quàm carnalia sapitis & queritis. Ego autem ex supernis sum, verus vtique Dei filius, qui etsi verus homo factus in mundum venerim, & in mundo hoc viuam, non tamen sum de hoc mundo, id est, non quicquam cum illius corruptione & impuris studijs commune habeo, quin potius ideò veni, vt illa oppugnem & destruam. mundi principis opera. Quibus verbis admonemur, quæ causa sit, cur hodie etiam Christi doctrinam pauci admittant & capiant. Est hæc sapientia cœlestis, quàm caro non capit, vt filium hominem contemptissimum & crucis supplicio infamem factum, Dei filium agnoscat, & omni spe abiecta in cruce vitam atque salutem speret. De terra enim geniti, nihil eximium aut salutare arbitrantur, quàm quod externo splendore commendatur. Deinde doctrina hæc à terrenis adeò est alia nos auocat, à quibus caro naturaliter abhorret. Nunquam ergo ista capient homines, nisi cœlitus regenerentur & nouos animos cõcipiant, sicuti supra Nicodemo Christus dixit. Quare nimium ridiculi, vel potius miseri & infelices sunt, qui regni Dei mysteria nostræ rationis acumine metiri, gari & perspici posse putant, aut fidei atq; salutis humanæ causam, de qua hodie passim controuertitur, illorum iudicio submittunt, quos totos mundo & carni addictos esse vident. Et vtinam Christi dictum diligentius expenderent, qui causam hanc non aliter quàm Concilij generalis authoritate determinari posse clamant, & vt huic se omnes ecclesiæ subijciant acerrime contendunt. Vt etsi non negemus, ex Concilio libero & Christiano fructum magnum sperari posse, frustra tamen hac re disputari dicimus, cùm Concilium eiusmodi hoc seculo nemo sibijpsi polliceri queat. Vide enim omnem Concilij indicendi & celebrandi authoritatem penes se esse Romani Pontifices, eorum potentia eò vsque processit, vt nullis principum viribus coerceri possit, à multis autem fouetur atq; confirmetur. Hi ergo nemini, nisi in ipsorum verba iurato, in Concilio sedendi & sententiam dicendi potestatem faciunt. Sunt hi Episcopi & Monachi, quibus nihil licet pronunciare, quod non à Romana sede prius dictatum sit. Quales verò illi sint, & quibus studijs addicti sint, totus orbis videt & nouit. Illis ergo salutis suæ causam permittant, quibus perire libet. Quia enim ex inferis de mundo sunt, nihil statuent, quàm quod ipsorum ingenio & moribus seruire possit.

Cur Christi doctrinam pauci percipiant.

Caterùm comminationem priorem repetit Christus, ne quis hanc illi temere excidisse putet. Dixi ergo vobis, quòd moriemini in peccatis vestris. Ratione verò qua hoc probet, hanc adducit: Nisi crediderit is quod Ego sum, moriemini in peccatis vestris, id est, nisi crediderit is, quòd ego sum ille missus ille humani generis redemptor, & in me agnoscatis quæcunq; de illo scripturæ prædixerunt, non poteritis non perire in peccatis vestris. Ratio huius dicti vel argumenti vis in eo est, quòd sola Christus nos à peccatis & morte liberat. Est ergo fides in Christum vnica via aut ratio euadendæ morte aut damnatione, eò quòd hac sola Christus apprehenditur, qui totius salutis author est. Consentiunt in hoc omnes scripturæ, vt alibi demonstrauimus. Regula autem fidei est, vt non modo credamus esse Christum, sed eum esse credamus, quem sacra scriptura esse docet, verum scilicet Deum & hominem, medicum & seruatorem vnicum humani generis, fontem aquæ viuentis, panem vitæ, lucem mundi, pastorem, doctorem, denique Messiam aut vnctum Dei, id est, regem & sacerdotem nostrum, qui miseros nos suæ mortis merito peccati noxa liberarit, et ex morte æterna redemerit. Qui talem agnoscunt & firmiter credunt, hi vt fide hac iustificantur, ita illius spiritu & vita innouati peccato non amplius seruiunt, innocenter & sanctè viuunt, & si quando ex innata nobis infirmitate labuntur, ex lapsu illo mox resurgunt & ardentius concipiunt rectè viuendi studium. Longè aliter impij, qui Christũ & fidem in hunc aspernantur. Non possunt illi peccata vere odisse, quæ tam leuia ducunt, vt nostris meritis illa expiari posse putent: neq; semen illud verbi admittunt, ex quo in filios Dei renascimur. Pergunt ergo in peccatis, & in ijsdem moriuntur, dum vel secura hora illa ex improuiso obruit, vel lentis & diuturnis cruciatibus enecati horribiliter desecat. Excitemur ergo ô fratres, & excussis mundi infelicis studijs, Iesum Christum amplectamur, in quo vita salus certa & omnibus numeris absoluta habetur. Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

Qui non credunt in Christum, moriuntur in peccatis suis.

HOMILIA LXXIII.

Dixerunt ergo ei: Tu quis es? Tunc dixit eis Iesus: Quod à principio dico uobis. Multa habeo quæ de uobis loquar & iudicem: sed qui me misit, uerax est: & ego quæ audiui ab eo, hæc loquor in mundum. Non cognouerunt quòd de patre eis loqueretur.

QVemadmodum in re medica non ea modò tenere conuenit, quæ ad valetudinem conseruandam faciunt, verumetiam morbos & horum causas inuestigare oportet, quò facilius illi vitentur: Ita in æternæ salutis negotio non satis fuerit Christum Iesum nouisse, vnicum huius authorẽ, & quæcunq; is propter nos fecit aut passus est, sed ea quoq; obseruare necesse est, quæ nos ab eo auocare possunt. Qua in re scriptura nos non tam verbis nudis quàm exemplis instituit, inter quæ cumprimis memorabile est, quod in Iudæis habetur. Nam etsi illis peculiariter promissus esset Christus, & ex illis natus seipsum eis quotidie offerret, ipsum tamen incurabili pertinacia aspernati sunt. Pertinaciæ verò huius causæ fuerunt, partim quòd eius doctrinam prauis suis desiderijs contrariam esse viderent, partim quòd de illo secundùm externam speciem iudicarent. Sunt ergo duo hæc maximè cauenda ijs, qui in salutis negotio & Christi cognitione proficere cupiunt: Ne vel carnis affectus ijs præferant, quæ saluti æternæ seruiunt, sed illos Dei verbo subijciant: vel ex hominum iudicio pendeant & Christum ex primo aspectu æstiment, sed talem agnoscant, qualem scripturæ proponunt. Hoc enim quia Iudæi non obseruarunt, nihil vtilitatis ex Christi doctrina & operibus ad eos redijt, sed maiores subinde in impietate sua progressus fecerũt, sicuti ex huius cap. historia, imprimis autem ex hoc loco apparet, qui nouum contumaciæ illorum exemplum proponit, & simul grauem expostulationem continet, qua ita illos reprehendit, vt simul seipsum quoq; illis amplius manifestauerit propter electos, quos in tanta reproborum turba reliquos adhuc esse sciebat.

Iudæi Christum uanæ iactantiæ insimulant.

Quoad Iudæos, Christi aduersarios, interrogant illi: Tu quis es? Quam quæstionem ex ijs infe-runt, quæ proximè præcesserunt. Dixerat enim ille: Nisi crediderit is quòd Ego sum, moriemini in peccatis vestris. Quia ergo non expresse docuerat, quis sit et quis agnosci aut credi velit, illi malitiosè nimis & non sine impio contemptu interrogant: Quis verò es tu? aut quem te agnoscere oportet? Hoc autẽ quærendo illum vanitatis & iactantiæ insimulant, qua se ostentet & ambitiosè nimis tam magnifica de seipso polliceatur. Quo loco obseruanda nobis venit ingenij humani improbitas & voluntaria ignorantia, qua seipsos multi excæcant atq; indurant. Postquàm enim Christum docentem multoties cum totius populi admiratione audiuerũt, & miracula viderunt, quæ de eius virtute diuina palàm testabantur, nũc demum, quis nam sit, interrogant. Similes sunt hodie multorum quæstiones, quibus Christi doctrinam in dubium vocare conantur. Cùm enim hæc proponitur & eius compendium indicatur in Decalogo, oratione Dominica & Symbolo, quod Apostolicum vocant: adhuc tamen, quasi res noua & prius inaudita prædicetur, clamant: Et quæ nam est hæc noua doctrina? Qui nam sunt doctores isti noui, qui fidem euertere volunt, quam à patribus accepimus? Et sic ferè subignorantiæ prætextu doctrinam veritatis satan oppugnat, aut saltem contemptam reddere consuevit. Sed facilè omnibus illis respondetur. Doctrina hæc alia nõ est, quàm quæ Decalogo traditur, quæ oratione Dominica comprehenditur, & articulis Symboli Apostolici continetur, imò quæ ex veterum promissionum fonte deriuatur, & omnium scripturarum testimonijs confirmatur. Vos verò qui estis, qui hanc non agnoscitis? qui hæresim esse clamatis, si quis salutem omnem in solius Dei gratia per Christi meritum monstret? quibus nouum & insolens videtur, si quis vnum Deum inuocare, & vnius Christi intercessione inniti doceat? qui denique fidei Christianæ, quã profitemini, principia ignoratis? Cur quod ore profitemini, reipsa negare audetis? Hæc (inquam) & alia huius mul ta responderi poterant prophanis illis & temerarijs percunctatoribus: quos ferè ita punit Deus, vt tandem in sensum reprobum traditi, videntibus oculis nihil videant, auribus nihil percipiant, & rationis suæ vsum non habeant aliquem, quod Iudæis accidisse scimus, sicuti olim per Isaiam Deus comminatus fuerat. Vide Isa. 6.

Mundus non agnoscit Dei filios.

Deinde admonet nos exemplum hoc, ne offendamur, si de nobis etiam non minus contemptim eq
rant aduersarij nostri: Et qui nam vos estis, vt omnes vos audire, & vobis obtemperare debe
Vel, qui nam sunt noui illi euangelici, qui soli sapiunt, & quibus tot iam seculis occultata veri
primis innotuit? Est enim hoc proprium mundi, quòd Dei filios non agnoscit, quantumuis ma
festa spiritus sancti & regenerationis indicia in illis appareant. Ideò Ioannes in sua Canonica scri
bat: Videte qualem charitatem dedit nobis pater, nempe vt filij Dei vocemur: propterea mund
non nouit nos: quia non nouit eum, &c. Deinde quia Veritatẽ frustrà oppugnari videt satan, ad
translatione vtitur, & personas ministrorum aut sectatorũ veritatis oppugnat, vt ea ratione in
inuisam reddat. Quod in Christo alibi quoq; factum fuisse scimus, quando Iosephi filium & fabr
adhæc Galilæum dixerunt, qui eius doctrinam volebant oppressam. Fit hoc frequenter hodie, qua
do in ministrorũ personis omnia solicitè conquirunt impij, quæ illos in contemptũ adducere pos
Idem etiam magistratibus pijs euenit. Vt enim olim Dauidem aduersarij & æmuli eius per contu
ptum solebant filium Isai dicere: ita non rarò generis ignobilitatem, maiorũ inopiam aut priste
vitæ genus pijs magistratibus exprobrant, qui leges bonas extinguere & omnem ecclesiæ disciplin
dissoluere cupiunt. Vt verò ista non mouerunt Christum, quò minus officium faceret: ita nemo
moueat mundi ingrati scurrilis proteruia, vt ideò à statione sua discedat. Nouit enim nos Deus,
idem studium nostrum nouit, quod olim dignis præmijs remunerabitur.

Christus quid sit?

Sed audiamus Christi responsionem, quæ duabus partibus constat. Prima ad quæstionem
rum respondet, & quis sit docet his verbis: Quod à principio dico vobis. Id est, hoc ipsum sum, qu
iam pridem vobis dixi, & multoties inculcaui: Nimirum lux mundi, fons aquæ viuentis, pa
vitæ, denique Dei filius & ab hoc missus, vt humanum genus ex diaboli tyrannide redemptum
reconciliem: adeoq; is sum, quem olim ex meo spiritu prophetæ prædixerunt, & quem me hucusq
verbis tum factis abundè declaraui, & indies declaro, &c. Scio hæc Christi verba à patribus alio
exponi, & recentiores interpretes diuersas sententias afferre: at hæc mihi omnium simplicissima v
detur, quia & præsentis tractationis argumento maximè seruit, & Græci sermonis consuetu
oni non malè conuenit. Hæc autem dicendo potius quid, quàm quis sit, docet. Præstat enim q
cium Christi, cui illum pater destinauit, diligenter inspicere, quàm circa curiosas quæstiones ver
ceri, quibus multi æternæ Deitatis & vnitatis cum patre mysterium, naturarum in eadem pers
coniunctionem, & alia eius generis anxiè inuestigant. Quæ vt piè credi debent secundum scrip
ras, ita non sine periculo inquiruntur, & curiosis ingenijs contentionum materiam præbent, quæ

Christus nihil noui de seipso dicit, &c.

infirmiorum fides grauissimè labefactatur. Est autem multa obseruatione dignum, quòd
nouum dicit Christus: sed ad ea suos collocutores remittit, quæ prius non semel dixerat. Obser
hoc spiritus sanctus in tota scriptura, vt nihil noui illic auditurí sint vnquam, quod ipsorum offi
bus respondeat, quicunque in salutis negotio quæstiones nouas & curiosas commiscuntur. Cum
enim sibijpsi semper Deus, neque hominis instar mutatur. Christus quoque vnus & idem est he
heri & in secula. Eadem ergo est etiam salutis ratio semper, quæ in hoc continetur. Quare veh
ter errant, qui cùm scripturis omnia tradita esse audiant, subinde tamẽ noua & prius inaudita
mata audire aut comminisci studeant: Vel propter se in religionis & salutis doctrina aliquid mu
volunt. Quorum audacia intolerabilis est, quando à Deo postulare non verentur, quod nem
nus à patrefamiliàs frugi & prudente postulare audeat, vt nimirum in suam gratiam sua dona
vel œconomiæ rationem aliter instituat. Quibus proximi sunt, qui cum diuite epulone doctore
vitæ magistros ex alio mundo mitti cupiunt, per quos de rebus antea non auditis instituamur. D
bent hi omnes putare sibi dictum, quod Timotheo suo in posteriori epistola Paulus scribit: Tu
ne in ijs quæ didicisti, & quæ tibi concredita sunt, sciens à quo didiceris, & quòd à puero sacras
ras noueris, quæ te possunt peritum reddere quoad salutem, per fidem quæ est in Christo Iesu. T
ta scriptura diuinitus est inspirata, & vtilis ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem,
institutionem quæ est in iustitia, vt perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum perfectè instruc
Quibus etiam illa Ioannis consentiunt: Fratres non nouum mandatum scribo vobis, sed ma
tum vetus, quod habuistis à principio. Vetus hoc mandatum sermo ille est, quem audistis ab
inde à principio. Quod igitur audistis iam inde à principio, id in vobis maneat. Si in vobis ma

quod audistis iam inde à principio, vos quoque in filio & patre manebitis, &c. 1. Ioan. 2. Hæc si hodie plerique observarent, minus errorum & contentionum esset in ecclesia.

Altera responsionis huius parte illorum improbitatem reprehēdit, & Deum huius vltorem & vindicē fore minatur: Multa habeo quæ de vobis loquar & iudicē, sed qui me misit, verax est, &c. Sensus verborū hic est: Vos contemptim & malitiosè quæritis, quis ego sim, vt calumniandi occasionem inueniatis. Quod si ego tam vobis infensus essem, aut nunc tempus esset iudicij, multa de vobis dicere possem, & vestram improbitatem arguere, vt ex eo innocentia mea magis eluceret. Sed vt id nunc faciam minimè opus est. Nam primùm qui me misit, verax est, id est constat sibi ipsi semper, & proinde non deerit suo officio, quin mei cōtemptum dignis pœnis vlciscetur, nisi emendemini. Huic ergo iudicium omne permitto. Deinde mihijpsi bene conscius vestris iudicijs non multum moueor. Vtut enim de me & doctrina mea iudicetis, ea tamen diuina, vera & salutaris est: quia non aliud loquor in mundum, quàm quod ab illo audiui, qui ipsa est veritas. Docet autem suo exemplo Christus, quomodo cum calumniatoribus agendum sit, quos incurabiles esse videmus, & contradicendi occasiones vndique conquirere. Vbi ante omnia caueri debet, ne illorum vitia amarulentius insectemur. Nam si hoc fiat, maledicta illorum maledictis confutando illorum similes efficiemur, & nosipsos magis inquinabimus, dum aliorum sordibus nostras eluere conamur. Deinde iudicium omne Deo permittamus, qui suis partibus nunquam deerit, licet neminem inter homines nostræ innocentiæ vindicem habeamus. Obseruauit hoc olim Dauid, quando iniqua Saulis tyrannidē oppressus, falsis simul criminibus obruebatur. Tunc enim ad Dei tribunal prouocabat, qui & causam eius fidelissimè asseruit. Et frequentes sunt in scripturis piorum voces, quibus impiorum hostiū iniurias propulsant: Iudicet Dominus inter me & te, &c. Quod qui verè & ex animo dicunt, ij nec priuatæ vindictæ cupiditate peccant, & semetipsos magna molestia liberant. Quòd si iudicium suum Deus aliquando differat, sufficere nobis debet conscientiæ nostræ testimonium, si nobis certò constet, nos nihil dicere aut facere quàm quod à Deo in mandatis accepimus. Vide Pauli exemplum, qui in priori ad Corinthios capite quarto æmulis suis dicit: Mihi pro minimo est quòd à vobis dijudicer, aut ab humano die siue iudicio, &c.

Iudæorum improbitas reprehenditur.

Præterea quod verum doctrinarum omnium examen sit, locus hic docet. Vt nimirum videamus, an ex Deo sint. Nec enim alio argumento suam doctrinam Christus defendit, quàm quòd à patre audita vel accepta loquatur. Adhæc Prophetis etiam & Apostolis hoc iniunctum fuisse scimus, vt nihil ex semetipsis fingerent, neque hominum traditiones seu potius paleas (vt Ieremiæ verbis vtar) tritico dominico permiscerent. Ideò Ioannes Apostolus de doctrinarum dijudicatione scripturus dicebat: Dilecti, ne cuiuis spiritui credatis, sed probate spiritus an ex Deo sint. Id verò non difficile est factu, si ad scripturas sacras, ceu Lydium lapidem, dogmata omnia examinentur. Quia enim per has nobis loquitur Deus, vtique ex Deo prodijsse constabit, quicquid cum illis planè & per omnia conuenit. Falluntur ergo miserè, & simul alios etiam fallunt turpiter, qui in ecclesia Conciliorum decreta, Patres, Traditiones, Canones & alia huius generis tonant. Nec enim, quid hominibus aliquando probatum fuerit, quærimus: sed quid Deus dixerit, cuius solius authoritas valere debet.

Ratio uera examinandi doctrinas.

Adhæc exemplo suo monet Christus, quomodo proponi debeat veritatis doctrina, cùm dicit: Quæ à patre audiui, hæc loquor in mundum. In mundum loqui, est publicè omnibus denunciare quod vel in mandatis accepimus, vel animo nostro concepimus. Est hoc in verbi prædicatione necessarium omnino. Quia enim in eo omnibus loquitur Deus, ita etiam illud proponi debet, vt singuli de se agi intelligant, & quod dicitur sibijpsis accommodare possint. Rursum quia ea est hominum oscitantia, vt quamuis verbum audiant, tamen vix putent de se agi, sed illud instar cantilenæ nihil ad se pertinentis audiant (sicuti apud Ezechielem de quibusdā Dominus loquitur) aperta & ingenua docendi ratione opus est, ne quid obscurius aut ambiguè dictum auditores suspensos teneat, aut in sua illa contumacia magis confirmet. Iubet hoc Deus, quando prophetas clamare & vocē tubæ instar exaltare iubet. Et Christus Apostolis ait: Quod dico vobis in tenebris, dicite in luce: & quod in aurem auditis, prædicate in tectis, &c. Minimè ergo probari debēt, qui omnia simulant, & dissimulant, & in articulis cōtrouersis sententiam suam studiosè cælant, ne quem offendant. Vænantur hi modestiæ

Veritatis doctrina quomodo proponi debeat.

laudem & pacis studiosi videri volunt, sed ignaui potius canes & veritatis proditores dici merentur & ijdem ferè maxima mala dant ecclesijs. Sua enim dissimulatione infirmorum fidem grauiter labefactant, hostibus verò animum addunt, qui eò ferociores redduntur, quòd se aduersarijs terribiles esse putant. Discant ergo qui in ecclesiæ ministerio versantur, fortiter & ingenuè agere, adeóque mundum loqui & liberè ea prædicare, quæ à Domino acceperunt: ne dum neutrales videri, & aliquos omnes bonam gratiam inire volunt, neque Deo neque hominibus probentur, &c.

Iudæi Christum nõ intelligunt.

Sequitur quid responsione ista apud auditores suos Christus effecerit, quod his verbis breuiter exponit: Non cognouerunt, quòd de patre eis loqueretur. Nullus ergo tanti studij effectus fuit, quo quid diceretur non intelligerent. Ignorantiæ verò istius causa fuit, vel quòd voluntaria excæcatione indurati intelligere nollent quæ per se clara & aperta erant: vel quòd in solam humanitatis speciem intenti, nihil de illo sublimius sentire possent, quem pauperẽ & omnibus modis miserum videbant. Est hoc mundi & filiorum huius seculi ingenium, vt cum versutissimi sint in ijs quæ carni & affectibus carnis seruiunt, in diuinis scientes volentes cæcutiant: cuius rei exempla nobis passim occurrunt, quibus nos non offendi oportet, quasi ea sit causæ huius obscuritas, vt cognosci illo modo possit: aut ministrorum malitia, vt studiosè obscurent & implicent, quæ clarius tradi & explicari poterãt. Quid enim mirum fuerit, si nos non intelligat mundus, aut intelligere nolit, quæ Deo Dei filio hoc ipsum accidisse audimus? Terreat autem nos Iudæorum exemplum, qui cùm soli populus sapiens ab ipso Deo dicti fuerint, eò vsque tamen delapsi sunt, vt ipsam Dei sapientiam perspicuè loquentem intelligere nõ potuerint. Ita enim impleri oportuit, quod per Isaiam Deus comminatus fuerat, fore vt videntes non viderent, audientes non audirent, adeóq; deuotis ad impietatem animis in exitium ruerent. Quia verò in his præsusum est omnibus euangelij contemptores excitari nos decet, vt in euangelio nobis loquentem Iesum Christum audiamus, audito credamus, & in eius merito salutem veram consequamur. Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

Deut. 4.

HOMILIA LXXIIII.

Dixit ergo eis Iesus: Cùm exaltaueritis filium hominis, tunc agnoscetis quòd Ego sum: & à meipso nihil facio, sed quemadmodum docuit me pater, hæc loquor. Nam qui me misit, mecum est: non reliquit me solum pater, quia ego quæ placita sunt ei facio semper. Hæc illo dicente, multi crediderunt in eum.

Diligenter admodum describit Ioannes concertationem, quæ Domino nostro Iesu Christo cum pharisæis & reliquis eius aduersarijs intercessit: partim quidem, vt horum contumacia magis eluceat, qua sibijpsis exitium accersiuerunt: partim verò, vt Christi bonitatem & studium ex eo discamus, quo is saluti nostræ consultum cupit. Vtrumq; hoc in hesternis & ijs, quæ modò recitantur, luculenter apparet. Cùm enim contemptim & scurriliter nimis illum Iudæi interrogauissent: Tu quis es? non illos, vt digni erant, abs se reijcit, sed primùm amicè docet quis sit: deinde improbitatem quidem eorum reprehendit, & Dei iudicium illis denunciat, ita tamen hoc facit, vt simul suæ doctrinæ rationem reddat, & illos ad hanc amplexandam excitet. At nihil profecit apud contumaces & præfractos, qui cùm aliàs illum occidere voluerint, quòd patrem suum dixisset Deum, nũc de patre loquentẽ non intelligunt, aut certè intelligere nolunt. Poterat ergo ingratos & ad omnem impietatem deuotos relinquere, adhuc tamen pergit, & nunc nouam concionẽ orditur, qua amplius illos corripiat & suam aduersus illos authoritatem asserit. Est autem obseruatu dignissima hæc eius solertia atque industria, qua erga reprobos & incurabiles vti dignatur. Ex ea enim possunt consolationem petere, quos peccatorum conscientia excruciat, ne temere desperent, quando Dei filium erga ipsos hostes tanta clemẽtia atq; benignitate vsum esse vident. Deinde officij admonet ministros omnes, ne auditorũ cõtumacia se superari patiantur, neq; statim ab ijs discedãt quos minus obsequentes

tiunt. Sed & singuli discunt salutem hostium suorum indefesso studio quærere, quod olim Paulum quoque & reliquos apostolos sedulò feciſſe conſtat. Sunt autem concionis huius partes duæ, vt etiam præcedentis, quas ex ordine videbimus.

Prima craſſam & voluntariam illorum cæcitatem atq; ſanguinarium ipſum occidendi ſtudium reprehendit, & quid ex eo ipſis ſit euenturũ, denunciat. Cùm exaltaueritis filiũ hominis, tunc agnoſcetis quòd Ego ſum. Filium hominis ſe dicit, vt magis illorum ſententiæ, aut potius opinioni, ſe accommodet. Et ſenſus verborum eſt: Video me nequicquam vobiſcum agere, nec aliquid vel monendo vel minando proficere. Nihil enim in me homine maius agnoſcitis, ſed nudum hominem eſſe arbitramini, cuius doctrina facilè opprimi & extingui poſſit, ſi ſemel à vobis occidar. Sed multùm fallimini hac veſtra perſuaſione. Vt enim me ſublimẽ in crucem ſuffigetis, ita reuera mors iſta tam mei quàm doctrinæ meæ exaltatio erit, & tanta cum luce mea gloria & maieſtas ſeſe tunc exeret, vt vel inuiti intelligatis, me eum eſſe, quem dixi: Dei filium videlicet, & humani generis redemptorẽ. At ſera nimis erit iſta cognitio & inutilis, eò quòd ne tunc quidem me, qua decet, fide amplexabimini. Faciunt autem ad horum declarationem, quæ in morte eius & non multò poſt illam acciderunt. Primò enim mundi partes propè omnes creatori ſuo indignam mortem patienti teſtimonium dederunt, quando Sol quidem præter naturæ leges lucem ſuam occuluit, terra verò horrore concuſſa tremuit, petræ ſciſſæ & ſepulchra patefacta ſunt. Excitarũt hæc ſpectatorum animos, vt multi terrore perculſi pectora planxerint, & hunc Dei filium eſſe ſint confeſſi: ex quorum numero milites nõnulli fuerunt, vnà cum ſuo Centurione: quos ita percelli voluit Deus, ne quis hæc terriculamenta anilia fuiſſe putaret. Secuta eſt mox tertio die reſurrectio ex mortuis, ipſa quoq; angeli è cælo deſcendentis maieſtate & immani terræmotu glorioſa atq; terribilis, cuius teſtimonium contemnere aut eludere non potuerunt, cùm eam ex cuſtodibus didiciſſent primùm, quos ipſi ſepulchro adhibuerãt. Inde cùm per dies quadraginta diſcipulos in regni Dei myſterijs inſtituiſſet, tandem illis videntibus in cælum quaſi triumphans ſubuectus eſt, & ex nobis aſſumptam carnem in gloriam cæleſtem collocauit. Vndecimo poſt die ſpiritum ſanctum apoſtolis miſit, quo animati & ducti euangelium in ipſa vrbe prædicarunt, & doctrinam hanc ſignis quàm plurimis confirmauerunt, idq; tanta animorum conſtantia & tam mirifico ſucceſſu, vt hoſtibus quoq; admirationi eſſent, qui etiam inuiti ſpiritus diuini virtutem in illis agnoſcere cogebantur. Neq; intra Hieroſolymæ muros aut Iudææ fines Chriſtus ſeſe continuit, ſed paulò poſt per eoſdem apoſtolos regnũ ſuum per totum orbem propagauit. Facta itaq; eſt inter omnes gentes non modò externæ religionis, verumetiam animorum mutatio talis, qualem nulla vis externa facere potuiſſet, & quam diuinæ virtutis opus fuiſſe nemo cordatus negauerit. Hæc certè eiuſmodi fuerunt, vt nõ rarò ipſis quoq; Iudæorum ſacerdotibus aliquam veri confeſſionẽ extorſerint, quando homines illiteratos & idiotas tantũ poſſe videbant. Quòd autẽ plerique in Chriſti odio obſtinatis animis perſtiterunt, & adhuc hodie illum pertinacia inſuperabili perſequuntur, voluntariæ excæcationis argumentum eſt, & illos in ſpiritũ ſanctum peccauiſſe, & proinde excidium atq; repudium meruiſſe, ex eo apparet.

Reprehendit Iudæos ob ſe occidendi ſtudiũ.

Interim docet nos huius hiſtoriæ contextus, vaniſſimos eſſe impiorum conatus, quibus regnum Chriſti opprimere & euangelij curſum impedire ſtudent. Tam enim nihil proficiunt, vt potius veritatis doctrina per ipſos prouehatur, Chriſtus glorificetur, & ipſi tandem in ſuis illis ſtudijs malè pereant. Quod iſtis accidiſſe euidenter apparet. Cur enim illos crucis ſupplicium præ omnibus alijs elegiſſe putabimus, quo Chriſtum è medio tollerent? Nimirum vt huius infamia omnes abſterreret, ne eum vel magiſtrum ſuum vel redemptorem profiterentur, quem medium inter latrones in cruce pendiſſe conſtabat. Sed ecce in cruce adhuc pendentem multi palàm confitentur, & eidem (vt modò diximus) omnes ferè mundi partes, tam ſuperæ quàm inferæ, diuinitatis teſtimonium ferunt: & Ioſephus, homo diues & ordinis Senatorij, eundem honorificè ſepeliendũ curat, & ex eodem ordine, imò ex ſcribarum aut Rabbinorum collegio, ſocium inuenit Nicodemũ, ſummæ authoritatis virum: quorum exemplo multos excitatos fuiſſe credibile eſt, vt de tota Chriſti cauſa diligentius cogitarent. Deinde mũites ſepulchri cuſtodes adhibent, qui eius reſurrectionẽ impediant: at illi primi huius præcones facti ſunt. Poſtea in carcerem conijciunt apoſtolos, & manè de illis in ordinem redigendis magno cum conatu conſultant: illi verò per angelum è carcere educti, interea in templo docent. In Sena

Regnũ Chriſti nequicquam oppugnatur.

tum productos obiurgant & increpant: sed illorum fide constãti & intrepida dicendi libertate ita
funduntur, vt rerum omnium incerti fiant. Tandem in maiorem audaciam erumpentes Stephanum
lapidibus obruunt, & crudeli persecutione atq; inquisitione fidelium sanguinaria ecclesiam Hierosolymitanam fœdè dissipant: at illi dispersi per totam Iudæam euangeliũ docent, Samariam ad Christi fidẽ conuertunt, imò nonnulli in Phœniciam & Cyprum vsq; delati, religionem Christianã inter gentes propagare incipiunt. Tandem cùm & domi & foris vbiq; gentium euãgelio obstreperent Iudæi, iusto Dei iudicio exciti & in omnes gentes dispersi sunt, sicq; factum est, vt inter gẽtes serpentes sacræ libris testimonium perhiberent, quod etiam hodie ferunt, & ita in hunc vsq; diem impedimento sua veræ fidei doctrinam vel inuiti prouehunt. Quid autem de eo dicemus, quòd intra conscientias suas Christum vindicem & vltorem sentiunt, & interdum morituri hunc sibi infestum esse queruntur? Possem huius generis exempla cõmemorare, si exemplis aliunde adductis opus esset, vbi res ipsa loquitur. Nos potius vsum istorum omnium obseruemus, qui est, vt in vera Christi cognitione & fide confirmati, hostium eius minas & conatus sancta confidentia contemnamus, quando his euentibus prouehi potius quàm impediri, adeoq; Christum verè exaltari, inq; suam gloriam euehi conspiciat.

Mors piorum est exaltatio.

Cæterùm quod de sua morte Christus dicit, hoc singuli credentium ad se transferre debet, vt eo contra mortis terrores consolationem petãt. Est enim illis etiam mors exaltatio gloriosa atq; salutaris. Animæ siquidem impuro & fœdo corporis ergastulo liberatæ in cælos euehuntur, vt illic coronam iustitiæ accipiant, & æternùm cum Christo viuant, cui crediderunt. Ita enim is supra positus est, quando credentes à morte in vitam transire dixit. Adhæc hostium suorum manus & tyrannidem effugiunt, quando illis in defunctos nihil licet amplius, qui cum vita hac mortali sensum quoq; malorum omnem amiserunt. Memoriam verò illorum seruat & custodit Dominus, vt apud posteros in honore & pretio sint, qui dum viuerent, omnibus inuisi et exosi erant: id quod prophetarum, apostolorum & aliorum martyrum exemplis abundè testantur. Sequetur tandem læta & gloriosa resurrectio, in qua pro suis fratribus & cohæredibus illos Christus agnoscet, & magnã cum gloria coram hostibus suis comparebunt, qui & illos admirabuntur, & suam sortem miserè deplorabunt. Vide Sap. 4 & 5. cap. Hæc qui non negligenter secum expendũt, ij mortis metu & horrore se abdicio suo reuocari nunquam patiẽtur, quin potius cum Paulo apostolo cupient dissolui, vt cum Christo viuant, adeoq; hunc sibi vitam, mortem verò lucrum esse existimabunt. Philip. 1.

Impij post factum sapiunt.

Debet præterea obseruari Christi dictum, quo Iudæos tũc demũ agnituros ait tam quis sit ipse, quàm quid in ipsum designarint, vbi ipsum in crucem suffixum exaltauerint. Est hæc omnium fere hostium Christi & impiorum sors, vt post factum demum sapiant, & quid fecerint intelligant. Interim enim sibi cum hominibus obscuris & nullius pretij rem esse arbitrantur, neq; se aduersus Deum & Christum siue vnctum eius pugnare putant. Tandem verò se Deum hostem habere sentiunt, & in ipsum magno suo malo fatentur. Exempla huius rei multa passim occurrũt. Huc enim Pharao pertinet, qui cùm sibi negotium esse putaret cum Israelitis, hominibus peregrinis & toti mundo exosis, tandem Deum verum & Iehoua aduersum sibi esse clamat. Simile quid Iudas quoq; passus est, qui cùm initiò nullis admonitionibus ab instituto Christi prodẽdi auocari posset, vbi scelus illud designauit, mox eius atrocitate intra conscientiam suam territus, sponte fatetur se sanguine innoxium prodidisse, & sibipsi laqueum nectit. Quid autẽ de Iuliano dicemus, qui Christum Galilæi nomine famare solitus, postremò in acie vulneratus & iam moriturus, ab hoc se victũ esse testabatur? Non desunt nostri etiam seculi exempla, quæ singulis excutienda relinquo. At quod Christi hostibus contingit, hoc ipsum sceleratis & facinorosis alijs omnibus accidere consueuit. Blandiur illis peccata & facili via in scelera ruunt. At postquam illa designarunt, conscientiæ stimulis pungũtur, & tum scelerum quàm suiipsorum illos pudet, quando in Dei conspectu locum sibi nullum amplius superesse vident. Hoc olim Caino euenisse scimus, & in seipsis multi quotidie experiuntur, vt nõ temere Paulus ad Romanos cap. 6. scripserit: Quem fructum tunc habebatis in his, de quibus nunc erubescitis? nam finis illorum mors est, &c. Debet nos horum consideratio excitare, vt principijs peccati obsistamus, nec ementita illius dulcedine nos patiamur imescari.

Christus suam authoritatem asserit.

Sed redeamus ad Christi sermonem, qui cùm sciret auditores suos ista nõ magni facere, vt qui in vili & abiecta assumptæ ab illo humanitatis specie hærerent, porrò suam authoritatem asserit

hæc abs se verissimè dici probat, sic inquiēs: *A meipso nihil facio. sed quemadmodū docuit me pater, hæc loquor, &c.* Quæ verba non extra huius loci argumentum aut præsens Christi institutum trahi debent, vt eius diuinitatem in dubium vocemus. Nihil enim hîc de diuinitate sua ex professo loquitur, sed auditorum captui se accommodat, quos monet, ne in eius humili & abiecta specie subsistant, sed à Deo patre sibi impositam personam propius considerent. Sensus ergo verborum est: Etsi homo nudus videar, nihil tamen ex humano affectu, sed ex Dei patris mandato omnia facio, neq; alia loquor, quàm quæ ille mihi iniunxit aut præcepit. Itaq; quod aliâs dixi, doctrina mea non est mea, sed patris qui misit me. Id verò probat: *Nam qui me misit, mecum est, & non relinquit me solum pater*, vtut hominū miserrimus, & ab omnibus derelictus videar. Et huius etiam dicti rationem subijcit: Quia ego quæ placita sunt ei, facio semper. Sum enim obediens ille filius, qui ne mortis quidem infames supplicium subire detrecto, vt æternum patris de humani generis redemptione consiliū exequar: ideoq; dilectus etiam filius sum, quem pater nunquam deserit, & quem oleo lætitiæ vnxit præ consortibus suis, ne vnquam excidere aut deuiare possim. Et hæc dicendo seipsum ex communi hominum ordine eximit, de quorum nemine dici potest, quòd semper faciat quæ Deo placent: quando in multis omnes labimur, & peccati legem in membris nostris gestamus, quæ nos ad ea captiuos ducit, quæ Deo displicere & nobis etiam noxia esse scimus.

Deus cū verbi ministerio coniunctus est.

Discant autem ministri ecclesiarum, vt ipsi quoq; sese ista consolatione sustentent, quòd Deū sibi præsentē habeant, dum ab hoc accepta prædicant. Est enim is cōiunctus cum suo ministerio, sicuti promissiones olim prophetis & apostolis factæ testantur: nec credendum est à seruis suis eum abesse, qui sua virtute omnia penetrat, & vbiq; præsens est. Ieremiæ certè dicebat: *Pugnabunt contra te sed non præualebunt: ego enim tecum sum, vt te liberem, &c.* Apostolis verò idem promisit, dicens: *Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationē seculi.* Item: *Non vos estis qui loquimini, sed spiritus patris vestri, qui loquitur in vobis, &c.* Vnde hæc sua desumpsit Apostolus: *Nomine Christi legatione fungimur, tanquam Deo obsecrante per nos, &c.* Et rursum: *Experimentum quæritis in me loquentis Christi? &c. 2. Corinth. 13.* Ergo nec potentū huius seculi authoritate moueantur fideles ministri, neq; minis & conatibus hostium acerrimorum terreantur. Nam licet omnes homines illis ogganiant, Deum tamen secum habent, cuius authoritas aduersus omnem huius mundi splendorem potest sufficere. Quod autem ministris verbi dicitur, non minus ad pios omnes pertinet, quos etiam Deus sua ope fouet atq; tuetur, & tunc maximè illis adest, quando ab omnibus derelicti periclitantur. Dicant ergo cum Dauide singuli: *Vbi pater meus & mater mea destituunt me, ibi Dominus colligit me. Domino à me stante, non timebo quid mihi faciat homo.* Psalmo vigesimo septimo, & centesimo decimo octauo.

Deo obediant qui hunc sibi adesse volunt.

Habet præterea locus hic generalem doctrinā, quid facere eos oporteat qui Deum sibi præsentē & propitium adesse volunt. Opus his, vt eius voluntati sese accōmodent, & quæ illi placent faciant semper. Est autem hoc nobis impossibile præstitu, qui (vt antea diximus) naturali corruptione infecti ad malum propendemus, & quotidie peccamus. Attamen ad hoc nobis summo studio enitēdum est, & singulis quidem hoc curandum, vt quam à Deo habent vocationem diligenter sequantur, & in ea officium faciant. Illud ergo ad se transferant qui in magistratu sunt constituti, neq; dubitēt de Dei gratia & auxilio, si quod ille præcipit, fideliter exequantur. Habent hi exempla, quibus sese ipsis excitent atq; confirment, Mosem, Iosuam, Dauidem, Iosaphatum, Ezechiam, Danielem, et ex noua testamenti principibus Constantinum, Theodosium cum infinitis alijs, quos inter grauissima pericula Deus fideliter defendit & seruauit, cùm ipsi sua potestate legitimè vterentur. De ministris ecclesiarum antea diximus, quos hodie etiam multis in locis inter medios lupos mirificè seruari videmus, si Deo sese obsequentes præbeant. Ad patresfamiliās verò, adeoq; ad singulos hæc pertinere, promissiones in lege euidenter docent, quibus suam benedictionem omnibus ijs Deus pollicetur, qui præcepta eius custodiunt. Ad quarum confirmationem faciūt quæ apud prophetas passim leguntur, & quæ Dauid in Psalmis aliquot, Solomon item in Prouerbiorum libro scripserunt. Quæ si hodie omnibus cordi essent, felicius multò omnes publicè & priuatim agerent. At quia pleriq; mundo potius quàm Deo placere student, non mirum videri debet, si Dei fauore destituti, vnà cum mundo infelices sint, & tandem malè pereant.

Fructus concionis Christi.

Restat huius concionis fructus seu effectus, quē hisce verbis Ioannes exponit: Hæc illo dicente multi crediderūt in eum. Credidisse dicuntur, qui fidei veræ semina iam animis suis cōceperant, et aliqua Christi cognitione illuminati, ad illum recipiendum propendebant. De perfecta enim fide hoc intelligi non posse, ex eo apparet, quòd hanc tunc temporis ne apostoli quidem habuerūt, quos in illo regnum carnale & huius seculi commoda sperauisse & somniauisse scimus. Habet verò hoc dulcissimam consolationem, quòd fidei initia fides dicuntur. Hinc enim constat, Deum fidem quantumuis modicam & exiguam non aspernari, modò cum serio proficiendi studio coniuncta sit, vt alibi fusius est dictum. Docet præterea locus hic, Dominum vbiq; locorum & in quouis hominum genere suos electos habere, neq; inutilem prorsus esse verbi prædicationem, quàmuis pleriq; illam oderint & persequantur. Et laudem non vulgarem meretur istorum pietas, qui etsi Christum suis principibus ex sum esse, & horum emissarios aut Corycæos vbiq; obambulare scirent, qui singulorum de hoc iudicio & sermones obseruabant, credunt tamen, neq; dissimulant hanc quantulamcunq; cognitionem, quam ex eius doctrina & factis conceperant. Probauit hoc studium illorum Dominus, & quid illos porro facere conueniat, amicè docuit, vt in sequenti sermone audiemus. Nos itaq; illos imitemur, vt Iesum Christum fide vera amplexi, in ipso vitam & salutem consequamur. Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

HOMILIA LXXV.

Dicebat ergo Iesus ad eos, qui ipsi crediderāt: Si uos manseritis in sermone meo, uerè discipuli mei eritis. Et cognoscetis ueritatē, & ueritas in libertatem uindicabit uos.

MVltis hucusq; Dominus noster Iesus Christus aduersus Iudæos disseruit, & se verum patris coæternum Dei filium & promissum humani generis redemptorem esse demonstrauit, adhæc graues pœnas ijs comminatus est, qui ipsum recipere dedignantur. Et quàmuis pleriq; eius doctrinam contempserint, multos tamē credidisse audiuimus, quorum exemplum nos mirificè consolatur. Docet enim prædicationem verbi nunquā omni fructu carere, cùm vbiq; locorū suos habeat Deus, quos quando vult trahit & illuminat. Adhæc officij nos admonet, vt posthabito mundi huius exemplo & hostium Christi potentia vel authoritate, doctrinam eius fide vera & constanti apprehendamus. Quia verò non satis est bene cœpisse sequitur noua Christi concio, vel potius adhortatio, qua in fide confirmauit qui crediderant. Habet locus iste generalem doctrinam, quam omnes sibi ipsi commodare debent, qui per Christum seruari cupiunt, qua de re suo loco dicemus.

Christus relictis rixatoribus cū pijs agit.

Nunc ante omnia exemplum Christi nos inspicere conuenit, qui relictis rixatoribus, quos antitio & veritatis odium totos excæcauerant, ad eos sermonem conuertit, qui veræ fidei principia habebant, & de illis eos admonet, sine quibus salutis ratio consistere non potest. Sciebat enim aduersarios consilio, potentia, dicendo itē & authoritate plurimùm valere: neq; ignorabat quanta sit exemplorum vis apud rudes & imperitos, qui plerunq; ab externis toti dependent. Cauet ergo diligenter, ne rursus excidant quos semel sibi lucrifecerat, aut qui saltem fidei principia habebāt non contemnenda. Est hoc in ecclesia perquàm necessarium. Vt enim nequicquam fundamenta iaciuntur, nisi ædificium totum absoluatur, vt domus habitationi commoda fiat: & vt frustra seritur aut plantatur, nisi seges probè custodita ad maturitatem perueniat & fructum ferat: Ita inanis est verbi prædicatio, nisi animis conceptū verbum fidis admonitionibus foueatur, & quibene cœperunt, sui officij memores quotidie in melius proficiāt. Docet hoc sementis parabola, quam Marci 4. exposuimus. Et ideo Paulus ad Corinthios scribens, cum plantatione rigationis quoq; meminit: quam eò diligentius fieri oportet, quòd satan ijs quàm maximè insidiatur, ex quibus se expulsum videt: qui si dilatio nuo locum dent, fiunt postrema eorum peiora primis. Sed Christum loquentē audiamus, qui suæ orationis partes duas constituit, de quibus ex ordine dicemus.

Hortatur ad perseuerantiā.

Primam his verbis comprehendit: Si vos manseritis in sermone meo, verè discipuli mei eritis. Habent ista adhortationis huius propositionem, cuius hæc summa est, in eius sermone constanti fide in finem

in finem vsque perseuerandum esse ijs, qui seruari velint. Habent autem singula verba suum pondus. Si manseritis, inquit. Non ergo simplici admonitione vtitur, sed cõditionalis particula apposita necessarium hoc esse docet, vt maneant. Vt enim in re quauis nihil laude dignũ sit, nisi quod bene est cœptum, constanti perseuerantia ad finem suum perducatur: Ita in religione & salutis causa hoc cũ primis facto opus est. Nec temere ista admonitione vtitur Dominus, quando in hoc multiuariàm peccatur, sicuti in sementis parabola Christus docet. Quum enim Dei verbum prædicatur, alij quidem mox admittunt infernales illas malarum suggestionum volucres, quæ semen illud salutiferum ex animis eorũ auferunt, quò minus fructum ferat. Alij dum solitum vitæ genus mutare dedignantur, Christum quidem ore iactant, verbum verò illius voluptatum illicitarum studio et huius seculi curis impiè suffocãt. Sunt rursum qui præcoces nimiùm magnam de seipsis spem præbent, sed postea crucis & persecutionum pondere oppressi & superati turpiter deficiunt. Opus ergo est, vt aduersus hæc omnia animos obfirmemus, ne ex eorum numero deprehẽdamur, qui vbi manum aratro admouerunt à tergo respiciunt, et ita minus idoneos se reddũt ad capessendum regnum Dei. Cæterùm quia non omnis perseuerantia laudem meretur, & multi hoc ipso grauiter peccant, quòd semel conceptas persuasiones contumaciss imè tuentur, & has cum Dei voluntate conuenire putãt: disertè docet Christus, in quo nam permanere eos oporteat, qui salui fieri volunt. Nimirum in ipsius sermone. Est autem sermo Christi euangelium, quo is prædicatur, quòd sit filius Dei, manifestatus in carne, vt in se credentes seruet. In hoc manere dicuntur, qui verbum euangelij libenter audiunt, illud (vt de lege Domini in Psalmis dicitur) dies & noctes meditantur, idem memori mente custodiunt, secundùm huius præscriptum omnia sua instituunt, & nullis alijs doctrinis se circunferri patiuntur. Et hæc vera Christianorum nota est, vt alibi quoq; docetur. Paulò post enim aduersarijs suis dicet Christus: Qui ex Deo est, verba Dei audit. Et rursum cap. 19. ait: Oues meæ vocem meam audiunt, & ego cognosco eas, & sequuntur me. Item: Qui ingreditur per ostium, pastor est ouium: huic ianitor aperit, & oues voce eius audiunt, & suas oues vocat nominatim, & educit eas: Cumq; suas oues emiserit, ante eas vadit, & oues eum sequuntur, quia norunt vocem eius: Alienum autem nequaquam sequentur, sed fugient ab eo quia non norunt vocem alienorum, &c.

Continetur autem his vera Christianæ et orthodoxæ fidei ratio, quã ijs opponere possumus, qui cùm rixas & contentiones crebras nostri seculi audiunt, indignabundi queruntur, omnem fidei et religionis doctrinam obscuram & incertam esse. Et hoc quidem frequenter in ore habent, quos certum est de fide & Dei cultu nunquam seriò cogitare, cùm neq; cœlos neq; inferos credant, hoc autem prætextu suam impietatẽ palliare studeant: quos iudici Deo relinquendos puto, qui illos facilè coercebit. Quia tamen illorum sermonibus multi nõ omnino mali homines inficiũtur, vt de veritatis doctrina ipsi quoq; dubitent, ad querelas eiusmodi omnino respondendum est. Iniuriam autem illos Deo simul & verbo eius facere dicimus, & in hoc impiè transferre quod illorum vitium est, quando in fidei & religionis causa nihil certi haberi aiunt. Comprehenditur enim fides nostra certis articulis, quorum compendium in Symbolo apostolico habetur. Est præterea eius doctrina certa, simplex & perspicua. Constat item vbi illa quæri & vnde peti debeat. Ex Dei verbo nimirũ, quod scripturis veteris & noui Testamenti continetur. Quòd autem illis incerta sunt omnia, ex eo est, quòd ex hominum auctoritate ipsi dependent, & suam rationem in consilium admittunt. Quia ergo ratio humana in diuinis cæca est, & insuper affectuum prauorum impetu sæpe abripitur, nihil certi in hac causa statuere potest, & dubij fluctuent oportet quotquot humanis rationibus nituntur. Meminerint ergo isti primum, fidem non ex hominibus, sed Dei reuelatione disci, de quo ipse Christus nos admonet, Petro dicens: Caro & sanguis tibi non reuelauit, sed pater meus qui est in cœlis. Deinde cogitent regulam fidei in Dei verbo nobis præscribi, quod ex spiritus suggestione prophetæ & apostoli literis mandarũt: neq; alios apud Deum pro verè credẽtibus & germanis Christi discipulis agnosci, nisi qui in illo verbo perseuerauerint. Si enim anathema est, quisquis aliud euangelium prædicat, siue ille apostolus siue etiam angelus è cœlo sit, Christi certè discipulus censeri non potest, qui aliud euangelium docenti credit & obtemperat. In Christi ergo sermone maneamus, quod in Canonica quoq; sua Ioãnes apostolus his verbis monet: Quod audistis iã inde à principio, id in vobis maneat. Si in vobis manserit quod

Fidei ratio certa & perspicua est.

audistis iam inde à principio, vos quoq; in filio & patre manebitis. Horum itaq; memores à Christ
per apostolos & prophetas traditam doctrinam constanter retineamus, ad eius canonẽ articulos
trouersos examinemus, & mox certũ quid habebimus, quod doctissimis & acutissimis disputato
bus, imò quod publicis patrum & Conciliorum decretis aut statutis opponamus. Vt enim Christ
vnus & idem est semper, ita verbum eius sibijpsi semper constat, & qui huius vestigijs insistu
veritatis tramite nunquam aberrabunt.

Fructus perseueranciæ. 1. Christi discipulos facit.

Sed transeamus ad alteram huius adhortationis partem, qua perseuerantiæ fructus & effe
Christus exponit. Primùm est, quòd ita veri discipuli erimus. Quo dicto suos electos ab hypocr
distinguit, ne quis fucatam & instabilem nominis Christiani professionẽ sufficere arbitretur. Et
tem hæc præclara & eximia dignitas, quam hic Christus promittit. Si enim mundus magnifa
gum & principum seruos, quibus illi ad aulæ suæ fastum & magnificentiæ ostentationem vtun
quantò maioris fieri debent, quos Christus Iesus, æternus ille rex regum & dominus dominan
in suum comitatum admittit, vt illos non seruorum, sed discipulorum, imò amicorum loco habe
infra Cap. 15. testatur? Quid amicos dico, quando eosdem fratres suos & matrem suam dicere
tur? Olim enim quibusdam dicentibus, Ecce mater tua & fratres tui foris quærũt te: ipse manu
super discipulos extensa respondit: Ecce mater mea & fratres mei: Quisquis enim fecerit volun
tem patris mei qui in cœlis est, ipse meus frater, & soror, & mater est. Neque hanc inanem ge
tatem putabimus, qualis eorum est, qui à suæ sectæ authoribus Socratici, Platonici, Aristotel
cuntur: vel aliorum, quos nobilitatis persuasio & maiorũ stemmata superbos reddunt: sed cũ
salute coniunctum est quod hic Christus pollicetur. Vult enim, vt discipuli sui secum sint vbiq
& eiusdem cum ipso regni gaudijs fruantur, vt infra Cap. 12. 14. & 17. audiemus. Nunc autem
neamus, Christi discipulos, id est Christianos verè censeri non posse, nisi qui in eius sermone
tes manserint. Vt enim Platonicus nõ dici meretur, qui à Platonis doctrina dissentit: sic Christ
nomine indignus est, quisquis aliam quam Christi doctrinam sequitur. Sufficit ergo locus hic d
futandum ordines Monachorum, qui ipsis quoq; nominibus alios magistros profitetur, dum Ben
dicti, Bernardini, Augustiniani, Franciscani, Dæmonicani (Dominicanos dicere volui) p
quàm Christiani dici volunt. Nec est quòd se simul Christi discipulos esse protestentur, & ta
hos magistros delegisse, quò perfectiorem haberent vitæ Christianæ regulam. Nam vt istorũ reg
à Christo nihil dissentire fateamur, nefas tamen est in hominum verba iurare, & abiecto nomi
nium sanctissimo & ipsis inferis formidabili, noua ab hominibus petita induere. Qui enim proh
ne magistri nomen ambitiose affectemus, multò magis eos detestatur, qui superstitione deme
magistros fidei & religionis nouos sibi accersunt. Sensit hoc Paulus, qui cùm suã & Petri & A
los doctrinam verè Christianam esse sciret, ferre tamen nõ potuit, vt alij quidem Paulini, alij
Petrini, alij rursum Apolloniani dicerentur. Ita enim Christum scindi, crucis eius meritum
nuari & baptismum prophanari videbat, quo qui tinguntur, Christo nomen dare consueuer
Attamen intolerabilior multò est Monachorum audacia, qui mutato Christianorum nomine
quoq; sectas transeunt, quarum regulæ Christi doctrinæ palàm aduersantur. Ostendant enim ill
is cœlibatum vouere instituerit? vbi pro defunctis sacrificare iusserit? vbi in scripturarum
trica recitatione, psalmorum decantatione, vigilijs, cucullis & habitu scenico salutis meritum
esse docuerit? Vel vbi nam Christus præcepit relicto patrimonio sub religionis prætextu ad op
nas contendere, & abiecto parentum atq; magistratus legitimi iugo obedientiam Abbati pollic
cuius potestas legibus diuinis probari nunquã potest? At quid verbis opus est? Glorientur ill
tificum bullis, regum authoritate, longi temporis præscriptione: nos tamen ex Christi verbo
mus, verè Christianos eos modò esse, qui in eius sermone perseuerauerint, quo omnes hominum
ditiones iam olim damnatas esse scimus.

2. Veritatis cognitio.

Secundò ait Christus: Et cognoscetis veritatem. Veritatis nomine seipsum & vniuersam
tis nostræ negotium comprehendit, cuius ille doctor simul & author est. Promittit autem, quib
eius verbo constanter insistunt, maiores quotidie in salutis cognitione progressus facturi, & tand
reipsa experturi sint eorum veritatẽ, quæ nunc credunt & sperant. Quia verò hoc in se credentes
& in sermone suo perseuerantibus pollicetur, satis euidenter apparet, salutis veræ cognitionẽ
Christ

Christum omnino nullam esse. Vt enim tota salutis ratio hoc vno cõtinetur, ita extra illum nihil inuenitur, quod nos salutis certos reddere & animos fluctuantes placare possit. Quod ipsum quoq; sedas omnes iugulat & euertit, quæ ab vnius Christi verbo & merito homines abstrahunt. Simul verò obseruabis, veritatis vberiorem & certam cognitionem ijs promitti, quos iam prius credidisse audimus. Habet ergo fides sua incrementa, neque primo statim die omnium mysteriorum regni Dei cognitio perfecta nobis obtingit. Apparet hoc in Apostolis quoq;, quos in multis nimiùm ignorantes fuisse scimus, priusquàm spiritu sancto liberalius donarentur. Sufficit quidem ad salutem quantumuis exigua Christi cognitio cum fide vera coniuncta. At quorũ animis ea verè insedit, ij indies proficiunt, & ex verbo Dei multa indies addiscunt, ex quibus consolationem capiunt, & in fide sua confirmantur. Olim verò perfectio sequetur, quando facie ad faciem videbunt Deũ, & in regni eius hæreditatem animis simul & corporibus suis admittentur. Debet horum consideratio nos ad assiduum verbi studiũ & preces ardentes excitare, quibus cum Dauide oremus, vt vias suas nobis patefaciat Deus. Ad hæc horum memores non cõtemnamus eos, quos multis alijs adhuc imperfectiores esse videmus. Poterunt enim hi quoq; proficere, vt maiori veritatis cognitione illuminati in virum perfectum adolescant in Christo Iesu, quem nunc fide non fucata apprehenderunt.

Tertiò addit Dominus: *Et veritas in libertatem vindicabit vos. Quibus verbis Christianæ religionis finis indicatur, qui est libertas, quia nihil in hac vita agentibus optatius & vtilius accidere potest. In humanis certè libertate publica nihil præstantius duxerunt apud omnes gentes optimi quique, quibus etiam cumprimis gloriosum visum est pro illa mortem oppetere. Suam verò propriam libertatẽ tanti fecerunt sapientes & magnanimi omnes, vt seruitutem extremum malorum omnium & ipsa morte duriorem putarent. Ergo magnum quid & eximium Christus hic pollicetur. Quia verò regnum eius non est de hoc mundo, hic quoq; non de corporum aut huius seculi libertate loquitur, sed animorum, vel potius totius hominis, quem in libertatem spiritualem vindicat, cuius finis tandem est vita æterna. Comprehendit igitur huius promissionis consideratio præcipua nostræ redemptionis & salutis capita. Inter quæ primùm occurrit, quæ sit omnium nostrûm conditio, priusquam ad Christum accedimus & cum illo coniungimur. Patet hoc ex illius verbis. Si enim vindice nobis opus est, qui in libertatẽ asserat, serui simus oportet. Intelligitur autem peccati seruitus, quam diabolus primorum parentum transgressione inuexit. Hac enim factum est, vt obliterata Dei imagine, ad quam initiò conditi fuerant, à sua dignitate exciderint, & à peccato superati, illius serui facti sint. Nam vt Petrus ait, à quo quis superatus est, huic etiam in seruitutẽ addictus est. Itaq; peccati seruus factus Adam, suæ quoq; conditionis filios genuit, qui & ipsi peccati serui sunt. Quod non obscurè Moses innuit, quando Adamũ initiò quidem ad Dei imaginem creatum esse, postea autem hunc in sua imagine, corrupta nimirum & peccatrice, filios genuisse scribit. Genes. 5. Eadem ratione Paulus peccatum per vnum hominem in mundum ingressum esse, & omnem Adami posteritatem peruasisse ait. Sunt autem seruitutis huius conditiones tres. Prima, quòd diuina illa intellectus luce, quam primus homo habuit, extincta, nõ percipimus ea quæ sunt spiritus Dei. Ergo cæci & ignorantes in tenebris oberramus, & erroribus oblectamur, lucemq; diuinam noctuarum instar fugimus. Exemplo hic nobis sunt philosophorum de summo bono disputationes, gentium superstitiones et nefarij cultus, turpes de Dijs fabulæ, & quæ hisce etiam temporibus vulgo creduntur & docentur ab ijs, quos Dei spiritus nondum illuminauit. Et sanè quid obsecro in diuinis & cælestibus mysterijs videat homo, qui in terrenis & ijs quæ ante pedes sunt turpiter cæcutit? Nec obscurè hanc nostri intellectus cæcitatem Socrates confessus est, qui cùm teste Apolline omnium sapientissimus & iustissimus haberetur, post tot vigilatas noctes & multorũ annorum studia dicebat: Hoc vnum scio, quòd nihil scio. Quod dictum suo exemplo confirmant, qui postquàm libros omnes euoluerunt & multorũ sententias rogarunt, vt salutis rationem intelligant, tandem Monachi fiunt, & ijs votis sese obstringunt, quæ nunquam susciperent, si aliquam haberent gratiæ Dei & veræ salutis cognitionem. Sequitur intellectum corruptum voluntas depraua ta, quæ altera est huius seruitutis conditio. Quia enim quod bonum & salutiferum est homo non videt, illud ipsum etiam velle non potest. Imò ea est naturæ nostræ corruptio, vt ne ad cogitandum quidem idonei, à bono abhorreamus, affectemus autem mala & noxia. Vocat hanc corruptionem naturæ nostræ legem peccati Apostolus, eò quòd*

3. Libertas vera.

Omnes homines serui nascuntur.

2. Pet. 2.

Seruitutis nostræ conditiones.

nos quasi cum imperio regit, & ad ea abripit quæ Dei legibus sunt contraria. Eandem originale peccatum veteres dixerunt, quia ex primo parente, ceu iure hæreditario in nos derivatur & in eo omnes concipimur & nascimur. Quo fit, vt figmenta cordis nostri ab ineunte ætate prava sint, & ex nobis ipsis non aliud possimus quàm peccare, neque etiam aliare magis delectemur. Quod cùm in semetipsis omnes homines experiantur, non multa demonstratione opus est. Merito itaque ex his tertia seruitutis huius conditio, quòd morti subiacemus, quam peccati stipendium esse scriptura docet. Comprehendit verò mors omnia aduersa, quæ nos in huius vitæ stadio decurrentes exercent, morbos, famem, sitim, curas, dolores & quæ tandem sequitur totius hominis corruptionem, quam mors æterna excipit, nisi ex seruitute ista infelici prius in libertatem asseramur. Hæc est itaque omnium nostrum conditio, quòd non modò à dignitate prima excidimus, verum etiam viribus omnibus exuti sumus, nec quicquam ad nostram liberationem possumus conferre. Quare non minus ridiculus quàm noxius illorũ error est, qui hominem αὐτεξούσιον καὶ αὐτοτελῆ finxerunt, qui ipse sui iuris sit, & libero arbitrio feratur, adeoq; suis viribus cœlos conscendere & salutem mereri possit. Quid enim hic faciat, qui diuina non intelligit, cuius voluntas à bono abhorret, qui malo delectatur, boni nihil ex semetipso facere potest, qui denique quantus quantus est, peccati mancipium & æternæ morti obnoxius est? Erit ergo alibi quærenda libertas nostra, cum tota sit omnium hominum conditio. Hanc in seipso nobis Christus monstrat, cùm dicit: Veritas liberatem vindicabit vos. Quod ipsum Paulus probè intellexit, qui cùm suæ corruptionis et grauissimæ huius seruitutis sensu & consideratione diligentiori perculsus exclamasset: Miser ego homo, quis eripiet ex isto corpore mortis? Mox respondet: Gratias ago Deo per Iesum Christum Dominum nostrum. Rom. 7.

Quomodo Christus nos uindicet.

Porrò hîc modum quoq; tenere oportet, quo nos in libertatem Christus asserit. Exprimitur Veritatis vocabulo, & reuera per veritatem nos Dei filius vindicat. Primò enim homo factus in mundum venit, & omnia ea præstitit, quæ olim patribus promiserat Deus, & quæ prophetarum oraculis continebantur. Suæ enim mortis & resurrectionis merito peccata nostra expiauit, mortem deuicit, inferorum portas effregit, serpentis veteris caput contriuit, fecit deniq;, vt nec peccata nobis amplius imputari, neq; mors nos detinere posset, sed vt ex fide iustificatis ad thronũ gratiæ pervius aditus pateat. Facit huc quod Cap. 1. audiuimus: Lex per Mosem data est, gratia autem et veritas per Iesum Christum. Deinde veritatem hanc nobis in verbo suo reuelat, quæ lux vera est intellectum nostrum illuminans, & errorum tenebras discutiens: quos qui vident & agnoscunt, ijs amplius imponi clari non possunt. Tertiò spiritum veritatis animis nostris inserit, qui nos ex semine verbi regenerat, voluntatem in nobis creat nouam, & viribus quoq; nouis nos armat & instruit, adeoq; idoneos reddit ad ea quæ saluti nostræ seruiunt. Hinc fit, vt cœlestium bonorũ amore & desiderio inflammemur, terrenis relictis ad illa sola contendamus, præceptis Dei delectemur, carnem nostrã & prauas reliquias mortificemus, & membra nostra præbeamus arma iustitiæ Deo, quæ prius iniustitiæ arma fuerant. Hæc illa libertas est, quam in præsenti Christus pollicetur, & qua in hac vita fruimur. Exspectatur hanc olim æterna salus, quando animæ quidem in morte huius corporis ergastulo emissæ Christum colligentur, corpora verò in nouissimo die resuscitata à corruptione liberabuntur, et cum æternùm cum Christo viuemus atq; gaudebimus. Confutantur his illorum errores, qui veram libertatem in Christo quærunt ciuilem, vel quiduis agendi licentiam: quod hodie multi passim faciunt, partim seditiosis consilijs, partim vitæ dissolutioris exemplo euangelij doctrinam omnibus suspectam & exosam reddunt. Atqui Christi regnum spirituale est, & libertate spiritus suos donat. Non perturbat leges ciuiles, non mutat regna & respublicas, non magistratus abolet, non suum principatum in subditos imperium, neq; heris in seruos dominium eripit: et ea est libertatis Christianæ conditio, vt ea nõ minus subditi & serui quàm reges & heri frui possint. Nemo igitur sub huius prætextu alterius iure defraudet, sed quisq; (vt Paulus monet) in sua vocatione maneat, in qua vocatus est. Nihilo tò minus verò peccandi licentiam libertas hæc inuehit. Quia enim in mundum venit Christus vt diaboli opera destruat, & nos ex eius tyrannide asserat, non ingrati modò, sed iniqui & impij erimus, si in libertatem asserti, nos denuo seruituti tam turpi & infelici subijciamus. Debemus ergo agnoscere ingens hoc Dei beneficium, vt libertatem nostram fortiter tueamur, &

ipsa testemur, dum relicto satanæ seruitio, & (vt Zacharias olim canebat) è manu inimicorum nostrorum liberati, sine metu Deo seruimus per fidem in Iesum Christum: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

HOMILIA LXXVI.

Responderunt ei: Semen Abrahami sumus, nec cuiquam seruiuimus unquam: Quomodo tu dicis, In libertatem uindicabimini? Respondit illis Iesus: Amen amē dico uobis, omnis qui facit peccatū, seruus est peccati. Seruus autē nō manet in domo in æternū, filius manet in æternū. Si ergo filius uos in libertatē uindicauerit, uerè liberi eritis.

INter omnes controuersias siue disputationes, quæ Christo Iesu cum suis hostibus interceserunt, admodum memorabilis est, quam deinceps Euangelista describit. Differitur enim in ea de articulis grauissimis, & quorum cognitio omnibus perquàm necessaria est. Nimirum de seruitute peccati, quæ præcipua nostræ perditionis causa est, et Libertate Christiana, ex qua salus nostra omnis dependet. Occasionem huic tractationi præbuit fidelis admonitio, qua nuper Dominus eos, qui credere cœperant, ad constantem in fide perseuerantiam hortatus est, & ita promisit fore, vt germani sint eius discipuli, qui in veritatis cognitione indies magis atq; magis proficiant, & in veram libertatem asserantur. Ex eo nunc contendendi ansam aduersarij arripiunt, quibus cum tunc nihil negotij erat Christo, & ad quos ista non pertinebant. At bene vtitur illorum improbitate Dominus, quando non modò illorum obiectiones grauiter confutat, verùm etiam totum hoc nostræ vindicationis & libertatis mysterium ampliori declaratione illustrat. Proderit ergo singula propius inspexisse.

Occurrit autem primo loco aduersariorum obiectio, qui ex Christi verbis eam particulam decerpunt, quæ facilius quàm reliqua & plausibilius per calumniam in sensum alienum detorqueri, & illi apud populum inuidiam conflare poterat. Cùm enim plenior ē veritatis cognitionem simul & libertatē in suo sermone permanentibus pollicitus esset, illi neglecta veritatis mentione (fortasis quòd suæ ignorantiæ sibi satis conscij eam publicè argui & traduci nollent) de libertate contentionem instituunt, quam Christus in dubium vocauisse videbatur, cùm in hanc vindicandos dixisset. Id verò intolerabile erat Iudæorum populo, qui maiorum virtute & generis prærogatiua ita superbiebant, vt gentes omnes præ se contemnerent. Deinde seruum esse & censeri non miserum modò, sed contumeliosum quoq; erat, cùm solis liberis ad honores publicos accessus pateret, & hi soli publicis priuilegijs frui possent, serui verò non ab illis modò, verumetiam ab artibus ingenuis et hæreditatibus excluderentur. Clamant ergo: Semen Abrahami sumus, nec cuiquam seruiuimus vnquam, &c. Vbi in illorum exemplo multa nobis obseruanda veniunt, quorum cognitio cum vtilissima tum necessaria est. Primò videmus quàm pertinaci & irremisso aduersus veritatē contendendi studio ferantur, qui vel veteres superstitiones tueri, vel semel susceptum vitæ genus persequi in animum induxerūt. Quia enim illam sibi contrariam esse vident, implacabile eius odium concipiunt, cuius tanta vis est, vt illius cognitionem ne in alijs quidem ferre possint, & à nemine lacessiti aut prouocati sponte ad pugnam prosiliant, & contentiones instituant nunquam finiendas. Quid enim hîc dixerat Christus, quod ad illos pertineret? Nam vt demus illum non sine contumelia suos illos, qui fidei semina concuperant, vel turpis ignorantiæ vel seruilis conditionis insimulauisse, quid tamen hoc ad istos, qui à fide alienissimi erant, & quibus ille non erat locutus? Nihilominus tamē ipsi causam hanc defendendam suscipiunt, vt Christo ogganniendi & veritatem oppugnandi occasionem nullam præterlabi patiantur. Sic Apostolis Euangelium inter gentes prædicantibus Iudæi fecerunt, & Actorum liber testatur, illos vbiq; locorum seditionum & turbarum authores fuisse, vt nascentem veritatis doctrinam extinguerent. Et quod illi fecerunt, hodie passim fieri solet, & ea est hostium Euangelij rabies, vt quam ipsi admittere nolunt salutis doctrinam, toto simul terrarum orbe eiectam velint, et quàm-uis ipsis superstitiones suas retinere, redditibus suis tutò & pacificè frui, & pro suo arbitrio viuere liceat, quiescere tamen non possunt, sed ex concionibus sacris, ex doctorum scriptis, denique ex dictis

Iudæi de libertate litem mouent Christo.

Veritatis hostes vixatores assidui.

& factis piorum omnibus occasiones vænantur litigandi, vt pijs negotium faciant. Est hoc ma… ingenium, cui non sufficit, si ipse pereat, nisi secum alios quoque in exitium trahat: Quod nos ob… uare conuenit, ne similibus hodie offendamur, sed constanti fide armati in nostro quoque insta… perseueremus.

Hostium ueritatis astutia.

Deinde astutiam quoq; hostium veritatis videre licet, qua in causa pessima vtuntur, vt optim… & fidelissimi publicæ salutis propugnatores videri possint. Ne enim priuatam causam agere vid… antur, communem totius gentis dignitatem tueri instituunt, & huius progenitorem Abraham… in medium producunt, cùm huius mentionem nullam Christus fecisset. Cur verò hoc? Quia maxim… erat huius apud omnes Iudæos authoritas, & ex illo omnem suæ gentis gloriam & prærogati… pendere sciebant. Hunc enim singulari gratia Deus ex Chaldæa eductum ad opus peculiare … segregarat, vt in illo fœdus salutis instauraret, quod in diluuio ruptum & abolitum videri potu… Huic promissionem dederat de semine benedicto ex sua stirpe nascituro. Ab hoc imprimis deriu… nari voluerat Deus, quando se Deum Abrahami, Isaaci & Iacobi dicit. Quibus si egregiam Abr… hami fidem & præclara facta, quibus hanc testatus est, coniungas, heroes item, Iudices, reges, sa… dotes, prophetas, & infinitos alios summi Dei amicos atq; cultores, qui ex eius stirpe descende… nullã vnquam in orbe terrarum familiã fuisse patebit, quæ cum huius nobilitate & dignitate … posit. Vt ergo Christus non in ipsos modò, sed in sanctissimum gentis totius authorẽ, adeoq; in … Deum contumeliosus esse putetur, ista proferunt: Semen Abrahami sumus, nec cuiquam seruiuim… vnquam: Quomodo tu dicis, In libertatem vindicabimini? Quasi dicerent: Vindice opus est ijs, … seruituti obnoxij aut serui nati sunt. At nos Abrahami posteritas sumus legitima, quo nemo vsq… magis liber vel nobilior extitit. Non est ergo quòd vindicem promittendo nostræ gentis dignit… Abrahami patris nostri gloriam, & vnà Dei promissiones, quibus nos exornauit, in dubium … Quin intolerabilis est hæc tua vanitas, qui promissis inanibus eos lactare audes, qui illis minim… pus habent. Vel num te Abrahamo digniorem & præstantiorem esse censes, qui nobis aliquid pro… tas, quod ille suis posteris dare nõ potuerit? Hic verborum istorum sensus est, quibus astuti Chri… ceu publicum gentis totius hostem, omnibus inuisum facere, & simul eos qui iam cœperant credi… ab illo reuocare conantur, ne hunc sequendo, publicam gentis suæ & sanctissimorũ maiorum suor… gloriã turpiter prostituant. Similis hodie illorũ astutia est, qui Diuos subinde in ore habent, & … nos nulla prorsus horũ mentione facta, vni Christo redemptoris & mediatoris gloriam vindic… ipsi Diuam virginẽ & omnes sanctos cœlites in medium adducunt, quos à nobis sua dignitate … ria spoliari, & insuper maiorum nostrorum fidem atq; salutẽ in dubium vocari clamant, qui … meritis & intercessione sese seruari crediderint. Tunc verò exemplũ istud nobis in mentem … vt contemptis hominũ superstitiosorum & impiorum clamoribus, rem ipsam propius expend… Quis enim nostrũm vel Mariam virginẽ vel Diuos cœlites sua gloria spoliare vnquã conatus … Quis illos, dum viuerent, vasa gloriæ fuisse, & nunc in cœlis gloria sempiterna frui negat? Ann… lorum doctrinam, fidem & exemplum publicè prædicamus, & omnes ad huius imitationẽ exh… mur? Si ergo sanctos cœlites illi tanti faciunt, cur non audiunt in scriptis suis loquentes? Cur … los imitantur, & secundùm illorum exemplum vni Christo viuunt, & huic omnem suæ salutis … riam transcribunt? Quoad maiorum nostrorum fidem, annon eius forma & summa in Symbol… postolici articulis cõtinetur? Annon hos illi nobis tradiderũt? Annon iam morituri hos confessi … Quis verò nostrũm illos in dubium vocat, aut oppugnat? Quòd si maiores nostri commu… temporum errore decepti, multa admiserunt, quæ Symboli articulis contraria sunt, quæ demen… est, illa hodie in tanta Euangelij luce tueri velle, & nõ potius in ijs solis acquiescere, de quibus … maiores quoq; nostros nulla vnquam controuersia fuit? Hæc & alia huius generis si probe expend… mus, ineptis aduersariorum clamoribus non multum mouebimur.

Aduersariorũ Christi impudentia.

Tertiò audacem quoq; istorum impudentiam obseruabimus, quam astuti licet dissimulare … potuerunt, vel dissimulatione non opus esse putarunt apud rude vulgus, cuius simplicitate iam … abusi erant. Primò enim cùm totus verborum Christi contextus euidenter ostendat, illum de libe… tate spiritus egisse, quæ non ex carnis generatione, sed veritatis cognitione dependet, illi de genu… nobilitate & libertate huius seculi contentionem instituunt, & impudenter statum assumun… mus, alie…

mutando, & Christo iniuriam faciunt, & populo rudi imponunt. Deinde non pudet eos apertè mentiri, dum se nemini vnquam seruiuisse aiunt. Quid ergo in Ægypto passi sunt, quando libertate amissa Pharaonis iugo durissimo oppressi fuerunt? Vel num Deus mendacij arguetur, qui illos seruituros esse prædixerat, & qui ex monte Sinai alta & tremenda voce illis concionatus, hoc dicendi exordium sumpserat: Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, ex domo seruitutis? Quid verò totus Iudicum liber aliud quàm catalogum continet, quo recensetur, quoties vicinis gentibus seruierint, & quoties illorum misertus Deus ipsos vindicarit? Quæ ergo impudentia est, hæc dicendo simul etiam Dei beneficia negare, qui toties illos in libertatem vindicarat? Quid verò de Assyriaca & Babylonica captiuitate dicemus, quando bello capti reuera serui fuerunt? Sed vt vetera omittamus, annon cùm hæc dicerent, Romanorum serui erant, quibus censum exoluere cogebantur, quorum præsidibus parebant, & qui sua per omnes propè vrbes præsidia disposuerant? Quid ergo impudentius ab istis fingi & dici potuit, quàm quòd se nemini vnquam seruiuisse aiunt? At quid obsecro aliud hodie faciunt aduersarij nostri Romanenses, & qui eorum partes tuentur? Simili certè impudentia controuersiæ, quæ cum illis nobis intercedit, statum mutant & improbè detorquent. Cùm enim de fidei iustificatione disputamus, illi bona opera à nobis damnari & prohiberi clamant: cùm de libertate Christiana concionamur, respub. conuelli & suum magistratui ius & imperium in subditos eripi dicunt. Cùm in vno Christo salutem omnem contineri docemus, Diuos et Diuas (vt antea quoque diximus) à nobis è cœlo deijci & conculcari aiunt. Cùm Pontificum tyrannidem oppugnamus, ecclesiasticam libertatem simul & disciplinam cõuelli & euerti calumniantur. Possem multa alia huius generis cõmemorare, sed sufficiant hæc, quæ de alijs cogitandi occasionem facilè dabunt ijs, quibus ista res cordi est. Neque eo contenti, cùm errores & abusus graues in ecclesiam irrepsisse dicimus, qui reformationem postulent, illi plus quàm Iudaica impudentia abrepti, plenis buccis Romanæ ecclesiæ authoritatem prædicant, & hanc errare nõ posse, neq; vnquam errauisse pertinaciter contendunt. Et istud dicere non pudet nunc, quando illorum scelera & errores omnium oculis expositi sunt, vt de illis agricolæ, nautæ, cerdones, imò mulieres & pueri iudicare possint. Sed respondete quæso ô boni, annon error est infame scortum virum putare, in Pontificiæ dignitatis fastigium euehere, huic claues regni cœlorum committere, & cœlestium bonorum dispensatorem constituere? Annon error est, improbos hypocritas pro viris bonis ducere, & ecclesiarum gubernaculis admouere? Annon scelus est, cynedos & catamytos, lenones, veneficos & scelerum ministros, in pretio habere & dignitatibus ecclesiasticis ornare? Annon error & flagitium est, sacramentorũ vsum mutare, prophanare, & in ijs nundinationem sacrilegam instituere? Annon error est, humanas traditiones Dei verbo æquare? Annon error est, imagines ad cultum & adorationem proponere? Annon error est, bonum dicere malum, & è contra malum bonum, quod toties facitis quoties quæ Deus cõcessit prohibetis, aut in ijs dispensatis, quæ ille disertè prohibuit? Annõ error est, in Christi morte abrogatas ceremonias reducere? Sed quid Augiæ stabulum purgare instituo, quando totus dies non suffecerit, si quis omnes ecclesiæ Romanæ errores commemorare velit. Neminem ergo illorum clamores moueant, sed in Christi doctrina constanter pergamus, qui solus errare non potest, cùm sit via, lux & veritas.

Generis & maiorum fiducia noxia.

Postremò docet exemplum hoc, quàm noxia & perniciosa sit generis & maiorum fiducia. Hac inflati Iudæi, Christum fastidiunt, neq; eo se opus habere arbitrantur, & insuper impunitatem perpetuam sibi ex eo promittunt, quòd secundùm carnem Abrahami semen & patrum sanctissimorum posteri sint. Idem illos fecisse legimus, quando Ioannes Baptista pœnitentiæ prædicatione populum Christo præparabat. Imitantur hos hodie in externis, qui vulgò nobiles & generosi dicuntur. Nam hi quoque serè maiorum suorum & stemmatum splendore inflati, nihil egregij sibi præterea putant agendum, & sub honestissimo generis prætextu turpem & detestabilem quiduis audendi licentiam venantur. Quàm multos enim ex his reperias, qui tunc demum se nobilitatis titulo respondere putant, si omni tam Dei quàm hominum reuerentia extincta leuitatem et improbam audaciam vestitu, incessu, potu, deierationibus, minaci vultu et omni immodestiæ specie prodant? Sunt hi non nobiles, sed nobilium familiarum labes & maculæ. Imitantur hos in spiritualibus Pontifices & Episcopi, qui successionis titulo errores & abusus omnes palliari & defendi posse putant. Et publicè hîc ab

ijs erratur, qui ad salutem sufficere putant, quòd ex Christianis parentibus nati sint, & Christ-
dicantur, securi interim eorum, quæ homines Christianos decent. Sed vana est hæc fiducia, qua
Deus nec generis nobilitate, nec maiorum aut antecessorum meritis mouetur. Quoad enim
nobilitatem, constat filios Dei non ex carne aut sanguine, sed ex verbi semine per Christum
Cap. primo est dictum. Quoad maiorum virtutem, notum est illud propheræ: Iustus SVS
uet, Imò Deus eò grauiori iudicio eos punit, qui cùm tam præclara ad virtutẽ adiumenta
turpiter tamen degenerant, neq; eos imitari student, quorum virtute superbiunt. Sed plura
Christus dabit, vbi hanc Iudæorum confidentiam ipse confutat.

Christi responsio.

Accedamus ergo ad eius responsionem, cuius duo sunt capita. Primum, quo docet illos
seruos esse, & proinde vindice opus habere. Altero illos Abrahami germanos filios esse negat,
ipsis factis se degeneres esse ostendant. Vtriusque capitis hic finis & scopus est, vt larvam illa
bat, & inanem fiduciam retundat, qua dementati, ipsum veræ salutis authorem negligebant. E
hoc factu planè necessarium, & hodie ita cum illis agendum est, qui simili confidentia meriti
sti & gratiæ Dei prædicationem aspernantur. Vt enim medicum non admittit, qui se agrotare
rat, aut morbi vim & periculum non intelligit: Ita neque Christo locum dabunt vnquam, qui
licem humani generis conditionem non agnoscunt, quam sub peccati & mortis dominio suffi
Magnum verò modestiæ argumentum est, quòd cùm illos turpissimæ vanitatis & mendaci
làm conuincere posset, humaniter tamẽ cum illis agit, vt omnino cõstet, ipsum hoc potius quæ
vt illorum saluti consuleret, & suorum dictorum veritatem confirmaret, quàm vt illorum
tem publicè traducendo infames faceret. Quod exemplum si hodie omnes imitarentur, qui
Euangelicæ propugnatores videri volunt, facilius multò componi possent omnes cõtrouersiæ, &
iori cum fructu veritas prædicaretur.

Sed Christum audiamus, qui primum suæ responsionis caput his verbis absoluit: Amen
dico vobis, omnis qui facit peccatum, seruus est peccati. Seruus autem non manet in domo
num, filius manet in æternum. Si ergo filius vos in libertatem vindicauerit, verè liberi eritis
tur à graui asseueratione, quia de re magna agebatur, & quam ipsis difficulter persuaderi
bat. Tria autem dicit, quæ ad præsentem causam cumprimis faciebant. Primùm seruos esse
& quales serui sint docet. Deinde duram & infelicem huius seruitutis ipsorum conditionem
adeoq; pœnam ijs denunciat, qui in ea manent. Tertiò vindicem illis ostendit, vt intelligant,
audire debeant atq; sequi, si manumitti velint & spiritus libertate frui.

Probat Iudæos peccati seruos esse.

Ad primum pertinet, quod ait: Omnis qui facit peccatum, seruus est peccati. Quasi dicerem
gnum vobis videtur, me vobis vindicem polliceri, cùm nemini vnquam seruierim. At mulum
limini vestra hac confidentia: & si maximè verum esset, vos nunquam in seruitutem co
ctos esse, & nunc etiam quoad corpus plena libertate frui; non tamen hinc colligi posset, vel vo
dice nullo opus habere, vel me vanum quiddam & superuacaneum polliceri. Sunt enim alia
seruitutis species, quæ prius inspiciendæ erant, et videndum, an nulla illarum teneremini. Qua
hæc cura vos non tangit, agedum ego quod res est dicam. Serui estis vilissimi & miserrimi, &
heri, aut tyranni potius, turpissimi & immanissimi, peccati nimirum, quo nihil turpius, crudelius
exitialius excogitari potest. Id autem ratione probat, quam ita in argumenti formam colligere
teris. Quisquis peccatum facit, seruus est peccati: Vos peccatum facitis: Ergo peccati serui
per consequens, vindice etiam opus est vobis, qui vos in libertatem asserat. Peccatum verò
dicuntur, qui naturali corruptione infecti, ex semetipsis nihil aliud quàm peccare possunt, quam
nibus hominibus communem conditionem esse omnis scriptura testatur. Quare quamuis cum
hic agat Christus, vniuersalem tamen humani generis corruptionem in medium adducere, &
testimonio illos conuincere voluit, vt facilius confidentiæ cristas deprimeret, quas aduersus
prædicationẽ attollebant. Sicut ergo ignis calefacere, aqua humefacere dicitur, eò quòd hoc illa
prium est, neq; aliud facere possunt: Ita homines peccatum facere dicuntur, quia hoc quoq; natu
nostra, quam ex Adamo in nos deriuatam gestamus, proprium est, neq; aliud ex nobis ipsis
possumus. Minorem hîc non adducit, quia per se clara & omnibus nota erat, & à communi omnium
sorte nemo sese eximere ausit, nisi quæ omnes vera esse sciunt, impudentissimè negare velit.

Q ij

Quia verò ista in genere proponit Christus, nos quoq; ex his generalem doctrinã petere decet de peccatorum infelici conditione, vt beneficij in Christo nobis exhibiti magnitudo melius cognoscatur. Peccati seruos esse dicit omnes, qui innatæ nobis corruptioni indulgẽt, & desiderijs prauis obsequuntur. Rationem huius dicti in præcedenti Sermone ex posteriori epistola Petri adduximus, cui etiam illud Pauli addere licet: An nescitis, quòd cui vos sistitis seruos ad obediendum, eius serui estis cui obeditis? &c. Roma. 6. Est autem inter externa & temporaria mala seruitute nihil miserius, fœdius & homini indignius, cum (vt Cicero in Philippicis ait) ad decus & libertatẽ nati simus. Imò idem mortem seruitute potiorem esse dicit, quod ex gentibus multi senserunt, qui honestè potius mori voluerunt, quàm in hostium manus venire & seruitutis iugo subijci. Et quis non miseriã summam esse ducat, ita in alterius potestate esse, vt totus ex illius arbitrio pendeas, illi viuas, labores, vigiles, qui & vitæ & necis in te potestatem habeat, & cùm volet alteri te vendat inuitum, cui similiter in re quauis seruire cogaris? Sunt tamen hæc tolerabilia, si cum seruitute hac cõferantur, de qua in præsenti Christus loquitur. Primò enim durissima licet sit corporum seruitus, & in heros interdum immanissimos incidamus, homines tamen sunt, quos vel casus subitus aliquando mouet, vt de cõmuni hominum sorte cogitent: vel lucri spes excitat, vt seruis suis humanius vtantur. At qui peccatis sese addixerunt, diaboli mancipia fiunt, qui ab omni humanitatis sensu alienissimus, ex eo omnem voluptatem capit, si nos anima simul & corpore perire videat. Nota est Ciceronis sententia: Cùm omnis seruitus est misera, tum verò intolerabile est seruire impuro, impudico, effœminato. Quid ergo illum dicturũ fuisse putabis, si diaboli seruos fieri intellexisset eos, qui peccati desiderijs seruiunt? In historijs traditur, Arbactum Medum hac sola ratione motum fuisse, vt à Sardanapalo deficeret, & socios ad defectionem solicitaret, quòd illum inter scortorum greges colo assidere, & muliebri habitu cum mollitia corporis & oculorũ lasciuia omnes fœminas anteire deprehendisset. Indignabatur enim vir fortis tali fœminæ viros parere, & se ei parere posse negabat, qui se fœminã esse mallet quàm virum. Quantò verò turpius fuerit & miserius, homines, qui ad Dei imaginẽ conditi, ratione & intellectu animãtibus cæteris præstant, diaboli seruos fieri, quo nullus tyrãnus fœdior & crudelior reperiri potest? Et quàm ardenti studio haud dubiè generosiores illi spiritus ethnicorum seruitutẽ hanc fuissent abominati, si mysteria hæc cognita habuissent, quibus vsq; adeò graue fuit hominibus impuris & effœminatis seruire? Accedit tamen quod hæc omnia longè superat. Cum enim externa seruitus corpora sola premat, animorum verò libertatem impedire non possit, quæ in pijs & electis tũc demum maioricum laude sese prodit, sicuti Iosephi, Danielis, Neemiæ et similium exempla testãtur: nostra hac, de qua in præsenti sermo est, ipsum quoq; animum hominis inuadit, simulq; totum hominem peccatis, vel diabolo potius mancipat, vt iam non sibi, non Deo, nõ hominibus, sed soli diabolo viuant, qui iugum istud semel susceperunt. Quod quia durũ dictu videtur, exemplis vel re ipsa hoc verum esse demonstrabimus. Exordiamur autem ab auaris, qui opum huius seculi seruitio sese cõsecrarunt. Horum animum & mentem primò occupat insatiabilis diuitiarum cupiditas. At quia potior hominis & facultatum eius pars in animo consistit, mox iste has omnes post se rapit. Itaq; ratio siue intellectus non alijs cogitationibus occupatur, quàm quæ ad opes spectant: & his quidẽ ita intentum reddit, vt & Dei & propriæ salutis quasi oblitus, dies atq; noctes non aliud quàm pecunias somniet, imo noctes ducat insomnes, vt istis cogitationibus vacare possit. Sequũtur duas hasce præcipuas hominis facultates membra corporis omnia, quæ quasi conspiratione facta post opes ruunt, neq; vllis laboribus aut curis defatigantur, modò aliqua has consequendi spes sese ostendat. Crescit interea amor isti, et cũ opibus quotidie augetur: quò fit tandẽ, vt nec vitæ pericula metuant, qui hoc toti ardet, neq; à facinoribus atrocissimis abhorreãt, si ea cũ lucro coniuncta esse conspicẽtur. Fit ergo quod Apostolus dixit, vt qui ditescere volunt, in tentationem incidant et laqueum, et cupiditates multas amentes & damnosas, quæ homines in exitium demergunt & interitum. Huic enim pesti debemus impostoras omnes, mendacia, periuria, furta, rapinas, ius venale, & plerunq; stupra quoq;, cædes, veneficia, & si quæ his etiam sunt atrociora. Neque finem inuenit ista libido in opum iã acquisitarum abundantia, sed (vt Cicero in Paradoxis ait) nunquam expletur nec satiatur cupiditatis sitis: neq; solum ea quæ habent libidine augendi cruciantur, sed etiam amittendi metu. Quapropter opes cõgestas nouæ curæ comitantur, quæ animum non tam amittendi metu solicitum reddunt, quàm eũdem

Peccati seruitus omnium mi serrima.

à beneficentiæ ſtudio abſtrahunt, & planè immitem & ad egentiũ clamores ſurdum reddunt. Quis enim alienis à ſe auarus largiatur, qui & ſuos domeſticos parciſſimè alit, & ſuum quoq; genium defraudat, ne ſumptus faciat maiores? Seruit ergo quæſitis opibus, & dum nummos contemplatur in arca, adeò ſolicitè eos obſeruat, vt nemo ſeruulorũ in obſequijs hero ſuo præſtandis æque ſit gens aut attentus eſſe poſſit. Quòd ſi verò caſus aliquis opes auferat, Deum immortalem, quos clamores, gemitus, fletus, eiulatus eſt videre? Quem non accuſat? quos Deos non execratur? Quæ non edit extremæ deſperationis indicia, quibus euidẽter animũ plus quàm ſeruilem prodit? Quis non hominem eiuſmodi liberum, & non potius viliſſimum auaritiæ mancipium eſſe dixerit? At quod hoc dicimus, non minus de omnibus alijs dici poteſt, qui corruptis carnis ſuæ affectibus indulgent. Quis enim ſeruum eſſe neget eum, cui vindictæ cupiditate abrepto cor totũ æſtuat, ſanguis circa præcordia ebullit, oculi ardentes micant, lingua voces minaces & confuſas edit, pedes denig; & manus præcipites eò feruntur, quo illas furor cæcus abripit? Eadẽ eſt hominis libidinoſi conditio, quem amoris illiciti & cæci ſeruum eſſe, pallor in ore, vigiliæ continuæ, ſuſpiria, lachrymæ, extinctus pudor, sciuæ voces, inceſſus, geſtus, totius denig; corporis habitus abunde probant. Sed quid exẽplis opus est? In ſeipſum quiſq; deſcẽdat, & tam crudele ſentiet eſſe affectuum & cupiditatũ dominium, vt nullius ſeruitus moleſtior & laborioſior excogitari poſſit, quàm quæ nos peccati mancipia reddit. Itaq; nihil Chriſtus pronunciat, peccati ſeruos eſſe, qui peccatum faciunt. Auget verò huius conditionis miseriam humani ingenij infelicitas, vt cùm ſeruitutem corporis omnes fugiant, aut ſaltem effugere cupiant, hac tamen delectentur, quæ illos peccati mancipia reddit. Blandiuntur enim peccata hominibus, & ciſſim his etiã blanditur ratio noſtra, quæ in excuſandis grauiſſimis ſceleribus ingenioſa animi, non modò extenuat, verumetiã virtutum nominibus exornat, dum auaritia frugalitatis, prodigalitas liberalitatis, ſcortandi libido humanitatis titulo commendatur. Quod ipſum in reliquis exemplis ſceleribus fieri conſueuit. Et hanc quidem præcipuam reipub. peſtem eſſe, Cato Romanorum ſapientiſſimus & grauiſſimus morum cenſor, apud Saluſtium vidit, quando in frequenti Senatu dicere ſolitus eſt: Iam pridem nos vera rerum vocabula amiſimus: quia bona aliena largiri, liberalitas; malarum rerum audacia, fortitudo vocatur: eò Reſpub. in extremo ſita eſt. At quomodo non ſingulare exitium & exitiale ſit, quod toti reipub. perniciem afferre poteſt? Nec enim de effugiendis peccatis quisquam vnquã cogitabit, qui ſceleribus delectatur, & illorum turpitudinẽ fuco eiuſmodi obducere, quæ cælare ſtudet. Pereat ergo in illis neceſſe eſt, quoad non rectius iudicare diſcit. Deinde, cùm nos peccatorum ſeruitutẽ vel effugere, vel pecunijs redimere poſſimus, hæc animorum ſeruitus ratione nulla euitari poteſt, neq; ad redemptionem noſtri vllæ vel vires hominum vel pecuniæ ſuffecerint. Quod heri mutatio ſeruitutis iugum aliquando tolerabilius reddit. At hic mutatio quoq; nulla ſperanda eſt, cùm ſemel ſuſceptum peccati iugum excuti non poſſit, & eorundem ſcelerum conſcientia nos perpetuò infeſtet. Quod præclarè D. Auguſtinus expoſuit his verbis: O miſerabilis ſeruitus. Plerique homines, cùm dominos malos patiuntur, venales ſe petunt, non quærentes dominum non habere, ſed ſaltem mutare: ſeruus peccati quid faciat? quem interpellet? apud quem ſe venalem petat? Dominum? Seruus hominis aliquãdo ſui domini duris imperijs fatigatus, fugiendo requieſcit: ſeruus peccati quo fugit? Secum ſe trahit quòcunq; fugerit. Non fugit ſeipſam mala conſcientia, non eſt quò eat, ſequitur ſe, imò non recedit à ſe: peccatum enim quod facit, intus eſt. Fecit peccatum, vt aliquam corporalem caperet voluptatem: voluptas tranſit, peccatum manet, præterit quod delectabat, remanet quod pungat. Mala ſeruitus. Hæc Auguſtinus.

Seruorum peccati pœna.

Vt autem à ſeruitute iſta nos abſterreat, mox eius ſtipendium ſubijcit Chriſtus, vel potius denunciat, qua pertinaciter in ea pergentes Deus mulctare conſueuit. Vbi cùm multa dicere poſſet, quæ de ſcelerum pœnis cùm temporarijs tum æternis paſſim in ſcripturis habentur, vnum aliquid dixiſſe contentus eſt, quod mala reliqua omnia in ſe complectitur. Seruus (inquit) non manet in domo in æternum, filius manet in æternum. Habent iſta parabolæ ſpeciem, quam ex communi & legum confirmata conſuetudine deſumit, & ſenſus eſt: Quemadmodum ſerui, etſi pars familiæ ſint magnæ, non tamen in domo ius habent aliquod, ſed eijciuntur vbi ita viſum fuerit patrifamilias: ita qui peccato ſeruiunt, etſi in Dei domo ad tempus cenſeantur, in ea tamen locum ſtabilem non habent, neque hæreditatem regni Dei adeunt, quam ſolis filijs ſuis Deus deſtinauit. Eſt enim domus Dei non

quidem terris Ecclesia, vt in priori ad Timoth. Apostolus docet: in cœlis autem gloriosa & æterna beatorum sedes, vbi illi in conspectu Dei satietate gaudiorum replebuntur: de qua infra Cap. 14. plura dicentur. Docet ergo Christus peccati seruos neq; in Ecclesia & cœtu electorum locum stabilẽ habituros, neq; regni cœlestis hæreditatẽ adituros esse. Hæc autẽ dicendo, non obscurè Iudæos pungit, qui cùm germani filij Abrahami dici vellent, seruile potius Ismaelis ingenium, quàm Isaaci libera-lem spiritum referebant, & ideo illos è domo Dei eijciendos esse minatur. Est hæc grauis admodum comminatio, licet huius sensu reprobi non semper tangantur. Nesciunt enim in sola ecclesia gratiæ thesauros repositos esse, quibus nunquam fruentur, qui ab eius consortio excluſi sunt. Quò magis nobis amittendum est, vt excusso seruitutis huius infelicis iugo, filij Dei efficiamur, & ei in spiritus libertate seruiamus. Vnde verò hoc nobis obtingat, paulò post ipse Christus docebit. Nunc non ociosanter præteriri debet, in externa ecclesiæ societate non electos modò Dei filios, verumetiam peccati seruos haberi. Idem alibi in zizaniorũ & verriculi piscatorij parabolis Christus docet. Et sicuti in magna domo (vt Pauli parabola vtamur, 2. Tim. 2.) non tantùm sunt vasa aurea & argentea, sed etiam lignea & testacea, & alia quidem ad decus, alia verò ad dedecus; Ita in domo sua Deus nõ gloriæ modò, verumetiam iræ & ignominiæ vasa habet, quorum omnium illi vsus certus est &c. Vt enim in vasis misericordiæ diuitias gloriæ suæ notas facit, ita in vasis iræ aut ignominiæ iustã suam iram atq; potentiam aduersus peccati seruos declarare cõsueuit. Erant hæc ijs obseruanda, qui ecclesias mox damnant & deserunt, in quibus aliquos conspicantur, qui reproborum mores referunt, & non magnos pœnitentiæ fructus ferunt. Disciplina quidem in ecclesijs opus est, neq; excommunicationem simpliciter improbamus, sed eam volumus retineri, quæ colligendis potius peccatoribus seruiat, quam absterrendis infirmis, neq; ex imbecillis prorsus duros & præfractos reddat. Et curandũ imprimis (quod & Christus monuit) ne dũ in euellendis zizaniis nimij sumus aut seueriores, simul frumentum quoq; euellamus. Deniq; quia fieri nequit, vt in hoc seculo ecclesia ab omnibus sordibus repurgetur, patienter feramus oportet, quod mutari non potest. Interim meminerint pertinaces illi & malæ frugis serui, fore aliquando tempus, quando aream suam purgabit Dominus, & procul eos eijciet, qui nunc pijs non scandalo modò sunt, sed in ecclesiam dominium exercere audent: quod vt Christi temporibus impij sacerdotes faciebant: ita nouissimo seculo Antichristum in templo Dei sedem habiturum esse, Apostolus prædixit. 2. Thess. 2. Rursus soletur electos Dei filios, quòd ipsos Christus in domo mansuros ait. Quia enim hoc ita vult ipse paterfamiliâs, & quem ipse domus suæ hæredem fecit, nequicquã aduersus illos fulminabunt Antichristi, qui eos pro hæreticis, schismaticis, sacrilegis & reprobis excommunicare solent.

Restat tertium huius loci caput, Vnde libertas vera & salutifera nobis obtingat, de quo sic loquitur: Si ergo filius vos in libertatem vindicauerit, verè liberi eritis. Vbi ante omnia obseruabis, quòd expressè de Filio (vnico nimirùm) non indefinitè de filijs quibuscunq; loquitur. Sibi ergo soli hanc potestatem vendicat, quòd eos, qui natura sua serui peccati sunt, in libertatẽ asserere possit. Vt enim seruus conseruum libertate donare non potest &c. quam ipse nondum habet: Ita nemo hominũ libertatis spiritualis donum alijs conferre poterit, cum ex æquo omnes peccatores simus. Rursus, quẽ admodum libertus, vel etiam adoptiuus filius alios manumittendi aut adoptandi ius non habet: Ita nec sancti, quos ex gratia Deus vindicauit & in filios adoptauit, ea potestate donati sunt, vt quos ipsi volunt in filiorum Dei numerum adoptare & cohæredes suos facere possint. Nihil ergo hic potest quæ ex carne est generatio, nihil legis opera, nihil Diui aut Diuæ cœlites. Solius Christi hæc gloria est, ad quem iure cœlestis regni hæreditas pertinet. Ergo nisi per Christum liberemur, peccati mancipia manemus, & morte æterna (quod peccati stipendium est) mulctabimur. At quomodo nos Christus liberet, nuper diximus, vt eadẽ repetere non sit opus. Libertatis verò huius consortes efficimur sola fide, qua semẽ illud verbi apprehẽdimus, & ex quo in filios Dei regeneramur. Docuit hoc primo Capite Ioannes quando de Iudæis Christum non recipientibus scribens, mox addit: Quotquot receperunt eum, dedit eis dignitatem hanc, vt filij Dei fierent: nempe ijs, qui credunt in nomen eius. Quia tamen de fide & eius virtute alibi prolixè dictum est, hîc consultò breuitati studemus.

Vnde libertas nobis obtingat?

Nunc potius libertatis huius, in quam Christus nos vindicauit, effecta siue fructus considerare oportet. Sunt enim qui loco hoc abutuntur, vt credentes libero arbitrio vti & αὐτεξουσίως esse euin-

Libertatis Christianæ effecta.

cant. At nihil hîc de hominis viribus Christus disputat, sed de dignitate agit, cuius ipse nobis auc[illegible] est. Et quàmuis credentes liberiori cursu seu motu ad bonum ferantur, & multa faciant summa laude dignissima, nihil tamen hic illorum viribus tribui, sed omnis gloria vni & soli Christo accep[illegible] ferri debet, in quo Paulus se omnia posse gloriatur, qui alibi fatetur se legem peccati in membris [illegible] circunferre, quæ ipsum peccato captiuum ducat, & eadem quasi oppressus clamat: Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Non ergo nobisipsis posthac sufficimus, vt ex nostra vo[illegible]luntate aut facultatibus nostris salus dependeat, sed inchoata est libertas ista (vt Augustinus [illegible] non perfecta. Quare, inquit aliquis, non est perfecta libertas? Quia video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ. Non enim quod volo hoc ago, sed quod odi illud facio. Caro, [illegible]quit, concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem, vt non ea quæ vultis illa faciatis. Ex parte libertas, ex parte seruitus: nondum tota, nondum pura, nondum plena libertas, quia [illegible]dum plena æternitas. Et paulò post idem pater dicit: Ergo ex eo quod remansit aliquid infirmitatis, audeo dicere, Ex qua parte seruimus Deo, liberi sumus: ex qua parte seruimus legi peccati, [illegible] huc serui sumus, &c. Quis ergo (inquis) ex libertate illa fructus ad nos redit? Multus, ô fratres, [illegible] eximius. Primò enim spiritu Christi adiuti legẽ peccati coercemus, ne nobis amplius dominari [illegible] semel lapsos in luto peccatorũ detinere possit. Deinde non imputatur peccatũ credentibus, & [illegible] quia in Christo sunt, condemnationi non amplius sunt obnoxij. Præterea peccato sublato mors [illegible] extincta est, nec quicquã in nos habet imperij amplius. Deniq; cohæredes Christi efficimur, & [illegible] plena libertate fruemur, quando corruptibile hoc induerit incorruptibilitatem, & ipsa quoq; mors [illegible] victoriam absorbebitur. Est ergo eximium & multiplex hoc libertatis donum, cuius nobis auc[illegible] est Dei filius. Nostrum verò fuerit illo rectè & bene vti, ne (vt Paulus ait) libertatem carni [illegible] occasione peccandi datam putemus. Galat. 5. Ex peccati enim seruitio nos asseruit Christus, vt [illegible] seruos faceret, qui non seruili timore, sed ingenuo & liberali spiritu omne illi obsequium præstare [illegible]deant. Noli ergo (inquit Augustinus) libertate abuti ad liberè peccandum, sed vtere ad non pe[illegible]dum. Erit enim voluntas tua libera, si fuerit pia: eris liber, si fueris seruus: liber peccati, seruus iu[illegible]tiæ. Quod ipsum Paulus apostolus ad Roman. 6. cap. grauiter monet his verbis: Cùm serui [illegible] peccati, liberi eratis iustitiæ. Nũc verò liberati à peccato, mancipati autem facti Deo, habetis [illegible]ctum vestrum in sanctimoniã, finem autem vitam æternam. Hæc qui probè expendunt, ij ex [illegible]tate Christiana consolationem dulcissimã percipient, & eadem bene vtentur atq; fidei fructus [illegible]rimos ferent ad gloriam Iesu Christi, cui se totos consecratos esse debere intelligent. Illi debetur [illegible]nedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.

HOMILIA LXXVII.

Scio quòd semen Abrahami estis: sed quæritis me occidere, quia sermo meus non habet locũ in uobis. Ego loquor quod uidi apud patrẽ meum: & uos facitis quod uidistis apud patrem uestrũ. Responderunt & dixerunt ei: Pater noster Abraham est. Dicit eius Iesus: Si filij Abraham essetis, opera Abrahami faceretis. Nunc autem quæritis me interficere, hominem qui ueritatẽ uobis locutus sum, quam audiui à Deo: Hoc Abraham non fecit. Vos facitis opera patris uestri.

ACrem istam & vehementem cum Iudæis concertationẽ non temeraria & inconsulta [illegible] libidine Iesus Christus instituit, sed publicæ salutis studio, vt ei vitio mederetur, quo illi [illegible]ae in ipsum & vniuersa salutis ratione abstrahebantur. Erat hoc superba & pertinax genera[illegible] maiorum fiducia, qua illos iam olim quoq; prophetarũ temporibus peccauisse constat. Quia enim [illegible] Abrahamo secundùm carnẽ progeniti erant, quo cum salutis fœdus olim Deus instaurauerat, [illegible] colligebãt, se Dei peculium & ecclesiam esse, & proinde non aliquo redemptore aut vindice opus [illegible]bere. Ideo Christus in hac concertatione duo potissimùm vrget. Primum, quòd serui sint, & quidem peccati, vel diaboli potius, qua nulla seruitus infelicior & homine indignior est. Alterum, quòd [illegible]

veri & germani sint Abrahami filij, ad quos ecclesiæ Dei titulus & veterum promissionũ fructus pertineat. De primo capite nuper diximus. Sequitur modò alterum, ex quo maior & vehementior contentio enata est, eò quòd plausibilius argumentum iam haberent aduersarij, vt qui pro publica & communi totius gentis gloria dimicarent. Quæ causa est, quòd ita hanc causam agit Christus, vt vbiq; cum inuicta constantia summam quoq; prudentiam coniunctam videre possis.

Et primò quidem, ne eos offendat, qui iam cœperant credere, Concessione vtitur, qua illos secundùm carnem ex Abrahamo originem ducere fatetur: at simul docet, illos tantũ patrem non referre, & proinde illius virtute & titulo nequicquam gloriari. Scio (inquit) quòd semen Abrahami estis. Quasi diceret, Ne putetis me adeò impudentem esse, vel tam impotenti gentis vestræ odio flagrare, vt vos Abrahami posteros esse negem, quem vestrum progenitorem esse omnes norunt. Sed hoc dico, inanem esse hãc generis fiduciam, nisi quoad mores & actiones illum referatis, quo patre gloriamini Itaq; vosipsos inspicite, & videte quæ vestra sint studia, qui mores, et quibus rebus delectemini. Vbi primùm occurret, quòd me nihil tale de vobis commeritum occidere cupitis. Sũt igitur studia vestra plena inhumanitatis, crudelitatis & iniustitiæ, à quibus omnibus Abrahamum alienissimum fuisse constat. Quid verò vos mouet aut cogit, vt me occisum velitis? Num scelus aliquod abs me cõmissum? Num iniuria aliqua siue publica siue priuata, quam ego vobis fecerim? Nihil horũ vos possę prætexere sat scio. Quæ ergo huius odij causa est? Dicã ego paucis: Quia sermo meus nõ habet locum in vobis. Id est, quia sermo meus eiusmodi est, vt apud vos locum inuenire nullum possit. Est enim verax, purus, diuinus, cœlestis, salutifer: cùm non aliud loquar quàm quod apud patrem vidi, id est quod à patre Deo in mandatis accepi: Vos autem à veritate alieni, impuri & terreni estis, & hoc quoq; solum facitis, quod apud vestrũ patrem vidistis, id est quæ ille vobis suggerit, & ad quæ vos ille instigat. Ita verò ostendit, nullam in se culpam hærere, ipsos autem inueterato veritatis odio exagitari, & malitiosè sibijpsis aures & animos obstruere, nè Dei verbum apud ipsos locũ inueniat, quo solo curari poterant. Et patrem quidem illorum in præsenti non exprimit, vult autem vt ipsi ex proprijs factis intelligant, cuius similes sint, & quid in ipsis emendari oporteat, si germani filij Abrahami censeri velint.

Generis Abrahamici fiduciã oppugnat.

Nos autem Iudæorum exemplo docemur primùm, omnis impietatis, adeoq; omniũ flagitiorũ fontem atq; causam præcipuam esse, si Dei verbum excludant homines, ne quem in ipsorũ animis locum inueniat. Vt enim qui hoc admittunt, & in eo meditantur dies & noctes, ex eius semine renati, quouis tẽpore fructus suos ferunt, instar arboris, quæ ad riuos aquarũ plantata est: Ita hoc excluso & reiecto, nõ modò innata nobis corruptio manet, sed eadem indies quoq; augetur, et nouos quotidie ad peiora progressus facit. Fugiamus ergo hanc pestem, quicunq; salutis propriæ studio tenemur. Ac comodemus autẽ nos totos Dei verbo, neq; illud audiamus modò, sed intra cordis nostri recessus admissum indesinenti meditatione foueamus, vt in nobis efficaciter operari possit. Ita fiet, vt quod nos capimus verbũ, nos vicissim capiat, & ceu hamo tractos ad Deum ducat, cuius spiritu animati fructus vberrimos feramus. Admonemur præterea, quid ab illis expectari debeat, qui Dei verbo locũ penes se dare nolũt. Vt enim Iudæi hac peste extimulati de Christo occidendo cogitarunt: ita quicunque in hoc illorum similes sunt, ij non contenti propria impietate, simul omnes in societatem trahere student, & omnes eos è medio sublatos volunt, quos corruptis suis studijs aduersari vident. Est hoc probatum omnium seculorũ exemplis. Sic Abelum ob veri cultus studium Cain occidit. Sic Ismael Isaacum insectatus est: quam historiam Paulus ad Galat. 4. allegoricè exponens, inter alia ait: Quemadmodum tunc is, qui secundùm carnem natus erat, persequebatur eum, qui natus erat secundùm spiritũ: ita & nunc, &c. Hinc ergo persecutiones omnes exortæ sunt, hinc inter coniunctissimos odia enascuntur, quæ vt omnium acerbissima sunt, ita nullis rationibus placari, neq; tẽporis diuturnitate restingui queunt. Falluntur ergo vehemẽter, qui inter diuersæ religionis sectatores pacem certam & stabilem putãt constitui posse. Hac enim spe aut persuasione inescati, illorum moribus sese accommodant: quo fit, vt ipsi quidẽ multa præter officium faciant, illis interim in sua malitia perseuerantibus, imò etiã in peius proficientibus, quãdo se in pretio haberi vident. Paci quidẽ nos studere iubet Apostolus quantum in nobis est: at simul cauere etiã iubet Christus homines, ne illorum dolis circumuenti vel periculis inuoluamur non necessarijs, vel à pura veritatis confessione abducamur.

Verbi contemptus origo omnis impietatis. Psalm. 1.

Verbi contemptorum mores & ingenium.

Iudæi uerba Christi contra Abrahamum detorquent.

Cæterùm Iudæos audiamus, qui mox Christo ogganiunt: Pater noster Abraham est. Et hi insidiosa planè obiectio. Omissis enim omnibus ijs, quæ de peccati seruitute, credentium libertate, ipsorum sanguinario instituto dixerat, vltimum illud arripiunt, quod de patre ipsorũ & illius ribus adiecerat, & ex eo captant calumniandi occasionem, vt toti populo inuisum & exosum dant. Perinde enim hoc est, ac si dixissent: Tu nos scelerum grauissimorum accusas, & ea cere ais, quæ apud patrem nostrum viderimus. Atqui pater noster est Abraham. Ergo hunc scelerum magistrum siue authorem esse dicis? Itáne verò non contentus es gentem nostram lia affecisse, nisi illius quoq; progenitorem, virum sanctissimum & singularem Dei amicum lumnijs adobruas? Erat hæc dura & intolerabilia Iudæis, apud quos de Abrahami fide & publica in sacris literis testimonia extabat, & qui (vt nuper diximus) hoc potissimùm nomine

Hostium ueritatis astutia.

biebant, quòd Abrahami posteritas aut progenies dicerentur. At nobis hic obseruanda veritatis astutia. Nihil toto suo sermone in Abrahami cõtumeliam Christus dixerat, sed illorum malitiam accusarat, qua illi ab exemplo & ingenio Abrahami procul exorbitabant. verò callidè prætermissis omnibus ijs, quæ neq; negari neq; excusari poterant, solum Abraham proceniũ producunt, quasi hunc iniuria graui affecerit. Fiunt hodie multa huius generis. Sic similes horũ Papisticæ superstitionis defensores, qui si quando horribiles abusus & errores tur, quibus illi simplicem veritatis doctrinam & verum Sacramentorum vsum corrumpunt, quasi hæc nihil ad ipsos pertineant, nõ ad obiecta ipsis crimina respondent, sed impudenter Ergóne tam diu errauit ecclesia? Ergóne perierunt omnes, qui iam seculis aliquot hanc ipsam Ecclesiam secuti sunt, & istam fidei atq; cultus diuini rationem tenuerunt? Ita si quis Diuorum cationem atq; intercessionem improbet, & vnum Deum inuocandũ esse doceat per nomen Iesu sti, apud quem mediatore nullo nobis opus sit, cùm ad se omnes amicè inuitet, nec aliquem ad nientem reijciat: mox illi in Diuorum laudes digrediuntur, & hos à nobis cõtumelioſus tra mant. Atqui nihil nos de Ecclesia, nihil de maiorum salute aut perditione, nihil de Diuorum nore aut gloria dicimus. De ecclesia, quæ Christi sponsa est, honorificè sentimus: maiores Dei cio relinquimus, & de ijsdem bene speramus, cùm non destinata malitia, sed cõmuni errore peccarint: Diuos cœlites in honore & pretio habemus, doctrinam illorum laudamus, fidem mur, exempla omni studio imitanda esse dicimus. Cur ergo istos in medium adducunt aduersarij, si viuerent nos minimè essent accusaturi? Nimirùm vt hoc plausibili prætextu superstitiosa tegant, & nos præter omne meritum populi ignorantis & rudis odio exponant. Fit hoc ipsum quoq; quæ ad morum disciplinam pertinent. Si enim publicam morum corruptionem accuse cùm illis certamen suscipimus, qui à maiorũ virtute turpiter degenerauerunt: mox illi maiores bis obijciunt, illos laudant, & extollunt quasi quisquam illos aliqua contumelia afficere cupiat. nihil proficitur istis tergiuersationibus, sicuti modò ex Christi responsione patebit.

Negat esse germanos Abrahami filios.

Hic enim, quia cõtumaci impudentia eos armatos esse videt, nunc apertius agit, & illos germanos Abrahami filios esse negat. Dicit enim: Si filij Abrahami essetis, opera Abrahami facerent. Nunc autem quæritis me interficere, hominẽ qui veritatẽ vobis locutus sum, quam audiui à Deo. Hoc Abraham non fecit, &c. Ita verò argumentatur: Quicũq; germani sunt Abrahami filij, Abrahami opera faciunt. Vos non facitis Abrahami opera. Ergo non estis germani eius filij. Operum autem mentione ingeniũ & mores complectitur, vt idem sit Abrahami opera facere, quod illius res atq; ingenium referre. Maior probatione non opus habet, cùm communi omnium consensu tur, & notum est illud Poetæ: Fortes creantur fortibus, & bonis Est in iuuencis, est in equis trum Virtus, nec imbellem feroces Progenerant aquilæ columbam Sed & quæ opera Abrahami fuerint, non commemorat, cùm omnibus nota essent. Possunt tamẽ omnia, quæ ad hanc tractationem pertinent, Fide & obedientia fidei comprehendi, quam in illo præclaram & quasi absolutissimam fuisse, Moses scribit. Minorem verò eiusdem sceleris repetitione confirmat, quod illis paulò probrauerat: vtq; magis eluceat, quàm procul absint ab ingenio Abrahami, orationem quibusdam extollit, neq; aliquid eorum omittit, quæ ad amplificationem sceleris facerent. (inquit) me occidere, hominem, &c. Quasi diceret, non maleficum & morte dignum, sed quem sine graui causa occidere nefas est, & legibus diuinis prohibitum. Deinde

minem occidere vultis, sed veritatis doctorem, cui bonam gratiam referre debebatis. Tertiò, cuius veritatis doctor aut præco sit indicat, eius nimirum, quam à Deo audierit, & cuius reuelandæ causa à Deo in mundum missus sit. Paucis ergo verbis tria immanissima scelera illis exprobrat, homicidium, ingratitudinem in veritatis doctorem, & impietatem in Deum, cuius legatum violare non vereantur. Et mox addit: Hoc Abraham non fecit, qui nimirum ab omni maleficio alienissimus fuit. Homicidia enim ita horruit, vt non nisi semel, & quidem extrema necessitate compulsus, ad arma venerit, vt fratrem & nepotem suum & conciues, inter quos habitabat, ex hostium manibus eriperet. Veritatis autem adeò fuit studiosus, vt à Deo euocatus, mox patrios cultus, natale solum, cognatos & quæcunq; homini in terris iucunda esse possunt, reliquerit. Adhæc promissionem benedicti seminis firma fide apprehendit, in hoc omnem salutis fiduciam collocauit, & ea fide cõfirmatus Deo in omnibus se obsequentissimum præbuit, adeò vt ne filio quidem dilectissimo parcendum putaret, quãdo illum immolare iubebatur. Cum his conferte vestros mores & studia, & mox apparebit, vos longè alio quàm Abrahami spiritu duci, & proinde non esse germanos eius filios. Quare non sine causa alium patrem vobis tribuo, cuius ingenium refertis, et cuius instinctu vestra omnia facitis. Quem verò intelligat, ipse in sequentibus apertè docebit.

Modestia Christi.

Obseruatu autẽ dignissima est Christi modestia, qui cùm incurabili cõtumacia induratos sciret, non tamen adhuc in illos acerbius inuehitur, sed argumentis & rationibus eos conuincit. Poterat sanè multa in illos congerere crimina, & initiò statim illis exprobrare quæ postea sequentur, & quæ alibi in illos dixit; & ita illi merebantur. Sed astantis populi rationem habet, ne quem ex infirmioribus importuna seueritate offendat. Et hanc rationem olim prophetis quoq;, deinde Apostolis obseruatam fuisse scimus. Obseruent eam hodie etiam doctores & ministri. Frustra enim obiurgantur & diris criminationibus obruuntur, qui sceleris intra animos suos nondum conuicti sunt.

Operibus probat ipsos à fide Abrahami alienos esse.

Porrò quibus argumentis vtatur videndum est: Iis nimirum, quæ ab operibus petuntur. Si filij Abrahami essetis, opera Abrahami faceretis. Item, Quæritis me interficere, &c. Hoc Abraham nõ fecit. Vos facitis opera patris vestri. Atqui poterat fidei meminisse, qua Abrahamum iustificatum fuisse scimus, & quæ hic potissimùm considerari debet. Cæterum quia hac Iudæi gloriabantur, neq; videri volebant à fide Abrahami defecisse, opera adduci oportuit, quæ instar fructuum de fide testificari solent. Est enim bona arbor fides, & proinde fructus suos fert, ex quibus agnoscatur. Ideò Iacobus dicebat: Ostende mihi fidem tuam ex factis tuis. Admonemur itaq; hoc exemplo, non referre quales dicamur, aut quæ sit fidei nostræ professio, sed re ipsa, id est, operibus testemur oportet id, quod videri & dici volumus. Pertinet ergo huius loci doctrina ad omnes homines: & primò quidem in genere eam obseruare debent, quicunq; nomine Christiano gloriantur, ne illis idem dici possit: Si Christiani essetis, opera Christi faceretis. At scortamini, mœchamini, luxu & intemperantia diffluitis, odio & inuidia excæcati vos inuicem mordetis & proscinditis, opes alienas concupiscitis, furta, rapinas, impostoras & vsuras omnis generis exercetis. Hæc nõ fecit Christus. Sunt ergo hæc opera vestra, non Christi, sed alterius, cuius vos discipulos & seruos esse apparet. Et ita quidem olim iudicaturum esse Christum, ex illius verbis constat, quæ Matth. 7. leguntur: Non omnis qui dicit mihi Domine Domine, intrabit in regnum meum, sed qui fecerit voluntatem patris mei, qui in cœlis est &c. Deinde ista sibi accommodare debent, qui nobilitatis titulo superbi, maiorum virtutes & stemmata plenis buccis iactitant. Nec enim stemmata & depicta insignia, aut familiæ veteris successio nobiles faciunt, sed virtute nomen et honor iste acquiritur atq; retinetur. Sibijpsis ergo hanc cantilenam nobiles occinant: Si nobilium maiorum estis filij, nobilitatis opera facite. Sunt hæc ius sanctè dicere, viduas & orphanos tueri, pro patria & libertate pugnare, virtutis exemplum præbere, omnibus benefacere. Cur ergo iura publica violatis? Cur leges omnes perrumpitis? Cur ex rapto viuitis? Cur viduas & orphanos spoliatis? Cur militiam exercetis mercenariam? Cur in patriæ viscera ferrum stringitis? Cur libertatem publicam ipsi quàm maximè opprimitis? Cur affligitis innoxios? Cur libidinis, ebrietatis, luxuriæ exempla præbetis? Cur sacra omnia cum Deo contemnitis? Hæc sanè non nobilium, sed turpissimorum nebulonum & mancipiorũ Satanæ opera sunt. Simili ratione hæc Christi verba considerent Pontifices & episcopi, qui Apostolorum successione gloriantur, & propter hanc omne sibi ius et imperiũ in ecclesia vendicant. Potest enim his quoq; dici: Si Apostolorũ succes-

sores estis, opera Apostolorum facite. At vos relicto docendi officio regna huius seculi administratis, bella geritis, venationes, aleam & ludos quosuis sectamini, ecclesias hominibus partim ineptis, partim improbis cõmendatis, traditiones humanas inuehitis, sacra cauponatis, sacramentorũ vsum corrumpitis, stupris toros alienos violatis, & multa alia facitis, quæ nec hominẽ Christianũ decent, dum episcopũ. Hæc Apostoli non fecerunt. Facitis ergo opera patris vestri, Antichristi nimirũ, quæ hisce vitijs insignẽ fore, olim Apostoli prædixerunt. Vides ergo quàm multiplex huius loci vsus, quem si omnis loci & ordinis homines diligentius expenderent, minor esset tam in ecclesiasticis quam politicis rebus corruptio, & minus peccarẽt qui fere omnis licentiæ et nequitiæ primi authores sunt.

Doctrinæ Christi cõmendatio.

Priusquam verò sermonẽ concludamus, ea etiã obseruare nos decet, quæ Christus in doctrinæ suæ cõmendationem hoc loco dicit. Ego loquor, quod vidi apud patrẽ meũ. Et rursum: Veritatẽ vobis locutus sum, quã audiui à Deo. Est ergo doctrina eius cœlestis et diuina, quam meritò audire debent, quotquot salutem consequi cupiunt. Temerarij autem & impij sunt, qui hanc hominum traditionijs demum confirmari oportere clamant, aut illi humanas traditiones assuunt, quas non minoris authoritatis esse contendunt. At quia de his Cap. 7. multis diximus, hæc in præsenti annotasse sufficiat. Discamus nos Iesum Christum, veritatis et salutis doctorem vnicum audire, audiendo credere, & eundem vita tota referre, sicq; in illo salutem æternam consequemur. Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

HOMILIA LXXVIII.

Dixerunt itaque ei: Nos ex scortatione non sumus nati, unum patrem habemus Deum. Dixit ergo eis Iesus: Si Deus pater vester esset, diligeretis me: ego enim à Deo exiui & veni. Neque enim à meipso veni, sed ille me misit. Quare loquelã hanc meam non percipitis? quia nõ potestis audire sermonem meum.

ETsi Dominus Iesus Christus acrem hanc & vehementem disputationem, quæ hoc Cap. describitur, cũ phariseis et alijs nonnullis Iudæorum principibus instituerit, eius tamen consideratio non minus ad nos & omnes homines pertinet, quando omnia quæ scripta sunt, in nostram doctrinam scripta sunt, vt per patientiam & consolationem scripturarũ, spem habeamus. Quæ causa est, quod Ioannes ex suggestione spiritus sancti, non modò Christi doctrinam, verumetiam Iudæorum obiectiones diligenter commemorat, vt de tota causa iudicare, hostium veritatis conatus & dolos cognoscere & facilius cauere possimus. Est autem hic scopus Christo propositus, quòd inanem & superbum generis fiduciam reprimere instituit, quæ Iudæis obstabat, quò minus ipsum reciperent, cum se Abrahæ dice & redemptore nequaquam opus habere putarent. Docet ergo illos non esse legitimos Abrahæ filios, sed alterius, cuius opera imitentur. Quis verò is sit, hactenus non expressit, propter aliorum ex astantibus, de quibus spes aliqua esse poterat. Ne tamen quid temere effutire videretur, rationes adduxit certas & infallibiles, quas ex illorum operibus desumpsit. Sequitur præsens locus, in quo propius cum illis congreditur, & Dei quoque filios esse negat, vt simul omni gloria & dignitate eos spoliet, qua aduersus ipsum & gratiæ Dei doctrinam efferebantur.

Iudæi gentibus idololatris accenseri nolunt.

Rursus autem nouam Iudæorum obiectionem interserit, qua illum, vt hæc diceret, mouerunt. Iam enim intelligere incipiebant, illũ non de carnis generatione loqui, sed spirituali, vt eos gentium idololatris pares faciat. Ideò non sine stomacho dicunt: Nos ex scortatione non sumus nati, vnum patrem habemus, Deum. Loquuntur autem ex vsitato more scripturarũ, quæ idololatriam solent per fornicationem dicere. Sic enim apud Ieremiam Cap. 3. ait Dominus: Tu scortata es cum amatoribus multis. Frons meretricis facta est tibi, &c. Item: Annon vidisti quid fecerit auersio Israelitica? Ascendit & abijt super omnem montem excelsum, & sub omnem arborem frondosam, & scortata est ibi. Quæ huc imprimis pertinent, quæ Ezechielis 16. & 23. in hanc sententiam copiosè dicuntur, & quod adulterium Hoseam sub coniugij fornicarij typo adumbratur. Petitur autem istarum locutionum sive similitudinum

ratio ex fœdere, quo nos sibi instar coniugis Deus desponsauit, vt bonorum suorum cõsortes faceret, quos primi parentis transgressio ab ipso alienauerat. Et rectè quidem idololatriæ scelus adulterio confertur. Vt enim maritus vxorẽ abs se vno pendere vult, & ea coniugij lex est, vt parentes quoq; homo relinquere, & coniugi suo adhærere debeat: Ita nos sibi soli consecratos esse vult Deus, & si ita necessitas ferat, parentes vnà cum amicis, fratribus, sororibus, liberis, adeoq; omnibus rebus quæ nobis chara sunt, potius relinqui debent, quàm vt fidẽ Deo datam violemus. Sic enim ille iubet, quando præcipit, vt ipsum ex toto corde, ex tota anima, & omnibus viribus nostris diligamus. Et sponsa ecclesiæ in Psal. 45. dicitur. Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, obliuiscere populi tui & domus patris tui. Vt autem adulterio & fœda fornicatione seipsam polluit, quæ non vno viro contenta fidem illi datam violat, et alijs sese prostituit: Ita spiritualiter fornicantur & mœchantur, qui relicto vero Deo, seipsos Dijs alienis consecrant, quos colunt, & à quibus opem & salutem petunt in periculis constituti. Neq; minor est animorum alienatio, vel furor potius, in fornicatione ista spirituali, quàm in carnali esse soleat. Nã vt scortatores suos adulteræ ardentius amant, quàm legitimos maritos, & multa sub illorum dominio ferunt, quæ à maritis imposita ipsis intolerabilia viderentur: Sic qui Deos sibi ipsis falsos fingunt, totis animis ad illos rapiuntur, & vt illos colant seipsos dies & noctes curis, cogitationibus, laboribus, peregrinationibus, vigilijs conficiunt, adhæc loculos & facultates omnes in illorum cultum exhauriunt: deniq; multa faciunt & patiuntur, quæ in veri Dei honorem nunquam facturi erant. Adhæc, vt quæ fidem coniugalem semel prostituit, simul perfricat frontem & omni pudore excusso in omnem libidinem ruit, ab amatoribus accepta munuscula publicè ostentat, & stupri mercede insolenter atque turpiter superbit, tandemque ex scelere laudem & gloriam venatur: Ita qui fidem, qua Deo obstricti sunt, violari audent, hi impudenter quoque idololatriam & superstitiones suas iactitant, & cùm à falsis Dijs nihil vnquam accipiant, tamen quæcunque ex Dei beneficio acceperunt, illis accepta ferunt, adeoque stupri mercedem faciunt quæ diuinæ liberalitatis sunt munera. Quod praclarè Deus per Hoseam describit, quando fornicantem Synagogam ita inducit loquentem: Ibo, sequar amatores meos, qui dant mihi panem meum, & aquas meas, lanam meam, & linum meum, oleum meum, & pocula mea. Et mox ipse respondens ait: Et ipsa non agnouit, quòd ego dedissem ei frumentum, vinum & oleum, quodq; multiplicassem ei argentum & aurum, quæ aptarunt ipsi Baal. Fiunt hæc hodie nimium impudenter à Diuorum & simulachrorum cultoribus, qui non contenti fictitios suos Deos eorum authores fecisse, quæ à Deo vero acceperunt, insuper omnia ea in simulachra conferunt, quæ ab illis auro, argento & vestitu pretioso ornantur, quibus cerea incendunt, sacra faciunt, & omne officij genus impendunt. Eoque maior est istorum impudentia quàm adulteræ mulieris, quòd cùm Deum nihil horum latere sciant, in eius tamen conspectu hæc facere audent. Vt verò qui ex adulterio nati sunt, pro legitimis filijs habentur, cùm reuera spurij sint: Ita idololatræ cum suis omnibus in externa ecclesia quidem ad tempus locũ habent aliquem, sed cùm degeneres & spurij sint, neq; Dei oculos latere queant, ejiciuntur tandem, nec cum veris Dei filijs hæreditatem regni Dei adeunt. Poterant huius generis multa recenseri, sed ista sufficiant modò, cùm ex ijs abunde pateat, cur scripturæ idololatriam adulterio conferant, & quò isti respexerint, quando se ex fornicatione natos esse, tam audacter negant. Sensus enim verborum est: Non sumus gens idololatrica, sed vnum Deum agnoscimus patrem nostrum, in vno illo fiduciam collocamus, illum vnum colimus. Tu verò nos atroci iniuria & contumelia afficis, quando nos Abrahami filios esse negas, & hoc dicendo nos prophanis gentibus adnumerari, à quibus nos distinctos esse voluit Deus, & peculiaribus sacris ideò instruxit, vt eius peculium agnosceremur, &c.

Fornicatio spiritualis.

Nunc autem videamus in illorũ exemplo, qui nam hostium veritatis mores sint, quò facilius hodie eos caueamus, qui illos imitantur. Primò astutè disputationis statum mutant, & quia negare nõ possunt, se ab ingenio & virtute Abrahami degenerauisse, ipsum Deum in medium adducunt, quasi ipsis à Christo facta contumelia in illum redundet, qui ipsos sibi in filios adoptarit. Fit hoc ipsum frequenter hodie. Quando enim causam suam aduersarij nostri tueri non possunt, neq; horribiles errores excusare, quos circa Missæ sacrificium, Diuorum inuocationẽ, sacrorum nundinationem, purgatorium, vota monastica, meritorum suorum fiduciam, & infinita alia eius generis admittunt, mox

Hostium veritatis mores.

Christum & ecclesiã allegant, & altùm exclamant: Atqui Christiani sumus, non Iudei aut Tu-
cæ, ad nos ecclesiæ nomen continua successione peruenit: quis ecclesiam tam turpiter tamdiu err-
posse dixerit? quis impium putet, qui Diuos cœlites honore afficit, & quidem eo nomine, quòd Chri-
sti organa & serui fuerunt? Quis autem horum omnium scopus est? Hic nimirum vt & dispu-
nem contra se institutam declinent, & nos omnibus suspectos & inuisos faciant, quasi in ipsam Chri-
sti Iesu ecclesiam, vel (vt ipsi loquuntur) in sanctam matrem Ecclesiã, & in Diuam virginem a-
reliquos Diuos contumelioſi simus, quorum memoria meritò apud omnes sancta & honorifica est.
Hic ergo illis occurrendum est, neq; permittendum vt extra oleas vagentur, sed vrgendi sunt, v-
obiecta respondeant, cùm quæ illi adducunt alterius sint tractationis. Deinde impudenti arroga-
tia aduersus Christum insurgunt Iudæi, & cùm euincere non possint, se germanos esse Abrahami-
lios, filiorum Dei nomen & titulum sibi vendicare audent: quasi verò Dei filij esse possint alij, q-
qui veri sint Abrahami filij. Ita verò illos inebriauit generis fiducia, quòd Dei vel Abrahami-
lios ex carne & sanguinibus nasci putarunt, & perpetuò ad omnem posteritatem extendi debe-
quod semel dictum erat: Filius meus primogenitus est Israel. Exod. 4. Quemadmodum q-
stri illi ecclesiam ex Episcoporum successione pendere, & vera huius membra esse arbitrantur, q-
ex Christianis parentibus nascuntur. Sed respondit illis in primo Capite Ioannes, quando fi-
Dei esse dixit, qui non ex sanguine, neque ex voluntate carnis, neq; ex voluntate viri, sed ex D-
geniti sunt. Quò Paulus respiciens, ait: Non omnes qui sunt ex Israele, sunt Israel, neque qui s-
men Abrahæ mi sunt, ideò omnes sunt filij, sed in Isaac vocabitur tibi semen. Hoc est, non qui
carnis, ij sunt filij Dei, sed qui sunt filij promissionis, numerantur in semine. Quod ipsum de vo-
illis pseudochristianis non minus dici potest: Non omnes qui ex Christianis parentibus deg-
runt, Christiani sunt, sed qui à Deo electi illius promissiones vera fide amplexantur, quas in Chri-
sto ille præstitit. Est ergo intolerabilis arrogantia, eos qui à fide maiorum defecerunt, Christia-
rum tamen & filiorum Dei nomine gloriari. Accedit his tertiò, quòd impudentissimè mentiu-
tur, quando se ex fornicatione natos esse negant, sed vnum patrem se habere, Deum, gloriantu-
Constat enim plerosque ex maioribus ipsorum à Deo fornicatos fuisse, & illo relicto Deos sibi
alienos. Fecerant hoc qui in Ægypto seruierunt, & ijdem inde educti post acceptam legem mu-
scelus iſud reuersi sunt, cùm vitulum aureum facerent, & Moabitarum filiabus seductum Is-
Peor fornicarentur. Iudicum etiam tempore frequenter à Deo defecerunt, quæ illis omnium ca-
mitatum causa fuit. Quid? annon Samuelis tempore Baalim & Astaroth coluerunt, quorum im-
gines ille abolere iussit? 1. Samuel. 7. Postea exteris Dijs templa ædificauit Solomon, adeoque id
naria publica constituit, in quibus fidem Deo datam publicè violabant. Auxerunt verò tum
ptam idololatriam postea reges Israelitici, Ieroboam & Achab. A quo tempore in vtroque regn-
Iudaico & Israelitico, ita inualuit superstitio & idololatria, vt non alijs scopis, quàm excidio
captiuitate Assyriaca atque Babylonica expurgari potuerit. Annon ergo ex fornicatoribus ip-
genus ducebant? Præterea, quomodo vnum patrem Deum habere se dicunt, qui iam tum in
diuersas erant diuisi? Mentiuntur ergo, & eò turpius, quòd in ipso facto deprehensi, tamen
dent dicere, hoc ipso adulteræ ingenium referentes, quæ (vt Solomon Prouerb. 30. ait) ubi com-
rit extergit os suum & ait, Nihil mali feci. Similis planè est eorum impudentia, qui ecclesiam
lum & Christianum nomen hodie in ore habent. Clamant ecclesiam non posse errare: quasi verò
in omnium oculis versentur errores, abusus, scelera denique & atrocissima flagitia, quæ tam sin-
aliquot designarunt, qui ecclesiæ capita et proceres voluerunt haberi. Christianos ité & Dei cul-
tores se esse aiunt. Atqui publicè inter illos audiuntur factiosa Benedictinorũ, Bernardinorũ, Do-
stinianorum, Franciscanorum, & c. nomina, & Diuos palàm inuocant, ad simulachra supplices p-
sternuntur, & infinita alia faciunt, quæ cum idololatria manifesta connuncta sunt. Quis ergo
videat illos turpiter mentiri? Imò maior multò est ipsorum impudentia, quàm Iudæorum fuit,
de quibus hîc agitur. Hi enim etsi multa præter officium facerent, principium tamen illud religi-
nis retinent, quòd vnum patrem, Deum, profiteri debeant, qui eius filij & cultores haberi vo-
At nostri illi, patres innumeros sibi faciunt, à quibus denominari volunt, perinde ac si mulier adu-
tera in mariti conspectu viro alio glorietur, & spurij filij patri in faciem dicant, se alios patres h-
bere

bere, ex quibus progeniti sint. Quid enim aliud faciunt, qui ordinum monasticorum authores, & monasteriorum antistites Patrum & Abbatum titulis exornant? Cùm enim hos quoad carnis natales pro patribus non agnoscere possint, in religione patres suos hos agnoscant oportet, nequicquam illis dicente Christo: Patrem vestrum neminem vocetis in terra: vnus est enim pater vester, qui in cœlis est. Matth. 24. Neq; nobis obijciat, veterem hunc morem esse: quando errores & vitia vetustate non excusantur, sed potius cõfirmantur, & quasi incurabilia fiunt. Et nos vicissim dicere possumus, morem hunc iam olim viris pijs & doctis displicuisse, qui illum publicè improbarunt. Scimus enim quid D. Hieronymus senserit, qui in Cap. 4. epistolæ ad Galat. sic scribit: Cum Abba pater Hebræo Syroq; sermone dicatur, & Dominus in Euangelio præcipiat, nullum patrem vocandũ nisi Deum: nescio qua licentia in monasterijs vel vocemus hoc nomine alios, vel vocari nos acquiescamus. Et certè ipse præcepit hoc, qui dixerat non esse iurandum. Si non iuramus, ne patrem quidẽ quempiam nominemus. Si de patre interpretabimur aliter, & de iurando aliter sentire cogemus. Et Augustinus in libro Collationum cum Donatistis, scribit, quòd his Pauli locum obijcientibus: Etsi multos pædagogos habetis in Christo, sed non multos patres: In Christo enim Iesu per Euangelium ego vos genui: Catholici respondérint, hoc honorificentiæ causa dictum propter Euangelicum ministerium, quod dispensabat Apostolus: Nam patrem ad fidem salutemque æternam non esse, nisi Deum. Neq; enim posset contrarium Christo Apostolus loqui, vt cùm ille diceret, Ne vobis dicatis patrem in terra, &c. contra Apostolus tanquam resistens Christi verbis, patrem se diceret eorum, quibus annunciauerat Euangelium, nisi esset vtique distinguendum, quid diuinæ gratiæ, quid humanæ honorificentiæ causa diceretur. Similia his idem Augustinus in explanatione Psal. 77. tradidit. Ex quibus satis apparet, quàm parum cum veteribus conueniat illis, qui fidem & salutem omnem in eo consistere arbitrantur, quòd in religione patres nouos sibi faciunt, in quorum verba iurant, & à quibus denominari volunt.

Iudæos non esse Dei filios, demonstratur.

Cæterùm relictis istis Dominum audiamus, qui vt suos aduersarios conuincat mendacij, ex filiorum Dei natura atque ingenio argumentatur, sic dicens: Si Deus pater vester esset, diligeretis me, &c. Producit autem duo argumenta. Primum tale est: Qui Dei filij sunt, illius filium primogenitũ, quem ex se natum ille in hunc mundum misit, diligunt & obseruant. At vos me, verum Dei filium, qui ab æterno ex illo genitus nunc ex eius consilio in carnem veni, vt humanæ redemptionis opus exequar, nec diligitis neque obseruatis, sed odio implacabili persequimini & occisum vultis. Ergo non estis Dei filij. Maior communi omnium consensu probatur, adeoq; publico omnium gentium iure, quod primogenitis plurimum honoris deferre iubet. Quis ergo Dei amore eos præditos esse dixerit, qui Dei filium odio persequuntur? Ad minoris verò confirmationem & sceleris amplificationẽ facit, quòd se à Deo exiuisse & venisse, neq; à semetipso venisse, sed à Deo missum esse ait. Istis enim verbis docet, se & Dei filium verum esse, & illius in terris legatum nunc agere, & proinde non posse non in ipsum Deum redundare iniuriam atque contumeliam, qua ipsum afficiant. Rursum vero admonemur, sine fide in Christum, Dei cultum omnino nullum esse posse. Qua ratione enim cum Deo conueniet ijs, qui Dei filium, qui vnicus inter nos & illum mediator est, contemnere non verentur? Aut quomodo in aliquam Dei cognitionem peruenire poterunt, qui viuam eius imaginem non recipiunt, in qua se nobis manifestare dignatus est? Vide de hoc plura Cap. 5.

Alterum argumentum interrogatione figurat, vt magis feriat impudentes illos iactatores, qui cùm Dei hostes essent, eius tamen filij censeri volebant. Quare loquelam hanc meam (inquit) non percipitis? Sensus est: Vt germani filij domus paternæ linguam & idioma agnoscunt: Ita qui veri sunt Dei filij meam loquelam intelligunt, quæ non alia quàm patris est, qui per me suam voluntatem mundo manifestare dignatur. At vos me loquentem non magis intelligitis, quàm si peregrino & nunquam vobis audito sermone vterer. Ergo non estis Dei filij. Ad maioris probationem facit, quod alibi docuit, se nihil ex semetipso loqui, quatenus homo est, & doctrinam quam proponit, non hominis, sed Dei patris esse. Minorem verò per causæ redditionem amplificat. Quia non potestis audire sermonem meum. Quasi diceret: Sermo meus apud vos non inuenit locum, neque à vobis intelligitur, non quòd adeò obscurus aut perplexus sit, sed quòd vos odio veritatis, ambitione, voluntaria malitia, adeoq; iusto Dei iudicio excæcati, illum audire non potestis, quem vestris deside-

rijs videtis planè contrarium esse. Impletur enim in vobis, quod olim per Isaiam Deus commi-
tus est: Audiendo audite, & ne intelligatis: & videndo videte, neque cognoscatis. Excæca cor po-
puli huius, & aures eius obtura, & oculos eius obline: ne fortè vel oculis suis videat, vel auribus
suis audiat, vel corde intelligat, & conuersus seruetur. Ita verò omnem impietatis simul & dam-
nationis causam in voluntaria ipsorum ignorantia & cæcitate consistere docet: quam reprobis om-
nibus propriam esse, in sequentibus argumento à contrarijs ducto demonstrabit, dicens: Qui ex Deo
est, verba Dei audit: propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis. Qua ratione Dauid repro-
bos serpentibus confert, quæ ad vocem incantatoris aures suas obturare dicuntur. Psal. 58. Est
quidem omnis impietatis & perditionis fons est, quem obturare oportet, si cupiamus salutem con-
sequi. Obturabitur autem, si affectus carnis non patiamur dominari cordibus nostris, sed illos vin-
cimus sub fidei obedientiam, ne expresso Dei verbo obstrepant. Pertinet huc, quòd Moses calcea-
mentum exuere iubetur ad Dei colloquium accessurus. Per hos enim carnis affectus adumbratur, quos ea-
diu ille in consilium admittebat, Deo obedire non potuit. Et hæc vna causa hodie Euangelij ho-
minibus remoratur, quò minus ad Christi regnum accedant, quòd nimirũ huius doctrinam ad carnis suæ
libitum reuocant, & corruptis suæ carnis desiderijs frænum inijci nolunt. Et elucet in eo nostræ natu-
ræ corruptio, quòd cùm in ijs quæ mundo & carni seruiunt, omnia possimus, solius Christi iugum nobis graue & intolerabile videtur.

Notæ filiorum Dei.

Obseruabimus autem in toto hoc loco, Christum certas notas indicare, ex quibus filij Dei agnoscantur. Prima earum est, quòd opera Dei patris sui faciunt, non quidem omnia, sed quæ ab homine renato fieri possunt, & professioni ipsorum conueniunt. Sanctitati enim student & beneficentiæ, non patris sui ingenium referant, qui & sanctus est, & creaturis omnibus benefacit. Vide Leuit. 19. & 20. Item Matth. 5: Diligite inimicos vestros, bene precemini deuouentibus vos, benefacite ijs, qui vos oderunt, orate pro ijs, qui vos lædunt & infectantur: vt sitis filij patris vestri, qui in cœlis est, qui solem suum oriri sinit super malos & bonos, &c. Deinde Iesum Christum vnicè diligunt, id quod in fidei obedientia & patientia inuicta testantur in afflictionibus: sicuti in Martyrum exemplis videre, qui dirissimos quosq; cruciatus subire potius, quàm à Christo deficere voluerunt. Vnde Apostolus dicebat, Quis nos separabit à charitate Christi? Num afflictio? num angustia? num persecutio? num fames? &c. Vide locum Rom. 8. Tertiò non Christum modò diligunt filij Dei, sed insimul omnes Dei filios amore vero complexantur, quos in Christo à patre adoptatos esse norunt, qui eodem spiritu animati eundem cum ipsis patrem inuocant. Ideò fraternam dilectionem Christus tesseram seu notam esse voluit, ex qua credentes agnoscantur, vt suo loco videbimus. Quemadmodum se missos Dei legatos amanter excipiunt, & honore prosequuntur. Sic olim pij prophetas & Apostolos in pretio habebant, quos impij cane & angue peius oderant. Et frequenter Deus in prophetis vno argumento Iudæos conuincit, quòd abs se alienissimi sint, & indigni, qui filiorum nomen usurpent. Postremò vocem Christi, quæ eadem patris quoque vox est, agnoscunt & cum gaudio amplectuntur eam, vt Cap. 10. de ouibus suis ille disseret. Ad ista si nostri seculi Christianos examinemus, vbi Deum immortalem quàm alienos à Deo reperiemus, qui filij germani censeri volunt? Vbi enim sanctitatis & beneficentiæ studium? Vbi Christi Iesu dilectio? Vbi fraterna charitas? Vbi vera Dei reuerentia? Vbi obedientia, quæ voci eius debetur? Exulant ista vbique terrarum. Successerunt eorum in illorum locum effrenis peccandi libido & impunitas, malefaciendi studiũ insatiabile, Christi contemptus, legatorum Dei odium, & immanis euangelicæ vocis derisio: vt iam de illis nihil dicamus, qui illam ferro & igne crudeliter persequuntur. Desinant ergo sibijpsis fucato ecclesiæ & filiorum Dei titulo blandiri, qui istis studijs occupantur. Nos verò horum memores, Iesum Christum amore syncero complectamur, vt eius spiritu innouati, germani fiamus Dei filij, & in illo æternum seruemur. Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

HOMILIA LXXIX.

Vos ex patre diabolo estis, & desideria patris uestri uultis facere. Ille homicida fuit ab initio, & in ueritate non perstitit: quia ueritas in eo non

est.

est. Cùm loquitur mendacium, ex propriis loquitur, quia mendax est, & mendacij pater.

INter omnes Iesu Christi conciones aut disputationes, nulla grauior & vehementior est, quã quæ hoc Cap. describitur. Pugnat enim non cum vulgò Iudæorũ, qui Dei populus dicebantur, sed cum eorum scribis & pharisæis, qui inter eos præcipuam eruditionis & sanctimoniæ existimationem sustinebant: & eò vsq; incalescit iusto & sancto feruore disputatio, vt omnia illis adimat, quibus solebant gloriari. Negat enim illos esse Abrahami filios. Deinde multò minus Dei filios germanos esse dicit, sed spurios & adulterinos, qui ex fœda et impia fornicatione nati, nomẽ istud sibi falsò vsurpent. His in præsenti addit, quod omnium grauissimum habetur, esse nimirũ eos diaboli filios, et proinde vilissima perditionis mancipia. Seruiunt hæc nobis quoq; ad institutionem. Primò enim docemur, nullis vel titulis vel maiorum virtute eos defendi, qui non reipsa hoc præstant quod dici volunt. Quàmuis enim externo splendore homines decipi possint, falli tamen non potest Deus, qui cordium arcana scrutatur, & ipsos nostrarum actionum fontes inspicit. Admonemur item, qua dicendi libertate ministros instructos esse oporteat, qui publicè docere et hominum vitia corripere volũt. Ea enim est cæcitas hominum, vt peccata & conditionẽ suam infelicissimam non agnoscant. Imò si eos leuius modò perstringas, ferè irritati ferociũt, et quia se metui arbitrãtur, horrendis minis fremunt aduersus fidos monitores, qui saluti ipsorum consultum volunt. Hîc ergo liberiori & acriori redargutione opus est, quæ in animos vsq; penetret, vt vel conuicti scelera sua agnoscant, vel quàmuis ipsi incurabiles pergant, alij tamen illorũ exemplo non offendantur. Neq; conuitiatores dicendi sunt ministri, quando in corripiendis impijs officium faciunt. Hoc enim olim prophetis mandauit Deus, sicuti Isa. 58. & Ezech. 3. est videre. Nec mutatam esse docendi formulam in nouo Testamento, Paulus apertè docet, quando Timotheum suum sanctissimè obtestatur, vt non modò prædicet sermonẽ, verum etiam instet tempestiuè et intempestiuè, adhæc arguat, obiurget, exhortetur. Et hanc rationem ab ipso Christo obseruatam fuisse, cùm multi alij loci, tum imprimis præsens hic euidẽtissimè docet, cuius singulas partes modò ex ordine inspiciemus.

Primò disertè pronunciat, & clarè exponit quod hucusq; obscurius dictum esse poterat videri. Nam Abrahami quidẽ & Dei filios esse negauerat, adhæc illos sui patris opera facere dixerat, quis verò ille ipsorum pater sit non indicarat. Ne ergo tergiuersari putetur, nunc apertè quod res est edicit: Vos ex patre diabolo estis. Quasi diceret, Quoniam incurabiles esse video, imò tales, qui se miseros & infelices esse non sentiunt: & huius mali præcipuam causam esse scio, quòd maiorũ virtute et titulorum splendore superbi, inani prætextu malitiam vestram velare soletis: agedum liberè edicã quod res est, & quis nam sit ille vester pater, de quo hactenus locutus sum. Dico autem vos quicũq; aut qualescunq; velitis haberi, ex patre diabolo prognatos, & eius filios esse, quẽ meritò abominari & odisse debebatis, &c. Vbi ante omnia inquirendum est, quo sensu illorum patrem esse dicat diabolum. Nec enim Manicheorum errori locus hic patrocinatur, qui duo principia statuebant, & impios quoad suam essentiam dicebant ex principe & gente tenebrarũ esse procreatos. Quoad enim naturam & substantiam suam, homines erant ex hominibus enati, filij Abrahami, & (vt Paulus ait) secauerat. Non ergo de illorum natalibus aut essentia, sed moribus & studijs hæc Christi verba exponi debent. Nam vt Augustinus scribit, filij diaboli erant, non nascendo, sed imitando, & quòd ab hoc se duci & moueri paterentur ad oppugnandã veritatem & ipsum Dei filium, cui diabolus iam inde ab initio semper insidiatus est. Et huius generis locutiones alibi quoq; reperiuntur. Eodẽ enim sensu Hoseas Israelitas cum indignatione summa Chananæos dicit, & Ezechiel eosdem ex patre Amorrhæo & matre Hitthæa progenitos esse clamat. Quò & illud Baptistæ referri debet, qui illos Abrahamo patre gloriantes progeniem viperarum vocauit. Neq; multùm ab his abludit, quòd Iudam diabolum & Petrum satanã dixit Christus, eò quòd huius suggestionibus locum darent, & hic quidem his deceptus, ipsum à cruce subeunda dehortaretur, ille verò proditoria aduersus ipsum consilia iniret. Admonent autem exempla hæc, non tam videndum esse quales nos fecerit Deus, & quales vulgò dicamur, quàm qui et quales reuera simus. Nisi enim firmiter stemus in vocatione nostra,

Iudæos ex patre diabolo esse ait.

& nobis à Deo concessam dignitatem constanter tueamur, ad nostri damnationem facient ea, quibus falsò gloriamur. Quod vt publicè obseruare debent, quotquot Christiani dici & haberi volũt, ita priuatim hoc ipsum singuli ad se transferant, vt siue magistratu funguntur, siue ecclesiæ ministerio præsunt, aut quancumq; aliam sustinent vocationem, ei respondere satagant, ne falsi crimen incurrant, quando alij esse deprehenduntur, quàm censeri cupiunt.

Filiorum diaboli nota.

Porrò ratione adducit, qua quod dixit probet: Desideria patris vestri vultis facere. Argumentum ita formari poterit: Quicunq; diaboli desideria implere student, & eius ingenio se totos accommodant, ij diaboli sunt filij. Vos diaboli desideria facere studetis, & eius ingenio vos accommodatis. Ergo illius estis filij. Cumq; superius de Abrahamo loquens, operum meminerit, nunc desideria diaboli producit, nimirùm vt ostendat, ipsos totis animis diabolo addictos esse, vt non aliud quærant, quàm vt eius suggestionibus prauis obtemperent. Est autem obseruatu dignissimum, quòd diaboli & filiorum eius notam, non in operibus, sed in desiderijs & voluntate monstrat. Sunt enim qui diaboli opera faciunt, cùm ab eius desiderijs sint alienissimi, neq; huic se vnquam cõsecrauerint. Diaboli opus faciebat Dauid, quando Vriæ vxorem constuprauit, & cum adulterio homicidium nefarium coniunxit. Quòd verò ille non eo animo & fine hæc fecerit, vt diaboli seruitio se totum adducerit, ardentes illius preces & pœnitentiæ studium abunde testantur. Idem de Petro Christi abnegatore, Paulo persecutore, & multis alijs dici potest. Quorum similes sunt, qui vel ex humana infirmitate labuntur, vel ignorantia & cæco pietatis zelo decepti veritatem persequi solent. Faciunt hi omnes diaboli opera, & grauis admodum illorum culpa est, non tamen de illis desperare debemus, quando illorum animos & voluntatem diabolus nondum omnino occupauit. Longè alia est ipsius diaboli ratio, & eorum, qui se totos illi addixerunt. Ille enim deuoto nocendi studio rapitur, & totus in hoc est, vt Dei volũtati atq; cõsilio reluctetur, adeoq; omnes homines ab illo in errores & scelera abstrahat. Et ingenium illius impij quoq; referunt, quibus non sufficit semel peccasse, nisi alios simul in scelera societatem trahant, disciplinam cùm politicam tum ecclesiasticam omnem euertant, & regnum Dei inter homines in vniuersum aboleant. Sunt hæc non oscitanter consideranda, ne ex vno aliquo sollere eos teme. damnemus, qui adhuc inter Dei filios locũ suum obtinent: rursus verò, ne nobis turpiter & perniciose blandiamur in sceleribus, & indies ad deteriora progressi tandem diaboli mancipia & filij efficiamur.

Diabolus desideria habet, nõ autem liberam potestatem.

Est præterea consolationis plenum, quòd diabolo & filijs eius desideria quidem & voluntatem nocendi aut malè agendi tribuit, non autem vires aut facultatem. Nam etsi defecerit à prima sua statione angelus ille, adhuc tamen Dei manu gubernatur, qui impios quoq; suo fræno coercet, ne possint quæcunq; volunt. Et de diabolo quidem exempla habemus manifesta. Volebat Iobo nocere, sed nihil aduersus illum potest, nisi quod Deus permittebat. Et in Ægypto haud dubiè Israelitas simul omnes cum Ægyptiorũ primogenitis occidere voluisset, sed ex Dei mandato à reliquis omnibus abstinere cogitur. Quid? annon in euangelio supplex Christum orat, vt in porcos immundos ipsi licet ingredi, qui prius omnia regna huius mundi Christo pollicebatur? Et cùm illum Petrus instar rugientis Leonis oberrare scribat, vt inueniat quẽ deuoret, certè res ipsa docet, illum occulta Dei manu coerceri, ne homines simul omnes malè perdat. Eandem impiorum quoq; sortem esse Christus dicet, quãdo pilos capitis nostri numeratos esse ait, et eos timere vetat, qui absq; Dei patris permissione nihil possunt. Confirmatur hæc doctrina Iudæorum exemplo, qui priusquam hora illa diuinitus constituta venisset, aduersus Christum nihil potuerunt, licet non modò inter illos publicè versaretur, verumetiam docendo, monendo, corripiendo, illorũ rabiem indies accenderet. Et hodie multa huius generis publicè & priuatim experimur, quando constat, aduersarios nostros sæpe admirari, quòd cum numero, potentia & opibus nos longè superent, euãgelij tamen lucem in nobis extinguere nõ possint. Nemo igitur inter pericula metu superatus desperet: sed fortes simus in Domino, qui ideo Dei exercituũ dicitur, quòd tam bonis quàm malis angelis imperat, & immanes quoq; tyrannorũ spiritus potẽti manu regit. Quia tamẽ hæc alterius loci sunt, hæc in præsenti paucis annotauisse sufficiat.

Diaboli desideria quæ sint?

Sequitur nunc rationis adductæ explicatio & confirmatio. Quia enim illos diaboli desideria facere velle dixerat, quæ nam illa sint exponit, dicens: Ille homicida fuit ab initio, & in veritate non perstitit, quia veritas in eo non est. Cùm loquitur mendacium, ex proprijs loquitur, &c. Ita vero argumen-

argumentatur: Diabolus quantus quantus est, homicida & mendax est, neq; aliud quàm mendacia & cædes spirat: At qui idem vos quoq; facitis, qui dies & noctes de me occidendo cogitatis, & qui dem non aliam ob causam, quàm quòd veritatẽ vobis annuncio. Ergo rectè dixi, vos diaboli desideria facere, & proinde illius filios esse. At quia his communem generis humani hostem describit Dominus, proderit singula quæ dicuntur propius inspexisse. Primò homicidam fuisse ait ab initio. Debet autem initium non ad satanam, sed ad mundi & hominis creationem referri. Priusquã enim homo esset, homicidium fieri non poterat. Quod obseruandum est aduersus eos, qui vel duo principia æterna constituunt (vt paulò ante de Manichæis diximus) vel diabolum talem initiò statim à Deo factum esse cõtendunt. Constat enim ex Creationis historia, Deum omnia benè & rectè creauisse, & notum est illud Mosis: Et vidit Deus omne quod fecerat, & ecce erat valde bonum. Errant itaq; qui diabolum initio suæ creationis malum fuisse sentiunt. Sed & ipse Christus eos confutat, quando mox subijcit: Et in veritate non perstitit. Hinc enim colligitur, illum aliquando in veritate fuisse. Excidit autem à sua statione, in quam illum Deus constituerat. Qua verò ratione & quando hoc factum sit, scripturæ non docent certò, quia vt illud sciamus, non est necesse. Verisimilis tamen est illorum sententia, qui superbia elatum, & ideo ex cœlesti gloria deturbatum esse putant, quòd honores diuinos affectarit, Dei filio sese opposuerit, cui omne imperiũ deberi videbat, neq; (quod officium angelorum est) Deo seruire & honorem debitum exhibere voluerit. Hi per similitudinem & exempli loco de Baltazare, Babyloniorum tyranno, dictum sentiunt, quod Isa. 14. ad hunc modum legitur: Quomodo decidisti de cælo Lucifer, fili auroræ? Ad terrã deiectus es, qui gentes vulnerabas. Cum tamen tu in corde tuo sic cogitaueris: Cælos ascendam, supra stellas Dei exaltabo solium meũ, & sedebo in monte constitutionis, in lateribus Aquilonis: Ascendam super altitudinem nubium, ero æqualis altissimo, &c. Sed vt vt ista habeant, constat, propria malitia lapsos esse & è sua gloria decidisse angelos, quos Deus initiò bonos creauerat, quod Petrus quoq; apostolus in posteriori epistola Cap. 2. annotauit. Hic autem tertio loco Christus addit: Quia veritas in eo non est. Quæ particula non debet per causæ redditionẽ exponi, quasi ideo eum excidisse dicat, quòd veritas nullum vnquam in eo locum habuerit: sed potius argumentum est ab effectu vel consequenti, quo illum ita excidisse probat, vt veritas posthac in illo nulla sit amplius. Et mox hoc etiam exponens subijcit: Cùm loquitur mendacium, ex proprijs loquitur. Id est, ea est in illo iam naturæ corruptio, vt ex semetipso nihil aliud quàm mentiri & fallere possit. Et hìc iam postremò causam huius dicti affert: Quia mendax est, & mendacij pater. Quæ particula diabolũ ab hominibus omnibus distinguit. Nam hi quoq; mendaces quidem sunt, sed non sunt mendacij patres, neq; ex proprijs loquuntur, quando mendacium dicunt, sed illud vel ab alijs hominibus acceperunt, vel ex diaboli suggestione confinxerũt. Hic verò mendacia ex semetipso habet, neq; ab vllo alio ad mentiendum impellitur. Faciunt ad horum confirmationem, quæ in primorum parentum lapsu contigerunt. Annon enim ex semetipso mendacium habuit diabolus, quo Euæ persuasit, fore vt Deo similes fiant, si ex vetito fructu edãt? Quis verò mendacij illius finis fuit alius, quàm homicidium, & tale quidem, quo in Adamo omnem eius posteritatem occidit? Idem postea in Caino patrauit, quem falsa spe decepit, vt se tunc demũ beatum fore putaret, si Abelum fratrem interficeret, simulq; eum mouit, vt sub amoris fraterni prætextu vitæ eius insidiaretur. Et huius generis multa possent recenseri, quæ cum priuatis hominibus egit, & quæ quotidie experimur. Sed quæ publicè ab illo facta sunt, & adhuc hodie fiunt, præ alijs considerari merentur. Diaboli enim opus est, quòd aduersus veritatis doctrinam errores omnis generis inducuntur, quòd promissiones salutis olim superstitiosis figmentis partim corruptæ partim extinctæ fuerũt, quòd relicto vero Deo falsos Deos sibi pleraq; gentes finxerunt, quòd sub religionis prætextu multi corpore simul & anima pereunt, quòd demũq; immanes tyranni ecclesiam oppugnarunt omnibus seculis, & eandem oppugnare adhuc pergũt. Quid multis? Quicquid in orbe terrarum dictis aut factis, per vim apertam aut sub amicitiæ prætextu in hominum perniciem instituitur, hoc omne ad diabolum, primum authorem referri debet. Cuius ea est astutia, vt verum dicendo nos fallat: quia non alio fine aliquando verum dicit, quàm vt inescatos in nassam trahat, & mendacia eius maiorem apud nos fidem inueniant. Exemplo sunt Deorum oracula, quæ euentum quidem suum plerunq; habuêre, sed præcipua fuerunt causa superstitionũ, quibus gentes in exitiũ sunt demersæ. Neq; aliam ob causam

satan aliquoties Christo & apostolis veritatis testimonium tulit, quàm vt viris cordatis suspectam faceret eam doctrinam, quam ab illo videbãt cõmendari. Verissimè ergo Christus illum mendacem & mendacij patrem, adhæc homicidam esse dicit. Nobis verò istorum omnium hic vsus esse debet, quid cum illo habeamus cõmercij, neque eius vel oraculis vel suggestionibus occultis credamus. Cauerunt illius insidias, quoad fieri hoc potuit, quotquot inter ethnicos sapientiæ titulo præ alijs insignes fuerunt. Quis ergo non detestetur eorum leuitatẽ (imò impietatem) qui cùm Christo nomen dederint, diaboli tamen opera & consilio vtuntur, quem in euangelio clamantem audiunt, Quid mihi & tibi fili Dei? Sed & consolationem hinc petant, qui conscientiæ æstuantis terrores sentiunt, quos in illis satan excitat, dum illos ab omni gratia Dei excidisse neq; in Christo aliquam partẽ habere persuadere conatur. Quia enim mendax & homicida est, ex eo nos potius in fide confirmari oportet, quòd illum nobis tam improbè insidiari videmus.

Diaboli filij sunt mendaces & homicidæ.

Docent præterea hæc Christi verba, quales etiã hodie omnes illi censeri debeant, qui diaboli desideria facere satagunt, & illius studia pertinaciter nimis imitantur. Ex horum numero sunt, qui mentiendi libidine ita tenentur, vt absq; vlla causa mentiantur, & falsis narrationibus animos vanos leuesq; pascant. Videtur hoc multis leuiculum esse, qui talibus aures libenter accommodant, & ipsi quoque ex aliorum vanitate voluptatẽ capiunt. Sed reuera diaboli filios hoc arguit, & Christi sententia damnantur, qui nos de quouis verbo otioso rationem reddituros esse ait. Quia ergo malum hoc ex corrupta carnis natura enascitur, consuetudine autem confirmatur, etiam atq; etiam videndum est, vt nostri ingenij figmenta suspecta habeamus, & à pueris statim veritati assuescamus, ne tandem reddamur incurabiles, vbi mentiendi habitum contraximus. Vbi parentum studio & industria omnino opus est, vt pueriles linguas, quæ natura ad fabulas & mendacia procliues sunt, ad verum dicendum assuefaciant, ne diaboli filij fiant, quos Deo adducere debent. Proximi his sunt, pueres tamen, qui ex ijs mendacijs præcipuam voluptatem captant, quibus aliorum fama læditur, proinde obtrectatores & calumniatores fiunt, vt nomen quoq; diaboli (quod Græcis calumniatorem sonat) mereantur, cuius imitatores esse volunt. Sequuntur hos doctores falsi, qui cùm à salutis simpliciores abducant, reuera animas illorum occidunt, & proinde homicidæ dici merentur. Quæ causa est, quòd tales capite plecti olim Deus iussit. Deut. 13. Socij horum sunt, qui ad scelera suscitant, & verbis blandioribus à virtutis via incautos reuocant: quales sunt præcipuè, qui inuenti ætati insidiantur, & ebrietatis, libidinis & nequitiæ mancipia faciunt eos, qui toti Deo debebãt consecrari. Cõcionatur his D. Augustinus, quãdo sic scribit: Videte genus homicidij fratres. Homicida dicitur diabolus: non gladio armatus, non ferro accinctus ad hominem venit: Verbum malum sermonauit, & occidit. Noli ergo putare te non esse homicidã, quando fratri tuo mala persuades. Si fratri tuo mala persuades, occidis: & vt scias quia occidis, audi Psalmum: Flij hominum, dentes eorum arma & sagittæ, & lingua eorum gladius acutus. Hæc August. Quòd si qui ad hoc Dei verbo detuntur, horum eò grauior culpa est, eoq; propius ad diaboli ingenium accedunt. Debent præterea connumerari vsurarij, monopolæ, & quicunq; publicæ egestatis authores sunt, atque fame occidunt, quos beneficentia sua alere debebant. Petinent ad eundem catalogũ tyranni, qui ex sanguinis effusione & vrbium euersionibus laudem venantur: quibus meritò coniunxeris Cares mercenarios, qui illis ad immanissimum hoc studium suam operam locare consueuerunt. Quòd si hæc ad nostri seculi mores transferas, Deum immortalẽ, quàm multos inueniemus diaboli filios inter eos, qui sanctissimi & optimi haberi volunt? Quid ergo Dei iram & continuas calamitates miramur, quibus ille hoc seculum nostrum flagellat? Cur enim Dei fauore fruantur, qui diaboli potius quàm illius filij esse volunt? Discant singuli relictis satanæ studijs, ad veritatis patrem recurrere, euangelium totis animis amplecti, desiderijs prauis resistere, vt huius tyranni imperio liberati, cum Iesu Christo viuant & regnent: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.

HOMILIA LXXX.

Vos autem, quia ego ueritatem dico, non creditis mihi Quis ex uobis arguit me de peccato? Si autem ueritatem dico, quare uos non creditis

ditis mihi? Qui ex Deo est, uerba Dei audit. Propterea uos non auditis, quia ex Deo non estis.

DOminus noster Iesus Christus non temere in ijs, quæ proximè præcesserũt, diaboli hostis nostri communis ingenium atq; mores tanta diligentia descripsit. Etsi enim cum Iudæis illi tunc certatio fuerit, simul tamen omniũ nostrũm institutioni seruiunt, quæ illis dicuntur. Discimus ergo, cauendas nobis esse diaboli artes & insidias, ne quid cum eo commercij habeamus, quem iam inde ab initio mendacem & homicidã esse audimus. Admonemur præterea, vt ea studia caueamus, quæ nos illius filios facere possunt: Mendacium videlicet & homicidium. Solet quidẽ caro ista pro leuiculis censere: sed ad demonstrandam illorum atrocitatẽ homini Christiano sufficere debet, quòd illa inter diaboli desideria Christus numerat, & eadẽ à Dei ingenio alieniſsima sunt, qui vt veritas est ipsa, ita hominũ saluti vnicè studet. Vult enim (vt Paulus ait) omnes homines saluos fieri, & in veritatis cognitionem venire. Et pro suis quidem agnoscit eos, qui spiritu suo ducti, illius ingeniũ referunt: omnes autem eijcit ex sui regni consortio, qui diaboli desiderijs sese arbripi patiuntur, vt vitã suam alia ratione instituãt, quàm ipse nobis in verbo suo præscripsit. Quia verò susceptæ disputationis status est, vt Iudæos, qui inani & superbo filiorum Dei nomine gloriabantur, diaboli filios esse, & nihil cum Deo commune habere euincat, in præsenti quæ hactenus de diabolo dixit, illis accomodat: & sic quidem, vt rursus generalẽ doctrinam proponat, ex qua cùm de nobisipsis, tum de alijs discamus iudicare, quo loco nobis habendi sint.

Vos autem (inquit) quia ego veritatem dico, non creditis mihi. Dependent hæc ex ijs quæ præcesserunt, & hunc sensum habent: Diabolus, quia mendax & mendacij pater est, veritatẽ non fert, neq; hanc alia ratione odit, quàm quòd veritas est, & proinde ipsius naturæ & studijs aduersatur. Atqui vos etiam hanc vnam ob causam mihi credere dedignamini, & doctrinã meam reijcitis, quòd veritatẽ vobis prædico. Quis ergo non videat, vos diaboli filios esse, & Deo patre falso gloriari? Est hoc argumentum firmum & irrefragabile, quo docemur, hanc certissimam & infallibilem filiorum diaboli & reprobæ mentis hominum notam esse, si qui doctrinã Christi audire nolũt. Vt enim animi impuri & libidinosi indicium est, non posse audire eos, qui de castitate & fide coniugali disserunt: Ita diabolicum ingeniũ non alia nota euidentius & certius agnoscitur, quàm si qui Deum in verbo suo, aut ex hoc de diuinis loquentes audire nolint. Cuius vtinã meminissent, qui hodie ex eo sibi laudẽ capiunt, quòd euangelium Iesu Christi odio implacabili persequuntur, aut improbo atq; scurrili cõtemptu sastidiunt. Cæterum in Iudæorum exemplo communis hominum & naturæ nostræ corruptio argumentis apparet. Huc enim pertinet, quòd libẽtius fictas narrationes quàm veras historias legimus: quòd fabulas studiosius quàm res serias audimus, & frequentius de rebus nullius momenti, quàm de rebus & cognitu necessarijs disserimus. Obseruauit hanc humani ingenij peruersitatẽ Demosthenes in Athenienſibus suis, & eam festiuo apologo perstrinxit, qui postea communi prouerbio occasionem præbuit. Cùm enim in concione dicenti obstreperent, ait se breuiter illis narrare velle rem nouã & auditu iucundam. Mox igitur silentio facto, ait: Adolescens ætatis tempore asinum mercede conduxerat, vt eo ab vrbe Megaram vsq; veheretur. Meridie autẽ cum Sol acriter æstuaret, nec inueniret quo nam vmbraculo sese tueretur, depositis clitellis sub asino sedens eius vmbra sese obtegebat. Id verò non sinebat agaso, qui hominem inde depellens clamabat asinum esse locatum, non asini vmbram. Rursum alter, sibi plenum in asino abs se conducto ius esse respondebat, & tandem ad iudices prouocabat. Et hæc locutus Demosthenes, à tribunalibus abire parabat. Retinentibus autem illum Athenienſibus, & vt reliquam quoq; fabulæ partem adderet orantibus: Itane (inquit) de asini vmbra audire cupitis, de rebus serijs loquentem audire non vultis? Potuit istam leuitatem in hominibus eubicus obseruare, & reprehensione dignam iudicauit. Cur verò nõ pudeat suæ oscitantiæ Christianos homines, qui cùm huius generis exempla quotidie edantur, ea tamen nec in semetipsis, neq; in alijs obseruant? Tolerabilis tamen esset hæc leuitas, si in externis modò admitteretur, & nõ etiam illic regnaret, vbi de æterna salute agitur. At illic quoq; neglecto Dei verbo libẽtius circa hominum commenta plerique occupantur, quod Iudæorum & gentium exemplis abunde probari poterat. Sed il

Diaboli filij doctrinam Christi non ferunt.

lis minimè est opus, quando inter Christianos multa huius generis quotidie contingunt. Ferunt in Papatu Monachos & sacrificulos, qui vel peregrina lingua vtuntur, vel insulsis figmentis & (vt vulgò loquuntur) fabulis paschalibus aut Sanctorũ Legendis aures simplicis plebeculæ demulcent, vel animos auditorum falsis purgatorij minis territant. Iidem verò Dei verbum, quo ad omnẽ virtutem edocentur, & in salutis via diriguntur, ferre nolunt. Olim item nõ pigebat homines inepte superstitiosos horas complures inter sacra non intellecta consumere: at hodie plerisq; res indigna & intolerabilis videtur, si ad sesquihoram extendatur sacra cõcio, in qua Christum æternæ vitæ pabulum ipsis offerentem audiunt. Quòd si huius mali causam quæras, non aliam inuenies, quàm innatam nobis naturæ corruptionem, & quòd Veritatem nostris desiderijs & studijs inimicã esse sentimus, quæ de re Cap. 3. apud Nicodemum Christus disseruit. Meminerimus autẽ hoc verbi Dei fastidiũ summæ impietatis principium esse, quæ diaboli filios reddit, & proinde initijs obstemus, ne in manifestam veritatis odium declinet, & nos malè perdat.

Christus suæ doctrinæ ueritatẽ asserit.

Cæterùm vt ad Christi verba redeamus, poterãt Iudæi obijcere: Crederemus tibi, si te à Deo missum & veritatis præconẽ esse sciremus: Quia verò homo es, & perinde vt reliqui homines falli atq; errare potes, non tutum satis nobis videtur, si relictis maiorũ statutis et auita religione, nos tibi docendos præbeamus, &c. Est enim hoc impietatis ingenium, vt qui se huic addixerunt, semper inueniant quod opponant veritatis doctoribus. Et hodie multos est audire, qui quod Iudæi intra corda sua cogitarunt, palàm effutiũt, & Iudæis multò deteriores de scripturarum veritate disputationes non minus scurriles quàm impias instituere audent. Clamant enim: Non equidem ij sumus, qui vel Dei verbo contradicere, vel veritatis doctrinam oppugnare velimus. At quis nos certos faciet Dei verbum & euangelium Iesu Christi esse, quod noui isti concionatores prædicant? Vel quis scit, an vera ex spiritus suggestione libri illi scripti sint, quibus Dei verbum cõtineri aiunt? Item, annũ mendaciũ tam facilè quàm quod verũ est, scribi poterit? Hæc & multa alia huius generis hodie vulgò audiuntur, quibus impij suam improbitatẽ palliare & excusare student. Sed omnibus istis per præoccupationẽ Christus occurrit, dicens: Quis ex vobis arguit me de peccato? Mẽdacij aut falsi mihi meminisse poterat: sed de peccato loquitur, vt generalior sit propositio, & illos efficacius conuincat. Ita enim dicere videtur: Scio quid causemini, & quibus rationibus non modò vosipsos excusetis, verumetiam doctrinã meam apud rude vulgus faciatis suspectam. Sed agedum si quid in me nouisti reprehensione dignum, id mihi nunc coràm omnibus hisce in faciem edicite. Per me enim licet, vt modò errores & mendacia, si quæ hucusq; in doctrina mea deprehendistis, arguatis, verùm in vtroq; omnem inquirite, & si potestis vel ex hac euincite me non esse Dei legatum. Sed scio vos nihil horum posse. Accusatis quidem me sedulò, & apud vulgus rude me meamq; doctrinã traducitis: cæterùm nullius erroris me conuincetis sat scio, & velitis nolitis cogemini me veritatis doctorem & fidelem Dei legatum agnoscere. Et his mox grauiter infert: Si autem veritatem dico, quare vos non creditis mihi? Quasi diceret, Quæ hæc vestra est vel improbitas, vel infelicitas, quæ veritatẽ, quam negare non potestis, vos recipere prohibet? Vides ergo grauem esse hanc Christi responsionem, & pacis verbis multa continere, quæ ad arguendam aduersariorum eius improbitatem faciunt. At nõ minus hodie locum habet in illis arguendis, qui (vt supra diximus) scripturæ sacræ authoritatẽ in dubium vocant. Garriunt illi quidem multa, & scurrilibus dictis simpliciũ fidem labefactare conantur. Sed nos illos cum Christo interrogamus: Quis ex vobis veteris aut noui Testamenti libros arguet de mendacio? Proferte, si quas habetis rationes, quibus illorum fidem meritò suspectam faciatis. Constãt hæ historicis narrationibus, præceptis de fide, religione & toto vitæ cursu æternæq; salutis negotio, adhæc prophetarũ & apostolorum prædictionibus. Excutite ergo partes singulas, & errores, si qui subsunt, ostendite. Quid verò in historijs sacris falsi subest? Annon probè sibi omnia constant? Annon solæ hæ certam temporum seriem continent vsq; ad Christi natales, ad quam historiæ prophanæ omnes examinari & corrigi possunt? In præceptis autem quid desideratis, quorum summa est, vt Deum ex toto corde, proximum verò quenq; vt nosipsos diligamus? Vel num ea salutis ratio reprehendi meretur, quæ in vno Deo omnem felicitatem monstrat, idq; per Iesum Christum, qui vnicus inter illum & nos mediator est? Quoad prædictiones, quid hæ falsi continent? Annũ verissimè præstitit Deus, quæcunq; olim de Messia & humani generis redemptione prædixerat? Annũ

Scripturæ ueritas asseritur.

quotidie ea experimur, quæ nouissimis temporibus euentura esse, Christus & Apostoli prædixerũt? Quæ ergo ratio vos cogit de scripturis dubitare, aut illarum testimonia scurriliter eludere? Hæc si impijs istis illusoribus proponantur, non habebunt quod respondeant, nisi quòd nequicquã altercando & cauillando impietatem suam magis prodent, quod Iudæis quoq; accidisse scimus. Quia autem verbis istis alia quoq; insunt obseruatu dignissima, de illis etiam aliquid est dicendum.

Et primò quidem euidens habemus hoc loco innocentiæ Christi testimoniũ, quam omnibus compertam fuisse oportet, quando hostes acerrimi nihil in illo deprehendere potuerũt, quod damnari mereretur. Et in hoc quidem ab hominibus omnibus distinguitur, qui cum omnes in peccato concipiantur & nascantur, tale quid de seipsis dicere nullo modo possunt. Nos autem innocentiæ Christi vsum imprimis tenere oportet, qui duplex est. Primò enim euangelium nobis commendat, ne de ea doctrina dubitemus, cuius authorem ne hostes quidem oculatissimi alicuius erroris aut vitij potuerunt conuincere. Deinde ad nostræ redemptionis & salutis certitudinem facit. Quia enim tanta est Christi innocentia, potuit vtiq; sufficiens esse pro peccatis nostris sacrificium, & eadem nœuos & vitia nostræ naturæ procul dubio sarcire poterit, vt damnationis periculum minimè metuere debeant, qui ipsi per fidem insiti sunt. Innocentia Christi.

Deinde indigna Iesu Christi sors simul nobis consideranda venit, qui cùm talis esset, maleuolorũ tamen hostium calumnias effugere non potuit, quin mox Samaritanũ & dæmoniacum dicerent, & tandem apud præsidem Pilatũ regni per seditionẽ affectati accusarent. Quid ergo miramur, si quid simile nobis præter omne meritum nostrum accidit? Passi sunt hæc olim prophetæ, quibus seditiones & proditiones ab hostibus obiectas esse scimus. Quid Apostolis euenerit, Actorum liber prolixè docet. Veteres verò Christianos horrendis criminibus obrutos fuisse, prisci scriptores testantur, imprimis Tertullianus, qui homicidiorum, sacrilegiorum, incestuum, proditionum, coniurationum, infanticidiorum & epularum abominabilium crimina inter gentes quasi publica Christianorum elogia fuisse scribit. Idem vero de his quidẽ accusatos, nunquam autem conuictos esse testatur. Quod ipsum nobis etiam sufficere debet, quando certum est, Deum suorum innocentiam asserere, & ferè apud posteros immortali nominis gloria eos florere, qui cum in viuis essent, omni criminum genere adobruebantur. Soletur item, quòd Christus nos beatos pronunciat, si nobis homines conuicientur, & propter ipsum probra falsa in nos congerant. Christus innocentiss. licet, nõ potest obtrectatores effugere.

Adhæc peculiarem considerationem meretur, quod Christus ait: Si autem veritatẽ dico, quare vos non creditis mihi? Docet enim absq; omni contradictione credendum esse veritati, neq; vlla ratione eos excusari, qui vera docentibus contradicere audent. Habebant enim multa Iudæi, quæ prætexerent: Nimirum quod non publica sacerdotum authoritate ordinatus esset, quòd nouum doctrinæ genus proferret, quòd maiorum statutis & patrum traditionibus contraria doceret, quòd nemo principum ipsi crederet, & quæcunq; alia huius generis homines vel impij vel superstitiosi cõminiscuntur. At nihil horum satis authoritatis habet ad excusandum eos, qui quod verum esse sciunt, tamen amplecti dedignantur. Nam ex semetipsa authoritatem habet veritas, neque illi quicquam accedit ex eorum dignitate, qui eam vel prædicant vel reijciunt. Viderunt hoc veteres, qui Veritatem nudam finxerunt, eò quòd veste aut fuco minimè opus habeat, quo commendetur. Obseruabis igitur, Christum hoc loco omnibus loqui, quibus graue videtur eam doctrinam recipere, quam veram esse intelligunt. Quales hodie passim inueniuntur, qui nos quidem vera docere aiunt de fidei iustificatione, Christo vnico redemptore & mediatore, tota denique salutis ratione, simul verò doctrinam nostram admittere nolunt, & ne qua secundum hanc fiat ecclesiarum reformatio, omnibus modis reluctantur. Rationes verò, quibus nituntur, alias non habent, nisi quòd ab hominum authoritate pendent, & negotium hoc omne ad eos pertinere arbitrantur, qui sibijpsis summã in ecclesia potestatem propria temeritate & vulgi stoliditate adiuti vendicarunt. At nos illis istud Christi obijcimus: Si veritatem loquimur, quare non creditis nobis? An verò cum alijs turpiter errare & perire potius vultis, quàm nobiscum per veram salutis viam ingredi? Quibus etiam illud adijcimus: Si cæcus cæco dux fuerit, ambo cadunt in foueam, &c. Veritati credendum absq; omni contradictione.

Restat disputationis huius cõclusio, qua & sua probat Christus, & incredulitatis vel rebellionis fontes aperit, atq; scelus eorum amplificat, ostendens, ipsis cum ipso Deo negotiũ esse, si ita doctrinæ Electorum nota propria.

ipsius reluctari pergant. Qui ex Deo est (inquit) verba Dei audit: Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis. Ex quibus verbis perspicuitatis causa argumẽtum ita formabis: Qui ex Deo est, verbum Dei audit. Vos Dei verbum non auditis: Ergo ex Deo non estis, sicq; verum esse concludit, quòd non Abrahami neq; Dei, sed diaboli filij sitis. Vbi obseruabis, ex Deo esse hic dici, quos alibi electos scriptura vocat. Traditur autem his verbis certa & infallibilis regula, qua homines dijudicare possunt. Omnes quidẽ ex Deo se prognatos esse clamãt, & veri Dei cultores videri volunt, ex promiscuè quidem electi reprobis conuersantur, simulq; vnà succrescunt, sicuti in zizaniorũ parabola Christus docet. At quãdo Dei verbũ prædicatur, mox qui nam & quales singuli sint, videre licet. Nam qui ex Deo, id est, ex electorum numero sunt, ij etsi aliquandiu latuerint, tamen vbi temporis occasionis ipsorũ adest, mox diuinitus tacti oculos atq; aures aperiunt, noua veritatis luce delectantur, (vt Christus ait) pastoris sui vocem agnoscunt: sicuti in Pauli, Matthæi, Lydiæ & eorũ exemplis apparet, qui subita conuersione testati sunt, se minimè ijs pares fuisse per omnia, cum quibus eadem studia aliquandiu secuti sunt. Et illi quidem non externo tantùm sensu verbum audiunt, sed pro Dei verbum esse agnoscunt, ideoq; audiunt, quia Dei verbum est, neq; vlla hominum authoritate cuntur. Deinde solũ illud audiunt, neq; hominũ traditiones simul admittunt, quibus doctrina corrumpatur. Adhæc cum fructu audiunt, & hoc intra animos ipsorum receptum esse reipsa testatur, dum promissionibus quidem firmiter credunt, præceptis autem eius sancto & indefesso studio temperant. Alteri verò illi audito Dei verbo, vel indignabundi fremunt, vel subdolè tergiuersantur, & cùm optimi videntur, multa alia admisceri volunt, quibus eius veritas obscuretur. Etsi quidem certissima reproborũ nota est, si in finem vsq; sic pergant, neq; institutionem admittant, qua emendentur. Etsi enim vitæ sanctimonia fulgeant & operibus bonis mirificè ornati esse videantur, inanis tamen ille fucus est, quando peccatũ esse constat, quicquid non ex fide fit, quæ sine Dei verbo nulla esse potest. At nos Dei bonitatẽ exosculari decet, qui etsi verbum suum non ab omnibus exsciat, illud tamen promiscuè omnibus proponit: vt electi quidem ex eo salutis promissæ occasionem habeant, reprobis verò non aliqua excusatio relinquatur, qua suam contumaciam & voluntariam rebellionem defendant. Horum itaq; consideratione excitati, audiamus boni illius pastoris vocem, & ex immortalis verbi semine renati in filios Dei, regni eius cælestis hæreditatem adeamus cum eius vnigenito, Iesu Christo: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

HOMILIA LXXXI.

Responderunt ergo Iudæi, & dixerũt ei: Nõne bene dicimus nos, quòd Samaritanus es tu, & dæmonium habes? Respondit Iesus: Ego dæmonium non habeo, sed honoro patrem meum: & uos ignominia afficitis me. Ego autem non quæro gloriam meam: est qui quærat, & iudicet.

Diuus Ioannes totam hanc Iesu Christi cum suis hostibus concertationẽ ita describit, vt in ea quidẽ absolutissimum veri atq; fidelissimi doctoris exemplũ, in istis verò impiorũ hostium veritatis mores depingat, simulq; ostendat, quid præmij ab ingrato mundo expectent, quicunq; veritatem doctrinam fideliter tradendo Dei gloriam & publicam multorum salutem [illegible] studeant. Etsi Christo quidem hucusque vidimus, quòd omnia medici animarum officia fideliter præstiti. Vidimus fideles & industrij corporum medici, non modò pharmaca salutaria adhibent, sed humores noxios expurgant, & quæcũq; alia vel morbum augere, vel valetudinẽ meliorem impedire possunt. Ita in præsenti Christus Dominus agit. Primò enim salutis doctrinam paucis comprehensam proposuit, & se docuit veram & vnicã mundi lucem esse, quæ sola mentes illuminet, & suos sectatores ad cælestis patriæ hæreditatem deducat, eosque demum libertate filiorum Dei fruituros ostendit, si in eius doctrina constanter perseuerent. At doctrinam hanc plerique non admittunt, sed aduersus eam malitiosè exagitant, idq; ea potissimùm causa faciunt, quòd maiorum & generis sui fiducia nitantur, non existimant sibi aliquo vindice opus esse, cùm ex Abrahamo progenti & ex sacerdotali [illegible]

quoq; filij sint. Eam ergo persuasionem nimis confidentem expurgare studet Dominus, & liberè illis edicit qui nam & quales sint, simulq; monet quales fieri oporteat, si germani Dei filij censeri velint. Vbi multa audiuimus, quæ ad fidei & vitæ nostræ institutionem faciunt. Sequitur modò, quàm nihil apud incurabiles istos Christus profecerit, qui pertinaciter pergendo omnibus istis impiè abusi sunt, & quid porrò cum illis Dominus egerit. Vbi, quod initiò diximus, in illius exemplo patebit, quid nobis in hoc mundo expectandum sit, & quibus rationibus cum eius incurabili contumacia luctari conueniat.

Iudæi Christum conuitijs excipiunt.

Responderunt enim Christo Iudæi: Nónne bene, id est, verè & rectè dicimus, quòd Samaritanus es, & dæmoniũ habes? Quæ verba sic pronunciant, vt non nunc demũ his conuitijs illum petant, sed quòd iam pridem talem dixerint gloriantur, & nunc ea renouant atq; cõfirmant. Vtq; interrogatio orationi pondus addit, ita emphasim quoq; habet particula, NOS. Sic enim suam authoritatẽ ostentant, & eam populi iudicio opponunt, qui de illo honorificentius sentiebat. Quasi dicerẽt, Tu quidẽ ignobilis vulgi fauore & inconsyderato applausu ebrius tibi tantopere places, vt quicquid in buccã venit effutias: At non te fallat ista fiducia. Nos enim, qui rerum vsu & prudentia instructi sumus, iamdudũ vidimus qui sis: Samaritanus nimirum ac prophanus populi sancti hostis, & deuotũ mali dæmonis mancipium. Et de hoc quidẽ iam antea populum sæpe admonuimus: Frustra tamen, quia tuis dolis decepti, hostilem & prophanum in te animũ non potuerunt agnoscere. At cùm iam non pudeat te in publico eos diaboli filios dicere, qui ex sanctissima patrum priscorum stirpe progeniti sunt, & quos fœdere æterno sibi obstrinxit Deus: satis iam detecta est tua nequitia, nec quisquam tam cæcus est, qui non videat te hostili in hanc gentem animo esse, neq; talia abs te dici aut fieri posse, nisi totum te diabolus iam pridem occupauisset. Duo ergo grauissima conuitia coniungunt: quorũ primum ex vulgi vsu quotidiano desumunt, quò magis prodant animi sui leuitatem. Quia enim Samaritani (vt Cap. 4. diximus) ex Assyria oriundi terram olim à patribus inhabitatam occuparant, & cum sacris Iudaicis gentilitios ritus miscuerant, adhæc multis vtrinque iniurijs sese mutuò hæ gentes afficerant, adeò inuisum fuit apud Iudæos Samaritanorum nomen, vt si quem apostatam & prophanum religionis patriæ illusorem dicere vellent, Samaritanum vocarent. Etsi verò petulanter nimis triuiali conuitio vtantur, qui viri graues volebant videri, certa tamen eius petulantiæ ratio illis constitit, quòd nimirum populo inuisum & publicè infamem reddere voluerunt. Quia verò singularis doctrinæ grauitas, insolitus item sermonis lepor & occulta spiritus sancti virtus, quæ in auditorum animis sentiebatur, adhæc miraculorum splendor multos detinebat, vt contemnere vel odisse non possent eum, in quo hæc omnia videbant: non contenti hoc conuitio, alterum addunt, & dæmonio illum agitari aiunt, vt tam doctrinæ quàm operibus ipsius miraculosis fidem omnẽ derogent. Fauet huic sententiæ, quod Matth. 9. scribitur. Cùm enim hominem mutum & dæmoniacum, eiecto dæmonio, sanauisset, & turbæ cum admiratione dicerent: Nunquam ista visa sunt in Israele: mox voces istas pharisæi cauillo exceperunt, dicentes: Per principem dæmoniorũ eijcit dæmonia. Et rursum Cap. 12. cùm cæcum mutumq; expulso maligno spiritu, saluum fecisset, & multi dicerent: Num hic est ille filius Dauid? Pharisæi itidem responderunt: Hic non eijcit dæmonia, nisi præsidio Beelzebul, principis dæmoniorum. Qui duo loci apertè docent, quo consilio hîc quoque illum dæmoniũ habere dixerint. Quòd si causam quæras, cur ita conuitiati sint ei, qui populi studium atq; amorem notis quotidie beneficijs declarabat, & legis Dei obseruantissimus nihil vnquam faciebat, quo tanti sceleris suspicionem contra se excitare posset? non aliud dici poterit, quàm quòd ordinis pharisaici hypocrisim arguebat, traditiones illorum superstitiosas damnabat, & publicã vrgebat ecclesiæ totius & diuini cultus reformationem. At quia horum illos meritò pudebat, astutè nimis ex priuata causa publicam faciunt, quò plurium mentes aduersus illum concitent.

Ministrorum uerbi conditio sub impijs.

Obseruabimus autem in hoc exemplo, quæ sit ministrorum verbi Dei conditio sub impijs, qui suos errores & scelera tueri semel in animũ induxerunt. Debebant illi ad Christi verba respondere, & vel suam innocentiam asserere, vel agnita sua culpa pœnitentiam meditari, & salutis consilium quærere. At quia nec negare possunt quod de illis Christus dixerat, neq; studia & mores suos in melius mutare volunt, cõuitijs rem agunt, quasi abundè se omni crimine purgarint, si illũ falsis criminibus adobruant. Passi sunt hoc ipsum olim prophetæ, sicuti illorum historiæ & Sermones testantur,

Accusabat illicitos Baalis cultus Elias, & à Deo Israelitis destinatas pœnas prædicebat. At ide
ab Achabo seditiosus regni turbator dicitur. Inuehebatur in publica Israelitarũ scelera Amos, &
excidio mox secuturo vaticinabatur. Hunc verò mox apud Ieroboamũ accusat Amasias sacerd
& illius conciones seditiosum quid spirare, & proinde intolerabiles esse ait. Quid Ieremiæ accide
notius est, quàm vt multis cõmemorari oporteat. Cùm enim vrbe iam à Babylonijs obsessa, ex D
reuelatione suaderet, vt iudicio Dei sese patienter submitterent, & ita iugũ sibi facerẽt tolerabil
pleriq; procerũ illum Babylonijs fauere dixerunt, & perfidiæ in patriam insimularunt. Simili
Apostolorũ conditio post Christi in cœlos ascensionẽ. Qui enim omnes gentes ad fidei vnitatẽ & sa
tis in Christo acquisitæ societatẽ adducere studebant, non vno loco sibi in faciem exprobrari audi
runt. Hi qui totũ orbem turbant, ad nos quoq; venerunt. Hostes verò acerrimos atq; crudelissi
habuerunt, Iudæos, quorũ saluti imprimis consultũ volebant. Fiunt eadẽ planè nostro tempore. S
enim veritatis lucẽ reducere, collapsam religionẽ instaurare student, & manifestos abusus argu
hos personati antistites, quibus populi ignorãtia quæstuosa est, hæreticos, blasphemos, sacrorum
nium corruptores, apostatas, Diuorum & imprimis Mariæ virginis hostes, Sacramentarios, ad
regnorũ affectatores, seditiosos, pacis turbatores, deniq; mortalium omnium flagitiosissimos, & T
cis atq; Iudæis nocentiores esse clamant. Et cum istis inter Christianos tutò versari, & multis
cis sacra sua obire liceat, illis solis nihil vspiam tutum est, cùm nec publica fide illis caueatur, n
gentium iure publico defendantur. Quòd si ijdem morum probitate cõmendentur, & docendo pla
mùm valeant, hypocritas dicunt, qui malo dæmone agitati verba profundant, quibus in homi
mentes penetrent. Sunt hæc innumeris exemplis cõprobata, & quotidie ista experiuntur qui hu
xum voluunt. Debent autem isti in vetera exempla respicere, ne ceu insolita re offendantur, &
rationibus seipsos cõsolari, quas mox Christi responsione audiemus. Cogitent præterea, hanc non
dò ministrorũ verbi sortem esse, sed idem ferè in republica ijs accidere, qui de cõmuni patria op
merentur, sicuti Mosis, Dauidis & Samuelis, in prophanis item historijs Cimonis, Miltiadis, T
mistoclis, Camilli, Scipionum, Ciceronis & multorum aliorum exempla docent. Sed neq; patre
miliâs ab hac sorte exempti sunt, quin ingratos & iniquissimos experiantur ex se prognatos &
mesticos suos, quando eos in officio continere student, vt ipsorum honori atq; saluti prospiciant, s
multis? Ea est infelicis mundi peruersitas, vt siue amicè moneas, siue hostili animo sua vitia al
bus exprobres, non aliud ab illis præter cõuitia referas. Est hoc ita vulgare, vt in pueris & mul
culis exempla huius generis quotidie videre liceat: quod tolerabile poterat videri, nisi viri gra
interdum & in publica authoritate constituti, se ista linguæ petulantia & animi impotentia ab
paterentur. At meminerint omnes isti, nihil profici hac conuitiandi libidine. Nam vt isti con
hisce Christi accusationem confirmant, & diaboli filios se esse reipsa probant: ita plerique dum
uitiando sese purgare volunt, latentem animi improbitatem produnt, vt omnibus manifesti fa
qui viri boni & graues putabantur. Deinde ijdem crimina sua augent, & scelera sceleribus acc
lant, & ita Dei vindicis iram contra seipsos magis accendunt. Itaque præsenti hoc & similibus e
emplis admoniti, admonitiones placidè feramus, imò hostium quoque conuitijs non irritemur, s
tius ex illis occasione sumpta, de vitijs nostris & eorum emendatione cogitemus, quæ ipsi in
non agnouimus antea, & quæ amici quoque vel non obseruarunt, vel ob nimium nostri amorem
simularunt. Est hæc insignis vtilitas, quam ex inimicis capi posse, olim gentium philosophi am
runt: quò magis pudendum est, in Christianis hominibus tam effrenem atq; immanem animo
impotentiam conspici.

Impij conuitiando nihil proficiunt.

Cæterum Christum istis respondentẽ audiamus. Poterat is meritò illis succensere, & in ipsos
gerere crimen quod ipsi intentabant. Verè enim apostatæ & Samaritanis peiores, populi item
grauissimi hostes, adhæc diaboli filij atq; mancipia erant. Sed contentus eos de his nuper admo
se, nunc amicè & modestè agit: sic tamen vt & causam suam grauiter tueatur, & illos iudicij d
ni denuntiatione terreat. Sunt autem responsionis huius partes tres, ex quibus duas priores mod
spiciemus, de tertia cras dicturi.

Christus crimẽ sibi intentatum purgat.

Prima crimen sibi intentatum à se repellit, paucis quidem verbis, sed quæ grauitatem ma
præ se ferunt. Ego (inquit) dæmonium non habeo, sed honoro patrem meũ. Vbi obseruabimus, q

cùm aduersarij Samaritanũ & dæmoniacum dixerint, ipse priori quasi dissimulato ad posterius solum respondet: Nimirum, quòd vtriusq; conuitij eadẽ ratio & finis esset pharisæis propositus, adhæc quòd omnibus abundè cõstaret, ipsum nec gente neq; studio aut moribus Samaritanũ esse. Quem enim hic petulanter nimis Samaritanũ vocarunt, aliâs per contemptũ solebant Galilæũ dicere, & eidem fratres siue cognatos viles & obscuros exprobrare. Deinde Samaritanorũ cõmertia studiosè deuitabat, & discipulis præceperat, ne ad illos prædicatũ abirent. Quod enim Cap. 4. audiuimus, peculiare quoddã & extraordinariũ factũ fuit, ex quo minimè debuit de omnibus ipsius studijs iudiciũ fieri. Sed ipsos quoque Samaritanos suæ innocentiæ, quoad hanc causam, testes habere poterat: qui ipsum Hierosolymã proficiscentem interdum ex vrbibus suis solebant excludere, vt Lucas Cap. 9. scribit. Minimè ergo opus erat crimen illud diluere, quod ipsius hostibus animi impotentia & linguæ petulantia, nõ aliqua ratio probabilis extorserat. Quo exemplo docemur, in diluendis criminibus modestia simul et prudentia nos vti debere; ne dum paria aut etiã grauiora regerimus, eorũ similes simus, quibus cum nobis res est: aut dum ad omnia respondemus, nouis rixis materiã præbeamus, & contentiosi dicamur, quando veritatis defensores videri volumus. Adhæc non verbis nudis, sed rationibus agendum est in ijs, quæ excusatione opus habent, ne insolenter & imperiosè nimis nostra tueri putemur. Ideò hîc quoq; Christus non modò negat se dæmonium habere, sed hoc ipsum ratione euidenti à contrario desumpta, probat. Honoro (inquit) patrem meum. Argumentum ità formari potest: Qui dæmonio agitantur, Deum non honorant, sed contumelia afficiunt. Ego Deum patrẽ meum honoro. Ergo non habeo dæmonium. Maior ex eo notissima est, quòd diabolus iam inde ab initio Dei gloriæ sese hostiliter opposuit. Vt enim hanc obscuraret, primos parentes ad Dei imaginẽ conditos seduxit, neq; aliam ob causam omnis generis errores, superstitiones, nefarios cultus & scelera atrocia in mundum inuexit, quàm vt sua mancipia fiant, qui vni & soli Deo consecrati esse debebant. Quoad minorem, luce clarius est, Christum non alium suorum operum & doctrinæ finem habuisse sibi propositum, quàm vt Dei patris gloriam proueheret, & ex diaboli seruitio liberatos veri Dei cultores faceret. Itaq; abundè satis confutatum est crimen, quo Christum pharisæi diffamare conati sunt.

Quid in diluendis criminibus obseruari debeat.

Hîc autem primò obseruemus, quo argumento nos quoq; probemus non malo spiritu agitari, sed bono & sancto spiritu duci, quem necessario requiri in ijs, qui Christi esse volunt, Paulus docet. Eo nimirum, si Deum verè honoremus. Quia enim in hunc finem homo conditus est (quod olim poetæ & philosophi viderunt) quomodo vel suæ conditionis memor, vel aliqua spiritus Dei scintilla prædi tus esse dicetur, quem nulla gloriæ diuinæ cura solicitum habet, sed cum prophano Dei contemptu omnia sua facit? Admonet nos de hoc non obscurè Christus, quando hunc nostrorum operum finẽ esse iubet, vt his visis alij quoq; Deum patrem nostrum glorificare discant, qui ab eius cognitione prius alieni erãt. Docet idem orationis Dominicæ ordo, inter cuius petitiones prima est, qua Dei patris nomen sanctificari, id est, in nobis & per nos glorificari & celebrari petimus. Est enim hæc frugi filiorũ vota certissima, si in hoc totis animis intenti sint, ne quid ignominiæ ex ipsorum vita & moribus ad patrem redundet. Quare nimis manifestum est, nequaquam filiorum Dei loco habendos esse eos, qui vel scelerum licentia & moribus corruptissimis Dei nomen prophanant, vel illius gloriam in creaturas, imò in manuum suarũ opera, imagines nimirum ligneas, lapideas, figulinas, aut etiam argenteas siue aureas transferunt. Nec enim illi cum Christo dicere possunt: Nos dæmonium non habemus, sed honoramus Deum patrem nostrum. Sed è contra de illis dici potest, quòd malo spiritu ducantur, cum Deum patrem publica contumelia afficiant.

Quo argumẽto bonus spiritus dignosci queat.

Obseruabimus præterea, quomodo patrẽ suum Christus honorauerit, vt quid nos facere deceat, intelligamus. Hîc autẽ non modò doctrina & opera eius miraculosa consideranda veniunt, mores item incorrupti & totius vitæ inculpata integritas: verumetiã quod in hac causa potissimùm fecit. Nimirum quòd hominibus mendacibus & sanguinarijs filiorum Dei titulum eripuit, & diaboli filios esse omnibus ostendit, qui sub Dei nomine populi seductores erant, & in ecclesia iniustam atq; impiam tyrannidem exercebant. Est hoc imprimis factu necessarium, & vix alia re Dei gloria verius & rectius asseritur. Finge enim impostorẽ aliquem sub magni alicuius & illustris viri nomine hinc inde vagari, seq; artibus & dolis in eorum amicitiam insinuare, quos illi amicos esse nouit, & ab illis pecuniam emungere, quam turpiter dilapidet: Annon viri huius gloriam & honorem præ omni-

Quomodo Christus patrẽ honorauerit.

bus alijs asserere dicetur, qui impostorẽ illum detexerit, ne quem deinceps fallat & nobilissimam similiam ementito nobilitatis titulo diffamet? Eadem prorsus ratio est quoad Deum. Quia enim sim occurrunt, qui sub huius nomine impiè & sceleratè viuunt, & insuper veritatis doctrinam rumpunt, superstitiones inuehunt, quibus rude vulgus, & cũ hoc frequenter nobiles & principes ros à Deo vero abstrahunt, & insuper fortunis suis magna ex parte spoliant: Dei gloria profecto magis vindicari, neq; illi cultus aliquis gratior exhiberi poterit, quàm si isti arguantur, vt suis alijs cauere discãt, qui prius miserè decepti errarunt. Hanc ob causam olim prophetæ cũ impostoribus & falsis sacerdotibus bellũ ἀσπόνδουν & implacabile gesserũt. Ideò Christus quoq; in scribas et sacerdotes tanto impetu passim inuehitur. Et huius exemplũ secuti Apostoli, non eos modò oppugnarunt qui ipsis viuentibus ecclesias sub Dei nomine turbabant, sed ex spiritus reuelatione eos quoq; detexerunt, quos nouissimis temporibus idẽ facturos esse præuidebant. Nemo igitur hoc nobis vitio vertat hodie, quãdo Papas, Episcopos, Monachos & alios huius ordinis impostores accusamus. Exigit publica salus, & Dei gloria, quæ inter homines locum habere nequit, nisi illorum artes & dolus omnibus patefiant. Et qui hos patienter ferre, vel etiam in pretio & honore habere possunt, nec illi Christi amore non magno teneri, neq; de eius gloria multùm solicitos esse, nõ obscurè testantur. Memineritem impostores illi, nunquam passurum Christum, vt filiorum Dei loco habeantur, & suo tempore contra ipsos quoq; patris sui gloriam vindicaturũ esse, quantùmuis nunc sibi placeant, & multorum fauore, authoritate & potentia defendantur. Vide 2. Pet. 2. &c.

Christus hostes iniuriarum accusat. Prou. 10. 1. Pet. 4.

Sequitur secunda responsionis pars, qua illos iniuriarũ accusans, dicit: Vos ignominia afficitis me. Quo loco simplex illa verborum breuitas obseruanda est, qua Christus vtitur. Ea enim dicere leue peccatum esse, hominem innocentem falsis criminibus grauare & ignominia afficere. Itaque in charitatem peccatur, quæ (vt ex Solomone Petrus annotauit) proximi peccata obtegere iubet. tam abest, vt quenquam fictis criminibus infamare cupiat. Quod vtinam diligentius expendere qui ex obtrectationibus & calumnijs voluptatem & laudem vænantur. Ne tamen Christus iniuriacendo ambitiosus putetur & impatiens iniuriarum, mox subijcit: Ego non quæro meam gloriam, qui quærat, & iudicet. Quasi diceret: Parum curo, qualis vobis aut vestri similibus videar, quia mea authoritas neq; ex vestro neq; aliorum arbitrio dependet, sed ex æterno Dei patris consilio. meæ gloriæ æerrimus vindex, eam intercidere nõ patietur, & in eos iusto iudicio animaduertet illam violare ausi fuerint. Vbi rursum Christi exemplo admonemur, eos ferè mũdo exosos esse, publica infamia notari, qui Dei gloriã ex animo quærunt. Ego (inquit Christus) honoro patrem meum & vos ignominia me afficitis. Quod si hoc illi contigit, quid de nobis speremus, qui etsi nullis in bus obnoxij simus, multis tamen alijs rationib hominũ odia in nos possumus prouocare? At si aliud accedat, solum gloriæ Dei studiũ sufficit, quando mundus hic nihil minus quàm istam ferre test. Quò Paulus respexisse videtur, quãdo ait: Si hominibus placerem, Dei seruus non essem. Quo meritò nobis suspecti esse debent ecclesiarum ministri, quos hominibus vel palàm impijs vel superstitiosis placere, & apud falsos præsules in honore ac pretio esse videmus. Commendantur ferè illi modestia, beneficentia, liberalitate & comitate. At quid horũ Christo defuit? Quis illo modestior? quis erga quosuis benignior & ad beneficentiam propensior? Quia tamen Dei gloriã vnicè quærebat, scribis & pharisæis atq; sacerdotibus probari non potuit, qui qualescunq; fuerint, nostris illis multò meliores fuerunt. Aliud ergo quid isti habeant oportet, quo fauorem hunc mereantur, & vel carnifices sunt, vel turpiter blandiendo puluillos consuunt, quibus patres isti reuerendissimi suauiter innitantur, qui sub religionis prætextu medium Deo vnguem ostendunt.

Quid faciendũ quando nos mũdus ignominia afficit.

Docet autem simul exemplo suo Christus, quid nos facere conueniat, quando propter pietatem gloriæ Dei studium nos mundus contumelijs & iniurijs afficit. Licet quidem impijs Dei iudicia minitari, ne se extra omnem culpam esse arbitrentur. Interim patienter feramus quod mandat quic: & rem omnem Deo committamus, qui cùm iustus iudex sit, suorum causam non potest gere: sed suo tempore & hostium insolentiam dignis pœnis coercet, & suos præmijs atq; honoribus munerat nunquam perituris. Ejus enim promissio est: Honorantes me honorabo. 1. Sam. 2. Et infinitis exemplis confirmatam esse scimus: inter quæ cumprimis memorabilia sunt, quæ de Dauide, Daniele eiusq; socijs, Hester a & Mardochæo, Nehemia & similibus in sacra historia

ponuntur. Quibus Constantinum, Iouinianum & Valentinianum addere licet, qui cùm ob fidem Christianam & veri Dei cultũ tyrannis exosi essent, tandem ad Imperatoriæ maiestatis fastigium ascenderunt. Et huius generis multa in omnibus propè nationibus nostro seculo vidimus. Neq; nos eorum exempla terreant, qui diram & infamem mortem pro Christi gloria obierunt olim, & hodie obire coguntur. Nam horum quoq; memoriam Deus apud posteros honorificã conseruat, & eosdem immortalis gloriæ in cœlis hæredes facit. Discant ergo singuli, Dei gloriam summo studio sectari, in mundo ignominiam & crucem patienter ferre, neq; diffidere Deo, qui coronam iustitiæ omnibus præparauit, qui illustrem aduentum filij sui Iesu Christi diligunt: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.

HOMILIA LXXXII.

Amen amen dico uobis, si quis sermonẽ meum seruauerit, mortem non uidebit in æternum. Dixerunt ergo ei Iudæi: Nunc cognouimus quòd dæmonium habes. Abrahã mortuus est & prophetæ: & tu dicis, Si quis sermonẽ meum seruauerit, non gustabit mortem in æternum? Num tu maior es patre illo nostro Abrahamo, qui mortuus est? & prophetæ mortui sunt. Quem te ipsum facis?

QVàmuis Dominus noster Iesus Christus atrocibus conuitijs à Iudæis lacessitus sit, quando illum Samaritanum, id est apostatam à fide & populi Dei hostem esse, imò dæmoniũ habere dixerunt, nulla tamen in eos conuitia ille regerit, neq; durius & pro meritis ipsorũ eos increpat: sed causam suam sic agit, vt illum de ipsorum salute potius, quam priuata gloria solicitum fuisse appareat. Vidimus hoc nuper in duabus suæ responsionis partibus, quibus suam innocentiam argumento infallibili tuetur, & simul Deum vindicẽ illis ob oculos statuit, vt diuini iudicij consideratione territi de pœnitentia cogitent, & non negligant oblatam sibi salutis occasionem. Euidentius tamen suæ benignitatis argumentum tertia huius responsionis parte proponitur, quam modò audiemus. Quia enim in tota auditorum turba aliqui (vt supra vidimus) iam crediderant, aliqui verò non ab omni pietatis sensu alieni, ad fidem aliquando poterant adduci, redit tandem ad doctrinã, vnde illum digredi coegerant aduersarij, & totam veræ fidei atq; salutis humanæ rationem, amplissima & consolationis plena promissione confirmatam proponit: nec quò minus id faciat, aduersariorum improbitate absterretur, quos inde nouam calumniandi occasionem arrepturos esse sciebat. Vt autẽ cõmune omnibus suæ doctrinæ professoribus Christianæ mansuetudinis exemplũ proponit: ita ecclesiarum & verbi ministris regulam tradit, quam inter docendum sequantur. Quia enim rete illud euangeli cum omnis generis pisces tam bonos quàm malos attrahit, & ideo in externa ecclesiæ societate boni, mali, multi item medij reperiuntur: ea doctrinæ moderatione ministros vti conuenit, vt mali quidẽ arguantur, interim verò non fraudentur institutione & consolatione, qui vel iam verè pij sunt, vel diligenti cura & studio lucrifieri possunt. Obseruarunt hanc rationẽ olim prophetæ diligenter, vt in illorum sermonibus est videre: & horum exemplum, vel Christi potius, apostolos quoq; secutos esse, paucæ illæ conciones testantur, quas in Actis Lucas descripsit. Non leuis ergo illorum error est, qui vel gratiæ solius prædicatione impios magis indurant, & euangelium illis deridendũ propinãt: vel assiduis comminationibus & horribili iudiciorum Dei denuntiatione afflictas piorum conscientias in desperationis præcipitium adducunt.

Caterum audiamus Christum loquentem: Amen amen dico vobis, si quis sermonem meum seruauerit, mortem non videbit in æternum. Est autem verborum istorum vsus duplex. Primò ad eorum confirmationem faciunt, quæ antea dixit. Docent enim, nihil sibi cum diabolo cõmercij esse posse, cùm eius doctrinæ author & præco sit, quæ vitam æternam propinat, & morte liberat, cùm longè aliud sit diaboli studiũ, qui hoc vnum quærit, vt tam corpore quàm anima perdat homines, & ideo homicida & leo rugiens dicitur. Deinde totum salutis nostræ negotium hæc verba comprehendunt, & grauem habent exhortationẽ, vt qui verbum salutis semel amplexi sunt, illud constanter seruẽt,

Summa doctrinæ Christi de salute.

neq; se ab illo dimoueri patiantur. Est itaq; sententia hæc vna ex nobilissimis totius scripturæ, quæ omnibus notissimas esse, & in frequenti omnium meditatione versari oportet. Ideò cum grauis asseueratione illam proponit. Nam qui ipsissima est veritas, & cuius verbis simpliciter credere non licet, iusiurandum quasi interponit, quando ait: Amen amen dico vobis. Quod vnum nos ad huius dicti diligentem considerationẽ excitare debet. Cùm enim iurandi leuitatẽ ipse prohibeat, & ab omni leuitate semper alienissimus fuerit, magnũ & graue quid sit oportet, cuius causa iurare dignatur. Vt verò hoc propter nos facit, & hoc facto ardens nostræ salutis studium testatur: ita nos deprehensi impietatis & contumaciæ conuincimur, si iurante illo vel non credamus eius dictis, vel eadẽ ociositer negligamus. Deinde ad huius dicti commendationem istud etiam facit, quòd non temerè illi nec re natum est, sed pronuntiatum in graui disputatione, quæ illi cum astutissimis & acerrimis hostibus intercessit, quos vndiq; calumniandi occasionem captare sciebat. Nihil ergo hic superuacaneum aut temerarium dicere voluit. Adhæc vniuersaliter loquitur, nec aliquem mortalium, cuiuscunq; loci aut ordinis, excludit. Ad omnes ergo ista doctrina & promissio pertinet, imò omnibus obseruatu necessaria est, cùm salutis viam vnicam esse constet, quam omnes ingredi debẽt, quicunq; ad illa peruenire cupiunt. Vt ergo rectius intelligamus quod dicitur, singulas huius sentẽtiæ partes videamus.

Sermo Christi quis?

Occurrit hic primùm, quis ille sermo Christi sit, quem tantopere nobis commendat. Is nimirum cuius doctorem & præconem Deus pater esse voluit. Est autẽ is euangelij sermo, quo docetur, Iesum hunc esse Christum seu Messiam, id est, promissum humani generis redemptorem, Sacerdotem regem nostrum, qui destructo diaboli regno, miseros nos ex eius tyrannide vindicarit, & sublata peccati noxa nos cum Deo patre reconciliauerit, vt pro filijs & hæredibus agnoscat eos, qui prius ab eo alienati erant. Hic (inquam) sermo ille est, quem Christus prædicare debuit, sicuti apud Isaiam testatur his verbis: Spiritus Domini Dei super me est, eò quòd vnxit me Dominus, & misit me, vt læta nunciem mansuetis, vt obligem vulnera corde cõtritorum, vt proclamem captiuis libertatem, vinctis apertionem, & cæcis visum, vt proclamẽ annum beneplaciti Domini, &c. Et apud Lucam Capernaitis ipsum apud se retinere volentibus respondet: Certè etiã alijs vrbibus oportet me euangelizare regnũ Dei: nam in hoc missus sum. Debet igitur locus hic de euangelij verbo intelligi, quod vniuersa salutis ratio in vno Iesu Christo monstratur, & damnantur, qui illud amplecti nolunt: quia de hoc agit Christus, non obscurè docet nullam aliam salutis doctrinam extare, quàm quæ euangelio per ipsum prædicato continetur. Conueniunt cum his, quæ Marci vltimo dicuntur. Ite in mundum vniuersum, prædicate euangelium omni creaturæ: Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit. Quod cùm de nullo alio doctrinæ genere dicatur, constat impostores esse nequissimos, qui aliam salutis rationẽ monstrant, quàm quæ per euangelium in vno Iesu Christo monstratur. Rectè igitur Paulus dicebat: Etiã si nos aut Angelus è cælo euangelizet vobis præter id quod euangelizauimus vobis, anathema sit, &c. Gal. 1. Sunt hæc obseruanda aduersus eos, qui in Philosophorũ & Scholarum scriptis salutem quærunt, aut Concilia & patres nobis obtrudunt. Solus Christus verba vitæ æternæ habet, vt Petrus verè confessus est. Hunc ergo solum audiant, quicunq; seruari volunt.

Sermo Christi seruari debet.

Deinde quid fieri velit Christus, videamus. Si quis seruat (inquit) sermonem meum. Non dicit: Si quis audit, legit, scribit, canit, murmurat, aut descriptum in libris eleganter exornatis circumgestat. Nam etsi euangelium audire & legere pietatis verè officia & nobis præstitu necessaria sunt, tamen ad salutem non sufficiunt, quando hæc etiam hypocritæ & interdum impij omnia diuinorum aut sacrorũ contemptores faciunt. Itaque vt sermonẽ suum seruemus monet Dominus, quo & propera hæc omnia nobis cõmendat, & simul de ijs nos edocet, sine quibus ista nihil prosunt. Nam vt seruemus illius sermonẽ, necesse fuerit eum prius audire vel legere, vt intra animos nostros recipiamus. Id verò sine fide fieri non potest, quæ sola Dei verbo in animis locum parat, & vero illius studiosos accendit. Vbi autem seruatur verbum hoc, ibi non otiosum delitescit, sed quia viuum est & efficax, fructum fert, ex quo agnoscatur, dum hominem totum immutat, in; suam quasi naturam conuertit. Ita mysterium hoc ipse Christus Luc. 8. in seminatoris & seminis parabola exponit. Quod in bonam terram cecidit semen, ij sunt, qui in corde honesto & bono auditum sermonem retinent, & fructum afferunt per patientiam. Vbi verbum quidem audiri vult, sed ad illud audiendum cor afferre iubet honestum & bonum, id est, cupidum discendi & ad pietatem propensum. Deinde

timendũ esse monet, ne vel obrepentes nobis praui affectus aut impiorum illusorum sermones semen illud auferant, vel spinæ huius seculi illud suffocẽt, vel in animis præcocibus & nõ serio pietatis sensu affectis intermoriatur. Præterea patientia opus esse ait, qua desideriorum carnalium æstus & vndiq; minantia nobis persecutionum pericula vincamus. Et ita fore dicit, vt fructum in nobis ferat, dum ex hoc semine renati, ipsi vni fidimus, & fide hac animati sanctè & inculpatè viuimus, cœlestia sectamur, charitati studemus, sic deniq; omnia nostra instituimus, vt in nobis Deus pater glorificetur. Hæc igitur omnia Christus seruandi verbo comprehendit. Vnde colligimus, euangelium nihil prodesse hypocritis iustitiarijs, qui etsi aliquas eius partes, vel etiam totum audiant, non tamen illi credunt, sed salutis fiduciam in suis figmentis & suorum operum meritis collocatã habent. Sed nec illi ex eo salutis fructum percipiunt, qui eius præcepta scurriliter contemnunt, & pœnitere nescij in sceleribus suis contumaciter pergunt. Multò minus salutis in Christo cõsortes erunt, qui se publicos euangelij eius hostes præbent. Si enim ad eos ista promissio restringitur, qui euangelium seruant, quo modo illius capaces esse poterunt, qui illud ne admittere quidem dignantur?

Sermonis Christi fructus.

Tertiò huius studij effectum siue fructum eximium pollicetur, dicens: Mortem non videbit in æternum, id est, non morietur vnquam, sed (vt aliàs loquitur) vitam habet æternam. Voluit autem in præsenti mortis mentionẽ facere, vt periculi metum excutiat, qui ferè salutis dubios & incertos reddit. Est autem duplex mortis genus. Alterum corporis solius, quam animæ & corporis separationem dicunt. Alterum totius hominis quoad corpus & animam: non quòd ista aboleantur, sed quòd à vitæ beatæ cõsortio exclusæ æternis cruciatibus puniũtur. De hac morte in præsenti loquitur Christus, & huius immunes planè fore promittit eos, qui sermonẽ eius seruauerint. Ratio huius promissionis est, quòd fides in Christum à peccatis liberat, vel iustificat, vt apostoli loquuntur. At quia aculeus mortis peccatum est, vtiq; hoc sublato, illa nos amplius letaliter vulnerare non potest. Quoad enim corporis mortem, ea quidem nobis subeunda est, vt corruptæ carnis molem exuamus: eadem verò Christi beneficio non amplius peccati pœna, sed ex hac vita misera & lachrymarum valle in patriam cœlestem transitus est, in quam animæ mox recipiuntur, quàm primùm in vera fide hinc migrauerint. Corpus verò non tam moritur quam obdormit, vt olim in magno illo die Domini immortale & incorruptibile atq; æternæ cœlestisq; gloriæ capax resurgat. Nihil ergo maius & salutarius polliceri poterat Christus, quàm quòd mortem nõ visuros dicit, qui sermonẽ ipsius seruauerint. Hæc enim promissio mortis considerationẽ nobis iucundissimam reddit, quam vt necessariò omnes subire cogimur, ita eam caro miserè metuit, adeò vt eius metus ipsa morte ferè grauior sit & miserior. Fortes ergo nos reddit & intrepidos ista promissio aduersus omnes tyrannorũ & persecutorum minas, qui vt animi sui libidinem in nobis excruciandis expleant, nihil aliud tamen quàm in corpus furere possunt, à salute verò æterna adeò non excludere possunt, vt huius potius nos cõsortes reddant, dum vitam hanc miseram cum æterna & cœlesti commutare cogunt. Eadem quoq; in morbis, egestate, fame, exilio & quouis alio afflictionum genere efficacissimè consolatur. Cur enim ista nobis intolerabilia videantur, qui remunerationem tam liberalem & cum sempiterna fœlicitate coniunctã in Christo iam præparatã esse scimus? Horum cognitio certè Martyres olim mouit, vt quæuis supplicia pati eius subire, quàm à Christo & euangelio eius deficere voluerint. Quorum exempla nos imitari conuenit, ne dum vitæ huic mox perituræ parcimus, æternæ faciamus iacturam. Vbi multùm proderit iugis & assidua huius sentẽtiæ meditatio. Quisquis enim eã animo suo verè perceperit, næ ille thesaurum inuenit longè pretiosissimum, seq; aduersus omnem fortunã instructũ & armatũ esse experietur. Et est hoc præclarum bonitatis Christi argumentũ, quòd de tantis mysterijs concionari & se Messiam verum manifestare dignatus est inter eos, quos in eius mortem animis infensissimis coniurauisse non ignorabat. Vitur eadem etiam hodie, quò magis nos aduigilare decet, ne illam contemnendo nobis ipsis perditionis authores simus. Potest enim conuerti hæc Christi sententia, neq; minus vera erit, si ita pronuntietur: Amen amen dico vobis, quisquis non seruauerit meum sermonem, vitã non videbit in æternũ. Et de hoc ipse nos admonet Marci vlt. dicẽs: Qui non crediderit, cõdemnabitur.

Iudei uerba Christi detorquent.

Sed Iudæos audiamus, in quorum responsione rursum apparebit, quæ doctrinæ huius fors sit inter homines carni & mundo deditos. Debebãt sanè vel diuini iudicij denuntiatione commoueri, cùm in omnibus eius factis virtutem diuinã elucere viderent, aut præmij amplissimi & salutis promissæ quent.

spe excitari, vt quod ab illo dicebatur diligentius expenderent. Sed nulla horum omniũ ratione l-
bita, eius verba scurriliter detorquent, & hoc vnum quærunt, vt & mendacij suspectũ & vulgo
uisum reddant. Est hoc proprium reprobis, quòd neq; minis terrentur, neq; promissis trahuntur. C-
ius contumaciæ causa est, quòd lusum iocumq; putant, quicquid in scripturis de Deo scelerum vl-
re & de futuræ vitæ præmijs aut pœnis dicitur. Et sanè singula istorum verba impudentem cont-
maciam declarant. Primò enim aiunt: Nunc cognouimus, id est, certo & infallibili indicio tam co-
pertum habemus, quòd dæmoniũ habes. Repetunt ergo crimen, quod ille rationibus grauissimis
futauerat, & in eo impiorum mores egregiè referunt, qui Dei verbis adeò non mouentur, vt ex il-
nouas calumniandi aut conuitiandi occasiones arripiant. Quid, quòd seipsos accusant hæc dicen-
Si enim nunc demum cognouerunt Christum dæmonio vti, cur illud prius tam audacter de illo a-
marunt? Sic suo indicio sese produnt hypocritæ, dum sanctissimi & innocentissimi haberi volunt.
quo argumento hoc nunc cognouerũt, quod tam constanter asserunt? Abraham (inquiunt) mortu-
est, & prophetæ: & tu dicis, Si quis sermonem meum seruauerit, non gustabit mortem in æter-
Argumentũ tale est: Quisquis seipsum Abrahamo & prophetis præstantiorem facit, dæmonium
bet: quia sine diaboli suggestione tanta insolentia in hominis mentem cadere non posset. Tu v-
Abrahamo & prophetis omnibus longè præfers. Ergo dæmoniũ habes, ex cuius instinctu hæc
& loqueris. Minorem eo probant, quòd non morituros dicat eos, qui eius sermonẽ seruauerint
Abrahamum & prophetas mortuos esse omnes sciant, quàmuis electa gratiæ & gloriæ Dei v-
fuerint. Vtq; crimen hoc magis amplificent, nõ sine indignatione addunt: Num tu maior es pa-
lo nostro Abrahamo, qui mortuus est? & prophetæ mortui sunt. Quem te ipsum facis? Quid
rent: quæ hæc tua est insolentia, vt non contentus nos contempsisse, simul etiam sanctissimum
nostræ progenitorem & Dei interpretes, prophetas, contumelia ista afficias? Erant ista hau-
dura auditu rudi vulgo, qui omnem gentis suæ gloriã ex patribus pendere arbitrabantur. Ar-
ba ista diligẽtius excutias, illos multiuariam errauisse patebit. Primò in maiori falluntur, q-
in genere pronunciant, eos dæmonio duci & regi, qui Abrahamo & prophetis præstantiores
lint. Nam etsi illi omnes eximij Dei serui fuerint, non tamen illis certò constabat, neminẽ
his præstantiorem fore. Imò extabant prophetiæ de Messia & eius regno, cuius ciuibus vberr-
tò spiritus sancti gratia promittebatur, quàm veteris testamenti hominibus obtigerit. Nimi
imprudenter istud pro confesso statuunt, cùm in Christo & discipulis ipsius quotidie multa
quibus illi Abrahamum & prophetas longè superabant. Secundò dum Abrahamum & proph
inconsideratè nimis Christo præferunt, non in hunc modò, sed in illos etiam cõtumeliosi sunt. E
enim nomine & authoritate aduersus eum abutuntur, in quo vno illi omnem salutis spem
runt, vt paulò post de Abrahamo Christus testabitur. Præterea turpis impudentia est, quòd
hamum & prophetas in disputationis theatrum producere audent, cùm hos quidem à patrij
crudeliter & iniustè occisos esse scirent, ab illius autem ingenio & moribus se turpiter degene
paulò ante audiuissent, neq; illud negare possent. Accedit his manifesta calumnia. Quod enim C
stus de vita & morte æterna dixerat, illi violenter de vita huius seculi & morte corporis exp
quasi hanc euasuros dixerit eos, qui sermonem eius seruant. Et eò vsq; abripiuntur calumnia
dio, vt absq; vllo discrimine Abrahamũ & prophetas mortuos dicant, quos tamẽ quoad anim
uere, nõ debebant ignorare, cùm scriptura illos obdormiuisse & ad patres suos collectos esse dicat,
frequenter occurrat locutio, qua Deus se Abrahami, Isaaci & Iacobi Deum esse profitetur, &
Christus animarum immortalitatem simul atq; corporum resurrectionem aduersus Sadducæ
tissimè asserit. Iniquitatis verò manifestæ argumentum est, quòd arrogantis ambitionis
insimulant, in quo extremæ humilitatis exemplum relucebat: & hoc quidem ipsi facient
rum doctrina, mores, habitus nihil aliud quàm honoris & gloriæ cupiditatem spirabant, q
& prophetis omnibus sese palàm præferebant, cùm doctrinam verbi Dei ab illis traditam
mutarent, partim abolerent, & eum hostiliter persequerentur, cui omnes isti consensu
monium tulerant. Hæc (inquam) & alia multa huius generis latent sub istorũ verbis, quibus C

Iudæorum error multiplex.

Vt nostri aduersarij Iudæos imitentur.

Vt nostri aduersarij obruere voluerunt.

Exprimuntur in his euidentissimè eorum mores, qui hodie Christi doctrinã oppugnant. N-

g i

& hi mox dæmoniacos dicere solent omnes eos, quos superstitionibus, quibus assueuerunt, aduersari vident: & ne causam priuatam agere videantur, patres adducunt, quasi nefas sit aliquid vel cogitare quod sanctius & perfectius ea religione putetur esse, quam illi secuti sunt. Neq; hoc contenti, insuper sanctos cœlites adducunt, & sub horum nomine Christi gloriam atque meritum obscurant, dũ illorum satisfactionibus & meritis fidendum esse clamant, & eos nobis corã Deo Mediatores & intercessores fingunt. Est hæc horribilis confusio totius salutis nostræ, neque alia Diuis cõtumelia siue iniuria maior fieri poterat, quàm quòd illorũ nomine homines superstitiosi abutuntur, vt suũ Christo honorem derogent, pro quo illi sanguinem & vitam suam profuderunt. Neq; pudet istos sanctorum nominibus itidem gloriari, cùm interea fidem & doctrinam eorum hæresim dicant, & huius sectatores ferro atque igne persequantur. Prætereà cùm sanctissimi videri velint, Dei verba scurriliter rident & in sensus alienos violenter detorquent. Et vt isti Abrahamum atq; prophetas omnes mortuos esse clamant, neque aliam vitam norunt, quàm quæ hic in carne viuitur: Ita hodie inter istos voces Epicureæ & Sardanapalicæ audiuntur, quibus animarum immortalitas & corporũ resurrectio in dubium vocatur.

Denique nobis intentant crimina, quæ in neminem verius quàm in ipsos competũt, dum nos sanctorum hostes, ecclesiæ turbatores, sectarios, seditiosos & bonorum operum inimicos esse vociferãtur: cum ipsi interea sanctorum libros exurant, ecclesiam hostiliter euertant, sectas quotidie nouas inuehant, disciplinam omnem reijciant, & in ipsos Reges atq; Imperatores omne sibi ius atq; imperium vendicent. Hìc nos eorum meminisse decet, quæ Christo acciderũt, quò minus offendamur, quasi hoc quid nouum sit & insolens. Feramus autẽ patienter omnia, neq; à doctrina Christi Iesu nos abduci patiamur, vt olim cum illo in cœlis viuere & regnare liceat: Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

HOMILIA LXXXIII.

Respondit Iesus: Si ego glorifico meipsum, gloria mea nihil est. Pater ille meus is est, qui glorificat me: quem uos dicitis Deum uestrum esse, & non nouistis eum. Ego autem noui eum: & si dixero, quòd non nouerim eum, ero similis uestri, mendax: sed noui eum, & sermonẽ eius seruo.

Postquam seruator noster, Iesus Christus, aduersarijs suis, qui ipsum Samaritanum esse & malo dæmonio duci dixerant, grauiter respondit, & intentata sibi crimina rationibus firmissimis confutauit, postrema suæ responsionis parte ad eos redit, qui iam aliqua veræ fidei principia habebant, vt eos amplius confirmet, doctrinæ suæ summam & omnem nostræ salutis rationem paucis & dilucidè comprehensam proponit, docens, eos demum ex morte liberatũ iri vt æternùm viuant, qui sermonem eius seruauerint. Quod autem ille ad suorum confirmationem, adeoq; communem omnium institutionem dixit, hoc ita accipiunt aduersarij, vt ex eo nouam calumniandi occasionẽ vænentur. Iam enim reuera constare aiunt, quòd & Samaritanus sit, & maligno diaboli spiritu agatur, quando eò insolentiæ progredi audeat, vt seipsum Abrahamo, sanctissimo gentis ipsorum progenitori, & prophetis simul omnibus longè præferat, quos mortem iam olim obijsse constet, ipse autem suum sermonem seruantibus vitam æternam polliceatur. Ita verò suam improbitatem produnt, quando eius verba improbè inuertunt, & eum ambitionis accusant, in cuius vita & actionibus omnibus extremæ humilitatis exemplum apparebat. Describuntur autem hæc, quò minus offendamur, si quid huius nobis etiam accidit: respiciamus autem in Christi exemplum, quo abunde docemur, quid nos tunc facere conueniat. Et huc imprimis pertinet locus hic, quem modò recitauimus. Respondet enim Dominus tam impudenti calumniæ: & primo quidem excusat ambitionis crimen, quo ipsum grauabant. Deinde hoc ipsum in illos regerit, simulq; alienos esse docet à vera Dei cognitione, qua insolentissimè gloriabantur. Tertiò rationem reddit suæ gloriationis, quam in Deo patre suo habebat. Postremò Abrahamum rursus in medium adducit, vt & huius degeneres filios esse ostendat, & se illo præstantiorem esse euincat, adeoq; totam fidei & doctrinæ suæ causam nouitatis suspicione liberet.

Ambitionis crimen excusat.

Quoad primum, sic ait: Si ego glorifico meipsum, gloria mea nihil est: Pater ille meus is est qui glorificat me. Sensus est, se alienum esse ab inanis gloriæ cupiditate, neq; ex eorum numero esse qui illam priuato studio aut medijs illicitis quærãt. Id verò duobus argumentis probat. Primũ est quòd se probè nouisse ait, gloriam suam omnino nullam fore, si ipse eam hoc modo venaretur. Argumentum est eiusmodi: Qui se nihil profecturos, sed ex labore suo damnum siue ignominiam relaturos esse sciunt, libenter ab eo abstinent: Ego autem noui me gloriam propriam non alia re magis impedire posse, quàm si ad eam vijs illicitis aspirem. Nemo igitur me tam insipientem putet vt meipsum labore inani & noxio excruciare velim. In præsenti Minoris modò meminit, cuius ratio in eo fundatur, quòd ex æterno patris decreto Dei filius in carne humiliari, & per crucis ignominiam ad gloriæ suæ fastigium ascendere debuit. Sic enim in Psalmo 110. prædictum fuit: De torrente in via bibet, & propterea caput attollet. Et Paulus hoc mysterium exponens ait: Christus cùm esset in forma Dei, non duxit rapinam parem esse cum Deo. Sed ipse se exinaniuit forma serui sumpta similis hominibus factus, & habitu compertus vt homo, ipse se submisit, factus obediẽs vsq; ad mortem, mortem autem crucis. Quapropter etiam Deus ipsum in summam extulit sublimitatẽ, ac donauit ei nomen, quod est supra omne nomen: vt ad nomen Iesu omne genu se flectat, &c. Huius mysterij se non ignarum esse testatur hoc loco, & proinde libenter abstinere ab ambitiosis artibus, quibus mundo addicti gloriam huius seculi ambire solent. Deinde non necessariũ esse docet, vt tale quid faciat, eò quòd Pater ipsum glorificet. Quod argumentum sic formari potest: Quicunq; Deum habent suæ gloriæ vindicem, ijs non opus est pro ea ambitiosius cõtendere: Ego verò Patrem Deum habeo, qui nihil eorum intermittit, quæ ad mei nominis glorificationem faciunt. Cur ergo meipsum studio inani & superuacaneo excruciem? Probatur Minor innumeris testimonijs, quæ Deus iam inde ab exordio mundi Filio suo in carne manifestando perhibuit. Huic enim humanæ redemptionis atq; salutis gloriã tribuit, quando primis parentib. dicebat: Semen mulieris cõculcabit caput sepentis. Quod dicũ pertinẽt promissiones Abrahamo & reliquis patribus datæ de semine, in quo omnes gentes benedicti atque seruari oporteat. Glorificauit eundẽ postea cultu Leuitico, qui vt splendidissimus fuit, ita typos habuit Christi, in quo externa hæc omnia suum complementum habere debuerunt. Accessit vero ad cumulum gloriæ istius, quòd cùm ista omnia iam tradidisset Moses, tãdem magnum illum Prophetam Israelitis commendat (quem Christum esse D. Stephanus & Petrus testantur) & dũ huic audire iubet, non obscurè innuit, sacra hæc quantumuis splendida, nihil esse si cum Christo conferantur, adeoq; sine hoc nullum prorsus illorum vsum esse. Adde his prophetarum oracula, quæ plurima & gloriosissima de Christo & regno eius testimonia continent. Quid? omnes certè, qui in veteri testamento veræ pietatis nomine commendantur, vel propter fidem in Christum promissum seruatorem vel in illa fide mortui sunt. Quòd si ad tempus incarnationis eius descendamus, luculentiora multa gloriæ Christi indicia sese exerunt. Quis enim eum omnibus regibus gloriosiorem esse neget, cuius conceptionem Archangelus Gabriel annunciauit, cuius natiuitatem angelorum chori hymnis celebrarunt, cuius stella ex Oriente extremo Magos adduxit, de quo deniq; recẽs nato sanctissimus Simeon non sine omnium admiratione publicè testatus est? Quibus omnibus si Ioannem Baptistam addas, non parum ad Christi gloriam accedere videbis, quòd præcursorem habuit, cuius natiuitas miraculis illustrata fuit, & qui iam inde à puero peculiarem sanctimoniæ existimationem apud omnes Iudæos sustinuit. Nec tamen his omnibus contentus Pater, insuper è cælo vocem illam maiestatis & consolationis dulcissimæ plenã detonuit: Hic est filius ille meus dilectus, in quo placatus sum: Hunc audite. Et ne in verbis nudis gloria hæc consistere videretur, accesserunt his opera miraculosa, quæ illum in morbos, ventos, vndas & malos spiritus imperium habere docuerunt. At mortem (inquit) sustinuit ignominiosam & diram. Fateor. Sed quàm præclara diuinæ maiestatis argumenta in eius morte eluxerunt, quando terra tremuit, petræ scissæ sunt, Sol splendoris sui radios contraxit, & illo ipso momento diuinitus tacti eum Dei filium esse dixerũt, qui ipsum paulò ante in crucem egerant. Neq; in istis adhuc glorificandi filij finem fecit pater: sed resurrectio secuta est, quæ Dei filium esse luculentissimè declarauit. Excepit hanc Ascensio in cœlos, quæ triumphi instar illũ peccati, mortis, diaboli & inferorum victorem esse testabatur. Huic mox successit missio Spiritus sancti, quo illum nati apostoli, regnum eius breuissimo temporis spacio per totum orbem propagarunt. Verè ergo hic ab illo

Pater filium glorificat.

ab illo dicitur, Pater ille meus is est, qui me glorificat. Nobis verò istorum omnium hic finis & vsus esse debet, vt ipsum agnoscamus verum esse Dei filium & promissum humani generis redemptorẽ: simulq; certò nobis persuasum sit, neminì impunè fore, vt eum contemnat, aut eius gloriam oppressam velit. Nam qui hoc faciunt, Dei hostes sunt, & æterno eius decreto reluctantur, & ita sibijpsis malum accersunt. Exempla passim occurrunt in Imperatorum & hæreticorum historijs, qui omnes miserè perierunt, dum Christum vel ex regno suo violenter deturbare, vel eius gloriam falsis atq; perniciosis dogmatibus obscurare conati sunt. Et qui hodie istud faciunt, ferè sibijpsis interitus & sempiternæ ignominiæ sunt authores. Quò magis admiranda est mundi vecordia, qui cùm eius generis exempla quotidie cernat, cum Christo tamen pugnare non desinit. Et hæc quidem in Christi verba, quoad præsentis loci statum, dicta sint.

Quoad autem exemplum, admonemur primùm, omnes eos in vanum laborare, qui ambitione exagitati gloriam huius seculi venantur. Nam hoc quoque Dei decretum est, quod per filium nobis innotescere voluit: Omnis qui se extollit, humiliabitur: qui autem se humiliauerit, exaltabitur. Luc. 14. Et si ipse Dei filius in carne manifestatus, inanem operã sumpsisset, si præter æternum patris decretum aliquid egisset ex priuato carnis affectu: quid obsecro de nobis dicemus aut sperabimus, qui vt ex nobisipsis nihil possumus, ita ferè circa res inanes occupamur, in quibus gloria solida & perpetua inueniri minimè potest? Sunt inter has præcipua, opes, publici honores, victoriæ contra hostes, regna & imperia longè lateque extensa. Quid verò in his omnibus perpetuum & stabile? Incerta est opum possessio, & mille modi sunt, quibus ad extremam egestatem rediguntur, qui paulò ante alteri Midæ aut Cræsi poterant videri. Publici autem honores vel à principum fauore pendent, quo nihil incertius aut mutabilius est, vel à iudicio vulgi, quam multorum capitum bestiam nonnulli rectè dixerunt, & in eo tot ferè sententiæ sunt quot capita. In historijs certè passim exempla occurrunt eorum, qui vel mutato principum fauore ex summæ dignitatis gradu præter omnem expectationem subitò deturbati sunt, vel vulgi furentis impetu oppressi, vitam vnà cum fortunis omnibus amiserunt. Quoad victorias, dubiam esse belli fortunam veteres dixerunt, & reipsa probatur Homeri sententia, qui Martem ἀλλοπρόσαλλον vocauit, quòd modò in hanc modò in illam partem inclinet. Quin plerunque fieri solet, vt à nullius nominis hominibus occidantur, qui belli fulmina sunt, & subitò vitæ simul & victoriarum finem attingant: vel infamia publica notentur proditorum instar, quorum fides & fortitudo prius in multis periculis spectata fuit. Experti sunt hoc olim multi inter Græcos & Latinos, & imprimis memorabilia sunt, quæ de Narsete & Belisario scribuntur: ex quibus ille quidem post multa præclarè gesta ex mulieris petulantis consilio ignominiosè ex prouincia sua reuocatus, hic verò exoculatus & fortunis omnibus exutus stipem mendicare coactus est. Quòd si regna huius mundi spectemus, hæc quoque suas habent vices, & vbi curam suum absoluerunt, ex improuiso ruunt, licet aduersus omnem euentum optimè instructa esse videantur. Neque hic exemplis veteribus opus est, vbi res ipsa quotidie loquitur. Verè ergo omnem operam perdunt, quicunque gloriæ studio abrepti, vel opes accumulant, vel ad publicos honores contendunt, vel bellis seipsos exercent, aut etiam regna maxima conquirunt. Quid? quòd frequenter propriæ infamiæ sibi authores sunt, & perpetua suæ auaritiæ, tyrannidis, libidinis aliorumque scelerum monumenta posteris se relinquunt, qui in istis studijs gloriam immortalem quærunt. Itaque stultissimi sunt mortalium, qui huius seculi honores tantis curis & laboribus affectant. Et proximi illis sunt, qui gloriam eiusmodi alijs inuident, & seipsos odio crudeli excruciant, dum eos cupiunt nominis splendore spoliare, qui fortassis sua sponte ad infamiam contendunt. Ambitiosi frustra suam gloriam quærunt.

Ducit præterea Christi exemplum, quid in hac causa Christianos facere conueniat. Primùm in vnius Dei gratia per Christum Iesum glorientur, qui ex filijs iræ filios gratiæ fecit, & cœlestis gloriæ consortes. Deinde etsi huius seculi gloriam non affectare debent, oblatam tamen à Deo & ex officio ad se pertinentem recipiant. Nec enim eorum sententia probanda est, qui neminem putant Christiano nomine dignum esse, nisi qui omnem vitam inglorius, vel etiam publica infamia notatus, transigit. Sed vt pio licet magistratum gerere, & munus aliquod publicum administrare: ita huic coniunctum honorem & gloriam recipere licet, & vt hoc faciat res ipsa exigit, vt maior sit authoritas eorum, quæ ex officio sibi imposito facit. Monent hoc Dei præcepta, quæ parentes hono- Vt Christianũ gloriam quærere & illa uti debeant.

rare, coram capite cano assurgere, & nos mutuo honore præuenire iubent. Quæ sanè frustra ciperentur, si illa admittere nefas esset. At tunc curemus anxiè, vt gloria atque auctoritas stra bene vtamur: nimirum ad gloriam Dei & publicam multorum salutem, quæ duo nobis num nostrarum omnium vnicus finis atque scopus esse debent. Quem qui obseruant, eorum perennis erit, quia non à mobilis vulgi fauore pendebit, sed promissione Dei nitetur: Honorantes honorabo. 1. Samuel. 2.

Ambitionis crimen in aduersarios regerit.

Sed audiamus secundum caput responsionis Christi, qui vt certò constet quem nam patrem dicat, addit: Quem vos dicitis Deum vestrum esse, & non nouistis eum. Atqui non alio Deo riabantur Iudæi, quàm vero illo, omnium creatore, & qui cum patribus olim fœdus salutis & quem scripturæ Iehoua vocant, eò quòd ex semetipso existit, & creatis omnibus suum ESSE largitur. Idem ergo ille Domini nostri Iesu Christi pater, & is huius filius est verus ternus: id quod ad eius diuinitatem demonstrandam plurimùm facit. Simul verò (vt initio mus) in aduersarios suos regerit ambitionis crimen, quo ipsum grauare conabantur, quando subdit: Et non nouistis eum. Quasi diceret: Vos quidem omnium sanctissimi & religiosissimi vultis, & vt tales videamini, Deum nunquam non in ore habetis, & non modò populi Dei sed antistitum ecclesiæ nomen vobis vendicatis. At si quis vos propius inspiciat & examinet, hunc ne nouistis quidem. Non itaque ego is sum, qui mihi plus æquo arrogem, sed vos. Ego Deum verè noui & filius eius sum æternus, qui ab eo nũquam diuellor: vos autem ab eius ne & cultu alienissimi estis, & tamen in ecclesia eius primatum affectatis, imò inuitis plerisque falso Dei prætextu in ea dominium exercetis.

Iudæis negatur cognitio Dei.

Est hîc multa obseruatione dignum, quòd eos Dei cognitionem habere negat, qui in toto orbe veri Dei cultum profitebantur. Reliquæ enim gentes omnes Deos plures & falsos lebant, & in densissimis superstitionum absurdissimarum tenebris cæcorum instar errabant. autem Iudæis sese patefecerat Deus, quorum patres fœdere sempiterno sibi adoptarat, quibus suam dederat, inter quos cultus sui sedem constituerat, & ex quibus secundùm carnem nasci bat promissus generis humani redemptor. De hac enim gente olim per Mosem dixit: Vos eritis hi peculium præ omnibus populis: Mea quidem est omnis terra, vos autem eritis mihi regnum cerdotale & gens sancta. Et Amos Cap. 3. Duntaxat vos agnoui ex omnibus cognationibus ræ, Quò & illa Psalmi 76. pertinent: Notus in Iuda Deus, præclarum nomen eius in Israel lem est tabernaculum eius, & mansio eius in Zione. Et Psal. 147: Deus nuntiat verbum Iacobo, & decreta sua Israeli: Non egit ad hunc modum cum vllis gentibus, &c. Est ergo admodũ & quasi paradoxon hoc dictum Christi: Quem vos dicitis Deum vestrum esse, & non stis eum. Sed certa est ei huius dicti ratio. Primò enim, quia ipsum ignorabant, in quo solo Deus nobis manifestat, quique vnicus omnium promissionum, Leuitici cultus & prophetarum rat, veram Dei cognitionem habere non poterant, quàmuis promissiones, legis præcepta & tias secundùm literam nouissent. Deinde prophanus verbi Dei contemptus & contumax entia, qua Dei iram quotidie prouocabant, satis docebat, illos Deum non rectè nouisse, sed ex numero esse quibus olim per Malachiam dixerat: Si ego pater sum, vbi est honor meus? Dominus sum vester, vbi mei timor? Quare nihil prodest externa fidei professio, qua Deum strum esse dicimus, nisi tales simus, vt noster esse possit. Hîc verò certa & vera eius notitia quæ in solo Christo inuenitur, & verbi eius obseruatione sese prodit, vt mox amplius patebit. tantur ergo hîc cum Iudæis Turcæ etiam, qui Deum quidem magnificè iactitant, Christum eius filium agnoscere nolunt, per quem solum nobis ad patrem accessus patet. Sed & Papistæ hic damnat, qui cùm eosdem fidei Christianæ articulos nobiscum profiteantur, Christi tamen tum non agnoscunt, & huius gloriam aliò transferunt. Arguuntur præterea carni & mundo cti, qui quam ore profitentur fidem factis negant. Tit. 1.

Christus Deo patre gloriatur meritò.

Cæterùm ad pleniorem istorum explicationem facit tertium huius responsionis caput, quo nem Christus reddit suæ gloriationis, quam in Deo patre suo habebat. Ait enim: Ego autem & si dixero, quòd non nouerim eum, ero similis vestri, mendax, &c. Quibus verbis non modò

patris cognitionem profitetur, sed etiam docet se, vt hoc faciat, necessitate cogi, nisi ipsorum similis, id est, mendax & diaboli filius esse velit. Vbi obiter discimus, circa professionem cognitionis Dei aut fidei bifariam peccari. Primum ab ijs, qui cùm Deum non norint, eo tamen & fide in ipsum gloriantur. Tales erant Iudæi, quibus cum in præsenti Christus agit: & similes horum sunt, quotquot hodie etiam ore quidem ad eum appropinquant, & labijs ipsum honorant, cùm corde procul ab eo absint. Deinde ij quoque peccant, qui cùm Deum probè norint & æb eo fide donati sint, eam tamen dissimulant, quando ex eius professione aliquid periculi enasci posse vident. Et hoc aliqui ex infirmitate & metu faciunt, vt Petrus: de quibus spes magna est, fore vt animosiores facti à lapsu suo resurgant. Aliqui verò destinata malitia hoc faciunt, qui nimirum ex religione quæstum & honores huius seculi captant, & proinde eam fidem profitentur, quam ijs probari sciunt, quorum amicitiam & fauorem sibi vtilem esse vident. Est hoc ingens scelus & multiplex. Peccant enim in ipsum Deum, & huic officium suum negant, qui ideò se nobis manifestat, vt si quando opus sit, ipsum profiteamur, & nomen eius publicè glorificemus. Deinde veritatem, quantum in ipsis est, tuentur, & sua dissimulatione impijs deridendam atque conculcandam propinant. Adhæc infirmis scandalum dant, & nouo metu eos terrent, quos suo exemplo confirmare debebant. Non ergo simplici mendacio tales peccant, sed reuera diaboli filios sese præbent, cùm turpi sua dissimulatione non modò mentiantur, verumetiam alijs perditionis authores sint. Hæc vtinam obseruent, qui hodie confessionem fidei inter indifferentia numerant, & ex eo præcipuam modestiæ & prudentiæ laudem vænantur, si quidnis simulare aut dissimulare omniumque moribus sese accommodare possint.

Sed audiamus, quo argumento probet Christus, quòd Deum patrem nouerit. Et sermonem eius seruo, inquit. Verum ergo & certum cognitionis Dei argumentum est, Verbi obseruantia, & quæ ex hac emanat obedientia. Quia enim Deus summum atque æternum bonum est, fieri non potest, quin eum amet ex toto corde, quisquis ipsum verè cognoscit. Si enim virtutis eam vim atque gratiam esse dixerunt philosophi, vt sui cognitione quosuis attrahat & ad sui amorem inuitet, quanto magis hoc de Deo omnis virtutis omnisque boni vnico authore & fonte dicendum erit? At dilectionem studium placendi sequitur: quia sic natura comparatum est, vt ijs placere & probari cupiamus, quos diligimus. Hic verò obedientiæ quasi fons est, quando ex communi sensu constat, eos demum placere, qui se alicuius voluntati per omnia accommodant. Itaque quisquis Deum verè nouit, eundem diliget. At qui Deum diligit, eidem placere studebit. Qui verò illi placere cupit, is de eius voluntate diligenter inquiret, & illi obedire volet pro viribus. Sunt hæc ita inter se connexa, vt diuelli nullo modo possint, & argumentis probari possent infinitis, sed his in re omnium euidentissima minimè opus est. Ad hanc ergo regulam singuli seipsos & reliquos omnes examinent. Indignissimè ferunt plerique mortalium, si quis eos Dei cognitione & dilectione vacuos esse dicat. Sed quotus quisque est, qui cum Christo verè dicere possit: Ego noui Deum, nam sermonem eius seruo? Mox enim responderi posset: Si sermonem Dei seruas, cur tam frigidus es in asserenda eius gloria? Cur fidem veram adeo turpiter dissimulas? Cur scortaris, mœcharis, furaris, defraudas, belluaris? Cur Dei nomen deierando & execrando polluis? Hæc si singuli sibijpsis obijciant, mox illos & suijpsorũ pudebit, & nouo pietatis studio sese accendi sentient. At quia hæc meditatio paucorum est hodie, multi verò passim Deum palàm negant, multi ei impudenter mentiuntur, mirum non est, tam multa tamq; horrenda iræ eius indicia apparere. Discamus ergo abiecta impietate & hypocrisi, Deum verè agnoscere, agnitum amare, amorem eius sancto & indefesso obedientiæ studio testari. Ita enim Iesu Christi imitatores erimus; cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

Verum cognitionis Dei argumentum.

HOMILIA LXXXIIII.

Abraham pater uester gestiuit, ut uideret diem meũ: & uidit, & gauisus est. Dixerunt ergo Iudæi ad eum: Quinquaginta annos nondũ

habes, & Abrahamum uidisti? Dixit eis Iesus: Amen amẽ dico uobis, priusquam Abraham fieret, ego sum. Sustulerunt ergo lapides, ut iacerent in eum. Iesus autem occultauit se, & exiuit è templo.

RESpondit Iesus Christus ad Iudæorum calumniam, qui ipsum Samaritanum esse & mal
spiritu agi dixerant, eò quòd suæ doctrinæ sectatoribus vitam æternam pollicendo, seipsum
brahamo & prophetis simul omnibus præferret. Ita verò respondit, vt non modò suam excusa
nocentiam, sed etiam sibi intentatum crimen in illos retorsit, dum ostendit illos sibi arrogare
ter quod non habeant, se verò nihil sibijpsi falsò tribuere, cum verus ille Dei filius sit, qui pat
tus illum verè norit ab æterno, & iam in carne manifestatus eius cognitionem diligenti & non
to obedientiæ studio declaret. Vbi didicimus, quæ vera atque salutaris sit Dei cognitio, & quib
gumentis eam probare debeant, qui illa gloriantur. Restat postrema huius responsionis pars,
Abrahamum rursus in medium producit, cuius authoritate & seipsos insolenter aduersarios
bant, & ipsum obruere conabantur. Paucis verò exponit quod præcipuum in Abrahamo fuit,
quod ad præsentis causæ statum imprimis pertinebat. Sic enim ait:

Abrahami fides quæ fuerit.

Abraham pater vester gestiuit, vt videret diem istum meum: & vidit ac gauisus
Patrem ipsorum dicit Abrahamum per Concessionem, eò quòd ex eius stirpe originem duxe
Interim verò fidem Abrahami exponit, vt partim ipsos iampridem degenerauisse vtpote
partim se Abrahamo maiorem esse euincat. Debent ergo in vtramque sententiam verba hæc
poni. Et quoad primam, sic vult dicere: Concedo quidem, vos secundum carnem ex Abrahã
progenitos esse. Nec enim mihi vobiscum lis est de genere aut natalibus. At si veri atque ger
ni filij Abrahami essetis, haud dubiè eam fidem coleretis, quam ille coluit, & qua seruatus est.
qui Abraham gestiuit, vt hunc meum diem videret, id est, totus in hoc fuit, vt me cognosc
quem humani generis redemptorem fore audierat: neque aliud magis in votis habuit, quam
me & redemptionis per me conficiendæ mysterium videret. Neque prius hoc suum desideriu
præsit, quàm diem istum meum vidit, & ex eo gaudium percepit, quod tam ardenter quæsi
Quòd si fides hæc & istud mei aduentus studium siue desiderium in vobis quæratur, nihil hum
le inuenire poterit. Quem enim Abrahamus ardentissimo desiderio expetiuit, eum vos pro
reijcitis. Et ecce occisum vultis, in quo ille omnem salutis suæ fiduciam collocauit. Quis ergo
Abrahami filios esse dixerit, cum quo neque in fide neque in moribus aliquid cõmune habeat?
ad verò alteram huius loci sententiam, nemo negare poterit, Christum Abrahamo maiorem
quando hic illum suæ redemptionis & salutis authorem agnouit, & eius aduentum tam vehe
desiderio expectauit.

Quomodo Abraham diem Christi uiderit.

Quærunt hìc nonnulli, quomodo Abraham diem Christi viderit, & vt hic locus cum illo cõ
niat, quæ Matth. 13. habentur, vbi discipulis dicitur: Amen amen dico vobis, quod multi prop
& iusti desiderauerunt videre quæ videtis, & non viderunt: & audire quæ auditis, & non audi
runt? Sed facilis est ad has quæstiones responsio, si Videndi verbum non eodem sensu accipi
mus, & quid per diem suum Christus intelligat, videamus. Dicitur autem dies Christi tempus
quo in mundum venire, & patribus promissam humani generis redemptionẽ peragere debuit. Tem
pus hoc, & quæcunq; tunc fieri debuerunt, omnes prophetæ & iusti olim coram videre, & cum C
sto colloqui, atque præsentem vel in carne exhibitum intueri cupiuerunt: quod tamen illis minim
datum, eò quòd præfinito demum tempore ista fieri debebant. Abraham verò, etsi ipse etiam n
corporeis ista non viderit, vidit tamen in spiritu per fidem, quæ absentia quoq; & futura appre
dit, adeoq; iam sibi præsens habet, quicquid Dei verbo promitti audit, cuius veritatem certam &
fallibilem esse nouit. Idem de alijs quoq; dici potest. Nam ipsi quoq; fidei oculis Christum videru
quem corporaliter videre non licebat. Est autem diligenter obseruandus ordo verborũ Christi
bus hanc Abrahami fidem describit. Primò, gestiuit (inquit) vt videret diem meum. Exprimit
ardens desiderium, quod partim ex propriæ corruptionis sensu, partim ex veterũ promissionum
memoratione concepit. Sentiebat enim se puluerem & cinerem esse (sicuti cum Deo colloquens

tur, Genes.18.) & proinde in hoc mundo non habere ciuitatem permanentem. Imò intelligebat se in peccatis conceptum & progenitum æternæ mortis sententiæ subiacere, quam ipse nullis viribus propijs, aut operum suorum meritis effugere posset. Audiebat verò olim promissum esse semẽ mulieris, quo diaboli regnum conculcari, & humanũ genus vindicari oporteat. Hoc igitur exhiberi cupiebat, hoc videre desiderabat. Et quia promissio hæc in diluuio intercidisse videbatur, nõ dubium est, quin hac cura sanctos patres vehementer anxios habuerit, cùm horrendi illius exempli memoria ipsis recens ob oculos esset, & à propria conscientia assiduis stimulis pungerentur. At hìc consolationis plenum est, quòd Abraham diem hunc promissi redemptoris vidisse dicitur. Nec enim sanctum hoc & ardens patrum desiderium Deus frustratus est. Et quàmuis procul abesset adhuc tempus illud præfinitum, fœdus tamen salutis instaurare & veteres promissiones quasi renouare voluit, vt nouam salutis fiduciam concipere possent, qui intra animos suos soliciti fluctuabant. Ad quam rem Abrahamum delegit, cui ex Chaldæa educto promissionem dedit nouam, & ex ipsius stirpe enasciturum promisit eum, quem initiò mulieris semen vocarat. Huic promissioni quia Abraham credidit, fide & spiritu illuminatus Christum eminus vidit, neq; minus gauisus est, quàm si incarnatum iam coràm vidisset. Fides enim ista (vt Moses ait) ei ad iustitiam imputata fuit, cuius sensus æstuantis conscientiæ terrores excussit, & animum illius gaudio solido perfudit, quod ex certa fiducia enascebatur. Sunt autem in his duo, quæ peculiarem considerationem merentur.

Primum, quòd etsi solius Abrahami mentionem hìc faciat Christus, eadem tamen omnium patrum fides fuit, qua illi seruati fuerunt. Nam quod de illo dicitur, non minus de reliquis omnibus dici potest, qui illum vel præcesserunt, vel postea secuti sunt. In Adamo certè hoc euidentissimè cernitur, qui cùm se peccauisse & ideò omnibus modis miserũ esse videret, horribili terrore prostratus Dei conspectum subterfugere conabatur: neq; dubium est, quin salutem amissam tristissimis gemitibus deplorarit, & nouam incredibili desiderio quæsierit. Hìc autem trepido & anxio Deus affulget, & semen mulieris pollicetur, quo ipsum & posteritatẽ seruari oporteat. Ad cuius mentionem haud dubiè gestire cœpit, neq; toto vitæ cursu aliud in votis habuit, quàm vt promissa salute in semine illo benedicto frui posset. Et quia hanc promissionem posteri quasi per manus traditam acceperunt, eadem omnium illorum spes & idem desiderium fuit. Neq; illos frustratus est Deus, qui etsi filium suum nondum in carne manifestaret, fidei tamen illorum hunc quasi præsentem statuit, vt in eius merito salutem certam assequerentur: quo nomine Christus agnus dicitur occisus ab origine mũdi. De ijs, qui Abrahamum secuti sunt, non opus est sigillatim dicere, quando de illorum fide in Mosis & prophetarum scriptis luculenta testimonia extant, quæ illos omnes in vnum Christũ respexisse docent. Est ergo Christiana fides omnium vetustissima & certissima. Vt enim æterno Dei decreto nititur, & in paradiso primùm prædicata est: ita totius scripturæ consensu probatur, & quàmuis persecutorum diris conatibus assiduè oppugnetur, durabit tamen in electis vsq; ad consummationẽ seculi, Christo teste, qui se ecclesiæ suæ in eum vsque diem adesse velle pollicetur. Sed ô infelicitatem nostri seculi, qua sub Antichristi regno factum est, vt superstitiones non minus futiles quàm impiæ, veteris fidei & religionis nomine censeantur, Christiana autem fides nouitatis accusetur.

Patrum omniũ eadẽ fides quæ Abrahami.

Deinde consideratu dignissimum est, quo ordine nos etiam in fide progredi oporteat, vt salute in Christo promissa fruamur. Opus hìc ante omnia ardenti salutis desiderio, quod alibi sitis & famis similibus describitur. Excitatur hoc diligenti consideratione corruptionis nostræ & promissionũ Dei, quæ in scripturis passim occurrunt. Illa enim securos & torpentes terrore & metu cogit, vt de salute cogitent: hæ autem sua dulcedine alliciunt, vt homo relictis omnibus alijs studijs totus in hoc sit, vt salutem in Christo promissam consequatur. Et hic ille gestiens est animus, quem in præsenti Dominus Abrahamo tribuit. Sequitur hunc mox mentis illuminatio quæ per fidem fit, qua & Christũ videmus, & illum amplexi salutem simul in illo apprehendimus. Nec enim suorum vota frustratur Deus, sed vt Abrahamum promissi seminis cognitione consolari & exhilarare dignatus est: ita suo spiritu omnes electos suos illuminat, vt exhibitum sibi saluatorẽ animi oculis videre & fide vera amplecti possint. Vult enim nos saluos fieri & in veritatis cognitionem venire. Hinc verò gaudium & conscientiæ tranquillitas enascitur, quando qui prius diris terroribus excruciabatur, nunc salutis suæ certus in Christo acquiescit, in quo sibi omnia data esse intelligit, quæ ad salutem necessaria sunt.

Ordo fidei & salutis.

Sentiunt ista quotquot seriò de salute sua soliciti sunt. Quòd ergo rara hodie in terris fides est, plerique salutis incerti & dubij oberrant, ex eo est, quòd neq; suam corruptionem rectè agnoscunt, neq; sancto illo salutis desiderio tenentur.

Iudæi Christum uanitatis accusant.

Quid verò Iudæi audita Christi responsione tam graui & diligenti? Num culpam suam agnoscunt? Num de pœnitentia cogitant? Num Abrahami fidem & mores imitari student? Minimè gentium. Sed pro more suo ad calumnias redeunt, & omissis omnibus alijs, quibus emendari poterant, hoc vnum excipiunt, quod de Abrahamo dixit, & ex eo calumniam ei struunt. Quinquaginta annos (inquiunt) nondum habes, & Abrahamum vidisti? Vanitatis ergo rursus eum insimulant, & vt id commodius possint, verba eius inuertunt atque detorquent. Nec enim Abrahamum ait visum esse dixerat, sed Abraham vidit diem meum. Et videndi vocabulum non de sensu corporis modò, verumetiam de mente & intellectu dici, nemo ignorat. Id verò isti ad oculorum sensum restringunt, vt nouam habeant rixandi occasionem: eorum planè similes, qui hodie aliquos scripturæ locos secundùm literam accipiunt, & ex ijs contentiones instituunt nunquam finiendas. Sunt enim hi mores hostium veritatis, quòd zelum quidem Dei & religionis simulant, sed quicquid cum illo agas, semper habent quod obganniant. Quòd si intra animos suos conuicti, causam suscepta plius tueri non possunt, in aduersarios conuersi, falsis criminibus eos petunt, & vt rixosi canes proiecta saxa morsibus inuadunt, ita illi conuitijs laniant quicquid ab ijs profectum vident, oppugnare semel in animum induxerunt. Exempla huius rei multa hodie occurrunt. Solent alij sarij nostri vt nos omnibus inuisos reddant, nunquam non Diuos in ore habere, quorum patrocinium suscepisse videri volunt. Quòd si ostendas quæ Diuorum fides & religio fuerit, & illos à multis doceas, mox mutato disputationis statu aliam telam exordiuntur, vel conuitijs obruunt, quos rationibus non possunt conuincere. Quid verò hoc mirum est, quando ipsum Dei filiũ à Iudæis ita vexatum & exagitatum fuisse videmus?

Christus æterni tatem suam asserit.

Sed audiamus Christum, qui dissimulata calumnia ipsorum, ad rem ipsam respondet, & electi sui veritatem grauiter asserit, sic dicens: Amen amen dico vobis, priusquàm Abraham fieret, ego sum. Fatetur & affirmat quod illis absurdum & impossibile videbatur. Quæ dicit? Vobis quidem nouum quid & insolens est, quòd Abraham diem meum vidisse dicitur. Ad rationis causa est, quòd qui ego sim ignoratis. Sum enim æternus Dei filius, quem priusquam Abraham fieret, imò priusquàm mundus hic crearetur, pater ab æterno ex se genitum destinarat humani generis redemptor sim. Facilè ergo potuit Abraham in spiritu fidei oculis totum hoc dispensationis mysterium videre, priusquàm ego homo factus in mundum venirem. Interim ita viam exponuntur hæc Christi verba. Alij enim de æterna Deitatis essentia ipsum loqui arbitrantur, vt ad Dei responsum alludat, quo seipsum olim Mosi descripsit, dicens: Sum qui sum. Sic dices filijs Israel: Qui EST misit me ad vos, &c. Alij ad Mediatoris personam hoc dictum restringunt, quam Christus priusquàm incarnaretur sustinuit apud patrem. At quia neque Mediator agnosci potest, nisi simul Deus agnoscatur, neque Deitatis ipsius cognitio quicquam prodest, nisi Mediatorem esse sciamus, ego vtrumque sensum simul comprehendi debere censeo. Constat enim veteres omnes in promissum illud semen ita respexisse, vt illud & verum æternum filium & Mediatorem salutis agnouerint. Iob certè illum suum vindicem vocat, qui in nouissimo die suscitaturus sit, eumque iam tunc vixisse testatur, cùm ista diceret. Iob. 19. Sed propter hunc Deus iam olim omnis generis beneficia suo populo contulit, vt prophetarum sermones non vno loco testantur. Quin Isaias, cùm Israelitæ & Syri coniuratione facta Iudæã bellum inferrent, Messiam iam tunc redemptoris officio functurum promittit, vt eam gentem tueatur, & qua præfinito tempore homo nasci debeat. Quo etiam illud Apostoli pertinet: Iesus Christus heri & hodie, idem est etiam in secula. Rursum ergo hic fidei nostræ vetustas asseritur, & vim & effectum meriti & gratiæ Christi, qui olim priscis patribus salutaris fuit, non minus nunc ijs salutarem fore, qui sub finem mundi illum vera fide apprehendunt. Cuius mysterij cum ratio in quouis tentationis genere consolationis argumenta dulcissima & efficacissima exhibere potest.

Sequitur

Sequitur finis disputationis Tragicus planè & turbulentus, qualis omnium actionum esse solet, quas impij aduersus veritatem instituunt. Sustulerunt enim Iudæi lapides, vt Christum obruãt. Videntur hoc ex legis præcepto fecisse, quæ blasphemos lapidare iubebat. Est hic impiorum mos, quòd cùm verbis se nihil proficere vident, ad arma ruunt: & quorũ aures ad Dei verbum & sanas rationes surdæ sunt, eorum pedes atq; manus ad cædes & sanguinis innoxij effusionem semper paratæ sunt. Magnum verò impotentis iræ argumentum est, quòd in ipso templo eum lapidare volũt, neque loci religione mouentur, vt à scelere tanto abhorreant. Quo exemplo docemur, quantũ possit Zelus sine scientia. Hos enim ideo sic exarsisse constat, quòd impium putarent, hominem mortalem diuinitatis nomen sibi vendicare. Sed dum Dei gloriam tueri & asserere volunt, in Deum grauissimè peccant. Accidit hoc multis, qui dum Zelo se excusari putant, sine ratione ruunt, & quos suis temere oppugnãt, quos suis studijs aduersari vident. Hic ergo Zeli nobis vsus sit, vt in Dei verbum intentos, deinde etiã animosos reddat ad ea exequenda, quæ ab illo nobis præcipi audimus. Qui enim absq; verbi ductu Zeli sui impetum sequuntur, hi primò quidem superstitionibus nefarijs inebriantur: deinde longius progressi crudeles fiunt, & cum ipso Deo certamen suscipientes in scelera manifestissima ruunt. Arguit tamen nostri seculi vecordiam & impietatem hoc Iudæorum exemplum. Intolerabile & quouis supplicio dignũ scelus esse norunt, si homo seipsum pro Deo venditet. At hodie sceleratissimis hoc licet, vt diuinos honores sibijpsis arrogent, & eo prætextu non in viuos modò verum etiam mortuos imperium sibi sumant. Imò inueniuntur passim, qui tyrannidẽ istorum armis defendunt, & aduersus pios crudeliter grassantur, qui Deo suum honorem vindicare student. Finis disputationis turbulẽtus.

Cæterùm de Christo Domino euangelista duo scribit. Primum, quòd se occultauerit. Quidam in inuisibilem factum putãt, vel per medios hostes elapsum, vt prius Nazarethi fecerat, quando eum de monte præcipitem dare volebant. Sed diuersum quid sonant verba, quæ expressam faciunt mentionem occultationis. Neq; semper diuinam virtutem exerere, & miraculosè se tueri voluit Dominus, sed interdum medijs vsus est, quæ assumptæ carni conueniebant: partim quidem, ne huius veritas in dubium veniret, vt alibi diximus, & quod aliqui veterũ annotarunt, quos vel vno hoc argumento constat alienissimos fuisse ab eorum delirijs, qui hodie noua miracula Christo affingũt, vt eius corpus veri corporis proprietatibus spolient, & vbiquarium esse euincant: partim verò, vt quid nos facere deceat in simili casu, ipsius exemplo discamus. Licet ergo se subducere ab illis, qui violenter agunt, & ad tempus latere, vt nos rebus secundis seruemus. Fecit hoc non semel D. Athanasius, quando Arianorum furorem exarsisse videbat, neque verbis locum esse amplius apud eos, qui vi & armis omnia agebant. Itaq; nimis temerarij sunt, qui absque magna ratione apertis periculis sese immiscent. Nebulones autẽ & veritatis proditores sunt, qui huius ministros violenter extrudunt, & hostibus sanguinarijs obijciunt. Est verò consolationis plenum, quòd vt Christus in ipso templo, vbi sacerdotes regnabant, tutus latere potuit: ita quàmuis Deus non semper manum potentem quasi ex cælo exerat, habet tamen vbique latebras, in quibus seruos suos seruat & tuetur, quoad ipsi visum fuerit. Vide quæ Eliæ temporibus acciderunt, & c. 1. Reg. 18. Christus se occultat.

Alterum est, quòd è templo Dominus exiuisse dicitur. Damnat eo facto sacerdotes, qui cùm templi antistites essent & eius religione imprimis gloriarentur, ipsum inde expellebant, qui & templo & sacris illis omnibus adũbrabatur. Simul etiã testari voluit, se cum illis manere non posse, qui veritatis doctrinam persequuntur. Anxiè quidem multi consultant, qua ratione sese à Christo expediant, & illum expellant. Atqui non multa cura hic opus est. Nam sponte ab illis discedit, quos ingratos & rebelles esse videt. Discedens autem simul gratiam Dei omnẽ secum aufert, qua sublata super ingratos manet ira Dei & maledictio, quæ illis sempiternũ affert interitum. Habet præterea locus iste evidentẽ typum, quo quid nouissimis temporibus euenturũ esset, adumbratum fuit. Vt mirum Christo pulso, externi templi, id est, ecclesiæ possessio Antichristo obtingeret & illius coniuratis, qui sacra omnia pro sua libidine turbarẽt. Quod ipsum Paulus non obscurè innuit, quando Antichristi sedem in templo Dei fore vaticinatur. Id autem reuera accidisse Pontificum historiæ testantur: & vtinam non hodie huius rei exempla passim occurrerent, quando in plerisq; locis templa cum bonis ecclesiasticis ab impuris & indoctis sacrificis occupãtur, cùm interea Christo & membris eius non in occulto quidem, aut in suburbijs & horreis locus tutus detur, in quo ad audiendũ verbum Dei Christus è templo exit.

& legitimum sacramentorum vsum conuenire possint. Gloriantur ea re vehementer aduersarij nostri, & eo argumento superstitiones suas defendere solent, quòd in ipsorũ potestate sint cathedrae ecclesiae (vt ipsi loquuntur) & templorum omnium redditus. At si illorum argumentũ valet, Christus quoq; erroris damnabitur, qui templi possessione cessit, & illius vsum impijs sacerdotibus reliquit. Obseruemus potius Christum, qui nunc è templo discedit, paulò post flagello è funibus facto eorum nundinatores eiecisse, tandem verò per Romanos vnà cum templo malè perdidisse eos, quos incurabiles esse videbat. Vitur hodie etiam verbi flagello: quod quia multi spernunt, mucrones in cul dubio, qui malum incurabile seueriori ratione tollant, siue illi Turcae, siue alij horum similes sint. Et hic quidem exitus fuit grauissimarum altercationum, quas duobus capitibus euangelista absolpsit. Vidimus in his quae sit veritatis doctrina, quã ipse Dei filius nobis tradidit: quae eiusdem in hoc mundo sors sit, & qua constantia eam asserere debeant, quibus hoc negotij à Deo datum est. Imitatur ergo Christi exemplum ecclesiarum ministri: reliqui verò pijs eorum conatibus faueãt, & quamuis Iesum Christũ aliquando pelli & quasi de possessione sua deijci videant, maneant tamen pij stantes in veritatis doctrina, & salutis suae vindicem fidissimum sentient eum, quem insanus mundus suis viribus debellare conatur. Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in aeternũ. Amen.

CAPVT IX.

HOMILIA LXXXV.

ET præteriens Iesus uidit hominem cæcum à natiuitate. Et interrogauerunt eum discipuli eius, dicentes: Rabbi, quis peccauit, hic, an parentes eius, ut cæcus nasceretur? Respondit Iesus: Neq; iste peccauit, neq; parentes eius: sed ut opera Dei manifesta fiant in eo. Me oportet operari opera eius qui misit me, donec dies est: uenient nox, quando nemo potest operari. Quàm diu fuero in mundo, Lux sum mundi.

Argumentum & usus huius capitis.

DESCRIBITVR hoc Cap. insigne miraculum, quo Dominus noster Iesus quendam à natiuitate cæcum curauit, & oculorum vsu instruxit. Est autem in eius descriptione modum diligens euangelista: primò eam ob causam, quòd ad præcedentis doctrinae confirmationem facit, qua se lucem huius mundi esse Christus profitetur. Quia enim ipsi propter hanc acris concertatio cum pharisaeis orta fuerat, reipsa eam probari oportuit, ne aduersariorum auctoritas apud vulgus rude & indoctum veritati officeret. Et est hoc ingens bonitatis Christi argumentum, quòd eam nostrae infirmitatis rationem habet, vt non verbis modò verumetiam factis docere dignetur. Deinde diligentiae causa etiam est, quòd miraculum hoc nouae actioni occasionem præbuit, qua veritatis doctrina mirificè illustrata fuit. Ducitur enim cæcus hic ad pharisaeos de signo hoc ipsum interrogãt, adeoq; in eius fidem inquirunt. Narrat is rem sicuti gesta erat, & honorificum de Christo fert testimoniũ. Indignantur illi, de miraculi veritate dubitant, & prouocatus parentes quoque accersunt, quibus auditis hunc denuo aggrediuntur, & tandem (quam in Christi confessione constantiorem esse vident, quàm qui ipsis cedere velit) illum ignominiosè eiectum excommunicant. In qua historia partim hostiũ veritatis improbitas & piorum sub his cõditio, quasi in oculo consideranda, proponitur: partim Dei iudicium & potentia apparet, qui filij sui contemptum cum homine ignobili & misero committit, & ita rem omnem moderatur, vt seipsos omnium sibi exponant, qui legis diuinae peritissimi doctores & publici sacrorũ atq; religionis vindices videri haberi. Est ergo perquam memorabilis huius Cap. historia, cuius primam occasionem hic locus nanet, de qua modò dicemus.

Christus templo eiectus mox inuenit occasionem illustrandae suae doctrinae.

Occurrit hic primùm, quòd Iesus, cùm ipsum pharisaei lapidibus obruere vellẽt, templũ egressus inter prætereundum, cæcum hunc vidisse dicitur, in quo postea signum est editum. Vidit autem hunc non obiter aut quasi aliud agens, sed diligentius eum inspexit, id quod discipulis de hoc interrogandi occasionem

occasionem præbuit, vt mox suo loco dicetur. Nunc obseruemus primùm, quòd hostium improbitate ex templo eiectus, & quasi ex possessione sua deturbatus, mox nouã occasionem inuenit, qua gloriam suam & totam salutis nostræ doctrinã illustret. Factũ hoc aliâs sæpe, & alibi audiuimus, ipsum non absq; fructu apud Samaritanos & Galilæos egisse, cùm Hierosolymis & in Iudæa locum tutum non haberet. Et eodem pertinet, quòd postea apostoli, cùm à Iudæis pellerentur, euangelium magno cum successu inter gentes prædicarunt. Sed & historiæ passim huius generis exempla proponũt, quibus docemur, hostes veritatis causam cumprimis iuuare, quando eam opprimere conãtur, & ex persecutionibus pulcherrimas occasiones enasci, quibus Christi regnũ propagatur ad plures alios, quod prius intra fines angustiores conclusum videri poterat. Debet nos horum cõsideratio consolari aduersus tyrannorum furores, ne horum conatibus territi desperemus. Manet enim eadem Christi potentia & voluntas, qua ecclesiam suam in terris quoq; ad finem vsq; seculi seruare decreuit. Simul verò nos quoq; exemplo Christi excitari decet, vt in omnem occasionẽ intenti simus, qua regnum eius promoueri potest, neq; propter imminentia nobis pericula, vel mundi huius ingratitudinem, officium negligamus, cui nos Deus destinauit.

Deinde obseruabis, quòd cæcum hunc nihil de ipso cogitantem Christus respexit & vidit, & qui dem inter prætereundum, cùm atrocibus iniurijs lacessitus abire, & nihil tale facturus esse videretur. Sunt huius generis exempla multa, quibus mos Dei exprimitur, qui suos nunquã negligit. Imò si quando illis vel mentis cæcitas vel somnus obrepit, vt nec officij sui neq; salutis propriæ satis memores sint, ipse tamen illos videt, & eorũ saluti tunc quàm maximè prospicit, quando non aliqua illorum cura tangi existimatur. Sic Abrahamum inter idololatras agentẽ vidit & euocauit, vt cum eo fœdus salutis instauraret. Sic Israelitas Ægyptiorum superstitionibus assuetos vidit, & eduxit vt verum cultum inter illos instituerent. Sic apostolos vidit, & ad munus hoc eos delegit, cùm illi nihil tale cogitarent. Similis bonitas in gentiũ vocatione elucet, quibus nihil huius petentibus apostolos submisit, per quos in vera salutis ratione instituerentur. Et eiusdem generis est, quòd in periculis constitutos videt, quando nulla eorum cura tangi videtur. Sic discipulis inter fluctus & procellas periclitantibus dormit quidem Christus, & alibi in eodem periculo constitutis præteriturum se esse simulat, simul verò illis opem præsentem affert. Sic Lazari nullam rationem habuisse videri poterat, quando eo ægrotante & moriente, ipse in Galilæa moram ducit: attamen eundem tam mortuum & sepultum amici nomine dignatur, & insigni cum miraculo à morte reuocat. Sunt hæc exẽpla in eum vsum accommodanda, vt ex ijs consolationem petamus, qua inter precandum in fide confirmemur. Si enim cæcos & nihil de se cogitantes Dominus sua bonitate præuenire solet, & (vt apud Isaiam pollicetur) non ad se clamantes exaudit atq; seruat, quid ille non facturus est, si animi oculis in illum intentis opem eius imploremus? Neq; hic nos terreat, quòd interdum opẽ diutius quàm ipsi vellemus differt. Id enim nostro bono facit, vt maiori salutis desiderio mentes nostras accendat, fidem atque patientiam nostram exerceat, & nostro exemplo in multis alijs erudiendis vtatur. Tunc ergo nos perseuerare, & viduam illam imitari decet, quæ importunitate sua iniqui iudicis animum flexit, vt officium faceret. Quò etiam referri debent, quæ de Cananæa & Bartimæo traduntur. Matthæi 15. Marc. 10.

Christus nihil de ipso cogitantem respicit.

Ceterùm vt ad historiam redeamus, discipuli quando vident Christum in hunc oculos intentos defixisse, ipsum de causa cæcitatis huius interrogandi occasionem arripiunt, & dicunt ei: Rabbi, quis peccauit, hic, an parentes eius, vt cæcus nasceretur? Potest autẽ quæstionis huius causa duplex assignari. Prima, vt cõmuni errore deceptos hanc illos mouisse dicamus. Quia enim μετεμψυχωσιν, id est, animarum in alia corpora transmigrationem vulgò Iudæi credebant (vt in Herodis & multorum aliorum iudicijs de Christo est videre, qui eum vel Eliam, vel Ioannem Bapt. vel Ieremiam, aut alium quendam ex prophetis esse putarũt) hunc propter peccata, quæ eius anima in alio corpore designasset, in ipsa natiuitatis hora cæcitate punitum fuisse suspicantur. Et est hoc nimis vulgare, quòd vnus error admissus infinitos alios parit, & tandẽ præcipites in absurdissimas opiniones abripit. Altera quæstionis causa esse potuit curiositas nimia & temeraria, qua extimulati disputationẽ instituere voluerint de morborum & aliarum afflictionum causis, quas omnes ex peccato originem duxisse, & peccatorum pœnas esse, scriptura non vno loco docet. Quòd si hoc voluerunt, ita dicere vi-

Discipuli quærunt, cur hic cæcus sit natus.

dentur: Quando morbos propter peccata immitti constat, cupimus nobis ostendi, cuius peccatis hunc Deus cæcum nasci voluerit? Num quòd ipse suis peccatis meruerit? Atqui priusquà natus tur aut esset, peccare non potuit: & iniquum est in eius corpore puniri scelera, quæ in alio anima misit. An verò parentum peccata sic punire voluit Deus? At hoc quoq; iniquũ fuerit, cùm ipse Deus in lege prohibeat, ne filij parentũ scelera luant. Et ipsius apud Ezechielem cap. 18. verba sunt: ma quæ peccauerit, morietur. Filius nõ portabit iniquitatem patris, neq; pater portabit iniquitatem filij: sed iustitia iusti erit super eum, & impietas impij erit super eũ, &c. Hæc (inquã) dicere videt discipuli, qui dum arguti videri volunt, suam temeritatẽ produnt, & errores insciitamq; suam magis augent. Quid enim opus erat de alienis peccatis interrogare, & quidem occultis & ignotis? non in sua potius inquirunt, vt discãt quid in seipsis emendari oporteat? Vel cur non eos istius

Discipuli curiositatis exemplũ.

nis miseret, & vt ei opem ferat Christus precantur? Habemus ergo hic improbæ curiositatis exemplum, qua in alienis afflictionibus vulgo & multiuariàm peccatur. Origo & causa mali est, quòd in aliorum delictis oculatissimi & seuerissimi censores sumus, cùm in nostris turpiter hallucinemur. Hinc fit, quòd vt primùm aliquos grauius affligi videmus, non modò in aperta illorum delicta rius inuehamur, verumetiam sinistras de tota illorum vita concipiamus suspiciones, & scelerosos esse putemus, quorũ dicta & facta nobis prorsus ignota sunt. Exemplũ huius vitij in lobocis habemus, quos non puduit atrocissima flagitia exprobrare in calamitatibus constituto, qui tijs & honoribus florentem omnes à vitæ integritate commendarant. Quorum similes fuerunt litenses, qui Paulum homicidij reum suspicati sunt, cùm illum vix dum ex naufragij periculo tum à vipera morderi viderent. Quin vulgò audiuntur improbissimæ multorũ voces, quibus non flagitij exprobratur miseris & calamitosis, quorũ nos potius misereri conueniebat. Neq; tenti sunt quidam, nisi diris quoq; deuoueant eos, quos affligi vident, deq; illorum salute omnem sperent. Quod tunc maximè fit, quando occultius odium animis illorum insedit, cuius exercasionem auidissimè arripiunt, vt sui animi libidinem sub diuinæ iustitiæ prætextu exatiare possint. Quòd si verò amicis nostris quid simile accidit, aut nobis ipsis, non eadem seueritate vtimur: fortunæ cæcæ ludibria hæc esse putamus, aut de Dei iudicijs disputationes instituimus, quibus nitas & iustitia illius in dubiũ vocantur. Et hæc quidem multi leuia ducunt & vix aliquam hensione digna. At si rem ipsam propius inspiciamus, mox apparebit, hoc modo & in proximi tatem peccari, & Deo atrocem fieri iniuriã, cuius opera & iudicia omnia nos reuereri & predecebat. Adhæc nobis ipsis maximorum malorum authores sumus, dum nos eo fructu spoliamus ex aliorũ ærumnis ad nos multiplex redũdare poterat, si Dei iudicia sobrijs animis observ In aliorum enim afflictionibus videre est, quæ humani generis sors sit, & quid nobis euenire si ita Deo videatur. Quæ consideratio & Dei timorẽ in nobis excitat, & Deo gratias agere qui hactenus sui iudicij rigorem erga nos bonitate sua temperauit. At qui carnis affectibus ex ijs deteriores fiunt, quibus emẽdari debebant. Sit ergo nobis suspectum carnis nostræ iudicium, meminerimus nihil fallacius esse suspicionibus, quæ (vt Menander olim dixit) plerunq; maiorem lumniam, quàm ipsa facta, pariunt, imprimis autem detestabiles & nulla venia dignas est, quæ Dei contumelia sunt coniunctæ.

Afflictionum ratio.

Deinde vt minus peccemus, diligentius inspici debet, quæ sit afflictionum omnium ratio. quidem negari non potest, eas ex peccato originem ducere, quando nullæ futuræ fuissent miseriæ parentes primi à sua dignitate priori excidissent. Fatemur præterea neminem mortalium adeo stum & sanctum esse, qui non supplicio quouis dignus sit, si ius suũ in nobis Deus persequi Verissimè enim olim à Dauide dictum fuit: Si iniquitates obseruaris Domine, quis consistet? verò peccati culpa Christi sanguine expiata est, & peccata non imputantur in illum credentibus, simulq; constat, ijs quoq; afflictiones multas & graues accidere, adeoq; hos in hoc seculo impios feliciores (quod ipsum Asaph Psal. 73. multis queritur) apparet ex eo satis euidenter, afflictiones semper Dei irati signa esse, neque statim illi exosos esse omnino, aut maiorum scelerum reos, re eos, quibus quid grauioris mali accidit. Est enim Deo afflictionũ vsus multiplex & varius, homines. Modò enim peccata occultiora, quæ in nobis ipsis nõ obseruamus, castigat, vt cognitate pœnitentia cogitemus. Modò peccata nostra præuenit, & latentem in nobis corrup-

breuiq; eruptura coercet, & vel morbis affligit, vel diuitijs & honoribus spoliat, ne illis pernitiosè abutamur: Ita verò bonitate erga nos vtitur plus quàm paterna, dum in furorem ruituris gladios eripit, quibus nosipsos perdituri eramus, nisi ille nostræ salutis curã susciperet. Præterea gloriæ suæ rationem habet, dum iudicij initium facit à sua domo, ne in electis probare videatur peccata, quæ in reprobis seuerius punit. Imò tunc quoque nostram salutem maximè quærit, cùm ad pœnitentiam nos erudit, ne cum mundo incurabili & pœnitere nescio malè pereamus. Quòd si nihil horum dici potest, nostram tamen obedientiam probat, fidem & patientiam exercet, & nostro exemplo alios erudit atque ad veræ pietatis studium excitat. Adde quòd afflictionibus nos exerceri opus est, vt huius mũdi nos aliquando tædium capiat, quẽ nimio amore prosequi solemus, etsiamsi nouis quotidie calamitatibus de infelici eius cõditione admoneamur. Quò referri possunt exempla sanctorum, quos in hũc finem Deus assiduis afflictionibus exercuit, cùm illorum fides & pietas ipsi quàm maximè probare tur: & quos dierum saturos interdum scriptura dicit, nimirum quòd huius vitæ pertæsi, tandẽ dissolui cuperent, & cum Christo viuere, sicuti de seipso Paulus testatur. Hæc qui nõ oscitanter secum expendunt, bi carnis suæ iudicium facilè coercent, neque ex aliorum afflictionibus vel conuitiandi vel Deo obstrependi occasionem sumunt.

Cæterùm ad huius doctrinæ illustrationem plurimum facit Christi responsio, cuius partes sunt duæ. Prima discipulorum quæstioni respõdet, & illos sinistra suspicione liberat, & causam exponit, propter quam hunc hominem sic nasci oportuerit. Dicit enim: Neq; iste peccauit, neq; parentes eius: sed (cæcus natus est) vt opera Dei manifesta fiant in eo. Sunt hæc ad hypothesim, seu quæstionem discipulorum referenda. Nam si absolutè intelligantur, cõsistere non possunt. Qua ratione enim isti extra omnem culpam esse dicentur, quando ex scripturis constat, omnes homines in peccato cõcipi & nasci, & eorum cogitationes aut cordis figmenta ab ineunte ætate praua esse? Et nota est Apostoli vox: Omnes peccauerunt, & destituuntur gloria Dei. Item: Si dixerimus nos peccatum nõ habere, nosipsos fallimus, & veritas in nobis non est &c. Ita q; sensus verborum Christi est &c, nullum singulare aut peculiare scelus ab istis designatum fuisse, propter quod hunc ita nasci opus fuerit. Et mox causam diserè exponens subijcit: Sed sic natus est, vt opera Dei manifesta fiant in eo. Hoc autem dicendo apertè docet, eum non vas iræ esse, sed gratiæ, in quo Deus suam gloriã illustrare decreuerit. Nec temerè fieri putemus, quòd non vnius tantùm, sed plurium operum Dei meminit: nimirum vt ostendat, eum non vna modo ratione, sed multiuariàm gloriæ Dei seruiuisse. Quando enim cæcus ex vtero natus est, seueritatis exemplum præbuit Deus, ex quo omnes discerent quid ipsi mereantur, si pro suo iure Deus in illos animaduertere vellet. Nec minus in eodem bonitatis suæ indicia dedit, quando oculorum vsu destitutum seruauit, aluit atq; defendit, vt ad iustam ætatem peruueniret. Quibus nunc omnium colophon accedit, quòd illi per Christum medendo luculenta veritatis suæ testimonia edit, potentiam item suam declarat, & filij sui gloriam per illum illustrat: imò illius opera plures alios in huius cognitionem & salutis consortium adducit. Hæc itaq; dicendo Christus non modò cæcum hunc omni criminis grauioris suspicione liberat, verumetiam Deum excusat, ne quis hunc in ipso homine vel iniquum vel crudelem esse putet.

Cur hunc oportuerit cæcum nasci.

Est autem multa obseruatione dignissimum, quòd non alia ratione discipulorum audaciam atq; curiositatem Christus retundit, quam quod cæcitatem hanc gloriæ Dei seruire ait. Neq; locum hic dat illorum obiectionibus, qui dicerent: Et quid opus fuit Dei gloriã hoc modo illustrari? Num aquum erat miserũ hunc ideo tot annorũ spatio affligi, cùm infinitæ aliæ rationes essent, quibus Dei gloria illustrari poterat? Nec enim fas est in Dei facta inquirere, cur hac vel ista ratione quid agat, sed in eo nos aquiescere decet, quòd quæcunq; facit, ipsius gloriæ seruiunt. Est hic finis, ad quem omnia creauit, & quia in eiusdem manu sunt omnes homines, licet illi pro sua bona voluntate quibus ad suam gloriam vti. Illustratur ea in electis & reprobis, dum in his quidem suæ iustitiæ & iræ exempla edit, in illis verò bonitatis suæ diuitias patefacit. Ideò de Pharaone olim dicebat: Ad hoc ipsum excitaui te, vt ostendam in te potestatẽ meam, & vt annuncietur nomen meum in tota terra. Et si figulo licet ex eodẽ luto diuersi generis vasa facere, quorum alia honestis, alia ignominiosis vsibus destinantur: an Deo in homines, qui ipsius luctum sunt, minus iuris esse putabimus? Cessent ergo audaces & impiæ quæstiones, cur hos quidem elegerit, illos autem præterierit, & exitio destinarit;

Gloria Dei sufficiens omnium operum eius ratio.

quin potius illius bonitatẽ exosculemur, qui cùm omnes simul perdere posset, aliquos seruare volu-
in alteris verò ipsius iram iustam & inuictam potentiam agnoscamus, qua hostibus quoq; impo-
sui nominis illustrationem uti potest. Quia verò eadem est morborum, egestatis, bellorum, cæteræ-
afflictionum denique omnium ratio, propter hæc etiã nemo illi litem moueat, sed aduersus disputa-
nes omnes nobis sufficiat, quòd hisce Dei gloria illustratur tam in pijs quàm in impijs: quod mo-
debunt, qui positis carnis affectibus hæc mysteria propius inspiciunt. Est hæc non postrema sapien-
tiæ pars, in cuius studio qui aliquò usq; promouerunt, ij in secundis Deo grati sunt, & in aduersis
tienter omnia ferunt. Nam cum Iobo dicunt: Dominus dedit, Dominus abstulit: sit nomen Domi-
benedictum. Adhæc curiosis aliorum disputationibus Paulinum illud obijciunt: O profunditas di-
uitiarum tum sapientiæ tum cognitionis Dei, &c. Vide locum Roman. 11. cap.

Christus se ad opẽ huic ferendam excitat.

Altera huius responsionis parte pollicetur, se huic misero succurrere velle, seq; ad opus quod
cingens, seipsum ad illud obeundũ binis argumentis extimulat. Primò ait: Me oportet operari o-
ra eius qui misit me. Est hæc ratio ab officio desumpta, & se hoc in mandatis accepisse ait, vt ne
huic, imò electis simul omnibus opem ferat. Vocat enim patris opera, quæ hic ipsi iniunxerat, q
summa est humani generis redemptio, cui istius etiã hominis salus inclusa erat. Alterum argu-
tum à tempore ducit, quando sibi operandũ esse ait, donec dies est, & mox expositionis loco subi
Veniet nox, quando nemo potest operari. Quàm diu fuero in mundo, lux sum mũdi. Sumitur autẽ
ratio ista ex recepta consuetudine, & sensus verborum hic est: Qui opus aliquod perficiendum su
perũt, eius occasionem non patiuntur præterlabi, & ne nocturnis tenebris præueniantur, illud ma-
tum possunt accelerant. Atqui me ex patris mandato ea facere oportet, quæ ad hominum salut
tinent, quibus perficiendis tempus certum & statutũ habeo. Ergo curare me decet, ne illud fru
elabi sinam, nihilq; eorum imperfectum relinquam, quæ mihi à patre iniuncta sunt. Diem ergo vo
tempus, quod in carne assumpta debuit in terris transigere; Noctem verò tempus mortis, post
resuscitatus carnem suam in cœlos subuexit. Debent autem hæc Christi verba non extra huius
argumentum extendi, vt contentiosè quæramus, annon hodie etiam lux mundi sit? vel annus
debeat omne illud tempus, quod ab hora mortis eius usq; ad finẽ mundi elabetur? Constat enim
lucem mundi esse æternam, ex qua prisci quoq; patres lumẽ illud habuerunt, quod illos in salu
deduxit. Scimus item à Paulo verè dictum esse: Nox præterijt, dies autẽ aduenit. Quatenus
omne ex eo dependet, quòd Dei filius in carne manifestatus regnum tenebrarum discussit, sung
quadam ratione & κατ' ἐξοχὴν (vt Grammaticorũ verbis loquar) diem vocat tempus illud,
in terris hisce versatus est. Mortis verò horam nocti confert, non quòd tunc principis tenebr
rursus locum dederit (quem mortis suæ merito potius deiecit & profligauit) sed quòd tunc omn
huius vitæ molestijs defunctus in requiem illam æternam abijt, qua nunc cum patre fruitur, q
dies ille nouissimus illucescat, quo in nubibus cœli venturus est ad iudicandum viuos & mor
& quando omnia Deo subijcientur, vt Deus sit omnia in omnibus. 1. Cor. 15.

Quibus rationibus nos ad officium faciendũ excitare debeamus.

Prodest autem rationes istas Iesu Christi memori mente tenere, vt illius exẽplo discamus
bus argumentis nosipsos ad officium faciendũ debeamus excitare, qui natura ad omne bonũ
imò improbi procrastinatores sumus, si quid pro salute æterna & Dei gloria fieri debet. Hic ergo
mùm in vocationem nostram respicere cõuenit, quam necessariò obire oportet, nisi Deo rebellare
eius iram prouocare libeat. Scimus enim hunc grauiter iratũ fuisse Mosi, cùm is legationẽ ad
raonem suscipere detrectaret. Et quantis periculis seipsum inuoluerit Ionas, quando Ninuitis
dicare noluit, notius est quàm vt commemorari debeat. Et meritò quidem eos punit Deus, qui
omnia sua ipsi debeant, suam tamen illi operam negant in ijs, quæ ad ipsius gloriam & publica
tem faciunt. Obseruarunt hoc prophetæ, ex quibus Amos dicebat olim: Leo si rugiat, quis non ti
bit? Dominus Deus locutus est, quis non prophetaret? Et idem Amasiæ ipsum debortanti, ne
ra Israelitica contra regis edictum docere pergeret, vocationem suam obijcit, & ostendit se non
non obedire Deo, qui rei pecuariæ deditum & sycomora stringentem ad hoc officium vocaru
uarunt hoc ipsum Apostoli, qui sacerdotibus prohibentib. euangelij prædicationem respondere
Oportet Deo potius obedire quàm hominibus. Paulus quoq; eodem respexit cùm diceret: Væ mihi
non euangelizem. Equidem magna diuinæ vocationis est authoritas apud eos, qui quis Deus

quid huic debeant non ascitanter expendunt: neq; alia mihi causa videtur negligentiæ istius exitialis, quæ hodie in ministris, magistratibus, parentibus, adeoq; omnibus alijs publicè & priuatim conspicitur, quàm quòd plerique ignorant se in munere diuinitus sibi credito constitutos esse, sed fortuitò aut etiam propria industria, gradum quem tenent, sibi obtigisse arbitrantur. Discant ergo singuli se à Deo missos & vocatos esse, & sibi hanc Christi vocem applicent: Me oportet operari opera eius, qui misit me. Meminerint etiam promissionis: Qui in pauco fidelis fuerit, super multa constituetur. Deinde occasiones quoque obseruent, neque eas sibi à Deo frustra offerri putent. Imò cogitent, se quoque diem habere, id est, certum tempus à Deo sibi constitutum, quo elapso nihil possint amplius. Et quia quo vsque illud extendatur, scire non possunt, eò feruentius operi instent, ne morte præueniantur priusquam sibi commissum opus confecerint. Errant hic vehementer, qui vbi se breui morituros sentiunt, ipsi sibi ferias indicunt, nec quicquam sibi porrò agendum putant, eò quòd mox hinc migraturi sint. Atqui prius videre debebant, num officio suo per omnia hactenus probè defuncti sint, num que omnia opera eius fecerint, à quo ipsi missi sunt. Vbi mox intelligerent, sibi eò ardentius laborandum esse, quò propius ad vitæ suæ metam peruenerunt, ne quid imperfectum abs se relinquant. Hæc vt singuli in sua peculiari vocatione obseruare debent: ita hinc generalis doctrina petatur, diem esse tempus quod hîc viuere datur, quo elapso nullã reliquam esse occasionem operandi ea, quæ saluti nostræ seruiunt. Docet hoc non obscurè Christus in epulonis & Lazari parabola, & huc facit Pauli admonitio: Dum tempus habemus, operemur bonum erga omnes. Galatas sexto capite. Cuius eos meminisse oportebat, qui superstitione decepti, sacra instituunt, quibus defunctorum animas redimi posse arbitrantur. Est hic quæstus in Papatu vberrimus, & hinc purgatorius ignis exortus est, quo plus auri & argenti iam seculis aliquot conflatum fuisse scimus, quàm metallici aut Alchymistæ omnes vnquam conflare potuerint. Pollicentur quidem multa morituris sacrificii: sed reuera fumos vendunt. Nos ergo dum dies est, & dum hîc viuere datur, operemur, vtque id faciamus, Dei beneficium nos excitet, qui lucem illam æternæ vitæ in filio suo nobis accendit, quam qui sequuntur, in tenebris aberrare non possunt. Itaq; in ea luce ambulemus, vt olim cum Christo Iesu viuamus & regnemus: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

HOMILIA LXXXVI.

Hæc cùm dixisset, spuit humi, & fecit lutum ex sputo, & illeuit lutum super oculos cæci, dixitq; ei: Vade, laua in piscina Siloam, quod est, si interpreteris, Missus. Abijt ergo & lauit, redijtq; videns.

QVemadmodum Iesus Christus vnica & vera mundi lux est: ita errorum atque superstitionum omnium hæc præcipua est causa, quòd lucem hanc homines vel ignorant, vel propositam sibi sequi dedignantur. Crebrò igitur sub lucis parabola illum spiritus sanctus describit, vt admonita conditionis nostræ, quam in huius mundi tenebris miserrimam sustinemus, ad illum sequendum excitemur. Quia tamen hoc pauci sibi persuaderi patiuntur, ipse Christus non verbis modò se lucem esse profitetur, verumetiam operibus miraculosis hoc ipsum probat, quando vel cæcorum oculos aperit, vel rudes & imperitos quoad mentem illuminat, vt quæ doctos & sapientes videre non possunt, ipsi videant atq; intelligant. Inter multa verò huius generis memorabile imprimis est, quod hoc Capite describitur, vbi quendam ex vtero cæcum non modò visu donat, sed eundem simul veritatis & salutis cognitione ita illuminat, vt ipsos pharisæos & scribas erroris conuincere possit. Estq; historia hæc consideratu dignissima: quia simul totum salutis nostræ negotium continet, & docet vt nos ad hanc accommodare debeamus, quæ item eorum in mundo sors sit, quos Christus illuminare dignatur.

Cæci descriptio

Principiò autem de cæco dicendum erit, & repeti oportet nonnulla quæ heri audiuimus. Dixit Ioannes cæcum fuisse ex natiuitate, quo indicatur morbum fuisse incurabilem, quales ferè sunt, qui in vtero matris aut etiam in ipso partu contrahuntur. Accesserit morbo extrema egestas, quæ (vt in sequentibus dicetur) illum publicè mendicando victum sibi quærere coegit. Itaq; non vno modo miser

& infelix fuit, si eius conditionem humanæ rationis calculo expendas. Vt enim visus non modò actiones omnes vtilis & necessarius, verumetiam iucundus est: ita qui illo sunt orbati, ferè ad quæ uis obeunda inepti sunt: & quàmuis interdum corporis vitium admirabili & mirifica ingenij solertia cõpensetur, attamen ijdem iucundissima & sanctissima voluptate carent, quam ex huius sensus opificio, & rerum creatarum contemplatione pij capere solent. Imò ne ex amicorum quidem conmercijs solidam & integram voluptatem percipiunt, quando quos amant non vident, & alioru quidem seruitijs opus habent, cùm illis vicissim vix quicquam officij præstare possint. Adde quod pericula quoque non ante cauere possunt, quàm aliquis illorum sensus ipsos de illis cauendis admonuerit. Quòd si malis istis egestas accedat, vix quicquam cæcitate infelicius & calamitosius videri potest. Et talem quidem hunc fuisse constat, de quo nobis sermo est in præsenti.

Conditio generis humani.

Adumbratur autem in huius persona, quæ sit totius generis humani conditio, quoad animum. Sumus hîc omnes cæci à natiuitate. Quia enim Adam peccando à dignitate sua excidit, lucem quo intellectus simul amisit, qua illum Deus initiò donauerat: & illa eum mulctauit iusto iudicio Dei, vt qui boni & mali scientiam per media illicita affectauerat, vt Dijs similis haberetur, deinceps bonum nec malum rectè discernere aut agnoscere potuerit. At quia idem in sua imagine suos genuit, eadem est omnium ex ipso progenitorum conditio. Hinc est, quòd homo animalis (ut est non alia quàm naturali rationis luce regitur) non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei, neque ad veros cælestium bonorum & regni Dei cognitionẽ eniti potest. Etsi enim in ijs, quæ mundo & carni seruiunt, admirabilis adhuc sit humani ingenij solertia, in diuinis tamẽ & cælestibus omnes cæcutire, ferè fit, vt quò plus ingenio valent homines, eò absurdioribus figmentis Dei cultum & æternæ salutis rationem corrumpunt, si quid ex suo cerebro instituere incipiunt. Exemplum huius mali crassissimũ in gentibus proponit Paulus, quæ cùm carnis ingenio diuina mysteria inuestigarent, in illis conatibus turpiter euanuerunt, & plus quàm stulti facti sunt, qui soli in orbe terrarum sapere videbantur. Deorum enim multitudinem pepererunt, & de Dijs suis ea fabulati sunt, quæ non vir bonus et nulla matrona pudica de se dici aut scribi vellent. Cultus verò Deorum finxerunt tum ridiculos, partim crudeles & sanguinarios, multos item cum publica Deorum suorum gentium coniunctos. Et quod illis accidit, hoc ipsum Iudæis quoq; euenisse, quàm primùm à Deo recesserunt, fabulosissima Rabbinorum commenta & impiæ traditiones testantur, quibus in scripturas quoq; sacras caliginem quandam induxerunt, & in illis lucentem Veritatis Solem ceu nubibus quibusdam densis & fœtidissimis obscurarunt. Pasi hoc ipsum sunt Christiani homines, postquam suo cerebro sapere cœperunt: & quãta hodie multorum cæcitas sit in fidei & diuini cultus mysteriis commemorare non est opus, quando res ipsa loquitur. Neque tamen in diuinis tantùm rationem cæcutit, verumetiam in ijs, quæ ad mores & totam vitæ huius rationem pertinent. Quia enim intellectum corruptum praua voluntas sequitur, ea affectuum carnis vis est, vt rationem nostram ... re non patiantur quæ honesta, æqua, iusta, bona & salutaria sunt. Nam vt qui per nebulam rerum aciem longius extendere conantur, ferè fallacibus spectris ludificari solent: Ita affectuum ... læ obstant, quò minus scelerum immanissimorum turpitudinem cernere possimus, quæ sola vita ... lis absterrere poterat. Hinc fit quòd nec scortationis & adulteriorum fœditate libidinosos, ... ritiæ insatiabili voragine auarus, nec intemperantiæ turpitudine gulosus & ebrietati deditus ... mouentur, vt hæc sibi vitanda putent, quibus præsentem interitum ipsi sibi accersunt. Nec enim ... dent atroces illos scelerum vultus: imò ceu magicis artibus incantati, nihil pulchrius, honestius, iucundius putant, quàm ea quæ in publicam humani generis perditionem satan excogitauit. Ego non in superstitionum modò Labyrinthis errant qui suæ rationis ductu reguntur, verumetiam in aperta scelera ruunt cæcis affectibus abrepti, & modò ceu ad scopulos noxios impingũt, modò ragine aliqua absorpti quasi demerguntur. Nec cæci modò, verumetiam mendici sumus, quamuis omnibus alijs facultatibus destituti, neq; nobis ipsis mederi, neq; ex nobis aliquid boni cogitare possumus. In erroribus ergo nobis pereundum esset, nisi aliunde salus nobis affulgeat.

Christus cæco medetur non requisitus.

Vnde verò lux ista salutifera oritur? Ex Christo nimirum, qui huic misero opem tulit. Et solum esse, qui errorum tenebras discutiat, & mentes vera Dei atq; salutis cognitione liberet. ... prolixè dictum est, vt eadem repetere non sit opus. Nunc igitur hoc potius obseruemus, quod

ponte & à nemine rogatus cæco huic remedium adhibet. Nam quoad cæcum hunc, is aut Christum omnino ignorabat, aut si quid de illius miraculis audiuerat, ipsum tamen in propinquo adesse, seque ab illo respici nesciebat. Non ergo illius opem siue gratiam implorat, quod multi alij cùm cæci tum claudi fecerunt. Ex familiaribus verò suis & notis neminem habet, qui ipsius causam apud Christum agat. Quòd si discipulos spectemus, illos quidem curiosas quæstiones mouisse audiuimus, quibus miseri cæcitatem odiosè vellicarunt, non autem pro illo interceſſerunt, vt eius curam Dominus susciperet. Non tamen idcirco suis partibus ille deeſt, qui nuper dixerat se oportere operari quàm diu dies est. Ergo beneficium istud cæco ex gratia obtigit, quam omnis boni & ipsius salutis vnicum fontem esse omnes scripturæ docent. Ex gratia enim nos vidit Deus priusquam essemus, & quales futuri eramus videns nostri misertus est, simulque seruatorem nobis destinauit filium hunc suum, Iesum Christum, in quo nos elegit priusquam mundi fundamenta iacerentur. Quis ergo hoc ex mera gratia factum fuisse negauerit? Aut num operum merita habuerunt coram Deo, qui nondum in rerum natura erant? Quòd si ad historiam mundi accedamus, non minus ex gratia salutis consilium ijs reuelatum fuisse olim patebit, quos primos huius consortes facere Deus voluit. Quid enim primi parentes meruêre, quando legem sibi præscriptam transgressi, & innocentiæ veste spoliati, ficuum folia consuebant, ad Dei vocem tremebant, fugam parabant, vtque sibi terra dehisceret optabant? Attamen illos fugientes Deus reuocat, trementes consolatur, de salute desperantibus semen mulieris pollicetur, quo diaboli imperium euerti & humanum genus redimi oporteat. Quid verò Abrahamus meruisse dicetur, quem inter idololatras agentem euocauit, vt cum illo fœdus salutis instauraret, & eundem nouis promissionibus de Messia ex ipsius stirpe nascendo instrueret? Num verò Israelitas, qui Ægyptiorum mores atque superstitiones à multis annis imbiberant, & qui post acceptum liberationis beneficium assiduè murmurando Dei iram prouocare non desierunt, dignos fuisse dicemus, quibus promissiones olim patribus datas ille confirmaret, & ex quibus Dei filius carnem assumeret? Moses certè gratuitam electionem illis diligentissimè inculcat. Deut. 7. 8. & 9. Quod verò de his dicitur, multò magis in gentibus reliquis locum habet, quas sub potestate tenebrarum degentes & nihil de vera hominis salute cogitantes Christus inuisit, & in lucẽ illam saluiferam transtulit. Quin si selectissimum illum discipulorũ gregem spectemus, quos ipse Apostolos dixit, cogemur fateri, nunquam illos ad eam dignitatem venturos fuisse, nisi ex gratia eos selegisset Deus, & efficaci spiritus operatione traxisset. Testabitur hoc Dominus infra, dum illis dicit: Non vos me elegistis, sed ego vos elegi, &c. Agnouerunt hoc omnes sancti, quorum fides in scripturis prædicatur, & idem in semetipsis cogentur agnoscere, quicunque animos suos & vitam anteactam diligentius examinarint. Procul ergo facessant, qui suas vires ostentant, & suorum operũ meritis eam gloriam transcribunt, quæ solius Dei gratiæ propter vnicum eius Mediatorem, Iesum Christum, debetur.

Porrò videamus quem modum seu rationem in hoc curando secutus sit Dominus. Poterat verbo & occulta virtute eum sanare, vt plerosque alios, in quibus externis mediis omnino nullis vsus est. At hìc noua ratione vtitur, quò magis se ad salutis humanæ mysterium accommodet, in cuius dispensatione Deus propter nos signis externis seu Ceremonijs vtitur, quibus non animum modò, verumetiam reliquos sensus excitat in gratiæ suæ contemplationem, nosque totos in fide promissionum suarum confirmat. Et horum quidem alia perpetua sunt, quibus secundùm ipsius præscriptum publicè & crebrò vti debemus: alia verò pro loci & temporis ratione vni modo rei accommodantur, in quibus quæ ad rem præsentem faciunt diligenter obseruare, stultam verò & superstitiosam imitationem (quam κακοζηλίαν vocant) cauere debemus, ne temerè in exemplum trahamus, quod non in eum finem Dominus fecit, aut etiam cultus diuini partem in eo constituamus, quod vni tantùm negotio seruire aliquando debuit. Est hæc inutilium & absurdissimarum superstitionum causa præcipua. Ista enim æmulatione decepti olim filios suos igne lustrabant, aut etiam immolabant, vt Abrahami imitatores fierent, qui Isaacum immolare constituerat. Eadem quoq; causa fuit, quòd serpentem æneum colebant, cuius vsus olim in deserto tantùm fuerat. Et huius generis multa fiunt in Papatu, vbi & ceremoniarum numerũ homines superstitiosi in immensum auxerunt, & Sacramenta à Christo instituta maxima ex parte corruperunt eiusmodi additamentis, quæ ex stulta imitatione

Modus, quo hũc curauit Christus.

fuerunt exorta. Sed omissis istorũ ineptijs, quid in præsenti Christus fecerit, videamus. Ex terrã, ex sputo lutum facit, quo cæci oculos oblinit, deinde ad piscinã Siloam abire, & lutũ eius abluere iubet, quo facto ille visum accipit. Fuit autem Siloa (vt Hieronymus in 8. cap. Isaiæ tat) fons ad radices montis Sion, quàmuis nõnulla ille addat, quæ prophetæ verbis (vt neq; huius storiæ) minus conueniunt. Nam certis modò horis magno cum sonitu illũ fluxisse scribit, cum illi cursum placidũ atq; silentem tribuat. Piscinæ verò ex eo factæ hîc fit mentio, quam ego ex nõ perpetuo & iugi fluxu manantibus vix collectã fuisse putauero propè templũ, vbi mundities primis studebatur. Sed sufficiat nobis scire, quòd in loco celebri & frequenti fuit, & nominis sterio præsenti causæ seruire potuit, vt mox audiemus. Philosophantur autem hoc loco nonnulli naturis in Christo, & sputo diuinitatẽ eius æternã, puluere autem illius carnem de terra assumptã significari aiunt. Alij ad creationem hominis hæc referunt, quasi docere voluerit, se eum ex Adamum ex terra olim fecerit. Sed hæc meo iudicio à re præsenti nimis aliena, adhæc magis arg sunt, quam vt simplicitati conueniant, cui Christũ in erudiendis imperitis & rudioribus semper duisse scimus. Quare illorum potius sententiæ accedo, qui Christum hac chria vsum esse aiunt, mul & causam cæcitatis humanæ et eius remedium adumbraret. Est enim hoc boni medici officium, & Christum hoc inter docendum in vsu habuisse scimus, vt de ijs quoq; admoneret, quæ nos tis causa impedire possunt. Itaq; per lutum ex sputo & puluere factum humanam & terrestrem pientiam adumbrat, qua non alia nocentior remora est ijs, qui ad salutem contendunt. Nec tùm eorum rationibus moueor, qui Christo iniuriam fieri putant, si carnis sapientiam sputo ipse gnificari dicamus. Maiorem enim ei inferunt, qui diuinam eius virtutem, imò ipsam deitatem, vilissimum hominis excrementũ denotari putant. Deinde non cõuenit salutis nostræ mysterium hîc adumbratũ fuisse inter omnes constat) vt per lutum hoc diuini quidquam intelligamus, quan illud abstergi oportuit, vt visum cæcus acciperet. Ergo res ipsa monet, vt de impedimento potius sus, quàm remedio hoc exponamus. Et certè similitudo pulchrè cõuenit. Vt enim sputum partim capite destillat, partim ex linguæ & gutturis siue faucium humoribus in ore colligitur, & suauidantia cibi fastidium parit: Ita carnis sapientia ex nostro cerebro enascens nonnisi circa ea tur, quæ gulæ & ventri seruiunt, & inanibus verbis redundans atq; ebulliens cælestium bonorum stidium gignit, quæ sola animas satiare & pascere possunt. Et vt lutum oculis nocet, quo minus dendi officio fungantur: ita carnis sapientia crassas opiniones menti obijcit, quæ cælestia intuerihibent, & eadem tunc Iudæis maximè obstabat quò minus veritatis lucem in Christo viderent via salutis progredi possent. Hanc ergo abstergi & abijci oportet, si in salutis cognitione & Deum omnis boni authorem videre velimus. Admonet de hoc Paulus, quando philosophiam tunc inter gentes regnabat, & inanes verborum pugnas atq; disputationes prohibet. Et quancessarium sit ista cauere, exempla docent, quæ olim hæreses ferè omnes inde enatas esse testantur nostro seculo doctrinam de viribus hominis & libero arbitrio, de nostrorũ item operum merito aliunde originem duxisse scimus, quàm ex philosophorum placitis, quæ in Christianorũ scholas nis humanæ sapientiæ ostentatoribus inuecta fuerunt. Quod vtinam diligentius observarent, qui huc pergunt humana diuinis miscere, & eos demum ad sacrarum literarum studium idoneos trantur, qui philosophiæ temeto prius sunt inebriati. Placent hi sibippsis egregiè in sua sapientia pios verbi Dei sectatores pro stultis rident. At nos pudere non debet stultitiæ huius, quam nobis superest carnalis sapientiæ, illud quoq; abstergere satagamus, vt libera oculorum mente Dei voluntatem & quæ in scripturis traduntur æternæ salutis mysteria possimus intueri.

Causa cæcitatis humanæ, carnis sapientia.

Carnis sapientia vbi abstergi possit.

At simul docemur hoc exemplo, qua ratione lutum istud sapientiæ humanæ abstergi possit. tit enim cæcum hunc ad piscinam Siloam, cuius etymon Ioannes exponit addens: Quod est preteris, Missus. Quibus verbis non obscurè innuit, altius mysterium huic facto subesse. Quis Missus ille est, quem piscina Siloam adumbrauit? Nimirum æternus Dei filius, Iesus Christus à patre in mundum missus est, vt nostra fieret sapientia, sicuti Paulus in priori ad Corinth. docet in quo omnes scientiæ & sapientiæ thesauri reconditi sunt. Quotquot ergo animis suis illuminari certam veræ salutis cognitionem consequi cupiunt, hi per fidem ad Christum accedant, qui lux di est omnem hominem illuminans. Huius enim spiritus per verbi prædicationem mentes irrigat

lutum omne abstergit, quo impedimur, quo minus nunc possimus ad bonorum cœlestiũ studium aspirare. Et obseruemus, quòd etsi huic ex mera gratia medeatur Christus, ab illo tamen aliquid requirit, quod ipse faciat. Ergo non vult nos otiosos esse Dominus, sed nos sibi cooperarios facit, & industriam nostram exigit, qua illius voluntati atq; præceptis nos accommodemus. Transferant hoc ad se omnis loci & ordinis homines, neq; eos imitentur, qui Dei gratiam & Christi meritum tunc demum verè extolli & illustrari putant, si ipsi securi omnium, fidei professionem turpi licentia prophanent, neq; vnquam ex carnis luto emergant, &c.

Cæcus exemplum obedientiæ fidei.

Sed ad cæcum reuersi, quid ille fecerit, videamus. Abit ille, lutum in piscina Siloam abluit, & inde redit videns. Habemus in his obedientiæ fidei exemplum. Nam etsi nondum agnoscat Dei filium esse, tamen à Deo missum esse credit, & ideò se illi obedientiam debere sentit. Estq; eò illustrior ipsius obedientia, quòd multa eum reuocare poterant, si carnis rationem in consilium adhibuisset. Ridiculum enim videtur lutum in oculos ingerere, vt quis visum recipiat, cùm ea ratione oculatissimus quisq; excæcari possit. Deinde nihil tale ex piscina Siloam sperari poterat, in qua procul dubio multi quotidie, & fortassis pecora quoq; & iumenta lauabantur. Idem ergo diceret iste, quod olim Naaman Sirus Eliseo, vt in Iordanis fluuio septies se tingeret, iubenti respondit: Annon præstant Abana & Parpar fluuij Damasci omnibus aquis Israelis? &c. Præterea stolidum fortassis multi æstimabant, qui oculos luto inungi pateretur, & mandato tam ridiculo se præberet obedientem. Sed omnibus hisce rationibus contemptis, Christi iussis obtemperat: neque illius spem Dominus frustratur. Mox enim luto abstersо oculi eius aperiuntur & visus facultatem accipiunt. Imitemur nos istũ in omnibus, quæ ad salutis nostræ rationem aut vitæ institutionem pertinent: nec quicquam vel absurdum & ridiculum, vel inutile aut noxiũ putemus, quod diserto Dei verbo præcipitur. Qui enim Christo obtemperant, hi illius spiritu & gratia illuminantur, & quotidie in melius proficiunt, ad hæc feliciter illis succedunt, quæcuque ex Dei mandato instituunt. Hodie plerique cæci manent, & tenebris quotidie crassioribus obruuntur, quia Christum sequi nolunt, neque hunc fidei & vitæ suæ ducem siue magistrum agnoscunt. Discamus ergo sortem nostram agnoscere, & exhibitũ in Christo Iesu beneficium amplecti. Sequetur ex eo fidei obedientia, quam ille in hoc seculo quotidianis donorum suorum incrementis, olim verò lucis & beatitudinis æternæ præmio remunerabitur. Ipsi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

HOMILIA LXXXVII.

Vicini ergo & qui uiderant eum prius quòd ipse cæcus esset, dicebant: Nónne hic est qui sedebat & mendicabat? Alij dicebãt: Hic est. Alij uerò: Similis est ei. Ipse autem dicebat: Ego is sum. Dixerunt ergo ei: Quomodo aperti sunt tibi oculi? Respondit ille, & dixit: Homo, qui dicitur Iesus, lutũ fecit, & inunxit oculos meos, & dixit mihi: Vade ad piscinã Siloam, & laua. Vt autem abij ac laui, uisum accepi. Dixerunt ergo ei: Vbi est ille? Ait, Nescio. Adducunt eum ad pharisæos, eum (inquam) qui aliquando cæcus fuerat. Erat autẽ sabbatum, cùm lutũ faceret Iesus, & aperiret oculos eius.

*Evangelista noster Ioannes ex Spiritus sancti suggestione non modò miraculum quo cæci nati oculos Iesus Christus aperuit, verumetiam quæ hoc mox secuta sunt, diligenter & prolixè narrat. Narrationis verò istius finis seu vsus est duplex. Primò ad miraculi huius veritatem facit, ne quis aliquam impostu*ram *subesse arbitretur. Et est hoc obseruatu cumprimis necessarium, eò quod Christus ipse frequenter operum suorum testimonium adducit, quo suam doctrinam confirmet: tum, quòd eorum veritatem impij hostes sæpè negarunt, & magicas præstigias esse calumniati sunt, sicuti de Iudæorum scribis & sacerdotibus Euangelistæ annotarunt, & postea Iulianum apostatam & Porphyrium cum sui similibus fecisse constat.*

Deinde docet, vt mundus hic erga Christum & doctrinam eius afficiatur, quidque sperent, qui illius beneficio ex tenebris errorum in cœlestem æternæ salutis lucem educuntur. Vt primùm enim

Capite præcedenti doctrinam, qua se lucem mundi esse professus erat, hoc miraculo probauit, vnde turbæ exortæ sunt, & quia ipsum hostes capere non possunt, illi negotium faciunt, qui ab ipso illuminationis beneficium acceperat. Illustratur itaque hoc exemplo dictum Christi, quod Capite tertio diuimus: Hæc est condemnatio, quòd lux venit in mundum, sed dilexerunt homines potius tenebras quàm lucem; quia opera eorum mala sunt. Nos autem in horum consideratione ita versari oportet, vt ex ea discamus non offendi, si quid huius simile nobis hodie accidit.

Vicini primi cæco illuminato negotium faciunt.

Porrò primi, qui huic negotium fecerunt, producuntur vicini, qui ipsum prius viderant & probè cognitum habebant. Vbi priusquàm longius progrediamur, obseruabis, ijs qui Christi doctrinam spiritu illuminantur, præ alijs infensos & molestos esse eos, qui illis antea necessitudine aliqua coniuncti fuêre, quosque suorum studiorum socios habuerunt. Hi enim & subitam mutationem mirantur in illis mirantur, & socios abs se diuelli, eorumque exemplo suam malitiam argui indignè ferunt. Qui enim omnis correptionis impatientes sunt impij: ita eos monitores ferre nullo modo possunt, qui aliquando familiariter vsi sunt. Ideò Christus in se credentium hostes fore ait domesticos ipsorum, ab his potissimùm cauere iubet, qui propter arctiorem naturæ coniunctionem aliquid iuris sibi vendicat. Queritur de hoc Dauid frequenter, quod in Saulina persecutione eos sibi infensissimos experiretur, quibus aliquando familiarissimè vsus fuerat. Huc enim pertinet quod Psal. 55. ait: Non hostis erat, qui me probro afficiebat (alioqui tulissem) neq; extulit se contra me, qui odium mihi se ferebat: abscondissem enim me ab illo: Sed tu homo secundùm æstimationẽ cordis mei, dux meus & notus meus. Mutuò enim & suauiter secreta communicabamus, in domum Dei cum cœtu ibamus, &c. Et illud Psal. 41. quod Christus Dominus cum Iuda proditore agens ad se transferebat. Quin etiam homo pacis meæ, cui fidebam, quiq; pane meo vescebatur, sustulit aduersus me calcaneum suum. Quæ etsi de ijs ferè dicantur, qui amicos simulant, constat tamen tales plerunque apertos inimicos fieri, & tantùm non in rabiem accendi, si quos ex suis ad Christum transire videant. Exemplum huius generis nuper in Nicodemo habuimus, in quo ne minimum quidẽ fidei & pietatis Christianæ indicium ipsius collegæ ferre potuerunt, sed ciuiliter modò & sub iuris prætextu causæ Christi patrocinanti mox furibundi obstrepunt: Num & tu Galilæus es? &c. Et Paulum non alium plures hostes habuisse scimus, quàm Iudæorum sacerdotes atq; scribas, & imprimis pharisæos, qui aliquando se totum impenderat, cùm Christũ in membris suis persequeretur. Et quàm exosi sint die Antichristianis præsulibus, quotquot relictis his ad Christi castra transeunt, non opus est vt exponere, cùm res ipsa loquatur. Neq; tamen in fidei & religionis causa tantùm istud fieri solet, eadem est & aliorum quoq; scelerum ratio, adeoq; omnium, qui illis semel assueuerunt. Hi enim vt eijs scelerum quàm maximè delectantur: ita si quos resipiscere & vitam in melius mutare vident, mox rei nouitate perculsi, scurrilibus dictis eos petunt, quibus honesti & boni odium ipsis facere conantur. Quòd si his nihil proficiant, tum ad conuitia conuersi, apertas cum illis inimicitias exercent. Possem hîc testes producere quàm plurimos, quibus hoc contigit. Nobis ergo istorũ omnium multiplex est. Primò enim discimus, fugienda esse impiorum cõmercia, qui non modò nobis sinistros authores sunt, verumetiam obstant (quantum in ipsis est) ne vnquam ad meliorem mentem reuertamur, & Deo reconciliemur. Quòd si in eo non satis cauti fuimus, maturè ab illis discedamus, & ad ea nos ad certamina præparemus, quæ nobis omnino sustinenda erunt. Nec magni faciamus illorum dicia, quos totos mundo & carni addictos esse scimus, neq; impudenti ipsorum dicacitate nos à pietatis studio auocari patiamur, quò minus ad salutis veræ hæreditatem contendamus.

Vicini tria quærunt de cæco.

Cæterùm quid vicini isti fecerunt? De tribus quærunt, vt ei negotium faciant, cui ob accepti visus beneficium congratulari debebant: astutè tamen hæc omnia agunt, ne quid eiusmodi facere deantur. Primò ne inanem operã sumant, de cæci persona inter se mutuò disceptant. Quærunt quidam ex illis: Nónne hic est qui sedebat & mendicabat? Erat enim oculorum aperitione mutatus, vt primo intuitu vix agnosci posset. Ideò alij hunc ipsum esse affirmant, alij similem esse contendunt. Interim verò dum de hoc disputant, publicam produnt morum corruptionem, quæ inter Iudæos regnabat. Loquuntur enim de homine omnibus notissimo, & hunc ad templum

Deut. 15.

& mendicare solitum fuisse aiunt. Erat hoc contrarium legibus Dei, qui pauperes quidem [illegible] defuturos dixerat, simul verò statuerat, ne gentiles suos mendicare paterẽtur: quia nefas est [illegible]

miseriæ & egestatis exemplum fieri aliquem, quem religionis & reipub. eiusdem vinculum nobis commendat. Et ne quid tale fieret, modum siue rationẽ indicarat, qua egenos suos ex publico simul & priuatis eleemosynis alerent. At postquam templi & sacrorum omnium cura ad sacerdotes auaros deuenit, illi contemptis legibus Dei, thesauros quidem templi (vt in Iosephi historia apparet) in immensum auxerunt, & sibijpsis ex sacrorum nundinatione opes ingentes accumularunt, in publico interim mendicantibus ijs, quorum inopiam ipsi sua beneficentia subleuare debuissent. Regnat hoc malum nostro etiam seculo inter Christianos, & ita radices egit, vt non alia ratione, quam aliquo singulari & horribili iudicij diuini exemplo tolli posse videatur. At quia hæc commodius alibi tractabuntur, nunc ad vicinos huius redeamus, qui cùm ipsum audiunt affirmantem, quòd reuera is sit, de quo inter eos disceptabatur, mox alteram quæstionem mouent: Quomodo aperti sunt tibi oculi? Et meritò quidem quærunt de re noua & insolita, modò animos habuissent à malitia & impietate alienos. Narrat ille simpliciter & absque dissimulatione rem omnem, vt gesta erat, & Iesum (quem hactenus ignorarit) huius beneficij authorẽ sibi fuisse dicit. Quærunt igitur tertiò, Vbi nam ille sit? Iam enim se ex publico subduxerat Dominus (quod ipsi familiare & frequens fuisse scimus) partim ne priuatam gloriam ambire videretur, partim ne impijs hostibus temerè noui furoris occasionem præberet. Accedit tamen his in præsenti alia quoque causa, quòd nimirum hunc solum in arenam produci voluit, vt cum pharisæis commissus fidei iam primùm in ipso nascentis tyrocinium daret. Solet ita frequenter suos exercere Deus, dum solos & omni externo præsidio destitutos periculis & tentationibus obijcit, vt illustrius sit constantiæ exemplum, quo nos quoque excitat atq; confirmat. Tunc verò nos Dei consiliũ agnoscere, & in illo fortes esse decet. Etsi enim nullum in humanis præsidium sit reliquum, nunquam tamen suos negligit Deus, cuius proprium est afflictos liberare & rebus deploratis auxilium afferre. Ergo cum Dauide dicamus: Vbi pater meus & mater mea destituunt me, Dominus colligit me. Quibus etiã illud Christi addere possumus, quod infra discipulis dicet: Instat tempus, vt dispergamini vnusquisque in sua, meq; solum relinquatis: & tamen non sum solus, quia pater mecum est. Exempla, quibus promissiones istæ confirmantur, passim occurrunt, inter quæ non postremũ debet censeri, quod hoc loco proponitur. Nam etsi isti omnia malitiosè faciãt, (vt mox dicetur) pauper hic atq; egenus solus ad Pharisæos abripiatur, atq; instar ouiculæ in medio luporũ constitat, omnibus tamen istis ad miraculi huius illustrationẽ vtitur, simulq; istius fidem confirmat. Est hoc euidens diuinæ potentiæ argumentum, quòd hostium opera Christus vti potest, vt per ea illustretur ipsius regnum, quæ impij ad eius oppressionem comminiscuntur.

Cæcus ingenuè ad quæstiones omnes respondet.

Sed cæcum ipsum audiamus, qui ingenuè & liberè rem omnem fatetur. Primò, se illum ipsum esse testatur, qui cæcus & mendicus ad templi fores sedere solitus fuerit. Ergo non pudet illum prioris conditionis, modò gloriam tribuat Christo, cuius beneficentiam expertus fuerat. Deinde quid actum exponit: Homo qui dicitur Iesus, lutum fecit, &c. Hominem vocat, quia nondum veram & certam eius cognitionem habebat, etsi nomen eius fortassis sæpe audiuisset. Neq; omnino emphasi carent eius verba. Nam sic mihi dicere videtur: Iesus ille, quem à pleriſq; contemni, à multis insidiose quæri, & principib. nostris exosum esse audio, hanc mihi salutem attulit, &c. Habemus autem in his certam veræ confessionis formulam. Primum in ea est, vt non pudeat fateri, qui nam olim fuerimus, & qui adhuc simus quoad naturam & conditionem nostram, quam ex primis parentibus accepimus: Cæci nimirum & ignorantes mysteriorum Dei, adhæc mendici & omni facultate destituti, digni item damnatione & sempiterno exitio. Facit hæc cognitio & crebra prioris conditionis recordatio plurimùm ad deprimendum cristas superbiæ, quibus hypocrisis sese aduersus Dei gratiã erigit. Excitat item ad gratiarum actionem, & vero salutis retinendæ studio accendit. Ideo Dauidem in ista consideratione frequentem & assiduum fuisse videmus, qua vitam apud oues in labore & egestate peractam recoluit, quò magis extolleret Dei bonitatem, qua in regni Israeliticifastigium erat euectus. Et Paulus Apostolus, quò illustrior sit Dei gratia, quæ ipsum ad apostolatum vocarat, multoties narrat se & pharisæum & ecclesiæ persecutorem fuisse. Idem etiã gentes passim prioris suæ conditionis admonet, quam sub potestate tenebrarum ab ecclesiæ & promissionum Dei consortio alienæ olim sustinuerint: vt huius cõmemoratione admoneãtur, quãtum Deo debeant, qui sua misericordia illas præuenire dignatus sit. Debẽt ergo hoc ipsum frequẽter vrgere ministri, & istã

Formula veræ confessionis.

commemorationem patienter ferre debent singuli, cùm non vtilis modò, verumetiam necessaria
ad salutem, quæ nobis nunquam cordi erit, nisi nostram miseriam verè agnoscamus. Nam vt
Iudic. 2. Israelitas à Deo vero defecisse sacra historia docet, eò quòd conditionis patrum in Ægypto & de
to obliti, nescirent quanto cum labore terram promissam obtinuissent: Ita plerique hodie restituti
gelij beneficium parui faciunt, quòd suæ cæcitatis & seruitutis immemores ignorant, quanti labo
& quàm magnæ gratiæ hoc opus fuerit. At vbi nostram inopiam agnouimus, simul salutis au
rem, Iesum Christum agnoscere oportet, neque nos eum profiteri pudeat, licet omnibus ferè inuisi
& exosum esse videamus. Nec enim temerè ab illo dictum est: Quemcunque mei & verbi mei p
duerit coram generatione ista praua & adultera, eius pudebit etiam filium hominis, cùm venerit
gloria patris sui cum sanctis angelis. Peccatur hodie plurimùm in vtraque parte. Plerique enim
minum seipsos, quales ex vtero nati sunt, non agnoscunt, sed sui arbitrij libertate, suis viribus,
operibus & horum meritis gloriantur atque superbiunt. Quia ergo salutem sibi ex propria indu
obtigisse putant, eam non possunt magni facere, neque eius iacturam vehementer metuunt, qu
suis viribus sarciri posse existimant. Sunt enim eorum similes, qui ex paupertate ad opes & hon
euecti, se aliquando pauperes fuisse non recordantur. Vt enim hi insolentia & intractabili mor
asperitate quosuis alios longè superant: Ita isti suarum virium atque meritorum fiducia inebri
tam Deum ipsum quàm verbi eius doctrinam contemnunt, & se sibijpsis abunde sufficere arbitr
tur. Sequitur hinc alius error æquè noxius, quòd si quid sibi deesse sentiunt, illud apud Diuos q
runt, aut etiam apud Monachos & sacrificulos, quorum meritis (quæ illi opera superogationis
cant) suos defectus sarciri posse arbitrantur: & ita creaturis tribuunt quod vni Deo & gratiæ
per Iesum Christum tribui debebat. Est horũ ingratitudo planè inexcusabilis. Nam mendicus
cùm Iesum hactenus ignorauisset, neque de eo adhuc quicquam excellentius quàm de propheta
dicaret, illi tamen omnem acceptæ salutis gloriam transcribit. Illi verò cùm Christiani dici vel
& Christum verum Dei filium esse fateantur, non tamen pluris illum faciunt, quàm quòd suis
ribus tribuunt quod illi soli debetur, & eidem Diuos & mortales homines adiungunt, quorum
tis, quod illi deest, perfici oporteat.

Cæcus ad pharisæos abripitur. Cæterùm ad vicinos redeamus, qui hunc ad pharisæos adducunt, penes quos tunc summa po
stas erat eorum, quæ ad religionem spectabant, quam sibi sua hypocrisi & fucato Zelo legis diu
vendicarant. Ea enim fuit illo tempore Iudaici populi stoliditas, vt sibijpsis tyrannos imponere
externo fuco deceptus omne in ecclesia dominium ijs ferè permitteret, qui veritatis & salutis pu
cæ hostes erant acerrimi. Quod ipsum hodie etiam fieri solet, quando potentissimi Reges & florent
mæ respub. pontificios legatos accersunt, quorum arbitrio & libidini subditorum suorum fortun
corpora, vitam denique (& quantum in ipsis est) animas quoque subijciunt. Ita (inquam) tunc
pud Iudæos quoque factum fuit, & ideo hunc mox ad pharisæos rapiunt, quorum iudicio tam ip
quàm rem hanc omnem subijciunt. Ex eo autem apparet, illos prius omnia insidiosè egisse. Ne
causa indicatur, cur hoc fecerint: Quia sabbatum erat, cùm Iesus lutum faceret, & oculos istius
riret. Videtur ergo illis hoc immane scelus esse, & dignum quod authoritate publica puniatur; qu
uis credibile sit, plerosque istorum hoc potissimùm spectauisse, vt hoc officio principum & anti
tum gratiã demereantur. Sed priusquã de his dicamus, Christus ipse inspiciendus venit, qui die sa
bati mendicũ istum curauit, cùm hoc alijs diebus facere posset, & turbas inde orituras esse non ig
raret. Causa huius facti est, quòd occasionem illustrandæ gloriæ Dei captauit, quã hinc amplissi
obortã fuisse, postea audiemus. Maluit ergo hostes impios irritare, quam occasionẽ rei bene gere
negligere. Suo autẽ exẽplo nostri seculi homines arguit, qui vt impijs & manifestis hostib. veritat
placeant, illis ferè in omnibus morẽ gerunt, & in eo summã modestiæ & pietatis laudẽ quærũt, si
minẽ aliqua in re lædãt siue offendant. Atq distinguere oportet inter infirmos in fide et eos qui sc
volentes cæcutiunt, adeoq spontè tenebras quærũt, in quibus sese occultẽt. Et infirmorũ quidẽ & e
rũ, de quib. spes aliqua superest, rationẽ habere oportet, ne libertate nostra abutẽdo illis scãdalũ p
beamus: alteros aũt illos nemo tãti facere debet, vt vno momẽto differat quod ad gloriæ Dei illu
tionẽ facere nouit. Ad illos enim Christi sententiæ pertinẽt: Sinite illos, quia cæci sunt cæcorũ du
Itẽ: Qui sordescit, sordescat adhuc. Obseruauit hoc Paulus, qui cũomnib. oĩa fieri soleret, Timoth

quidem circuncidit, ne infirmiores offenderet, Titum verò circuncidere minimè voluit, quando cum ijs sibi rem esse videbat, qui ad explorandam libertatẽ Christianam dolosè irrepserant. Quam cautionem vtinam hodie adhiberent, qui nimia indulgentia superstitiones multorum fouent, multos item suo exemplo in impietate confirmant.

Cæterùm quoad vicinos istos, multiuariàm eos peccauisse constat. Primò inhumani & impij sunt in mendicum, quem egentem turpiter neglexerunt, nunc autem alterius beneficio curatum infidiosè circunueniunt, & in periculum adducunt. Deinde in Christum ingrati sunt, qui de tota Iudæorum gente bene mereri nunquam desinebat. Imò vt hominibus auaris & ambitiosis, impostoribus denique nefarijs gratificentur, innocenti malum struunt. Postremò sub religionis prætextu calumniatores fiunt, & sabbati violati eum accusant qui beneficium dederat, neque interim suam impietatem agnoscunt, qui miserum & egentem negligendo, quantum in ipsis erat, occiderãt. Sunt hæc vulgaria hodie. Qui enim in erroneis superstitionibus cæcutientes & miserè hinc inde vagãtes securi negligunt, mox illis molestiam exhibent, si aliorum opera institutos & meliora edoctos salutis viam ingredi videant. Et qui tales sunt, plerunq; ne ipsi quidem Christo parcunt, quando indignæ voces publicè audiuntur, quibus euangelij doctrinam, fidem in Christum eiusq; meritum impiè & immaniter proscindunt. Hæc verò omnia faciunt sub religionis prætextu, cuius studiosissimi videri volunt, quando religionem omnem oppugnant & extinctam volunt. Exemplis hic minimè opus est, quando passim fiunt, quæ his fidem possunt facere. Vicini multiuariàm peccant.

Admonemur præterea hoc exemplo, quæ veritatis sors sit in terris, & quibus iudicibus ferè eius sectatores subijciantur: Hostibus nimirum acerrimis, qui religionis specie palliati omnẽ sibi in ecclesia potestatẽ vendicant. Tales enim fuisse phariſæos, iam sæpe diximus. Et similes illorum sunt hodie Pontifices, Cardinales, Episcopi, & qui ab his ordinantur hæreticæ prauitatis Inquisitores. Vt verò phariſæorum iniquitas omnibus nota erat, & tamen illos Iudæi obseruabant, venerabantur, & ijsdem omne imperium in religione committebant: Ita etsi hodie in omnium oculis & ore versentur pontificum tyrannis, episcoporum impostura & totius cleri papistici mores corruptissimi, tamen apud plerosque in pretio & honore sunt, qui nefas putant aduersus illos vel mutire. Et hi deinde Iudæorum istorum planè similes, non ipsi modò veritatem negligunt, verumetiã huius præcones Conciliis pontificum obijcere conantur, vt horum iudicio ecclesiæ omnes opprimantur. At neminem offendat horum iniquitas, neq; illorum potentia quisquam terreatur. Passi sunt idem olim sanctissimi cultores Dei, & idem nobis euenturum esse Christus prædixit. Sed inuicta est veritas, & triumphat semper verbum Domini, neq; vllis impiorum conatibus opprimi potest aut euerti regnum Iesu Christi, qui Ecclesiæ suæ protectorem agit fidelissimum. Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen. Veritatis sors in hoc mundo.

HOMILIA LXXXVIII.

Rursus ergo interrogarunt eum etiam phariſæi, quomodo uisum recepisset. Ille autem dixit eis: Lutum imposuit super oculos meos, & lauí, & uideo. Dicebant ergo ex phariſæis quidam: Homo iste non est à Deo, quia sabbatum non seruat. Alij dicebant: Quomodo potest homo peccator talia signa edere? Et dissidium erat inter eos. Dicunt cæco rursum: Tu quid dicis de illo, quòd aperuerit oculos tuos? Ille autem dixit: Propheta est.

Historiam de cæco nato Ioannes euangelista prolixè & diligenter describit, quia multa continet cognitu necessaria, inter quæ tria potissimùm occurrũt. Primò docet, Iesum Christum esse lucem mundi, qui solus salutifera veritatis cognitione hominum mentes illuminet, & proinde apud hunc solum quæri debere, quæcunque ad regni Dei & salutis cognitionẽ faciunt. Secundò ostendit, quomodo mundus hic erga Christum & omnes eos afficiatur, qui eius verbo & spiritu illuminati vitam emendant, & ex errorum atque superstitionum tenebris emersi ad æternæ veritatis lucem transeunt. Tertiò, vanissimos esse omnes impiorum conatus, qui veritatis lucẽ oppressam & extin-

ctam volunt, neque aliud illos proficere, quàm vt clariori fulgore sese exerat, quæ prius scintillan-
scuriores fundebat. Patet hoc ex ea narratione, quam nuper cœptam euangelista ad finem Cap.
que deducit. Quàm primùm enim hic ex Christi beneficio oculorum vsu donatus est, mox illi ne-
tium faciunt, qui vt ipsum prius inhumaniter nimis neglexerant, ita nunc illi congratulari debu-
sent, si aliquo humanitatis sensu fuissent præditi. Et quia ipsi aduersus eum nihil statuere pos-
vel audent, correptũ illicò ad pharisæos abducunt, penes quos summa rerum potestas erat, & q
Christi hostes acerrimos esse sciebant. Quod vt sæpe aliâs factum sit, & etiamnum hodie fiat, n
audiuimus. At hîc consolationis plenum est, quòd improbo suo conatu hoc vnum isti profecerunt
vt magis innotuerit miraculum, & hi quoq; de eius veritate plenè edocti fuerint, qui illud aliàs
ignorauissent omnino, vel incerto rumore ad se delatum potuissent contemnere. Fit ergo singula
prouidentia Dei, vt ipsimet rei veritatem inquirant, & quò magis quærunt, eò magis intricant
suisq; consilijs ineptis atq; iniquis sese omni populo deridendos propinant. Quam actionem modo
scribere incipit Ioannes, quæ propter multiplicem doctrinam summa diligentia inspici debet.

Pharisæi cæcũ examinant.

Primò pharisæi rursus interrogauisse dicuntur hominem, qua ratione visum receperit, qua-
uis prius rem omnem ex eius vicinis audiuissent. Poterant autem videri hoc ex officio facere, c
eorum, quæ ad religionem faciebant, iudices essent constituti. Dei enim lex est, quæ iudices mi
quæque audire, & causas omnes diligenter inquirere iubet: & quidem meritò, quando sæpe pa
mum momenti in eo situm est, quod primo intuitu leuiculum esse et ad rem nihil facere videbatur.
Vehementer ergo peccant, qui vt quàm minimo labore sese expediant, causas apud se quàm bre
mè agi volunt, & mox eorum sermonem interrumpunt, qui circunstantias omnes diligentius ex
nere incipiunt. Fatemur quidem iudicum aures non grauandas esse ambagibus nihil ad rem pe
nentibus, & Atheniensium legem probamus, qui apud Areopagitas ἄνευ προοιμίων καὶ πα
causas agi voluerunt, ne iudicum mentes affectibus abreptæ ab æquo aberrarent. At simul cau
dum esse dicimus, ne breuitatis studium obstet, quò minus rei veritas cognoscatur. Grauior au
eorum culpa est, qui sola accusatione audita, mox sententiam ferunt, neque alteri partis
suam defendendi copiam faciunt. Quoad ergo externam iuris formam rectè isti agunt, in eo au
peccant, quòd sub iuris prætextu ex istius ore calumniandi occasionem vænantur, qua aut mi
veritatem eleuent, aut ipsum malè perdant. Fecit hoc postea quoque in Christi causa Caiaph
quando illum adiurauit, vt quis nam sit apertè edicat: non aliud autem quæsiuit, quàm vt ip
damnandi causam haberet. Et hodie multa eius generis fiunt apud Antichristi mancipia, in
euangelicæ doctrinæ hostes, maximè si in homines rudes & inexercitatos incidant, quos vel qu
nibus insidiosis circunueniri, vel supplicij metu à veritatis confessione absterreri posse sperant.
hic nos semper meminisse oportet, cum quibus nobis res sit, vt cautè et prudenter agendo cum co
bina simplicitate serpentinam prudentiam coniungamus. Simul verò ista hostium veritatis
stria illorum detestabilem socordiam arguit, qui in vera salutis ratione inuestiganda omnem
rem fugiunt, cùm alteros illos tam indefesso studio eius opprimendæ occasiones quærere videant.
gnat hoc malum apud plerosque, qui euangelio Christi nomen dedisse videri volunt. Dum
Antichristi satellites frequentes conuentus agunt, & noua quotidie consilia ineunt aduersus Ch
stianæ veritatis doctrinam, ipsi interea stertunt, otio & voluptatibus indulgent, & admoniti
non excitantur, vt in hostium consilia inquirant, aut de illis dissipandis cogitẽt. Sed magno hau
biè nobis constabit ista securitas, quando flagellis excitabuntur, qui fidis admonitionibus excita
nolunt.

Cæcus pharisæis quoq; rem exponit.

Sed cæcum audiamus, qui etsi non posset ignorare, illos omnia insidiosè facere, et ingens aliq
malum parturire, ingenuè tamen & liberè respondet, & non modò quid Christus, verumetiam
ipse ex eius mandato fecerit, narrat. Lutum (inquit) imposuit super oculos meos, & laui, & vi
Est hæc ingenua & libera veritatis confessio, qualem ab omnibus requirit Christus, qui eius
puli esse & salutis in eo consortes fieri cupiunt. Inuenias hodie permultos, qui vbi periculum est
lum, fidem in Christum profiteantur, eandem verò turpiter dissimulant, aut etiam apertè negant
insidias sibi strui vident. Sunt item, qui quid euangelici præcones dixerint aut fecerint diligenter
ponunt: at quid ipsi fecerint interrogati tacent. Ita verò in ministros culpam omnem rejici

vt seipsos omni inuidia liberent. At non ita noster hic, qui rem omnem, vt gesta erat, narrans, non obscurè testatur, se ad omne periculum cum Christo subeundum paratum esse. Imitemur ergo istum, & à Christo acceptum salutis beneficium coram ijs quoq; profiteamur, quos hostes illius esse scimus, neque nos eorum pudeat vnquam, quæ ex eius præcepto benè & rectè fecimus. Exigit hoc salutis ratio, quæ nobis aliter constare non potest, quando Christus in glorioso aduentu nõ alios pro suis agnoscet, quàm qui ipsum coram mundo confitentur. Docet idem gratitudinis lex, quam ipsa natura nobis commendat. Quis enim pro acceptis beneficijs verè gratum dixerit eum, quem sui benefactoris pudet? Aut quis herus famulum, quisue pater filium ferat, quem sui pudere videt? Eò autem grauior eorum culpa est, qui Christum negant, aut accepta ab hoc beneficia dissimulant, quòd illos filij Dei pudet, quem non puduit propter nos hominem fieri, & vt nos redimeret, paupertatẽ, famem, sitim & cum omni ignominia coniunctam crucis mortem subire. Quorum consideratio olim Paulum apostolum mouit, vt diceret: Non me pudet euangelij Iesu Christi: est enim potentia Dei ad salutem omni credenti. Quod ipsum omnes Martyres sensisse, illorum mors & sanguis testantur: inter quorum dicta & facta cumprimis memorabile est, quod Polycarpus à M. Antonini Veri præfecto admonitus, vt vitæ suæ per Christi abnegationem consuleret, respondit: Octoginta & sex annis seruio ei, & nihil me læsit vnquam: quomodò possum maledicere ac blasphemare regem meum, qui salutem mihi dedit? Quæ vox vtinam omnium animis insideret, vt maiori cum fidei constantia salutis suæ causam agerent. Sed ea est multorum ignauia (ne quid grauius dicam) vt ab ijs quoq; de fide requisiti, quos absq; periculo & bono iure cõtemnere poterant, turpi potius tergiuersatione quæstiones omnes eludere, quàm verum fateri velint.

Sed ad euangelistæ narrationem redeamus, qui inter pharisæos audita istius hominis confessione dissidium exortum esse scribit. Et primi quidem ad dicendum sententiam prorumpunt, qui Christum præ alijs oderant. Ea enim odij veritatis vis est, vt moræ impatientes reddat, & quasi furore accensos ad maledicendum abripiat, non auditis prius partis alterius rationibus. Sic Caiapham fecisse scimus, cùm subdola adiuratione veri cõfessionem ex Christi ore elicuisset. Ita isti nimiùm præcipites clamant: Homo iste non est à Deo, quia sabbatum non seruat. Quibus verbis astutè Christi authoritatem eleuare, & quod sæpe aliàs conati sunt, omnibus persuadere conantur, eum spiritu familiari vti, cuius opera & ministerio miracula faciat. Si enim non est ex Deo, ea autem facit, quæ hominum vires longè superant, ex diabolo sit oportet. Atqui hoc illud est, quod diabolus omnibus seculis per sua organa cunctis persuadere conatus est, doctrinam Christi, & vniuersum nostræ redemptionis negotium, cuius ille author est, non ex Deo esse, & proinde omnes eos falli, qui in eo suæ salutis fiduciam collocant. Et quid hodie aliud faciunt, qui ex euangelij doctrina turbas, seditiones, & cum omni calamitatum genere publicam quoq; quiduis audendi licentiã exoriri clamant? Quia enim hæc diaboli opera sunt, ex Deo dici non potest doctrina, quæ istis semina aut materiam submistrat. Sunt ergo clamores eiusmodi diligenter excutiẽdi, ne horrendis blasphemijs in ipsum Dei filium peccemus, quando cum hominibus ministris nobis rem modò esse putamus. Quam verò rationẽ illi afferunt, vt Christum non ex Deo esse probent? Quia sabbatum non seruat. Hoc autem dicendo bifariam peccant. Primò, quòd de facto pronunciant, cuius rationẽ nondum ea qua decebat diligentia inquisiuerunt. Prius enim legẽ Dei inspici & omni carnis affectu posito quæri oportebat, an sabbati violator censendus sit, qui eo die homini beneficium dedit, & in necessitate aliqua constitutũ liberauit. Deinde contumaciter & impudenter nimis hoc ipsum crimen ei denuo intentant, quod illam ante non semel diluerat, sicuti Capite quinto & septimo vidimus: & à quo Lex ipsa eum liberabat. Hæc enim non quæuis, sed seruilia modò opera prohibet, & vt à nostris negotijs cessemus iubet, quæ absque vlla iactura aut damno luculento intermitti possunt. Licebat etenim die sabbati quem ex fouea extrahere, equos & boues aquatũ deducere, & alia eius generis facere, quæ morã nullam admittebãt. Nec vspiã prohibita fuisse cõstat opera, quibus Dei gloria prouehitur, & proximus in necessitate constitutus adiuuatur. Isti tamen partim hominũ traditionib. decepti, partim odio & inuidia abrepti contra Christum hoc pronunciare non verentur. Sunt horum similes hodie, qui nos criminibus atrocissimis grauare non desinunt, etsi iamdudum ad ea abunde sit responsum. Quòd nimirum ab ecclesia catholica discesserimus, quòd fidei vnitatem scindamus, quòd in Deos & impri-

Pharisæi inter se dissident.

mis Mariam virginem contumelioſi ſimus, quòd morum licentiam & peccandi impunitatem
hamus, quòd item ſacramenta impiè prophanemus. Quæ cum illi contra nos detonare non dé
piorum fuerit rem ipſam inſpicere, & mox patebit, nequaquam pro eccleſiæ deſertoribus hab
eſſe, qui Chriſtum eccleſiæ caput agnoſcunt, eius ſolius vocem audiunt, & illi obedire ſtudent,
ſtabit etiam fidei vnitatem minimè ab ijs ſcindi, qui ad vnum Chriſtum omnes colligunt & v
illo omnem ſalutē monſtrant: ſed ab ijs potius, qui diuerſas ſalutis vias ſequuntur, diuerſas ſi
gulas fingunt, & factioſa nomina imponunt ijs, qui in Chriſti nomen baptizati ſunt. Sed neque
uos à nobis contemni aut vlla cōtumelia affici apparebit, cùm illos electa Dei organa olim fuiſ
nunc cum Chriſto in cœlis regnare fateamur, doctrinam verò eorum & exemplum omnibus
quo poſſumus ſtudio commendemus. Qua autem fronte morum licentiam per nos inuehi dicant,
nes norunt, qui nos in concionibus & ſcriptis noſtris hoc potiſſimùm vrgere vident, vt carnis
ctus atq; rationem per fidei obedientiam Dei verbo ſubijciant quotquot Chriſtiani dici aut
ri volunt. Qua verò ratione ſacramentorum prophanatores dici merentur, qui illud vnum cu
dunt, vt in ijs prima Chriſti inſtitutio valeat & ſeruetur? Et hæc quidem per annos amplius
draginta, iam millies tractata ſunt, adhuc tamen aduerſarios noſtros non pudet eadem nobi
ijcere, quamuis ſe rationibus planè deſtitutos eſſe non ignorent, quibus cauſam ſuam tueantur.
ita cramben bis coactam, imò ſexcenties reſorptam, infelici vulgo proponunt infelices illi cu
Antichriſtianæ culinæ nidor & purgatorij ignis quæſtuoſus fumus verum videre & ſentire
patitur.

Chriſtus inter phariſæos inuenit patronos.

Cæterùm acerrimis hiſce Chriſti hoſtibus opponunt ſe alij nonnulli, qui etſi adhuc infirmi
ſint, iam tamen rectius ſentire cœperunt. Quomodo poteſt (dicunt illi) homo peccator talia
edere? Peccatorem dicunt, quem alteri illi non ex Deo eſſe dixerant, vt hominem flagitioſum
defectorem à Deo notarent. Argumentantur autem iſti ad hunc modum: Qui à Deo flagitioſ
ciunt, ſigna non poſſunt edere: At Ieſus ſigna edit ſtupenda. Ergo non defecit à Deo, & pe
quens non eſt prophanus ſabbati violator. Etſi verò bene hoc dicant, argumentum tamen
ſe non ſatis firmum eſt: quando conſtat, ſigna interdum ab impoſtoribus quoq; fieri, quales
gypto Magi fuerunt, qui Moſis ſigna imitati ſunt, & quales in gentium hiſtorijs paſſim
runt. Et in lege Deus pſeudoprophetas aliquando ſigna facturos eſſe monet, quibus tamen
debeat haberi, ſi à vero cultu deflectionem ſuadeant. Multos præterea Chriſtus ſignis claru
ſtatur, quos ipſe in die nouiſſimo pro ſuis nolit agnoſcere, quia non faciant Dei patris ſui
tem. Et Antichriſtum cum ſuis emiſſarijs ſigna & prodigia æditurum eſſe, ſcripture non
docent. Permittit ea Deus fieri iuſto iudicio, vt vel ſuorum fidem probet (vt Legis verba
vel vt incredulos & rebelles magis induret, qui veritatem ſibi oblatam admittere nolunt: i
Paulus in poſteriori ad Theſſalonicen. de Antichriſto ſcribens annotauit. Itaq; imbecillius eſt
diximus) hoc argumentum, quo iſti cauſam Chriſti defendunt. Attamen illo optimè vtuntur
quando ea occaſione ſchiſma oritur, & inter ſeipſos committuntur, qui ad Chriſtum opprimen
uenerant. Vbi primò diligenter obſeruari debet Dei prouidentia, qui inter hoſtes quoq; aliquos
tare poteſt, qui illorum conſilia turbent & conatus impediant. Fit hoc plerunq; ea ratione, vt
tuò non intelligant, neq; de modo agendi conuenire poſſint, quorum alioqui idem eſt inſtitutum
ſtudium. Sic qui turrim Babel ædificare conabantur, linguarum diuiſione impediti ſunt, quo
opus incœptum abſoluerent. Sic qui aduerſus Chriſtum producti fuerunt teſtes falſi in Sacerdo
Concilio, inter ſe commiſſi ſunt, cum non eadem de illo loquerētur. Et inter Pauli aduerſarios
riſæos atq; Sadducæos, ſubitò exortum diſſidium ſanguinaria ipſorum conſilia turbauit, & illum
ipſorum manibus eripuit. Quò etiam referri poteſt quod ſub finem Cap. 7. nuper audiuimus. N
autem horum omnium hic vſus eſſe debet, vt primò quidem non terreamur hoſtiū Chriſti mul
conatibus, quos ille tam facilè diſſipat: deinde verò, vt qui in fide adhuc infirmi ſunt, veritati
clitanti qualecunq; patrocinium nō denegēt, quando cōſtat paucula verba (ſi ita Deus velit) ſa
bandos impios ſufficere. Admonet præterea locus iſte, nō ſtatim dānari debere doctrinā, quæ
ius ſchiſmatis aut diſſidij cauſa eſt. Sunt enim diſſidia bona quædā, vt in exemplis modò adductis
dimus, quibus cum publico bono ſcinduntur, qui in publicam perniciem omnium coniurant

Adhæc ex Euangelij prædicatione diſsidia exoritura eſſe, Chriſtus prædixit, quibus intimi quiq; & familiares abs ſe inuicẽ auellantur. Id verò per accidens (vt dialectici loquuntur) ſolet fieri. Euangelij enim doctrina per ſe pacem inter ipſius ſtudioſos conciliat veram & ſolidam: turbæ autem ex eo oriuntur, quòd impij illam nec ipſi admittere, nec vt ab alijs admittatur ferre volunt, eandem verò pij negligere aut abijcere nullo modo poſſunt. Sed hæc alterius loci ſunt.

Nunc ad phariſæos redeamus, qui ne obortum inter ſocios diſsidium magis exardeat, omiſsis illis, ipſum cæcum denuo aggrediuntur, & quid ipſe de Chriſto ſentiat, quærunt. Sperant enim illum vel metu perculſum, vel ordinis ipſorum authoritate ſuperatum aliquid dicturum eſſe ex animi ipſorum ſententia. Eſt hoc quoque impijs proprium, quòd cùm contra veritatis cauſam nihil poſſint, in perſonas impetum faciunt, quas vel minis & potentia ſua terrere, vel blanditijs & promiſsis à veri confeſsione abducere, vel inſidioſis quæſtionibus circunuentos omnium ludibrio exponere ſtudent. Aut ne quid improbitatis omittant, abſentes proſcindunt, & diligenter corradunt quæcunque odium vel inuidiam illis conciliare poſſunt. Hîc ergo fortitudine ſimul & prudentia opus eſt: cuius ſingulare exemplum in iſto homine proponitur. Interrogatus enim quid de Chriſto ſentiat, Prophetam eſſe reſpondet. Quæ confeſsio etſi non plena aut perfecta ſit, directè tamen illorum ſententiæ opponitur, qui illum ex Deo eſſe negabant, & quod ipſis maximè dolebat, hoc ex hominis egeni ore coguntur audire moleſti illi & importuni inquiſitores. Quod ipſum hodie ſæpe contingit, vbi illud hominum genus regnat, qui Chriſti cognitionem in omnium animis extinguere conantur. Tunc verò illis indignum videtur, homines idiotas & illiteratos eximijs ſacræ theologiæ doctoribus & patribus reuerendiſsimis in aliquo contradicere. At nos ſingulare Dei opus agnoſcamus, qui hoc etiam loco hominem mendicum, illiteratum & cæcum ex matris vtero iſtis oppoſuit, qui eo tempore in populo Dei ſupremum dignitatis gradum obtinebant. Minimè ergo audiamus eos, qui religionis cauſam ad ſolos Epiſcopos cornutos pertinere aiunt, aut multitudinis ſuffragijs ſtandũ eſſe contendunt, ſiquidem Veritas ex ſemetipſa ſuam authoritatem habet, neque vllis hominum teſtimonijs nititur. Interim iſtius exemplum imitemur: Prophetam eſſe fatetur Chriſtum. Nos verò magnum illum prophetam eſſe agnoſcamus, quem olim Moſes promiſit, & cuius contemptores ex populo ſuo Deus excindi vult. Simus autem fortes in eius cõfeſsione, neque hominum minis terreamur. Si enim tam intrepidus fuit mendicus hic, qui Dei filium eſſe adhuc neſciebat, quis non eorum ignauiam deteſtetur, qui eum abnegant, quem Dei filium eſſe, & omnem poteſtatem in cælo & in terra acceptiſſe norunt? Animum verò nobis addant promiſsiones eius, quibus & ſuam in hoc ſeculo præſentiam, & in glorioſo ſuo aduentu ampliſsimam remunerationem pollicetur: fore nimirum, vt qui ipſum coram hominibus confeſsi ſunt, cum ipſo regni cæleſtis hæreditate fruantur. Illi debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.

Phariſei cæcũ de fide in Chriſtum interrogant.

HOMILIA LXXXIX.

Nõ crediderunt ergo Iudæi de eo quòd cæcus fuiſſet, & uiſum recepiſſet, uſquequò uocarunt eius parentes, eius nimirũ qui uiſum receperat. Et interrogauerunt eos, dicentes: Hicciné eſt filius ille ueſter, quem uos dicitis cæcum natum eſſe? quomodo ergo nunc uidet? Reſponderunt eis parentes eius, & dixerunt: Scimus quòd hic eſt filius ille noſter, & quòd cæcus natus eſt. Quomodo autẽ nunc uideat, neſcimus: aut quis eius aperuerit oculos, nos neſcimus: Ipſe ætatem habet, ipſum interrogate, ipſe de ſe loquetur. Hæc dixerunt parentes eius, quòd timerent Iudæos. Iam enim conſtituerant Iudæi, ut ſi quis eum confiteretur eſſe Chriſtum, ſynagoga moueretur.

SPiritus ſanctus per Ioannem Euangeliſtam non modò miraculum Ieſu Chriſti, quo hominẽ cæcum ab vtero matris viſu donauit, recenſeri voluit, verumetiam diligẽter deſcribi concertationem, quæ inde mox fuit exorta inter Phariſæos, præcipuos tunc temporis religionis & doctrinæ an-

tistites, & eum qui Christi beneficio illuminatus fuit. Docet ea, perpetuum hoc fore mundi ingenium, vt lucem veritatis non ferat, eò quòd opera sua argui non vult, quæ prava esse Christus asserit.

Exemplum examinis Antichristiani.

tur. Imprimis verò obseruabis proponi hîc exemplum examinis aut inquisitionis fidei, qualis hodie fieri solet contra eos, qui euangelij cognitione illuminati, ab ecclesia Romana deficiunt. Iudicium ergo non oscitanter cùm quid isti agant, tum qualem se gerat cæcus hic noster, vt huius eandem constantiam & ingenuam fidei confessionem imitari, hostium verò artes insidiosas & laqueos subterfugere discamus. Hîc autem primùm occurrit, quòd cùm de miraculo per vicinos abunde docti essent, vt illud reuera gestum esse dubitare non possent, ipsum Christum suspectum facere nantur, vt qui ex Deo non sit, sed per artes & media illicita huiusmodi signa edat: & huius sententiæ rationem adducunt, quòd sabbati religionem violando, legem Dei palàm transgredi videatur. Ita hodie in Euangelij ministros primum impetum faciunt inquisitores, & eos hominess bulentos, seditiosos & carnis voluptatibus addictos, & proinde indignos esse clamant, quibides habeatur. Deinde vbi aliquos esse vident, qui Christo vtcunque patrocinantur, non ad rum argumenta respondent, sed astutè cæcum aggrediuntur, & quid ipse de Christo sentiat rogant. Sperant autem meu perculsum aliquid responsurum esse ex ipsorum sententia. Sole ipsum hodie etiam fieri, vt omissis ijs, qui authoritate & rerum vsu valent, rudiores pariter oppugnent aduersarij, & terriculamentis inanibus à veri confessione absterrere satagant. Ab illos hæc quoque spes fefellit, & cæcum in Christi confessione constantem esse vident, mox consilium ineunt, & actionem instituunt cum parentibus eius, quæ in præsenti describitur, illis non minus infeliciter cessit, quàm quæ prius tentarunt. In omnibus verò his ducitur consolationem habet, quòd Christi gloriam & miraculi veritatem quàm maximè illustrarunt eam opprimere, aut saltem obscurare conati sunt. Fit hoc ipsum etiam hodie, vt suis inquisitibus multorum fidem aduersarij in lucem protrahant, quæ prius latebat, & ita occasionem beant multis de ea diligentius cogitandi, qui prius communi errore ebrij disputationes eius prorsus negligebant. At quia hæc in ipsa actione clarius videri possunt, ad huius loci tractationem accedamus, quo multa continentur, quæ nos docent atq; consolantur.

Pharisæi miraculum conantur in dubium uocare.

Principiò narratur, quis ingenuæ istius confessionis de Christo, quam homo ille edidit, fuerit apud pharisæos, quos hic simpliciter Iudæos dicit Ioannes, ex eorum nimirum opinione, qui Iudæorum, id est, populi Dei & ecclesiæ titulum sibi solis vendicabant, & quæcunque fiebant, publica ecclesiæ totius authoritate facta esse volebant videri. Quales hodie sunt episcopi Conciliis suis ecclesiæ nomen tribuunt, & totius Christianitatis (vt ipsi loquuntur) decreta firmant, quæ in illis constituuntur. Sed quid isti fecerint, audiamus. Non crediderunt de eo, quod cus fuisset, & visum recepisset. Quid (inquis) audio? Atqui rem omnem ex vicinis audierant, eadem ipsum hominem interrogarant, in quo miraculum fuerat editum: quorum omnium nuntibus illos fidem habuisse, ex eo patet, quòd Christum ob violatam sabbati religionem dixerunt esse ex Deo. Qua ratione ergo nunc dicuntur non credidisse, quòd hic vnquam cæcus fuerit, et Christum oculi eius fuerint aperti? Cur item, si nihil tale factum est, Christum violati sabbati cusauerunt? Sed facilis est ad ista responsio. Non enim simpliciter dicere voluit Ioannes, quod crediderint, aut non crediderint, sed potius hostium veritatis mores hac locutione exprimit, vt dat, illos noluisse credere id quod verum esse sciebant, quodque oculis ipsorum ita expositum vt negari nullo modo posset. Fuit ergo incredulitas ista voluntaria, vel potius violenta, quam sibi accersiuerunt: qualis eorum est, qui quæ vera esse nollent, credere nolunt, licet rationibus mis & efficacissimis conuincantur. Hi ipsi sibi obstacula fidei ponunt, & solicitè omnia conquirunt vt rei veritatem dubiam & suspectam reddant: & hoc tunc quoq; agunt, quando verum manifestum videntur. Tales hodie multi sunt, qui & conciones sacras audiunt, & scripturas legunt, item libros euoluunt, studij verò sui non alium finem sibi propositum habent, quàm quòd argumenta quærunt, quibus suam incredulitatem foueant, inque ea magis confirmentur. Fiunt isti illi quæ prius vtcunque cernebant, vt tandem ne possint quidem amplius credere, quæ antea vera esse: cùm quòd ipsi sic volunt, tum quòd Deus huius seculi (vt Paulus ait) illorum

cæcat, vt videntibus oculis verum intueri non possint, adeoq; quod sciunt, nesciant. At ijdem dum insano impetu aduersus Christum insurgunt, & eius gloriam obscurare volunt, suæ existimationi quàm maximè derogant, sicuti in istorum exemplo patet. Nam dum miraculum verè editum esse negant, primò vicinorum fidem suspectam faciunt, quos ordinis ipsorum obseruantissimos fuisse apparet, & fortassis inter eos aliqui fuerunt, quorum opera ipsi in explorandis Christi dictis & factis antehac vti consueuerant. Deinde seipsos arguunt, qui præcipiti nimis iudicio Christum damnarint, quasi sabbatum violauerit. Solent huius generis multa accidere ijs, qui aduersus veritatem conspirant. Tanta enim in illis odij vis est, vt eos tam suijpsius quàm proprij honoris immemores reddat: quo fit, vt nihil tam iniquum tamq; absurdum sit, quod non faciant, si per illud veritatem opprimi posse sperent. Terreant ergo nos ista exempla, ne huic pesti apud nos locum demus, & primis initijs resistamus, ne si radices altius egerit, tandem incurabilis fiat.

Pharisæi parentes cæci examinant.

Qua autem ratione, aut quo prætextu isti incredulitatem suam velare studuerunt? Vocant parentes eius, qui visum receperat, qui & ipsi procul dubio homines erant tenuioris fortunæ & rerum inexperti. His in medium productis magna cum grauitate aiunt: Hiccine est vester ille filius, quem vos dicitis cæcum natum esse? quomodo ergo nunc videt? Coniungunt verò quæstiones tres, vt magis vrgeant & attonitos reddant homines rudes & simplices. Primam, an hic sit ipsorum filius? Secundam, an cæcus natus sit? Tertiam, qua ratione aperti sint eius oculi? Et quia in secunda maximè versabatur huius controuersiæ status, eam non sine aliqua comminationis specie proponunt: Quem vos dicitis cæcum natum esse. Quasi dicerent: Audimus vos multa garrire de hoc vestro filio, quod ex vtero matris cæcus fuerit: quod qua ratione dicatis, nescimus. Atqui videte etiam atque etiam ne quid fraudis subsit. Potuit enim hucusq; istud ferri, quando ad vos & illum tantummodo hæc causa pertinuit, & eò vberiorē ex mendicatione quæstum habuistis, quòd hunc ita natum fuisse omnes existimauerunt. At quia nunc tale quid accidit, quo doctrina & religio nostra in dubium vocatur, nullus amplius dissimulationi locus est. Videte ergo ne nos quoque, ad quos hæc cura imprimis pertinet, fallere in animum inducatis. Quòd si verò omnino cæcus natus fuit, scire ex vobis cupimus, quis eius oculos aperuerit, aut qua ratione istud sit factum? Hic (inquam) verborum sensus est, quibus hoc effectum volunt, vt aut cæcum vnquam fuisse negent, & ita miraculum in vniuersum aboleant: aut de Christo aliquid respondeant, vnde ipsis maior & plausibilior detur aduersus illum procedendi occasio, sicq; totus miraculi effectus apud populū euanescat. Astutè verò parentes aggrediuntur, quos infirmiores & minus instructos fore sperant, quando ipsum cæcum intrepida constantia armatum vident: & in eo rei militaris peritos imperatores imitantur, qui minus munita vrbium loca oppugnant, inq; aciem hostilem ea parte impetum faciunt, vbi tyrones parum adhuc exercitatos aut inermes constitutos cernunt. Est autē hic præ alijs obseruandum, quàm insolenter impij antistites simplicis vulgi & tenuioris conditionis hominum infirmitate abutantur. Quādo enim veritatem inquirere videntur, sic agunt, vt minaci suæ authoritatis ostentatione à veri confessione absterreant magis, quàm ad eam inuitent. Sic Cap. 7. illos fecisse audiuimus, quando seruos de Christo honorificè loquentes acerbis verbis excipiunt, & ordinis sui splendore territant. Fit hoc frequenter hodie: sed tunc fortitudine & præsenti animo opus est, cuius exemplum nuper in cæco vidimus: neque eos timere decet, qui hoc ipso ostendunt quàm miseri & infelices sint, quòd tyrannidem suam non alijs fulcris quàm vulgi opinione & inconstantium hominum defectione consistere putant.

Parentum cæci responsio.

Cæterum audiamus parentes istius hominis, qui ad duas priores quæstiones ingenuè respondent, & omne dubium è medio tollunt. Dicunt enim: Scimus quòd hic est filius noster, et quòd cæcus natus est. In tertia verò tergiuersantur, & ne quem offendant, aut in periculū veniant, rem omnem in filium reijciunt. Quomodo autem nūc videat (aiunt) nescimus, aut quis eius aperuerit oculos, nos nescimus: Ipse ætatem habet, ipsum interrogate, ipse de se loquatur. Vbi etsi multa concurrant, quæ reprehensionem merentur, vt postea audiemus, nouo tamen exemplo docemur, hostium conatibus veritatem & Dei gloriā prouehi potius quàm impediri. Voluerunt enim isti miraculum hoc in dubiū vocare, sed hoc agendo omnem dubitandi causam & occasionem ex hominum animis auferunt. Cùm enim, qui hominem prius non nouerant, eum cæcitatem falsò simulauisse suspicari possent, nunc omni suspitione sinistra liberantur, quando parentes eius, homines alioqui meticulosos, hanc ingenuè confi-

terì & constanter affirmare audiunt. Sunt huius generis exempla multa in historijs, & hoc ... debet, quod Christi regnũ persecutionibus semper propagatũ fuisse legimus. Ita verò impletur ... uidis vaticinium, qui Deum hostium suorum consilia ex alto deridere ait. Nos verò exemplis ... modi confirmati, fidei nostræ confessionem constanter tueamur.

Infirmitatis humanæ exemplum.

Interim consideremus in parentibus istis humanæ infirmitatis exemplũ, quo docemur, quid ... ijs eueniat, qui in homines potius quàm in Deum respiciunt, & quando fidei causa agitur, carnis ... tionem in consilium adhibent. Primò enim ingrati sunt isti Christo, quem ob tantũ beneficium ... exhibitum colere, & pro eodem nihil non facere debebant. At ingrato homine nihil turpius & ... stius esse, ethnici olim intellexerunt, eò quòd hunc in leges naturæ peccare viderent, quæ bellum ... que accepti beneficij sensum inseuit. Cicero certè in ingratitudine nihil non mali inesse dicebat. ... de turpiter etiam mentiuntur, dum se scire negãt, quomodo & à quo filius visum acceperit. Quan... do enim ipsi ignorare potuerunt, quod vicinis omnibus iam innotuerat, & in omnium ore versa... tur? Quid verò turpius, quàm in mendacio deprehendi? Ita enim indelebilem vanitatis notam ... homines inurunt, & in posterum quoque dictis omnibus fidem derogant. Tertiò priuatum com... dum gloriæ Dei præferunt, seque indignos esse produnt, qui posthac à Deo curentur. Praeterea ... us periculum declinando pluribus & grauioribus sese implicant, quando Deum sibi iratum facit. ... Imò filium (quantum in ipsis est) in periculum adducunt, quod naturæ legibus aduersatur, quae ... rentes mouet, vt cum vitæ propriæ periculo liberis in aliquo discrimine constitutis succurrant. ... quod isti passi sunt, hodie multis accidit, qui mundo placere instituunt, & humanis consilijs ... tur quando de fide & religione sermo est. Nam salutis per Christum acceptæ immemores, de ... bili ingratitudine sese polluunt, dum priuati commodi & securitatis suæ maiorem quàm gloriæ ... rationem habent. Idem de fide requisiti mentiuntur, quod cùm in omni causa turpe sit, in religio... negotio etiam flagitiosum & cum salutis iactura coniunctum est. Plerunque verò mala grauia ... bi accersunt, seque ipsos cum suis omnibus periculis inextricabilibus inuoluunt; cuius rei primum ... plurima exempla hodie ob oculos haberemus. Discamus ergo homine Christiano nihil salutari ... tutius, nihil item gloriosius esse, quàm ingenuam veritatis confessionem & intrepidam confessionem ... periculis, si quæ eius nomine subeunda sunt.

Sors populi sub impijs sacerdotibus.

Obseruabis præterea miseram & infelicem sortem populi sub impijs sacerdotibus aut domi... ribus fidei. Audent isti fateri hunc suum esse filium, & eundem ex ipsis cæcum natum esse, sed ... sto illuminatum esse. fateri non audent, & ex eo periculum præsens metuunt. Est eadem indoles ... torum conditio sub ijs, qui omnem religionis & fidei cognitionem Episcopis & præsulibus, ... Romani Pontificis verba iurarunt, committere solent. Ferunt hi quoque vt te peccatorem ... tearis, imò cogunt, vt flagitia tua omnia in sacrificuli aurem insusurres: Vt verò Iesum Chri... fatearis, & hunc nobis à Deo iustitiam, satisfactionem, sacrificium & vnicum mediatorem ... esse dicas, nunquam ferent. Ita enim quæstus ipsorum decederet, quem illi ex suis satisfactio... conscientiarum carnificina vberrimum faciunt. Feret item mundus, vt scorteris, mœcheris, ... perpotes, ludas, iura legesque euertas, cædibus, rapinis, incendijs omnia vastes; Sed vt Christ... uias, & relictis superstitionibus vnum Deum colas in spiritu & veritate, hoc demum omnia... intolerabile flagitium esse putatur. Et vtinam non audirentur principum voces, qui suis quidem ... gendi copiam faciunt, modò ab Euangelij lectione & fidei (quam ipsi nouam & hereticam dic... professione sibi temperent. Exempla huius generis horrenda adducere possem, sed nominibus ... ne grauibus causis parco, neque eorum commemoratione opus est, quando qui in illis locis ... plura quotidie quàm ipsi velint, vident atq; audiunt.

Christi confessores excommunicantur.

Porrò causam videamus, quæ istius parentes mouit, vt tergiuersatione hac aut dissimula... sint vsi, quam Ioannes his verbis exponit: Hæc dixerunt, quòd timerent Iudæos. Iam enim con... tuerant Iudæi, vt si quis eum confiteretur esse Christum, Synagoga moueretur, id est, excommu... tus à societate populi Dei siue ecclesiæ excluderetur. Iterum verò Iudæos nominat, cùm de Pha... sæis loquatur, qui communi omnium nomine causas fidei atque religionis tractabant. Ad hos ... cæcum vicini deduxerant, coram illis hæc causa agebatur, & eosdem infra Cap. 12. diserte nom...

bi, vbi hæc habentur: Ex principibus quoque multi crediderunt in eum, sed propter Pharisæos non confitebantur, ne synagoga mouerentur. Vbi non temere quis miretur, eos qui in populo Dei tunc primatum obtinebant, tale quid constituisse, & quidem publico Concilij decreto. Hoc enim vox Græca innuit, qua Ioannes vtitur. Ergo ab ædificantibus reprobatur Christus, quod fore olim Dauid prædixerat, idque publica Concilij authoritate. Vides itaque quid Conciliis tribui debeat, & quàm vani sint, qui illorum decretis, ceu oraculis irrefragabilibus, standum esse contendunt. Fallit eos magnificus successionis Apostolicæ titulus, quo Episcopi & Pontifices gloriantur, & quòd spiritus sancti gratiam certis locis & personis alligatam esse putant. Sed verumq; falsissimum esse, horum exemplum docet, qui & sacerdotium tenebant ab ipso Deo institutum, & sanctissimorum sacerdotum successores erant, qui olim Iesu Christi typum gesserant, adhæc Hierosolymis suam habebant cathedram, quam vrbem Deus suæ legis & cultus sedem perpetuam fore dixerat: attamen circa summum fidei & salutis caput turpissimè errant, quando hæreticos pronuntiant & ab ecclesiæ communione excludunt eos, qui Iesum fatentur Christum, id est, vnctum Dei & promissum seruatorem esse.

Quoad verò excommunicationem, quam isti timuisse dicuntur, erat ea solennis exclusio siue segregatio ex cœtu ecclesiæ Dei. Et inter Iudæos tunc potissimùm cœperat exerceri, quando sub prophanis principibus, qui religionem non magni faciebant, maior erat morum licentia, quam disciplina ecclesiastica coercendam esse viri pij & cordati videbant, ne religionem & legis diuinæ doctrinam gentium ludibrio & calumnijs exponeret. Timebant hanc boni quique meritò, quia excommunicati infamia publica notabantur, à commercijs & ciuilium negotiorũ vsu excludebantur: et quia non amplius in eorum numero censebantur, ad quos diuini fœderis promissiones pertinebant, fieri nõ poterat, quin conscientijs quoque grauem molestiam exhiberet, quas hoc potissimùm argumento satan tentat, quòd se indignos esse sibi persuadent homines, ad quos salutis in Christo exhibitæ promissiones extendi debeant. Fuit itaque excommunicationis vsus multus & necessarius illo tempore. At postquàm sub Hircano sectæ irrepserunt, & sub Herode atque Romanis præsidibus vetus sacerdotij dignitas sublata fuit, & sub religionis prætextu res suas agere cœperunt qui sacris præerant, excommunicatione etiam abusi sunt ad stabiliendam tyrannidem suam, qui ne quid præter officium à quoquam fieret, cauere debebant. Nimiùm ergo stulti fuerunt isti, qui excommunicationis metu Christum abnegarunt, nisi fortassis de externis modò soliciti, religionem & salutem animarum facilè neglexerunt. Seruiunt hæc nobis quoq;, & quid hodie in simili casu obseruari debeat, docent. Constat enim in veteri etiam Christianorum ecclesia excommunicationem in vsu fuisse, quando magistratus omnis penes gentes prophanas erat, neque vllis politicis legibus aut pœnis morum licentia coercebatur. Et hodie etiam disciplina ecclesiastica opus est, quæ in reformatis ecclesijs instituta, diligenter seruari debet, ne magistratuum indulgentia, quæ vbique ferè regnat, Euangelij doctrinam exteris suspectam reddat, & vt ipsi quoque in officio contineantur, neque sibi quiduis in ecclesia licere putent. At quod inter Iudæos accidit, vt impij sacerdotes hoc telo contra Christum pugnarent, hoc ipsum inter Christianos factum est, vt Romani Pontifices excõmunicationis fulmine contra eos imprimis abusi sint, qui ipsorum libidinem atque tyrannidem coercere conabantur. Fuit ea res magnorum tumultuum causa, & iam seculis aliquot orbem Christianum bellis ciuilibus afflixit, & multos etiam Imperatores & Reges horribiliter exercuit. Et hodie fulmen istud excommunicationis contra omnes eos vibrant Romani Pontifices, qui Euangelij doctrina illuminati ab illis deficiũt. Sed sunt hæc bruta fulmina, quæ nemo pius timere debet. Primò enim, qui ipsi ecclesiæ membra aut pastores non sunt, ij alios excommunicandi potestatem habere non possunt. Quomodo autem ecclesiæ membra & antistites censeri poterunt, qui neque Christum caput suum agnoscunt, neque ex verbi sui semine renati sunt? Deinde maledicunt quidem illi, sed Dominus benedicit, maledictio autem in illorum capita recidet, vt in Psalm. 109. scribitur. Perpetuò enim rata erit promissio, qua Abrahamo dicit Dominus: Benedicam eis, qui tibi benedicunt: maledicentibus autem tibi maledicam. Et illud Psalm. 3: Domini est salus, super populum tuum benedictio tua. Quibus etiam hoc adde, quòd benedictionis in Christo non poterimus consortes esse, nisi ab Antichristi Synagoga secessionem faciamus. Quæ enim communio Christo cum Belial? Cur ergo graue nobis sit

De excommunicatione.

eijci ab illis, à quibus omnino discedendum erit, etiamsi nos ipsi retinere cupiant. Intellexit hoc L. douicus Imperator, quartus eius nominis, & primus fœderis Heluetici confirmator, qui excommunicationis sententiam à Pontifice contra se prolatam cum gratulatione excepit, & se Christi membrum esse eo argumento probauit, quòd ab Antichristo esset damnatus. Et sanè cæcum hunc nobis postea à Christo receptum esse audiemus, cùm illum pharisæi synagoga mouissent. Horum nos mores, in tuenda veritate fortiter pergamus in finem vsque, vt sub Christi Iesu protectione vitam hanc piè transigamus, & cum eodem olim colligamur ad cœlestis patriæ consortium. Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

HOMILIA XC.

Secundò ergo uocarunt hominem qui fuerat cæcus, & dixerũt ei: Da gloriam Deo: nos scimus, quòd hic homo peccator est. Respondit ergo ille, & dixit: An peccator sit, nescio: unum scio, quòd cæcus cùm fuerim, nunc uideam. Dixerunt autem ei iterum: Quid fecit tibi? quomodo aperuit tuos oculos? Respondit eis: Dixi uobis iam, nec audistis: cur iterum uultis audire? Num & uos uultis discipuli eius fieri? Conuitiati sunt ergo illi, & dixerunt: Tu discipulus illius esto: nos autem Mosis discipuli sumus. Nos scimus, quòd Mosi locutus est Deus: hic autem unde sit, nescimus.

QVemadmodum Dominus noster Iesus Christus indefesso studio ea obiuit, quæ hominis saluti seruiunt: Ita non minori cura Iudæorum sacerdotes & scribæ eius gloriam obscurare & extinguere conati sunt. Exempla eius generis Euangelistæ multa proponunt, inter quæ merito principuum censeri debet, quod hoc Cap. describitur. Cùm enim ille hominem ex vtero matris cæcum miraculose curauisset, tantum laboris & negotij sumpserunt vt eius miraculi veritatem & efficaciam obscurarent, vt mirum sit, homines in summa authoritate constitutos tantum laborare potuisse opprimendo homine misero & propter mendicitatem infami. Primò enim etsi historiam omnem à victimis eius audiuissent, eandem tamen ex ipso quoque audire volunt. Et quia opus hoc in die sabbati factum esse intelligunt, Christum violatæ legis diuinæ accusant, vt eo prætextu miraculi authoritatem derogent. Deinde cùm hoc non satis firmum esse viderent, neque deessent qui illud protrocinarentur, ipsum factum negare & in dubium vocare instituunt, & ideò parentes illius vocant & eos num ille ex ipsis cæcus natus sit, interrogant. At vbi in hoc etiam conatu falsi sunt, eum aggrediuntur, in quo signum hoc editum fuerat: & in hoc congressu mirificis artibus vtuntur, additijs minas coniungunt, imò conuitia quoque, & tandem publica authoritate excommunicant quem inuicta animi constantia præditum esse vident. Hæc autem diligenter describuntur ab Euangelista, quia ad institutionem & consolationem nostram plurimùm faciunt. Primò enim de Iesu Christi potentia testantur, quam immensam & infinitam esse oportet, cùm contempti & miseri hominis, vel potius vilissimi mendici opera aduersus tantos viros tam feliciter vti potuerit, & eorum ludibrio exponere. Quid ergo illum non posse putabimus, si absoluta potentia vti, aut cœlum fulminare voluerit? Deinde ceu in speculo proponuntur hostium euangelij artes atque dolí, quibus cautius à nobis caueri queant. Adhæc istorum exemplo nostram ignauiam spiritus sanctus arguit, qui in causa bona & sancta nimiùm frigemus, & nos ab ijs vinci patimur, qui superstitiones tantas tanto studio atque labore tuentur. At quia hæc omnia in actione ipsa subinde recurrent, singulas præsentes partes inspiciemus.

Pharisei cæcũ blanditijs & sub religionis prætextu solicitant, &c.

Principiò, quia ex parentibus nihil elicere potuerunt, quod ipsorum instituto seruiret, iure & imperio suo eum vocant, qui cæcus fuerat, & amicè illi dicunt: Da gloriam Deo: nos scimus quòd hic homo peccator est. Sunt autem hæc insidiosa nimis. Hoc enim effectum volunt, vt [illegible] vnquam cæcum fuisse, aut à Christo curatum esse neget. Et vt tale quid ab illo eliciant, tribuas [illegible]

mentis eum vrgent. Primò religionis prætextu vtuntur, & eum quasi adiurãt, aut saltem sub Dei nomine obtestantur, vt quod verum est fateatur. Videtur enim hæc solennis formula fuisse, qua in quæstionibus & examine facinorosorũ Iudæi vsi sint, vt verũ facilius elicerent ab ijs, qui aliquo ad huc numinis sensu tangebantur. Hac enim Iosua vsus fuisse legitur, quando Achan ex præda Hierichuntina aliquid suffurando Dei irã prouocauerat. Nam hoc per sortes deprehenso, dicebat: Fili mi, da quæso gloriam Domino Deo Israelis, & da illi confessionem. Id est, fatere peccatum tuum in eius laudem & gloriam, cuius nutu sors super te cecidit, & quem nihil latere vides. Et in vsu fuisse obtestationes eiusmodi ex mortis Christi historia patet, quem Caiaphas similiter (verbis tamen grauioribus) adiurauit, vt quis nam sit, edicat. Sensus itaq; huius loci est: Cogitate in Dei conspectu stare, qui vt omnia nouit, ita scelerum vindex est accerrimus, & eorum quidem inprimis, quæ aduersus maiestatem eius committuntur. Da ergo ei hanc gloriam, ne quid dissimules, cùm hic non de tua salute modò (quam tibi nequaquam inuidemus) sed potius illius honore agatur. Scio hæc verba aliter ferè exponi, sed hæc sententia mihi omniũ simplicissima esse, & præsenti instituto optimè cõuenire videtur: quam ante nos alij quoq; obseruarunt, quorum industria & acumen in scripturarum interpretatione meritò bonis omnibus probatur. Etsi verò isti hac obtestatione turpiter & non sine sacrilegio abutantur, eius tamẽ vsus solennis nos admonet, Deum ipsum ignominia affici, si quis sub eius nomine mentiatur aut fallat. Arguuntur item Anabaptistæ, qui iurisiurandi vsum simpliciter damnant, ceu impium atq; prophanum: cùm scripturæ non vno loco doceant, eum ad Dei gloriã facere, & idem inter veræ religionis exercitia numeretur, vt suo loco copiosius diximus. Nunc ergo in huius loci expositione pergamus, vbi secundò sua authoritate istũ premunt & vrgent aduersarij. Nos scimus, inquiũt. Quasi dicerẽt, Nos, qui in lege instituti, de rebus omnibus rectius iudicare possumus, ex quorum ore lex & vera eius sententia requiri debet, quibus tua & aliorum omnium salus magis quàm vobismetipsis cordi est, qui deniq; ex summi Pontificis iussu hunc locum tenemus, cuius sententiæ non obedire capitale scelus est. Quia ergo nos huius rei veritatem ex te scire cupimus, vide quàm chara tibi est salus tua, ne nos fallere in animum inducas. Quid verò se scire dicunt? Quòd hic homo peccator est: nimirùm non vulgaris, sed insignis, adeoq; homo flagitiosus, quo cum nihil cõmercij habet Deus, cui deniq; nihil diuini tribui potest absq; luculẽta nominis Dei contumelia. Quare caueas, ne maiorem istius quàm gloriæ diuinæ rationem habeas. Et hoc quidem tertium argumentum est, ab ipsius Christi persona desumptum. Egregiè verò suam improbitatem hoc loco produnt pharisæi. Nam de Christo absente dicunt, sibi compertum esse, quòd peccator & sceleratus sit: qui non multò ante ab ipso interrogati, Quis ex vobis me peccati arguet? ne verbulũ quidem respondere potuerũt.

Cæterùm hoc loco speculum nobis proponit spiritus sanctus, in quo hostium veritatis artes & sophismata agnoscamus, quibus hodie etiam eos circunueniunt, quos rudiores & ad vitãdum fraudes minus instructos esse vident. Simulãt ante omnia pietatis & gloriæ Dei studiũ, & ferè iureiurando obstringunt eos, quos examinare instituerũt, vt simpliciter ad quæstiones sibi propositas respondeãt, sicq; Dei nomen suis cõsilijs prætexunt, cùm Deo turpiter illudant, adeoq; ex eorum numero sint, qui in corde dicunt, Non est Deus: id quod ipsorum mores & facta omnia testantur. Quis enim Dei nomine ad sua mẽdacia abutitur? quis sub gloriæ Dei prætextu superstitiones tueri audeat, qui Deũ esse, & eundem scelerum vindicem esse credit? Quòd si verò effrenis morum licentia & manifesta vitæ impuritas accedat, næ illi frustra Dei nomen nobis prætendent. Atqui omnia hæc in nostris aduersarijs inuenirj, nemo negabit, qui illorum doctrinam, ritus, mores omnemq; vitam propius inspexerit. Interim iidem immani insolentia suam scientiam, eruditionem, dignitatem & successionẽ iam inde ab apostolis deductam iactare solent & inani titulorum splendore populi rudis oculos perstringunt. Quod vbi factum vident, mox plenis velis in eorum personas inuehunt, qui euangelij doctrinã vel aliis prædicant, vel fide vera apprehensam sequuntur. Et hæc quidem non fingi à nobis, ipsorũ actiones indicãt, quibus aduersus pios procedunt. Hac enim ratione in priuatis examinibus illos vti, omnes sciunt, quibus cum illis res est. In ijs verò quæ publicè faciunt, maior impudentia apparet, cum extrema temeritate coniuncta. Exordiuntur enim in nomine Dei patris, filij & spiritus sancti, vt magnum quid meritò expectes. Præmittunt ferè Missæ officium, & non sine solenni cantu spiritus sancti gratiam implorant: vt eos zelo Dei prorsus ardere putaueris. Inde magnis & longe petitis

Hostium veritatis artes insidiosæ.

exordijs suam curam exponunt, quam ex officio sibi cõmisso pro publica Christiani orbis salute s
stineant. Mox verò ceu ex tripode cõcionantur, errores, sectas, turbas & infinita alia mala enum
rant, quæ maturo remedio opus habere dicunt. Hortãtur postremò priuatos quosq; vt à doctrina
religionis nouatoribus sibi caueant: principes verò & magistratus excitant, vt publica authorita
& gladio sibi diuinitus tradito eos coerceant atq; excindant. Neq; hic aliquem erroris aut hæres
conuincunt, sed quasi accusauisse sufficiat, sibi hæc de nobis cõperta esse clamant, quòd sectarij sint
hæretici, ecclesiæ turbatores, sacramentorum prophanatores, cõtumelioſi in Diuos & virginem
param, bonorum operum inimici, seditioſi, reipub. hostes, digni deniq; quos boni omnes detestentur
giant & extinctos curent. Audiuntur huius generis multa hodie, & leguntur ferè hæc omnia in
uerendißimorum & Sanctißimorum patrum bullis, quibus ad Concilia sua quosuis inuitant. I
tunc nobis ea in mentem venire debent, quæ isti de Christo dixerunt, vt veterē seductionis spiritum
in nouis hisce alienæ fidei dominatoribus agnoscamus.

Cæci prudens & fortis responsio.

Porrò cæcum istis respondentem audiamus. An peccator sit (inquit) nescio: vnum scio, quòd
cus cùm fuerim, nunc videam. Est autem bimembris hæc responsio. Prima parte iudicium de Chr
sti persona suspendit, ne quid temerè pronuntiando nouam calumniandi aut contendendi occasio
illis præbeat, quos hoc vnũ captare videbat. Altera autẽ parte de facto disserit, & ne nũc dissimu
re videatur, quod prius Prophetã dicendo, illũ ex cõmuni hominũ ordine exemerat, nõ minuit
tate quàm antea acceptum ab illo beneficium fatetur. Et quia illos sua scientia niti audiebat, s
illi opponit, vt sibi non minus comperta esse testetur, quæ de Christo dixerat. Sensus ergo verbo
est: Vos equidem illum peccatorem esse, & vos illud compertum habere dicitis. De hoc ego pron
ciare nolim, quando omnes homines peccati reos esse constat. Quod autem certò scio, hoc dissimu
aut negare neq; possum neq; debeo. Cæcum me fuisse iam inde ab vtero matris, non sine magna
stia expertus sum. Nunc huius beneficio oculos apertos & visus facultate instructos habeo. Cur
tur hoc negem? Num verò peccator sit, vos videritis, qui illud tã audacter pronũtiatis. Ego
verum esse noui, non minori constantia prædicandum esse censeo. Sunt autem in ista responsione
obseruatu dignissima. Primum, modestiæ exemplũ, quod nos quoq; imitari conuenit, quando de
ximi honore aut fama agitur, ne temere eorũ dictis subscribamus, qui absentibus detrectare
Peccatur in hoc à multis grauiter, qui si aliquos de aliquibus malè loqui audiãt, mox illis assen
tur & sæpe noua crimina singunt aduersus eos, quorũ mores & studia nunquã rectè inspexerunt
hoc animi virulenti indiciũ & alieni à charitate, ex qua Christus suos discipulos agnosci uult.
nerimus ergo homines natura suspiciosos, & ideo ad maledicendũ proclives esse: et si desunt argu
ta quibus absentum innocentiam tueamur, saltem cum isto dicamus: An tales illi sint, nescimus,
proinde nihil de illis temere pronuntiabimus. Alterum in ista responsione est, ne quid dissimulem
in confessione Christi & beneficiorum eius. Fateamur conditionem pristinam, in qua cæci, mor
sui di quoad animam fuimus, & propter peccata æternæ damnationi obnoxij: Fateamur
nos ex ista miseria per Christũ redẽptos esse, qui vt nos filij Dei efficeremur, ipse homo fieri, & pro
bis mortem subire dignatus est. Neq; ista in genere modò fateri debemus, quando de Christo lo
minatim agitur: verumetiam quando in eos incidimus, qui euangelium Christi & eius pr
uitijs proscindunt: neq; pudeat nos eius doctrinæ veritatem tueri, per quam illuminati sumus,
liorum Dei libertate frueremur. Vtinam verò mendici huius exemplum sibi imitandum propo
rent, qui hodie præcipuam sapientiæ & modestiæ laudem ex eo vænantur, quòd mirificis torqu
tionibus omnes de fide & religione quæstiones eludunt, ne verum dicendo aliquos offendant. Pr
mò, de Conciliorum authoritate locus hic nos iudicare docet, & quatenus ijs credere & obedire
ueniat. In Cõcilio enim hos consedisse, & publica ecclesiæ authoritate causam hanc egisse, textus
tionis contextus euidenter docet. Decretum Concilij huius est: Nos scimus, quòd homo ist
peccator est. Huic decreto subscribere detrectat homo mendicus, & qui cæcus antea fuerat, mu
dem atq; constantiam spiritus sanctus æterna laude dignam iudicauit, quando historiã totam
diligentia conscribi voluit. Quis ergo illorũ sermonibus credat, qui Concilia errare posse negant,
ijsdem omnes homines, cuiuscunq; loci & ordinis necessariò subijci debere contendunt? Num
mendacia & iniqua decreta eo nomine fidem merentur, quòd sub Concilij nomine promulgen

Vel num principibus, ecclesiarum ministris, Christianis item reliquis non licebit, quod hęic mendico licuit: vt nimirũ Conciliorum decreta iniqua arguant, & veritati palàm patrocinentur? Vides ergo quàm patidis rationibus nitantur, qui hodie Concilij authoritatem omnibus obtrudunt, quasi doctrinæ veritas & salutis humanæ ratio ab hominũ decretis, nõ autẽ ab æterno Dei consilio pendeat.

Sed redeamus ad phariſæos, qui quæſtionem de facto Chriſti repetunt, & aiunt: Quid fecit tibi? quomodo aperuit tuos oculos? Nec temere de hoc illos iterum interrogauiſſe putabimus. Sperant enim, hominem plebeium & rudem vel aliquid aliter quàm antea narraturum, vnde cauillandi occaſionem ipſi arripere poſſint: (Eſt enim difficile viro cordato & prudenti ijſdẽ ſemper verbis & eodẽ ordine res probè cognitas narrare) vel dicturum aliquid, quod magicas artes referat, quo nomine eius ſigna ſæpe aliàs ſuſpecta facere conati ſunt. Huc enim referri debet, quòd Cap. 8. dixerũt, ipſum habere dæmonium, & apud Matthæum, in eijciendis dæmonijs eum virtute Beelzebub adiuuari aiunt. Eſt autem hoc etiam ſingulare ſtrategema, quo veritatis hoſtes frequenter vti ſolent: quòd nimirum quæſtionibus inſidioſis & ſæpe per ambages longas repetitis, rudiores aggredi & circunuenire ſatagunt, vt eos vel capiant, vel vulgo deridendos propinent. Et exempla ſunt, in quibus Iudæorum ſcribas aduerſus Chriſtum tale quid auſos fuiſſe apparet, cuius virtutem & ſapientiam diuinam multoties experti erant. Hìc ergo forti & præſenti animo, adhæc prudentia opus eſt, cuius exemplum in iſto homine præclarũ proponitur. Nam indignè ferens, eos cauſam hanc tam improbè & inſidioſè agere, cum illis expoſtulat. Dixi vobis (inquit) & non audiſtis. Quibus verbis cõtumaciam eorum voluntariam accuſat, & fruſtra cum illis agi docet, cùm veritatem non cognoſcere, ſed obſcurare ſtudeant. Quod ipſum omnibus dici poteſt, qui hodie idem ſtudium ſectantur. Sunt enim (vt Pſalmus ait) ſimiles ſerpentum, quæ aures obturant, ne incantatoris vocem audiant. Addit præterea noſter hic: Cur iterum vultis audire? Num & vos vultis diſcipuli eius fieri? Se ergo Chriſti diſcipulum eſſe fatetur, & ſancta quadam Ironia eos deridet, imò acriter pungit, qui ſe ab omnibus ſuſpici & coli volebant. Vbi videre eſt quanta ſit veritatis vis. Quis enim hominem mendicum, qui ex eleemoſyna ad templi fores collecta hucuſq; vixerat, tale quid auſurũ putauiſſet aduerſus templi & religionis præfectos? Sed hoc illud eſt, quòd ſuis ſpiritum & os atq; ſapientiam Chriſtus pollicetur, cui nemo reſiſtere poſſit. Et huius generis exempla in hiſtorijs eccleſiaſticis multa occurrunt, & noſtro ſeculo ſimilia multa fiunt. In quibus vt Dei virtutem agnoſcere debemus, ita ſuæ ignauiæ pudeat eos, qui cùm multis annis in Chriſti ſchola verſati ſint, ad quemuis tamẽ cõgreſſum cum hoſtibus veritatis turpiter obmuteſcunt, & tantùm non ſupplices fiunt ijs, quibus ſanctæ cũ fiducia inſultare debebant. Simul verò docet exemplum hoc, quid ferè accidere ſoleat perſonatis præſulibus. Ludunt illi cum Deo, quando nominis & verbi eius prætextu ad ſtabiliendum tyrannidẽ ſuam abutuntur. Fit igitur iuſto Dei iudicio, vt ipſi quoq; omnium ludibrio exponantur, adeoq; fabula mundi fiant, qui paulò ante ad pedum ſuorum oſcula reges & principes inuitabant. Experiuntur hoc hodie Pontifices Romani cum tota ſua vnctorum & raſorum cohorte, & indignantur, quòd ſuam authoritatem adeò viluiſſe videant, vt pueris, mulierculis, nautis, cerdonibus, mendicis ludibrium ſint, & nobis hoc acceptum ferri debere clamant, quorũ ſcriptis & concionibus eccleſiaſtica dignitas in contemptum eiuſmodi adducta ſit. Sed cur non Dei iudicium agnoſcunt, & quid ipſi fecerint hucuſq; cogitant? Hoc certè Iudæorum ſacerdotibus euenturũ eſſe, olim per Malachiam Deus prædixerat, & quia illi minas eius contempſerunt, digni erant, quibus iſta acciderent. At idem Romanis pontificibus Chriſtus minatus eſt, in Reuelatione ſua dicens: Reddite illi, ſicut & illa reddidit vobis, & duplicate ei duplicia ſecundùm opera eius. In poculo, quo miſcuit, miſcete illi duplum, &c. Non ergo temere damnãdi ſunt, qui tale quid faciunt hodie. Sunt enim hæc iudicij diuini exempla, & ſcorti illius pudenda reuelari oportet, vt eius turpitudo ijs quoq; innoteſcat, quos illius nondum pudere cæpit. Quod verò iſtis contingit, ſibi quoq; euenturum ſciant principes & magiſtratus, niſi officium fecerint. Nunquã enim fallet hæc Dei ſententia. Honorãtes me honorabo, & qui me contemnerint ignominia afficientur. 1. Sam. 2.

Phariſæi inſidioſe quæſtionem de facto repetunt.

Mal. 2.

Apoc. 18.

Quid verò phariſæi, quando iſta ſibi in faciẽ dici audiunt? Conuitiati ſunt illi & dixerunt: Tu diſcipulus illius eſto, &c. Id verò ſumma cum indignatione dicunt, quia Chriſti diſcipulum cenſeri illi probroſum & infame videbatur. Perinde ergo hoc eſt, ac ſi dixiſſent: Tu dignus es, qui magiſtrũ

Cæcus & mendicus phariſæos reprehendit & ridet.

Phariſæi cæcũ cum conuitio reijciunt.

& doctorem eiusmodi habeas, mendicus mendicum, erro erronem. Nos autē Mosis discipuli sum[illegible] Et ne quid temere dixisse videantur, rationis loco addunt: Nos scimus, quòd Mosi locutus est D[illegible]us: hic autem vnde sit, nescimus. Et hæc dicendo improbitatem suam egregiè produnt. Primò enim Mosis discipulos se esse iactant, cùm nihil minus essent. Quia enim ille de Christo scripsit & ad hu[illegible] auditores suos remisit, illius discipuli non sunt, qui Christum aspernantur aut negligunt. Qua de re Cap. 5. plura diximus. Deinde se Christi discipulos fore negant, quia nesciant, vnde ille sit. At supra Cap. 7. illum Messiam non esse argumento planè contrario demonstrare conati sunt: Cùm Christus venerit, nemo sciet vnde sit: Hunc autem vnde sit, nouimus: Ergo Christus non est. Ita non pudet impios sibijpsis contradicere, neq; inter se vnquam conuenire possunt, qui cum Deo dissident. Prouerea, quæ impudentia est dicere: Hic, vnde sit, nescimus: cùm non modò natales eius nouissent, verùm etiam diuinæ missionis testimonia quotidie viderent? Postremò, cur illum ex diabolo esse & huius opera vti dixerunt, si vnde & quis esset nesciebant? Cæterùm hic quoq; nostrorum mores exprimit, qui hodie Christi doctrinam oppressam volunt. Turpe & probrosum illis videtur, relicta patrum fide & religione ad Christum transire, & euangelio subijci, & ne quid tale patiantur, Deum & Deuos precari solent. Simul verò magnis clamoribus protestantur, se perseuerare velle in fide ecclesiæ & maiorum suorum, neq; eos audire, quorum vocatio & doctrina incerta sit. Et inde sumpta occasione, in ministrorum personas quiduis conuitiorum eiaculantur, vt supra diximus. Quòd si verò ab ecclesia discedere nolunt, cur non solius Christi vocem audiunt, quæ propria ecclesiæ nota est? Eiusdem maiorum tanti faciunt, cur non Symboli apostolici articulis firmiter insistūt, quibus illa plenissimè continetur? cur multa his cōtraria admiscent? Vides ergo, vt hi quoq; suo sese indicio prodant. Attamen istorum exemplo damnatur multorum leuitas, qui hodie eorum traditionibus credunt, quibus nihil certi habēt, scripturas verò cōtemnunt, quas diuinitus inspiratas esse, nemo piuus negat. Nos itaque his omnibus relictis, huius exemplum imitemur, qui & corpore & animo illuminatus Christo testimonium tulit. Faciamus idem nos quoq;, neq; nos eius pudeat, qui olim in nubibus ad iudicandum veniet, & pro suis agnoscet eos, qui ipsum coram hominibus confitentur. Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

HOMILIA XCI.

Respondit eis homo ille, & dixit eis: Enimuero in hoc mirum est, quòd uos nesciatis unde sit, & tamen aperuit meos oculos. Scimus autem quòd peccatores Deus nō audit, sed si quis Dei cultor est & uoluntatem eius facit, hunc audit. A seculo non est auditum, quòd quis aperuerit oculos cæci nati. Nisi esset hic à Deo, non posset facere quicquā. Responderunt & dixerunt ei: Tu in peccatis natus es totus, & tu doces nos? Et eiecerunt eum foras.

PAulus apostolus in priori ad Corinth. Cap. 1. grauiter et verè scribit: Quæ stulta sunt in mundo elegit Deus, vt pudefaciat sapientes: & quæ sunt infirma in mundo, elegit Deus, vt pudefaciat ea quæ sunt robusta, &c. Apparet hoc in vniuerso Domini nostri Iesu Christi negotio. Nam vt ipse se exinaniuit, & extremæ humilitatis exemplū factus est: ita discipulos quoq; obscuros & ignobiles elegit, quibus primis innotesceret. Per eosdem verò omnem huius mundi sapientiam, potentiam, maiestatem debellauit, vt qui prius inuicti videbantur, illi manus dare coacti fuerint. Exemplū huius rei cumprimis euidēs in præsenti historia proponitur. Nam vt audiuimus hucusq;, cōmissi sunt cum mēdico, qui cæcus natus fuerat, pharisæi, homines sapiētiæ, eruditionis & sanctitatis titulo insigne. Disputatur autē de re omnium grauissima: Nimirùm an Iesus Christus à Deo missus sit, eiusq; doctrinæ fides haberi debeat? Vtuntur autem artibus mirificis pharisæi, vt Christi gloriam obscurent, & eadem opera doctrinæ & miraculis eius fidem derogent. E quàmuis eruditione & rerū vsu multùm valeant, in hac tamen re turpissimè falluntur, quando Christum hominē flagitiosum & libertis artibus deditum esse clamant. At mendicus ille miser & calamitosus, rei veritatem intelligit

eandem publicè fatetur, & constanter asserit. Imò illorum contradictione fortior subinde factus, illis sancta quadam confidentia insultat, & in eas angustias redigit, vt nõ quicquam respondere possint: sed quod rixosæ mulieres & scurræ solent, ad conuitia conuersi, non modò animi sui impotentiã, sed suam quoq; insciitiam & improbitatem apertè produnt, vt nuper vidimus. Verè ergo hic factum est, quod Apostolus dixit. Cæterùm ad pleniorem totius negotij illustrationẽ facit præsens hic locus, qui huius actionis finem atq; conclusionẽ continet. Vbi discemus, quid hodie speres ex eorum conuentibus atq; colloquijs, qui vt suam tyrannidem tueantur, aduersus Christum & verbũ eius conspirauerũt.

Occurrit hic primùm cæci responsio ad pharisæorum obiectionem, in qua se Mosis discipulos esse professi erant, & hunc quidem magnificè commendarant, Christum verò, vt hominem obscurum & terræ filium, in extremum contemptũ adducere conati fuerant. At priusquam illius verba attingamus, obseruabis, quòd nihil de Mose & eius authoritate disputat: nimirum quòd rudis adhuc mysteriorum Christi, ignoraret quod hîc ex Ioan. 5. responderi poterat, Eos demũ veros Mosis discipulos esse, qui Christum prophetam illum magnum & verum salutis æternæ doctorẽ agnoscunt: Deinde, quòd Christi discipuli de Mose nihil contendũt, vt nec de reliquis Dei seruis, quos gratiæ & gloriæ vasa olim fuisse nouerunt, & proinde eorum doctrinã & exemplum in summo pretio habere solent. Frustra ergo nobis etiam hodie Diui obijciuntur, quos minimè contemnimus, sed doctrinã eorum, quam suo exemplo, imò sanguine etiã confirmauerunt, reuerenter exosculamur. Itaq; secũdùm cæci huius exemplum ipsi quoq; putidas aduersariorũ obiectiones surda aure præterire possumus, quibus illi nos prophanos Diuorum omnium, & imprimis Mariæ virginis, contemptores esse clamant. Quàm enim falsum hoc sit, omnes norunt, qui vel scripta nostra legunt, vel cõciones nostras audiũt. Obseruabis præterea, quòd neq; cõuitijs nouis rependit quæ aduersus ipsum dixerant (quãuis multa de illis verè dicere posset) sed omissis omnibus, quæ ad se pertinebãt, causæ præsentis scopum respicit, & Christo suam gloriam atq; authoritatẽ constanter vindicat. Imitemur nos exemplum hoc, ne conuitijs lacessiti vicissim conuitiemur, sed ea agamus, quæ ad tuendam rei, de qua agitur, veritatẽ faciunt, & aduersarios errore liberare possunt, si quidem institutionem & doctrinã velint admittere. His præmissis, verba istius audiamus, quibus duo potissimùm agit.

Cæcus nihil disputat de Mose.

Primò insciitiam siue cæcitatem illorum arguit, & quidem cum admiratione, vt magis pungat eos, quos nimium occaluisse videbat. Nam dicit: Enimuerò in hoc mirũ est, quòd vos nescíatis vnde sit, & tamen aperuit meos oculos. Emphasim autem habet particula VOS, & ea illorum confidentiam perstringit, qua sibi solis veram rerum sacrarũ cognitionem vendicabant. Sensus itaq; est: Si qui ex rudi vulgo dicerent, se nescire quid de Iesu & eius vocatione sentire debeant, ferri poterat eorum ignorantia. At quòd vos hoc dicitis, qui primi sacrorum antistites & ecclesiæ doctores estis, id sanè satis admirari nõ possum: eoq; magis miror, quòd eum ignoratis, cuius missio tam insigni & memorabili signo probata atq; confirmata est. Quòd si Mosem à Deo missum esse ex signis, quæ fecit, agnoscitis, cur non eodẽ iudicio vtimini in hoc Iesu, qui signa plura & maiora fecit? Sed vtut vos illum ignoretis, tamen oculos meos aperuit, & quia hoc diuinæ virtutis opus est, ego à Deo missum esse non dubito. Hic verborum istorum sensus est, quibus totum pharisæorum ordinem eadem planè ratione homo inops & obscurus perstringit, qua erga Nicodemum Christus vsus est, quando regenerationis mysterium non capienti respondit: Tu es magister ille Israelis, & hæc non nosti? Est autem hoc loco multa obseruatione dignũ, quòd homo plebeius, vel potius ex fece plebis mendicus, & quem natura cæcum genuerat, pharisæorum cæcitatem admiratur, & ignorantiam rei maximæ ijs exprobrat, qui nihil ignorare videbantur. Ergo ille plus vidit quàm isti omnes, & maior fuit apud eum rerum diuinarum cognitio, quàm apud eos, qui ex illis quæstum vberrimum faciebant. Solet hoc ipsum hodie frequenter fieri, & sæpe inueniũtur in ecclesijs reformatis opifices, mulieres, pueri, qui puriorís fidei & religionis capita ex ordine tenẽt & recensere possunt, quæ in Papatu summi antistites ignorant. Fit etiam vt magni nominis theologi hominibus idiotis, & rusticis interdum ludibrio sint, qui inepros illorum de rebus sacris sermones, & ridicula argumenta audiũt, quibus aduersus euangelij doctrinam pugnare solent. Adhæc vbi euangeliũ prædicatur, ferè homines idiotæ & plebei eruditos & doctos præueniunt in vera Christi cognitione. Videtur hoc multis absurdum, quia nesciũt, nullũ in hisce mysterijs humanæ rationis vsum esse, quando (vt Paulus ait) animalis homo non percipit

Pharisæorum insciitiam arguit.

ea, quæ sunt spiritus Dei. Regeneratione ergo totius hominis opus est, quæ intellectũ quoq; nouã illuminat, quam nunquam admittunt, qui suo acumine freti in diuinis perinde vt humanis philosophantur. Deinde repetendum est hoc loco, quod initio diximus, Deum humilia huius mundi eligere, vt carnis nostræ cristas deprimat, quibus sese aduersus verbi doctrinam extollit. Sunt hactenus reprehenda, qui fidei & veritatis cognitionem penes eos esse putant, qui eruditionem & doctrinam verborum splendore, vestitu & habitu profitentur, aut successione superbiunt, quasi spiritus dona ad eos iure hæreditario deuoluantur.

Probatur Christum à Deo missum esse.

Altera responsionis suæ parte, apertius & liberius Christi causam agit cæcus iste, & illũ à Deo missum esse, duobus argumentis probat. Primum his verbis enuntiat: Scimus autẽ quòd peccatores Deus non audit: sed si quis Dei cultor est, & voluntatẽ eius facit, hunc audit. Scimus, inquit, vt illorum arrogantiæ respondeat, qui dixerant: Scimus, quòd homo iste peccator est. Quasi diceret. Fateor quidem illud scitis, aut potius vos scire putatis: Ego autem aliud quid scio verius & certius, quod me de illo honorificentius sentire cogit. Certò enim hoc constat, Deum non exaudire peccatores, sed illis propitius factus, eorum vota & preces ratas habeat. At Iesum hunc ab illo exaudiri, & eundem illi propitiũ esse tam hoc signum in me modò editum, quàm multa alia testantur: Ergo Iesus iste peccator non est. Et constat quidem argumentum hoc probè, attamen in eo errat hic, quòd hominem non agnoscens in Christo, ex eorum numero eum esse putat, qui miraculorum virtutem precibus impetrant, & ea non propria virtute, sed inuocato Dei nomine faciunt.

Deus non audit peccatores.

Porrò extra huius controuersiæ statum consideratu dignissimũ est principium illud, ex quo argumentum cæcus ducit, quando peccatores à Deo exaudiri negat. Etsi enim homo idiota & sine literarum rudis ex cõmuni sensu hoc dixerit, conuenit tamen isti sententiæ omnis scriptura, & omnium animis eandem Deus insculpsit, vt impiorum preces atq; sacra ipsi minime probarisent, ideo purificationibus & expiationibus vteretur, quando sacra facturi erant. Idem poeta testatur hoc versu: Non bene cœlestes impia dextra colit. Cui planè consentiunt illa Salomonis: Qui auertit aurem suam, ne audiat legem, eius oratio quoq; erit execrabilis. Item Sacrificium impiorum est abominatio. Prou. 28. & 21. Ne tamen doctrina hæc per se vtilis & necessaria desperationem sam præbeat, nouisse oportet, qui nam hoc loco peccatores dicãtur. Nam si hoc de omnibus intelligas, qui peccant, preces simul omnes abolebis, quando nemo mortalium est, qui se peccatorem esse negare possit. At non ideo à precibus cessandum esse primùm Christus docet, qui orare iussit: Remitte nobis debita nostra, &c. deinde multorum quoq; exempla admonent, qui cùm in afflictionibus propter peccata immissis ad Deum clamarent, ab illo benignè exauditi sunt, ex quorum numero Israelitæ, de quibus per totum librum Iudicum agitur, Dauid item & infiniti alij, quos scriptura hoc nomine commendant. Distinguendum ergo erit inter peccatores. Alij enim ex infirmitate peccant, & cum peccarunt vel per verbum Dei vel per afflictiones admoniti, pœnitent, cumq; Deo reconciliantur, piunt, & vitam studiosè emendant. Hos à Deo exaudiri, ex promissionibus cõstat, quales sunt: Conuertimini ad me, & ego ad vos reuertar, dicit Dominus exercituũ. Item: Viuo ego, nolo mortem peccatoris, sed vt cõuertatur & viuat. Et rursum: Si quis peccauerit, aduocatũ habemus apud Patrem Iesum Christum, iustũ: & ipse est propitiatio pro peccatis nostris, &c. Sed & ipse Christus hos primùm suam gratiam offert, dicens: Si quis sitit, veniat ad me & bibat. Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego refocillabo vos. Quæ promissiones innumeris exemplis confirmatæ sunt, cùm publicis tum priuatis, vt de earum veritate quicquã dubitare nefas sit. Et cur dubitet aliquis, quando propter peccatores Dei filium in mundũ venisse scimus, vt eos saluos faceret? E contra verò est aliud peccatorum genus, qui cùm à fide alieni sint, non contenti peccasse, vel in peccatis contumaciter pergunt, noua veteribus subinde accumulant, securi admonitiones contemnunt, adeoq; cum Deo bellum suscipiunt, dum omnes homines ab eius regno abstrahere & similes facere studeant. Hi quia ex sceleribus voluptatem capiunt, & ijsdem gloriantur, nulla vel pœnitentia duci possunt, & ideo aut nunquã orant, aut in aliqua necessitate constituti clamant, vt liberentur, non autẽ preces fundunt, sed clamor ille etsi precum aliquam speciem habeat, tamen nihil aliud quàm belluinus vlulatus est, quem imminentis mali dolor extorquet, & qui vota periosè Deo præscribunt, vel mox aduersus illum murmurãt, & in apertas quoq; blasphemias

punt, quando se ab illo negligi vident. Tales non exaudit Deus, cùm fide destituantur, per quam solam nobis ad thronum gratiæ aditus patet, neque aliud quàm liberationem ex malis & scelerum impunitatem petant, quæ cum nominis eius contumelia coniuncta, ipsis quoque exitialis est &c. Et hæc nouisse necessarium est, primùm ne peccatorum conscientia superati desperemus, deinde vt intelligamus, quales nos in Dei conspectum venire oporteat. Quod ipsum cæcus hic noster paucis docet, cum addit: Sed si quis Dei cultor est &c, & voluntatem eius facit, hunc audit. Sub Dei cultu, veram eius cognitionem, timorem & fidem comprehendit, sine quibus ille consistere non potest. Quomodo enim Deum colet, qui quis ille sit ignorat? Quomodo rursum illum non timeat & reuereatur, eidemque non fidat, quisquis eius potentiam inuictam, iustitiam sanctissimam, & plus quàm paternam bonitatem cognitam habet? Hæc certè totum hominem Deo vendicant, vt simul eius voluntati sese accommodet, & secundùm huius præscriptum omnia sua facere studeat. Eosdem ergo Deus negligere non potest, sed preces eorum propitius audit, & si quid illis negat, in eo etiam salutiipsorum consulit, ne noxia petentibus morem gerendo eos perdat, quos imprimis saluos cupit. Hæc si cum seculi nostri moribus conferas, mox videbis quæ præcipua malorum causa sit, & quare ad se clamantium voces Deus negligat, simulq; intelliges quid emendari in nobis oporteat, si ab illo exaudiri & malorũ finem inuenire velimus. Vide quæ de sui seculi hominibus Isaias Cap. 1. in hanc sententiam disserit.

Sed redeamus ad præsentis controuersiæ tractationem, & alterum quoq; argumentum videamus, quo Christi vocationẽ & doctrinam homo iste aduersus pharisæos tuetur. A seculo (inquit) non est auditum, quòd quis aperuerit oculos cæci nati: Nisi esset hic à Deo, non posset facere quicquam. Est autem argumenti forma eiusmodi: Qui ex Deo non est, opera diuina & quæ vires humanas superant, facere nequaquam potest: atqui Iesus hic, vt multa alia omittamus, in me opus fecit, cuius simile ab orbe condito factum est nullum. Nam etsi visum aliquibus restitutum esse constet, qui ex morbo aut senio vsum oculorum amiserant, nulli tamen vnquam hoc contigit, qui ex vtero matris cæcus natus esset. Ex Deo igitur sit oportet, & diuina virtute instructus. Non temere autem Deus opera quædam peculiaria filio suo in carne manifestando reseruauit, per quæ mundo innotesceret. Ita enim omnes homines ad eius cognitionem excitare, & eius contemptoribus omnem excusationis prætextum eripere voluit. Inter ea autem hoc imprimis debuit numerari, de quo in præsenti agitur, vt constaret, solum Christum lucem esse mundi, quæ cæcas hominum mentes illuminat, & nos, qui natura cæci atque rerum diuinarum ignorantes sumus, salutifera veritatis æternæ cognitione donat. At quia de hoc alibi dictum est copiosius, ista modò annotauisse sufficiat. Nunc in tota ista cæci responsione, eius ingenua libertas & inuicta fidei constantia nobis exemplo esse debet, vt simili zelo gloriam Domini nostri, Iesu Christi, tueamur, neq; nos eius pudeat, qui propter nos acerbissima & contumeliosissima queq; subire dignatus est. Nam vt D. Chrysostomus in huius historiæ expositione annotauit, si is qui Christum non viderat, ante eius hortationẽ tantùm confirmatus est, vt in conspectu totius populi homicidæ, furentis, insani & eius voce Christum damnare cupientis, nec assensus est, nec acquieuit, sed perquàm fidenter eorum os obstruxit, & expelli maluit, quàm silere veritatem, quanto magis nos, qui tam diu in fide viximus, qui per fidem tot miracula intuiti sumus, qui maiora quàm ille accepimus beneficia, qui interioribus oculis arcana mysteria contemplamur? Nos igitur in tantum vocati honorem, incredibilem pro Christo fiduciam præ nobis ferre oportet contra eos, qui aliquid accusare & loqui aduersus Christianos moliuntur: eorũ linguæ cohibendæ sunt, neq; temere eis parcendum, &c. Quæ Chrysostomi verba vtinam diligentius expenderẽt, qui hodie quæuis conuitia, quibus fidei nostræ doctrina proscinditur, surdis auribus prætereunt, vt mundo hoc amico & propitio vtantur, neq; cogitant, quod Apostolus dixit, huius amicitiã esse inimicitiã cum Deo.

Christi opera, illũ à Deo missum esse testantur.

Restat vltimus pharisæorum, siue potius Concilij pharisaici actus, qui abundè testatur, quo animo & in quem finem omnia egerint. Responderunt enim & dixerunt ei: Tu in peccatis natus es totus, & tu doces nos? Quibus verbis naturæ vitium illi exprobrant, & inde colligunt, hominem esse sceleratum, & proinde indignum, cui fidem habeant. Errant autem in eo multiuariàm. Primò enim odio & ira abripi sese patiuntur, vt ea loquantur, quæ in mulierculis nõ possunt probari. Deinde communi errore se quoq; teneri produnt, quo putabant plerique, animas in alia corpora transmigrare, &

Pharisæi cæco conuitiantur.

illic sæpe pœnas luere scelerum, quæ prius alibi cõmisissent. Præterea cùm ad argumenta non p
respondere, personam cõtumeliosè inuadunt, quasi veritas propter illam minus fidei mereatur.
verò indignius fieri poterat ab ijs, qui in Dei populo sibi primas partes tribuebant? Admon
igitur horum exemplo, ne tantùm indulgeamus corruptis affectibus, vt ex aduersis et natura
de aliquo temere iudicium feramus. Nam vt nemini iniuriam facit Deus, si nostram corrupt
& ex ea emanantes fructus examines: ita multæ causæ sunt, propter quas interdum durius
agit, vt minimè opus sit eum alijs omnibus sceleratiorem putare, quem peculiari aliqua affe
exerceri videmus. At quia de hoc circa huius Cap. initium diximus, nunc hypocritarum &
riorum mores nobis considerandi veniunt. Primò peccatum vbiq; obseruare possunt, præter
seipsis: neq; obseruant modò, verumetiam temere exprobrant. Quæ enim iusta aut grauis cau
mouit, vt huic dicant, Tu in peccatis natus es totus: cùm hoc ipsum de sese Dauid fateatur, &
mum in sua corrupta imagine posteritatem omnem genuisse constet? Quòd si in seipsos descend
non obscura huius corruptionis hæreditariæ deprehendissent indicia. Sed idem isti simul omn
ciunt, quod de pharisæo quodam Christus Luc. 18. narrat. Et huius generis multa in nost
pharisæis deprehendes, si illorũ dicta & facta excutias. Deinde pudet istos ab eo discere, qui o
vitium & mendicitatem publica infamia notatus videri poterat. Ita hodie pharisæi indign
tant, laicos de rebus diuinis verba facere, sacerdotum mores corrigere, reformationis repu
Dei verbo præscribere. Pudet enim ipsos à rusticis & opificibus admoneri de ijs, quæ ipsi h
vel non viderunt, vel videre noluerunt. Sed est hic pudor præposterus & noxius admodu
iam seculis aliquot in ecclesia schismata & turbas excitauit, & vtinam non hodie etiam mul
staret, quò minus ad veritatis cognitionem perueniant. Quibus ego (quando Dei spiritum n
strum aspernantur) libenter Diogenis exemplum obiecerim, qui olim Megastheni scribebat: h
ta, quæ peræ nostræ oneri erant, abiecimus, catinum scilicet & poculum: cum alterius loco, qu
quo concauum est, alterius, manu vti me posse intelligam. Neq; me pudet huius doctrinæ auct
quemuis puerum ostendere. Non enim decet vtile ad libertatem assequendam inuentũ contem
sed amplecti. Imitemur nos hanc industriam, neq; aliquem contemnamus, quem Deus aliquo
tia instruxit, quæ nos prius latebant: cùm nihil inter homines vulgarius sit, quàm viros magn
illustres ex cõtemptis multa discere, et sæpe per stultos de ijs admoneri, quæ maximè sunt nec

Cæcus excommunicatur.

Postremò, quia istum in sententia perseuerare vident pharisæi, foras eum eijciunt. Vicis
quando rationibus idoneis destituuntur: vt tamen iniquitatis notam diluant, excommunicatio
gitimæ prætextu illos vsos fuisse puto, vt & verbis eius fidem derogarent, & hoc exemplo
omnes absterrerent. His artibus & armis pugnant hostes Christi, & ad ista sese præparare
quotquot euangelij doctrinam fide vera amplexantur. Non potest enim lucem hanc mundi
& quia eam extinguere omnino nequit, saltem calumnijs, conuitijs, anathematismis & proscr
nibus obscurare studet. At neminem debent ista offendere. Fulmina enim ista ad animam
penetrant, & eo potissimùm argumento probatur, nos Iesu Christi germanos discipulos esse, h
dus nos ferre nequeat, qui vt suo principi, diabolo, fidem seruet, Christũ odisse & persequi
Faxit Deus, vt horum consideratione confirmati, indies proficiamus in Iesu Christo, & huius
curriculum emensi cum illo regni cælestis hæreditatem obtineamus. Illi debetur benedictio,
gloria & potestas in æternum. Amen.

HOMILIA XCII.

Audiuit Iesus quòd eiecissent eum foras, cumq; inuenisset eum, dixit ei: Tũne credis in filium Dei? Respondit ille, & dixit: Quis est Domine, ut credam in eum? Dixit autem ei Iesus: Et uidisti eum, & qui loquitur tecum, ipse est. At ille ait: Credo Domine; & adorauit eum.

IOannes Euangelista hoc Capite non modò miraculũ in cæco nato editum describit, quo docet
Iesum Christũ esse lucẽ mundi, cuius virtute nos ad æternam salutẽ illuminari oportuit, verum
tum

etiam simplici & diligenti narratione exponit certamẽ, quod ea de re inter cæcum iam illuminatum & Christi hostes grauissimum exortũ fuit. Facit eius narratio multùm ad nostram institutionẽ. Primò enim hostiũ veritatis doli ceu in tabula depicti proponuntur, & confirmatur Christi dictum, quo filios huius seculi prudentiores esse ait in sua generatione, quàm filios lucis: quod nos probè obseruare decet, ne ab illis nos circunueniri patiamur. Deinde eorundẽ pertinacia simul apparet, quæ illis peruersa est, neq; vllis rationibus siue argumentis potest expugnari: contra quam nos ad huius cæci exemplum inuicta fidei constantia armari oportet. Præterea, quis illis omnium actionum finis sit, docet: nimirũ, quòd vbi rationibus se nihil proficere vident, ad vim iniustam conuertuntur, & quod li bet sibi etiam licere putant. Vt enim isti cæcum conuitijs contumelioſè proscindunt, & tandem excõmunicationis sententia damnatum eijciunt; Ita ferè vbiq; fieri solet, vt nulla iuris & legum ratione habita (cuius formam initiò ostentant) proscribantur & opprimantur, quotquot Christi doctrinam aduersus Antichristi tyrannidem sedulò defendunt. At quàm parum ista nos mouere debeant, præsens hic locus docet, quo narratur, vt à pharisæis eiectum benignè exceperit Iesus Christus, vt singulare organum gratiæ fieret, quem illi indignum iudicarunt, qui extremum in populo Dei locum teneret. Quæ historia pars dignissima eſt, vt singulas eius partes ex ordine consideremus.

Principiò audiuisse dicitur Iesus, quòd istum foras eiecissent. Atqui non opus erat, illum aliquid ex aliorum relatione discere, qui diuina sua virtute vbiq; præsens eſt, & proinde omnia coràm intuetur. Sed ostendit hac locutione spiritus sanctus, in populo vulgatum fuisse quicquid cum isto homine gestum fuit, & (quod nuper diximus) verisimile eſt, pharisæos ista diuulgari voluisse, vt reliquos omnes à fide & doctrina Iesu Christi absterrerent. Itaq; nobis hoc loco cõsiderandum venit, quàm turpiter fallantur in suis consilijs hostes veritatis, & vt seipsos omnium quasi ludibrio exponant, dum huius lucem obscurare volunt. Nuper enim suo examine totius rei gestæ aut miraculi fidem in dubium vocare voluerunt, dum modò parentes eius accersunt, in quo hoc signum factum fuerat, modò ipsum nouis & insidiosis quæstionibus aggrediuntur. Nihil autẽ profecerunt, quàm quòd rei veritas magis patefacta, simulque diuina Christi virtus magis illustrata fuit. Nunc istum excommunicationis fulmine feriunt, vt alij eius exemplo territi, à Christi doctrina abstineant: sed adeò falluntur hac spe, vt potius ea occasione plures excitati, de illo sermones conferant, vt veritatem inquirant, de Christi facto simul & eorum decreto disputent, denique per omnium ora diuulgetur, quod multis prorsus ignotum fuisset, si illi sibi actione ista tam odiosa temperauissent. Illud verò omne absque Christi honore & multorum in vera fide institutione fieri non potuit. Prouehunt ergo eius gloriam, dum eam obscurare, suam verò tyrannidem stabilire conantur: quod illis sæpe alias contigisse scimus. Huc enim referri debet quod in eius sepultura & resurrectione accidisse Matthæus scribit: & quod factum fuit, quando Apostolos in reddenda suæ doctrinæ & fidei ratione intrepidos & disertos viderunt, quos idiotas & illiteratos esse, & proinde absque negotio opprimi posse putauerant. Et huius generis exempla hodie multa fiunt, adeoque hæc ferè veritatis sors eſt, vt palmæ instar eò magis eminere soleat, quò maiori conatu aduersarij eam depressam & sepultam volunt. Sed & vulgi curiositate in hac re Deus bene abutitur, dum omnium animi in eius doctrinæ cognitionem magis excitantur, quam summis viris adeò inuisam esse vident. Debent ista in eum finem obseruari, ne huius mundi furoribus terreamur, neque impiorum dolos & astutiam formidemus, qui si omnes suos conatus proferant, communem veritatis causam potius promouere quàm impedire consueuerunt.

Pharisæi suæ actione miraculum Christi illustrarunt.

Eſt item hoc loco obseruandum Iesu Christi studium, quo suos respicit. Vt enim hîc mox resciunt, quid cum isto ob sui nominis liberam confessionem actum sit: Ita nunquam non videt, quid sui patiantur, & quid facto opus sit, ne in tentationibus succumbant. Extant de hac re promissiones generales in Psalmis, quales sunt: Oculi Domini intenti sunt super iustos, & aures eius ad preces ipsorum. Item: Propter gemitum inopum nunc exurgam, dicit Dominus. Et de ecclesia sua ipse apud Isaiam loquitur: Num obliuiscitur mulier infantis sui, quò minus misereatur filij vteri sui? Sed esto, obliuiscantur illæ, ego tamen tui non obliuiscar: Ecce in manibus istis ambabus insculpsi te, muri tui perpetuò sunt coram me. Quid, quòd capitis nostri pilos numeratos esse, Christus testatur? Neque has promissiones inanes esse putabimus, quando infinitis exemplis confirmatæ

Christus uidet quæcunq; sui patiuntur.

sunt. Occidebatur à fratre Caino Abel, sed clamat de terra interfecti sanguis, & exauditur à Domino. Opprimuntur crudeli tyrannide in Ægypto filij Israel, & non aliquis Deus esse videtur, qui oppressos videat, vel gementes audiat. Quid verò Mosi dicit Dominus? Videndo vidi afflictionem populi mei, qui est in Ægypto, & audiui clamorem eorum, &c. Iniqua Saulis crudelitate contuentus Dauid, neminem in terris patronum siue vindicem habebat: idem tamen spiritus sed & multiplici experientia edoctus dicebat: Fugas meas tu numeratas habes, lachrymas meas nis in lagenula tua, annon in rationario tuo? Quoties te inuoco, hostes mei retrò cedunt; in hoc fio, quòd tu es Deus meus. At quid opus est vetera exempla commemorare, quando hanc bonitatem quotidie experimur, & frequenter felices rerum aduersarum euentus nos illi nunc mis cordi fuisse docent, quando ab illo prorsus derelicti esse videbamur. Vsum potius horum mus, qui est, ne nos desperatione absorberi patiamur. Quia enim qui nos videt, nos simul respicit diligit & (vt per Zachariam ait) nos oculi sui pupilla chariores habet, fieri non potest, quin curet, & nostri misertus in tempore auxilium ferat. Hæc ergo sibi in publicis simul & priuatis singuli accommodent, & tunc sibi Dominum imprimis adesse cogitent, vbi nullum in humano præsidium siue auxilium apparet.

Christus excõmunicatum ad se colligit.

Confirmatur præterea hoc exemplo, Iesu Christi promissio, quæ apud Matthæum Capite to his verbis continetur: Beati, qui persecutionem patiuntur iustitiæ causa: quoniam ipsorum regnum cœlorum. Beati eritis, cùm conuitiati fuerint vobis, & vos persecuti fuerint, & quicquid aduersus vos dixerint mentientes, mea causa, &c. Quoad enim mendicus iste inter pharisæos quem locum habet, Christus illum neq; quæsiuisse neque inuenisse dicitur. Imò, si cum illis manere fieri poterat, vt deferuescente primo fidei zelo, vel antistitum authoritate, vel multitudinis applo, aut etiam aliquorum promissis à veri confessione abductus salutis iacturam faceret. Sed ab illis inuenit Christus, & hoc exemplo egregium eius fidei & bonitatis specimen præbet, quod sequenti Capite sub pastoritiæ rei parabola describet. Eiecerant enim ouem hanc è gregis ecclesiæ consortio mercenarij serui, qui sibi omnem in ecclesia potestatem vendicabant. Hanc vero excommunicationis telo sauciam, adhæc terrore perculsam & vagantem verus & fidelis pastor quæsitam inuenit, inuentam colligit ad gregis suæ societatem, & (vt mox audiemus) amicituit, vt posthac nullis terroribus concuti queat. Nihil ergo obfuit isti excommunicationis tia, qua illum mercenarij damnarunt, sed ad salutem veram maximo adiumento fuit. Quem mercenarij expellunt, eum Christus pastor verus colligit. Quem in templo illi ferre nolunt, templi Dominus benignè excipit. Quem malignantium synagoga abijcit, eum ad se tollit Christus vt veræ electorum ecclesiæ membrum fiat. Denique quem illi suæ excommunicationis bruta ne territant, eum Christus efficaci spiritus sui consolatione confirmat. Et qui fidei iacturam inter nebulones istos, qui ipsum Solem iustitiæ obscurare conabantur, is in Christi schola breui temporis momento tantos progressus fecit, vt hodie adhuc suo exemplo eos docere possit, ad summum Christianæ doctrinæ fastigium peruenisse arbitrantur. Possem huius generis plurima commemorare, quæ nostro seculo contigerunt. Quàm multi enim ob leuia in Romanadem delicta excommunicati, inde occasionem cœperunt diligentius cogitandi de Papa et eius na, & ea ratione ad veram Christi cognitionem perducti, alijs postea multis eandem lucem rendi authores fuerunt? Angliæ certè regno florentissimo primos Euangelicæ lucis radios inconsulta Papæ temeritas, qua Serenissimum Regem anathemate suo ferire ausus fuit. Hinim factum, vt rei indignitate Rex offensus, Papam vicissim sua in regno illo iurisdictione ret, viri autem docti & pij in ipsam causam diligentius inquirerent, & deprehensas Pontificum posturas liberius accusarent. Et rectè profectò sapiunt nunc Papæ, quando non tanta leuitate olim, ad excommunicandum prosiliunt. Si quid tamen huius adhuc audent, non magis mirum minæ terrere debent, quàm fulgura ex pelui emicantia, aut etiam inflati ventris crepitus qui suo fœtore latentem in intestinis, vnde prodierunt, corruptionem produnt. Qui verò ab ipsorum consortio excluduntur, hi cogitent, non debere ipsorum aliam sortem esse, quam Christi, qui etiam ipse ab ædificantibus reprobatus, nihilominus autem caput anguli factus. Quin firmiter hoc nos tenere conuenit, nos cum Christo & ecclesiæ membris coniunctos

ab Antichristi synagoga discedamus. Vt enim luci cum tenebris nulla potest esse communio: ita neq; Christo cum Antichristo vnquam conueniet. Non temere igitur sponsæ ecclesiæ in cantu illo epithalamico dicit Spiritus sanctus: Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam; obliuiscere populi tui & domus patris tui, &c. Psal. 45.

Porrò videamus, quid cum isto Dominus egerit. Inuentum in fide plenius instituit atq; confirmat, ne vel publicæ ignominiæ vel maioris periculi metu superatus ad pharisæos redeat. Ita autem exemplo suo docet, eorum rationē imprimis habendam esse, qui ab Antichristianis explosi, & omniū prædæ expositi sunt, ne rerum incerti ad pristinas superstitiones reuertantur, aut in nouos errorum laqueos incidant. Sunt ergo singulæ huius colloquij partes diligenter excutiendæ. Exordium eius facit Christus, qui illo inuento dicit: Tūne credis in filium Dei? Interrogat autē, non vt rei ignarus, sed partim eius fortitudinem cōmendat, qua ipsum in Concilio confessus fuit: partim illius instituendi occasionem captat, & ex eo fidei confessionem elicere vult, cuius exemplo plures alij instituantur. Habet autem emphasim quandam, quòd interrogatione sermonem figurat, & filij Dei mentionem facit, quod illum rarius fecisse constat. Ita enim dicere videtur: Tūne in eo aliquid spei collocare, & eius causam tueri audes, quem pharisæi, scribæ, sacerdotes, proceres denique omnes tam ecclesiastici quàm politici contemnunt, oderunt, persequuntur? Sed macte virtute, neq; te illorum conatus terreant. Nam quem isti extinctum volunt, is Dei filius est, cui facile fuerit illorum consilia turbare, suos autem ex ipsorum manibus eripere, &c. Nec temere hoc fieri putabimus, quòd cùm de multis ipsum interrogare posset, & vel de accepto visus beneficio, vel de ijs quæ in Concilio acta fuerant, sermonem instituere, omissis tamen istis omnibus, de fide in filium Dei quærit. Causa est, quòd saluti eius consultum volens, necessariò quæstionem de eo instituit, sine quo salus nostra consistere non potest. Nemo enim ad patrem venit, nisi per filium, quem ille inter se & nos mediatorem fecit. Dei verò filium expresse nominando, admonet nequaquam sufficere, vt in Christum credamus, nisi eundē agnoscamus esse Dei filium, adeoq; verum Deum in carne manifestatū, qui nos seruare possit & velit. Nam ea demum certa erit salutis fiducia, quæ & in obeundis Dei præceptis alacres, & in quouis periculorum genere animosos reddit. Frustra igitur Turcæ Christum Dei animam, Dei verbū & spiritum fatentur esse, cùm Dei filium negent, quod nostræ salutis fundamentum est. Frustra etiam Papistæ Dei filium se agnoscere gloriantur, cùm salutis meritum, cuius causa Deum & hominem in vna persona coniungi oportuit, aliò transferunt, &c. Sed de his plura alibi.

Colloquiū Christi cum excommunicato.

Nunc cæcum audiamus, qui huic quæstioni aliam opponens, ait: Quis est Domine, vt credam in eum? Meritò autem de eo interrogat, cùm neq; ipsum Christum adhuc ex facie nosset, neq; de Dei filio in carne manifestando quicquam ex scribis hucusq; audisset. Etsi enim multa esset inter Iudæos Messiæ mentio, eum tamen non verum & æternum Dei filium, sed hominem quendam eximium fore credebant, qui Iudæis in pristinam libertatem vindicatis, regnum in terris constitueret potentia & victorijs illustre. Rectè igitur, etsi docilem se præbeat & ad credendum propensum, quærit quis nam ille sit, quem Dei filium dici audiebat. Et nos isto exemplo docemur, fidē non temere quibuscunq; amplecti, sed prouidam & circunspectam esse, ne Dei nomen ijs impertiat, qui reuera Dij non sunt, aut Deum sibi fingat nouum, qualis nunquam fuit, neq; vnquā futurus est. Errant in eo multi hodie, qui quasi sufficiat fidei in vnū Deum professio, interim quis & qualis nam ille sit non quærunt, neq; illum ex verbo suo agnoscere student, sed ex suo cerebro talem fingunt, qualem suis affectibus conuenire vellent. Ad eundem lapidem multi in Christi cognitione offendunt, quem ita profitentur, vt simul cum eo infinitos alios mediatores, seruatores, iustificatores agnoscant, & præter hunc aliud etiam ecclesiæ eius caput imponant: qui dum Christiani videri volunt, Christū cum Antichristo coniungunt, & fidei puritatem absurdissimis superstitionibus adulterant. Debemus hoc malum eorum temeritati, qui fidei mysteria diligentius scrutari prohibent, & summam pietatis in eo consistere tradunt, si quis simpliciter credat, quæ ab ijs proponuntur, qui primi sunt ecclesiæ antistites. Est ergo illorum iudicio simpliciter credere, si quis instar iumenti stolida credulitate quoslibet sequatur, qui ecclesiasticæ authoritatis splendore sese venditant. Qui deinde eos ipsos suauiter deridet, quos ita sibi addictos videt, & eos per ludibrium bonos Christianos dicere consueuerunt: quod vnum satis docet, quo loco fidem atq; religionem Christianam illi habeant. Nos ergo hunc nostrū imitemur,

Fides nō temere quiduis recipit, sed piè quærit.

& sobria diligentia sanctoq; studio in ea inquiramus, quæ nobis credenda proponuntur, ne quid ... piamus quod Dei verbo aduersetur. Placet hoc studium Christo Domino, sicuti ex præsenti ... ctione apparet.

Christus se Dei filium esse profitetur.

Mox enim se illi manifestans, ait: Et vidisti eum, & qui loquitur tecum, ipse est. Et ... hæc memorabilis Domini bonitas, qui tanta liberalitate homini mendico & apud omnes co... simo mysterium hoc reuelat, quod à seculo absconditum docti & sapientes huius seculi ... Et debet hinc generalis doctrina peti, Deum non frustrari pia suorum vota atq; desiderta, qui... veram salutis & regni sui cognitionem assequi cupiunt. Sunt enim promissiones, quæ nobis ... tissimam facere possunt. Talis est, quam Solomon Prouerb. 2. his verbis exponit: Si accer... telligentiam, voceq; tua institutionem vocaueris: Si velut argentum eam quæsieris, & ... eam vt thesauros, tunc intelliges timorem Domini, & scientiam Dei inuenies, &c. Et Christ... est: Petite, & dabitur vobis: quærite, & inuenietis: pulsate, & aperietur vobis. Item: Omn... dabitur. Sunt autem promissiones istæ multis exemplis confirmatæ, vt de earum fide nemo ... posit. Gestiuit Abraham, vt Christi diem videret, & vidit, atq; gaudij compos factus est. Item... runt eiusdem mysteria prophetæ, & spiritu duce (vt Petrus ait) cognitionem eorum consecu... Expectauit consolationem Israelis iustus Simeon, & datum illi fuit, vt Christum coram vide... vnis exceptum complecteretur. Cupiebat in salutis cognitione institui Nicodemus, & m... mum inuenit Christum, quàmuis & pharisæus esset, & noctu ad illū veniret. Quid autem ... memoro, quando constat, adeò neminem vnquam à Christo reiectum fuisse, vt ipse potius omn... cendi occasionem studiosè captarit, vt quàm plurimos lucrifaceret? Neq; adhuc hodie studium ... cessauit, quin nobis quotidie loquitur, & in verbo suo se nobis conspiciendum præbet. Quid aut... rior est inter homines Christi cognitio, eorum culpa fit, qui vel securi salutis doctrinam omn... stidiunt, vel impio animi proposito audiunt Euangeliū Christi, vt calumniandi occasionē ha...

Cæcus in Christum credit & adorat eum.

Quid verò cæcus, iam non corpore modò, verumetiam animo illuminatus? Credo (inqui... mine, & adorauit eum. Credit in Christum, vtpote verum Dei filium, & fidem suam confe... adhæc eum adorat, quem nullo externo splendore commendari, omnibus verò exosum esse vi... Et hoc quidem in publico facit, præsentibus quibusdam ex Pharisæorum ordine (vt ex sequen... patebit) quorum rabiem paulò ante expertus fuerat. Est ergo exemplum hoc insigne, in qu... mirabilis spiritus sancti efficacia, & eximia fidei virtus simul elucent. In tota verò actione ... præ multis alijs obseruanda veniunt. Primum est vera Christi Iesu diuinitas, quam ille ve...

Deitas Christi vera asseritur.

piam alibi euidentius & clarius testatus est. Interrogauit enim an credat in Dei filium; non ... que adoptiuum aliquem, quales sunt electi omnes, sed verum & æternum, quem alibi scri... Vnigenitum dicit, eò quòd vnicus est. Quærenti autem quis nam ille sit, se eum esse respon... Nunc ab illo etiam fidei huius confessionem recipit, seque ab eo adorari patitur. Concurrere ... hîc multa simul, quæ Deum verum esse demonstrant Iesum Christum, & quæ nobis adorat... nes cùm veterum tum recentium Arianorum strophas sufficere debent. Nec enim contentus ... Dei se dixisse, simul vult, vt in ipsum credat. At in creaturas credere nefas & impium est. ... stum ergo non creatum aut factum, sed verum & æternum Dei filium agnoscere oportet, nisi ... lum quod impium est iussisse dicamus, & nosipsos idololatras faciamus, qui fidem in illum ... mur. Præterea adorationis cultum vni & soli Deo deberi, omnis scriptura docet. Adoratur ... stum homo iste, & eo nomine commendatur. Ergo Christus Deus est, nisi & hunc & illum ... peccauisse dicere libeat.

Ordo fidei & salutis.

Alterum huius actionis caput est, quo docemur, quis fidei & salutis nostræ ordo sit, & q... nos facere conueniat, vt salutem in Christo assequamur. Primò ex Antichristi castris discedam... ab impiorum consortio nos separari oportet, si Christo coniungi volumus. Docet hoc Dominus ... modò istius hominis exemplo, verumetiam in Apocalypsi sua, quando de Babylonis spiritualis ... dio loquens, ait: Exite de illa populus meus, ne participes sitis delictorum eius, ne de plagis eius ... piatis. Quò & illa Apostoli pertinent: Ne ducatis iugum cum incredulis. Quod enim consortium ... stitiæ cum iniustitia? aut quæ communio luci cum tenebris? aut quæ concordia Christi cum Bel... aut quæ pars fideli cum infideli? quæ autem compositio templo Dei cum simulachris? Item: Nem...

testis mensæ Domini participes esse, & mensæ dæmoniorum. Deinde in filiũ Dei credamus oportet: quia (vt nuper diximus) nequicquam fidem in Deum profitentur, qui Dei filium non amplexi sunt, per quem solùm illi reconciliamur. Tertiò fidem hanc publicè confiteri debemus. Exigit enim hoc naturæ lex, ne eius nos pudeat, cuius peculium sumus, quiq; nos sui sanguinis pretio redimere dignatus est. Postulat idem salus nostra, siquidem in nouissimo die ab illo agnosci, eiusq; coheredes fieri cupimus. Prodest etiam nos per fidei confessionem frequenter de officio nostro admoneri, ne quid faciamus fidei nostræ contrarium. Sed & proximum exemplo nostro excitari & in fide confirmari vtilissimum est. Itaq; non temere sui nominis confessionem Christus frequenter exigit, et nefarius illorum error est, qui hanc hodie inter indifferentia numerant, quò facilius mundo placere possint. Postremò adoremus Christum, verum Deum. Scriptum est enim: Viuo ego, dicit Dominus, quia mihi flectetur omne genu, & omnis lingua confitebitur Deo. Isa. 55. Et rursum, Isa. 60: Gens & regnum, quæ tibi seruire noluerint, excindentur. Adoremus autem eum in spiritu & veritate, animiq; nostri deuotionem sancto & assiduo obedientiæ studio testemur, ne ex eorum numero censeamur, qui ore appropinquant ei, & labijs ipsum honorant, cùm corde suo procul ab illo absint. Hæc qui sedulò facunt, ij ad illum colligentur, & cũ illo regni cælorum hæreditatem adibunt. Ipsi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

HOMILIA XCIII.

Et dixit Iesus: In iudicium ego in hunc mundum veni, ut qui non vident, videant: & qui vident, cæci fiant. Et audierunt hæc quidam ex pharisæis qui cum illo erant & dixerunt ei: Num & nos cæci sumus? Dixit eis Iesus: Si cæci essetis, non haberetis peccatum. Nũc verò dicitis, Videmus: itaq; peccatum vestrum manet.

QVoniam miraculosa Iesu Christi facta nullam vtilitatem afferunt, nisi finem, in quem edita sunt, & eorudẽ vsum probè intelligamus: solet hic illis doctrinam vel præmittere, vel mox subijcere, quæ nos de eo admoneat. Vidimus hoc ita fieri supra quinto & sexto Cap. & multa huius generis passim apud reliquos euangelistas occurrunt. Idem ergo in isto etiã miraculo obseruauit diligentissime, cuius historiam hoc cap. commemorari audiuimus. Cùm enim nuper se Lucem mundi esse docuisset, & ex eo ingens inter ipsum & pharisæos contentio fuisset exorta, mox hominis egeni & mendici, qui ex vtero matris cæcus fuerat natus, oculos aperuit, vt doctrinam illam confirmaret. At dedit hoc factum nouas turbas. Qui enim antea Christum è templo abire coegerant, nunc istum ob illius confessionem excommunicationis telo feriunt, & ab ecclesiæ cõsortio excludunt. Erant hæc magno cum scandalo coniuncta, nec dubium est, quin multorũ fides grauissimè fuerit tentata, quando Christum à sacerdotibus & scribis reprobari, & eiusdem etiã sectatores contumeliosius haberi videbant. Quapropter istum à pharisæis electum inuenit Christus, & primò quidem ipsum in vera sui cognitione atq; fide plenius instituit: in præsenti verò eundem docet, non sine certa ratione hoc fieri, quòd ab ijs reijciatur, qui in mundo præcipuam sapientiæ existimationẽ sustinent: & ita scandalum remouet, quod ex eo ad rudes & infirmos redundabat. Est itaq; locus hic dignissimus, quem diligenter considerent, quicunq; in Christi cognitione proficere, & salutem in ipso consequi cupiunt.

Excommunicationis scandalũ remouetur.

Verba Domini hæc sunt: In iudicium ego in hunc mundum veni, vt qui non vident, videant: & qui vident, cæci fiant. Iudicij nomine æternum de se Dei patris decretum, vel potius eius executionem intelligit: & istud opponit temerariæ pharisæorum sententiæ, qui ab ipso illuminatũ damnauerant, simiq; omnes eos ab ecclesia excludi debere statuerant, quotquot ipsius doctrinam recipiebant: & ita huius rei rationem reddit, vt tam istum quàm omnes huius similes consoletur & in fide confirmet. Sensus enim verborum hic est: Rectè tu quidem me Dei filium agnoscis, rectè in me omnem salutis fiduciam collocas, & mihi adorationis cultum exhibes. Vide modò, vt quod bene cæpisti, constanter facere pergas. Neq; te moueat quicquã, quòd qui doctrina & authoritate alijs præstant, me talem esse videre non possunt: neq; illorum rationes audias, qui dicunt: Tune homo illiteratus & ru

dis plus ijs videas & sapias, qui à pueris literas didicerunt, qui in scripturis sunt exercitati, ad quos ecclesiæ gubernatio successione legitima & perpetua deuenit, quosq; omnes meritò suspiciunt & colunt? Nam non temere ista sic fiunt, neq; meus iste in mundum aduentus fortuitus est: sed ab æterno Dei decreto dependet, quo mihi omne iudicium & plena eorum omnium potestas commissa est, quæ ad humanæ salutis dispensationem pertinent. Etenim in mundum hunc veni, & hominem verum assumpsi, non vt otiosus rerum nihil ad me pertinentium spectator sim, sed vt potestate mihi commissa vtar, & inter electos meos atq; alteros illos rectè discernam. Hi quidem omnem in ecclesia potestatem sibi vendicant, & ij videri volunt, qui soli sapiant, soli diuina intelligant, soli iusti & sancti sint, ex quorum iudicio sese subijcere debeant, quicunq; volunt salui fieri. At ego breui hanc laruam illam traham, & simul illorum arrogantiam reprimam, cùm effecero, vt quos illi pro cæcis & ignaris rerum, imò vix hominum loco habent, apertis animi oculis diuina & cœlestia intelligant: ipsi veri, & sibijpsis & toti mundo oculatissimi videntur, talpis cæciores in errorum tenebris miserè impingant & volutentur. Quapropter nihil hic hominum iudicio tribui, sed meum verbum obseruari debet, quod neminem errare patietur, &c. Hic (inquam) verborum Christi sensus est, qui & præsentis instituto optimè conuenit, & totam regni eius nostræq; salutis dispensationē pulchrè illustrat. Quæ obrem singulæ partes aut capita, quæ hic tractantur, peculiari consideratione digna sunt.

Christus ex certo Dei consilio in mundū uenit

Vbi primùm obseruabimus, Iesum Christum non temere, sed certo Dei cōsilio & in certum finem venisse in hunc mundū. Quod enim hîc paucis attingitur, ipse cum Nicodemo disputans clarius exponit his verbis: Ita Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum dederit, vt omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Et Petrus apostolus eundem ante iacta mundi fundamenta præordinatum, vltimis verò temporibus manifestatum fuisse dicit propter eos, qui per eum credunt Deo. Paulus item nos in illo priusquam mundus hic conderetur electos fuisse, ipsum autem præfinito demum tempore missum & hominem factum fuisse scribit. Ad quorum declarationem siue confirmationē promissiones & prophetarum vaticinia pertinent, quibus iam olim Deus filij aduentum in carnem, & quo tempore atq; loco nasci debeat, quæq; eius in terris hisce conuersatio futura sit, prædici voluit. Quæ causa fuit, quòd in expectationem aduentus ipsius omnium sanctorum mentes iam inde ab orbe condito intentæ fuerunt. Prodest autem hæc diligenter obseruare. Primùm enim admonemur, nihil ab illo temere factum aut dictū fuisse, & proinde nihil eorum quæ ab illo dicta & aut facta sunt, contemni vel negligi debere. Videntur quidē nonnulla superuacanea fuisse, & multa ab hominibus temerarijs in disputationem trahuntur, quos non pudet satis pro imperio quærere, cur hæc aut ista ad hunc modum fecerit? At si positis corruptæ carnis affectibus rem ipsam diminemus, mirificam illorum omnium cum æterno Dei decreto conuenientiam videbimus, & multis quæstionibus ansa præcidetur, quæ si irreligiosius tractentur, prima fidei nostræ fundamenta conuellunt, & salutis doctrinam omnem in dubium vocant. Docet præterea hæc æterni decreti Dei cōsideratio, non debere neq; posse à quoquam salutis nostræ rationem aliam constitui, adeoq; impia & vesaria temeritate aduersus Dei maiestatē eos peccare, qui ex suo cerebro in hac causa aliquid nouum gere audent. Quis enim sanæ mentis homo crediderit, Deum, qui summè iustus & bonus, sapientem item omnis fons est vnicus, hanc tam acerbam & duram humanæ salutis rationem inire voluisse, quæ non aliter quàm per filij vnigeniti mortē poterat confici, si quæ alia excogitari potuisset? Enim uero, si communem sensum & humani intellectus rationem audias, fatearis oportet, nihil præterea fuisse, quo simul & suæ misericordiæ diuitias in nobis redimendis Deus declararet, & iustitiæ satisfaceret, quæ scelerum pœnas poscebat. Procul ergo facessant cum superstitiosis nostrarum satisfactionū inuentoribus vanissimi Epicuræi, qui religionem simul omnē euertunt, dum vnumquemque in suo cultu saluum fieri contendunt. Vt enim salutem omnem in filio suo Deus conclusit, ita hanc recipiant oportet, quicunq; illius consortes fieri cupiunt.

Cur Christus in mundū venerit.

Deinde exponit his verbis Dominus, cur in mundū hunc venerit, & quis ipsius effectus sit inter homines: Nimirùm vt qui non vident, id est qui cæci sunt, videant: & qui videntes, cæci fiant. Quæ loco cæci dicuntur partim idiotæ & indocti, partim qui se peccatores quidem & miseros esse sentiunt, rationem verò salutis vident nullam, qua sibijpsis subuenire possint. Videntes autem vocat eos, qui vel huius seculi sapientia eximij sunt, vel legis cognitione instructi propriæ iustitiæ & suorū operum

merito confidunt. Et sunt hæc duo hominũ genera semper in hoc mundo, & cum vtrisq; Christo negotium est, non autem pari euentu. Nam etsi ipse lux & vita sit, & proinde ipsius opus proprium sit illuminare & seruare, vel vitam conferre: attamẽ propter diuersa hominũ ingenia, diuersus quoq; doctrinæ & verbi ipsius effectus est, idemq; hoc loco, quod in Sole aut luce diurna fieri consueuit. Vt enim Sol radijs suis terras illuminat, & ad huius exortum videre incipiunt, qui oculis ad videndũ rectè compositis vtuntur, idem verò lippientes suo fulgore perstringit & excæcat, nõ quidem suo sed ipsorum vitio: Ita Christus alijs quidem lucis author est, qua illuminati cœlestia vident, alijs verò maiores tenebras offundit, qui suæ naturæ vitio corrupti lucem illam percipere nõ possunt. Sunt autem ad eam percipiendam idonei, qui mundo cæci esse putantur, homines nimirùm idiotæ, indocti, rudes & propter ignorantiã suam erroribus multis impliciti. Hi enim quia suæ insciciæ sibijpsis probè conscij sunt, errores item & vitia dissimulare aut negare nullo modo possunt, simul doctrina & institutione sibi opus esse vidẽt, & proinde eam patienter admittũt. Fit ergo, vt Christi spiritu & verbo illuminati, oculos aperiant, regni cælorum mysteria intelligant, de illis dextrè & verè disputent, denique subita sui mutatione omnibus ijs admirationi sint, qui prius illos ad omnia ineptos & erroriũ labyrinthis impeditos viderunt. At alia longè est eorũ ratio, qui & sibijpsis & mundo toti sapere atq; oculatissimi esse videntur. Quia enim sibi nihil deesse putãt, & ob sapientiæ & iustitiæ singularis existimationem apud omnes in honore sunt & pretio, indignũ illis videtur meliora edoceri, ideoq; ad euangelicæ doctrinæ lucem primò quidem oculos claudunt, ne quod nolunt videre cogantur, tandem verò si illa vel inuitis & reluctantibus ipsas quoq; palpebras penetret, & suo fulgore illos perstringat, mox in rabiem accensi de luce extinguenda cogitant. Vident enim suam corruptionẽ reuelari, quæ hactenus latuerat: vidẽt fucum iustitiæ abstergi, quo hucusq; sese venditarunt: vident denique suas fraudes & impostoras detegi, sub quarum velo antehac ipsi strabi & lippi inter cæcos regnarũt: sentiunt adhæc mundum à cæcitate liberari, quæ ipsis prius quæstum præbuit vberrimum. Et quia his causis excitati contra veritatis lucẽ hostiliter insurgunt, aduersus ipsos quoq; iusta ira Deus accenditur, vt in reprobũ sensum dati & vertiginis spiritu inebriati, eam quoq; mentis aciem amittãt, quæ illos prius in externis & huius seculi rebus prudentissimos faciebat. Idem enim illis, quod noctuis & vespertilionibus contingit. Vt enim hæ noctu perspicaces sunt admodum, ad Solis iubar autem cæcutiunt: ita isti tenebrarum filij, cùm prudentia & consilio plurimùm possint, quoad superstitionũ caligo omnium mentes occupat, ad euangelici Solis ortum stultissimi fiunt omnium, & nec ea videre possunt, quæ pueri & mulierculæ eodem illo illuminatæ intelligunt. Et hæc quidẽ euentura esse Christus prædixit, quæ in Iudæis illo tempore & postea, cùm apostoli prædicarent, impleta fuisse euãgelica historia testatur. Illuminati enim sunt veritatis cognitione piscatores, publicani, mendici, meretrices & innumeri alij ex rudi vulgo, qui plus quàm cæci videbantur: cùm interim horribili cæcitate percussi scribæ & sacerdotes, nõ modò æternam animarum salutem reijcerent, verumetiam furiosis suis cõsilijs cùm sibijpsis tum vniuerso populo funesti excidij essent authores. Idem inter gentes accidisse, Paulus in priori ad Corinth. cap. 1. multis docet. Philosophis enim stultitia videbatur Christi crucifixi prædicatio, in qua salutifera Dei sapientiã homines obscuri & imperiti agnoscebant. Et nostro seculo eundem euangelij effectum esse videmus, vt mysteria regni Christi non videant, nec videre velint doctores Seraphici & quotquot ferè vsu rerum atq; prudentia excellunt, eadẽ verò auidissime amplectantur homines plebeij, & eorum cognitione illustrati cum acutissimis Sophistis de fide & religione disputare ausint. Offendunt hæc multos, & per nos eam confusionem induci clamant, vt opifices theologica tractent, & summis in ecclesia viris obstrepant. Sed in his nos hoc iudicium Christi, de quo hic agitur, agnoscere decet, & æternum Dei decretum exosculari, qui hæc ita constituit, vt huius mundi fastum deprimat, & toti mundo ostendat, filij sui regnum nostramq; salutem non ex nobis, sed ipsius voluntate dependere, quæ iusto iudicio omnia administrat.

Qui & quales in Christo seruentur.

Discamus præterea hoc loco, quid nobis facto opus sit, vt salutem in Christo assequamur. Primò agnoscamus nos ex vtero matris cæcos nasci, & (vt Paulus ait) hominem animalem non percipere ea, quæ sunt spiritus Dei. Deinde si quid lucis in nobis supereſt, qua in huius seculi rebus vtimur, hanc quoq; subigamus, vt in Christum solum intenta sit: & quod idem Apostolus monet, si quis sibi videtur sapiens esse in hoc seculo stultus fiat, vt reddatur sapiens. Fieri enim non potest, vt cælestis

sapientiæ fructum percipiat, quisquis huius mundi sapientiam magni facit, quæ apud Deum
est stultitia. Vt ergo Paulum, cùm ad Christum conuerteretur, excæcari oportuit, vt detrahe-
cilio pharisaico, Christi illuminatione sibi opus esse sciret: ita quoad nostræ carnis intellectum
que cæcos fieri necesse est, vt cœlesti luci in nobis locum demus. Deniq; intellectum omnem
carnis sensu per fidei obedientiã vni Christo subijciamus, quem nobis Deus pater magistrum
tuit. Qui ista faciunt, hi se plurimùm proficere sentient. At in hoc erratur hodie, quòd plerig
nam sapientiam cum cœlesti commiscere, & hanc ad illius placita detorquere solent.

Pharisæi in comitatu Christi.

Cæterùm audiamus, vt hoc Christi dictum exceperint eius aduersarij. Pergit enim
Ioannes, & ait: Audierunt hæc quidam ex pharisæis, qui cum illo erant, & dixerunt ei: N
nos cæci sumus? Dicuntur hi cũ illo, id est in eius comitatu fuisse, & ideo reliquis meliores
res videri poterant. Quia verò eius dicta tam diligenter obseruant, & ijs etiam arrogantiss
sponsant, quæ honestè poterant dissimulari, satis apparet, hostili ipsos in illum animo fuisse,
captasse, quàm vt ipsum per insidias obruerẽt. Ergo typum gerunt isti eorum, qui hodie
doctrinæ sectatoribus sese coniungunt, conciones sacras audiunt & veritatis studiũ simulãt,
verò insidiosè omnia obseruant, vt vel ministris vel horum auditoribus possint calumniã
Habuit eiusmodi insidiatores semper Veritas, sicuti prophetarum exempla, Amos imprimis
remiæ testantur. Et Christo tales nunquam non adhæsisse, multi loci docent. Quid verò hoc
rum similibus pij patiantur, notius est, quàm vt pluribus commemorari debeat. At non
eos pij veritatis præcones, neq; illorum affectibus sese accommodent. Digni sunt enim, vt ea

Hypocritæ amarulenti & superbi.

quæ ipsis dolent, quando in ipsius Dei conspectum proditorio animo venire non erubescunt.
verò obseruabis hypocritarum mores virulentos & superbos, quos verbis paucissimis enden
primunt. Amarulenti enim animi indicium est, quòd non lacessiti respondent. Superbiam
arrogantiam immanẽ arguit, quòd se à vulgi ignorantia & cũmuni errore eximunt, dicendo:
& nos cæci sumus? Quasi dicerent. Fatemur quidẽ plerosq; in populo ignorãtes & cæcos esse
nos illis adnumeras, qui in Lege exercitati sumus, qui vitæ genus sanctissimũ delegimus, q
in tenebris agẽtibus lucem verbi præferimus, id certè nullo modo ferri potest & debet, &c. A
planè modum papisticæ ecclesiæ antistites agunt hodie. Possunt enim etiam ipsi ferre, vt princ
reges vnà cum populo ignorantes, rudes, imò stipites & asinos dicas: Vt verò illos ignor
erroris alicuius accuses, id verò scelus nulla venia dignum ipsis esse videtur. Interim omnes
perfidiam proprio indicio produnt. Cùm enim populum cæcitatis & ignorantiæ accusant, fat
profitentur ignauiam, & quòd perfidè neglexerint eos, quos suæ fidei concreditos instituere
Adhæc omnem excusationis prætextum sibijpsis auferunt, dum scientiæ titulo tam insolenter
riantur, interim verò fœdissimis erroribus immersi hærent.

Inter peccatores uel incredulos Christus distinguit.

Docet hoc sua responsione Dominus, qua grauiter in ipsos retorquet quod respondebant. S
quit (cæci esseris, non haberetis peccatum: Nunc verò dicitis, Videmus: itaq; peccatum vestr
net. Sensus est: Bene equidem vobiscum ageretur, si cæci esseris. Nam si veritatem simpliciter
raretis, communi errore decepti, aut saltem cæcitatis vestræ sensu perculsi lucem quæreretis,
esset vestræ incredulitatis excusatio, & cœlestis illa lux procul dubio vobis inoresceret. Nun
cum oculatissimi mortalium haberi velitis, cùm legis cognitione gloriemini, & aliorũ magistri
nullis rationibus hæc vestra incredulitas, seu voluntaria veritatis ignorantia, excusari potest
manet in vobis peccatum, in quo excæcati & indurati miserè peribitis. Est ergo inter peccatum
gens discrimen. Alij enim ex infirmitate, quæ omnibus communis est, & vera ignorantia pro
nunquam illud facturi, si quid fieri oporteat intelligerent. Alij verò vel scientes peccant, vel
cato admoniti, illud tamen nec agnoscere neq; emendare volunt, sed aduersus pœnitentiæ doctri
& promissiones salutis amarulenter insurgunt. De primis illis nemo facilè desperauerit. Alios
enim, vel seuerius à Domino castigati, in viam redeunt, & Deo fidele obsequiũ præstant, vt in
videmus, qui cùm per ignorantiam Christi ecclesiam persecutus esset, paulò post electum Dei
num factus est. Et horum peccata non manent, sed ex ipsis transferuntur in Christum, qui
Deo datus est iustitia, satisfactio & sanctificatio. Aliorum verò, de quibus secundo loco dictum
deplorata salus est, quàm diu sui similes manserint. Quia enim Christum, vnicum veræ
& re

& remissionis peccatorum authorem, improbè fastidiunt, inhæret ipsis peccatum perpetuò, & (vt Baptista ait) manet super ipsos ira Dei, quæ per peccatum in mundum introgressa est. Et hæc ferè sors est hypocritarum simul & eorum, qui incurabili malitia in sceleribus pergunt. In horum ergo consideratione diligenter versemur fratres. Apparuit nobis æterna veritatis lux, quæ superstitionum & peccati tenebras discussit. Ambulemus igitur in luce ista, ne nos tenebræ rursus occupent, & grati simus Christo Iesu redemptori nostro, cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

CAPVT X.

HOMILIA XCIIII.

AMen amen dico uobis, qui non ingreditur per ostium in caulam ouium, sed ascendit aliunde, ille fur est & latro. Qui autem ingreditur per ostium, pastor est ouium. Huic ianitor aperit, & oues uocem eius audiunt, & proprias oues uocat nominatim, & educit eas. Et cùm proprias oues emiserit, ante eas uadit, & oues eum sequuntur, quia norunt uocem eius. Alienum uerò nequaquam sequentur, sed fugient ab eo: quia nō norunt uocem alienorum. Hanc parabolā dixit eis Iesus: illi autem non cognouerunt quæ essent ea, quæ loquebatur eis.

OMNES quidem gentes vnanimi consensu statuerunt Deum esse, qui summā in creaturas omnes potestatem habeat, & qui se à nobis coli velit, suosq; cultores bonorum suorum atq; æternæ felicitatis consortes facere decreuerit. Dissensionis autem argumentum fuit omnibus seculis, quis nam ille Dei populus sit, qui veram illius colendi rationem ab ipso acceperit, & ad quem promissiones cœlestiū bonorum atq; salutis pertineant. Nam olim sibi hanc gloriam gentes vendicarunt, licet Deorum multitudine & prophanis sacris religionem omnem fœdè corrupissent. Eandem ad se pertinere putarunt Iudæi, tunc quoq; quando neq; doctrinam legis purā, neq; externum cultum integrum habebāt. Hodie de hoc titulo Turcæ, Papistæ, Anabaptistæ, Libertini & infinita alia sectarū examina cōtendunt. Et ab aduersarijs nostris nos hoc nomine potissimùm accusamur, quòd à populo siue ecclesia Dei secessionē fecerimus. In tanta ergo contentione & opinionū diuersitate plurimum prodest, imò necesse est, veram & certam ecclesiæ Dei notitiam habere, cui nos contungi oporteat, ne falsam sequendo à salute prorsus excidamus. Tradit hanc luculenter Dominus noster Iesus Christus in concione sequenti, quam ijs, quæ nuper dicta sunt, cōmodè subijcit. Dixerat enim se ad iudicium venisse, vt qui non vident, videant; & qui vident, cæci fiant, simulq; phariseos cæcitatis voluntariæ accusauerat, quæ ipsis exitium esset allatura. At volebant illi vna cum scribis & sacerdotibus veri ecclesiæ antistites atq; pastores haberi, & indignè ferebant, quòd nonnulli ipsis relictis Christum sequerentur, & (vt nuper vidimus) in eius sectatores excōmunicationis pœnam decreuerant, qua haud dubiè multi terrebantur, multi etiā paucitate fidelium offendebantur. Igitur concionem istam Iesus Christus habet, qua & personatis illis pastoribus laruam detrahit, & scandalum omne è medio tollit. Ordo autem totius concionis hic est. Primò parabolam proponit sumptam à re pastorali, qua inter veros & falsos pastores, adhæc inter veras quoq; oues, id est verè fideles et hypocritas discernere docet. Deinde parabolam hanc sibi accommodat, & se probat verum gregis dominici pastorem esse, quem omnes sequi debeāt, qui inter vera ecclesiæ membra censeri velint. Alia verò ista proponit, vt simul omnem nostræ salutis rationem paucis comprehendat. In præsenti parabolam inspiciemus, quæ veri & falsi pastoris notas infallibiles continet.

Vetus est de titulo ecclesiæ contentio.

Quia verò concionē hanc aduersus pharisæos & sacerdotes instituit, qui pastores dici volebant, à falsi pastoris descriptione orditur, vt quales illi sint omnes intelligant, & graui cum asseueratione ad ipsos sermonem dirigens ait: *Amen amen dico vobis, qui non ingreditur per ostium in caulam*

Pharisæos & sacerdotes ostēdit falsos esse pastores.

ouium, sed ascendit aliundè, ille fur est & latro. Quæ verba ad hunc modum præcedentibus cohæ-
Vos quidem, etsi cæci reuera sitis, attamen pastores & antistites ecclesiæ haberi vultis, & ex-
ille vestri ordinis splendor multos detinet, ne à vobis discedant. Sed qui nam & quales sint,
satis indicat. Quisquis non per ostium in caulam seu ouile ingreditur, sed aliunde siue per
effractos, siue perfossum tectum irrepit, is reuera fur & latro est: Atqui vos istud facitis: Ergo
pastores veri, sed fures & latrones estis. Sumitur autem argumentum ex communi hominum
suetudine, qua fit, vt qui legitimum in aliqua domo aut loco imperium habent, aut res bonas
acturi veniunt, palàm & omnibus videntibus per ostium ingrediatur: qui autẽ in aliena
& aliena diripere volunt, ij vndiq; rimas & rupturas quærunt, & clàm irrepunt, ne à quoquam
prehendantur. Qui mos obiter docet furta & latrocinia cõmuni omnium hominum consen-
bari, adeoq; ipsos fures & latrones istorum pudere, cùm ea tanto studio cælata cupiant. Quo
niti debent qui in magistratu sunt, ne sublata legum seueritate furandi & quiduis audendi
inducãt, & pernicioſæ confusionis in repub. authores sint: quæ facilè exoritur, si impunitas illa
mia licentia & impunitate abstergatur. Quoad verò causam præsentem, quò rectius intelligatur
gumentũ, scire oportet ante omnia, quid per caulam vel ouile, quid item per ostium intelligat
pastorem enim, verum & legitimum ecclesiæ doctorem siue antistitem significari omnibus
tum est. Ouile verò vocat societatem verè credentium, quam alio nomine ecclesiam dicimus
parationis ratio est, quòd fideles passim in scripturis oues dicuntur, cuius similitudinis ratio
stea exponemus. Ostium autem, per quod in ouile venitur, ipse Christus est, sicuti in sequenti
cebit, & eius dicti rationem Cap. 14. euidentem reddet, quando ait: Nemo venit ad patrem,
nemo in domus Dei & ecclesiæ consortium, adeoq; in Dei patris conspectum peruenire possit
me. Ostium verò tribuit ecclesiæ, vt sciamus, non cuiuis in illam accessum patere, nisi vera
membrum sit. Et per Christum ostium verum & vnicum ingrediũtur, qui hunc seruatorem
mediatorem vnicum apud patrem agnoscunt, in illo vno omnem suæ salutis fiduciã collocant,
omnem iustificationis & salutis nostræ rationem huic vni acceptam ferunt. Sensus itaq; est,
stores, sed fures & latrones esse, quicunq; vel ipsi alias salutis vias sequuntur, vel alios à Chri-
strahunt, dum longè alias ad Dei gratiam & salutis consortium vias monstrant, quàm quæ
Christo nobis est patefacta. Et quamuis hæc Iudæorum sacerdotibus atq; scribis dicantur, qui
fuisse cõstat, hinc tamen certa & infallibilis nota debet colligi, ex qua impostores & falsos
agnoscas. Quicunq; enim hoc fecerint, cuiuscunq; loci sint & ordinis, ijdem similiter fures & la-
Fures & latrones in ecclesia. sunt. Fures quidem, quia suam Christo gloriam eripiunt, quam is se nemini daturũ esse, apud
clamat, & quia sub religionis prætextu auditorum pecunias emungunt, adeoq; domus vidu-
orphanorum deuorant, sicuti de Iudæorum scribis Christus loquitur. Latrones verò ijdem sunt,
simul animas occidunt venenata doctrina, dum à Christo abducunt, qui solus verba vitæ æter-
bet, & extra quem vita aut salus nulla inuenitur. Quo nomine Christus istorum templa quæ
num spelúncas vocat. Docet ergo locus hic iudicare de nostri seculi pastoribus. Vendicat sibi
pastoris titulum Romanus Pontifex, & pastores simul dicuntur, qui ab hoc ordinantur Epi-
parochi. At si videas qua omnes isti in ecclesiæ & salutis consortium ingredi conentur, mox
sint intelliges. Nam relicto Iesu Christo, qui ostium est vnicum, ipsi Missam, indulgẽtias, Pur-
intercessionẽ, purgatorium, funebria sacra, ieiunia, conductitias preculas, rosaria, cucullas, per-
nationes, luminaria, & sexcenta alia confinxerunt, quorum meritis salutem tribuunt, & ij
modo in ecclesia sua locum relinquũt, qui istis rebus vacant, alios verò omnes hæreticorũ &
ticorum loco habent, quotquot vno Christo contenti, per hunc solum ad thronum gratiæ cõten-
Sed non ostia modò noua, verumetiam scalas commenti sunt, sicuti altarium inscriptiones &
riorum suorum denominationes testantur. Deniq; ecclesiæ suæ parietes simul & tectum tam
rarunt, vt ostio certo non sit opus, quando vbiq; in illam patet introitus. Satis ergo apparet, illos
ecclesiæ Dei pastores esse, nec penes se ecclesiam habere, sed columbarium potius & cuniculorum
dos, dum per omne genus superstitiones atq; ambages suos sectatores in eam recipiunt. Et quia
Iesu Christi gloriã partim sibijpsis tribuunt, partim in creaturas transferunt, adhæc leuipen-
narum traditionum toxica miscent atq; propinant, quis non videt, quam propriè illis furum

latronum nomen conueniat? Ferunt quidem indignissimè, quòd tales dicantur: At quia illos Christus sic vocat, alios nos dicere non possumus, quoad sui similes esse perrexerint. Eadem est omnium aliorum ratio, qui vel Mahumeticas superstitiones, vel Anabaptistarum deliria, aut Libertinorũ furores prædicant, quasi illis vijs ad salutem perueniri possit. Quare etsi nihil aliud accedat, ex hac vna nota eos agnoscere possumus, quos nobis cauendos esse, scripturæ passim monent.

Cæterùm his veros pastores opponit, vt qui nam audiendi sint, videamus. Qui autem ingreditur per ostium, id est, qui in me credit, me vnicam ad patrem viam agnoscit, & simul suæ fidei commissos ad me vnum ablegat, inq; vno me omnia monstrat, quæ ad salutem æternam faciunt: is (inquam) pastor est ouium, verus nimirum, legitimus atq; fidelis, quem tutò sequi possitis. Id verò mox alijs quoq; notis atque indicijs probat. Primò, huic ostiarius aperit. Ostiarium dicit ecclesiæ spiritum sanctum, eò quòd is ministros siue pastores cõsecrat, & donis necessarijs instruit, vt huic muneri possint sufficere. Docet hoc Lucas, quando Pauli & Barnabæ missionem ad gentes descripturus Act. 13. sic ait: Cùm ministrarent Domino ieiunarentque, dixit Spiritus sanctus, Separate mihi Barnabam & Saulum in opus, ad quod eos aduocaui. Et Paulus Asiæ episcopis dicebat: Attendite vobis ipsis & toti gregi, in quo vos Spiritus sanctus constituit Episcopos, &c. Quò etiam primitiuæ ecclesiæ mos referri potest, quæ ministros præmissis precibus publicis per sortes eligebat, nimirum vt spiritus sancti indicio proderentur, quos is huic functioni destinasset. Rectè ergo per Ostiarium siue ianitorem spiritus sanctus intelligitur, qui vt omnes pios in veritatis cognitionem inducit, ita neminem ad ecclesiæ ministerium legitimum admittit, nisi qui per ostium, Iesum Christum ingreditur. Deinde, oues (inquit) vocem eius audiunt, non audituræ nimirum, nisi per Christum venire illum viderent, & in illo Christi vocem agnoscerent. Tertiò, & proprias oues vocat nominatim: Nouit ergo eas, & mutuus inter ipsum & illas consensus est. Quartò, educit eas, ad pascua nimirum, quod proprium pastoris munus est. Quintò, cùm proprias oues emiserit, ante eas vadit. Fit hoc præter communem morem, quo pastores ouium greges à tergo sequi solent, nimirum vt cunctantes impellant, & obseruent simul, ne qua subsistens vel aliò deuians amittatur. At pastor ille ecclesiasticus oues præcedit, quia has sponte secuturas nouit, cùm vocem eius agnoscant, & ea vnicè delectentur. Et huius quidem meminisse voluit Dominus, vt ostendat sacerdotibus, non mirum esse, quòd ipsum multi ex populo se ipsi coniungant, cùm hoc ouium Dei proprium sit, quòd pastorẽ suum sequantur. Cæterùm vt hæc omnia Christo conueniant, suo loco videbimus, vbi ipse parabolam hanc sibi applicabit. Nunc obseruabimus, vt ista omnes deceant, qui legitimi ecclesiæ Christi pastores censeri & esse volunt.

Verus pastor quis sit.

Ostiarius quis.

Vbi primum occurrit quòd etsi per Christum quis ingressus, & ecclesiæ membrum factus est, pastor tamen haberi non debet, neque potest, nisi ianitor ad hoc munus ipsi aditum aperuerit. Opus ergo ante omnia donis necessarijs & legitima vocatione, ne ex eorum numero sit, de quibus apud prophetam queritur Dominus: Currebant, & non mittebam eos. Nam vt Paulus ait: Quomodo prædicabunt, nisi missi fuerint? Vtrumque verò spiritus largiatur oportet, cuius vocationem atque instinctum expectare debent: & qui id faciunt, ij ab illo sese inungi, & donis idoneis liberaliter ornari sentiunt. Deinde, non sui capitis commenta, sed principis pastorũ vocem proferant, quæ ab ouibus agnosci & excipi possit. Nec enim parum fidi modò legati, verumetiam sacrilegi nebulones sunt, qui suppresso Christi verbo sua somnia obtrudunt, aut hæc cum illo turpiter commiscent. Tertiò, norint oportet oues suas, id est, suæ fidei commissos homines: norint autem non de facie modò & nomine, sed illorum mores & ingenia perspecta habeant, vt qua ratione singuli tractandi sint intelligant. Si enim hoc in equis obseruant, qui eos alunt, quantò magis istud in Christi sanguine redemptis ouibus obseruare debent, quos illarum curæ spiritus sanctus præfecit? Est ergo inexcusabilis illorum negligentia, qui suarum ouium ne numerum quidem norunt, adeoq; non obseruant, quamuis aliquæ à grege deuent. Neq; hîc rem præstitu impossibilem requiri putemus, quando huius generis multa in rebus prophanis & externis fiunt. Norunt ouium, porcorũ, iumentorũ suorũ numerum agricolæ. Stellas cum suis motibus obseruant nautæ. Innumerabiliũ herbarũ atq; aliorũ simplicium nomina atq; vires discunt medici. Sexcentas leges recitare possunt periti iurisconsulti. Instrumenta multa & varia ex ordine disponunt opifices, vt illa ad manum habeant. Et in historijs exempla sunt, quæ docent, quan-

Veri pastoris officia.

tum studio & industria proficere possint, qui illa vti volunt. Mithridatē regē duarū & vigin
tium, quæ eius imperio suberāt, linguas didicisse ferunt, vt sine interprete suos audire & alloq
set. Cyrus omniū in exercitu suo quem numerosum habebat, militū nomina tenebat, vt sine mo
quemuis salutaret, et si opus erat nominatim quoq; ad virtutē hortaretur. Pudeat ergo Christ
stros à prophanis hominibus superari in re omniū maximè necessaria. Quartò, in pascua educ
lubria nimirū & læta, in quibus cōscientiæ pacē & certā salutis fiduciam inueniant. Habent
in solis sacris literis, quia hæ solæ Christū tradunt, qui et panis viuus & fons aquæ viuentis est
de de illis rectè olim D. Ambrosius in Psal. 118. scripsit: Bona pascua sunt libri scripturarū
in quibus quotidiana lectione pascimur, in quibus recreamur & reficimur, cùm ea quæ scrip
degustamus, vel summo ore libata frequentius ruminamus: His pascuis grex Domini segn
&c. Ex his ergo doctrinā & consolationes petant ecclesiarū pastores, neq; eos audiant, qui ex
phorum lacunis, aut scholasticorū cisternis, aut putidis Monachorum fabulis & Sanctorū
ista petere iubent. Quintò, præcedant oues, doctrina nimirū et vitæ exēplo, ne dum illas per vi
Dei dirigūt, ipsi ab ijs declinent, & corruptis moribus destruant, quod bene docendo ædificarū
monet de hoc grauiter Timotheū suū Apostolus, sic scribens: Esto forma fideliū in sermone, in
satione, in dilectione, in spiritu, in fide, in puritate. Et Tito idē sic præcipit: Per omnia teipsum
formam bonorum operum in doctrina, integritatem, grauitatē, &c. Peccant in isto hodie qu
rimi, qui quantum mali dent ecclesijs, omnes norunt. Porrò dum pastoris esse ait Christus, vt
præeat, simul eius propugnatorem & defensorē esse vult aduersus hæreses & tyrannos, vt illa
dem gladio spiritus confodiat, ne quis seducatur, contra hos verò fidis consolationibus infra
qui metu absorpti deficiant: sed nec ipse ecclesias propter pericula deserat, quando doctrina &
matione animorum quàm maximè opus est: qua de re infra pluribus dicetur, vbi ad mercen
scriptionem venerimus. Nunc istud quoq; annotabimus, quòd quæ de ecclesiastico pastore di
ferè omnia ad magistratus politicos transferri possunt, quos olim poeta populorum pastores
Nam in istis quoq; vocatio legitima & ordinaria requiritur, ne rempub. vel malis artibus
tyrannidem inuadant. Iidem non sua placita, sed Dei iudicia pronuntiare, populum suum fam
ter nouisse, amicè pascere & guberuare, & non legibus modò bonis, verumetiā exemplo præ
hæc suæ fidei cōmissorum corpora, fortunas & honorem tueri debent. Sed quia hæc alterius
obiter attigisse modò sufficiat. Vide Psal. 72.

Ouium officia. Nunc videamus, quid de ouibus dicat Dominus, vt discamus, quid eos facere conueniat,
ra ecclesiæ Dei membra esse cupiunt. Præcipuum hîc est, quòd pastorem suum sequantur, ei
cem agnoscant, alienum verò non sequantur, sed potius fugiant. Dedit hunc sensum natura
vt earum stoliditati mederetur, quæ tanta est, vt sine pastore sibijpsis prospicere aut consul
possint. Hunc ergo nobis quoq; inesse oportet, qui etiā ipsi omnes vt oues errauimus, & nisi Ch
pastor datus esset, miserè perijssemus. Agnoscamus ergo vocem eius, et sequamur illum, alien
fugiamus & detestemur, & vt Paulus admonet, anathema putemus omnes eos, qui aliud eu
prædicant. Docet idem sponsæ parabola, cui aliâs in scripturis ecclesia confertur. Vt enim hæc
sponsum audit, obseruat, sequitur, & illi vni placere studet, & nisi id faciat, turpis adultera
ecclesia vnum Christum, qui verus animarum sponsus est, audit, obseruat, sequitur, amat, &
soli obtemperat, odit verò & detestatur omnes eos, qui ipsam aliò abducere conantur. Vide
duo à fidelibus requiri. Primum est veritatis cognitio certa, siue spiritus discretionis, quo p
sui vocem ab impostorum doctrinis discernere possint. Alterum, obedientia fidei & obsequen
dium, quod omnia totius vitæ officia complectitur. Impij ergo & malitiosi seductores sunt, qu
pliciter credere iubent, quasi fides ab aliorum authoritate dependens ad salutem sufficiat, &
tius cum suis ducibus in foueas cadant, qui cæcos sequuntur. Apostolus certè clamat: Ne cuiu
ritui credideritis, sed probate spiritus an ex Deo sint. Arguit præterea locus iste eos, qui dum
gelium prædicatur, se quid dicatur intelligere negant. Quid enim isti aliud dicunt, quàm quod
ouium Christi numero esse negant, quarum proprium est, Christi vocem in euangelio sonantem
scere? Arguuntur præterea, qui cùm Christiani dici & haberi velint, relicta tamen & conte
Christi voce, diaboli suggestionibus locum dant, aut eos sibi duces deligunt, qui per mille ambag

Christi doctrina alienissimas, eos circunducunt. Quo loco euidens apparet corruptionis nostræ argumentum. Norunt oues pastoris sui vocem, & (vt apud Isaiam ait Dominus) agnouit bos possessorem suum, & asinus præsepe heri sui: sed & immanes bestiæ, leones, vrsi, lupi, & si quæ his sunt crudeliores, eò vsq; cicurantur, vt suis benefactoribus aliquam gratiam referant, & obsequium qualecunq; præstent. Solus autem homo ita omnem naturæ sensum exuit, vt nec Deum creatorem suum, neq; summum illum pastorem, Iesum Christum, neq; ab eo constitutos pastores agnoscat, fidos nimirum ecclesiæ ministros, magistratus sanctos, aut etiam parentes, ex quibus genitus est. Sunt hæc horrenda nostræ miseriæ indicia, quibus corrigendis, imò tollendis & extirpandis, omnes eos studere oportet, qui salutem in Christo assequi cupiunt.

Cæterùm addit hoc loco Euangelista: Hanc parabolam dixit eis Iesus: illi autem non cognouerunt, quæ essent ea, quæ loquebatur eis. Ergo qui sibi primatum in populo Dei vendicabant, tam ignorantes fuerunt, vt parabolam, quæ passim occurrit scripturas legentibus, non intelligant. Quanta ergo fuit tunc eius gentis infelicitas, cuius doctores tam cæci et stupidi fuerunt? Sed vtinã non etiã hodie huius generis exempla extarent. Tractatur aliquis euangelij locus coram principibus aut regibus, aut de fide Christiana apud Pontifices & Episcopos disputatur: Mox illos attonitos obstupescere videbis (si modò aures præbeant) perinde ac si in nouo orbe constituti, Canibales siue Garamantes loqui audiant. Imò inuenias ex ijs complures, qui ne librorum quidem scripturæ sacræ nomina agnoscant, & quo ordine scripti sint prorsus ignorent. Et hi ferè ecclesiæ columnæ & lumina censentur. Oremus ergo Deum, vt ipse omnium mentes discretionis spiritu donet, vt summi pastoris, Iesu Christi vocem agnoscere discant, & eam secuti cœlestis & æternæ salutis hæreditatem cum illo adeant: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen. Antistitum ignorantia.

HOMILIA XCV.

Dixit ergo eis rursus Iesus: Amen amẽ dico uobis, ego sum ostium ouium. Omnes quotquot ante me uenerunt, fures sunt & latrones: sed non audierunt eos oues.

QVia Iudæorum scribæ atq; sacerdotes, non modò ipsi Christum Iesum auersabantur, verum etiam indignissimè ferebant, quòd multi ex populo illum doctorem & seruatorem suum agnoscerent, ipsis relictis, qui ecclesiæ antistites atq; pastores haberi volebant: ille cõmodè admodũ parabolam de pastore & ouibus proponit, qua laruatos illos pastores omnibus detegit, simulq; docet, se pastorem ecclesiæ verum esse, nec cuiquam mirum debere videri, si populus ipsum potius, quàm illos sequi & audire malit. At quia parabolã illi non intellexerunt, nunc eandem ipse verbis disertis exponere incipit. Vbi ante omnia diligentem considerationem meretur Christi benignitas & mira facilitas, qui quos corripere & grauiter reprehendere poterat, tam amicè & humaniter instituere dignatur. Sunt eius multa alia exempla, quibus excitari debemus, ne de ipsius erga nos voluntate dubitemus, imitemur autem eius mansuetudinem, si quando cum ijs res est nobis, qui in percipiendis regni Dei mysterijs tardiores, vel etiam contumaciores sunt.

Principiò autem, quia præcipuam notam, qua veri pastores à falsis distinguuntur, in eo ostendit, quòd illi quidem per ostium ingrediantur, hi verò aliunde ascendant siue irrepant: quid per ostium intelligi debeat, docet. Rursus verò propter argumenti grauitatem solita asseuerandi formula vtitur, quæ ipsi iurisiurandi vice fuit: Amen amen dico vobis, ego sum ostium. Quasi diceret: Fures & latrones esse dixi, quotquot non per ostium ingrediuntur: Atqui ostiũ illud ego ipse sum: Itaq; latrones & fures sunt, qui me aspernantur, et sine me ecclesiæ pastores censeri volũt. Sunt hæc quoad statum tractationis huius diserta & clara satis, quia tamẽ iisdem alia subsunt, quæ in huius argumenti considerationem veniunt, de illis etiam dicendum est. Vbi primò obseruabis, Christum ostium dici. Est autem ostiorũ vsus duplex: Alter, vt per illa ingrediamur & egrediamur: alter vt domus claudantur, quo tutius in illis habitari & res cõmodius asseruari possint: quæ causa est, quòd illis seræ et regula, & nonnunquã ianitores quoq; adhibentur. Vtrunq; nobis, vel potius ecclesiæ suæ, Christus Christus est ostium.

præstat. Quia enim mediator est inter Deum & nos, per illum ad Deum ingrediantur oportet, cunq; inter eius domesticos recenseri cupiunt. Idem etiam per ipsum ingressis tuta omnia reddit, eos à Dei dilectione separari patitur. Vnde Paulus dicebat: Christus est, qui mortuus est, imò qui etiam excitatus est, qui etiam est ad dextram Dei, qui etiam intercedit pro nobis. Nam subijcit: Quis nos separabit à charitate Christi? num afflictio? num angustia? &c. Facit ergo parabola multùm ad fidei confirmationẽ, quando docet, non esse periculum, ne diabolo aut da fiant, qui intra ecclesiæ septa sub Christo protectore sese continent. Simul etiam admonet, Dei non cuiuis patere, sed ijs modò, qui per verum illud ostium rectè ingrediuntur. Cõfutantur hìc Epicurei, qui cùm in corde suo nullos deos credant, attamen de religione verba faciunt, quem offendant, vnumquenq; in patria sua religione seruari aiunt, modò eam sanctè colat, & piat inseruire. Deum enim Regi potentissimo similem esse, qui in aula sua Musicos omnium alat, & quàmuis illi non ijsdem instrumentis vtantur, nec etiam arte pares sint, omnium tamen dium ex æquo probet, quo ipsi gratificari cupiant. Quorum rationes multis confutari potest, sufficit, quod ostium ecclesiæ vnicum Christus est, per quem qui non ingrediuntur, ij ne in quidem Dei vnquam venient, nedum vt huic ipsorum siue studium siue cultus probetur.

Quorum ostiũ sit Christus.

Deinde quorum nam ostium sit Christus, videamus. Ego (inquit) sum ostium ouium. Et vr sorum, leonum, luporum, qui lanient introgressi & oues deuorent; non etiam canum, quorum latratu pastoris voci oggannant: nõ porcorum quoq;, qui suis sordibus omnia turpiter fœdant luant. Hos enim ipse Christus alibi indignos pronuntiat, quibus margaritæ, id est pretiosa mysteria communicentur. Sed solis ouibus ostium istud patet, quarum nomine credentes denotari satis constat. Nobis igitur ouium natura & mores considerandi erunt, vt discamus nos facere conueniat, vt ecclesiæ membra & Dei domestici esse possimus. Vbi primum quòd (vt nuper vidimus) oues pastoris sui vocem audiunt & agnoscunt. Ita qui Christi Christi vocem siue doctrinam audiunt, Euangelium scilicet, cuius annuntiadi ergò ipse dum venisse testatur. Et huc referri debet, quod Capite octauo dixit: Qui ex Deo est, audit. Deinde oues non audiunt modò pastoris vocem, verumetiam sequuntur, cum in nihil consilij aut auxilij inueniant: Ita Christi oues, quia suam infirmitatem & corruptionem noscunt, pastoris sui vocem lætæ sequuntur, & ea reuocatæ in viam redeunt, si quando runt, & præeuntis vestigia studiosè obseruant. Præterea mira est ouium simplicitas, & cendum adeò non instructæ sunt, vt potius omnia sua ad hominum vsum & vtilitatem Lana enim & pellibus suis nos vestiunt, lacte & carnibus alunt, stercore & lotio adeoque rum vestigijs agros impinguant & feraces reddunt. Ita Christi oues arma quibus noceant, nulla, neque etiam habere cupiunt, omnibus verò prodesse studeant. Diuitijs ergo suis uant, doctrina rudes instituunt, admonitionibus fidis errantes reuocant, infirmos & per consolantur, exemplo virtutis omnes excitant, neque amicis modò & bene de se meri rumetiam inimicis benefaciunt, pro quibus orant, & quos omni officiorum genere lucri tagunt. Vt vero oues, cùm sint sine fraude doloque, tamen laniantur à lupis & reliquis hominibus quoque mactantur, tondentur, exuuntur, comeduntur: Ita Christiani, cùm quales esse diximus, hostes tamen habent quàm plurimos, & omnium iniurijs expositi sunt, vt multis lusus iocusque, multis verò cultus Deo gratissimus putetur, si illos fortunis omnibus lient, in exilium eijciant, conuitijs atrocibus proscindant, & omni supplicíorum genere exa cent. Cæterùm vt oues incredibili patientia quiduis ferunt, tondere ipsas volentibus non re tur, imò ad macellum sponte festinant, confossa & iugulatæ silent, neque (vt porci silent) re & grunnitu siue balatu omnia replent: Ita qui Christo vere nomen dederunt, eius etiam plum imitati, iniurias omnes patienter ferunt, maledictis petiti non maledicta regerunt, conuitiantur, percussi non vindictam exigunt, pro Christo denique & salute publica vnà cum fortunis suis sanguinem quoque & vitam profundere; id quod martyrum cum tum recentium exempla plurima testantur. Hæ ergo ouium Christi notæ sunt, quibus eas riò studere oportet, qui per ostium illud in ouile eius ingredi & in societatem sanctorum lunt. Quapropter nequicquam Christianorum nomine sese venditant, qui Euangelium

nolint, qui hoc se agnoscere & intelligere negant, qui pastoris Christi vocem oderunt & fugiunt, qui quasi ad nocendum nati sint furantur, rapiunt, defraudant, expilant, belligerantur, occidunt innoxios, doctrina & exemplo seducunt atque corrumpunt, vt non homines, sed lupi, sed vrsi & leones, sed tygrides & dracones dici mereantur: qui denique omnis iniuriæ impatientes in priuata vindicta præcipuam fortitudinis laudem quærunt, & in Christi confessione subdolè tergiuersantur, vt quemadmodum vespertiliones inter volucres & quadrupedes medium locum obtinent, ita ipsi quoq; inter Christianos & Antichristianos ceu medij constituti, vtrisque probari volunt, ne vel nomini aut opibus ipsorum aliquid decedat, ne dum vt pro religione vitæ periculum adeundum esse putent. Possunt equidem, qui tales sunt, in externam ecclesiam sese vel subdola simulatione insinuare, vel etiam violenter in ea sibi locum præcipuum occupare: sed quia per verum ostium non ingrediuntur, & proinde non oues sunt, eijcientur aliquando, & suæ vel simulationis vel tyrannidis graues pœnas dabunt principi pastorum Iesu Christo, qui ouile suum non patietur ab illis perpetuò pollui aut vastari.

Seductores & impostores arguit.

Cæterùm ad loci huius tractationem & Christi verba redeamus, qui præoccupatione quadam obiectioni aduersariorum occurrit. Quia enim antea complures sese pastores populi Dei & vindices esse dixerant, quos impostores & lupos fuisse res ipsa declararat, & ideo ipse etiam Dominus multis poterat suspectus videri, nunc sese ex omnium illorum numero eximit, & quid de ijs iudicari debeat docet, qui aliam salutis rationem hucusq; tradiderunt, vel etiam in posterum tradituri sint. Omnes (inquit) quotquot ante me venerunt, fures sunt & latrones, &c. Quæ verba non de tempore exponi debet, sed de doctrinæ ordine aut scopo: vt ante me idem sit quod, Me non præeunte, Vel sine me, aut non à me missi. Quoad enim temporis ordinem, Christi in carnem aduentum multis seculis præcesserunt primum patriarchæ, quos Deus hinc inde peregrinos vagari voluit, vt promissionum et fœderis sui præcones atq; testes essent: deinde Moses & prophetæ, postremò Ioãnes Baptista, qui hoc nomine potissimùm commendatur, quòd Christi præcursor fuerit. Sed hi omnes non sine Christo, sed ab illo missi & eodem præeunte venerunt. De Abrahamo enim Cap. 8. audiuimus, quòd diem Christi viderit: quod non minus de reliquis patribus eadẽ fide donatis debet intelligi. De prophetis autem Petrus testatur, quòd duce spiritu Christi de eius morte & gloria vaticinati sint. Et Ioannem in vtero matris eodem spiritu repletum fuisse scimus. Hi ergo omnes etsi tempore Christi incarnationem præcesserint, non tamen sine illo, sed ipso illis per spiritum suum præeunte venerunt, & de ipso publicè testati sunt. Itaque non de istis, sed illis loquitur, qui non expectata spiritus reuelatione & missione diuina, proprij capitis figmenta secuti sunt, & salutis rationem nouam extra ipsum tradiderunt, adeoque gloriam quæ illi debetur, vel sibijpsis vendicarunt, vel in creaturas quascunque transtulerunt. Tales fuère, qui legem Dei docuerunt non præeunte luce promissionis de Christo, quem legis scopum esse constat. Hi enim ex lege ostium fecerunt, cùm ea pædagogus sit ad ostium salutis & ecclesiæ deducens. Ex horum numero fuerunt olim impij sacerdotes in Iuda & Israele, & circa Christi aduentum Pharisæi, Sadducæi, Esseni & quotquot homines operibus legis iustificari docebant. Ad eundem ordinem pertinent Baalitæ, Chaldæi, gentium philosophi & sacrifici, qui legem naturæ exponendo præcepta de moribus tradiderunt, & cultus varios instituerunt, sed non præeunte Christo, in quo vno nobis pater reconciliatus est. Quibus adnumerari possunt impostores, qui Messiæ nomen & officium sibi vendicando, se populi vindices professi sunt, quales paulò ante Christum natum erant Theudas & Iudas Galilæus, quorum in Actis fit mentio. Et hos quidem omnes multum inter se diuersos satan pro sua astutia excitauit, vt ipsum quoque Christum multis suspectum & omnem promissæ salutis rationem dubiam & incertam faceret, vtque toties decepti Christum etiam reijcerent. Inter gentes verò religionum varietate Epicureismum inuexit, quo multi decepti, Deos omnino nullos esse putarunt. Simili astu postea quoque vsus est quoad nouissimum Domini aduentum, cuius falsa prædicatione (vt ex Pauli secunda ad Thessalonicenses epistola apparet) multos iam olim delusit, & postea signa hunc præcessura nouis figmentis obscurauit, vt homines huius planè incertos faceret: simulque sectarum diuersitate & assiduis de religione & vera salutis ratione contentionibus totam hanc causam multis odiosam & inuisam reddit. Quo magis hæc Christi admonitio obseruari debet, qua omnes omnium ætatum impostores perstringit, & fures

atque latrones dicit eos, quicunque salutem & eius viam extra ipsum monstrant, & docendi
nus in ecclesia vsurpant, cùm ipsum non sequantur ducem, qui nobis à patre catholicus & irre-
gabilis æternæ veritatis doctor datus est. Est autem graue admodum hoc Christi dictum, ab
ius considerationem non potest non perhorrescere pia mens, si cogitet hic maximam humani ge-
partem damnari, quando constat, iam inde ab exordio mundi plures semper impostores fuisse,
Christum vel prorsus ignorarunt, vel eius doctrinam & promissiones suis commentis obscu-
runt, & ijsdem maiorem hominum partem adhæsisse, vt vix pauculi quidem semper fuerint, qui
promissum humani generis seruatorem essent intenti. Quod ipsum hodie etiam fieri videmus.
non enim Christo quasi præcurrunt Mahumetani omnes, quando non prælucente illo in suis
dissimis superstitionibus salutis fiduciam collocant? Atqui hi maximam orbis habitati pa-
sub suo dominio premunt. Annon horum similes sunt Iudæi, quorum multa millia hinc in
spersi Messiam nouum expectant, verum autem & olim exhibitum horribili impietate exe-
tur? Quid verò inter Christiani nominis professores fiat, nemo pius siccis oculis intueri, & sine
mitu atque lachrymis vel audire vel referre potest. Gloriantur quidem in Papatu Christi
ne Pontifices, Episcopi, Monachi, Sacrifici. Sed annon relicto Christo noua ostia fingunt, &
non præeunte salutis rationes nouas & falsas monstrant, dum illum in sacramento altaris quo-
offerri aiunt pro viuis & mortuis, dum iustitiam nostris operibus, & salutem horum merito
buunt, vt nunc de fœdis & crassissimis alijs erroribus nihil dicamus? Vtinam verò ista diligen-
expenderent omnes, & procul dubio cùm priuatæ tum publicæ salutis causam maiori serio agen-
eosque patientius ferrent, qui fures istos & latrones profligare, & Christo suam gloriam vindi-
student.

Hominum maxima pars damnatur.

Oues Christi non audiunt fures et latrones.

Attamen hic consolationis plenum est, quod Christus addit: Sed non audierunt eos oues.
nerunt quidem (ait) multi fures & latrones, & maximam orbis partem post se traxerunt ab
ritum. Iidem tamē oues, id est, electos Dei secum abripere non potuerunt, quos ego seruaui, vt qui
tùmuis pauci numero, & (vt Isaias loquitur) portenti instar essent, veram salutis rationem
ter retinuerint. Et hoc quidem propter eos dicit, qui doctrinæ veritatem ex sectatorum multitu-
& vetustate aut longi temporis præscriptione æstimabant, vt ostendat non videndum esse, quam
aliquod doctrinæ genus durarit, & quàm multos habuerit sectatores: sed potius quales sint,
illud tradiderunt, quæque omnibus seculis eorum fides & sententia fuerit, quos ex scripturis
& spiritus sancti testimonio constat oues Dei fuisse. Tales olim patriarchæ, Moses, Iosue, Da-
prophetæ & horum discipuli, Zacharias item & Elizabetha, Anna prophetissa, Simeon, Iosue,
Maria & horum similes fuerunt, qui omnes nequaquam audierunt eos, qui vel legis opera vel
uas superstitiones non præeunte luce promissionis de Messia docebant. Seruit hoc ijs confutan-
qui hodie vetustatem, successionem, multitudinem & potentiam nobis obijciunt, vt hisce quasi
cris ruentem Papatum sustentent. Possent enim hæc omnia in ijs multò illustriora monstrari,
in præsenti Christus fures & latrones dicit, & hodie Papatus Mahumetismo neque vetustate
potentior aut victoriarum successibus illustrior, sed quoad ista omnia longè inferior est. Sed omni-
di fulcris nitantur oportet, qui sua verbi Dei authoritate tueri non possunt, & de his alibi plu-
ximus, vt nunc ijs inhærere non sit opus.

Fides Christiana ab ipsa mundi origine durauit.

Priusquàm tamen hinc digrediamur, duo adhuc expendenda restant. Primum, quòd dri-
quens, qui ab ipsa mundi origine seductores fuerunt, simul ouium meminit, quæ illos non audie-
Atqui ouium nomine pios Christi cultores, quos hodie Christianos dicimus, denotari iam ante
mus, & ex toto huius tractationis contextu satis apparet. Ergo ab ipso rerum exordio fides Chri-
stiana in terris fuit, & antequam ille in carnem veniret, fuerunt qui Christiani essent, & quos
pro talibus agnoscit. Annotanit hoc ipsum in huius loci expositione D. Augustinus, cuius hæc
ba sunt: Ante aduentum Domini nostri Iesu Christi, quo humilis venit in carne, præcesserunt
sic in eum credentes venturū, quomodo nos credimus in eum qui venit. Tempora variata sunt,
fides, &c. Et postquàm hanc sententiam Pauli verbis probauit, qui nos eundem cum veteribus
spiritum habere, & illos eandem escam spiritalem nobiscum comedisse ait, rursum infert. Quo-
ergo illo tempore crediderunt vel Abrahæ, vel Isaac, vel Iacob, vel Moysi, vel alijs patriarchis

1. Corinth. 10.
2. Corinth. 4.

alijsq; prophetis Christum prænunciantibus, oues erant, & Christum audierũt, non alienam vocem, sed ipsius audierũt, &c. Sunt hæc multa obseruatione dignissima, quia & fidei nostræ vetustatẽ asserunt aduersus calumniatores, qui eam hodie nouitatis suspicione grauant: & dulcissimam consolationem habent, dum nos eius coniunctionis admonent, quæ nobis cum sanctissimis patriarchis & diuinis prophetis, Dei seruis & amicis celeberrimis, intercedit: simulq; fidei constantiam adiuuant, ne ab eorum consortio nos abduci patiamur, quorum memoria apud omnes non honorfica modò, verum etiam sacrosancta est.

Secundo loco obseruare conuenit Dei fidem & industriam, qua in suis seruandis & defendendis vtitur. Quia enim natura mẽdaces & ad errores proni sumus, facilè quiduis admittimus, quod aliqua veri specie palliatur. Imò, vt exempla vetera & recentia docẽt, nemo tam absurda & nefanda excogitare potest, qui non discipulos & sectatores inueniat. Quis ergo non agnoscat Dei manum, quando inter medias errorum tenebras aliquos in officio contineri videt, vt non ipsi quoq; cum errantium multitudine abripiantur? Euidentius tamẽ illa sese exerit, quando eos, qui iam aures præbuerunt seductoribus & in errorem abducti sunt, adhuc tamen pro ouibus agnoscit, & in viam reuocat, ne in erroribus perseuerent, & ita cum reprobis malè pereant. Factum hoc olim sub Mose & prophetis, quando veritatis lucem aliquam seruauit, & exiguas suorum reliquias custodiuit, ne communi errore ipsæ etiam absorberentur. Et idem nouissimis quoq; temporibus euenturum esse, Christus non obscurè innuit, quando eam rerum conditionem fore ait, vt si fieri possit, electi quoq; seducantur, simulq; illorum causa dies istos decurtandos esse pollicetur. Vere autem hoc ab illo prædictum esse, nemo non videt. Etsi enim iam seculis aliquot totum penè Christianum orbem Antichristianæ tenebræ occuparint, & veritatis doctrina superstitiosis hominum traditionibus tota obruta esset, mirabili tamen ratione & peculiari gratia aliquos semper seruauit Deus, qui veritatis testes essent, & Antichristianas superstitiones oppugnarent. Et hodie in illis locis, vbi cœtus piorum nulli habentur, subinde inueniuntur reliquiæ aliquæ ouium Christi, ex quibus suo tempore ecclesia instauretur. Soletur hoc omnes qui Christum vera fide amplexi sunt, nec metuant, vnquam fore, vt ipsos excidere patiatur is, qui suo sanguine eos redimere dignatus est, sed & ministris hoc animum addat, ne se frustra laboraturos putent. Nunquam enim deerunt, qui relictis furibus & latronibus ipsos audiant. Interim eorũ ignauia & leuitas arguitur, qui cùm oues Christi haberi velint, in audiẽda eius voce adeò frigidi sunt, vt nullo zelo syncerioris religionis afficiantur: neq; eo contenti, simul quouis vento doctrinæ se circumagi patiuntur, adeoq; gaudent si quos audiant, qui fidis euangelij ministris negotiũ facunt. Oremus itaq; Deum, vt efficaci spiritus illuminatione animos nostros excitet & confirmet, vt in Iesu Christi confessione constanter perseueremus, & in illo vitam æternam consequamur, cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

Dei fides suorum seruandis.

HOMILIA XCVI.

Ego sum ostium. Per me si quis introierit, seruabitur, & ingredietur & egredietur, & pascua inueniet. Fur non uenit, nisi ut furetur, & mactet & perdat: Ego ueni, ut uitam habeant, & abundantiam habeant.

Multa quidem & eximia diuinæ bonitatis erga humanum genus argumenta extant, at inter illa imprimis memorabile & assidua meditatione dignum est, quòd cùm in primo parẽte omnes ouium instar aberrauerimus, Deus sui verbi lucẽ protulit, & huius ministros siue præcones instituit, qui pastorum instar errantes in viam reducant, subq; verbi pedo in gregis dominici societate contineant, & mentes hominum assidua doctrina atq; consolatione pascant, vt inter huius seculi labores constanter perseuerare, & huius cursum emensi ad cœlestis vitæ consortiũ ingredi possimus. Commemorant hoc scripturæ passim inter beneficia maxima, quibus olim suam erga Iudæos beneuolentiã Deus declarauit, & ecclesiam noui testamenti hac potissimum promissione Dei filius consolatur, quòd nunquam defuturi sint, qui salutis verbũ prædicent, & in fœderis sui societate pios cõtineant. Per Isaiam enim Cap. 59. sic loquitur: Ego hoc fœdus cum eis pangam, spiritus meus qui super te est,

& verba mea quæ inserui ore tuo, nunquam recedẽt de ore tuo, neq; de ore seminis tui, neq; de ore seminis seminis tui, dicit Dominus, porrò in sempiternum. Et in euangelio quod ... potum & pronepotum tuorum, dicit Dominus, porrò in sempiternum. Et in euangelio quod ... promittit, qui nos inducat in omnem veritatem, & cùm de nouissimi seculi periculosa conditione ... sereret, euangelium in toto orbe prædicandum esse ait, ne quis huius lucem vnquã extingui posse ... bitretur. Sed & Paulus apostolus Christi curam & prouidentiam hoc potissimùm argumento ... mendat, quòd etsi in supremam regni cœlorum gloriam ascenderit, spiritus tamen sui dona ... mines distribuat, & alios quidem det apostolos, alios verò prophetas, alios autem euangelistas, ... autem pastores & doctores, ad coagmentationem sanctorum, ad opus ministerij, ad ædificationem ... poris sui. Verumtamen constat simul, diabolum omnibus seculis falsos pastores quoq; excitasse ... sibijpsis greges proprios collegerunt, & ijs postea ecclesiæ Dei nomẽ tribuerunt: & illum idem ... simis temporibus sub Antichristi regno facturum esse, scripturæ prædicunt, quod quanta cum ... tia simul atq; audacia faciat, non sine multorum periculo & interitu quotidie experimur. ... ergo parabolã, quæ hoc Cap. tractatur, crebrò inspicere, qua Christus ita docet, se verum suu... pastorem esse, vt simul certas notas præscribat, quibus obseruatis, pastores veros à falsis & ... ribus vel depastoribus cognoscere possimus. Est inter has præcipua, quòd pastorẽ verum nõ ... quàm per ostium ingredi ait, & nihil in doctrina tentare, cuius non ipsum ducem atq; magistrum ... beat, ideoq; fures & latrones esse, qui ipsum præuertere, & non præeunte ipsius luce aliquid ... dent. Quam partem etsi nuper diligenter & diserte tractarit, tamen eandem in præsentiarum ... primò quidem amplissimis donorum cœlestium promissionibus nos ad ipsum amplectendũ ... deinde verò periculi etiam denunciatione absterret, ne aures præbeamus ijs, quos fures & ... nes esse dixit.

In Christo ostium salutis omnibus apertum.

Quoad primum, repetit quod prius dixerat, se nimirùm esse ostium, per quod in ecclesiæ ... tis consortium nos ingredi oporteat: ne quis hoc illi temere excidisse, aut in ore natum esse pute... mox quid inuenturi sint docet, qui per ipsum ingrediũtur, id est qui ipsum seruatorem suum ... cum apud Deum mediatorem agnoscunt. Vbi priusquam verba eius expendamus, obseruandum ... singularis bonitas Dei, qui miseris nobis & olim propter primi parentis peccatũ ex paradiso ... æternæ salutis ostium in filio suo aperuit: nec aperuit modò, verumetiam illum in terras ... qui homo factus, se ostium illud esse clamat, & absq; vllo personarum respectu omnes inuitat, ... ipsum ingrediantur. Qui enim nuper dixit, se ostium esse ouium, omnium scilicet, qui ipsum ... suum pastorem esse, idem nunc ait: Per me si quis introierit, &c. Quasi diceret, Quisquis tandem ... sit, siue doctus aut indoctus, diues aut pauper, senex aut iuuenis, cuiuscunq; denig; conditionis, ... aut loci, in me vitam inueniet. Ita enim hæc verba apostoli exponunt, ex quorũ numero Petrus ... In veritate deprehendo, quòd Deus non accipiat personam: sed in quauis gente quisquis ... & operatur iustitiam (id quod fieri non potest, nisi Christum amplectamur, quod est per ... ostium ingredi) is acceptus est ei. Et Paulus de Christo loquens dicit: Vbi non est Iudæus ... Græcus, non seruus neq; liber, non mas neq; fœmina, non barbarus vel Scytha, &c. Habent hanc ... solationem dulcissimam, quæ nos in quouis tentationũ genere efficacissimè consolari & in ... mare potest, ne nos vel propter anteactam vitam, vel propter præsentes afflictiones, aut ... contemptam coram mundo hoc conditionẽ, à Christo & salutis consortio excludi putemus. ... enim relictis superstitionibus & peccati seruitio ad illum conuertitur, is iam ouis factus est, ... ostium salutis apertum inueniet.

Christus ostium humile.

Quia verò ostium hoc Christus est, simul nos cogitare oportet, illud procul dubio humile ... pressum ostium esse, non immodico spacio patentẽ portam, quales in regum palatijs visuntur, ... les illic esse oportet, vt ad excipiendam pompam aulicam, militum item & equitum armatorum ... mas possint sufficere. De seipso enim ille pronunciat: Discite à me, quòd mitis sim, & humilis ... Et rursum: Filius hominis non habet, quo reclinet caput suũ. Zacharias item propheta, cum ... regis aduentum prædiceret, iustum quidem sui populi vindicem & seruatorẽ fore docet, sed ... dit: Pauper ipse, & vehens super asino & pullo asinarum. Quò & illud Pauli referri debet, ... lum extremè humiliatum & exinanitum esse ait, vsq; ad mortem crucis. Quia verò talis ... ostium salutis Deus pater nobis aperuit, etiã eos humiliari oportebit, qui per illum ad salutis ...

volent. Elatos enim & sarcinis multis onustos porta ista, seu ostium potius, capere non potest, multò minus illis transitum præbere. Vt autem rectè humiliemur, ab ipso animo initium fiat, vt non modò conditionem huius seculi ærumnarum plenam inspiciamus, verumetiam adhærentem, imò præcordijs & medullis infixam naturæ nostræ corruptionem consideremus: cuius cognitio nos cristas attollere prohibet, & humiles reddit sub potẽti manu Dei, sine cuius gratia nos nihil posse scimus, nec quicquam ex nobis ipsis proprij habere, quo gloriemur. Quod nisi intelligat homo, suæ iustitiæ fiducia elatus & pharisaico tumore plenus, per ostium hoc non poterit ingredi, sed suã iustitiam stabiliendo à iustitia Dei excidet, quam hic nobis in filio suo offert: cuius mali exemplũ in tota Iudæorum gẽte Paulus proponit. At quia externus quoq; fastus nos inflat, et inani gloriæ persuasione inebriatos extollit, vt aduersus Deum insolenter superbiamus, hunc etiam exuere, & eius instrumenta deponere conuenit, qualia sunt opes, honores, amicitiæ huius seculi, & alia huius generis, quæ etsi per se mala non sint, mala tamẽ & noxia fiunt, quando illis animum addicimus, & illorum fiducia extollimur. Nõ capit ergo ostium istud iustitiarios pharisæos, qui suorum operum merita superbè ostentant: non nundinatores monachos, qui opera supererogationis venditant: non suarum virium ostentatores philosophos, qui liberum arbitrium & αὐτεξούσιον suum iactant: non sanctitatis perfectæ simulatores Anabaptistas, qui hominem ἀναμάρτητον, id est talem fieri posse aiunt, qui omnino non peccet, & se eorum numero esse profitentur: non item opulentos, qui huius seculi diuitijs fidunt: non fastuosos dignitatum suarum iactatores: non clientelis & amicitijs superbos: nullos denique, quos alicuius rei superba fiducia aduersus Deum aut verbum eius extollit: sed eos solos, qui suipsius cognitione humiliati carnis affectus mortificare student, & excussa omni externarum rerum fiducia toti ab vnius Dei gratia pendent. Hi enim soli ad Christum festinant, quem gratiæ istius mediatorem esse agnoscunt, & quia in eodem omnia reposita esse norunt, eo vno contenti sunt, & ita per illum in ecclesiæ Dei & æternæ salutis consortium ingrediuntur.

Quid inuenitæ qui per Christũ ingrediũtur. 1. Seruantur ex peccatis.

Porrò fructus videamus, quos amplissimos pollicetur ijs, qui per ipsum ingrediuntur, dicẽs: Per me si quis introierit, seruabitur, & ingredietur & egredietur, & pascua inueniet. Primò seruantur qui Christum vnum agnoscunt, id est asseruntur ex perditione, in quam satan humanum genus per peccatum induxit. Eiusmodi enim seruatorem esse Christum, angelus testatur, Iosepho ob Mariæ virginis conceptum solicito dicens: Pariet filium, & vocabis nomen eius Iesum, id est seruatorem. Is enim seruabit populum suum à peccatis suis. Est hoc obseruatu imprimis necessarium, ne Christum nobis alium, quàm reuera est, imaginando, pro cœlestibus bonis terrena, proq; æternis & veris temporaria & imaginaria in illo quærmus. Nam quia veræ salutis author nobis esse debuit, ea etiã confert, sine quibus salus hominis non consistit. Et nequicquam ex paupertate, morbis, exilio, carceribus & reliquis calamitatibus asseruntur, quos peccati reatus adhuc grauat, q nos iræ filios et æternæ damnationis mancipia facit. Ex eo autem asseruntur, qui Christum fide vera recipiunt, quia ille nobis à Deo patre satisfactio & iustitia factus est. Itaq; vnũ hoc omnẽ hominis felicitatẽ cõprehẽdit: quia nihil præterea ijs deesse potest, qui peccatis exonerati cũ Deo in gratiã redierũt. E cõtra verò apparet perditionis adhuc filios esse, quotquot per vnicum illud ostium ad salutẽ ingredi dedignantur.

2. Ius habent tuto uersandi in domo Dei.

Deinde ingredietur (inquit) & egredietur. Solent ista locutione Hebræi totam hominis conuersationem vna cum studijs et actionibus eius omnibus exprimere. Sic Deute. 28. diuinæ legis obseruatoribus dicitur: Benedictus eris in ingressu tuo, & benedictus in exitu tuo, id est quicquid instituas, illud omne Deus faustum felix́q; faciet. Et Solomon petebat sibi sapientiam dari à Domino, vt ingredi & egredi posset coram populo, id est vt regis officia dignè obiret, nec aliquid tanto munere indignum faceret. Quia verò hæc de ecclesia Dei & æternæ salutis consortio agitur, duplex huius loci sensus est. Nam primò ius suæ domus pollicetur Christus, quodq; pro suis domesticis & familiaribus agnoscere velit eos, qui ipsum suum seruatorem & Mediatorem apud patrem agnoscunt. Est hæc magna dignitas, qua nulla maior homini contingere potest. Si enim honorificum putatur, magni alicuius regis aulicum censeri, & in eorum numero esse, qui (vt ille dicebat) aureis compedibus vinctis plusquam seruilem vitam degunt: quantò præclarius est inter regis regum domesticos locum habere, qui nõ serui, sed in libertatem asserti & filij Dei facti sunt, vt cœlestis regni hæreditatẽ cum Christo Iesu accedant? Deinde tutam quoq; securitatem suis promittit Dominus, qua fruuntur qui

cunq; ipsum dignè recipiunt. Ingrediuntur enim & egrediuntur tutò, nec est quòd diaboli insi[illegible] multùm metuant, quem Christus foras eiecit, vt neq; in ipsum neq; in membra eius quicquam [illegible] habeat. Oberrat quidem ille vt leo rugiens, & quærit quem deuoret. At resistunt ei fortes in fide [illegible] Christo insiti sunt, & olim illum Dominus totum sub pedibus ipsorũ conculcabit. Præterea, [illegible] tyrannos quoq; sæuiat, qui minis & supplicijs atrocibus pios à Christo auellere conantur, tamen [illegible] quoq; nihil proficiunt apud eos, quibus volupe est pro Christi nomine affligi & huic in cruce [illegible] mes fieri, vt olim cum eodem in cœlis viuere & regnare possint. Itaq; ijdem hac spe suffulti, [illegible] per Christum ingrediuntur & egrediuntur, id est omnia sua in Christi nomine faciunt, neq; eius [illegible] pudet, quem suum redemptorem esse norunt.

3. Pascuntur ad uitam æternã.

His tertiò addit: Et pascua inueniet. Loquitur autẽ de pabulo vitæ, quod semel sumptum [illegible] mas satiat, vt nec esuriant neq; sitiant amplius. Est hoc ipse Christus, panis ille vitæ, qui de [illegible] scendit, vt qui ex illo edunt, non esuriant in æternũ. Inuenitur is in euangelio, quod ipsum pro [illegible] hominem factum, mortuum & resuscitatũ prædicat: cui quot quot credunt, hi carne & sanguine [illegible] id est merito mortis & sanguinis eius pascuntur ad vitam æternam. Ea item euangelicæ [illegible] ratio est, vt in quouis casu siue tentatione nobis ea liberalissimè proponat, quæcunq; ad fidei [illegible] confirmationem & salutem æternam faciunt, sicuti multis demonstrari poterat, nisi quotidie [illegible] dicendi occasio sese offerret. Obseruabis autem pascua hæc animarum in Christo inueniri, per [illegible] nimirum, non autẽ vel pecunijs vel operum nostrorum meritis redimi. Quid enim pro æterna [illegible] pabulo dabit homo, qui ne corporis quidẽ victum meretur, si suo aduersus nos iure Deus vti [illegible] Aut num Deum adeò indignũ putabimus, vt nostris pecunijs aut officijs opus habeat? Deinde [illegible] omne hoc ipsius gratiæ tribuit, dicens: Dominus pastor meus est, non egebo: In pascuis herbidis [illegible] bare facit, & ad aquas tranquillas ducit me: Animam meam reuocat, ducit me in orbitis [illegible] PROPTER NOMEN SVVM. En propter nomen suum hoc facit Dominus, quia [illegible] rùm beneficus, mitis & nostri amans est, non quòd nos tale quid mereamur. Clarius adhuc ipse [illegible] minus apud Isaiã hoc explicat, sic clamans: O vos omnes qui sititis, venite ad aquas, & vos [illegible] non est pecunia venite, comparate & comedite: emite sine argento & sine pretio vinum & lac. [illegible] exponitis pecuniam pro non pane, & laborem vestrum pro eo quod non satiat? &c. Possent hoc [illegible] neris multa commemorari, quorum omnium hic nobis vsus esse debet, vt vno Christo cõtenti [illegible] pastor & ostium, adhæc pabulum animarum vberrimum est, omnes eos procul fugiamus, qui [illegible] eo abducere conantur.

Falsorum pastorum finis & institutum, perdere, &c.

Cæterùm quia ea est carnis nostræ tarditas, vt hîc nullæ admonitiones sufficiant, denuo [illegible] res & seipsum confert, quò magis excitemur ad cauendum eos, qui publicæ saluti hostiliter [illegible] tur. Et de illis quidem sic loquitur: Fur non venit nisi vt furetur, & mactet, & perdat. Quæ [illegible] emphasim habent, quasi diceret. Quocunq; prætextu sese pallient & vestiant, qui non per ostium [illegible] grediuntur, & proinde abs me fures & latrones dicti sunt: attamẽ hoc vobis persuasum sit, [illegible] alio fine & instituto veniunt, quàm vt furentur & mactent atque perdant. Et conuenit hoc [illegible] quod alibi falsis doctoribus pelles ouium tribuit, intus verò lupos rapaces esse ait. Est autem [illegible] grauis admodum sententia, quæ nostri etiam seculi impostoribus laruã detrahit, & illis [illegible] inculcari debet, qui externa specie & titulorũ fuco decepti illos non adeò noxios esse putant. [illegible] tur enim Reuerendissimi, Sanctissimi, Seraphici, Illuminati doctores, vestiantur item togis [illegible] bus, cucullis, liripipijs, cilicijs, mortifiationem item verbis profiteantur, & gestibus atq; [illegible] mulent, certissimum tamen & irrefragabile est, illos cùm per alia ostia ingrediãtur fures esse, [illegible] alium finem sibi propositũ habere, quàm furari, mactare & perdere. Furãtur enim, quando [illegible] suam gloriam surripiunt, & illius sanguine redemptas oues sibi vendicant. Mactant item [illegible] dunt, dum vel falsa doctrina animas suorum sectatorũ iugulant, vel eorum corporibus & [illegible] diantur, quos sibi cõtradicere sentiunt. Quod tanta rabie & licentia illos facere videmus, vt [illegible] periculum simul cauere non possint, quibus aliquid est cum illis negotij. Eos ergo sequatur & [illegible] diat, si cui perire libet.

Christi institutum uiuificare.

His autem seipsum opponit Dominus, dicens: Ego veni vt vitam habeant, & abundantiam [illegible] beant. Mea (inquit) longè alia est ratio. Quia enim meæ sunt oues, illis seruandis studeo. Itaq; [illegible]

non mactare aut perdere cupio, sed vt vitam habeant vnicè curo, & vt illæ viuant, meam vitam & meum sanguinem pro illis effundere non detrecto. Et quia multi ita viuunt, vt illos mortuos esse præstaret, cùm omnium egeni sint, quæ vitam hanc nobis iucundam reddunt, ego simul in hoc veni, vt oues meæ abundantiam habeant, bonorum scilicet cœlestium et gratiæ Dei, quæ sola omnes huius vitæ molestias mitigat, & perpetuò beatos reddit. Faciunt ad horum expositionem, quæ passim in apostolicis literis leguntur. Ioannem certè suprà dixisse audiuimus: De plenitudine eius omnes accepimus, & gratiam pro gratia. Paulus in illo omnes scientiæ & sapientiæ thesauros reconditos esse ait, & in illo Deum nobis benedixisse omni benedictione spirituali. Nec tamen de animo solo hic agi putabimus. Quia enim in illo reconciliamur Deo, qui omnis boni fons est & redundantissimus, ad totam hominis vitam hæc benedictionis abundantia redundat. Nam qui Christo insiti sunt, hi & egere & abundare norunt, & quia de afflictionibus rectè iudicant, semper sua sorte contenti nihil amplius expetunt, & proinde soli diuites, soli felices, soli beati sunt. Docent hæc Christum verum & fidelem suæ ecclesiæ pastorem esse, cui omnia ea probè conueniunt, quæ in prima huius Cap. parte de vero pastore dicta sunt. Nam non ipse sibi honorem istum vendicauit, sed à Deo patre æterno decreto præordinatus est, sicuti prophetarum oracula testantur, inter quæ memorabile imprimis est, quod Ezechiel. 34. ad hunc modum habetur: Suscitabo super oues pastorem vnum, qui pascat eas, Dauidem seruum meum: is pascet eas, atque is erit eis pastor. Itaque venienti aperuit mox ianitor spiritus sanctus, quo visibiliter inunctus est secundùm carnem assumptam præ omnibus consortibus suis, vt olim Dauides prædixerat. Agnoscunt hunc omnes electi, & in hunc respexerunt omnes, quorum fides in scripturis probatur, sicuti Capite octauo in Abrahami exemplo vidimus. E contra verò ipse suas oues nouit, quarum nomina in cœlis scripta sunt, & easdem quando vult vocat, imò efficaci spiritus operatione post se trahit, & in pascua educit vberrima, vt paulò ante diximus. Præcedit autem non modò doctrina, verumetiam exemplo, quod in ipso omnis virtutis perfectissimum habemus. Propugnat denique & defendit oues suas aduersus omnes hostes visibiles & inuisibiles, & (vt infra audiemus) vitam propriam pro illis exponit. Sunt ergo verè beati, qui hunc sequuntur: miseri autem & calamitosi, qui hoc relicto fures & latrones sibi deligunt. Oremus itaque Deum patrem, vt suo spiritu sub filij sui pedo nos contineat, qui & in hac vita tueatur, & olim regni sui consortes faciat. Ipsi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

HOMILIA XCVII.

Ego sum pastor ille bonus. Bonus pastor animã ponit pro ouibus. Mercenarius autem, & qui non est pastor, cuius oues non sunt propriæ, uidit lupum uenientẽ, & deserit oues, fugitq; lupus autem rapit ac dispergit oues. Mercenarius autem fugit, quia mercenarius est, & non est illi cura ouium. Ego sum pastor ille bonus, & agnosco oues meas, & agnoscor à meis. Sicut nouit me pater, ita & ego noui patrem, & animam meam pono pro ouibus.

VEteres prophetæ non sine spiritus sancti afflatu promissum humani generis redemptorem, Iesum Christum, frequenter sub pastoris parabola describunt: partim quidem, vt nos nostræ conditionis admoneant, qui ouium instar periculis pluribus expositi sumus, ex nobis ipsis autem præsidij & consilij nihil habemus: partim verò, vt & Dei bonitatem nobis commendent, & simul doceant, quem sequi & obseruare debeamus, si saluti nostræ velimus consultum. Quia verò satan ecclesiæ perpetuò insidiatur, & vel falsos pastores excitat, qui impijs traditionibus à Christo abducunt, & ecclesias horribiliter vastant: vel veræ doctrinæ præcones priuatorum affectuum illecebris inescatos decipit, vt sua quærentes officij sui obliuiscantur, & suæ fidei commissos turpiter negligant: ipse Dominus totam hanc causam diligenter tractat. Nam ita se verum pastorem esse docet, vt simul alteros quoq; illos suis coloribus depingat atq; confutet. Et hactenus quidẽ de primis illis egit, quos fures &

latrones vocauit, vt planè fugiendos & exibilandos esse doceret. In præsenti verò, de alteris con-
natur, qui doctrinam quidem puram & veram prædicãt, interim verò prauis affectibus & cõm-
priuati studio abrepti, ecclesias negligunt, suaq; negligentia lupis vastandas exponunt. Hos autem
sub Mercenariorum persona depingit: & rursum seipsum cum his quoq; conferens, totius loci hu-
statum constituit, vt se verum pastorem esse doceat, quem audire & sequi debeant quicunq; salu-
cupiunt: idq; duobus potissimùm argumentis siue notis probat, quas suo loco videbimus.

Christus pastor bonus.

Propositio totius loci, quã ex proximè præcedentibus infert, hæc est: Ego sum pastor ille bo-
Bonum pastorẽ se dicendo, innuit esse malos & infidos (quod & Augustinus annotauit) quos p-
mercenarios vocabit. Emphasim verò habet articulus, quem Latini per demonstratiuũ ILLE ex-
primunt. Sensus enim est: Ego verus ille & fidelis pastor sum, quem olim per prophetas Deus p-
misit, qui perditam requirat, expulsam reducat, confractam obliget, infirmam roboret, pingu-
& robustam coerceat, & de quo alibi scribitur: Pascet gregem suum vt pastor, & brachio suo co-
gabit agnos, inq; gremio suo feret fœtas, aut suauiter ducet, &c. In præsenti verò omissis omni-
vnum modò argumentũ adducit & certissimum boni pastoris indicium, quo reliqua eius officia
nia comprehenduntur. Bonus pastor (inquit) animam ponit pro ouibus. Quasi diceret, Quis bo-
pastorem esse neget eum, cui oues ita cordi sunt, vt vitæ suæ dispendio earum salutem redimere
detrectet? Quid enim talis non faciat in reliquis, quæ minori cũ periculo fieri possunt? Atqui
sum, qui vt oues ex luporum faucibus & impostorum laqueis eripiã, in assiduis periculis ver-
nunquam non me illis oppono, qui meæ vitæ eam vnam ob causam insidiantur: imò non multis
me pro illis in crucis mortem ignominiosissimam dabo, vt ab æterna morte illas redimam. Sum
verè bonus ille & fidelis pastor, quem necessariò sequi & obseruare debent, quotquot seruari vo-

Ezech. 34. Isa. 40.

Bonitas Dei qui nobis pastorem dedit filiũ.

Est hic primùm consideratu dignissima Dei bonitas ineffabilis, qua is saluti nostræ pro-
Nam, vt Isaias inquit, omnes nos sicut oues errauimus, & nemo vel suæ ipsius vel aliorũ salu-
sulere poterat. Hic verò Deus priusquam essemus, cùm quales essemus futuri præuideret, ab æ-
filium suum prædestinauit, qui afflictis rebus hominum opem ferret. Et filius Dei consilio hu-
accommodans in terras venit, atq; homo factus, in assumpta carne munus hominum iudicio con-
ptissimum suscepit, vt nos saluos faceret. Pastorẽ enim agere dignatus est, eorum nimirùm, qu-
modò negligi, sed æternùm damnari merebantur, & ex quibus nihil vtilitatis ad ipsum redire p-
rat. Quis bonitatem tantam non prædicet? quis humilitatem istam non admiretur? Præclaru-
immortali laude dignum videtur, si princeps aliquis potentissimus, relictis seuioribus studijs, vi-
tius ludis, populi sui curam seriò suscipiat, ipse supplices libellos legat, ipse ius dicat, & vnumq-
pro sua virili tueatur. Atqui hæc omnia ex officio facit, & nisi faciat principis nomine indign-
adhæc eos curat & pascit, qui eiusdem cum illo naturæ consortes sunt, & ex quorum incolum-
atque obedientia ipsius potestas & gloria omnis dependet. At hîc Dei filius hominum pastorem
quibus cum nihil ei commune est, nisi quantum ipse esse voluit, & quorum seruitio siue studio
tuendam suæ diuinitatis atq; regni gloriam minimè est opus. Est igitur immanis & nulla ven-
gna ingratitudo, si qui pastorem hunc agnoscere nolunt, & eos potius sequuntur, quos illius glo-
stes esse omnes vident.

Christus reipsa probat se bonũ esse pastorẽ.

Obseruabimus item, quòd non simpliciter pronuntiat se bonum illum pastorẽ esse, sed se eum
reipsa probat, & quidem eo argumento, quo (vt diximus) omnia pastoris officia continentur. Sim-
ratione alibi reipsa & operibus docet, se medicum esse, lucem mundi esse, panem item & fontem
æternæ, adeoq; salutis nostræ vindicem fidelem. Discamus ergo nõ dubitare de illius promissio-
cùm resipsæ & effecta illis coniuncta sint. Seruit hoc plurimùm afflictis conscientijs, ne peccatorum
pondere pressæ desperent. Quia enim pro nobis vitam suam exposuit Dei filius, quis illum pro
abunde satisfecisse dubitet? Aut num eam satisfactionem vilipendere vel irritam habere po-
Deus, quæ ipsius æterno decreto nititur? Nec est, quòd alicuius potentiam tantam esse formidem-
vt nos ex tanti pastoris manu aut protectione eripiat. Sed de hoc ipse postea pluribus dicet. Nu-
præterea Christi exemplum imitemur, vt nimirùm ipsi quoq; reipsa præstemus quod dici volum-
Dicuntur pastores, quicunq; ecclesijs in verbi prædicatione seruiunt, suumq; nomen illis commu-
Christus, adeoq; ipse cum eorũ ministerio coniunctus est. Ergo pastoris boni instar amẽt sibi credi-

gregem, & veritatis doctrinam eo Zelo prædicent, vt illam (si quando opus est) sanguine suo potius confirmare, quam ouibus vel minimam de ea dubitandi, aut à fide deficiendi occasionē præbeant. Fecerunt hoc olim Apostoli, & ante hos plerique prophetarum, vtrosque autem secuti sunt Martyres, quorum fides & constantia hodie prædicatur. Hoc ipsum sui officij esse meminerint principes, quos populi pastores antiquitus dictos fuisse, alibi annotauimus. Ament ergo ipsi quoq; à Deo sibi commissum populum, eumq; (si ita iubeat necessitas) suæ vitæ periculo tueantur. Fecit hoc Moses, qui Deo ob populi peccatum irato dicebat: Aut remitte hoc peccatum eorum, aut expunge me de libro tuo, quem scripsisti. Idem quoq; animus in Dauide cernitur, qui cùm angelus Domini populū peste percuteret, clamabat: Ego peccaui, ego iniquè egi, oues autē istæ quid fecerunt? Sit quæso manus tua contra me, & contra domum patris mei. At quid istos commemoro? quando inter gentes à veri Dei cognitione alienas multi reperti fuerunt, qui caput suum pro publica salute deuouēre: apud Romanos nimirum Brutus & Decij, apud Græcos autem Codrus Atheniensium rex, Themistocles item & plures alij, qui patriæ incolumitatem priuatis commodis & vitæ etiam propriæ anteposuerūt. Quod verò ab ijs requiritur, qui alijs præsunt, et pastorum personam sustinent, hoc ipsum priuatim omnes Christianos facere decet, ita monente Christo, qui in vltima cœna discipulis dixit: Hoc est præceptū meum, vt diligatis alij alios, sicut dilexi vos. Quæ verba Ioan. in epist. sua Cap. 3. sic exponit: Per hoc cognouimus charitatem, quòd ille animam suam pro nobis posuit: nos igitur debemus pro fratribus animas ponere. Vbi tamen meminisse oportet, non hoc velle Dominum, vt aut temerè nos in pericula conijciamus, aut quæ facinorosis debentur supplicia in nos recipiamus: sed de ijs periculis ista intelligi debent, ad quæ vocamur diuinitus, quæq; ex officij necessitate subterfugere non possumus. Sed arguunt hæc nostri seculi corruptissimos mores, quando ita refriguit charitas, vt plerique ne teruncio quidem fratres egenos & famelicos iuuent, multi verò illis inuideant, quos Deus fauore singulari prosequitur. Quia tamen ista alterius loci sunt, nunc ad Christi verba redeamus.

Exod. 32. 2. Sam. 24.

Mercenarij quē dicātur à Christo.

Hic enim, vt magis eluceat ipsius bonitas & pietas erga ecclesiam, mercenariū sibipsi opponit, & qui eiusmodi hominum mores sint, diligenter explicat. Vbi ante omnia videre oportet, qui nam ab illo mercenarij dicantur. Sunt enim qui hoc nomine omnes eos comprehendunt, qui ex ministerio viuunt. Sed ijdem Christi verbis & exemplo conuincuntur, qui communem legem, quæ operarium suæ mercede dignum esse pronuntiat, ad Apostolos quoq; & horum successores extendit, & cùm seipsum simul & discipulos miraculosè alere posset, ab ijs tamen victum accepit, quibus docendo inseruiebat. Lucas enim Cap. 8. mulieres aliquot opulentiores nominatim recenset, quæ ipsi de suis facultatibus ministrauerunt. Præterea, si illorum sententia admittatur, Apostolos simul omnes in mercenariorū numerum referre oportebit, quos Paulus ex ecclesiæ ministerio vixisse scribit. 1. Cor. 9. Quare Mercenarius hoc loco dicitur, non qui legitimum & ordinarium ab ecclesia stipendium recipit, sed qui solius stipendij causa ad ministeriū ecclesiæ accedit, nihil planè huius facturus, si qua alia ratione commodius viuere, aut quæstum maiorem facere posset. Et tales quidem semper fuerunt inter eos etiam, qui veritatis doctrinam purè prædicarunt. Ex horum numero erant, quos Christus in cathedra Mosi sedere ait, & quorum præceptis obsequi, vitæ verò exemplum cauere iubet. Tales etiam erant, qui Pauli tempore per inuidiam & contentionem euangelium prædicabant, vt eo prætextu ambitiosi sue satisfacerent, & de quibus ipse scribit: Omnes quæ sua ipsorum sunt quærunt, non quæ Christi Iesu. Et quàm multi hodie horum similes passim inueniantur, pij omnes cum gemitu & dolore sentiunt. Vbi tamen etiam atque etiam cauendum est, ne præcipiti nimis iudicio aliquem damnemus, quando quo quisq; animo præditus sit, non ante quàm in periculis grauioribus & necessitatis tempore cognosci potest. Neq; ex illis, quàm diu Christum purè prædicant, aliquid periculi pijs imminet. Quin potius nostram obedientiam per hos probat Deus, an eum scilicet honorem verbo ipsius deferamus, vt nullo habito personarum respectu, illi simpliciter credamus, vel num fides nostra ab hominū iudicio & authoritate pendeat.

Philip. 2.

Mercenarij descriptio.

Sed mercenarij descriptionem ex ipsius Christi ore audiamus. Mercenarius (inquit) & qui non est pastor (verus scilicet & bonus) & cuius oues non sunt propriæ, id est, qui non pro suis agnoscit, quos ipsius fidei credidit Dominus, nec cogitat fore tempus quando mihi, principi pastorū, de illis rationem reddere cogatur: Is (inquam) si lupum venientē videat, mox oues deserit, & lupo locum dat,

qui miseras rapit atq; dispergit. Ille verò fugit, quia mercenarius est, id est, quia non alibi sui ministerij finem sibi propositũ habet, quàm vt ex eius stipendio cõmodè viuat atq; ditetur, nulla autem ouiũ salutis vel gloriæ meæ cura tangitur. Hæc (inquã) mercenarij descriptio est: quæ vt rectius intelligatur, quis iste lupus sit scire oportet, & quomodo is contra gregẽ Domini veniat. Est hic Satan, quem alibi scriptura Leonem rugientẽ dicit, & qui hoc vnũ agit, vt Christi oues quacunque occasione dissipet & rapiat. Habet autẽ omnis generis ministros, quorũ opera vtitur. Ex horum numero sunt hæretici & falsi doctores, quos Paulus Act. 20. lupos graues nominat: et quidẽ meritò, quia alia nocentior ecclesiarũ pestis est, quàm cùm doctrina inficitur, vt venenũ fiat, quod ouium pabulum esse debebat. Sequũtur hos proximo gradu scelerum magistri, & disciplinæ publicæ corruptores, quorum opera fit, vt vita Christũ abnegent, qui illum ore profitẽtur, et diabolo seruiãt qui illi in hoc mo nomen dederunt. Et hi quidẽ omnes eò nocentiores lupi sunt, quòd intra ipsum ouile & ouiũ grassantur, atq; pellibus ouillis vestiti sunt. Accedunt his aliunde tyrãni persecutores, qui hostiles aperta vi grassantur. Omnibus verò his simul propriũ est, quòd oues rapiunt & dissipant. Rapiunt enim, dum vel ex via salutis abducunt per superstitionũ errores & scelera, vel obsequi nolentes cadunt. Dispergũt verò & dissipant, dum vnitatẽ ecclesiæ sectis varijs & diuersis scindunt, aut ex sacros prohibent, quibus ad seruandã ecclesiæ societatẽ nihil vtilius & magis necessariũ est. Ab omnibus autẽ istis maximũ periculũ pastoribus imminet. Quia enim hos sibi quàm maximè obstare satan, eos etiã potissimùm oppugnat. Aduersus hos ergo certamina & disputationes infidiosi & dolosi tici instituunt, quarũ ipsis hic ferè scopus est propositus, vt ouibus inuisos & suspectos reddant. Et imprimis per conuitia & calumnias petunt Epicuræi omnis disciplinæ osores. Hos ipsos maximè ranni infestant, quorũ ea ferè calliditas est, vt ecclesijs pacẽ tutam polliceantur, modò hos aut pastores siue ministros eijciant, aut sibi tradant, qui seditiosis sermonibus omnia turbẽt. Et vt Alexander Macedo oratores sibi dedi petebat, quos in Athen. repub. suis consilijs quàm maximè uersari sciebat: ita hodie multi solos ministros ecclesiarum petunt, quia his sublatis sibi ad ... facilẽ viã esse vident. Vtinã verò tunc omniũ animis insideret apologus ille Demosth. quo Athenses suos in officio continuit, ne in publicæ salutis custodes aliquid perfidè tentarent. Sed ea est ... rum stoliditas, vt canes fidos spontè lupis dedãt, aut saltẽ eijciant, quasi ea ratione luporũ rabiem tingui possit, qui potius maiori audacia insurgũt, quando neminẽ esse vident, qui ipsorũ conatibus stat. At vbi res ita constitutæ sunt, tunc discrimen apparet inter fidos pastores & mercenarios, enim tunc demũ omni studio excubant pro ecclesiarũ salute, & hæreticos quidẽ scripturis publicis uincunt, disciplinæ contemptores seueris admonitionibus atq; increpationibus coercent, aut ... biles excludũt, ne propter illos euangeliũ & fides Christiana malè audiat: aduersus tyrannos ... dis consolationibus omnes cõfirmant: Ecclesias deniq; non deserunt, nisi hoc ipsa ouiũ salus exigat, hæ ipsis aliò digressis tutius agere possint. Tunc ergo Christi consiliũ secuti, melioribus temporibus sese seruant. Quòd si autẽ ex suo discessu ecclesijs ruinã imminere, & scandalũ infirmis obijci ... millies potius perire malunt, quàm vnã ex Christi ouibus perdere. Tales olim Apostoli fuerunt, cuti Acto. liber & epistolæ ipsorũ testantur. Talis Athanasius fuit, qui per annos 64. Arianorũ ... taminibus & insidijs exercitatus, interdũ quidẽ fuga sibi cõsuluit, stationẽ verò suam nunquã ... ruit, quò minus vel docendo vel scribẽdo ecclesiæ prodesset. Talis etiam fuit August. qui Hippo... sis ecclesiæ pastorẽ annis 40. egit, quo temporis spatio & proteruenientes hædos grauiter coercuit, hæreticos Manichæos cum Pelagianis & Donatistis repressit, & ne belli quidẽ periculis cedere ... clesiæ tunc etiã adfuit, quãdo vrbs à Genserico obsidebatur. Debet his meritò adnumerari Ambrosius qui & Theodosiũ propter indignã sanguinis effusionem à sacrorũ cõmunione excludere non est ... tus, et Valentiniani edictis minacibus fortiter sese opposuit, cùm is basilicas hæreticis tradere ... Horum itaq; virtutẽ & studiũ imitentur, qui pastores boni haberi volunt. At longè alij Mercenarium mores sunt. Hi enim suis modò cõmodis intenti doctrinas falsas & hæreses grassari patiuntur, maximè si eas à viris magnis probari sentiant. Scelerũ licentiam sua ignauia fouent, & canes ... sunt, ne quem offendant, cuius amicitiã sibi vtilẽ esse arbitrantur. In persecutionibus aut primi ... giunt, aut licet corpore maneant, à statione tamẽ sua discedunt, dum officij sui immemores, ad ... tiones iniquas & impias descendũt, quibus veritatis doctrina proditur, & infirmi multi offendunt.

Lupus Satan.

Sunt igitur ex eorũ numero, de quibus apud Ezech. loquitur Dominus: Pingue comeditis, lana induimini, quod crassum est mactatis, gregẽ non pascitis, debile non confortastis, ægrotum non sanastis, confractũ non obligauistis, expulsum non reduxistis, perditũ non quæsiuistis. Item: Pastores seipsos pauerunt, oues autẽ meas non pauerunt. Sed quid ijsdem minatur Dominus? Ecce (inquit) ego contra pastores, & requiram oues meas de manu eorũ, & faciam eos cessare ne pascant posthac oues, neq; pastores pascant vltra seipsos, &c. Quibus adde, quæ Zach. 11. & Malach. 2. in eandem sententiam de pastoribus ignauis dicuntur, quæ item Christus Matth. 24. malæ fidei œconomo & comessatori denuntiat. Hæc obseruent quæso, qui hodie doctrinas quasuis seminari patiuntur, disciplinam collabi sinunt, imo ipsimet cum ebriosis, aleatoribus, deieratoribus temerarijs, scortatoribus, adulteris, vsurarijs, sanguinarijs militibus & quibusuis alijs colludunt, & ad omnia conniuent, imò in periculis publicis mirificè tergiuersantur, vt apud omnes in honore sint & pretio. Inueniuntur tales passim, & per hos nostri seculi ingratitudinẽ & euangelicæ libertatis abusum Deus punire solet. Non tamẽ illi impunè hoc ferent quod faciunt, sed aliquãdo ignominiam extremam subibunt, & de illorũ manibus omnium eorum sanguinem requiret Deus, qui ipsorum incuria pereunt. Vide Ezech. 3. & 33.

Accedamus nunc ad alteram boni pastoris notam, quam hoc loco Christus describit. Repetit autem propositionẽ: Ego sum pastor ille bonus. Et mox illud probat: Quia agnosco oues meas, & agnoscor à meis, &c. Quo loco agnoscendi verbum non nudam alicuius rei notitiã aut cognitionem significat, sed simul curam diligentẽ & custodiam cõprehendit. Vt enim reprobis dicitur: Non noui vos, id est, non pro meis agnosco, quos in meam fidem recipere & tueri debeam: Ita suos electos Christus nouisse dicitur, quia illos curat & respicit, neq; eos abs se alienari sinit. Ideò Paulus dicebat: Solidũ fundamentum Dei stat, habens sigillum hoc, Nouit Dominus qui sint sui, &c. Est ergo argumentum Christi tale: Qui boni pastores sunt, ij oues suas norunt, adeoq; eas in numerato habent, vt nulla earũ ipsis insciis perire aut à grege separari possit: quæ cura facit, vt vicissim ipsi quoq; agnoscantur ab ouibus. Atqui ego meas oues noui, & ab illis etiã agnoscor. Ergo pastor ille bonus reuera sum, quem me esse dixi. Ad minoris confirmationem siue explicationem pertinet, quod addit: Sicut nouit me pater, ita & ego noui patrem, &c. id est, Quemadmodum me pater pro filio suo agnoscit, meq; diligit & sibi coniunctissimum habet, ego item vicissim illum patrem agnosco, neq; à nobis inuicem diuelli possumus: Ita meas oues agnosco, quas ille mihi dedit, & quia pro ijsdem animã meã expendo, nunquam poteroeas negligere, quas tanto pretio redimere dignatus sum. Hîc verò obseruabimus, quòd quas hucusq; simpliciter oues dixit, nunc diserte SVAS oues esse ait. Ratio eius dicti est, cùm quòd eas pater illi dedit, tum quòd eas ipse sanguinis sui pretio acquisiuit. Petitur hinc consolatio dulcissima, qua fidem nostram in omni tentationum genere confirmemus. Præterea officij nos multiuariam admonet. Primò enim qui ecclesiarum ministri sunt, aut in magistratu versantur, cogitent sibi non cum asinis aut canibus, sed cum ouibus Christi rem esse. Si ergo illum amant, & eius offensam metuunt, in ijs pascendis non labori parcant aut industriæ. Deinde priuatim singuli cogitent, eos, quibus cum vitã degunt, eiusdem gregis cum ipsis oues esse, & proinde neminem eorum lædant, neq; scindant vnitatis Christianæ vinculum. Adhæc discant omnes, quid suo pastori debeant: Amorem nimirum atq; obedientiam. Turpe enim & execrabile scelus fuerit, eum pastorem agnoscere nolle, qui nos ouium loco habet, quos optimo iure negligere poterat. Eius ergo exemplo excitati, ipsum totis animis amplectamur, & eiusdem præceptis obtemperemus, quæ verba vitæ æternæ continent: Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

Christus pastor suos nouit.

HOMILIA XCVIII.

Alias etiam oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili: illas quoq; oportet me ducere, & uocẽ meam audient, fietq; unum ouile, & unus pastor. Propterea me pater diligit, quia ego pono animã meã, ut rursus sumã eam. Nemo tollit eam à me, sed ego pono eã à meipso. Potestatẽ habeo ponendi eã, & potestatẽ habeo rursus sumendi eã. Hoc mandatũ accepi à patre meo. Dissidiũ igitur rursum factũ est inter Iudæos propter sermones istos. Dicebãt autẽ multi ex ipsis: Dæmoniũ habet, & insanit: quid eum auditis? Alij dicebãt: Hæc uerba non sunt dæmoniũ habentis: Num dæmoniũ potest cæcorũ oculos aperire?

DOcuit hucusque Iesus Christus, se verum & bonum illum pastorem esse, quem olim per pro-
tas Deus promisit. Est hoc diligenter tenendum, primò vt nobis certò constet, quem sequ-
beamus, si salutem velimus consequi. Deinde vt ex eo consolationem petamus in omni tenta-
genere, quod Dauidem olim fecisse scimus vnà cum prophetis, qui inter pericula & aduersa sui
hominibus salutem in vno Christo monstrauerunt, quem omnia fidi pastoris officia fideliter obi-
esse vaticinati sunt. Cæterùm vt doctrina hæc nobis certa & solida sit, duo præterea cognitu ne-
ria sunt. Primum, qui nam ad huius pastoris gregem seu ouile pertineant. Alterum, quæ morte
sti ratio sit, qua & se pastorem fidum esse declarauit, et præcipuo pastoris officio functus est. De
igitur in præsenti disserit, & ita tractationem istam concludit. Istis verò mox etiam subijcit Eu-
gelista, quis illius fructus siue effectus fuerit.

Qui ad ouile Christi pertineant.

Quoad primũ, certa & diligenti inquisitione opus est. Fuerunt enim omnibus seculis, & hodie
sunt, qui ouile istud Christi, id est, societatẽ salutis vel finibus arctioribus concludere, vel nimi-
tendere & dilatare conati sunt. In primo Iudæi peccarunt, qui promissiones de Messia & e-
titulũ ad se solos pertinere putarunt, quòd et maiores suos olim his prærogatiuis ornatos fuisse
scripturis Dei peculiũ dici audirent. Reliquas ergo gentes vix alloquio dignati sunt, adeoq; in-
iudicarunt, quibus salutis promissiones cõmunicarentur. Et ita omnium animis hæc persuasio
rat, vt Apostolos quoq; post acceptum spiritum sanctum de vocatione gentiũ peculiari visione
oportuerit, quam Petro oblatam fuisse, Lucas Acto. 10. scribit: & idem nonnullos Petro ira-
ait quòd Cornelio Centurioni euangelium prædicauisset. Nec multò post hæc ipsa res tantas in
sia turbas excitauit, vt Concilij Apostolici authoritate eas componi atq; sopiri oportuerit: cui-
non tanta fuit authoritas, quin multi Paulo & alijs indesinenter negotiũ fecerint, eò quòd salu-
ctrinam ad gentes deferrent. Hodie autẽ eodem cum Iudæis errore tenentur, qui ecclesiæ fines ad
manæ ecclesiæ pomeria restringunt, & de necessitate salutis esse aiunt (vt illorum verbis vtar)
nem animam subesse Romano Pontifici. Errant hi omnes, & de Christi regno siue ecclesia par-
norificè sentiunt, quòd eam vel vni genti vel loco alicui certo alligari arbitrantur, cum scri-
eosdem eius fines, qui sunt orbis terrarum constituant, & absque gentis & personarum re-
eam admittantur, quicunque Christum vera fide apprehendunt. Rursum in contrariam par-
errant, qui ne quem temere damnare videantur, quenque in sua religione seruari posse dicunt
huius loci authoritate nimis audacter abutuntur, dum generalem ex eo de vniuersali omnium
num salute prophetiam fingunt. Nunc quidem (aiunt) diuersæ sunt hominum de fide & religi-
tentiones: at quia idem omnibus finis propositus est quòd nimirũ Deo seruire, & in illo seruari
unt, nemini suus error siue ignorantia fraudi erit: sed olim in magno illo die Deus omnes hom-
se colliget, & erit ouile vnum & pastor vnus. Et horum quidem sententia admodum plausibi-
carni & huius seculi sapientibus, quòd ad publicam concordiam plurimum momenti conferre
& ideò sectatores quàm plurimos inuenit, adhuc fortassis plures habitura, si Origenem secuti
los etiam tandem saluos fore dicerent. Et hi reuera ex ouili Christi θηροτρόφεον vel omnis gen-
rarum commixtionem & stabulum faciunt, quando in illo porcis etiam, & leonibus & vrsis, le-
niq; & fœdissimis quibusq;, qui in bestias degenerarunt, locum dant. Nec multum ab horum
tia abludunt, qui cum Chiliastis aureum seculum fingunt, quo pacem vniuersalem in toto orbe
tui oporteat, vt omnium gentium homines sub Christo pastore tuti & tranquilli degant. Et hi
Isaiæ etiã locos detorquent, quales sunt. Cõmorabitur lupus cum hœdo, & pardus cum agno a-
bit, iuuencus item & leo & pecus pingue simul erunt, & puer paruus ea ducet: vacca & vrsus
tur, &c. vide Isa. 11. At longè aliter Christus loquitur, cuius verba si propius inspiciantur, omni
iusmodi sententias validissimè confutant. De solis enim ouibus illi sermo est, quarum nomine
dentes intelligi possunt, vt alibi diximus. Et alias quoq; oues habeo (inquit) quæ non sunt ex hoc
li, id est, ex Iudæis, quorum pastorem hactenus egi, reliquis omnibus præteritis. Itaq; de gentium
tione loquitur, quam olim prophetæ etiam apertè prædixerunt, quoties de eius regno vaticinati
& hanc superbæ Iudæorum confidentiæ opponit, qui se solos ad salutis promissæ consortium per-
putabant. Quia tamen mysterium hoc nondum manifestari oportebat, tectius loquitur, ne rudes
peritos offendat. Et se quidem oues alias iam habere ait, & ouium nomine eos dignatur, qui ex-

Extrauag. Bonif. Ca. Vnam sanctam.

diceret, lupi potius & porci aut immanes bestiæ dici merebantur. Sed ad æternum electionis seu prædestinationis decretum respicit, secundùm quod in Dei conspectu iam oues erant, licet per innumeras superstitiones dispersi & ferarum pellibus tecti oberrarent. Est igitur hæc locutio diligenter obseruanda, ne de aliquo temere desperemus. Potest enim fieri, vt ex electorum numero sit, qui nunc lupũ & porcum agit, & non alienus modò ab ecclesia, verumetiam eius vastator est, sicuti in Pauli exemplo apparet, vt quod hîc de gentibus dicitur omittamus.

Vnum modò ouile Christi.

Hic verò obseruabimus primò, quòd disertè vnicum modò sui gregis ouile Christus esse ait, non plura aut diuersa. Est ergo vnica electorum omnium ecclesia ad cuius gremium siue societatem, sub vnum pastorem Iesum Christum, omnes eos colligi oportet, quicunq; seruari volunt. Docent hoc aliæ etiam parabolæ, quibus ecclesiæ mysteria scripturæ adumbrant, & quibus typos etiam veteres connumerare licebit. Sic vna modo arca fuit, in qua diluuij tempore humani generis reliquiæ seruatæ sunt. Sic vnum modò templũ in Iudæorum gente Deus esse voluit, ad quod ceu publicã parochiam omnes confluerent, & illic sacra obirent, quibus redemptio nostra per Christũ olim perficienda adumbrabatur. Eodem facit, quòd vnã quoq; sponsam, non plures, Christo scripturæ tribuunt, qui per Solomonem clamat: Sexaginta sunt reginæ, & octoginta concubinæ, & innumeræ puellæ: Vna illa est columba mea, perfecta mea, vnica illa est matri suæ, &c. Plures quidem fatetur esse per totum orbem ecclesias particulares, sed ex omnibus illis vnam catholicam seu vniuersalem constitui ait, quam pro sponsa sua agnoscat. Sic vnam modò vineam, vnũ corpus, vnam domum scriptura indicat, quæ ecclesiam Christi repræsentent. Et hanc in Symbolo nobis Apostoli olim tradiderunt. Vt enim vnũ Deum confitemur, Patrem, Filium & Spiritum sanctum: ita vnam agnoscimus ecclesiam catholicam, quæ omnium sanctorum cõmunio sit siue societas, & in qua sola cœlestis gratiæ & salutis thesauri repositi sint, qui remissione peccatorum, carnis resurrectione & æternæ vitæ fruitione continentur. Quicunque ergo ab huius societate alieni sunt, ijdem salutis etiam consortes fieri non possunt, quàm diu alieni manserint. Alieni verò sunt, quotquot fide vera in Christum Iesum destituuntur, qua sola purificamur, vt ex Dei domesticis censeri possimus. Turpis ergo & simul perniciosus illorum error est, qui dum queq; in sua aut maiorum suorum religione seruari docent, multa & diuersa ouilia constituunt. Hi certè dum hominibus parcunt, nec aliquem temerè damnare volunt, in ipsum Deum blasphemi fiunt, & omnem religionẽ simul è medio auferunt, vt alibi diximus. Nemo igitur sibijpsi blanditias fingat temere, sed curent potius singuli, vt Christi oues sint, & ad huius ouile colle cti in ipso salutem atque vitam inuenient. Vt verò consolationem dulcissimã habet, quòd ouilis istius fines per totum orbem extendi, nec quenquam propter gentis, aut sexus, aut prioris conditionis respectum ab eo excludi scimus: Ita simul officij istud nos admonet, vt omnes eos amore syncero & fraterno complectamur, quos sui gregis oues, imò sui corporis membra Deus nobiscum esse voluit. Quia enim vnum corpus sumus, vnus item omnium spiritus, vna & eadem vocationis nostræ spes, Ephes. 4. adhæc vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma, vnus denique omnium Deus & pater est, turpe & nefarium fuerit, aliquas causas comminisci, propter quas mutuæ charitatis & coniunctionis fraternæ vinculum abrumpamus.

Vt ad Christi ouile colligamur.

Deinde obseruemus etiam, quomodo ad Christi ouile nos colligi oporteat. Illas quoq; oportet me ducere (inquit) & vocem meam audient, fietque vnũ ouile & vnus pastor. Quibus verbis tria complectitur. Primò se totius negotij authorem facit, sine cuius auspicijs & virtute nihil hic rectè fiat. Inuitat hoc, quando se oportere dicit eas ducere. Ipse ergo verus pastor est, & huic vniuersa nostræ salutis gloria transcribi debet. Ita verò sectis viam omnem præcludit, quæ inter Christianos quoque exoriri solent, si qui euangelij ministris nimiùm tribuant: sicuti Corinthiorum exemplo Paulus docet, de quo iam anteà non semel diximus. Deinde modum & rationem huius ductionis exprimit Vocis nomine. Per hanc enim verbum suum vel Euangelium intelligit, cuius prædicatione ecclesiam generari & colligi, omnis scriptura docet. Tertiò vocem hanc ab ouibus audiri & agnosci ait, sicq; fieri, vt ad vnum ouile sub vnum pastorem omnium gentium electi conueniant. At quomodo (inquis) Christi vocem audiuerunt gentes, cùm ad illas ipse nunquam accesserit, quin apertè fateatur, se ad perditas modò Israelis oues missum esse, quo nomine Paulus illum Circuncisionis Apostolum fuisse dicit? Respondet hic ipse, quando discipulis ait: Ite in orbem vniuersum, & prædicate euange-

lium omni creaturæ, & cætera: Quia enim ijsdem prius dixerat, Qui vos audit, me audit: vo
ipsius Christi vox in Apostolis sonuit. Itaq; quicunque etiam hodie euangelij doctrinam, Apo
rum ministerio olim nobis traditam audiunt, & hanc secuti Christum pastorem suum agnos
huic vni omnem suæ salutis gloriam tribuunt, hi Christi vocem audiunt, & ex ouium eius nu
sunt, simulque cum reliquis electis ad regni cœlestis hæreditatem admittentur. Facit ad hui
mationem quod infra Capite decimoseptimo discipulos suos Deo patri cõmendans, inter cæt
dit: Non autem pro eis tantùm rogo, sed etiam pro ijs qui credituri sunt per sermonẽ eorum
vt omnes vnum sint, sicut tu pater in me, & ego in te, vt & ipsi in nobis vnum sint: & cæt
ergo ecclesia Christi communio & societas eorum, qui per euangelium vocati, huic fidem adhi
ilium vnum suæ salutis vindicem agnoscunt, fidemque suam debito obedientiæ effectu testantur
definitio vt hypocritas arguit, & ab ouibus porcos, lupos, vrsos & eius generis impurae bes
stinguit: ita docet, eos demum propagando & defendendo Christi ouili bonam operam nauare
euangelij doctrinam fideliter tradunt, & eam pro virili sua defendunt. Quòd si vero hac cum
patu conferas, mox patebit, quàm indigni sint ecclesiæ titulo, qui huic subsunt, cùm neque Chri
audiant, neque sub hoc vno pastore ad vnum ouile colligantur, sed in sectas infinitas dissipen
quia de hoc alibi diximus, hæc modò annotauisse sufficiat.

Mortis Christi ratio.

Redeamus ergo nunc ad Christi verba, qui cùm nuper mortis suæ meminisset, & eo argu
to probasset, se bonum illum pastorem esse, quòd vitam pro ouium salute deponere velit, in pro
ti mortis suæ rationem omnem exponit, & simul duo grauissima scandala è medio tollit, quæ
mioribus in fide ex ea obijciuntur: Primum, quòd multi eum propter acerbum & contumeli
mortis genus Deo inuisum fuisse, & proinde hunc illius merito nequaquam placari potuisse exi
tur. Et horum sententiæ videtur fauere, quod in Lege scribitur: Maledictio Dei est suspensus
gno. Deuteronom. vigesimoprimo capite. Alterum, quòd carnis ratio eum pro seruatore no
tẽ agnoscere, quem hostium vi eò adductum putat, vt ignominiam hanc extremam subeat
primum pertinet: Propterea me pater diligit, quia ego pono animam meam, vt rursus sumam
Sensus est: Tam abest, vt propter mortis genus Deo inuisus haberi debeam, vt potius hoc
imprimis ille me diligat, quòd æterno eius decreto obtemperans in mundum veni & homo
sum, vt & animam in morte pro mundi peccatis ponere, & eandem rursus assumere, eaque
mortem simul & inferos debellare possem. Quis enim filium vsq; adeò sibi obedientem non di
Quis tanto obsequio non delectetur? Et ita hunc locum Paulus exponere videtur, quando ad
lippen. scribens, Christum propter hanc obedientiam suam exaltatum esse ait, & nomen ei
quod est supra omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu curuetur cœlestium, terrestrium at
ferorum. Est autem hoc ingens diuinæ bonitatis erga nos argumentum, & salutis nostræ fun
vehementer confirmat, quòd eius amoris causam quo filium Deus pater complectitur, ipse in
nos refert, seque ideò à patre diligi testatur, quòd vt nos redimat mortem subire dignetur. D
itaque in mensum esse amorem illum, quo humanum genus ille prosequitur, quando dilectum
in mortem dare voluit, vt illius saluti consuleret. Quis ergo posthac de Dei erga nos studio
luntate dubitet? Aut quis salutem nostram incertam & dubiam esse suspicetur? De Christi
ne manifestato cœlitus testatur pater: Hic est filius ille meus dilectus, in quo placatus sum. D
autem eum quoad assumptum hominem hoc potissimùm nomine, quòd propter nos mori digna
Num ergo nos odisse potest, qui filium proprium propter nos diligit? Est hæc efficacissima
tio in tentationibus, quæ sola omnes conscientiæ terrores pellere, & diaboli suggestiones procul
potest. Discamus autem ipsi etiam ad Christi exemplum ex Cruce argumenta petere, quibus
mus, nos à Deo diligi. Solent patres filios castigare quos diligunt. Cur ergo nos Deo inuisos
mus, quando paterna virga ab eo castigamur? Et si filij proprij obedientia, quam in cruce pra
Deus tantopere delectatus est, non dubitemus ei gratissimum quoque officium fore, si ipsius
Christi exemplum imitemur. Et quia Dei decretum est, regni cœlestis hæredes facere nos, qui
conformes fiunt in cruce, absurdum foret illos sub cruce laborantes odio prosequi. Accedit hu
cruce carnis nostræ petulantia domatur, ne cum mundo incurabili damnemur, & eadem

rimarum virtutum semina atque occasiones nobis subministrat, imò spem atque fidem nostram acuit, dum in illa potissimùm veritatem promissionum Dei experimur. Vnde Paulus in omnium credentium persona loquens dicebat: Gloriamur in afflictionibus, scientes quòd afflictio patientiam efficiat, patientia verò experientiam, experientia autem spem, spes verò non pudefacit &c. Et hic quidem saluberrimus euangelij & fidei in Christum fructus est, quòd aduersa non mitigat modò, verumetiam ex illis certa salutis & diuinæ gratiæ argumẽta colligit, quæ omnes casus præsentis vitæ nobis letos & iucundos faciunt, & nosipsos aduersus omnem fortunam, diaboli & mundi astutias inuictos reddunt.

Ad alterius scandali confutationem pertinet, quod sequitur: Nemo tollit animam meam à me, sed ego pono eam à meipso: Potestatem habeo ponendi eam, et potestatem habeo rursus sumendi eam; Hoc mandatum accepi à patre meo. Quasi diceret: Non est quod quenquam mea mors offendat, quasi hostium potentia victus succubuerim. Primò enim nihil mihi præter meam voluntatem accidet, neq; illi mihi inuito aut reluctanti animam eripient, sed ego ipse eam volens deponam, vt (quod modò dixi) æterno patris decreto me obsequentem præbeam, & miseros mortales ex morte & perditione redimam. Deinde etsi moriar, nihil tamen meæ potentiæ aut maiestati decedet, sed salua & integra mihi manebit vitæ & mortis potestas. Itaq; vt volens animam meam deponam, ita tertio die eadem rursus ad corpus assumpta à morte resurgam, & me mortis victorem esse declarabo. Et hæc quidem nec temerè neque ambitiosa ostentatione faciam, sed vt Deo patri obtemperem, qui hoc mihi in mandatis dedit. Itaque hoc meum obsequium non potest non patri gratissimum esse, simulq; mihi gloriosum erit, quia hac ratione caro quoque mea in cœlestis gloriæ consortium subuehetur. Faciunt autem etiam ista ad nostræ salutis atque redemptionis certitudinem. Primò enim quia volens mortem obijt Christus, & in eo patri obediens factus est, potuit eius mors sufficiens esse pro peccatis nostris sacrificium. Quo Paulus respexisse videtur, quando ait: Sicut per inobedientiam vnius hominis peccatores constituti sunt multi; ita per obedientiam vnius iusti constituentur multi. Deinde quia animam suam Christus pro sua voluntate ponere & rursus assumere potuit, vtique mortis & vitæ dominus est, & proinde eos, qui in se credunt, ab illæ quidem redimere, hac verò donare potest. Adhæc, quia hoc omne æterno Dei decreto nititur, non poterit salus nostra dubia aut irrita esse, nisi decretum suum Deus simul irritum facere velit: id quod factu est impossibile. Nam vt Dauid canit, consilium Domini manet in æternum, neq; Deum vnquam sui instituti pœnitere potest, qui & sapientia & veritas ipsa est. Christus mortuus, quia mori voluit.

Cæterum quia Christus ita hominem assumpsit, vt vicissim sua dona nobiscum communia habere velit, admonemur hoc eius exemplo, quæ nostræ etiam mortis ratio sit, & quibus argumentis nos aduersus eius terrores consolari debeamus. Primò etsi nobis non sit liberum, animas quando nos volumus deponere, attamen certum est, neminem esse, qui eas nobis eripere possit priusquam hora illa fatalis venerit, quam nostræ vitæ terminum Deus constituit. Qui enim pilos capitis nostri in numerato habet, & passerculos absque suo consensu in terram deijci non sinit, multò magis vitæ nostræ dies numerauit, & hominem omnis creaturæ principem, ita protegit, vt nihil illi fortuitum & absque certo ipsius consilio contingat. Insaniant ergo vt libet tyranni, & cum consilijs vnà vires quoque suas in vnum conferant quotquot rerum vsu, prudentia & potentia instructi sunt, nihil tamen contra nos poterunt, nisi ita velit Dominus, cuius voluntas cum salute nostra coniuncta est. Deinde deponuntur quidem animæ in morte, sed in Dei manum deponuntur, qui eas olim suis corporibus restituet, & vita æterna donabit: Imò ipsa quoque corpora nobis reddet gloriosiora quàm nunc sunt, & ab omni corruptione liberata. Denique vt Christus per mortem in gloriam patris ingressus est: ita nos quoque mori oportet, vt animæ ex hoc carcere liberatæ vita cœlesti fruantur, & olim corpora quoq; deposita omni mortalitate, regni cœlorum & immortalitatis vitæ capacia fiant. Cur ergo mortẽ metuant, qui per fidem Christo insiti, cum Paulo dicere didicerunt: Nobis vita Christus est, mori verò lucrum? At quod de vitæ huius amissione dicitur, non minus ad reliquas etiã bonnũ facultates siue fortunas referri debet. Vt enim vita in Dei manus deposita nõ amittitur sed cũ lucro tandem recipitur: ita quæcunq; in Dei manus deponimus, ea is nobis prout nostræ saluti Quæ nostræ mortis ratio sit.

consultum fore sciet, cum lucro restituet, & si non eadem aut similia dabit, iacturam tamen [illegible] alijs donis sarciet, quæ nobis vtiliora & magis necessaria sunt. Expectemus ergo Dei bonitatem & cum Iobo dicamus, si quid bonorum huius seculi auferitur: Dominus dedit, Dominus abstulit, nomen Domini benedictum, &c.

Concionis Christi effectus.

Sequitur concionis istius fructus siue effectus memorabilis. Dissidium ergo (inquit Ioannes) [illegible] sum factum est inter Iudæos propter sermones istos, &c. Videtur hoc verbis Christi omnino contrarium esse. Dixerat enim vnum ouile ex Iudæis & gentibus fieri oportere, vt sub ipso pastore simul in fide consentiant. Et ecce inter ipsos Iudæos dissensio oritur, quibus priusquam hæc illaret, probè inter se mutuò conueniebat. Et quidem RVRSVM ait dissidium factum esse, vt dat hoc non nouum fuisse, sed prius etiam non semel contentiones ob eius doctrinam fuisse excitatas, sicuti in tribus Capitibus proximè præcedentibus vidimus. At meminerimus Christum de [illegible] dò locutum fuisse, quas simul omnes ad se colligi oporteat, ex auditoribus verò, qui tunc aderant, rosque fuisse hircos & canes, imò etiam lupos, quibus nunquam poterit cum ouibus conuenire. Nemem ergo eius generis dissidia offendant, quæ vt non noua & prius inaudita, sic bona & vtilia eò quòd his oues discernũtur ab hypocritis, qui illis permixti latitant, donec res in contentionem tiorem venit. Audiamus verò vtriusque partis de Christo iudicia. Primi ad dicendum adsunt erumpunt his verbis: Dæmonium habet & insanit, quid eum auditis? Est ergo hic scopus extremitus, vt omnes ab eo audiendo absterreant. Rationis autem loco priora conuitia repetunt, quasi lo dæmonio agitatus insaniat. Est hic mos impiorũ, quòd non contenti sua contumacia, [illegible] nes alios in sceleris impietatem secum abripere studeant: neque illis aliud perinde dolet, quam [illegible] plurimos Christi doctrinæ aures præbere & ea delectari videant. Quia verò rationibus veritati pugnare non possunt, conuitijs agunt, & horrendis sectarum, hæresum, diabolorum denique [illegible] bus, quæ nunquam non pleno ore detonant, illam inuisam aut suspectam facere conantur. Eius generis multa hodie, sed tunc nos vetera hæc exempla in mentem reuocare oportet, qui offendamur.

Christus suos quoq; habet patronos.

Cæterum impijs aduersariorum Christi vocibus, opponunt se alij, quorum mentes Dei [illegible] afflauerat, vt de veritate rectius iudicare possent. Et hi quidem non conuitia regerunt, sed [illegible] bus idoneis & firmis pugnant. Primò enim reipsa aduersarios conuincunt, dicentes: Hæc verba [illegible] sunt dæmonium habentis. Quasi dicerent: Qui dæmonio agitantur et mente capti sunt, ita [illegible] & absque ordine quiduis loquuntur, aut etiam impias in Deum voces, & in proximos quosque tia dira effundunt. At nihil tale Christus, qui certo ordine de reb. diuinis & cognitu necessarijs rit, adhæc omnium saluti vnicè studet. Ergo iniuriam ei faciunt, qui illũ dæmonio detinent [illegible] est hic obseruatu dignum, quòd ex ipsis Christi verbis argumentum petitur, quo ipsum defendat. Ergo Christi doctrina eiusmodi est, vt si rectè inspiciatur, ipsa ad suorum sectatorum atque [illegible] strorum defensionem sufficiat, neque opus sit aliunde præsidia conquirere, quibus illi suam [illegible] am propugnent. Accusamur hodie, quòd in Deum & Diuos contumelios simus, quòd ecclesiam [illegible] tem scindamus, sacramenta prophanemus, peccandi licentiam inuehamus. At hic non malitiosa [illegible] xia excusatione opus est. Inspiciatur doctrina nostra, quæ ex euangelij fontibus derivatur, [illegible] patebit nobis iniuriam fieri. Deinde ex diaboli ingenio & natura argumentantur; Num [illegible] um potest cæcorum oculos aperire? Sensus est: Diabolus ad salutem hominum ex semetipso [illegible] confert, neq; ille quenquam illuminat, qui potius omnes excæcare & perdere studet. At Christus [illegible] ci nati oculos aperuit, & quotidie beneficia salutaria quibusuis ad se venientibus cõfert. Ergo [illegible] de constat, ipsum nihil cum diabolo commercij habere. Confutantur hoc argumento, qui hodie [illegible] niorum adiuratores sequuntur, & ab illis opem atq; auxilia petunt, qui eius serui sunt, qui Christum [illegible] supra ab initio mendacem & homicidam fuisse dixit. Discamus deinde hoc exemplo ipsi etiam [illegible] quauis ex effectis eius iudicare. Nã vt Christus ait, ex fructu arbor agnoscitur. Damnatur hinc [illegible] ductionis & impietatis euãgelij doctrina. Dicamus ergo: Num qui impiè seducũt, ad veram [illegible] omnes per Christum remittunt? num in vno hoc omnem salutis rationem ostendunt? num in [illegible] & veritate Deum colere, carni & peccato mori & in Christo ad vitæ nouitatem resurgere [illegible]

Rursum aduersarij suas superstitiones ecclesiæ & Spiritus sancti titulo atq; authoritate defendunt. Hos ergo similiter effectis ipsis confutemus. Num ecclesia salutẽ alibi quàm in Christo quærit? num alterius quàm sponsi sui vocem audit? num noua onera suscipit? num contempta libertate, in quam Christus eam asseruit, hominum seruitio sese subijcit? num abiecto Christi nomine ab hominibus noua rum superstitionum inuentoribus denominatur? num Spiritus sancti opera sunt, Deum externis lar uis colere, sub religionis prætextu aliorum bona inuadere, domus viduarum et orphanorum deuora re, de salutis certitudine dubitare, scortari, mœchari, idola colere, creaturas inuocare, et infinita alia facere, quæ Dei verbo prohibentur? Ad eundem modũ de Papa, episcopis & toto illo clero Roma-nensi iudicium fiat, & mox patebit, quo loco omnes isti habendi sint. Nobis verò totius tractationis, quæ hucusq; exposita est, hic vsus sit, vt vnum pastorem Iesum Christum agnoscamus, illius tantùm vocem audiamus, & relictis superstitionibus ad ipsius ouile colligamur, in quo solo æternæ salutis thesauri repositi sunt; Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.

HOMILIA XCIX.

Facta sunt autem Encænia Hierosolymis, & hyems erat: & ambulabat Iesus in templo, in porticu Solomonis. Circundederunt ergo eum Iudæi, & dixerunt ei: Quòusq; animam nostram suspendis? Si tu es Christus ille, dic nobis apertè. Respondit eis Iesus: Dixi uobis, nec creditis: opera quæ ego facio in nomine patris mei, hæc testantur de me. Sed uos non creditis; non enim estis ex ouibus meis, sicuti dixi uobis. Oues meæ uocem meam audiunt, & ego cognosco eas, & sequuntur me. Et ego uitam æternam do eis, nec peribunt in æternum, neq; rapiet eas quisquam è manu mea. Pater meus qui dedit mihi, maior omnibus est; neq; quisquam potest eas rapere è manu patris mei. Ego & pater unum sumus.

QVemadmodum homini, vt saluus fiat, nihil tam necessarium est, quàm vera & solida Iesu Christi cognitio, in quo omnes suæ gratiæ thesauros & salutem omnẽ Deus pater nobis pro-posuit: Ita ipse Dominus, quandiu in terris hisce versatus est, hoc vnum egit, vt veram sui & salu-tis in ipso exhibitæ cognitionem traderet, & in ea operibus quoq; eos confirmaret, qui iam credere cœperant. Fit hoc ipsum in toto huius cap. contextu. Nam prima huius parte multis & diligenter ostendit, se verum illum & bonum pastorem esse, quem prophetæ venturũ olim prædixerunt, simulq; docuit, quid eos facere conueniat, qui gregis sui oues censeri, & salutis in ipso consortes fieri cupiunt. Istis autem nunc noua disputatio subijcitur, qua priorem doctrinam illustrat atq; confirmat. Diserte enim & euidenter docet, se esse Christum, id est, promissum humani generis seruatorem, adeoq; ve-rum Dei filium, qui suos aduersus quosuis hostium conatus asserere & tueri possit. Et quia hoc dispu tationum eius omnium præcipuum caput est, euangelista non obiter modò, quid dixerit, narrat, sed eius occasionem quoq; & circunstantias omnes diligenter ex ordine describit.

Orditur autem à temporis notatione. Facta sunt (inquit) Encænia Hierosolymis, & hyems erat. Encænia Iudæorum.

Fuit autem Encæniorum festum solennis templi instaurati vel innouati memoria, cui Græco vocabulo (ob frequentem apud omnes nationes tum temporis Græcæ linguæ vsum) nomen illud ab innouatione inditum fuit. Facta autem fuit ista templi innouatio, cuius memoria hæc erat, sub Iuda Macchabæo, annis ante natum Christum centum & sexaginta duobus. Cùm enim Antiochus Epi phanes, sacerdotum ambitione & perfidia vrbe potitus, verum Dei cultum euertisset & Iouis Olympij idolum in templo Hierosolymitano collocasset, quod militum præsidio defendebatur, multa insuper nõ minus crudeliter quàm impiè aduersus veri Dei cultores designaret (vt in libris Macchabæorum habetur) primus Matathias contra illum arma cœpit, & filijs author fuit, vt ecclesiæ reli-quias defenderent. Successit huic Iudas Macchabæus, qui mox sequenti anno post idolum templo impositum, Antiochi duces bello aggressus quatuor ex illis Apollonium, Seronem, Gorgiam & Lysiam, magnis prælijs vicit, & profligatis simul Antiochi copijs omnibus & vrbe recuperata,

templum repurgauit, idolum exusit, & aram vnà cum templo sacris legitimè factis rursum dedi-
cauit. Factũ hoc circa finẽ anni tertij die vicesima quinta mensis Cisleu, qui partim Nouembri
stro, partim Decembri respondet. Quia aũt in eo Deus suarum promissionũ fidem mirificè declara-
1.Mach.4. rat, & hoc liberati populi instauratiq; cultus veri beneficiũ multis præclaris operibus memo-
erat, constituit Iudas & fratres eius, totaq; Israelis cõcio, vt dies renouationis altaris suis tempo-
agitarentur singulis annis, scilicet octo dies, à vicesima quinta die mensis Cisleu magno cũ gau-
lætitia. De hoc igitur festo locus iste intelligi debet, & apparet Christũ de re maximi momenti
gna hominũ frequentia differere voluisse, vt plures erudirẽtur, & minus excusationis haberẽ
maces, qui increduli esse pergebant. Quod vt faceret, tẽpus quoq; illũ admonuit. Instabat enim
ra mortis, quã mox vix tribus ab hoc festo mensibus elapsis sustinuit: & ideo necesse fuit omnes
dire, ipsum esse Messiam & verum Dei filium, quò minus crucis eius ignominia offenderentur.

De Encæniis Christianorũ. *Admonet verò nos locus hic, vt de Christianorum Encæniis aliquid dicamus, quibus templo-*
rum dedicationes solenniter celebrari solent, & quidẽ non sine superstitione, quã (vt ea quæ
fieri solet) petulantia & lasciuia publica comitatur. Videntur verò festa hæc ex veteri testa-
translata esse, & ex Iudæis originem duxisse. Apud illos enim primùm tabernaculum sub Mo-
peculiari Dei mandato publica & solẽni initiatione consecratũ fuit, vt Exo.40. & Num.7.
tur. Deinde Solomõ quoq; templũ abs se ædificatũ magna cum festiuitate diuinis cultib. con-
1.Esd.3. *Cuius exemplũ postea imitati sunt, qui post reditũ ex Babylone nouum templũ extruxerunt.*
bus nunc postrema hæc per Iudam Macchabæũ facta eiusdem tẽpli consecratio accessit, de qua
diximus. Fuerunt aũt hæc pia & sancta exercitia. Debent enim actionum omniũ initia cum
rumactione & precibus fieri, quando constat sine Dei auspicijs nihil bene aut feliciter fieri. Ita
sa fuit, quòd priuatas quoq; domus recens extructas pij homines non antea incolerent, quam
Deut.20. *gratiarumactione & precibus dedicauissent: cuius rei exemplũ in Dauide Psal.30. propositum*
li tempore à prælio abstinere iubebantur, qui domus nouas ædificarant, sed illas nondum con-
rant. Quibus accedit, quòd nõ absq; publico ritu à prophanis vsibus separari oportet ea, quæ Deo
consecrata esse debent. Deinde quia inter externa Dei beneficia nullũ maius & salutarius est,
si tutò liceat cœtus sacros habere, in quibus Dei verbũ auditur, preces fiunt & sacramenta ad-
nistrantur, decet planè vt eius memoria & recordatio nunquam non animis nostris obuersetur.
rum ergo cõsideratione excitati veteres Christiani, in templorum dedicationibus admodum so-
Lib.9.cap.10. Item lib.4. de uita Constantini, ubi Encænia Hierosolymit. ecclesiæ describit. *tes fuerunt, sicuti Euseb. scribit. Ad eas enim sacerdotes ex diuersis locis vnà cum populo vicino-*
ueniebant, nimirũ vt publica congratulatione se mutuò hortarentur, seq; eiusdem ecclesiæ membra
eiusdẽ item fidei & spiritus consortes esse testarentur. In cœtu aũt sacro Psalmi canebantur,
fiebant cum gratiarũactione, & ex Dei verbo singuli de ijs admonebantur, quæ ipsis scitu &
tu maximè necessaria erãt. Cæterùm vt apud Iudæos in superstitionẽ degenerarũt, quæ à pris-
bus bene instituta fuerãt, sic inter Christianos quoq; factũ fuisse cõstat. Cùm enim initio templa
toria & Dominicæ domus dicerentur, vt quæ soli Domino Iesu Christo sacræ essent, ac publicis
cibus alijsq; cultus diuini exercitijs seruirent, tandem Diuorum nominibus appellari cœperunt.
aliud Petro, aliud Mariæ virgini, alia alijs Diuis præcipuè consecrarentur. Peperit hic error
alium, vt dedicationis festa in Diuorum honorẽ instituerẽtur contra legẽ Dei, qui sabbata
festos sibi soli sacros esse iubet. Nulla itaq; amplius habita fuit diuini beneficij recordatio,
ciones institutæ non minus ineptæ quàm superstitiosæ de Diuorum laudibus & miraculis,
pleraq; aut à Monachis conficta, aut in alienum vsum detorta fuerunt. Accessit ad superstitionem
hanc nundinatio Indulgentiarum, quibus peccatorum remissio certis locis & temporibus aliquot
pit. Comites verò additi sunt, luxus, libido, lasciuia & omnis generis petulantia, quibus omnia
maximè peccatur, quando Dei beneficia publicè debebant celebrari. Et hæc illa Encænia aut
cationum festa sunt, quæ inter Christianos hodie retinentur, & à quibus nei ij quidem omnes
nent, qui euangelij & purioris fidei sectatores videri volunt. Est autem ingens corruptionis
gumentum, quòd pleriq; in religione carnis licentiam quærunt, & sub illius publico praetexto
tæ libidini indulgent: & quia pauci per Dei verbum se corrigi patiuntur, eas sẽ procul dubio
expediet Deus, quibus olim Iudæorum superstitiones cum totius gentis excidio expurgauit.

Secundò locus etiã notatur, vbi disputatio hæc instituta fuit: Templum nimirum, et quidem ea templi pars, quæ porticus Solomonis dicebatur, eò quòd ad veteris illius imitationẽ erat facta, quã olim Solomon ædificauerat. In publico igitur Christus de eo disseruit, quo hostes suos quàm maximè offendi sciebat. Apparet in hoc studium salutis nostræ ardentissimum, quando nulli vnquã occasioni defuit, qua aliquos lucrifieri posse sperabat. Quoties enim ingratos erga se sensit Iudæos? quoties illorum insidijs petitus est? quoties ad mortẽ quæsitus? Redit tamen subinde ad ingratos & sanguinarios, et ne hyberno quidẽ frigore se ab instituto reuocari patitur. Petant hinc consolationis argumenta, qui de Dei gratia dubitare incipiunt, quãdo illum nõ minori diligentia etiam hodie ea agere videmus, quæ ad nostrã salutẽ faciũt. Simul verò exemplũ Christi nos ad studiũ pietatis et ad officiũ, quod Deo debemus, excitet. Quàm enim turpe est, nos ignauos deprehendi in salutis negotio, quod Dei filius tanta cũ industria pro nobis obire dignatus est? Et quem non pudeat hodie vel temporis vel loci incommoditatem prætexere, quando Christum videt semper & vbiq; ijs intentũ fuisse, quæ propter nostram salutem à patre suo in mandatis acceperat? Christus in porticu Solomonis docet.

Subijcit his tertio loco disputationis occasionem & propositionem Ioannes. Christo enim in porticu ambulanti sese eius aduersarij Iudæi offerunt, & ipsum vndiq; circunstant, ne qua elabi, aut se subducere possit. Et quàmuis insidiosè faciant omnia, studiũ tamẽ veritatis & in eo magnam animorum attentionẽ mirificè simulant. Aiunt enim: Quousq; animam nostrã suspendis? Si tu es Christus ille, dic nobis apertè. Itaq; eorum instar, qui alicuius rei cognitionem auidissimè affectant, de ipso cõqueruntur, quòd obscurius loquendo & diutius differendo liberã veritatis prædicationẽ, ipsos rerũ omnium dubios & incertos reddat: & proinde petunt, vt quis nam sit, & quẽ se credi velit, liberè et verbis disertis edicat. Atqui hoc vnũ quærunt, vt ipsum vel in cõtemptũ, vel in vitæ periculũ adducant. Si enim se Christũ esse neget, multorum animos alienabit abs se, qui ipsum hucusq; secuti erant, quòd promissum Seruatorẽ esse putarent. At si affirmet, ipsum accusandi occasionẽ habent diu quæsitam. Quia enim Iudæi Messiã principem terrenum fore sperabant, qui eiectis Romanorũ præsidijs, ipsos in libertatem auitam asserturus esset, seditiosi habebantur, quicunq; Christi aut Messiæ nomẽ sibi vendicabant. Pulchrè verò exprimuntur in his mores hostium veritatis. Malunt hi incertis opinionibus decipi & animis fluctuare, quàm certã & solidam veritatis cognitionem consequi, qua tutò niti possint. Patet hoc in eo, quòd omnem institutionẽ aspernantur, quã suis cupiditatibus aduersari sentiunt. Interim tales videri nolunt, sed ardens veritatis studiũ simulant, idq; quæstionib. & disputationibus crebris testãtur. Imprimis verò de dissidijs doctrinæ & cõtentionib. circa fidei & religionis negotiũ queruntur, multos item obscurius hanc causam agere dicunt, & ita in verbi ministros fere culpam transferunt, cuius ipsi sunt præcipui authores. Quòd si verò finẽ & scopũ studiorum omnium obserues, nõ alium videbis, quàm quòd veritatẽ extinctã & explosam volunt: Disputationes enim liberas & æqua colloquia ceu pestem aliquam fugiunt: insidiosa aũt instituunt, quibus nõ aliud quærunt, quàm vt pij liberius quædam dicendo omnium odia incurrant, & sibijpsis malũ accersant. Fiunt ista hodie frequenter, nec alijs exemplis opus est, vbi experientia quotidiana loquitur. Nos verò hostiũ astutia cautos reddere debet, ne quid imprudentia peccemus in publicã salutem: nec tamen minus fortes simus in veritate asserenda, adeoq; Christi exemplũ imitemur, qui in præsenti cum prudentia admirabili inuictũ animi robur coniungens, quid nos in simili casu facere cõueniat, docet. Quod vt rectius intelligamus, singulæ responsionis ipsius partes cõsiderandæ erunt, quæ bimẽbris est. Occasio præsentis disputationis.

Prima parte ad quæstionem illorum respondet, & se Christum esse affirmat, ea tamen ratione, vt nullam ipsis se accusandi occasionem præbeat, ipsorum verò contumaciam & voluntariam ignorantiam grauiter accuset. In vtroque autẽ duobus argumentis vtitur. Primò, Dixi vobis (inquit) & non creditis. Quasi diceret. Quid opus est interrogare quis sim, aut de me conqueri, quasi obscurius loquendo vos rerum incertos & dubios suspendam? Annon disertis verbis docui hucusque, me verum & bonum illum ecclesiæ pastorem, adhæc mundi lucem, fontem aquæ viuentis & panem vitæ esse? Annon laborantes & oneratos ad me vocaui, & ad me venientibus refocillationem, & in me credentibus vitam æternam polliceor? Quæ cum à nemine præstari possint, quàm à Messia, me vtique illum esse testor, quoties ista de me prædico. Vos vero cum istis non creditis hucusq;, non ego accusare mereor, sed vos, qui apertè loquentẽ & disputantem non auditis. Christus se pro missum seruatorem esse profitetur.

Deinde addit: Opera, quæ ego facio in nomine patris mei, (id est, quibus me à Deo missum & divina virtute instructũ esse probo) hæc testantur de me. Sunt enim Messiæ opera, de quo olim Isaias hunc modum vaticinatus est: Deus ipse veniet, & seruabit vos: Tunc aperientur oculi cæcorum & aures surdorum reserabuntur: tunc saliet claudus tanquam ceruus, & iubilabit lingua mutorum. Iem spiritus Domini Dei super me est, eò quòd vnxit me Dominus, & misit me, vt lætarer mansuetis, vt obligem vulnera corde contritorum, vt proclamem captiuis libertatem, remissionẽ, &c. Et hæc quidem omnia ego publicè & in omniũ vestrum conspectu facio quotidie: atqui ne sic quidẽ creditis. Quid ergo quiritamini? aut quid præterea vultis me facere, quando neq; verbis neq; operibus quicquam proficio? Ita verò desperatam esse ostendit ipsorum contumaciam, cui ratione emolliri vel curari possint. Est hæc admodũ vulgaris hodie. Hîc verò curẽt ministri, quoq; testari possint, se nihil eorum cælauisse, quæ dicenda fuerunt, & quoad eius fieri potest, vt viuant, quæ doctrinæ ipsorum respondeat. Ita ipsi quoq; extra omnem culpam erunt, causa verò conditionis in contumacibus verbi Dei & admonitionum contemptoribus hærebit.

Causa contumaciæ Iudæorum.

Secunda parte causam huius contumaciæ indicat: Non enim estis ex ouibus meis, sicut dixi vobis. Videtur autem ad disputationem, quæ Cap. 8. habetur, respicere, in qua diaboli filios esse illos strauit. Et de hoc quidem nunc publicè omnes admonet, vt superbis illis laruam detrahat, qua supremam sibi in ecclesia potestatẽ vendicabant, simulq; infirmis medeatur, qui incredulitate & contumacia istorum offendebantur. Interim generalem doctrinã hoc Christi dictum continet, nunquam fidem veram eos consequi posse, qui non ex ouium, id est, electorũ Christi numero sunt. Dei enim est fides, & quia in salutis promissiones recumbit, quæ ad solos electos pertinent, his omnibus donum istud fidei confertur: quo nomine illam Paulus fidem electorum Dei dixit. Fuit. Vtilis doctrinæ est, non vt anxiè & curiosè Dei arcana scrutemur, & de electione disputationes instituamus: sed vt primò ex fide nostra, quantùmuis modica, certam concipiamus nostræ salutis fiduciam. Quia enim fides solis electis datur, non dubium est, ex electorum numero esse eos, quicunque illam sunt assecuti. Non dubitent ergo de gratia Dei & salute sua, studeant verò vocationem & electionem suam (vt Petrus monet) firmam atq; omnibus testatã facere, dum fidem factis exprimunt. Vnde ne eorũ incredulitate & contumacia offendamur, qui vita atq; moribus suis abunde testantur se non Christi oues, sed sub diaboli vexillo porcos, canes, lupos, vrsos & fœdissimas bestias esse. Hoc argumento seipsos consolentur ministri si quando in nonnullis instituendis frustrà laborant. Sæpe enim, quòd talibus euangelium in testimonium prædicatur: interim tamen istis semper una quot intermixtæ sunt, quæ etsi lateant ad tempus, vocem tamen pastoris aliquando audient, & ouile Christi sese colligi patientur.

Ouium Christi natura, & quid hic illis conferat?

At ne quid de istis temere pronuntiauisse putetur, argumento ex ouium natura desumpto probat quod dixit. Oues meæ vocem meam audiunt, & me sequuntur. Dictum de hoc nuper. Nunc addit: Vos neq; vocem meam auditis, neq; me sequimini: Ergo non estis ex meis ouibus. Et hanc sumptionem sumpta, exponit quid ipse ouibus suis cõferat: & ita partim ad fidei constantiã exstant iam cæperant credere, partim verò ad quæstionem sibi propositam amplius respondet, & se Christum siue Messiam esse reipsa testatur. Primum, ego (inquit) cognosco oues meas, id est, in numero habeo, vt nulla me inscio deuiare aut perire possit: quod boni pastoris esse, supra audiuimus. Deinde eis vitam æternam, & ideo licet varijs periculis & casibus obnoxiæ sint, attamen in æternum perire non possunt, sed suo tempore ad optatum veræ felicitatis portum appellunt. Tertiò, nemo eas manu mea rapiet. Id verò omnibus ijs opponit, quæ nostram salutẽ in periculum adducere aut tollere posse videntur, ne illis terreamur. Et quia hîc propter carnis infirmitatẽ & cõscientiæ fluctus terrores multa consolatione opus est, dictum hoc ratione seu argumento validissimo confirmat, dicens: Pater meus, qui dedit mihi, maior omibus est, neq; quisquã potest eas rapere e manu patris mei: Ego et pater vnũ sumus. Ita verò argumẽtatur: Nemo potest rapere oues de manu patris, eò quòd hic omnibus creaturis tam visibilibus quam inuisibilibus maior, à nullaterũ vnus adigi potest: At ego & pater vnum sumus: Ergo neq; ex mea manu quisquam oues rapiet. Vnum verò se dicit cum patre, non quoad consensum modò (vt olim locum istum interpretati sunt diuinitatis Christi oppugnatores) sed quoad naturam, essentiam, potentiam atque dominium in omnes creaturas

ras. Quia enim hîc de potentia Christi agitur, nimis infirmum erit argumentum, si de voluntate & consensu solo locum hunc exponas, quando voluntatis nullus effectus est, nisi illi potentia coniuncta sit. Continent ergo hæc verba euidens & irrefragabile diuinitatis Christi testimonium, quo & Ariani & Sabelliani confutantur, quorum hi quidem personarum distinctionem, illi verò æternam Christi deitatem neganerunt. Quia enim SVMVS inquit, personas distinctas exprimit. Dum verò se vnum esse ait cum patre, vnam & eandem deitatem vtriq; tribuit, quam nos æternam fateamur oportet, nisi ei aliquid defuisse sentiamus priusquàm Christus esset, quod vel cogitatu impium atq; nefarium est. At quia de his iam sæpe diximus, ista modò obiter annotamus.

Nunc statum disputationis huius obseruemus, quem hæc dicendo Dominus abunde probauit: quòd nimirũ ipse sit Christus, id est, promissus humani generis redemptor atq; seruator. Hunc enim ex Abrahami quidẽ & Dauidis semine nasciturum esse prophetæ vaticinati sunt, at eundem simul Deum verum & æternum esse docuerunt. Isaias enim diserte Deum & patrem æternitatis vocat. Micheas verò eius progressum à diebus æternitatis fore ait, qui constituto tempore Bethlehemi hominem assumpturus sit. Et Ieremias de eodem disserens, inter alia dicit: Et hoc nomen eius, quo vocabunt eum, IEHOVA iustitia nostra. Taceo nunc infinita huius generis, in quibus prophetæ nomen IEHOVA, quod soli Deo conuenit, Messiæ tribuunt. Quoad verò officium, de Messia dicitur, quòd gregis & populi Dei pastorem agere, in se credentes viuificare, tueri & seruare debeat. Atqui omnia ista in præsenti Dominus sibi tribuit, & quod verbis testatur, alibi reipsa præstat, imò experiuntur ista quicunq; ipsum vera fide apprehendunt. Est ergo promissus ille generis humani seruator, cui necessariò credere oportet eos, qui mortem effugere & vitam æternam consequi volunt. *Status disputationis huius asseritur.* *Isa. 9.* *Mich. 5.* *Ierem. 23.*

Deinde asseritur hic nostræ salutis certitudo, & quidem argumentis firmissimis, quæ in quauis tentatione nos efficaciter consolari possunt. Primò enim nos sibi à patre datos esse Christus fatetur, æterno nimirũ decreto, quo nos Deus elegit, priusquàm mundus hic conderetur. Ergo nec pater eos deserere potest quos filio seruandos dedit, neque hic depositum patris sui negliget, cùm & dilectus ille filius sit, & se totum patris voluntati accommodet. Deinde nouit eos omnes Dominus, quos ei pater dedit, & proinde nemo ipsius insciitia vel incuria perire poterit. Adhæc ouibus suis vitam æternam dat, dum non modò illas ex morte asserit, verumetiam spiritu suo animat, qui vitæ spiritus est. Præterea non sinit eas perire in æternum. Etsi enim insidijs vndique petantur, nihil tamen in illis iuris est mundo & huius principi, nisi quantum Deus permiserit, qui fidelis est, neque suos supra vires tentari sinit. Et quæ fortunis aut corporibus accidunt, ad animam pertingere non possunt, neque etiam æterna sunt, sed eundem cum illis finem habent. Adde his, quòd nemo potest credentes ex Christi manibus eripere. Ipsi enim omnis potestas data est in cœlo & in terra. Et si NEMO potest illi suos eripere, ergo non poterit hoc facere peccatum, quod ipse expiauit: non mors qualiscunq; quia eius aculeum sustulit: non diabolus, quem è regno suo eiecit cauputque eius contriuit: non tyranni, qui licet corpus occidant, in animam tamen nihil possunt. Quorum consideratione olim Paulus excitatus clamabat: Quis nos separabit à charitate Christi? Num afflictio? nũ angustia? num persecutio? num fames? num nuditas? num periculum? num gladius? &c. Item: Quis intentabit crimina aduersus electos Dei? Deus est qui iustificat, quis est qui condemnet? Hanc fiduciam labefactant & euertunt, quicunque salutem extra Christum monstrant, & infelices mortales ad liberi arbitrij vires & suorum operum merita remittunt. Quid enim in illis aliud quàm corruptionẽ totius naturæ, infirmitatem, peccatum, mortem & proinde desperationem inuenias? Nos ergo reliquis vitæ officijs sequamur, neque vllis periculis aut hominum authoritate nos ab eius doctrina patiamur abduci. Ita fiet, vt eius protectione tuti per omnes huius seculi aduersitates euadamus, & olim cum ipso regni cœlestis hæreditate fruamur. Ipsi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen. *Certitudo nostræ salutis.*

HOMILIA C.

Sustulerunt ergo rursum lapides Iudæi, ut lapidarent eũ. Respondit eis Iesus: Multa bona opera demonstraui uobis ex patre meo: pro-

pter quod eorum operum me lapidatis? Responderunt ei Iudæi, dicentes: Ob bonum opus nõ lapidamus te, sed ob blasphemiam & quia tu, cùm sis homo, facis teipsum Deum. Respondit eis Iesus: Nónne scriptum est in lege uestra, Ego dixi, Dij estis? Si illos dixit Deos, ad quos Dei sermo factus est, & non potest solui scriptura: me quem pater sanctificauit, & misit in mundũ, uos dicitis blasphemare, quia dixi, Filius Dei sum?

Diui Euangelistæ non ea modò commemorant, quæ Dominus noster Iesus Christus fecit, [illegible] xit, verumetiam diligenter scribunt, vt ea exceperint ij, quibus cum illi res fuit. Ita [illegible] lius historiam spiritus sanctus describi voluit propter nos, ne offendamur, si quid simile nobis [illegible] accidit, & simul eius exemplo discamus, quid nos tunc facere conueniat. Est hoc diligenter [illegible] dum in præsentis actionis historia. Demonstrauit enim Dominus, se verum ecclesiæ Dei [illegible] Meßiam, adeoq; verum & æternum Dei filium esse: Quæ demonstratio eò diligentiorem [illegible] tionem meretur, quia in huius articuli fide atq; notitia vniuersa salutis nostræ ratio fundatur [illegible] ipse non obscurè innuit, quando infra Cap. 17. dicet: Hæc est, ô pater, vita æterna, vt te solum [illegible] scant Deum verum, & quem misisti Iesum Christum. Quid verò fit, quãdo doctrinam hanc [illegible] ponit? Nuper quidem eum dæmonio agitari & insanire, ideoq; indignum esse dixerũt, qui [illegible] Nunc verò, cùm ipsis ita rogantibus idem apertius dixerit, apertam vim parant, quod [illegible] Cap. 8. illos fecisse audiuimus. Dicit enim Euangelista: Sustulerunt ergo rursum lapides [illegible] lapidarent eum. Ex quo satis apparet, quo animo ipsum interrogauerint, an Christus sit, [illegible] missus ille populi redemptor? Exprimuntur autem in istis mores hostium veritatis. Proprium illis est, quòd lucem veritatis ferre non possunt, eò quòd hanc studijs suis inimicam esse [illegible] quia tantus Veritatis decor est, vt à bonis omnibus ametur, mali verò eius speciem appetant [illegible] illius hostes videri velint: initiò calumnijs eam obruere & omnibus inuisam facere conantur [illegible] est, quòd doctrina eius falsi accusatur, & non modò mendax, verumetiam seductoria, hæretica [illegible] tiosa dicitur. Quòd si verò ne sic quidem aliquid proficiant, tandem ad vim conuersi, armis [illegible] instituunt. Et tunc quidem non violenter modò, sed etiam cum furore ruunt, neq; ratione [illegible] tur, & insuper quas alij proponunt rationes plus quàm insana temeritate reijciunt. Vt enim [illegible] Christi cognitio hominum mentes sancto zelo accendit, qui Dei spiritu regitur, vt omnia ad [illegible] riam & multorum ædificationem faciant: Ita qui Christi cognitionem semel conculcarunt, [illegible] accenduntur, quẽ malignus spiritus in illis augere non desinit, donec vel ipsi malè pereant, [illegible] alijs exitium struant. Prædixit ista nobis Christus Dominus, & eo minus nos offendi [illegible] hæc ipse pati, & nobis suo exemplo præire voluit.

Mores hostium ueritatis.

Videamus ergo quid is in præsenti faciat. Poterat quidem illos pro merito vlcisci, sed [illegible] animos verbis amicis mitigare studet, quibus correptio grauis continetur. Nam in mentem [illegible] reuocat quæcũq; in illos vnquam contulit beneficia, & vt fortius animos illorum pungat [illegible] terrogatione eam figurat & vehementiorem reddit, sic dicens: Multa bona opera demonstrauit [illegible] bis ex patre meo: propter quod eorum me lapidatis? Quasi diceret: Lapidari merentur aut [illegible] plicio tolli, qui sceleribus suis & licentia alijs vel publicè vel priuatim iocõmodant. Ego [illegible] modò ab omni maleficio abstinui hactenus, verumetiam quasi minister diuinæ bonitatis [illegible] vos beneficia contuli, docendo, sanando ægrotos, mundando leprosos, liberando dæmoniacos, [illegible] do mortuos, denique omnes gratiæ patris mei thesauros vobis proponere & offerre nunquam [illegible] Dicite ergo, qua in re vos offenderim, & quod nam illud opus sit, cuius causa me dignum [illegible] qui lapidibus obrui debeam? Habent ergo hæc verba Sarcasmum grauem, quo & suam [illegible] asserit, & ipsorum iniustitiam arguit, qui hominem innoxium & non legitimè damnatum [illegible] velint: & simul ingratißimos mortalium esse ostendit, quos tam multa tamq; eximia beneficia [illegible] poßint excitare, vt causam suam æquiori animo cognoscant. Nec temere iterum patris sui [illegible] Ita enim docet, hanc ipsorum ingratitudinem in Deum ipsum redundare, qui suæ bonitatis [illegible] ros in ipso aperuerit.

Christus hostes rationibus mitigare studet.

Obser[illegible]

Obseruabis autem hîc primò Iesu Christi exemplum. Nuper, cùm illum lapidare vellent, subduxit sese illorum furori, & ad tempus delituit, ne quid ante constitutam sibi mortis horam pateretur. Nunc autem eodem furore accensos corripit, & occulta virtute coercet, ne quid nocere possint. Postea, cùm tempus passionis eius instaret, sponte hostibus obuiàm procedit, & quànuis ipsorum malitiam reprehendat, vincula tamen volens recipit, & se ab illis abduci patitur. Sunt hæc diligenter considerandа. Faciunt enim ad explicationem præcepti, quo ille prohibet ne malo resistamus. Nam quia ipsum hæc, quæ modò diximus, fecisse constat, qui & legis suæ optimus interpres & patientiæ absolutissimum exemplum est: quis non videat, priuatam modò vindictam eo loco prohiberi, licere autem homini Christiano, vt hostium iniquitatem arguat, aut (si absque scelere fieri potest) illorum furori sese subducat, vel etiam legitimis rationibus hunc coerceat, & ijs mediis pie vtatur, quæ ipse Deus ad frænandam impiorum audaciam instituit, legibus nimirum & magistratus authoritate, & si quæ alia sunt eius generis? Fecerunt hoc olim Apostoli, ex quorum numero Paulus armata militum manu se deduci curauit, ne in coniuratorum manus incideret, & idem ad Cæsarem prouocare non est veritus, cùm præsides Romanos sui officij non satis memores esse videret. Quòd si verò rem eò deductam videmus, vt nihil legitimi præsidij reliquum sit, & ipse Deus nos periculis & grauioribus malis exercere velit, tunc patienter nos ferre decet, quicquid ille nobis ferendum imponit.

Christi exemplo exponitur præceptum, Ne resistatis malo.

Deinde non minus obseruari debet hoc loco Iudæorũ exemplum, quo publica mundi totius ingratitudo depingitur, qua is in Christum & euangelium eius peccare consueuit. Non cessat enim Christus suæ bonitatis thesauros dispensare, et quotidie adhuc per euangelij prædicationem animorũ oculos illuminat, aures aperit, & sensus omnes ad percipiendũ gratiæ diuinæ & salutis gustum excitat. Idem fide nos donat, & per hanc iustificatos ex peccati seruitio liberat, adhæc diaboli imperiũ frangit, carnis libidinem mortificat, mundi licentiam coercet, donis spiritus sui nos exornat, deniq; nihil eorum omittit, quæ nobis ad æternam salutem adminiculo esse possunt. Quin in externis quoq; gratiã hanc exerit, quando placata patris ira & profligatis conscientiæ terroribus, vitã nobis verè iucundam reddit, & aduersa (quibus nemo prorsus liberari potest) sic temperat, vt nobis ad bonum adiumento sint. Taceo, quòd superstitiones abolet, & vnà cum his impostorum artes atq; potentiã dissipat, quibus illi omnium fortunas depopulantur, corpora grauant & animos ipsos horribiliter excruciant. Sunt hæc tanta beneficia, vt nulla lingua illis enarrandis possit sufficere. Quam verò pro illis gratiam Christo mundus retribuit? Pessimã sanè. Nam perinde hæc accipit, ac si malefacta essent. Et vt olim Israelitæ Mosem hoc potissimùm nomine accusabant, quòd ipsos ex Ægypto liberasset, & cepas atq; allia ollasq; carnium Dei beneficijs præferebant, quæ quotidie magna & stupenda experiebantur: Ita hodie multi ex Antichristi tyrannide per euangelium educti, eam præcipuè ob causam euangelij ministros simul & doctrinam oderunt, quòd ex tenebris in lucem extracti, errorum & scelerum lacunas relinquere, per salutis verò vias incedere iubentur. Eoq; detestabilior illorum ingratitudo est, quòd cùm toti carnales sint, ne ijs quidem commodis mouentur, quæ ad præsentem vitam ex euangelio ad ipsos maxima & cumprimis exoptanda redeunt. Meminerint ergo Christũ ipsi quoq; hæc verba dicere: Multa vobis beneficia per euangelium contuli, propter quod ergo ex illis me cum euangelio iectum & extinctum cupitis? Num quòd conscientiæ terrores discussi, & purgatorij metu vos liberaui? Vel quòd Pontificiũ immane & durum imperium euerti? Aut quòd sacrificulos & Monachos sustuli, qui & thalamis vestris insidiabantur, & hæreditates intercipiebant? Vel num vobis graue est, quòd ecclesiæ bonis ad pauperum sustentationem, ad scholarum institutionẽ & publicas necessitates subleuandas vti iam licet, quæ prius ventres isti & ignaui Romanæ Circes parasiti turpiter consumebant? Et profectò in longum hîc extendi poterat oratio, sed quia sufficit occasionem præbuisse ijs, qui adhuc curabiles sunt, plura addere non est opus. Cogitent modò singuli, ingratitudinẽ hanc, quæ olim Iudæis exitiũ attulit, nobis quoq; exitialẽ fore, nisi emẽdemur.

Ingratitudo mũdi erga Christũ

Quid verò Iudæi, quibus ista dixit Dominus? Nõ negant beneficia, quæ ab ipso acceperant: meliores nimirum nostris, de quibus modò diximus, qui si quid cõmodi ex euangelio ad ipsos redijt, illud omne aut impudenter negant, aut turpiter dissimulant, incõmoda verò & quæ Christi fidẽ comitantur pericula verbis Tragicis & grauissimis exponunt, vt omnes in eius odium adducant. Non ita

Iudæi nõ negãt beneficia Christi.

isti, qui cùm ad id, quod de operibus suis dixerat, nihil respondeant, hoc illum verè dixisse fa
fatentur: interim verò blasphemiæ, id est, conuitij in Deum dicti ipsum instimulant, & hanc
uersus illum instituti causam esse aiunt. Itaq; gloriæ Dei vindices sese constituunt, qui ex lege
scripto de ipso pœnas sumere velint. Hæc enim blasphemos lapidibus obruere iubebat, vt vide
Leuit. 24. Ob bonum opus (inquiunt) non lapidamus te, sed ob blasphemiam. Et mox quæ hæc
phemia sit, indicant: Quia tu, cùm sis homo, facis teipsum Deum. Impium ergo & blasphemum
cauerunt, quòd Dei nomen & essentiã atq; potestatem sibijpsi vendicasset. Vnde apparet illos
sti verba multò rectius intellexisse, quàm Arrianos cùm veteres tum recentes, qui ea de con
voluntate sola exponunt. Viderunt enim neminem cum Deo, qui vnicum & summum bonum
vnum esse posse, nisi qui eidem coessentialis & coæternus sit. Viderunt item, solius Dei esse, v
æternam dare, ab interitu seruare, & aduersus omnes hostes visibiles atq; inuisibiles defendere;
quia hæc omnia Christum de seipso prædicauisse audierant, rectè colligunt, quòd seipsum faciat
id est, quòd veram æternamq; deitatem sibijpsi tribuat. In eo autem impingunt, quòd in illo ni
mine maius agnoscunt, nec vident, eum, qui in assumpta hominis natura esuriebat, sitiebat, alio
ab ipsis item infestabatur, quoad deitatem ab æterno esse, omnes creaturas alere & fouere, t
omnibus creaturis superiorem, adeoque earum creatorem esse atq; Dominum. Ergo verè quidem
cunt, quòd homo sit, & quòd seipsum faciat Deum: ex istis autem veris propositionibus falsum
gunt, quòd nimirum blasphemus sit, & sacrilega ambitione diuinos honores sibijpsi vendicet
dunt ad istum lapidem adhuc hodie Iudæi cum Turcis & omnibus alijs, qui in solam Christ
intenti, latentem sub hac deitatem, seq; in operibus exerentem nõ obseruant. Nos verò eorum
plis admonemur, quàm suspecta nobis esse debeat carnis ratio, quando eam in diuinis ita
videmus, vt ex veris fidei & salutis nostræ principijs falsum colligat. Quod enim isti hic pecc
hoc ipsum hodie etiam multi in iustificationis articulo, & multis alijs patiuntur, in quibus v
præmissis consequentias falsas inferunt: quod multis exemplis demonstrari poterat si in Sol
diano lucerna accensa opus esset.

Impij sancto prætextu ueritatem persequũtur.

Cæterùm in hac Iudæorum responsione obseruari debet hostium veritatis astutia, qui et
so impetu ferantur, tamen sanguinarijs & iniustis consilijs vel gloriæ Dei, vel pacis & sanc
blicæ studium prætexere possunt, sicque sub pietatis prætextu Deum ipsum & veros eius
persequuntur. Factum est hoc ipsum olim prophetarum temporibus. Ieremiam enim hoc
imprimis accusatum fuisse scimus sub Ioakim & Zedechia, quòd vrbi sanctæ & templo
minitetur, & proinde diuini cultus hostis sit. Et Vriam quendam ex prophetarum numero
nam ob causam primò in Ægyptum profugisse, deinde retractum crudeliter occisum fuisse
Quid quod pacis etiam publicæ turbatorem, imò populi Dei proditorem dixerunt esse Ieremi
vt qui Chaldæorum potius quàm suæ gentis partibus faueat? Eliam quoque ab Achabo
accusatum fuisse, historia sacra testatur. Et postea Christo inter accusationis capita hoc pu
obijcitur, quod templum destruere conatus sit, & idem in cruce pendenti ab hostibus expro
Eodem prætextu Stephanus lapidibus obrutus, & Paulus in ipso templo per seditionem cap
vt iam de reliquis Apostolis nihil dicamus, qui eandem sortem experti sunt. Sunt autem
genter obseruanda, ne similibus hodie offendamur. Ita enim illud Christi impletur: Venit
cùm quisquis interficiet vos, putabit se cultum præstare Deo. Simul verò horum memores
tia & conscientiæ bonæ testimonio nos armemus, & impiorum calumnijs Christi promissum
ponamus, dicentis: Beati estis, cum probra iecerint in vos, & persecuti fuerint, dixerintq;
uis malum verbum aduersus vos, mentientes propter me. Gaudete & exultate, quia merces
multa est in cœlis. Matth. 5.

Ieremi. 26.

Iudæi Christianis ignauis meliores.

Obseruabimus præterea hoc loco, Iudæos, quantùmuis peruersi fuerint, meliores tamen
giosiores fuisse multis, qui hodie Christianum nomen atque fidem profitentur. Primò enim
nos iudicant blasphemos, & quidem non eos modò qui Dei nomine vel temere deierando,
impiè execrando, vel ad res quascunq; nefarias & illicitas abutuntur: verumetiam eos, qui
ligionis prætextu honores diuinos sibi vendicant. Hanc enim ob causam Matth. 9. similiter
accusant, quòd propria potestate peccata remitteret, quod solius Dei esse scriptura docet.

ergo apud eos adhuc diuinæ legis authoritas, neq; eò impudentiæ eruperũt, vt absq; omni ratione Dei honorem & gloriam conculcarent. At hodie inter Christianos homines passim audiuntur deieirationes & execrationes impiæ & horrendæ, quibus non modò Dei nomen, sed quæcũq; Dei filius propter nos fecit & passus est impiè prophanantur: & cùm hæ in omnium ore & auribus versentur, vix tamen pauculi aliqui inueniuntur, qui ad eas exhorrescant, & supplicio dignas esse putent. Similiter, cùm Pontifices non obscurè ea sibi tribuant, quæ solius Dei sunt, quando sibi in peccata, in inferos, in cælos, in omnes homines deniq; potestatem vendicant, quos pro suo arbitrio in cælos euehunt, aut ad tartara detrudunt: adhæc ad pedum suorum oscula quosuis inuitant: hi tamen non feruntur modò, verumetiam defensores & patronos inueniunt reges & principes, quos non pudet in suæ fidei commissum populum, adeoque in propria viscera, omni crudelitatis genere sæuire, vt horum impiam & blasphemam tyrannidem stabiliant atque tueantur. Quis ergo neget, Iudæos fucatis hisce Christiani nominis professoribus meliores fuisse?

Sed audiamus Christi apologiam, qua crimen sibi obiectum diluit. Constat ea duobus argumentis, ex quibus primum solũmodo nunc excutiemus. Id verò à pronuntiatis petitur. Nam scripturas adducit, vt se nihil nouum aut insolens feciſſe, & proinde supplicio minimè dignum esse demonstret. Nonne (inquit) scriptum est in lege vestra, Ego dixi, Dij estis? &c. Extat locus in Psalmo 82. quo corruptos iudicum eius seculi mores spiritus sanctus corripit, & ijsdem pœnas graues denuntiat. Legis igitur vocabulo Christus totum veteris testamenti codicem cõprehendit, quem alibi in legem & prophetas & Psalmos distinguere solet. Potest autẽ tota scriptura lex dici, quam Hebræi Thorah, id est, regulam siue institutionẽ vocant: eò quòd omnes illius libri ad voluntatis Dei explicationẽ faciunt, quæ sola nobis fidei & cultus externi & totius vitæ regula esse debet. Argumentatur autem Dominus à minori ad maius hoc modo: Dij vocantur in scripturis hi, ad quos Dei sermo factus est, id est, qui ex peculiari Dei præcepto munus aliquod aut functionem sustinent, quæ eos reliquis hominibus superiores facit. Quantò magis ergo hoc nomine dignus sum ego, quem pater sanctificauit, id est, segregauit & omnibus creaturis excellentiorem fecit, atq; in mundum misit, vt humani generis saluti consuleret? Ad Antecedentis confirmationem facit, quod interserit: Et non potest solui scriptura. His enim verbis scripturæ authoritatem asserit, et omnem aduersus hanc disputandi occasionem eripit hominibus curiosis & temerarijs, qui manifesta eius pronuntiata in dubium vocare audent. Consequens verò per interrogationem enuntiat, vt magis pungat auditorum animos, quos veritatis odium excæcauerat, vt lucem quoq; ipsam videre non possent. Sensus enim est: Cùm scriptura testetur, Deum nomẽ suum cõmunicare iudicibus, quos sui verbi decreto in gradum reliquis sublimiorem euexit, qua obsecro ratione me blasphemum dicitis, eò quòd me Dei filium esse dixi, cùm & ipsius patris & operum meorum testimonio constet, me functioni omnium excellentissimæ destinatum, & oleo lætitiæ (vt eadẽ scriptura docet) præ omnibus hominibus vnctum esse, vt miseros mortales peccati noxa liberatos ex morte in vitam asseram? Num ergo mihi negabitur, quod me multò inferioribus totius scripturæ authoritas concedit? Consultò autem Filium Dei se dicit, cùm ex argumenti consequentia ipsius Dei nomen vsurpare posset. Quia enim hoc durius & insolentius visum fuisset auditoribus, quorum plerisq; adhuc infirmiores erant, cauere voluit, ne quod scandalum nouum ipsis obijceret. Quod ipsum omnes verbi ministros obseruare cõuenit, vt non tam quid dici possit videant, quàm quid ad auditorum ædificationem faciat.

Christus blasphemiæ crimen diluit.

Meretur verò diligentem considerationẽ Christi exemplum, qui cùm infinitis rationibus diuinam suam maiestatem declarare, vel conuitiatores istos, vt digni erant, vlcisci posset: scripturis tamen agit, & harum authoritate se & doctrinam suam tuetur. Ita verò docet, quibus armis hodie quoq; pugnandum sit, quando fidei articuli & doctrina in controuersiam veniunt. Quia enim tota ista causa ad Deũ pertinet, nulla etiam hic præter quàm Dei solius authoritas valere debet. Atqui huius voluntatem sacræ scripturæ libri plenissimè & perfectè continent. Ad hos ergo in omni cõtrouersia recurrere, nec quicquam admittere debemus, quod scripturæ testimonijs probari non potest. Excitet nos ad hoc studium Christi elogium, quo scripturæ authoritatem hoc loco cõmendat. Non potest (inquit) scriptura solui, id est, negari, euerti aut irrita fieri. Causa eius dicti est, quòd & diuinitus inspirata est (vt Paulus ait) & Dei verbum continet, quod in æternum manere, Isaias

Scripturis conuinci debent aduersarij.

testatur, cùm omnia pereant & euanescant, quæ in mundo præclara & inuicta putantur. Ita
scripturis tuto inniti possumus, nec est quòd fraudem vllam metuant, qui harum lucernam
ponunt. Et vtinam hodie ad has solas respicerent, quotquot in religione dissident, & mox
fidijs & contentionibus imponi videremus. At quia plerique vel carnis rationibus, vel homin
thoritate nituntur, incerta illis sunt omnia, & nouis indies contentionibus intricantur. Qui
tem in fidei & religionis causa obseruari debere dicimus, hoc non minus in vita & moribus
cum habere, vt ea sola faciamus, quæ in scripturis Deus præcipit, omittamus autem quæcun
illis prohibentur: neque eos audiamus, qui diuersum suadent, & peccata extenuare norunt, v
res eorum laqueis implicent. Non potest enim solui scriptura, & reuera impij sunt, qui
eam disputare audent.

Magistratus Dij dicuntur.

Admonet præterea nos locus iste, vt de magistratu & iudicibus aliquid dicamus. Est
magistratus potestas legitima, à Deo instituta ad conseruandum ius & pacem publicam. I
Paulus ad Romanos 13. illum definit. In hoc verò constitutos scriptura Deos nominat, vt vid
Exodi 21. & 22. cap. Nominis istius rationes plures assignari possunt, quorum prima & pr
est, quam in præsenti Christus attingit, quòd in eam functionem ab ipso Deo constituti & sa
bo consecrati sunt. Altera est, quòd iudiciorum Dei administri & executores sunt. Vt
præcone ipsius Regis vox auditur, sic in Rege & quouis magistratu legitimo ipse Deus per
ges & iudicia sese manifestat. Accedit his tertia, quòd ipsa regnandi & iudicandi maiestas
quid præ se fert, quod gentes etiam barbaræ agnouerunt. Cùm enim ad licentiam omnes natu
cliues sint, nunquam certè tot millia hominum vni aut pauculis aliquot parêrent, nisi commu
su & occulto naturæ instinctu diuinam in illis authoritatem agnoscerent, & eam scirent ad
generis conseruationem non vtilem modò, verumetiam necessariam esse. Vides ergo non
scripturis Dei nomen principibus tribui, neque statim adulatores ignauos dici debere, qui
norem suis magistratibus impendunt, quando in Psalmo, quem hic Christus adduxit, p
propter officij dignitatem Deos nominat eos, quos ob iniquitatem & tyrannidem suam gra
reprehendit. Vsum verò tam præclari nominis aut tituli imprimis obseruare conuenit, qui
est. Primò ipsos magistratus officij admonet, vt in eam dignitatem euecti, Dei honorem p
hant, verbum eius obseruent, legibus diuinis obtemperent, & intra illarum fines continea
quos ipsorum imperio Deus subiecit: adhæc beneficentiæ studiosi sint, qua homines ad Dei
quàm proximè accedere, philosophi etiam intellexerunt: ius item sanctè administrent, & D
cia enuntient, non quæ ipsorum affectibus congruere videntur. Iniqui enim, imò impij & n
ingrati sunt, qui Dei verbum oderunt, & sine Deo regnare volunt, cui omnia sua debent, adeo
pulum crudeliter opprimunt, suamque dignitatem in eo potissimùm consistere arbitrantur, s
libidine omnia dicant atque faciant. Et quàm infelix ferè illorum sors sit, omnium seculorum
pla testantur. Deinde populus quoque officij admonetur, cuius est in magistratu Dei ordina
agnoscere, & illi obedire non modò propter iram (vt Paulus ait) verumetiam propter conscie
in ijs nimirum, quæ saluo Dei honore fieri possunt. Nam vt Christus alibi monet, ita docet
Cæsari quod est Cæsaris, vt interim Deo quoque debitum officium præstemus. At quia hic
rius loci sunt, pleniorem de ijs tractationem suo tempori reseruabimus. Nunc in huius disput
scopum intenti, Iesum agnoscamus esse Christum & verum æternumq; Dei filium, quem solum
ctificauit pater, vt humani generis redemptor sit. Huic ergo credamus & obtemperemus, u
eodem in regno patris possimus regnare & viuere. Ipsi debetur benedictio, honor, gloria & p
in æternum. Amen.

HOMILIA CI.

Si non facio opera patris mei, nolite credere mihi. Si autem facio,
etiamsi mihi non credatis, operibus credite: ut cognoscatis & credatis,
quòd pater in me est, & ego in eo. Rursus ergo quærebant eum pre-
hendere

hendere: sed exiuit ē manu eorū. Et abiit rursus trans Iordanē in eum locū, ubi fuerat Ioannes baptizans primùm, mansitq; illic. Et multi uenie bant ad eum, ac dicebant: Ioannes quidem signum edidit nullum: omnia autem quæcunq; ipse dixit de hoc, uera erant. Et crediderunt multi illic in eum.

SImeon iustus & religiosus senex, cùm de Iesu Christo, non ita pridem nato, ex spiritus sancti suggestione vaticinaretur, inter alia dicebat: Ecce positus est iste in casum & resurrectionem multorum in Israel, & in signum cui contradicatur. Quod vaticinium etsi ad omnium ætatum homines extendi debeat, imprimis in Iudæis impleri cœpit, quando ipse Christus in terris versabatur. Exempla eius rei multa hucusq; in cōcertationibus vidimus, quas cum illo susceperunt, & inter alia memorabile admodum est, quod hoc Cap. describitur. Cùm enim in templo doceret, & vniuersam salutis rationem diserte & fideliter traderet, dæmonio illum agitari dixerūt, qui toti populo fidei in ipsum authores esse debebant. Deinde cùm ipsi satis importunè eum compellassent, vt absq; inuolucro, quis nam sit, edisserat, apertè respondentem blasphemiæ accusant, & lapidibus obruere instituūt, & ita à calumnijs ad vim apertam conuertuntur. Sunt autem hæc diligenter obseruanda, quò minus hodie similibus offendamur. Vbi plurimùm profuerit, Christi responsionem inspexisse, qua causam suā tuetur. Nuper enim scripturas adduxit, ne quid nouum & insolens dixisse putetur: simulq; suo exemplo docet, in controuersijs de fide & religione ad solius Dei verbū, quod scripturis continetur, recurri debere. Sequitur præsens locus, quo cœptam responsionem siue apologiā ille absoluit, & simul Ioannes disputationis huius finem vel euentum describit: cuius consideratio de multis admonere potest, quæ ad nostram institutionem atq; consolationem faciunt.

Dixerat autem, se à patre sanctificatum & in mundum hunc missum esse, vt homines saluos faciat, & proinde nemini indignum aut impium debere videri, si Dei filium se esse dicat: Hoc ne aduersarij negare & vt vanum eludere possent, mox alterum argumentum, ab operibus desumptum subijcit, quo se verum Dei filium esse probat. Si non facio (inquit) opera patris mei, nolite credere mihi, &c. Dicit autem opera patris, quæ verè diuina & eiusmodi erant, vt humanis viribus confici nullo modo possint: qualia sunt, morbis solo verbo mederi, leprosos mundare, dæmones eijcere, ventis & fluctibus imperare, mortuos suscitare, pauculis panibus innumeram hominum multitudinem pascere, & quæ alia sunt huius generis, quæ vt humanas vires longè superant, ita à Christo frequenter & publicè fiebant, vt ea ab ipso fieri nemo negare posset. Argumentum itaq; est eiusmodi: Nemo nisi solus Deus opera diuina potest ex semetipso & propria virtute facere: At ego virtute propria facio quæ verè diuina opera sunt. Ergo Deus sim oportet, neq; blasphemus ideo dici debeo, quòd me & patrem vnum esse dixi, & alia quædam de meipso prædicaui, quæ ad solum Deum referri debēt. Hoc verò omne per Concessionem enuntiat, vt facilius cogat hostes vel apertis verbis, vel saltem silentio sibi testimonium ferre. Et ideo mox infert: Si autem opera eiusmodi facio, etiamsi mihi nō creditis (nimirum propter vilem & abiectam assumptæ humanitatis speciem) saltem operibus credite, quibus nulla fraus subest: vt ex ijs agnoscatis virtutē humana maiorem, quæ sub carnis inuolucro ista facit, & ita credatis, quòd pater in me est, & ego in eo, id est, quòd diuina virtus in me sese manifestat, & ego nihil nisi Dei patris auspicijs atq; virtute ago, quæ mihi naturaliter & essentialiter communia & vnita est, cùm (vt antea dixi) ego & pater vnum simus.

Christus operū argumento sese tuetur.

Hæc verborum Christi sententia est, in quibus primò syncerum & ingenium eius studium obseruari debet, quo saluti nostræ consultum cupit. Argumentū eius infallibile est, quòd qui pro suo iure fidem à nobis simpliciter & rigidè poterat exigere, eò vsq; tamen se demittit, vt verbis suis fidem haberi nolit, nisi ea factis & operum testimonio confirmet. Causa huius dicti esse videtur, quòd in Christi carne latentem diuinitatem deprehendere impossibile fuisset, nisi eam operibus diuinis ille exeruisset. Eadem autem est ratio donorum spiritus, quibus nos Deus ornat. Nec enim vel sapientia, vel fortitudo, vel fides aut quæcunq; sunt huius generis aliter in nobis agnosci & deprehendi possunt, quam per opera quæ quasi fructus ex ijs enascuntur. Hinc ergo generalis doctrina peti debet, in eiusmodi rebus manem esse titulorum splendorem & externam nominis professionem, nisi reipsa

Titulorum splendor manis, nisi huic opera respondeant.

præstemus id, quod dici volumus. Si enim Dei filium nõ puduit dicere: Si non facio opera patris mei, nolite credere mihi: intolerabilis planè arrogãtiæ fuerit, quisquis sibi credi voluerit, etiãsi omnia professione aliena & huic contraria faciat. Potest ergo Christi exemplum & quæ ex eo deriuatur doctrina ad omnis loci & ordinis homines accommodari, vt ad hunc Canonẽ ceu Lapidem Lydium tam nosipsos quàm omnes alios examinemus. Vult Romanus Pontifex dici caput ecclesiæ, vniuersalis Christiani orbis pastor, seruus seruorũ, sanctissimus pater, adhæc Iesu Christi in terris vicarius. Videamus ergo, num capitis instar toti corpori ecclesiæ & singulis eius membris spiritum vitamque inspiret? num pastorem agat pascendo, ducendo, sanando, defendendo & alijs officijs, quæ pastorem decent? num omnibus inseruiat, & non potius in reges & principes immane dominium exercere? num sanctitati studeat? num paterna cura & amore ardens ecclesiæ prospiciat? num denique ea facere etiam facere possit, quæ Christi sunt, quem nobis regem & sacerdotẽ vniuersalem & æternũ constituit? At si hæc quæras, Deum immortalem, quàm alienum & diuersum ab his omnibus inuenies? Neminem ergo titulorũ istorum splendor moueat, sed & ipsi his gloriari desinant, nos & propriæ professionis testimonio damnari velint. Simili ratione seipsos examinent ministri ecclesiarum, & videant num doctrina et exemplo vitæ ea præstent, quæ vera sunt ministrorũ officia. Nisi enim hoc fiat, serui illi nequam sunt, quos in tenebras exteriores Dominus olim eiecturus est. Sic qui in magistratu constituti sunt, curent vt ad Christi exemplum dicere possint: Si non facio opera magistratus, nolite nobis obedire. Idem denique sibijpsis applicent priuatim, quotquot Christiani dici & haberi volunt, & huius nominis professionẽ sciant friuolam & inutilem fore, nisi operibus Christianorum faciant, quæ sunt credere in Christum & hunc vnum seruatorem agnoscere, peccatis mortuos ad vitæ nouitatem resurgere, innocenter & sanctè viuere, proximũ diligere, & per fidei obedientiam omnes sensus omnes Dei verbo subiugare. Nam qui his destituuntur, ij absq; veste nuptiali venũ [illegible] aliquandiu locum habeant in ecclesia, suo tamen tempore expellentur.

Opera examinemus qui personæ nolunt credere.

Deinde Christi quoq; admonitionem consideremus, qua monet, vt operibus credamus, quæ ipsi credere nolimus. Est hæc quoq; generalis, & admodum necessaria propter eos, qui animo & contemptu quorundam ita obfirmant, vt licet reipsa conuincantur, credere tamen nolint. Est autem pestis, qua non alia fidei & saluti nostræ magis aduersa est, & quæ omnibus seculis innocentissima pestis, qua non alia fidei & saluti nostræ magis aduersa est, & quæ omnibus seculis stitit, quò minus Deo obedirent, quos ille ab interitu reuocare studebat. Sic Achabum a veræ obseruantia abduxit odium, quo Micheam & reliquos prophetas prosequebatur. Et Christi [illegible] nam plerisq; ideo contemptui fuisse scimus, quòd in personam potius eius humilem & contemptam quàm in illam respicerent, sicuti in ijs videre est, quæ in schola Nazarethana docenti contigerunt, & quæ circa finem Cap. 7. audiuimus: vbi non alio argumento seruos suos à Christi doctrina abstrahere, quàm quòd neminem ex principibus illi credere, sed rude modò & execrabile vulgus ad hæc credere aiunt. Experti sunt idem hoc apostoli, qui quòd peregrini, exules, egeni & plerisq; omnibus contemptui rent, minus fidei habuerunt apud eos, quibus euangelium prædicabant. Hodie verò ad hunc [illegible] maximè impingitur, quando multos cõsultò in hoc vnum incumbere videmus, ne nulla doctrina tione habita, in ministrorum modò personis ea omnia obseruent, quæ illis odium & contemptum ciliare possunt, & tunc sibi iustas & graues causas esse putant, propter quas doctrinam ipsorum nem reijciant. Taceo nunc eos, quorum tanta est rabies, vt quamuis verum esse fateantur quod citur, credere tamen & obedire nolunt, ne quid videantur in eorum gratiam fecisse, quos odio quuntur, & quos à plerisq; contemni vident. Resistamus ergo huic pesti, & suspenso ad tempus sonis ministrorũ iudicio, rem ipsam inspiciamus, & doctrinæ capita examinemus, mox; videbimus non aliquam nos habere causam grauem, cur illi contradicamus: Itaq; intra animos nostros [illegible] veritatis doctrinæ cedamus, ne dum odio indulgemus, ipsi nobis exitij simus auctores.

In quem finem opera Christi considerari debeant.

Coloss. 2.
1. Thess. 1.
Hebr. 6. 10. 11.

Obseruemus præterea, in quem finẽ operibus suis credere iubeat Christus: Vt cognoscatis & credatis, quòd pater in me est, & ego in eo. Cognitionem cum fide coniungit, vt discamus, hanc non [illegible] gam et temere in animis nostris natam opinionem, vel (vt quidam ineptè Ciceronami [illegible] persuasionem esse, sed certam et solidam ipsius Christi et rerum ad salutem pertinentium notitiam, in qua animi hominum, vagi natura et dubij, tutò acquiescere possunt. Quo nomine ab Apostolis πληροφορία, id est, certa dilectionis Dei fiducia, et ἔλεγχος, id est argumentum et euidens rerum [illegible]

videntur demonstratio dicitur, quæ ea etiam nobis quasi præsentia exhibet, quæ reipsa nondum adsunt. Vnde Petrus supra, cùm discipulos interrogasset Dominus, num & ipsi discedere vellent, dicebat: Domine, quò ibimus? Tu verba vitæ æternæ habes: & nos credimus & cognouimus, quòd tu es Christus, filius ille Dei viuentis. Arguuntur ergo, qui sufficere putãt, si in fide ecclesiæ se persistere dicant, & in ea externis ritibus fruantur, cùm interim de Christo & salutis mysterijs nihil certi habeant. Simul autem Dei bonitas nobis commendatur, qui cùm sõlida Christi & cœlestiũ bonorum cognitio per solam fidem apprehendatur, quæ spiritu duce & magistro vtitur: nostræ tamen infirmitatis rationem habet, & instar præceptoris aut institutoris indulgentissimi ferè per opera & experimenta externa nos erudit, vt per ea, ceu gradus quosdam ad ipsam fidem & certã regni sui & salutis cognitionem ascendamus. Huic autem Dei instituto sese accommodant electi, dum opera Christi obseruant, ea cum scripturis conferunt, & ita nouos quotidie progressus faciunt. Alia est reproborum ratio, qui cùm cœlestia aut negligãt omnino, aut corruptis & falsis præiudicijs animos imbutos habeant, & verbum quoddam non scriptum somnient, in erroribus & ignorantia sua subinde hærẽt, & indies deteriores fiunt.

Postremò non oscitanter transeundum est, quid Christus Iesus de seipso cognosci & credi velit. Sunt enim hodie, qui cùm in Arij & Serueti schola æternæ illius diuinitati oblatrare didicerint, incautis & rudioribus mirificè imponunt, dum Christi nomen profitentur, & in hunc se credere dicũt, cùm interim illum Deum verum & æternum esse negent. Fatentur ergo illi ea, quæ Christus nostræ salutis ergò fecit & passus est, illud verò negant, ex quo eius actiones atq; mors suam habẽt dignitatem, vt redimendis nobis possint sufficere: deitatem nimirùm eius, secundùm quam filius Dei verus, & huic coæternus atq; coessentialis est. Quia enim is est, ideo patri in in eo complacuit: ideo eius mors, quam in carne assumpta sustinuit, peccata nostra expiare, & eiusdem resurrectio mortem vincere, & inferorum portas effringere potuit: ideo ascensione sua nobis cœlos aperuit: ideo denique eius intercessio apud patrem pondus & authoritatẽ habet, vt nobis quoq; per ipsum ad thronum gratiæ accessus pateat. Et hoc quidem non obscurè innuit hoc loco, quando ait: Vt cognoscatis & credatis, quòd pater in me est, & ego in eo, id est, quòd ego & pater vnum sumus, eiusdem nimirùm essentiæ, virtutis, naturæ atq; potestatis. Ideo q; apostoli quoq; nõ simpliciter illum Christum, id est promissum humani generis redemptorem, verumetiam filium Dei esse confessi sunt, vt in Petri cõfessione apparet, quam modò adduximus: & eandẽ ob causam prophetæ & apostoli in asserenda eius deitate tam diligenter versantur: nimirùm quòd sine huius certa cognitione fidem in illum & salutis nostræ rationem consistere nullo modo posse viderent. Neminẽ ergo Subdolæ Seruetanorum confessiones fallant, quibus olim Arianos quoq; ecclesiã ludificauisse, ex historijs cõstat: sed Iesum Christũ agnoscere discamus, verum & æternũ Dei filium, & vnum cum patre esse, qui præfinito tempore in carne manifestatus, omnia ea obiuit, quibus ad humani generis redemptionẽ opus erat, ijsq; peractis carnem in cœlos subuexit, et ibi cum patre & spiritu sancto viuit & regnat Deus vnus benedictus in secula.

Quid de Christo credi debeat.

Porrò videamus, quis disputationis huius tam grauis exitus fuerit, quem euangelista paucis verbis describit: Rursus ergo quærebant eum prehendere, nimirùm vt ex templo protractum lapidibus obruerent: sed exiuit è manu eorum. Ergo iam ipsum quasi tenebant, vt ex eo etiã colligi posset, quid quæstionem hanc proposituri, ipsum vndiq; circundederunt, ne quà euadere posset. Hæc ergo veritatis ratio est, vt eam aperta vi opprimere studeant impij, quando rationibus & argumentis nihil proficiunt. Exprimit autem illorum ingenium & mores euangelista, quando ait: Rursus quærebãt eum prehendere. Nam contumaces & incurabiles fuisse ostendit, qui etsi hoc ipsum sæpe conati, & semper falsi sint (Deo nimirùm eorum conatus frustrante) idem tamẽ denuo tentare non verentur. Est hoc proprium impijs. Quia enim diaboli filij & ministri sunt, eius ingeniũ referunt, qui etsi nullis consilijs contra Deum quicquam proficiat, ab ipsa tamen rerum origine illi resistere nunquam desijt. Et hoc ipsum in ijs facit, qui eius ministerio seipsos semel addixerũt. Rectè ergo Isaias dicebat: Non est pax impijs, sed instar maris fremunt, quod nescit quiescere, sed aquæ eius limum & lutum ejiciunt. Itaq; turpiter & misere falluntur, qui sibijpsis pacem pollicentur in hoc mundo, & ea spe securiores facti, hostium artes & dolos minus obseruant. Attamen soletur nos, quòd licet canũ vel luporum instar Christum circundederint, exit tamen ille ex manibus eorum. Ergo non possunt impij

Exitus disputationis inter Christum & Iudæos.

Isa. 57.

quod volunt, aut quod posse videntur. Nam inuiti licet sub Dei manu sunt, qui furentibus ... cultas manicas & pedicas injicit, quibus constringuntur: sæpe etiam apertè iudicia sua profer... bus reluctantes domat atq; coercet. Interdum quoq; ceu coruos hiantes fallit, quando præda... tenere putant, cuius rei exempla in Pharaone ad mare rubrum Israelitis imminente, in Saul... Dauidis persecutore, & Sennacheribo atq; multis alijs scripturæ proponunt: quibus præsens ... alia huius generis, quæ de Christo alibi narrantur, connumerari possunt.

Christus ab ingratis discedit.

At non è templo modò Christus exit, sed simul ingratam & sanguinariã vrbem egressus ... Iordanem abit in eum locũ, vbi Ioannes primùm baptizauit: quem Bethabaram dictũ fuisse ... audiuimus. Et secedit quidem Dominus, vt impiorum furori sese subducat, cùm mortis hor... venisset, & vt simul ingratæ vrbi pœnas breui venturas denuntiet, fore nimirùm, vt Dei ... protectione spoliata funditus pereat. In eum verò locum secedit, qui Ioannis prædicatione ... erat, & in quo ipse baptizatus & solenni inauguratione manifestatus fuerat: vt primò quidem ... locus populum de ijs admoneret, quæ illic ex Ioanne audiuerant: deinde ipse etiam eorum ... tione, quæ in suo baptismo fuerant facta, seipsum aduersus mortis breui venturæ terrores ... ret. Illuc verò multi ad illum confluunt, qui eius doctrina & miraculis excitati, in ipsum ... demq; suam publicè fatentur. Ergo Iudæorum furor & insidiæ Christo nihil detraxerunt, ... runt obstare, quò minus alibi ecclesiam colligeret, & cum fructu insigni doceret. Est autẽ ... dignissima rerum inuersio, cuius hic euangelista meminit. In templo ambulantem Christum ... insidiosè circunstant, & occidere conantur. Ad eundem verò in deserto agentẽ multi confluu... docentem audiunt, & in fide egregios faciunt progressus. Ergo templũ & Hierosolyma, quam ... sui cultus sedem Deus fecerat, illo tempore latronũ spelunca, ecclesiæ verò sedes & Dei ... desertum, in quod sese Christus recipit. Obseruent exemplum istud, qui hodie ecclesiam & fidei ... missiones ad locos certos astringunt, & Romam suam hoc nomine prædicant, quòd ibi Petri ... suam primarij apostoli habuerint. Quod quàm verè dicatur, nunc non opus est excutere, ... illis demus, nunquam tamen quod volunt, ex eo poterunt colligere: quando Hierosolyma ... derunt, quam dignitate, promissionibus & typis Deus supra omnes totius orbis ciuitates ... lit, & quam ipse Dei filius doctrina & miraculis nobilitauit. Ecclesia igitur est, vbi Christus ... cet & regnat: vbi verò huius verbo locus negatur, & illius ouibus insidiæ struuntur, ibi ... spelunca est, quam pij omnes deuitare debent.

Verè credentiũ officia.

Videamus autẽ, quid isti fecerint, quorum fidem & studium euangelista cõmendat. Primùm ... niunt ad Christum, neq; eius ipsos pudet, qui principibus inuisus erat, & iam ex vrbe totius ... primaria profugus dici poterat. Deinde vbi eius doctrinam audiuerũt, & miracula viderunt, ... etiam quæ dudum ex Ioanne audierant animo recolunt, & eum cum Ioanne conferentes, ... gumentis colligunt illum hoc maiorem, & proinde Messiam esse. Primum est: Ioannes ... dit nullum. Quæ verba eclipsim habent, quæ ita sarciri potest: Ioannes quidẽ magnus & ... fuit doctor, sed miraculis nullis claruit. At hic doctrinæ simul signa coniungit stupenda, & ... nemine mortaliũ vnquam facta aut antehac visa sunt. Ergo Ioanne & omnibus prophetis ... sit oportet. Hæc autẽ dicendo, agnoscunt non sine peculiari Dei consilio factum fuisse, quòd ... signis omnino nullis per ipsum editis fuerit commendatus. Voluit enim Deus hanc gloriam ... reseruare, vt facilius ipsi crederẽt, qui prius Ioanni nimium fuerant addicti. Cùm enim hunc ... Messiam esse putarent, & Christo suam gloriam inuiderent, quid illos facturos fuisse putas, ... culis quoq; & signis Ioannes claruisset? Alterum argumentũ est: Omnia quæcunq; de hoc dicta ... annes, vera erant. Id est, reipsa videmus impleri, quæcunq; de hoc Iesu Ioannes testatus est. ... nam illa sunt? Venit fortior me, cuius corrigiam soluere non sum dignus: Illum oportet crescere, ... verò minui: Pater diligit filium, & omnia dedit ei in manum, &c. Hæc & alia eius generis ... Christo impleri vident, ipsum credunt Messiam esse, suamq; in hunc fidem palam profitentur. ... nunc demum fructificat verbum Dei apud istos, quod cùm ex Ioanne audirent, infructuosum ... nino perditum videri poterat. Fit hoc frequenter, vt qui verbum audiunt, illud primò ... ligant vel etiam non magni faciant, tandem verò hoc ipsum in mentem reuocent, & ... comperta fructus ferant non pœnitendos. Nec enim vnquam ita perit semẽ illud, quin aliquo

litatem afferat. Debent ergo eiusmodi exemplа & ministros verbi confirmare, vt sedulò verbum prædicent, & omnes alios excitare, vt illud diligenter audiant, nec dubitẽt fore tempus, quando magnus eorum vsus erit, quæ nunc non vsq; adeò magni momenti esse videntur.

Et hîc quidem finis fuit acerrimarum contentionũ, quas Iesus Christus Hierosolymis sustinuit cum hostibus, cùm tertiò illuc ascendisset, vt circa initiũ Cap. 7. audiuimus. Voluerunt eius gloriam aduersarij obscurare & obruere. Sed quò ardentius hoc conãtur, eo magis illa innotescit & illustratur. Neminem ergo turbæ huius seculi, & impiorũ conatus sanguinarij offendant. Imitemur autem istos Transiordaninos: & quia Christus nunquã non per verbum simul & efficacẽ spiritus sui operationem seipsum & diuinam suam virtutem declarat, & insuper quotidie implentur, quæcunq; olim prophetæ de felici regni ipsius propagatione prædixerunt: ipsi quoq; credamus eum esse verum æternumq; Dei filium, qui in carne manifestatus nos ex peccatorum laqueis & morte æterna redemerit: neq; pudeat nos eum publicè profiteri, qui etsi mundo exosus & inuisus sit, ecclesiam tamen suam seruat, & eandem omnibus hostibus suis superiorem facit, olim verò in magno illo die electos omnes ad se colliget, vt per ipsum acquisito regno æternùm fruantur. Illi debetur benedictio, honor, gloria & & potestas in æternum. Amen.

CAPVT XI.

HOMILIA CII.

AGrotabat autem quídam nomine Lazarus, à Bethanía, ex uico Mariæ & Marthæ sororis ípsius. (Maria autem ea est, quæ unxit Dominum unguento, & extersit pedes eius capillis suis: cuius frater Lazarus ægrotabat. Miserunt ergo sorores eius ad eum, dicentes: Domine, ecce is quem amas ægrotat. Id autem cùm audiuisset Iesus, dixit: Morbus iste non est ad mortem, sed pro gloria Dei, ut glorificetur filius Dei per eum. Diligebat autem Iesus Martham, & sororem eius & Lazarum. Vt ergo audiuit quòd ægrotaret, tunc quidem mansit duos dies in eo loco ubi erat.

IOANNES euangelista Iesu Christi historiam in profectiones partitur, quibus is ex Galilæa Hierosolymam ascendit. Sunt hæ numero quatuor, quarum tres hucusq; commemorauit, quæ omnes eximijs factis siue miraculis per ipsum editis, adhæc multiplici doctrina insignes fuerunt. In prima enim templum à sordibus & superstitiosa sacrorum nundinatione repurgauit, vt se promissum illum populi Dei regem & sacerdotẽ esse ostenderet, & inde Nicodemum colloquio priuato instituit. In secunda ad piscinam probaticam paralyticum quendam miraculosè restituit, & inde exorta disputatione docuit, se verum atq; æternũ esse Dei filium, qui in se credentes saluos faciat. In tertia eandem disputationem denuo ingressus, non semel suam authoritatem contra aduersarios defendit, & interposita istis disputationibus historia mulieris in adulterio deprehensæ, & mox secuta cæci nati illuminatione palàm ostendit, se eum esse, qui miseros mortales à nexibus peccatorum liberet, & æterna veritatis luce illuminatos per æternæ vitæ semitas deducat. Sequitur quarta & postrema, in qua humanæ redemptionis negotium perfecit, cuius ergò in mundũ uenerat. In cruce enim mortẽ subijt, & ex morte resuscitatus peccatum vnà cum morte & omni aduersaria potestate aboleuit, ne in ipsum credentibus posthac exitio esse possint. Et quia hæc inter eius actiones omnium præstantissima est, miraculum quoq; ei præmittitur, quo nullum ab illo in terris agente præstantius editum est: Lazari nimirùm mortui & iam quartum diem in sepulchro iacentis resuscitatio. Commodùm verò & consultò illud in hoc tempus vsq; distulit, vt iam mortẽ aditurus, se mortis & vitæ dominum esse demonstraret, & simul scandalũ remoueret, quod ex eius morte ignominiosa ad infirmos in fide redire poterat. Quia ergo miraculi istius multiplex vsus est, in eius descriptione Ioannes diligẽter admodũ versatur, & quæcunq; ad eius historiã pertinent ex ordine narrat.

Profectiones Christi Hierosolymã quatuor.

Lazari descriptio.

Orditur autem à descriptione personæ, in qua miraculum hoc Iesus edidit. Fuit is Lazarus thaniæ vici Hierosolymis propinqui incola, vir dives & honestus (vt ex circunstantijs facile colligi) frater Marthæ & Mariæ: eius nimirùm, quæ Christum quarto antequã moreretur tioso vnguento inunxit, quam historiam in proximo Cap. audiemus. Quod enim hoc quidam liere peccatrice interpretantur, de qua Luc. 7. dicitur, non minus absurdum quàm temerarium Nam quod ibi narratur, in Galilæa factũ fuisse cõstat, cùm nostra hæc Bethaniæ habitarit, sorore Martha ita claruerit, vt vicus ille ab ipsis denominaretur, sicuti hoc loco videmus. contenti isti Iudæam cum Galilæa cõfudisse, insuper ex muliere honestissima & Christi scortum publicum & infame fingunt. Procul ergo à pijs auribus cõmenta hæc turpissima Quanta enim huius familiæ honestas fuerit, ex eo apparet, quòd Lucas Christum eius consueuisse scribit: quæ etiam causa fuit, vt inter pios mulieres istæ magis notæ essent, quam frater Lazarus. Is verò in præsenti ægrotauisse dicitur, & quidẽ tam grauiter, vt vitæ

Morbi in pios quoq; cadunt.

tes sorores, ad Christum nuntios mitterent, qui de eius periculo illũ admonerent. Vbi obser morbos & quæcunq; sunt huius generis aduersa, in pios etiam & sanctos Dei cultores incidere ipsum Dauidis quoq; & Ezechiæ, & in nouo Testamento Epaphroditi, Timothei & alio pla testantur. Sunt enim pij etiam ex primis parentibus oriundi, quorum inobedientiam omnii aduersorum genere, ipsa deniq; morte, Deus multauit. Et quàmuis propter Christum fide apprehenderunt, peccata illis non imputantur, manent tamen in illis carnis reliquiæ lex (vt Paulus loquitur) quam flagellis eiusmodi coerceri oportet. Deinde in illis etiam poni vtile est, quibus admoneamur, quàm displiceant peccata Deo, cùm reliquias eorum omnino inultas abire sinat. Exigit deniq; hoc nostræ salutis ratio, vt propter morbos sa nos vitæ huius satietas capiat, & paulatim confectis viribus, carnẽ hanc deponamus, clarificationem corruptibili & mortali sua conditione liberetur, cælestis vitæ & gaudi consors esse non potest. Neminem ergo offendat, si Lazarum, intimum illum amicum Chris tauisse audiat, aut hodie grauissimis morborum doloribus eos videat excruciari, quorum pietatem probè perspectam habet. Discamus potius, primùm in Christo nõ quærendam esse tatem à malis huius seculi, quæ omnibus hominibus communia esse vult Deus, sed ea, quæ lutis sunt. Deinde, non desperemus de Dei gratia, si quid huius nobis cõtingit; multò minus uersus Deum murmuremus, cùm non alia ratione nos tractet, quàm qua pij omnes omnium tractati sunt. Soletur verò nos, quòd quæ nobis cum Christo Iesu intercedit coniunctio, ne dem, nedum morbis, abrumpi aut dissolui potest, vt infra ex ipsius Christi verbis patebit, rum iam morte extinctum & sepultum, adhuc amici nomine dignatur. Præterea, ne temere mus de ijs, quos vel morbis insolitis affligi, vel etiam morte immatura abripi videmus. Et ista alibi inter peccatorum pœnas numerentur, sunt tamen Deo infinitæ aliæ rationes, propter pijs quoq; ista eueniunt, vt nuper in cæci nati historia audiuimus: & sæpe insti (vt Isaias mur guntur, ne malorum, quæ mox ventura sunt participes fiant: cuius rei exemplũ in Iosiæ, & optimi principis obitu scriptura proponit. Vide 2. Paral. 34. & 35.

Sorores Lazari morbum Christo significant.

Cæterùm vt ad Lazari historiam reuertamur, cùm eius morbũ sorores ingraueſcere nuntio misso Christum de illo admonent. Vbi nemo illorũ pigritiæ tribuat, quòd non ipse ad ille erat, proficiscuntur. Erat enim iter longinquius, & mulieres temere profectiones pere non decet, quas domus custodes esse scriptura iubet. Quid enim pariant mulierum nes non necessariæ, exemplo Dinæ admonemur. Gen. 34. Quod olim gentium quoq; sapientes uarunt. Phidias certè, vt matrisfamiliâs typum exprimeret, Venerem testudine insistentem ita admonens domus curam mulieribus potissimùm commendatam esse debere. Apud Ægyptios tem mulieres ex patrio more non vtebantur calceis, vt ita domi se continere cogerentur. Dionysius ad nostras hasce, ipsa quoq; pietas monebat, ne fratri periclitanti deessent, sed suo obsequio illum bum lenirent. In hoc autem illarum facto multa concurrunt, quæ diligentiorem considerationem rentur. Primò enim fraternæ charitatis exemplũ proponitur. Quàm enim se mutuo istæ amarint euidenter ex eo apparet, quòd fratris morbo istæ contristatur, saluti & vitæ eius consulit; postea morte sublatum multis lachrymis prosequuntur. Multùm ergo dissimiles sunt ipsi

fratrum & sororum morte gaudent, vt hæreditate opulentiori fruantur, imò parentum quoq; funeribus, ceu corui & vultures inhiant, qui cum pietate omnem etiam humanitatis sensum exuisse videntur. Et quia istam familiam dilexit Dominus, quæ mutui amoris studium tam solicitè seruauit, nō dubium est, quin eos exosos habeat, qui vel odij & inuidiæ vel auaritiæ affectibus abrepti fraternæ charitatis vinculum abrumpunt. Neq; desunt exempla quibus docemur, Dei benedictionem ab ijs domibus procul abesse, à quibus mutua dilectio & concordiæ studium exulant. Vide Psal. 133.

Aegrotis quæ officia debeantur.

Deinde in genere admonemur, quid ægrotis omnibus debeamus. Quia enim charitatis lex omnibus benefacere iubet, hanc in ijs potissimùm obseruare decet, qui morbis debilitati, sibijpsis consulere nullo modo possunt: & in quibus Deus nobis miseriæ communis exemplar seu speculum exhibet. Nam cùm morbi ex peccato originem ducant, omnes autem peccato simus obnoxij, nullus tam sedus & acutus morbus fuerit, qui non possit in nos quoque cadere, si suo iure velit vti Dominus. Et quia ex humoribus, qui intra nos sunt, morbi propemodum omnes generantur, omnes vtique illorum materiam nobiscum portamus, quam si Deus moueat, mox ex sanis ægri, ex robustis infirmi, ex formosis deformes, ex lætis tristes & miseri efficiemur. Ergo in alijs obseruare discamus, quid nobis accidere possit, & commiseratione ducti eos pijs officijs subleuemus, quos morbis detineri & lecto affixos esse videmus. Quòd si quem ista minus mouent, is promissiones secum expendat, quas Dominus nobis amplissimas proponit. In Psalmo certè 41. scribitur: Beatus, qui intelligit super egeno: in die malo liberabit eum Dominus. Dominus custodiet eum, & viuificabit eum: felix erit in terra, & non dabis eum desiderio inimicorum suorum. Dominus sustentabit eum super lectum doloris, totum stratum eius conuertes in morbo eius. Quæ verba eò plus ponderis habere debent, quòd Dauid non modò propria experientia edoctus ista in morbo grauissimo pronuntiauit, verum etiam spiritu sancto motus in Christi persona hæc dixit, sicuti quædam circa finem Psalmi testantur, quæ ab ipso Domino infra Cap. 13. adducentur, quando de Iuda proditore aget. Adde his Iesu Christi promissionem, qui olim in magno illo die dicet: Ægrotaui, & visitauistis me. Illic enim diserte profitetur, quòd in suas rationes ascribere velit, quæcunque ægrotis impenduntur officia. Hæc verum expenderent, qui morbis debilitatos vix canum aut porcorum loco habent, & turpiter eos negligunt, quos summo amore complecti debebant. Deinde ij quoq;, qui non cōtenti eos neglexisse, insuper affligunt, dum odiosè illis multa exprobrando dolorem eorum augent & acuunt, vel de hæreditate intempestiuas contentiones instituunt, & de terrenis nouas curas ijs excitant, qui iam sub finem vitæ de solis cœlestibus debebant cogitare. Quid verò de harpyis istis cucullatis dicemus, qui morituris terrores purgatorij & inferorum obijciunt, vt ab illis pinguiores exequias & anniuersaria sacra maiori cum quæstu extorqueant? Quorum scelus eò grauius est, quòd istud sub religionis prætextu faciunt.

Aegroti ad Dei solius opem recurrant.

Obseruabis item, quòd istæ ad Christum nuntios mittunt, & ita testantur, se in hoc vno spem omnem repositam habere. Ergo ad solius Dei opem recurrere debent, qui vel morbis laborant, vel alijs aduersis & afflictionibus exercentur. Est enim generale præceptum Dei: Inuoca me in die tribulationis. Psal. 50. Et vt hoc ipsum faciant qui in morbos incidunt, peculiari mandato & exēplo admonemur, quod Psal. 107. proponitur. Peccauit in hoc Asa rex, quē scriptura ideò reprehendit, quòd cum ex pedibus laboraret, medicos potius quàm Deum cōsuluerit. Faciunt hoc ipsum hodie vulgò diuites & principes, qui cùm vel ipsi sibi gulæ studio morbos accersunt, vel à Deo immissis ægritudinibus castigantur, non vllam vitæ anteactæ rationē habent, neq; de Deo placando cogitant: sed perinde ac si salus atq; vita in hominū arbitrio sita sit, medicos studiosè accersunt, & his visis, mox spem vitæ nouam concipiunt. Quod non ita accipi velim, quasi omnem medicinæ vsum simpliciter damnem. Scio enim Deum non frustrà herbas & infinita alia naturali medendi virtute instruxisse: sed præposteram & superstitiosam fiduciam reprehendo, quam plerique relicto Deo in pharmacis constituunt: quæ si Deus aliquo effectu dignetur, ipsis quoque recuperatæ valetudinis beneficium accepta ferunt, nec cogitant, quas gratias Deo ferant, qui ipsos ex morbis liberauit. Turpius verò & magis impium eorum scelus est, qui ad superstitiones conuersi, vel Diuos inuocant, quos ipsi morborum præsides fingunt, vel etiam apud Exorcistas & Magos siue veneficos salutem quærunt. Similes enim sunt Ahasiæ regi, quem eo nomine Deus grauiter corripuit, quòd Baalzebub quæreret,

vt eius ope ex morbo restitueretur. Nos ergo remedijs quidem licitis & à Deo conditis vt ... ea conditione, vt salutem nostrã ab vno Deo pendere cogitemus, & proinde ante omnia cum ... deamus in gratiam redire, quo irato & aduerso nihil feliciter tentabimus.

Nuntium sororum Lazari ad Christum.

Audiamus præterea, quibus verbis Christo fratris sui morbum istæ nuntient. Domine (... ecce is, quem amas, ægrotat. Est hæc mira verborum breuitas, quæ multa magnæ fidei & plen... argumenta comprehendit. Primò, Dominum vocant, quod honoris est: & decet planè, vt Do... agnoscamus, eiq; nos totos subijciamus, à quo opem & salutem petimus. Deinde simpliciter ... exponunt, nec præscribunt, quid ab ipso fieri velint. Est hoc magnæ fiduciæ indiciũ. Intelligun... non multis verbis opus esse apud eum, qui nostris miserijs nõ minus, quàm nosipsi, afficitur. E... quidem nos Deum animo concipere decet. Si enim pater aut mater non verbosa exhortatio... gent, si filium in aquis vel in igne periclitari intelligant: num apud Deum prolixis narrati... opus esse putabimuus, qui nos multò tenerius amat, quàm parentes ex se genitos amare solean... eius verba sunt Isa. 49: Num obliuiscitur mulier infantis sui, quò minus misereatur filij vte... Sed esto, obliuiscantur illæ, ego tamen tui non obliuiscar. Et hanc Dei bonitatem non semel ... tus Dauid dicebat: Vbi pater meus & mater mea me deserunt, Dominus colligit me. Lic... dem coram Deo prolixiori malorum, quæ patimur, commemoratione vti (quod sanctos sa... cisse legimus) sed illa apud eum non opus esse dicimus, si quando vel doloris acerbitas, vel ... sæ nos verba facere prohibent. Est igitur hæc magna consolatio, quæ in periculis & tenta... animum addere potest. Qui coram regibus verba facturi sunt, de singulis anxiè cogitant, ... omittant dictu necessarium, aut ne quo verbo per imprudentiam elapso illorum aures offe... At nulla hîc solicitudine opus est. Sufficit enim sola fides, quæ si preces nostras dirigat, ... apud Deũ ratæ erunt, & abunde sarciet fides, quicquid vitij per nos admissum fuerit. Postre... sua neq; fratris beneficia vel merita, sed ipsius potius Christi amorem allegant, quo eum ante... plexus erat, qui tunc morbo detinebatur. Ecce (inquiũt) is, QVEM TV AMAS, ægrotat. ... enim nihil in ipsis inueniri tanto fauore dignum, sed gratiæ Christi hoc omne tribui debere, ... ipsas diuertere, & familiã istã præ multis alijs sua consuetudine honorare dignatus fuerat. N... mihi aliquis obijciat, hæc illas pro sua modestia dixisse, vt humiliter nimis de seipsis sentiendo ... animũ magis excitarent. Eadẽ enim sententia omniũ sanctorũ animis insidet, qui cùm innata... corruptionẽ probè cognitam habeant, nequeunt satis admirari Dei gratiam, qua ipsos præue... gnatur, & ideo cum Dauide dicunt: Ecquid est homo mortalis, vt memoriã eius habeas? et fi... minus, vt eum inuisas? Quo affectu Petrũ Apostolũ quoq; & Centurionẽ illum euangelicũ pr... fuisse scimus, qui se indignos dixerunt, ad quos Christus diuerteret. Est hoc obseruatu per qu... cessarium, vt in toto salutis nostræ negotio & quauis alia causa, solius Dei gratiæ fidamus, ... quid nostrorũ operũ meritis tribuamus. Nam si nostrũ amorem examinemus, quo ipsi Deum ... quimur, næ illum planè frigidum & mancũ inueniemus: quando innumera quotidie occurrunt ... nobis Dei memoriã excutiunt, nosq; ab eius præceptis transuersos abripiunt. Quòd si merita ... inquiras, illa planè nulla sunt. Quid enim habes (inquit Apostolus) quod non accepisti? Et qu... cro in Dei cõspectu ostẽtabit, qui ex semetipso ne ad cogitandũ quidẽ sibi sufficit? Quoad ergo ... dignitatẽ intuemur, nihil aliud quàm diffidentia, dubitatio et desperatio sequetur: cùm nihil ... sit, quo tutò & certò niti possimus. At vbi in Dei amorẽ respicimus, tunc ea nobis occurrẽt, qu... de eius gratia dubitare vetant. Ibi enim audiemus Christum clamantem: Sic Deus dilexit ... vt filium eius vnigenitum daret, &c. Item, Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, ... Et rursum: Deus est qui iustificat, quis ille qui condemnet? Quæ per fidem apprehensa, certam ... fallibilem in nobis salutis spem pariunt. Quapropter vt istæ in Lazaro solum morbum prædic... causam verò, cur illi Christus subuenire debeat, in eius amore monstrant: ita nos ea potius, ... nos suæ bonitatis argumenta Deus declarauit, quàm nostra merita adducamus, & tam in ... quàm aliorum periculis dicamus: Ecce Domine, ij quos tu amas, ægrotant, egent, exulant: ... ni quidem sumus, quibus hæc omnia eueniant, at qualescunque simus, tui sumus filij, tua ... tuus grex, tui serui, tuum peculium, ij deniq; sumus, quos tui sanguinis pretio redimere dign...

Psalm. 8.

Indig...

Indignum ergo fuerit, vt in nobis tui nominis gloria periclitetur. Hæc qui ad istum modum considerant, ibi mox in medijs periculis inuictam veræ salutis fiduciam concipient.

Christi de morbo Lazari iudicium.

Quid autem Christus, vbi Lazarũ ex morbo graui decumbere audiuit? Primò, morbus iste (inquit) non est ad mortẽ, sed pro gloria Dei, &c. Quibus verbis & nuntios amicè solatur, quibus haud dubiè res ista vehementer cordi erat: & simul discipulos suos in officio continet, quos moram omnem molestè laturos sciebat, si Lazaro mortis periculum instare intellexissent. Negat autem morbum hunc lethalem esse, quàmuis ex eo Lazarus obierit, quia totius rei exitum respicit, qui erat, vt resuscitatus quarto die reuiuisceret, nec vt reliqui solent, in morte detineretur. Quod autem de Lazari morbo dicitur, ad omnes piorum afflictiones extendi debet: quarum hæc cõmunis & perpetua ratio est, quòd illis minimè sunt exitio, sed gloriæ Dei seruiunt. Nam & ipsi in his suam infirmitatẽ sentiunt, eoq; ardentius Dei opem implorant, & hic in illis asserendis suam potentiam & virtutem gloriosè declarat, vt ea ratione apud impios quoq; hostes nomen eius illustretur. Nemo igitur vel suis vel aliorum piorum afflictionibus offendatur, quando (vt Paulus ait) ijs, qui Deum diligunt, omnia cooperantur in bonum. Sed est hîc consideratu dignissima Christi locutio, qua dicit, Morbũ hunc esse pro gloria Dei, vt glorificetur filius Dei per eum. Ex eo enim colligitur, gloriam Dei cum gloria filij coniunctam esse. Cuius dicti hæc est ratio, quòd Deus, qui natura inuisibilis est, in filio incarnato se nobis manifestat. Docet igitur locus hic, Christum verum Dei filium, & patri coæternũ atq; coessentialem esse. Deinde, Deum non glorificari aut coli, nisi in Christo: quando sine hoc nulla illius vera cognitio, aut nostri cum illo coniunctio esse potest. Quod vnum tam Iudæorũ quàm Turcarum superstitionibus conuincendis sufficit, qui se veri Dei cultores esse profitentur, cùm Christi Iesu iurati hostes sint, in quo vno ille sese manifestat, vt verè à nobis coli possit.

Christus non statim succurrit Lazaro ægrotanti.

Deinde Euangelistæ etiam verbis confirmatur, quòd Iesus Lazarum & sorores eius dilexerit, idem tamen post acceptũ nuntium de illius morbo adhuc biduum totum illic, vbi tunc erat, mansisse dicitur. Videtur hoc absurdum et à charitatis ingenio alienum esse, quæ periclitantibus amicis absq; omni mora succurrere solet. Sed in præsenti sic fieri oportebat, vt interea Lazarus moreretur & sepeliretur, & quarto demum die Christus ipsum è sepulchro excitaret: quo illustrius esset miraculũ, & omni fraudis suspicione liberum. Quod, vt initiò monuimus, ita fieri necesse erat, vt omnibus constaret, Christo merum & absolutum esse imperium in vitam & mortem, vtq; discipuli in ipsa etiam Christi morte atq; sepultura fidem constanter retinerent, qua ipsum cõplectebantur. Discamus itaq; non desperare de gratia Dei, etiamsi opem promissam aliquandiu differat, & multa interdum incidant, quæ cum promissis ipsius pugnare videntur. Diligit enim Christus Lazarum, & vnà cùm hoc Marthã quoq; & Mariam, quas pro fratre vehementer solicitas fuisse audiuimus. Idem morbũ hunc non letiferum esse dixit, & ea ratione tristes solatus est. Interim verò, quasi oblitus amici, biduum totum subsistit, nullo magis necessario negotio (quod saltem Euangelista annotet) occupatus: & interea Lazarus moritur, & in luctũ conijciuntur sorores, qui quàm illis acerbus fuerit, suo loco audiemus. Dicat ergo aliquis: Hæc ne sunt amoris synceri argumenta? hæccine veri & fidi amici officia? Sed omnem querelis eiusmodi ansam Christus eripit, quãdo ex mortuis resuscitatum vitæ restituit eximium gloriæ Dei vas ex eo facit, qui hucusq; vulgaris modò amicus videri poterat. Est hoc frequens admodum, & multa huius generis exempla in scripturis passim occurrũt: quorum hîc nobis primus vsus esse debet, ne de Dei gratia et fauore ex huius seculi statu iudicemus. Nam vt pater filios, quos diligit, castigat: ita suos filios Deus afflictionibus multis & diuturnis interdum exercet, vt ita emendentur, qui alioqui cum mũdo perituri erant. Inuocatus verò opem differt, vt ea mora precandi ardorem in nobis excitet, qui in secundis nimiùm consueuit frigere. Adhæc patientiæ & fortitudinis materiam præbet, nosq; ad fidei obedientiã assuefacit, qui cultus illi est omnium gratissimus. Neq; tamen interea dum nos luctamur dormit, neq; luctantes negligit, sed fidelis agonothetæ instar verbo & spiritu suo excitat, nouasq; defessis vires suggerit, vt tantis laboribus possimus sufficere. Horũ igitur consideratione confirmati, spem quidem de Dei ope certam concipiamus, preces verò nostras ipsius subijciamus voluntati, qui quid quouis loco & tempore facere debeat, melius nouit, quam nos ipsi, quorũ causa agitur. Vt verò ratæ sint preces nostræ, huius familiæ mores imitemur, quæ hoc elogio cõmendatur, quòd eam Christus amauerit. Crediderũt hi omnes Christo Domino: fidẽ

hanc reipsa testati sunt, partim quòd Christo hospitium præbuerunt, quod vt sumptuosum … periculo coniunctum erat: partim quòd mutua charitate se inuicem prosecuti sunt. His ergo … nos quoq; addicamus, & procul dubio ipsi quoq; à Christo Iesu diligemur, qui nos & intra hu… tæ curriculum seruabit, & olim sui regni gaudijs remunerabitur. Illi debetur benedictio, … gloria & potestas in æternum. Amen.

HOMILIA CIII.

Deinde post hoc dicit discipulis: Eamus in Iudæam rursus. Dicunt ei discipuli: Rabbi, modò quærebant te Iudæi lapidare, & rursum abis illuc? Respondit Iesus: Nonne duodecim sunt horæ diei? Si quis ambulauerit interdiu, non offendit: quia lucẽ huius mundi uidet. Si quis autem ambulauerit nocte, offendit: quia lux non est in eo. Hæc ait, & post hæc dicit eis: Lazarus amicus noster dormit: sed proficiscor, ut à somno excitem eum. Dixerũt ergo discipuli eius: Domine, si dormit, seruabitur. Dixerat autem Iesus de morte eius: illi uerò putauerunt quòd de dormitione somni diceret. Tunc ergo Iesus dixit eis apertè: Lazarus mortuus est: Et gaudeo propter uos (ut credatis) quòd non fuerim illic: sed eamus ad eum. Dixit ergo Thomas, qui dicitur Didymus, condiscipulis: Eamus & nos, ut moriamur cum eo.

DIui Euangelistæ ex spiritus sancti suggestione res gestas Domini nostri Iesu Christi … bunt, vt non ea modò narrent, quibus eius gloria illustratur, verumetiam ea, quæ … tis ratione instituunt, & officij erga illum admonent. Obseruat hoc Ioannes diligenter in Laz… suscitatione. Quia enim hæc inter omnia miracula illius primatum obtinet, & hunc vitæ … Dominum esse docet, simulq; multa alia comprehendit, quæ ad nostræ fidei & vitæ institu… ciunt: prolixè omnia exponit, quæ circa hanc cõtigerunt. Et principiò à personæ descriptione … est, in qua didicimus, Christi fideles non alienos esse ab humanis casibus, & quales consue… qui illo ad salutem frui volunt. Sequitur modo Christi colloquium cum discipulis, quo de … dæam reditu disserit, & consilium suum de Lazari resuscitatione ijsdem exponit. Est … nibus discipulorum animos confirmare velit, qui sibi à Iudæa vehementer timebant, … doctrinam generalẽ tradit, quæ nos de morte iudicare docet, & omnes eius terrores procul … Sunt autem colloquij partes duæ, quas ex ordine inspiciemus.

Christus discipulos de profectione in Iudæã compellat.

Prima discipulos ipse prior compellat, vt secum in Iudæam iter suscipiant. Eamus (inquit) … dæam rursus. Atqui sciebat illos hoc ægre facturos esse, neq; opus erat de hoc sermone … illis pro suo iure imperare posset. Sed magnũ bonitatis argumẽtum est, quòd neq; ipsis … proficiscitur, neq; eos superbe relinquit, sed hoc potius quærit, vt rationibus solidis … debat cõsolatione opus habere, licet metũ suum hucusq; dissimulauissent. Et ita frequenter … tentes in lucem protrahit Dominus, vt ijs medeatur. Quod hîc quoq; fieri videmus. Nam … mùm Iudææ mentionẽ facit, mox illi respondent: Rabbi, modò quærebant te Iudæi lapidare, … sum abis illuc? Quibus verbis periculi prioris illũ admonent, & hoc suum consiliũ reprehen… illũ & imprudentiæ & temeritatis insimulant, vt qui periculi recentis oblitus, nunc abijs … sa se nouo obijcere velit. At hoc dicendo seipsos plus quàm imprudentes & temerarios … quando eum suo consilio opus habere putant, cuius sapientiã tot indicijs antehac perspexerãt … ipsum nobis hodie, quando disertis Dei præceptis aut decretis nostras rationes opponimus, … nobis dictat, quæ pro suo ingenio mundũ & externa potius quàm diuina respicere solet. Et … tus in pios quoq; & sanctos cadere solet (quod innumera passim exẽpla testantur) suspecta … debent consilia, quæcunq; hoc dictante concipimus. Est enim caro astuta nimis, & nisi Dei … gatur, pio prætextu seipsam & alios facilè decipit: vt hoc loco in Apostolis videmus. Cum … sis illi timeant, perinde tamen loquuntur, ac si Christi salus ipsis cordi sit. Ita multi hodie … riam & publicã pacem prætexunt, qui vel suæ pelli metuunt, vel priuato suo cõmodo … lunt. Et ista obseruare multùm prodest, ne vel proprijs vel aliorum rationibus …

Cæterùm amicè discipulis respondet Dominus, vt metum omnem illis eximat, & duæ responsionis istius partes sunt, quarum altera ad ipsum, altera ad discipulos commodè referri potest, et vtraque doctrinam generalem atq; cognitu necessariam comprehendit. Quoad seipsum, Nónne (inquit) duodecim sunt horæ diei? Loquitur autem pro more illius seculi, quando horas diei duodecim, & totidem noctis numerabant: et eas dicebant καιρικὰς, eò quòd pro partium anni ratione mutarentur, et nunc quidem longiores, nunc verò breuiores essent. In præsenti verò diem vocat tempus illud, quod ex æterno patris decreto in terris, humana carne vestitus transigere debuit, & ab illo sibi iniunctum munus obire: & ex eo argumentum ducit, quo & seipsum ad officium faciendum excitet, & discipulos metu consternatis animum addat. Sensus enim verborum hic est: Ne mihi Iudæorum conatus aut consilia referatis, ex quibus nihil periculi adhuc metuendum est. Vt enim dies naturalis horas habet certas, neque ex illis ex hominum arbitrio quicquam detrahi, neque ijsdem aliquid addi potest: Ita mihi quoque certum vitæ in terris agendæ tempus constitutum est, quod neq; vestris consilijs vlcra terminum suum extendi, neq; hostium conatibus intercipi aut anticipari poterit. Meum ergo fuerit, vocationem mihi à patre mandatam obire, neque vllas rationes ad mittere, quæ diuersum quid suadent aut iubent. At hinc (vt diximus) generalis doctrina peti debet, certum nimirum singulis hominibus vitæ tempus constitutum esse, quo suam vocationem obeant, & quæ ipsis diuinitus iniuncta sunt exequantur. Et hoc non temere diei confert Christus, qui æterna est Dei patris sapientia. Nam vt interdiu Sol nobis prælucet, suoque splendore actiones nostras regit, & idem sub noctis aduentum occidit, neque quicquam lucis relinquit ijs, qui diurnum tempus elabi passi sunt: Ita dum tempus nostrum durat, ipse Deus sui spiritus & gratiæ luce nobis præire, in& vocatione sua ambulantes dirigere atque protegere solet, vt feliciter cedant quæcunque ex eius mandato instituimus: at qui istud præterire sinunt, & ignaui procrastinatores occasionem omnem negligunt, ij postea nequicquam sibi nouum tempus dari petent, quo res suas agant. Excitet nos huius mysterij consideratio, ne nostri diei horas frustra elabi patiamur, & singuli sibijpsis hanc sententiam occinant: Nónne diei horæ sunt duodecim? Quid ergo cessas? cur occasione à Deo data non vteris, quando ad vitæ tuæ tempus horam nullam tibi adijcere potes? Quibus ea etiam adijciatur, quam Capite nono audiuimus: Me oportet operari opera eius qui misit me, donec dies est: venit nox, cùm nemo potest operari. Præterea consolentur nos ista aduersus omne periculorum genus, quæ nobis in huius vitæ curriculo sudantibus imminent. Sunt enim singulis hominibus sui dies, id est, vitæ suæ duodecim horæ à Deo constitutæ, quæ (vt olim in horarum distributione fiebat) alijs breuiores, alijs longiores obtingunt, prout vitæ nostræ curriculum ille nobis dimensus est. Priusquàm ergo fatalis illa hora aduenial, nemo nobis nocere poterit. Sunt enim omnia nostra sub æterno prouidentiæ Dei decreto comprehensa, qui (vt Christus alibi monet) non horas modò vitæ nostræ, verumetiam capitis pilos omnes in numerato habet. Docent hoc exempla omnis generis, quæ in sacris literis plurima occurrunt: & huc pertinent quæ de Christo prius vidimus, quem sæpius prehendere & sæpius lapidare conati sunt hostes, nequicquam verò, cùm suum illud vitæ curriculum nondum absoluisset. Possent his multa adijci, quæ Apostolis & martyribus olim acciderunt: sed exemplis veteribus minimè opus est, quando multa quotidie fiunt, quæ his possint fidem facere. Vbi tamen meminisse oportet, hæc non in eum finem dici, vt periculis nos temere obijciendo Deum tentemus (quod neque ipse Christus facere voluit, licet in sua manu esset vitæ & mortis potestas) sed ne propter pericula, quæ nobis mundus & satan obijcit, vocationem nostram deseramus.

Christus seipsum solatur aduersus discipulorum metum.

Certũ uitæ tempus singulis cõstitutum.

Porrò ipse Dominus nostræ doctrinæ & institutioni hoc omne accommodat, quando quod de se dixit, ad discipulos & omnes alios homines extendens, mox addit: Si quis ambulauerit interdiu, non offendit: quia lucem huius mundi videt: Si quis autem ambulauerit nocte, offendit: quia lux non est in eo. Ita enim dicere videtur: Vt mihi nihil periculi metuendum est, priusquàm meæ vitæ finis appropinquauerit: Ita neque vos quicquam timere debetis, quoad mecum fueritis, & me vestrarum actionum ducem habetis. Nam vt qui interdiu ambulant, non offendunt, nisi id scientes volentes faciant: ita vos, si me sequamini, qui lux mundi sum, & causam veritatis syncero studio sequimini, ego vos offendere nequaquam patiar. Rursum verò his continetur generalis regula, secun-

Qui Christum sequuntur non offendunt.

dùm quam omnia nostra tutò & certò constituamus. Lux enim vera Christus est, qui vel prophetas & Apostolos reuelato docet et monstrat, quid in re quauis debeat fieri. Quos qui ergo ius lumen sequuntur, offendere non possunt: eò quod nihil in rebus agendis adeò obscurum & perplexum est, quod illa non illustret & expeditum reddat. E contra verò, qui hoc lumine relicto, consilia audiunt, non possunt non offendere & errare. Vt enim extra Christum meræ tenebræ manant: ita ea etiam est rationis nostræ cæcitas, vt per caliginem istam diuina videre non possimus, quàmuis interdum aliquid videamus, mox tamen prauis affectibus & mundi exemplo abreptos cimus. Ideò Dauid orabat, Dei semitas sibi monstrari, et in eius vijs deduci: quod ipsum omnes re oportet, quicunq; salutem consequi cupiunt. Obseruent ergo hanc regulam, qui de religione disputant, & mox videbunt, quis cultus Deo gratus & acceptus sit. Respiciant eandem, qui expiendo vitæ genere consultant, & ita intelligent, quid in vnoquoque fieri, quidue cauere debeat. quos item mundus ad peccandū solicitat, & ipse satan peccata egregio fuco tecta & blandè ornata proponit: ij absque mora verbi lucernam proferant, atque illico videbunt, quàm horribilis monstrorum facies sit, quibus paulò ante nihil pulchrius, iucundius et salutarius videbatur. Ista enim lucerna ipsas res illuminat, & ab animis nostris omnem caliginem abstergit, vt quid in vnaquaque re aut mali insit, liquidò videre possimus. Sed arguitur hîc nostri seculi improbitas, quando plerique Sole meridiano offendunt volentes, & Deo lucernam hanc accendente, oculos claudunt, ne videre cogantur. Turpiter ergo impingunt, & sibijpsis errorum atq; interitus authores sunt.

Christus de Lazari morte & resurrectione disserit.

His absolutis transeamus nunc ad alteram huius colloquij partem, qua suum de Lazari tatione consilium & omnem historiæ istius fructum discipulis exponit. Rursum verò obiectum quitur initiò, vt crassam discipulorum ignorantiam magis arguat, & illos ad attentionem tiorem excitet. Sic enim ait: Lazarus amicus noster dormit: sed proficiscor, vt à somno eum. Habent autem hæc verba cuidens diuinitatis veræ argumentum, quod præmissa animi discipulorum in spem futuri miraculi erigerentur, & postea eius considerationem confirmarentur, quæ imbecilla & tenuis admodum in illis erat. Nobis verò non minori obseruandi sunt loci isti, quibus Christi Iesu omniscientia & prouidentia diuina asseritur, consolationem capiamus in periculis aduersus hostis suggestiones, quibus nos à Deo abstrahere persuadere conatur. Deinde, vt nosipsos ad innocentiæ et pietatis studium excitemus, neque nu-

Eccli. 33. Psalm. 94.

rum rationibus falli patiamur, qui in corde suo dicunt: Dominus non videt, neque Deus intelligit. Item: Tenebris circunseptus sum, & parietes mihi præbent latebram, nec quisquam me: Quid ergo metuam? peccata mea non curat altissimus, &c. Qui enim corpore absens Lazarum morte sopitum vidit, non minus nos peccatis indormientes videt, & olim à nobis dictorum factorum omnium rationem exiget. Sed quia de his sæpe iam dictum est, nunc ipsa Christi verba cutiamur, quibus multa insunt, quæ nos de morte iudicare docent, & aduersus eius terrores simam consolationem præbent.

Lazarus Christi amicus post mortem.

Primò Lazarum amicum dicit, eum (inquam) quiiam vita ista defunctus & sepulclusus computrescebat. Ergo amicitia, quæ nobis per fidem cum Christo intercedit, ne ipsa morte dissolui & abrumpi potest. Imò quia in hac animæ ex huius corporis ergastulo liberantur & in vitam æternam transeunt, tunc demum propius cum Christo coniungimur in patria, quam in corpore viuimus, extra illum peregrinari & exulare videmur. Quò Paulus respexit, qui dicebat: Cupio dissolui, & esse cum Christo. Neque ea vox ei temere excidit, qui ipsum Dominum in cruce latroni iam morituro dixisse sciebat: Hodie mecum eris in paradiso. Horum itaque meminisse decet in mortis articulo, ne eius metu superemur. Cur enim illa nobis terrori sit, quæ (vt idem Apostolus ait) siue viuimus, siue morimur, Domini sumus, qui nos sibi eripit mortem? Eodem autem argumento illi quoque confutantur, qui ex aduersis & afflictionibus, quibus ferè pij in hoc seculo exercentur, de illis perperam iudicant, & Deo inuisos esse arbitrantur, quos insolitis calamitatibus affligi, aut aliquo crudeliori mortis genere occumbere videt, dicens: mors ipsa salutiferum illud amoris vinculū non potest abrumpere, quo nos sibi Christum deuinxit? quid hic mortis genus faciat, aut afflictiones aliæ, quas Deus tam pijs quàm impijs pro sua voluntate immittit?

Deinde non tam in sua quàm discipulorum persona loquitur Christus, dicens: Lazarus amicus noster. Vult ergo nostros quoq; amicos censeri omnes eos, quos ipse amicorum loco habet. Quia enim sub Christo capite vnum corpus & eiusdem patris filij sumus, vno deniq; & eodem spiritu viuimus atq; animamur, nullo iure à nobis alienos iudicare possumus, quoscunq; pro suis ille agnoscit. Non ergo quid caro aut mundus hic de aliquo iudicet, sed quo loco quisq; apud Christum sit, videamus, & ita in Christianæ charitatis leges minus peccabimus. Nostros amicos putemus quos Christus pro suis habet.

Tertio, Lazarum dormire ait. At de morte istud intelligi debere, mox Euangelista docebit. Est q; frequens ista locutio in scripturis, & ab apostolis quoque vsurpata, vt in Pauli epistolis non vno loco est videre. Et tale quid in morte etiam gentes agnouerunt, quorũ alij Somnum mortis imaginem, alij fratrem dixere. At quia ijdem Christum & beatæ resurrectionis spem ignorarunt, non aliam habuerunt suorum dictorum rationẽ, quàm quòd dormientes, quoad sensus externos & membrorum vsum, non multùm à mortuis differre videbant. At nobis spiritus sanctus ipsam mortis conditionem & naturam istis locutionibus exprimit, nosq; aduersus eius terrores fortissimè munit. Primò enim docet, eam non interitum esse hominis, vt qui vltimam lineam rerum dixerunt, sed potius quietem non minus dulcem & amabilem quàm necessariam. Vt enim diurnis laboribus fatigati ad somnum se componunt, vt eius beneficio recreentur viresq; nouas colligant: ita huius vitæ laboribus non sine molestia defuncti, mortem obeunt, vt quiete fruantur, quæ in hoc mundo agentibus certa & solida non obtingit. Ideo vox de cælo Ioanni dicebat: Beati mortui qui postac in Domino moriuntur: Etiam dicit Spiritus, quoniam requiescunt à laboribus suis. Vt q; somnus corpus & membra irrigat & robustiora reddit: ita mors ex nostris corporibus mortalitatem aufert, vt viuida magis & vitæ cælestis capacia fiant. Præterea, sicuti è somno resurgunt homines, & ad opera sua redeunt: ita ex morte olim resurgent omnes, vt in corporibus suis recipiant digna suis factis præmia, vt supra Cap. 5. vidimus. Rectissimè ergo mors somnus dicitur, & qui hanc metuunt, aut nimiùm exhorrent, vt quietem suam fugiunt, & puerorum aut ebriosorum vel lymphaticorum similes sunt, ex quibus illos quidem vel stultitia sua vel ludendi cupiditas detinet, hos autem ex somno enascentes capitis dolores terrent, aut horrenda insomniorum spectra, quæ sibi occurrere norunt: quod tamen non somni vitium est, sed ipsorum culpa fit, qui sibi ipsi cerebrum debilitant, ex quo sensus & phantasiæ vel imaginationes originem suam ducunt. Vt verò somnus optatissima quies est ijs, qui sensibus sanis vtuntur: ita quicunq; sana fide præditi in Christo viuunt, ijs mortis hora iucundissima est, in qua animas quidem suas ad Christum colligi, carnem verò sopiri & dissolui norunt, vt & ipsa à labore omni quiescat, & ipsis amplius obstrepere desinat. Mortui dormiunt.

Postremò addit Christus: proficiscor vt à somno excitem eum. Ipse ergo nostræ resurrectionis author est, & qui suum corpus propria virtute excitauit, idem ille nostra quoq; corpora olim excitaturus est, quando ad Iudicium veniet in nubibus cæli. Dixit de hoc ipse plura quinto Cap. & quædã huius generis paulò post sequentur in ipsius cum Martha colloquio. Hoc modò obseruasse sufficiat, tam illi facile fore mortuos excitare, quàm nobis est dormientes expergefacere: & vt vna vox multitudinem eodem loco dormientibus excitandis sufficit, ita vna illa Christi voce atq; tuba Dei olim resuscitabuntur, quotquot vel in terram sepulti computruerunt, vel in aquis perierunt, vel in aere conflagrarunt, vel flammis in cineres redacti, vel ab immanibus Oceani monstris aliisue feris deuorati sunt. Qui enim ex nihilo totam hanc mundi machinam produxit, & ea quæ nusquam erant neq; fuerant, vocauit vt essent: quomodo non minori negotio corpora nostra, quæ nunc sunt & in primam materiam resoluuntur, resuscitaret? Possent ista infinitis scripturæ locis atq; exemplis probari: sed nunc locupletius vsum obseruemus, qui est, ne nos mortis metu ab officio nostro abduci patiamur, quæ animæ læta in cælos migratio, corporis autem placidissima quies est, ex qua olim Christi virtute ad regnum cæleste & æternæ beatitudinis consortium excitabitur. Christus resurrectionis nostræ author.

Nunc ad discipulos redeamus, qui Christi verba non intelligũt, & ideò ineptissimè respondent. Domine (inquiunt) si dormit, seruabitur, id est è morbo conualescet. Solet enim plerunq; somnus in morbis dolores lenire, et spem salutis afferre. Istud verò tam propter Lazarum dicũt, quàm propter seipsos, vt nouum argumentum ex Christi verbis colligant, quo ipsum ab instituta profectione dehortentur. Perinde enim est, ac si dixissent: Cùm somni beneficio fruatur Lazarus, et ideo de eius salute Discipuli Christum non intelligunt.

spes bona sit, nulla causa est, propter quam eò proficiscaris: multò minus profuerit è somno ci-
citare, qui & dolores morbi mitigat, & illum nobis breui restituet. Quàm verò ineptè hæc
quiuis facilè perspicit, & Ioannes quoq; annotat his verbis: Dixerat autem Iesus de morte
verò putauerunt, quòd de dormitione somni diceret. Voluit autem hæc diserte annotari spiri-
ctus, vt in discipulis ingenium & tarditatẽ carnis nostræ agnoscamus, & minus offendamur
huius nobis vel alijs contingat. Adhuc enim à Iudæa sibi metuunt, quàmuis eos Christus
monuerit, & rationibus solidissimis confirmarit. Interim ex ipsius verbis occasionem torqu-
arripiunt, & dum sibijpsis cõsulunt, de Lazari salute verba faciunt. Est hoc carnis ingenium
effugia quæuis mirificè captat, si quid periculi pro Christi nomine est subeundum. Et simile
rum astutia, qui hodie in simili casu Legem de non tentando Deo adducunt: quasi verò Dom
tent, qui eius vocationẽ secuti in periculum incidunt. Sint ergo suspecta nobis quæcunq; car
ne Dei verbo cum scelere abutamur, quod nobis actionum omnium regula esse debet. Admo
terea hæc discipulorum tarditas, non mirum aut insolens nobis debere videri, si qui affectibu
diti, locutiones Christi clarissimas per se non intelligant, & aut literam ineptè vrgeant, aut
contra omnem fidei analogiam in sensum alienum detorqueant. Ecce enim discipuli, qui cum
diutissimè versati erant, locutionẽ istam non intelligunt, qua vix alia in scripturis & in
piorum sermone est frequentior: & de cuius sententia vera singulæ circunstantiæ ipsos admo
terant, cùm de Lazaro sermo esset, quem lethaliter decumbere, ex nuntijs paulò ante audie
Quæ autem huius ignorantiæ causa est? Metus periculi, quod falsa & inepta verborum Chri
terpretatione declinari posse videbatur. Ita hodie multi circa rem Sacramentariam hallucinan
& quàmuis præcipuos fidei nostræ articulos de vera Christi incarnatione & eiusdem ascen
cælos sibi contrarios esse videant, attamen in Cœnæ verbis literam cõtumaciter vrgent, cu
lis tropum admittere cogantur, infinitos scripturæ locos, qui simplicem Christi historiam cum
figuratis expositionibus in sensum alienum detorquent. Quid verò causæ esse dicemus, quo
ueat? Nimirùm, quòd crassam de carnali corporis Christi præsentia in pane mystico sententi
Papistico figmento & iam aliquot seculis recepta doctrina conuenire, & proinde minus pericu
bere vident, quàm nostrã, quæ quòd ἀεροπλατρείαν & totum illum Dei Mayzim cultum
euertat, præsulibus simul atq; principibus, qui in Papæ verba iurauerunt, exosa est, & sa
soribus periculum struit. Non temere ergo Mosi ad Dei colloquium accessuro præcipiebatur
vt calceos exueret: Nam si hodie pecuinos carnis affectus, qui illis figurantur, multi exuerent
cul dubio veritatis doctrinam rectius intelligerent, & contentionibus finis quàm primum impo
tur, quæ ecclesias non sine magno scandalo turbant atq; euertunt.

Christus verba sua interpretatur.

Sed Christum audiamus, qui cùm tarditatẽ istam acriter corripere posset, amicè interpre
quod obscurius dixisse videbatur, & simul causam suæ moræ exponit. Lazarus (inquit) mortuus
Et gaudeo propter vos (vt credatis) quòd non fuerim illic, &c. Gaudere se dicit, quòd non
Bethaniæ, eò quòd totum hoc negotium faciat ad confirmandam discipulorũ fidem, quæ propter
gnatam ipsis infirmitatem nouis quotidè incrementis & fulcris opus habebat. Quia enim
procul absente Lazarus moriebatur, & ad diem quartum vsq; in sepulchro iacebat, priusquã
nire posset, omni fraudis suspicione liberabantur, quibus res ista suspecta esse potuisset, & ipsi
raculum illustrius reddebatur. Quo loco docemur, Christum nostræ salutis curam habere quam
ximè, quando nos negligere videtur. Dum enim in Galilæa subsistit, & interea Lazarus mori
mora ista tam Lazaro profuit, qui tanto miraculo celebris factus est, quàm discipulis, quorum
per miraculum istud fuit confirmata. Et huius generis multa fiunt, quando lætum & felicem
sortiuntur, quæ nos aliquandiu grauiter afflixerunt. At nobis eiusmodi exemplorum hic
debet, vt patienter feramus quæcunq; Deus immittit, & (vt Dauid in Psalmis loquitur) ten
tio ipsum expectemus, qui fidelis est, & nos vltra vires tentari non sinit. Rursum admonemur
hæc Christi verba, ipsum nostra salute gaudere, et proinde eius studiosissimũ esse. Nam propter
pulos se gaudere ait, quòd Bethaniæ nõ fuerit, quòd ideo ad ipsos maior ex miraculo mox
ctus rediturus sit. Potest huius studij argumentum à contrario etiam peti, quando exemplo
quæ illum ex hominũ perditione & cæcitate dolorem concipere docent. Nam Matth. xxvi.

animo commouetur, quando populum oberrare vidit instar dispersi gregis, qui pastorem non habet, Et ad Hierosolymæ conspectum illachrymauisse eum Lucas scribit, cùm imminentis excidij horribilem calamitatem animo suo versaret. Sunt hæc plena dulcissimæ consolationis. Quia enim salute nostra Christus delectatur, illam procul dubio quæret, neq; eam vllis mundi aut principis eius insidijs impediri patietur. Adhæc nostri quoq; officij hæc eius cura nos admonet, vt nimirùm ipsius volũtati & desiderio nos accommodemus: caueamus item ne quos à salutis via reuocãdo ipsum contristemus, iramq; eius aduersus nos accendamus: quæ quàm horribiliter aduersus tales exardescat, ex ijs colligi potest, quæ scandalorum authoribus alibi minatur. Vide Matth. 18.

Restat Thomas, qui cùm in Iudæam omnino eundum esse videret, condiscipulis ait: Eamus & nos, vt moriamur cum eo. Quod quo animo dixerit, non satis constat. Sunt qui illum ex impatientia & cum indignatione locutum esse putant, vt solent, qui vbi consilia sua non admitti vident, scientes vnà cum alijs in manifesta pericula ruunt, hoc vno contenti, si infelix rei euentus probet, ipsos bene & prudenter consuluisse. Et eiusmodi affectus in pios quoq; frequenter incidunt, quò magis nos vigilare decet, ne quid præter officiũ designemus. Quòd si verò hoc superatus ista dixit Thomas, multa reprehensione dignus est, qui Christo tam insolẽter oggannire voluit, cuius dictis simpliciter obedire debebat. Sunt rursum, qui hæc illũ animo iam in fide confirmato dixisse sentiunt, vt reliquos discipulos excitaret, quos adhuc timore & metu impediri videbat. Ita verò zeli incõsiderati exemplũ præbet, qui ferè accenditur, quando Dei verba minus diligenter consideramus, carnis autẽ consilijs nos duci patimur, quæ in quamcunq; partem inclinet, nimia est, neq; vllum habet modum aut frænum, quo seipsam intra officij sui limites contineat. Et tale quid Thomam passum fuisse, ex eo apparet, quòd in mortem ituros ait. Si enim in verba Christi animum intendisset, certam potius concepisset salutis fiduciã, quam ille ipsis in Dei prouidentia & sua luce erat pollicitus. Sed vt vt ista habeant, nos quod Thomæ verba sonant, totis animis & ex vera fide faciamus: vt nimirùm totos nos Christi obsequio consecremus, neq; graue nobis sit, pro eius nomine mortẽ subire, qui vt nos redimeret, extrema quæq; passus est, & regni sui cohæredes faciet eos, qui cum illo pati & mori dignantur. Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

Thomas aut insolentiæ aut zeli præcipitis exemplum.

HOMILIA CIIII.

Venit itaq; Iesus, & inuenit eum quartum iam diem in monumẽto agentem. Erat autem Bethania propè Hierosolymam ferè stadijs quindecim. Multiq; ex Iudæis uenerant ad Martham & Mariam, ut consolarentur eas de fratre suo. Martha ergo ut audiuit quòd Iesus ueniret, occurrit ei; Maria autem domi sedebat. Dixit ergo Martha ad Iesum: Domine, si fuisses hîc, frater meus non fuisset mortuus. Sed & nũc scio, quòd quæcunq; petieris à Deo, dabit tibi Deus.

Ioannes Euangelista resuscitati Lazari historiã singulari diligentia describit, eò quòd multa continet scitu & obseruatu dignissima, inter quæ duo ferè præcipua sunt. Primò veram Iesu Christi cognitionem tradit, quæ vt nostræ salutis fundamentum est, ita nos aduersus crucis scandalum fortissimè præmunit, ne vllis aduersis aut periculis succumbamus. Deinde de morte nos verè iudicare docet, quæ non postrema sapientiæ pars, & propter communem humani generis cõditionem omnibus cognitu perquàm necessaria est. Quicunq; enim de ea aut nunquã cogitant, aut quid ea sit non rectè intelligunt, ij vel affectibus abrepti in omne scelus ruunt, vel mortis terroribus absorpti, eius euitandæ causa nihil non faciunt, quantùmuis inhonestum, nefariũ & impium, & ijdem ferè postremò impietatis atq; scelerum pondere depressi horribiliter desperant. At qui omnem eius conditionem rectè perspectã habent, ij eius recordatione seipsos in officio continent, & cum eius hora imminet, nõ modò communem hanc sortem patienter ferunt, verumetiã resurrectionis & vitæ æternæ spe confirmati, omne periculũ forti & intrepida fidei constantia contemnunt, & nullis rationibus ab obedientiæ officio sese reuocari patiuntur, quo se Deo obstrictos esse norunt. Quare Sirachides non sine causa di-

xit: *In omnibus factis tuis memento finis tui, & nunquam peccabis.* Est ergo multa consid-
dignissima huius Cap. historia, in qua seruator noster, Iesus Christus, verbis simul & facti
quid in hac re sentire debeamus. Et nuper quidem mortis naturam & conditionem obscurum
uius attigit, quando Lazarum dormire dixit, & eundem iam vita defunctum in amicorū
censere dignatus est. At sequitur modò illius aduentus Bethaniam, in quem colloquiū cum
institutum incidit, quo totum mortis & resurrectionis negotium plenissimè explicatur.

Christus uenit Bethaniam.

Venisse verò Bethaniam dicitur Christus, quando Lazarus iam quartū diem in sepul-
bat. Nec dubium est, quin consultò suum aduentum eò vsq; distulerit, vt miraculum illustrius
& minus haberet suspicionis. Est hoc obseruandum, quandocunq; opem suam Deus differ-
mora nobis diuturnior esse videtur. Quia enim nos amat ille, certum est illum in eo etiam
salutis & suæ gloriæ rationem habere: quæ duo cùm nobis cõmendatissima esse debeant, dece-
quoq; moram patienter feramus, quam has solas ob causas Deus facit. Incidūt verò in hanc
aduentum nonnulla, quæ non oscitanter à nobis præteriri debent. Inter hæc primum est hoc
ptio. Dicit enim, Bethaniam, quindecim ferè stadijs, id est duobus ferè millibus passuum
enim stadium passus centū viginti quinq;) ab Hierosolyma abfuisse: & videtur hoc ideo a
Ioannes, vt rationem ostendat, cur multi Iudæorum eò venerint, vt Lazari sorores consol
At simul ad arguendā populi istius contumaciā facit hæc loci vicinia: Qui enim multitud
ostendi petierunt, hoc tam eximio, & quo nullū illustrius fieri poterat, adeò nō mouentur,
eo exacerbati de Christo occidendo consultarint, sicuti circa finem Capitis dicetur. Solet
etiam hodie fieri. Ardent plerig; miraculorū desiderio, & hanc ferè causam adducunt, propter
euangelio minus credant, quòd nullis, vt olim, signis eius prædicatio confirmetur. Interim
ma quotidie & maxima fiunt, clausis quodammodo oculis & surdis auribus prætereuntur:
bitas regnorum mutationes, horribiles tyrannorū exitus, admirabilem ecclesiæ & piorum
nem inter media pericula, & quæ alia huius generis præter omnem expectationem, imò
luctantibus ijs accidunt, qui potentia & authoritate omnibus alijs excellunt. Itaq; qui adm
euangelij effectus videre nolunt, quo multorum oculi illuminantur, multi è peccatorū lacu
pulchris resurgunt, infiniti totis animis mutantur, ij vulgaria illa requirunt, quæ olim propter
mos & rudes facta sunt, neq; animaduertūt ijs non opus esse amplius, quando euangelij veri-
pridem abunde confirmata est.

Allegoria Bethaniæ & Ierosolymæ.

Simul verò elegantem Allegoriam habet ista loci descriptio, quæ nos de multis admone-
ligentius debet obseruari, quòd Bethaniam Christo familiarissimā fuisse scimus. Indemm
cem & mortem profectus est, qua humanū genus redimi oportuit. Ex eodem loco in cœlos a
vt assumptum ex nobis corpus in gloriam diuinam subueheret: vt iam nihil de eo dicamus,
quietiter eò diuertere solitus fuit. Sonat autem Bethania domum afflictionis, & ad montem
sita propè Hierosolymam Christi amicos & hospites habuit. At qualis tunc Hierosolyma fuer
mo ignorat. Spelunca nimirùm latronum, & prophetarum sanguine madida, adhæc hostis Ch
ceptaculum. Admonet ergo hic Bethaniæ situs, quòd vtcunq; aduersus Christum & pios sanct
piorum Synagoga cum principibus suis, nunquam tamen defuturum Christo locum, vbi
tutum hospitium paret, & quò pios colligat, qui in hoc seculo omni aduersorum genere
Imò constat ecclesiam in hostium suorum conspectu oleo gratiæ, id est spiritus sancti dono
non sine miraculo pios cõseruari, dum apud eos etiam in aliquo honore & pretio sunt, qui
extinctum & deletum volunt. Huc enim facit, quòd multi Iudæorum (quos Christo
fuisse ex sequentibus patebit) familiam istam coluerunt, quæ illi sese totam consecrauer
huius generis multa extant. Sic olim inter Chananæorum gentem iniustam & sanguinariam
locum habuit, quando illic sua tentoria tendebāt patriarchæ, quibus cum Deus salutis
rauit. Postea & hospitium præbuit Ægyptus sub duro & iniquo Pharaonū imperio, qui
sem eius vindicem in suo quasi gremio educabant. Pertinet eodem, quòd in Babylonem
tus populus, ibi verum Deum coluit, cuius verbum & cultū impij reges in terra Iuda
rant. Sunt item huius generis exempla priuata, vt Abdiæ, Naamani, Cõstantini, Iouiani
tiniani & multorum aliorum, qui cùm veræ fidei defensores essent, apud eos tamen

habuerunt, quorum consilia atq; conatus ad ecclesiæ Dei & veræ fidei oppressionem tendebant. Et nostro seculo multa fiunt similia, quæ docent, ecclesiam plerunq; suam sedem hostibus propinquam habere. Horum autem nobis hic vsus esse debet, ne in persecutionũ periculis desperemus. Ex his enim constat, impios non semper posse quod volunt, aut quod posse videntur. Christus verò suos vbiuis terrarum, adeoq; in medio luporum tueri potest, eò quòd in ipsos quoq; animos hominum potestatem habet, vt pro sua voluntate eos mutare, mouere, terrere & coercere possit.

Ecclesia non procul distat à patria cœlesti.

Rursum hoc quoq; obseruabimus, ecclesiã quæ in hoc mũdo peregrinatur & militat, & cuius typum olim gessit Bethania, non procul distare à patria cœlesti, quæ Hierusalẽ, id est visio pacis dicitur, eò quòd illic Dei facie coram intuebimur, & pace æterna fruemur. Innuunt hoc ipsum nõ obscurè promissiones, quæ credentes rectà à morte in vitam transire docent: & quod latroni in cruce Christus dixit: Hodie mecum eris in paradiso. Procul ergo facessant illusores, qui hodie scurrili admodũ dicacitate distantiam terræ & cœlestis patriæ dimetiuntur, & quanto temporis spatio opus sit dispatant, vt ad beatitudinis æternæ sedes perueniamus: neq; eo contenti, ipsam quoq; ascensionis dominicæ historiam suis illis dimensionibus vellicant, adeoq; in dubiũ vocant id, in quo nostræ salutis complementum non minima ex parte consistit. Sed eò delabantur oportet, vt cœlos nouos fabricent, qui Christos nouos fingunt. Nos omissis inanibus & superuacaneis de cœlo disputationibus, simpliciter teneamus, cœlestem illam Hierosolymam extra hunc mundum corruptibilẽ esse, simulq; credamus, nullum nobis ex distantia locorum periculum imminere. Nam quantacunque ea sit, facilè fuerit Deo suorum spiritus, corporis vinculis solutos, vno momento illuc subuehere, vt promissa felicitate fruantur. Et huc referri debebat argumentum, quod illi ab omnipotentia Dei petitum rudibus obiciunt, vt carnalem Christi in Cœna præsentiam tueantur, quæ nullis promissionibus Dei nititur, & disertis fidei nostræ articulis repugnat.

Iudæi consolantur Lazari sorores.

Cæterum post loci descriptionem Iudæos producit euangelista, quos miraculi mox futuri spectatores & testes fuisse, postea audiemus, & qua occasione eò venerint narrat. Multi (inquit) ex Iudæis venerant ad Martham & Mariam, vt consolarentur eas de fratre suo. Quo argumento apparet, familiam istam nobilem & præclaram fuisse. Ita enim in hoc seculo fieri solet, vt diuitum & nobilium funera frequenti & celebri multorũ comitatu deducantur, ad pauperum verò vix pauci ex vicinis & contribulibus accedant. Commendatur autem istorum exemplo humanitatis officium, quod vicinis aut quibusuis alijs in funeribus suorum occupatis præstare debemus. Requirit hoc charitas, cuius hanc legem Paulus sancit, vt lugeamus cum lugentibus. Nam vt ab omni humanitatis sensu alienus esse iudicatur, quem aliorum luctus nulla ex parte tangit, vt illis condoleat: ita vix quicquam aliud est, quod nos alijs magis inuisos & exosos reddat, quàm si nos lachrymas & luctum ipsorum lætis aut saltem siccis oculis intueri videant. Deinde suadet hoc propriæ salutis cura, vt aliorum morte & funeribus sortis communis admoneamur, & sic magis excitemur ad cœlestium bonorum & vitæ futuræ considerationem. Vidit hoc Solomon, quando dicebat: Melius est adire domum luctus quàm domum conuiuij: illic enim cernitur finis omnium hominum, & viuens hoc reponit in corde suo. Eccles. 7.

Aduersus sacra pro defunctis.

Atbic imprimis considerandum fuerit, quòd ad consolandum sorores defuncti venerunt Iudæi, non autem vt pro defuncti salute sacra aliqua faciant. Nec enim in veteri ecclesia aliquid horum in vsu fuit, eò quòd de defunctorum salute bene sperarent, & nihil à Deo esset institutum, quo illi adiuuarentur. Est hoc videre in Leuitico, qui cum omnes externi cultus partes diligenter describat, & multas tradat sacrorum species, nusquam tamen pro defunctis sacrificare iubet, aut aliquid præterea facere, quo illorum saluti consulatur. Ex gentibus autem superstitio illa originem duxit, quæ quia animas mœrtis sedibus oberrare putarunt, quoad corpora è quibus migrarunt, sepulturæ honore carent, sacra instituerunt, quibus eas placarent, & ijsdem apud inferos aliquid exhiberent solatij. Et quanatura ad superstitiones, quæ cum nostro honore coniunctæ sunt, proclines sumus, facilè postea inter Christianos error iste locum inuenit, apud quos ferè omnes ceremonias est videre, quæ olim gentibus in vsu fuerunt. At nõ minus noui Testamenti doctrina superstitio ista euertitur. Supra enim quinto Capite Christum de mortuorum statu disserentem audiuimus, quòd quæ in fide vera decedũt animæ, rectà in vitam æternam transeant, neq; vllum subeant iudicium: & idem in Lazari paupe-

ris & epulonis parabola conditionem defunctorum immutabilem esse docet, vt nec damnati in bea-
rum sedes ascēdere, neq; hi ad illos transire possint, vt aliquid solatij ipsis conferāt. Vnde colligimus
piorum quidem animas sacris eiusmodi nequaquam opus habere, eadem autem impijs nihil prodesse,
cùm conditio eorum ob immutabile Dei decretum non possit mutari. Si enim inter piorum & im-
rum spiritus nihil commercij est, quis nō videat absurdum esse, si in corpore agentium officijs eos
leuari dicamus? Potest huc etiā referri, quod supra de latrone diximus, cui Christus propter fidem
qua ipsum amplexus erat, paradisum & gaudium cœleste pollicetur, quàmuis sepulturam eius
sacris vllis neque pompa aliqua celebrem fore sciret. Et Paulus apostolus, cùm Thessalonicenses
scriberet, quid in funeribus fieri & quo officio mortuos prosequi deberent, nihil horum tradit, quæ
stremis temporibus per homines auaros & superstitiosos instituta sunt. Corruit igitur hoc loco
gna regni papistici pars, quæ super ignis purgatorij fundamentum ædificata quæstum vberrimū
lit Monachis & sacrificulis, qui vulgi simplicitate & ignorantia abusi, ex funeribus, perinde
cadaueribus mortuorum corui & vultures, vixerunt. At qui in Christi schola se institui patiuntur,
illos facilè contemnunt, & quia de eorum salute, qui in vera fide hinc cōcesserunt, certi sunt, suffi-
eis, illorū corporibus sepulturæ honorē impendisse, quæ à fastu insolenti simul & superstitione
sit, reliqua verò officia ijs exhibent, ad quos ex illorū morte dolor iustus redūdat, quem illi pijs
solationibus & admonitionibus lenire student. Vbi tamen hoc etiam obseruabimus, Iudæorum
solationes Marthæ & Mariæ non multùm profuisse. Audiemus enim paulò post voces flebiles
lamenti plenas, quibus fratris sui mortem adhuc prosequuntur. At vbi Christus aduenit, & ipsis
illis manum adhibuit, tunc demū dolore omni liberatæ & spe bona exhilaratæ sunt. Solet hoc ipsum
perpetuò fieri. Debent quidem Christiani homines consolandi officium lugentibus impendere. Ad-
dem meminisse debent, nullam consolationem efficacem esse, nisi quam in Christo habemus, qui nos
tri reconcilatos gaudio vero & solido implet, quod neq; mortis terroribus neque vllis alijs ab-
turbari potest. Hinc pax nobis obtingit, quæ omnem mundi intellectum superat, quia & inter
dias afflictiones durat, & mentes hominum sua sorte contentas reddit, vt nihil præterea desideret.
Ideo Paulus in priori ad Thessalonicenses Christianis luctu funebri occupatis Christum propo-
& eos de huius nouissimo aduentu atq; mortuorum resurrectione admonet, vt ex his consolationem
petant, qua se inuicem confirment.

Solius Christi consolatio efficax.

Porrò ad historiæ tractationē redeamus, in qua Martham producit Ioannes, quæ pro suo
sedula & multis simul rebus intenta, prior resciuit Christum aduentare, Maria interim domi
dente. Mox ergo in illius occursum tendit, et quidem clàm, vt ex ijs quæ sequūtur patebit; nimirum
propter Iudæos, quos hostili in ipsum animo esse sciebat. Sic ergo illum reueretur & excipit, vt
importunitate sua in periculum adducere. Commendatur autem huius exemplo humanitas, quæ
spitibus debetur, & cuius obseruantissimi fuerunt, quotquot in scripturis veræ pietatis testimonia
habent. Abrahamum certè aduentantes hospites, quàmuis ignotos & nunquam antea visos, non
renter excepisse, & ijsdē nihil tale petentibus omnia sua officia detulisse, Moses scribit. Quod
de Lotho quoq; narratur. Et Christus hospitalitatem inter ea officia numerat, quæ se in suas
nes ascripturum esse pollicetur: quod Apostolus obseruauit, qui Hebræis scribit: Hospitalitatis
sitis immemores, per hanc enim quidam inscij exceperunt angelos hospitio. At quid opus est scrip-
ras sacras adducere, quando gentes prophanæ hospites Deo imprimis curæ esse senserunt, & ideo
uem ξένιον vocarunt, & inhospitales infamia publica notauerunt. Athenienses verò capitale
bant peregrino petenti viam non ostendere. Quid ergo ei fuissent facturi, qui hospitem immerentem
violauisset? Claruerunt hac virtute olim nostri maiores, à quorum exemplo multi degenerāt, hoc
quibus laus præcipua putatur, peregrinos odisse et in illos omne genus cōtumeliæ effundere; quo
argumento abunde testantur, quàm parum in Christiana pietate profecerint. Nos itaq; Marthæ
imitati, quosuis amicè & reuerenter excipiamus: imprimis autem Christo ad nos venienti occur-
mus studio ardenti, & curemus vt apud nos locum inueniat. Venit ille ad nos per verbi sui præ-
tionem, & in animis nostris sibi hospitium dari petit. Quod vt impetret, eijciamus inde diabolū
impuris affectibus, studeamus autem innocentiæ & sanctimoniæ, atq; fide ardenti ipsum excipiamus,
sicq; salutis in illo veræ consortes reddemur.

Martha Christum excipit prima.

Sed audiamus, quibus verbis Christum Martha excipiat. Domine, inquit, si fuisses hîc, frater meus non fuisset mortuus: Sed & nunc scio, quòd quæcũq; petieris à Deo, dabit tibi Deus. Non ergo in immodicum fletum erumpens turpiter eiulat, neq; insanæ instar capillos laniat, aut in luto prouoluitur, neq; etiam Christum ob moram accusat: sed modestè suam causam exponit, et de fratris morte ita queritur, vt non obscurè testetur, se spem & fidem in Christum nequaquam adhuc abiecisse. Quo exemplo docemur, quomodo nos quoque mortuos lugere debeamus. Vbi imprimis videndum est, ne Deum accusemus, aut ea dicamus, quæ illorum salutem in dubium vocent, aut nos quoq; de Dei ope & gratia desperauisse ostendant. Cur enim Deus accusetur, cui summũ in nos ius est atq; imperium, & qui pro suo iure agit omnia? Imò cur non laudetur, qui ius suum ita temperat, vt bonitate potius quàm suo in nos imperio vtatur? Eripit is ex huius seculi peregrinatione quoscunque ad se colligit, & eos in quietem æternã transfert. Cur ergo hanc ijs inuideamus, si eos verè diligimus? Quoad nos verò, potest ille alios dare patronos & benefactores, qui nobis parentum, fratrum & cognatorum loco sint: & si nullos det, ipsum scimus orphanorum patrem, viduarum protectorem & afflictorum omnium vindicem esse non minus fidelem quàm omnipotentem. Quibus si vitæ æternæ promissiones & beatæ resurrectionis spem coniungas (de qua in sequenti Sermone dicetur) mox querelis omnibus ansam præcisam esse intelliges. Marthæ querimonia de morte fratris.

Elucet tamen in Marthæ verbis magna infirmitas et imperfectio fidei, quæ in fœmina sanctissima locum inuenit, dum carnis affectui indulgens in Dei verbum non satis intenta est. Primò enim ait: Domine, si fuisses hîc, frater meus non fuisset mortuus. Vnde verò hæc illi fiducia? vel num quid tale vnquam Christus promiserat? Nimis ergo audacter istud dicit. Deinde corporalẽ Christi præsentiam putat necessariam esse, neq; talem agnoscit, qui corpore absens diuina tamen virtute vbiq; præsens sit, & vbi vult operetur. Multùm ergo inferior est Centurione, qui minimè opus esse putabat, vt Christus domũ suam subiret, cùm verbo solo eum quiduis facere posse crederet. Adhæc nondum eò vsq; in Christi cognitione progressa est, vt illum propria virtute omnia posse credat, sed singularem Dei amicum putat, qui precibus suis à Deo impetret quæ velit. Sunt hæc magnæ imperfectionis indicia, qualia in multis hodie deprehenduntur. Quid enim aliud faciunt qui dicunt: Si me respiceret Deus, non pateretur me egere, esurire, ægrotare, exulare, & nouis quotidie periculis exerceri? Quotquot item de corporali præsentia Christi contendunt, & hanc ita vrgent, vt & illum prorsus excludi & Dei omnipotentiam negari clament, si quis eam admittere nolit. Ineptiores autem multò sunt, qui immemores illum nobis Mediatorem & intercessorem factum esse, & ad se omnes oneratos & afflictos vocare, Diuis intercessoribus apud illum opus esse arbitrantur, et in illos transferunt quæ solius Christi sunt officia. Agnoscant hæc vitia sua, quicunq; ijs laborant, ne dum ea defendunt & sibijpsis blandiuntur, in maiora paulatim incidant. Interim multæ consolationis plenum est, quòd Martham propter imperfectionem istam non reijcit Christus, neq; etiam verbis durioribus corripit, sed amicè susceptam consolatur atq; instituit, vt in sequenti Sermone audiemus. Nemo igitur de seipso aut alijs facilè desperet. Studeamus autẽ retinere fidei veræ principia, quæ in Martha suum quoq; locum tenuisse videmus. Agnoscit enim Christum Dominũ suum: intelligit Deum cultores suos propitium exaudire: ad illum querelas suas defert, ab eodem opem petit, & quidem per Iesum Christum, cum quo sermonem istum instituit. Qui hæc principia seruant, hi in illius cognitione indies proficiunt, & in eodem salutem æternam consequuntur. Ipsi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen. Marthæ fides imperfecta.

HOMILIA CV.

Dicit ei Iesus: Resurget frater tuus. Dicit ei Martha: Scio quòd resurget in resurrectione, in nouissimo illo die. Dixit ei Iesus: Ego sum resurrectio & uita. Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, uiuet. Et omnis qui uiuit & credit in me, non morietur in æternum. Credis hoc? Dicit ei: Etiã Domine: ego credidi quòd tu es Christus ille Filius Dei, qui in mundum uenturus erat.

INter multa, quæ resuscitati Lazari historia continet, admodum memorabile est Iesu Christi cum Martha colloquium. Duo enim tradit, sine quibus nostræ salutis ratio consistere non potest, doctrinam nimirũ de resurrectione, & Confessionem fidei, quæ plenam atq; perfectam Christi cognitionem comprehendit. Est ergo colloquiũ hoc dignissimum, cuius singulæ partes diligenter excutiendæ sunt, quando sine fide in Christũ salutem inuenire non possumus, & eadem incerta & euanida est fidelium suorum resurrectio accedat, sicuti Paulus in priori ad Corinth. prolixè docet. Porrò initium colloquii istius heri audiuimus, quod Martha dedit, quæ de fratris morte apud Christũ piè quidẽ & modestè conqueritur, sic tamen vt facilè appareat, multa illi adhuc defuisse, quæ ad perfectã Christi cognitionem necessaria sunt. Attamen quia fidei veræ principia habet, & docilem sese præbet, illam non reijcit Dominus, sed amicè consolatur atq; instituit: simulq; exemplo suo docet, vt ipsi quoq; infirmi in fide assumere & cum omni mansuetudine instituere debeamus, vt magis in fide proficiant.

Christus Martham consolatur.

Orditur autem à consolatione, qua dolorem animo conceptũ mitigare studet: eo quòd animus dolore aut alio affectu præoccupatus institutionem non admittit, dum inter cogitationes et curas huc illuc passes peregrinatur. Vt ergo à luctu Marthæ animũ reuocet, & cogitationes lætiores illi obijciat, ait: Resurget frater tuus. Quasi diceret: Non est, quòd fratris morte tam acerbè lugeas, quasi nullus recuperandi spes sit reliqua: Nam à mortuis resuscitatus tibi restituetur, & incredibilis gaudium funderis, quæ nunc tota in luctu & mœrore es constituta. Non tamen hoc disertè eloquitur, sed in genere meminit resurrectionis, vt ampliori disputationi viam sternat, qua ipsam cupidam cognitione & salutis negotio instituere. Est verò probè obseruandum hoc loco, quòd consolatorium argumentum ex resurrectione petit: ita nimirum docens, vt ipsi quoque tam nosipsos quàm alios in funebri occupatos illius consideratione consolemur, adeoq; in mortis articulo cõstituti hac posita ratione fidem nostram confirmemus, quòd olim Christi virtute resurrecturi simus ad vitam atque æternæ consortium. Admonet de hoc admodum grauiter Thessalonicenses suos Paulus apostolus. Cùm enim docuisset defunctos non immodico (vt gentes solent) luctu prosequendos esse, totam nouissimi aduentus Domini & resurrectionis nostræ historiam recitat, & huic tandem ijcit: Consolemini alij alios istis sermonibus. Et sanè non potest aliunde efficacior cõsolatio peti, mò enim vana & fallax est quæcunq; in huius seculi bonis fiducia siue spes collocatur. Dum natura comparatum est, vt non pigeat ea ad tempus expendere aut relinquere, quæ nos cum maiori aliquando recepturos esse speramus. Sic læto animo & alacri sementẽ facit agricola, vt meßis vberioris spem iam ante animo concepit. Sic parentes non grauatim dotes liberis nubentes exteras ablegant, & aliquot annorum moram patienter ferunt, quòd aribus & vsuris restructos ad se redituros sperant, quos rudes omnium & inexercitatos dimittunt. Imò vsurarum illicia auaritiæ mancipia, pecunias non sine gaudio elocant, fœnoris nimirum & lucri maiora mati. Cur ergo graue sit homini Christiano vitam hanc miseriarũ plenam cum cœlesti commutare & corpus hoc morbidum atq; afflictum deponere, quod olim ab omni corruptione liberum & cœlesti donatum recipiet? Potuit hæc olim rectè expendere Iobus, fortißimus ille patientiæ athleta, qui & corporis exulcerati dolores, & mortis immmentis terrores hac spe superauit, quòd terra resurrecturum esse sciebat, &c. Vide locum Iob. 19. cap.

Martha Christi promißionẽ non intelligit.

Cæterum Martha cùm non intelligeret Christum de peculiari & insolita fratris resurrectione loqui, quæ mox futura sit, sed de vniuersali tantùm, se quodammodo rideri putat, & ideo prolixiorem istam extenuans, respondet: Scio quòd resurget in resurrectione, in nouißimo illo die. Quasi diceret: Quid tu mihi nunc de resurrectione verba facis, quasi eam hactenus ignorauerim, aut de ea quam dubitarim? Scio equidẽ illam fore, & tunc Lazarũ quoq; vnà cum alijs resuscitatum iri miter credo. Sed quid hoc iuuat ad eum dolorẽ leniendum, quem inde sentio, quòd quoad hic vixerit fratre dulcißimo carere cogor, sine quo ipsa vita mihi acerba est? Rursum ergo suam infirmitatem prodit Martha, & præterea suo exemplo docet, quàm noxium sit, Christi promissiones non accipere. Hæc enim causa est, quòd hodie etiam multi non modò minus proficiunt in fide, verùm se rideri arbitrantur, & ideò ipsi quoq; Dei verbum cum risu & contemptu excipiunt, quando morbos, egestatem, exilij labores et persecutionum pericula de Dei gratia bene sperare iubemur. Respondent enim: Scimus equidẽ, hæc in scripturis promitti: sed quando ista videre & ipsi fidelium

Nimirum in die illo nouissimo, qui quando venturus, aut num aliquando futurus sit, nescimus: Et vt tunc omnia ista nobis obtingant, quæ nunc ex illis ad nos redit vtilitas, qui interea exulamus et incertis vagamur sedibus, egemus, esurimus et nouis quotidie periculis obijcimur? Audiuntur eiusmodi voces hodie ex multis, & interdũ verè pijs tale quid extorquet doloris impatientia & indignimpiorum successus. Sed tunc cogitemus veracem esse Deum, promissis verò eius conditionẽ hanc adiunctam esse, quòd læta tristibus misceri & diuinam protectionẽ aliqua afflictionũ & crucis amaritudine cõdiri oporteat, ne caro securior facta, à Dei vijs exorbitet. Addamus his, quòd etsi plenior redemptio aliquandiu differatur, nihil tamẽ Dei promissis decedet, et quæ olim futura sunt, nobis perinde quasi præsentia coràm sisti, vt aliquo illorũ fructu in spe fruamur, quæ nos pudefieri non sinet.

Martha fidei principia tenet.

At quoad Marthã, rursus in ista infirmitate veræ fidei principia elucent. Primò enim nouit et fatetur fore aliquando nouissimũ diem & finem mundi, quem olim præcipui philosophi negarunt, & hodie etiam multi negant, qui nihil præter hoc seculum sapiunt, & in eius voluptatibus spem omnẽ collocant. Deinde mortuorum resurrectionem fore credit, quæ tunc à Sadducæis negabatur palàm, quorũ opinionẽ pleriq; diuites atq; potentes sequebantur. Et quia resurrectionem vniuersalem credit, ex ea fratris quoq; sui, adeoq; singulorum hominum resuscitationem colligit. Imò scire se ait ea, quæ tunc acutissimi philosophi & celeberrimi sapientiæ professores ignorabant. Vnde verò hæc scientia mulieri obtigerat, quæ non in literis instituta, sed in re domestica semper occupata fuerat? Nimirum ex Dei verbo, quod cum reliquis pijs audire solebat. Hoc enim fide apprehensum de occultis hi sce mysterijs adeò certam fecit, vt se scire dicat, quod nec rationis acumine, neque vllo corporis sensu deprehendi potest. Imitemur nos exemplum istud, & infirmi licet, prima religionis capita firmiter teneamus, neque quicquam de eorum cognitione & veritate dubitemus, quæ Dei verbo tradita esse scimus, quàmuis illa sensibus nostris non sint exposita, & à plerisq; alijs negentur.

Mortuorũ resurrectio semper credita in populo Dei.

Docet præterea locus iste, mortuorum resurrectionẽ in populo Dei à pijs semper receptam fuisse, vt de eius fide nemo dubitarit vnquam. Quod enim Martha in præsenti pro vero et confesso recipit, hoc vulgo pios omnes semper facticasse cõstat. De Abrahamo Apostolus ad Hebræos testatur, quòd Isaacũ filium ex Dei mandato immolare voluerit, quia non dubitaret, eum sibi ex mortuis restitui posse. At quomodo hoc sperare fuisset ausus, nisi mortuorum resurrectionem credidisset? Iobus etiam eo, quem supra adduximus, loco illam prolixè fatetur, nec aliquis collocutorum eius ipsi in illo contradicit, quàmuis reliqua eius omnia nimis odiosè vellicarent. Et Ezechiel propheta argumento à resurrectione ducto captiuos in Babylone consolatur, ne dubitẽt se aliquãdo inde redituros esse, cùm e mortuis resurrecturi sint. At infirmum, adeoque ridiculum fuisset argumentum istud, nisi resurrectio mortuorum publico omnium consensu fuisset approbata. Nec mirum est, sanctos homines istud firmiter credidisse, qui animas immortales esse sciebant, & Deum frequenter dixisse nouerant: Ego sum Deus Abrahami, Isaaci & Iacobi, quos è vita iam olim emigrauisse nemo ignorabat. Habebãt item infinitos scripturæ locos, quibus resurrectionis articulus euidentissimè asseritur, quales sunt qui Psal. 16. Isa. 26. Daniel. 12. & alibi inueniuntur. Videbant præterea Dei iustitiam hoc flagitare, vt in futuro seculo pij præmia recipiant, impij verò scelerum pœnas exoluant, cùm in præsenti hac vita retributio rara, & vel nulla omnino, vel certè mancæ & imperfecta sit, vt alibi prolixè ostendimus. Adhæc non potuit eis incredibile aut impossibile videri id, cuius exempla infinita nobis in rerũ natura proponuntur, vtpote in semente, in plantis, in arboribus, in fœtus conceptione & partu, in somno & vigilia, in multis deniq; alijs, quæ cùm nostri ingenij captum longè superent, fiunt tamen quotidie, vt ea nemo negare possit. Sunt ergo reuera impij et indigni qui inter Christianos homines ferantur, quicunq; mortuorũ resurrectionem vel negant seriò, vel cum risu exagitant. Faciunt hoc Epicuri de grege porci, qui simul omnia hominis æterno somno premi cupiunt, eò quòd male sibi conscij Deum iudicem horrent, & quia eius iudicium non omnino negare possunt, hac saltem spe sibipsis animum faciunt, quòd futuræ damnationis metum vanum esse sibi persuadent, quando corporum resurrectio nulla vnquam futura sit. Sed quàm miserè seipsos fallant, olim magno suo malo experientur.

Ezechiel. 37.

Christus cũctis Marthæ erroribus medetur.

Porrò Christum audiamus, qui vt alibi suorũ infirmitate bene vtitur, ita hîc quoq; ex Marthæ verbis occasione sumpta, totum salutis negotium ei patefacit, & quod illa in genere credebat, ad rem

præsentẽ accõmodans, simul omnibus eius vitijs siue erroribus medetur. Nam vt audiuimus vi... primò Christũ arbitrabatur nõ propria virtute facere quæ faciebat, sed præ alijs hominibus De... pitio vti, & proinde ab illo quæcunq; vellet accipere. Deinde non credebat fratrẽ vnquam in v... rediturum, priusquàm nouissimus ille dies illuxisset, quo vniuersalis omniũ mortuorum resur... futura est. Præterea mortiin eos quoq; ius & imperium esse putabat, qui in Christum credũt. O... bus ergo istis erroribus occurrit Dominus, dicens: Ego sum resurrectio et vita, id est, sum vir... Dei resuscitans & viuificans, qui per meipsum & propria virtute, non aliena, vitã cõfero, ex m... excito, & viuificatos seruo, ne iterum moriantur. Ideo fratrem quoque tuum iam nunc vi... viuum restituere possum, vt minimè putare debeas te inanibus promissis ludificari. Imò, vt qu... & quæ sit in me credentiũ conditio rectè intelligas, ita rem accipe: Quisquis in me credit, etiã... tuus fuerit quoad corpus morte hac temporaria, viuet tamen quoad animam, & beatitudine... terna fruetur: Rursus, omnis qui viuit, id est, quisquis vitæ huius, quã ego confero, semel... ctus fuerit, ille nõ morietur in æternum: ea nimirũ morte, quæ homini exitium affert, & ip... animã æternis cruciatibus occidit. Ita verò ostendit, veteres omnes qui in ista fide quoad corpo... tui sunt, apud Deum quoad animas viuere: & rursus eos omnes, qui nunc viuunt, per hanc ip... dem seruari, ne eam mortem subeant, quæ verè mors dici meretur. At hìc primùm obseruabis... de temporaria fratris vita solicitã Christus in sui cognitione instituit, & ad æternæ vitæ prom... nes remittit, vt eius spe confirmata, mortẽ non timere discat, neq; fratrem hac vita defunctũ... dicè lugeat. Est hoc præsentissimũ aduersus omnes huius seculi afflictiones antidotũ. Quisquis... Iesum Christũ vera fide apprehenderit, & in vitæ æternæ spem animũ erigit, is & Deo propitius... tur, & in medijs angustijs consolationẽ sentit dulcissimam, quæ ipsum neq; malorũ pondere oppr... neq; mortis terrore absorberi sinit. Et hoc est vnicum illud, quod solũ necessarium esse, Christus M... thæ alibi dixerat, cùm circa rem domesticã occupata indignius ferret, se à sorore Maria non ad... uari, quæ ad pedes illius sedens verbũ audiebat. Quod vnum si hodie sibipsis homines proponer... multis profectò molestijs sese liberarent, & intrepida fide omnes huius seculi afflictiones superar...

Christus resurrectio & uita.

Deinde singulari diligentia considerari debet hoc loco, quis Christus sit, & quid in eo nobis conferat. Primò resurrectionem se esse dicit, nimirum ad Adami lapsum respiciens, in quo omnes cidimus, & peccati mancipia facti sumus, cuius stipendium est mors. Vt enim Adamus hucusq... nostra ruina dici meretur, sic resurrectio nostra Christus est, eo quòd ex peccati nexibus liberat... ritus sui virtute regenerat, & salutis suæ nimiùm securos excitat nouisq; viribus instruit, ne... catorum et mortis seruitio suscitati, in ipso vitã nouam viuamus. Itaq; ipsum salutis nostræ p... pium est Christus: quia nisi ille nos suscitet, in peccatis & perditione perpetuò iacebimus. Q... obseruandum erat, qui nostri arbitrij viribus & libertati hoc tribuunt, & ita Christũ prima q... spoliant, qua illũ pater æterno suo decreto exornauit. Deinde Vitã quoq; se esse ait: idq; ex pru... quitur. Quia enim mortem vicit eumq; aboleuit, qui mortis habebat imperiũ, non potest non... locũ vita succedere: in qua idem ille nos seruat atq; tuetur, ne vnquam excidamus. Nam vt ... præcedenti audiuimus, bonus ille & fortis pastor est, qui oues suas ex manu sua eripi non patitur... quoad mortem temporariam, ea non hominis interitus, sed animæ transmigratio in vitam, cer... autem obdormitio siue somnus est, post quem olim resurget, vt vnà cum anima regni cælestis g... fruatur æternumq; viuat. Vt ergo salutis nostræ initium Christus est, ita eiusdem ille cursus a... uator est perpetuus, & proinde hæc gloria ipsi vni in solidum transcribi debet. Quod qui non c... uant, fere incerti & dubij fluctuant, dum nouas quotidie salutis rationes comminiscuntur.

Christus credentibus uitam confert.

Indicat præterea his verbis Dominus, ad quos hæc tanta bona pertineant, quorum ipse mi... thor est. Ad credentes nimirum, qui per fidem ipsum agnoscunt atq; recipiunt. Credendi enim ... bum secundò repetit, & quidem solum, vt ostendat, nihil præter fidem in nobis esse, quod nos... consortes faciat. Hæc enim medium seu organum est vnicum, quo Christus apprehenditur. E... nos ipsi inserit, & ipsum nobis coniungit, vt in nobis spiritu suo viuat atque operetur. Et v... ipsum in filios Dei adoptamur, ad quos regni cælestis hæreditas pertinet: ita ex ipso, qui ca... strum est, spiritus vitæ in nos dimanat, qui nos ad omne bonum idoneos & propensos reddat. ... passim solam fidem à nobis requirit, & per eam nos iustificari & viuificari scriptura omnes ...

mi consensu docent. Neque ideò bonorum operum studium damnatur, vt quidam ex fidei doctrina malè colligunt. Quia enim fides nos Christo inserit, in quo ad vitam nouam resurgimus, eadem bonorum operum fœcundissima mater est, & sola tam nobis quàm operibus nostris apud Deum gratiam conciliat, vt coram eius iudicio comparere possimus. Interim cauere nos decet, ne nostrorum operum meritis gloriam salutis nostræ transcribamus, quam vni & soli Christo deberi paulò ante demonstrauimus.

Porrò vt fidem magis cõmendaret Dominus, interrogatione Martham vrget, qua fidei istius confessionẽ quoq; ab ea elicit, Credis ne (inquit) hoc? Ita verò innuit, hæc necessariò credenda esse ijs, qui seruari volunt: fidei verò coniungendam esse confessionem, ex qua publicè omnibus pateat, quæ nam sit fides nostra. Quia enim ipsa veritas est & Christus, simulatores & hypocritas odit, neq; ferre potest, vt nos ipsius pudeat, quem non puduit nostri & infirmitatis nostræ, vt nos saluos faceret. Et nota est Pauli sententia: Corde creditur ad iustitiam, ore autem fit confessio ad salutem. Obseruent igitur hoc Christi exemplum verbi præcones, vt non obiter modò salutis mysteria doceant, sed docendo in ipsos quoq; animos auditorum penetrent, & fidem confiteri cogant, non quidem externa vi, sed euidenti veritatis doctrina, qua nihil ad animos cogendos efficacius excogitari potest. Fidei coniungẽ debet cõfessio.

Sensit hanc Martha, qua illico exclamat: Etiam Domine. Et mox ampliorem suæ fidei declarationem subijcit, dicens: Ego credidi, quòd tu es Christus ille Filius Dei, qui in mũdum venturus erat. Est ergo docilis admodum & ad credendum facilis Martha: in eo tamen adhuc suam infirmitatem prodit, quòd iam ante se credidisse putat, quæ modò ipsi dixerat Christus. Atqui diuersum multò ipsius verba testantur, sicuti supra vidimus. Euenit hoc ipsum multis hodie, qui quando Euangelium de Christo prædicatur, semper se ita credidisse aiunt. Sed longè aliud opera & ceremoniæ ipsorum testantur. Si enim in vno Christo salutis suæ fiduciam collocarunt, cur simul suorum operũ meritis, Diuorum intercessionibus, sacrificulorum precibus conductitijs, bullis item & Indulgentijs Papalibus confisi sunt? Si Christi sanguine se à peccato omni mundatos esse crediderunt, cur purgatorij ignis lustrationem formidarunt? cur illius cruciatus horribiles Missis & anniuersarijs sacris redimere conati sunt? Si imaginibus nihil diuini ineesse putarunt, cur illis vota nuncuparunt, cur eas adorauerunt, cur gratiam Dei apud illas potius quàm alibi quæsiuerunt? Sed est & hæc ouiũ Christi simplicitas, vt tunc etiam recta via se ingredi putent, quando per auia & ambages nocentissimas oberrant. Quò magis nos aduigilare decet, ne nostris bonis intentionibus nosipsos fallamus, sed solius Dei verbum sedulò sectemur. Martha fidem confitetur.

Quoad verò ad confessionem Marthæ, duobus membris ea constat, quibus veram Christi cognitionem comprehendit. Primò illius essentiam explicat, quando Filium Dei dicit. Atqui non ignorabat hominem quoq; esse ex Maria virgine natum. Agnoscit ergo in vna & eadem persona Deũ & hominem esse, qualem omnis scriptura docet. Altero officium illius describit, dicens Christum, id est, unctum illum esse, qui in mundum venturus erat. Vngebantur autem antiquitus reges & sacerdotes. Eum ergo esse fatetur, quem Deus æterno suo decreto populi sui regem & sacerdotem æternũ constituerit. Et non temere addit: Qui in mundum venturus erat. Ita enim ad promissiones & prophetarum vaticinia respicit, fidemq; suam scripturæ sacræ testimonijs cõfirmatam esse docet, ne quis confessionem istam ipsi temere in ore natam esse arbitretur. Paucis nunc perstringimus, quæ de persona & officio Christi prolixè exponi poterant: quia de his supra Cap. 6. & in Marco nostro plura diximus. Illud hîc obseruemus, non sufficere qualemcunq; Christi confessionem, sed talem à nobis agnosci oportere, qualem olim prophetæ & Apostoli prædicarunt, verum scilicet & æternum Dei filiũ, qui in carne manifestatus omnia ea obiuit, quæ ad humani generis redemptionem fieri oportebat, et nunc in cœlis ad dextram patris sedet Rex & sacerdos noster, vt pro nobis intercedat, nos tueatur, & olim sui regni hæredes atque consortes faciat. Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen. Marthæ confessio qualis.

HOMILIA CVI.

Et cùm hæc dixisset, abijt, & clàm uocauit Mariam sororẽ suam, dicens: Magister adest, & uocat te. Illa ut audiuit, surgit citò, & uenit ad

ad eum. Nondum autem uenerat Iesus in uicum, sed erat in eo loco, ubi occurrerat ei Martha. Iudæi ergo, qui erant cum ea in domo, & consolabantur eam, cùm uidissent quòd Maria citò surrexisset & exiuisset, secuti sunt eam, dicentes: Abijt ad monumentum, ut fleat illic. Maria ergo cùm uenisset eô ubi erat Iesus, uiso eo, accidit ad pedes eius, dicens ei: Domine, si fuisses hîc, non esset mortuus frater meus.

QVemadmodum Iesus Christus vnica ad salutem & vitã æternam via est: ita per ea la fide ambulamus, qua apprehensus nos salutis & vitæ consortes reddit: & ideo non scriptura nos per fidem iustificari & seruari docet. Opus ergo est, vt in fide & cognitione Christi ligenter & probè instituamur, & præ alijs considerari debent illi loci, qui hanc doctrinam con Est inter hos non postremus, quem nuper in Christi colloquio cũ Martha habito vidimus. P enim & perfectè seipsum ille describit, & quid ex ipso sperare debeamus ostẽdit, simulq; ex M fidei confessionem elicit, quæ similiter docet, quid de illo credere, & quod ipsum publicè coram bus confiteri debeamus. At quia non sufficit confessio quæ ore fit, nisi huic vita quoque & mor ueniant, commodè in præsenti nouum Christi cum Maria colloquium subijcitur, cuius circum tiæ docent, quibus factis seu operibus, qui credunt, fidem suam publicè testari debeant.

Martha sororẽ accersit.

Hîc verò rursum primæ partes Marthæ tribuuntur, quæ in fide plenius iam instituta, domum festinat, & sororem accersit. Quod illam ex Christi iussu fecisse non est dubium, nisi dacem dicere velimus. Disertè enim dicit Mariæ: Magister adest, & vocat te. Quis ver tet eam mentiri, & mendacium Christi nomine velare voluisse, quæ ex recenti colloquio fidei veræ flammas conceperat? Clàm verò hoc illi dicit, nimirum propter Iudæos, ex nonnullos erga Christum hostili animo esse sciebat, sicuti nuper quoque diximus. Attamen occasione factum est, vt illi excurrerent, & miraculi testes fierent, qui fortassis non egressuri rant, si Christum aduenisse sciuissent. Et apparet hoc loco, quæ sit piorum inter huius seculi & hypocritas conditio. Vt enim vbique insidiatores habuit Christus, neque semper tutum fuit aduentum siue præsentiam quibusuis denuntiare: Ita nunquam desunt, qui pijs insidias illorum dicta & facta obseruant, vel etiam de illis capiendis & occidendis consilia ineunt. Et in publico uersari liceat adulteris, scortatoribus, ebriosis, aleatoribus, imò etiam homicidis, iuris & omnium sacrorum contemptoribus, soli pij latebras quærere coguntur, neque sine lo in publico comparere audent. Sed neminem ista offendere debent, quando eandem filij Dei tem fuisse videmus. Soletur autem quòd ille suos tuetur, vt sub vmbra alarum suarum tuti scant, quos mundus tanto tamq; immani consensu persequitur: & si quid indignius patiuntur, omne cœlestiũ bonorum remuneratione compensat, quando sui regni consortes facit eos, qui cru afflictionum eius socij esse dignantur.

Fideles cupiunt salutis socios habere.

Quoad verò præcipuum huius loci caput, memorabile admodum est, quod Martha non sine cris & gestientis animi significatione sorori aduentum Iesu Christi nuntiat, & ipsam quoq; in eius cursum venire cupit. Est hic veræ fidei effectus, quòd non contenti, si nos in Christi cognitione & lutis negotio profecisse, videamus, simul multos etiam alios eiusdem salutis consortes cupimus bere. Et est hæc bonorum cœlestium natura, vt cùm reliqua ferè nobis inuidiæ & æmulationis ces subministrent, illa suo gustu excitent, vt ipsi nobis spontè socios quæramus, adeoque nos ab præueniri & superari gaudeamus. Cuius rei exemplum in Mose habemus, qui cùm Iosue indig ferret Eldadum & Medadum spiritu Dei afflatos prophetare, & eos prohibere cuperet, ei istud Mosis authoritati aliquid derogaturum putaret, illi respõdit: An tu zelaris pro me? Vtinam vniuersus populus Dei prophetet, & det Dominus spiritum eius super eos. Et Paulus Apostolus eos etiam patienter ferebat, qui æmulationis spiritu excitati Euangelium prædicabant, eò quod ipsos quoque regnum Christi videbat promoueri. Sunt hoc affectu præditi quicunque Christum ra fide apprehenderunt. Quia enim seipsos abnegarunt, & solius Dei gloriam omnibus alijs anteponunt, nemini mortalium salutem inuident, cùm sciant Dei gloriam non alia ratione

Num. 11.

propag

propagari, quàm si salutem in filio eius exhibitam quàm plurimi assequantur. Hunc ergo finem studiorum suorum sibi propositum habent, huc omnia sua dirigunt, vt quosuis obuios Christo lucrifaciant, & ita Dei nomen sanctificent, sicuti ex Christi mandato precantur. Etsi verò hæc cura ad omnes priuatim pertineat, imprimis tamen officij sui hic meminerint, quos salutis aliorũ vel ministros vel custodes Deus fecit. Inter quos primum locum verbi vel euangelij præcones obtinẽt: qui si Christum amant, in omnem euentum parati erunt, vt vel nouas illi oues quotidie adducant, vel iam adductas in officio contineant. Talem fuisse Paulum constat, qui & omnia omnibus fiebat, & omniũ ecclesiarum curam suis humeris incumbere arbitrabatur: nimirùm quòd ipse Christi amore accensus eam sibi imposuisset. Imitentur hunc ministri ecclesiarum, & simul ad Marthæ exemplum omnibus, quos vel in luctu nimio, vel in voluptatũ visco, vel alijs studijs desidere, & officij sui non satis memores esse vident, occinant: Dominus adest, magister te vocat: quin ergo ad illius occursum accingeris? &c. Deinde idem faciant priuatim parentes & qui parentum loco sunt, Nam & hi tunc demum officio suo defungentur, & rebus suis optimè consulent, si liberos suos & domesticos omnes ad Christum excipiendũ excitent, neq; eos in turpibus & noxijs carnis studijs torpere vel corrumpi patiantur. Vtrisq; verò hic manum præbeant principes, & quicunq; in magistratu sunt, vt publica authoritate eos coerceant, qui vel parentũ pijs monitis reluctantur, vel etiam verbo Dei audacius obstrepunt. Quia enim sui populi gubernationem illis Deus commisit, & eosdem gloria, potentia & authoritate armauit, turpe & iniquum nimis fuerit, si Dei gloriam intercidere, & ab illo eos deficere patiantur, qui ipsi vni consecrati esse debent. Curent ergo vt intra suæ ditionis fines Dei verbum purè prædicetur, fides vera vigeat, cultus sit syncerus, morum disciplina regnet, ne cuiusquã licẽtia Dei honorem in periculum adducat. Fecerunt hoc olim sanctissimi reges, Dauid, Solomon, Iosaphat, Ezechias, Iosias, & quotquot alij in scripturis veræ pietatis nomine commendantur. Et qui inter Christianos principes feliciter regnarunt, Dei gloriam sibi cumprimis cordi esse voluerunt, eò quòd hac collapsa, suam quoq; authoritatem vnà cum republica rituram esse viderent. Quotquot autem è contra curam hanc nihil ad se pertinere putarunt, ij Deum sibi aduersum esse senserunt, & eorum imperia plerunq; aut periculose labefactata, aut omnino euersa sunt. Et sanè, si verum fateri libeat, præcipua malorum nostri seculi causa est, quòd paucos inuenire licet, qui vel Dei vel publicæ salutis causam seriò agant. Plerique enim ministrorũ verbi, vt vel eruditi videantur, vel neminem offendant, conciones suas ad ostentationem artificiosè instituunt, & loco salis euangelici mellita pharmaca & saccaro conditam blandiloquentiam admiscent, qua in Christi occursum pauciss imos excitant, multos autem in peccatorum luto detinent, simulq; fidis ministris (si qui sunt reliqui) suam authoritatem labefactant. Magistratus verò & principes religionis causam, nisi cum quæstu coniuncta sit, nihil ad se pertinere putant, & dummodo suum in quosuis ius ipsis saluũ sit, susq; deq; ferũt, quid plerig; de Deo eiusq; cultu vel credant vel loquantur. Eadem patrum est negligentia & aliorum omnium, qui iuuentutis curã susc episse videri volunt. De priuatis verò hominibus quid attinet dicere, qui neq; ipsi à quoquam admoneri volunt, neque aliorum emendationem quærunt, sed ex eorum perditione voluptatem capiunt? Sunt hæc seculi corruptissimi indicia, quale nouissimum fore Christus prædixit, in quo cum fide charitas quoq; extinguatur. Et poterant ista fusius tractari, sed quia alio loco id commodius fiet, hæc modò annotauisse sufficiat.

Christus extra uicum Bethaniæ subsistit.

Quid autem Maria, vbi Christum venisse audit? Surgit citò, & extra vicum ad illum excurrit. Fuit autem eò exeundum ipsi, eò quòd Iesus nondum ingressus erat vicum, sed illic loci subsistit, vbi Martha ipsi occurrerat. Quod illum consultò feciss e non est dubium. Captauit enim occasionem, qua miraculum non modò cõmodius, sed maiori cum fructu ederet, multis nimirùm eò vsq; eductis, qui fortassis ipsum cõspicati noluissent exire. Deinde quia in patris vocatione erat, noluit vel cibum capere, vel ex itinere fessus quiescere, priusquam opus illud perfeciss et, cuius ergò venerat. Docet autem suo exemplo, vt ipsi quoq; Dei gloriam priuatis negotijs anteponamus, & ne cõcessis quoq; bonis vtamur, donec nostro erga Deum officio defuncti fuerimus. Peccant in hoc vehementer, qui ne quid ipsorum commodis decedat, officium facilè negligunt, & sæpe cõuiuij lautioris gratia, aut vt somno non multùm adhuc necessario fruantur, pulcherrimas occasiones præterlabi sinunt, quibus magno cũ fructu vti poterant, si syncero Dei amore arderent. Sed hic nos Christi exemplum excitet, qui cùm

hîc tum alibi Dei patris gloriam & hominũ salutem, cuius ergò in mundum venerat, priuatis re-
bus omnibus præferrre solitus fuit. Quod vt ipsi quoq; faciamus grauiter admonet, Matth. 6. dicens:
Quærite ante omnia regnum Dei & iustitiam eius, & reliqua omnia vobis adijcientur.

Maria Christũ agnouit magistrum suum.

Sed ad Mariam redeamus, in cuius exemplo hæc consideranda veniunt. Primùm, quòd sola
Magistri nomine audito, quis nam ille sit intelligit. Atqui multi tunc inter Iudæos fuerunt, qui
Rabbinorum & Magistrorum nomen sibi ambitione prorsus intolerabili vendicabant, sicut
Christi sermonibus apparet, quibus illorum insolentiã accusat. Constat ergo ex hoc facto, quem Ma-
gistrum familia ista agnouerit: nimirùm vnum Iesum Christum, cui se totas vnà cum suis omni-
sorores istæ consecrauerant. Id verò ex Dei præscripto fecerũt, qui per Mosem olim præceperat,
prophetam illum magnũ audirent, quicunq; vellent salutem consequi. Quod ipsum nobis etiam præ-
cepit, quando cœlitus vocem illam consolationis plenam intonuit: Hic est filius ille meus dilectus,
quo placatus sum: Ipsum audite. Et ipse Matth. 23: cùm scribarum ambitionem grauiter repre-
disset, mox addit: Vos autem ne vocemini Rabbi: vnus est enim doctor vester, nempe Christus: om-
nes autem vos fratres estis. Item: Ne vocemini doctores: vnus enim est vester doctor, nempe Chri-
stus. Obseruauit hoc admodum diligenter Paulus, qui cùm Corinthiorum ecclesiam ista occasione
sectas diuersas scissam esse audiuisset, quòd ab euangelij ministris alij quidẽ Paulini, alij Cephi,
alij Apolloniani dicerentur, illos vehementer accusat, & ministros ita in pretio habendos esse dicit,
vt interim omnis fidei & salutis nostræ gloria soli Christo transcribatur. Quod si posteri diligenter
obseruassent, minus superstitionum haberemus hodie, neq; in sectas scissi fuissent, qui sub vno ca-
Christo ecclesiæ vnitatem inuiolatam seruare debebant. Est ergo perpetua laude dignum exem-
plum huius familiæ, & debent illud imitari quicunq; Christiani volunt dici, vt vnũ Christum ap-
scant magistrum & doctorem suum, huic se totos consecrent, neq; vllos alios audiant, qui hanc gla-
riam vel sibijpsis vendicare audent, vel quocunq; prætextu in alios transferunt.

Maria Christo occurrit.

Deinde audito magistri nomine, & se ab eo vocari audiẽs, mox surgit, vt in eius occursum ex-
rat. Ergo non inani modò magistri nomine Christum dignata est, sed eidem obsequium & reue-
tiam deberi intellexit. Ideo omnem moram abrumpit, & nullis rationibus mouetur, quæ illam de-
nere poterant, si carnis consilio voluisset vti. Nam ex Iudæis, qui ipsam consolabantur, alij Chri-
fauebant, alij hostili in illũ animo erant præditi. Inciuile ergo poterat videri amicos subitò de-
& nulla indicata causa ex ipsorum conspectu abire: hostibus autem aliquã præbere fidei in Chri-
suspicionem, cum præsenti periculo coniunctum erat. Attamen nihil disputat, nihil consultat, sed
ficij, quod Christo debebatur memor, absq; omni mora ad illum excurrit, & simul relictis consola-
ribus Iudæis, ad eum contendit, qui ipsissimus gratiæ fons est, & solus veram consolationem ante
mœstis atq; languentibus potest adhibere. Decet hoc ipsum fideles omnes, ne quas moras nec-
quando se à Domino vocari audiunt, & sunt huius generis exempla multa, quæ vt istud fa-
monent. Sic Deum vocantem absq; omni mora secutus est Abraham, quàmuis & natale solum
rere, & exilij voluntarij molestias subire, & nouis quotidie periculis se obijcere, imò tandem fi-
quoq; dilectissimum immolare iuberetur. Sic apostoli à Christo vocati, mox relictis parentibus
tijs, telonijs, alijsq; rebus omnibus, sese ei morigeros præbuerunt. Et vt horum obedientia illi pla-
ita vehemẽter ipsi improbatur eorum cunctatio, qui ipsius mandatis suas rationes opponũt, & p-
faciundum sit disputant, quando diserto Dei verbo ad aliquid vocantur. Mosi certè illum ho-
causam iratum fuisse scimus, & in euãgelio eius excusationẽ minimè admittit, qui ab ipso vocatus
patrem prius sepelire volebat. Nos ergo sanctos Dei cultores & Mariæ istius exemplũ imitan-
& imprimis caueamus, ne ementitis & pharisaicis humanarum traditionũ figmentis, aut vanis
perstitiosorum hominũ consolationibus & promissis detineri nos patiamur, quò minus ad Christum
properemus, in quo vno salus certa & efficax consolatio inuenitur, quæ omnes mundi huius & ma-
tis terrores discutit.

Iudæi præter suam sententiã ad Christum extrahuntur.

Porrò inseritur hoc loco quid Iudæi fecerint, qui Mariæ prius assidebant, vt eam consola-
tur. Cùm vidissent eam subitò exire, ad monumentum festinare arbitrantur, vt illic luctus & ad-
suo indulgeat. Ita enim solent homines affectibus suis fomenta & materiã ampliorem subministrare,
quando de illis reprimendis & restinguendis cogitare debebant. Mox ergo eam sequuntur, vt

domum reducant, vel nouis consolationibus doloris acerbitatem leniãt. Sed longè aliud ipsis accidit, quàm putabant. Ita enim ad Christum extrabuntur, vt miraculi omniũ maximi spectatores & testes fiant, qui (vt supra monuimus) in conspectum eius non venturi fuisse, vel alijs miraculum narrantibus nequaquam credidissent. Ita verò solet Deus hominibus multa præter opinionem obijcere, & illorum consilia in finem ab ipsorum instituto alienissimũ dirigere, vt reipsa discamus prouidentiam eius æternam agnoscere, cuius nutu & consilio res omnes administrantur. Accidit hoc Iosephi fratribus, qui vt somnijs eius, quibus illi regnũ portendi audiebant, fidem derogarent, ipsum in seruitutẽ vendiderunt: interim verò hoc ipso facto illũ ad summos honores euexerunt. Similiter salutis occasiones frequenter nihil tale cogitantibus Deus obijcit, vt in Samaritanæ exemplo vidimus, quæ vt aquam hauriret egressa Christum inuenit, qui fidei doctrina illam imbuit, & noxias peccati cupiditates saluberrimo diuini verbi nectare restinguit. Sic Zachæus cùm Christi modò videndi causa arborem conscendisset, ab illo vocatus mox salutem æternam inuenit. Quid Paulus? Is cùm ad persequendos Christi fideles Damascum proficisceretur, & iam vrbis cõspectu nouos furores animo conciperet, subito fulgore prostratus & toto animo mutatus in Christi partes concessit, & ibi salutẽ inuenit, vnde eã eiecturus venerat. Fiunt huius generis multa quotidie, vt verissimè dixerit Solomon: Cor hominis deliberat de via sua, Dominus autem dirigit gressum eius. Nobis verò horum vsus esse debet, ne impiorum conatibus terreamur, quibus ad suam gloriã Deus abuti potest, si velit: & vt memores nihil absq; Dei prouidentia accidere, salutis occasiones, quas ille nobis offert, non irritas præterlabi patiamur.

Maria Christũ reuerenter excipit.

Quid autem Maria, quando in Christi conspectum venit? Viso eo procidit ad pedes eius. Erat hoc non vulgaris reuerentiæ signum, qua aliquid homine maius in illo agnoscit. Quia enim quoad carnis speciem nihil magnificum aut regium habebat, nihilominus autem eo illum honore dignatur, qui principibus viris impendi solet, non dubium est, quin sub carne latentem virtutem diuinam illa agnouerit. Eoq; maiorem laudem meretur hoc officium, quòd in frequenti Iudæorum accurrentium corona, quorum plerosq; inimico in Christum animo esse non poterat ignorare, hoc illi exhibet. Docemur autem, vt nos quoq; ad nos venientem excipere debeamus. Venit autem per verbum suum in quo seipsum & salutem nobis offert. Excipiamus tunc illum reuerenter, neq; nos coram hominibus eius pudeat, quem non puduit propter nos extrema quæq; perpeti. Imprimis verò per fidei obedientiam nos verbo eius subijciamus, neq; graue sit nobis huius authoritatem omnibus nostris desiderijs atq; studijs anteponere.

Marthæ & Mariæ idem animus.

Porrò ijsdem verbis Christum alloquitur Maria, quibus paulò ante Martha vsa fuerat, ex quo apparet eundem planè in sororibus istis animi affectum & idem desiderium fuisse. Domine (inquit) si fuisses hic, non esset mortuus frater meus. Fratris ergo mortẽ dolet & luget ex animo, quod charitatis non fucatæ argumentum est. Et simul Christi virtutem prædicat, qua in vita seruare & mortem profligare possit. Infirmitatis verò est (vt nuper monuimus) quòd corporalem Christi præsentiam necessariam esse arbitratur, & de eo conqueritur, quod Deus cum optima ratione fecerat. Solet hoc ipsum pijs frequenter accidere, vt Dei præsentiam & fauorem ex huius seculi casibus metiantur, & ea etiam Dei opera accusent, quæ ipsis cumprimis honorifica & salutaria sunt. Sunt hæc corruptionis nostræ indicia, quam diligenter obseruasse prodest, vt eam Dei verbo corrigamus, neq; temere locum demus affectibus, qui ex ea enascuntur. Simul verò obseruemus, verba hæc Mariæ, si sensu altiori & spirituali intelligantur, verissima esse. Vbicũq; enim Christus est, ibi neq; morti, neq; diabolo, neq; vllis alijs locus est, quæ nobis vitam & salutem illius merito acquisitam eripere possunt. Deiicit enim omnem aduersariam potestatem, & (vt supra audiuimus) quicunq; in illum credunt, etiamsi mortui fuerint, viuent, imò qui per fidem in illum vitam apprehenderunt, non moriuntur in æternum. Hæc ergo nobis prima cura sit, vt in illum credamus, extra quem vita & salus nulla est. Deinde fidem ijs officijs testemur, quæ de Martha & Maria commemorari audiuimus, & ita ipsi quoq; æternùm cum illo viuemus & regnabimus: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

HOMILIA CVII.

Iesus ergo ut uidit eam flentem, & Iudæos qui unà uenerant cum ea flentes, infremuit spiritu & turbauit seipsum, & dixit: Vbi posuistis eum? Dicunt ei: Domine ueni & uide. Lachrymatus est Iesus. Dixerunt ergo Iudæi: Ecce, quomodo amabat eum. Quidam autem ex ipsis dixerunt: Non poterat hic qui aperuit oculos cæci, facere ut & iste nõ moreretur? Iesus ergo rursum fremens in semetipso uenit ad monumẽtum. Erat autẽ spelunca, & lapis impositus ei. Ait Iesus: Tollite lapidem. Dicit ei Martha, soror eius qui mortuus fuerat: Domine, iam olet: quatuor enim dierum est. Dicit ei Iesus: Nonne dixi tibi, quòd si credideris, uidebis gloriã Dei? Sustulerunt ergo lapidem à loco, ubi mortuus ille fuerat positus.

AMicè quidem & benignè Dominus noster Iesus Christus seipsum & vnà secum Dei gratiam atq; salutem nobis offert: idem verò non parum illis irascitur, qui ad se venire reijciunt, & oblatam sibi gratiam aspernantur. Exempla quibus hoc probetur passim occurrunt: multi quotidie illud magno suo malo experiuntur, qui infelicis carnis studia sanctissimis spiritus & lætis promissionibus anteponunt. Est ergo multa & assidua consideratione dignum exemplum Mariæ, quæ (vt heri audiuimus) in excipiẽdo Christo omni pietatis officio probè defuncta, quam facere cõueniat, docet. Primò enim magistrum hunc suum esse agnouit, quem solum audire debeat. Deinde illius vocationi absq; omni mora obtemperat, & nec hostium eius præsentia, nec imminentis periculi metu se absterreri sinit, quò minus ad illum excurrat. Tertiò ad pedes illius eidens, illum homine maiorem esse testatur, seq; totã illius verbo subijcit. Postremò, etsi nondum nam & perfectam eius cognitionem sit assecuta, illi tamen non obscurè vitæ & mortis potestatem buit, inq; eius sinũ querelas suas deponit. Ad eum modum igitur ipsi quoq; Christo occurramus fructu suo carebit studium istud, quàmuis multa adhuc nobis adsint, quæ emendatione opus sequitur enim, vt Christus sese ad miraculi executionem accinxerit, quæ negotij totius quasi sceue seu præparatio est, qua & miraculi istius veritas asseritur, & illius erga nos studium tissimè declaratur. Quare singulas huius loci partes ex ordine inspexisse multum proderit.

Christus toto animo turbatur.

Occurrit hic primum, vt Iesus morte Lazari & aliorum luctu affectus fuerit. Vidit Maflentem vnà cum Iudæis, qui eius consolandæ causa ex vrbe venerant, & ideo infremuit spiritu ipsum turbauit. Spiritus verò hîc pro animo & eius affectione sumitur, & seipsum turbauit tur, eò quòd in rem præsentem intentus & dolori indulgens, totus visceribus commotus fuit, aliquãdiu nihil fari posset. Tandem collecto rursus animo, vbi Lazarum sepelierint interrogat quòd aliquid huius ignoraret, sed ne quid ex compositio fieri, aut ipse ambitiosius se ingerere tur. Iudæis verò ipsum eò deducentibus, in lachrymas quoq; erupit, quæ dolorem animi eius certissimũ indicium esse solent: quo nomine lachrymæ (quod Homerus etiã observauit) calidæ dicuntur, eò quòd ex corde doloris vehementioris vi accenso vel inflammato oriri solent non ignoramus, interpretes varias & diuersas huius fremitus & lachrymarũ Christi causas cere, multos etiam de eo argutè nimis philosophari, quòd seipsum conturbauisse dicitur, ne quid maiestati indignum statuant: quasi non multa alia huius generis de illo commemorentur, quæ tate ipsius non minus quàm lachrymæ aliena sunt. Quare nõ alia mihi causa fingenda esse videtur quàm cuius Euangelista meminit: quòd nimirùm visis eorũ lachrymis, quos vnice amabat, illis condoluit & illachrymatus est. Commiseratione ergo tactus fuit, quæ & animi dolorem & simul lachrymas extorsit. Neq; ideo aliquid se indignum fecit. Debuit enim per omnia fratribus similis fieri, & ideo non carnem modò humanam, verumetiã omnes eius proprietates naturales sumpsit, quales sunt esurire, sitire, defatigari, dolere, cõmiserari, turbari animo, mortis metu contristari, lachrymari, & si quæ alia sunt huius generis: ex quibus constaret, ipsum verè hominem fuisse, quod veteres diligenter obseruarunt, quando his argumentis inter diuinam & humanam naturam

Christo distinguere docuerunt. Ex quorũ numero Gregorius Nyssenus apud Gelasium sic ait: Neq; vinificat Lazarum humana natura, neq; deflet sepultũ impassibilis substantia: sed propriè quidem sunt hominis lachrymæ, vita verò veræ vitæ est. Et D. Athanasius ad Theophilum lib. 9. Quòd lachrymas super Lazarum fundit, phantasmatis suspicionem tollit: Lachrymæ enim veri corporis sunt humores, &c. Neq; hæc dicẽtibus aliquis obijciat, nos Christo affectus vitiosos & corruptos tribuere, adeoq; talẽ fingere, qui non per omnia à peccati labe alienus sit. Affectiones enim eiusmodi per se vitiosæ non sunt, vt nec esurire, sitire, dormire: vitiosæ autem fiunt in nobis per accidens, quando vel nulla iusta causa cõmouemur, vel in illis modum omnem prætergressi nostri officij obliuiscimur, vel etiam nõ in eum finem respicimus, qui nobis in omni actione propositus esse debebat. At ab omnibus his Christus alienissimus est, qui vt volens istas affectiones suscepit, ita non nisi grauissimas ob causas cõmouetur, neq; modum excedit, simulq; non alium finem sibi proponit, quàm patris gloriam & humani generis salutem, cuius ergò in mundum venit. In illius ergo dolore, lachrymis, indignatione & similibus animi perturbationibus peccatũ planè nullum inest, insunt autem certa & infallibilia veræ humanitatis argumenta, quam ille propter nos assumpsit. Eorum autem nobis vsus est multiplex & saluberrimus. Primò enim, quia verè homo factus est, iure etiam causam nostram suscipere potuit (quo nomine illum Iobus suum vindicẽ dixit) & ad nos reuera pertinet meriti ipsius fructus. Deinde cùm ex lachrymis constet, ipsum nostris miserijs seriò affici, est hoc consolationis argumentum efficacissimum in omni tentatione. Quis enim se ab eo negligi vel contemni putet, qui nostras ærumnas non minus quàm si suæ essent, fletu prosequitur? Est ergo (vt Apostolus ait) fidelis pontifex & misericors in ijs, quæ apud Deum agenda sunt ad expiandum peccata populi. Nam ex eo quòd perpessus est cùm tentaretur, potest & ijs qui tentantur succurrere. Itaq; locus iste eorum quoq; errorem atq; superstitionem arguit, qui diuis intercessoribus nobis apud eum opus esse arbitrantur, & proinde in illorum quàm huius inuocatione frequentiores sunt.

Docet præterea, quid in amicorum funeribus fieri debeat, quæ res propter communem humani generis sortem consideratu dignissima, adeoq; necessaria est, ne vel rigidi nimis in humanitatis leges peccemus, vel immodico luctu Christianæ fidei spem in dubium vocemus. Errant enim vehementer, qui vt fortes videantur, aut fidem suã ostentent, siccis oculis omnia vident, & barbaros imitari solent, quos funera cum gaudio & risu duxisse fertur. In contrariam verò partem declinant, qui dum luctui nimis indulgẽt, gentibus nullã resurrectionis spe præditis similes fiunt, ad hæc Dei iudicia improbis querelis accusant, simulq; seipsos inani & irrito dolore cõficiunt. Media ergo via nobis tenẽda est, quam suo exemplo nobis Christus monstrat. Deflet Lazari mortem Maria, & cum ea Iudæi quoq; lachrymantur, qui vt ipsam consolarentur, aduenerant. Hos tamẽ adeò non accusat aut corripit Christus, vt potius suas quoq; lachrymas cum illis coniungat. Licet ergo amicorũ funera cum lachrymis prosequi, vt eorũ quoq;, quorum adhuc magnus in repub. vel ecclesia vsus esse poterat, aut qui de his bene sunt meriti. Fecit hoc in Saræ vxoris morte Abrahã, in patris Iacobi obitu Ioseph, & filij Israel Mosem atq; Aaronem hac vita defunctos pio officio defleuisse scribuntur. Sed & Stephani funus publico luctu primitiua ecclesia ornauit. Nec enim nos stipites aut trũcos Deus creauit, quales ex hominibus facere conantur phanatici quidam, qui Stoicam illam ἀπάθειαν reducere student. Imò Isaias propheta non obscurè eos reprehendit, qui bonorum obitu non commouentur. Iustus (inquit) perit, & nemo corde reponit: viri beneficentiæ colligũtur, & nemo intelligit. Sed modus in luctu funebri accedat (vt paulò ante monuimus) quem facilè tenebunt, qui in Dei prouidentiã, quæ vitæ nostræ dies disposuit, & lætam beatæ immortalitatis spem respiciũt. Et qui ista fidei veræ principia inconcussa seruant, hi ex moderato luctu & honorifica funerum deductione non vulgarem fructum percipiunt. Admonentur enim, quanta peccati vis sit, per quod mortẽ ingressam esse scriptura docet. Deinde communem omnium sortem in animum reuocant, & sibi quoque aliquando moriendum esse recordantur. At vtrumq; hoc ad pœnitentiam simul & bonorum cœlestium studium quàm maximè excitat, ne huius seculi commodis nos inescari patiamur.

Quid in amicorum funeribus fieri debeat.

Isa. 57.

Cæterùm videamus, quæ fuerint Iudæorũ de Christi lachrymis iudicia, quos in duas partes scissos fuisse Ioannes scribit. Alij etsi illum nondum verè agnoscant, hunc tamen dolorẽ eius candide interpretantur, & quàm impensè Lazarum amauerit, ex lachrymis istis colligunt. Dicunt enim: Ecce,

Iudæorum diuersa de lachrymis Christi iudicia.

quomodo amabat eum. Imitemur istos, si quid simile cõtingat, & in meliorem partem ipsi etiam
terpretemur ea, quorum ratio nobis non plenè constat, ne iudicia nostra temere præcipitando cala
niatores efficiamur, & nõ modò in charitatis leges, verùm in ipsius etiam Dei maiestatẽ pecca
Imprimis verò quãdo audimus quæ & quàm acerba propter nos Dei filius fecerit aut passus sit
ipsi quoq; ex eo colligamus, quanto ille nos amore prosequatur, & eius consideratione fidem nostram
confirmemus aduersus tentationũ insultus, quibus illam satan euertere studet. Quoties ergo vel
fame, vel in morbo grauiori, vel in exilio, vel in carcere, aut quauis alia calamitate animus tibi
gerit, te à Deo minus diligi, aut etiam prorsus negligi: tũc simul succurrat, Dei filium propter
lachrymas modò, sed sanguinem quoq; fudisse & acerbissima quæq; passum esse, & proinde te ab
procul dubio amari, neque illum passurum, vt salutis, cuius ipse tibi author est, iacturam fa

Sunt rursum alij, qui improbè cauillantur & aiũt: Non poterat hic, qui aperuit oculos cæ
cere vt & iste non moreretur? Ita verò nouam impietatis occasionem ex eo arripiunt, quod ipsi
considerandam Christi bonitatem atq; illius amorem excitare debebat. Et odij vim magnam
guit, quòd sententiam suam præcipitanter nimis proferunt, priusquam rei euentum viderint.
enim eis constabat, ipsum Lazari mortem prohibere non potuisse? Vel cur non in mentẽ venit
resuscitari posse Christi virtute, quæ prius in Iairi filia et viduæ filio abũde declarata fuerat?
hoc contenti, insuper miraculum in cæco nato editum vellicant, cuius veritas infinitis argu
deprehensa & confirmata fuit, vt ne pharisæi quidem illud amplius negare potuerint. Videt
in isto exemplo, quid soleant, qui in Christi negotio carnis sensum & humanam rationem au
Sunt hi aranearum similes, quæ venenum legunt ex floribus, qui apibus mellis materiam pro
Innata enim illis corruptio omnia peruertit, & quia cauillandi occasionẽ semper quærũt, fit
etiam euangelij odor illis mortiferus atq; lethalis sit. Tales hodie audimus, qui humanæ redem
nis negotium improbè vellicando clamant: Annon poterat facere Deus, ne peccaret Adam?
cùm is peccauisset, annon eum viribus nouis instruere poterat, quibus ipse culpam suam pia
acerba filij morte opus esset? Sunt autem eiusmodi quæstiones non minus impiæ quàm audaces
dum ista quærunt, non obscurè in dubium vocant, quæcunq; de Christo & generis humani redemp
in scripturis traduntur. Similia his sunt, quæ nobis satan suggerit, si quando non omnia pro
succedunt. Tunc enim voces eiusmodi audiuntur: Si ita me amat Deus, vt quidam prædicant
me tantis morbi doloribus confici, cur egenum esurire, cur exilij molestijs exerceri, cur nouis
die erumnis excruciari patitur? Vel cur non his aut istis beneficijs seu miraculis fauorem atq;
tatem suam declarat? Et qui ista dicunt, ferè culpam in se nullam agnoscunt: Sed reuera di
linguam suam accommodant, vt hæc per ipsos aduersus Dei maiestatem effutiat. Quid enim
isti dicunt, quàm quod ipse satan Christo dicebat: Si filius Dei es, dic vt lapides isti fiant panes?
quod illi in cruce pendenti exprobrabant sacerdotes: Si filius Dei est, descendat nunc à cruce:
dit in Deo, liberet eum nũc, si vult eum: Dixit enim, Filius Dei sum? &c. Adhæc ista dicendi
tentant, dum ei præscribunt, deq; ipsius bonitate, quæ ipsi volunt, experimenta sumunt. Quod
Israelitæ magno suo malo fecerunt, quando se illi tunc demum credituros dicebant, si carnes ipsi
ret in deserto. Quid autem ad ea spiritus sanctus in Psalmo. 78. respondet? Dominus (inquit) sa
uit & exarsit, & accensus est ignis contra Iacob, & ira contra Israelem ascendit, &c. Et in præ
Christus rursum infremuisse dicitur, cùm istos de suis factis tam iniquè iudicare audiret. Ira
ergo omnibus ijs Deus, qui similia dicunt aut faciunt: quod nos probè obseruare decet, ne carnis
stræ affectibus indulgendo, illius iram contra nos prouocemus.

Lazari sepulchrum.

Porrò venit ad Lazari monumentum Dominus, cuius descriptio breuis interseritur, quæ ad
raculi illustrationem facit. Nam spelũca fuisse dicitur, cui lapis impositus erat, os vel ingressum
obstruens. Ita verò veteres defunctorum corpora sepelire, & quasi inclusa diligenter asseruare
bant, vt futuræ resurrectionis spem fouerent. Et debent etiam hodie funera honestè sepeliri, non
temptim abijci corpora, quæ paulò ante spiritus sancti templa fuerunt. Cauenda tamẽ superstitio
luxus, ne vel Christi merito aliquid derogetur, vel post mortem quoq; superbire videamur. Vt
tem eò venit Christus, lapidem remouere iubet, quem vel ipse verbi sui virtute è medio tollere,
per angelum auellere poterat, quod in ipsius resurrectione postea factum fuit. Sed eorũ, qui adera

ministerio vti voluit, vt omni fraudis suspicione miraculum liberetur. Ita enim deuoluto lapide, Lazarum ibi iacentem & iam malè olentem videre poterant omnes, & miraculi testes oculati fiebant etiam ij, quos in Christum pessimè affectos fuisse modò audiuimus. Et hæc causa est, quòd frequenter Deus impiorum opera vtitur, quò magis eluceſcat ipsius virtus, quàm illi mirificis artibus & incurabili pertinacia obscurare conantur. Est verò obseruatu dignissimum Christi exemplum, qui ess hostium calumnijs commotus infremuerit, ijsdem tamen non superatur, quò minus pijs beneficiat, & illud exequi pergat, quo Dei patris gloria illustrabatur. Et quod hîc facit, hoc ipsum alibi et sepius quoque eum fecisse scimus, quando inter Iudæos incurabiles & contumaces, suæ virtutis & bonitatis exempla edere nunquam desijt, ne illorum malitia pijs & credentibus fraudi esset. Solentur ista nos aduersus mundi contumaciam, simulq; exemplum Christi imitemur, ne propter ingratos beneficentiæ studium omittamus, &c.

Martha rursus prodit suam infirmitatem.

At hîc mirabile quid accidit. Martha enim, quæ Christi aduentum anxiè expectarat, venientem studioſè exceperat, & ab eo instituta fidei confeſsionem fecerat luculentam, vbi de lapide sepulchri remouendo verba fieri audit, mox exclamat: Domine, iam olet: quatuor enim dierum est. Hæc autem dicendo euidenter ostendit, se nihil minus quàm fratris resuscitationẽ sperare, cuius spem paulo ante concepisse videri poterat, & quam Christus non obscurè confirmarat, cùm dixisset: Ego sum resurrectio & vita, &c. Imò iam ipsa sibi impedimento est, quò minus frater resurgat, quod vnum tamen vnicè cupiebat. Ita frequenter ipsi nobis obstacula ponimus, et vix aliud tam facile est, quàm eorum quoque fidem labefactari, qui cõstantissimi esse videntur. Simile quid Petro accidit, qui cùm magno animo aquis inambularet, mox exorto validiori vento & fluctibus maiori æstu insurgentibus, metu superatus cœpit subsidere. Fit hoc, quãdo in nos & externam rerum speciem potius, quàm in Dei promissiones respicimus. Magna ergo & diligenti cura nobis opus est, vt frequenti promissionum Dei meditatione fidem nostram foueamus atq; confirmemus.

Christus Marthæ diffidentiã corripit.

Docet hoc in præsenti Christus, qui Marthæ solicitudinem præposteram & diffidentiam grauiter increpans, promissiones suas illi denuò in mentem reuocat. Ait enim: Nónne dixi tibi, quòd si credideris, videbis gloriam Dei? Ita verò vocat miraculũ, quo Dei gloria mox debebat illustrari: Et sensus est: Quid de fœtore cadaueris iam putrescentis loqueris inepta? aut quid adhuc in mortui contemplatione hæres, quæ paulò ante audiuisti, quòd per me resurrecturus sit frater tuus, quodque ego resurrectio & vita sim? Quin ergo promissis meis fidem habes, & ineptas carnis rationes omittis, quæ iam ante concepta am in animo tuo fidem labefactant? Ad hunc modum ipsi quoque illusoribus impijs respondere possumus, qui resurrectionem mortuorum negant, eò quòd videre non possunt, qua ratione corpora vel olentia iam, vel dudum in cineres & terram redacta, vel etiam à feris & oceani monstris deuorata restituantur. Etsi enim hæc carni impossibilia sint, Deo tamen hoc facillimum est, qui olim totam hanc mundi machinam ex nihilo produxit. Et quia is promissiones dedit, quibus resurrectio euidentissimè asseritur, non dubium est, quin illius gloriam magno cum gaudio visuri sint in nouissimo die, quicunq; illis firmiter credunt: Est enim hîc probè obseruandum, quod Christus ait: Si crederis, videbis gloriam Dei. Vident impij quoque Dei opera, & Lazari resuscitationem multi ex Christi hostibus spectarunt. At non viderunt gloriam Dei salutiferam, quæ sola fide cerni & percipi potest. Per hanc ergo in Dei verbum respiciamus, & ita nobis ad salutem innotescet Christus, qui impijs terrori esse consueuit. Nec tamen sufficere putemus fidem generalem siue implicitam (vt scholastici loquuntur) nisi in præsentem vsum Dei promissiones accommodemus. Cæperunt hoc in præsenti facere, qui cum Martha aderant fideles. Quia enim Christi mandatum audiunt, lapidem tollunt ab ostio monumenti, quàmuis nondum plenè intelligant, quid futurum sit, & Martha illum remoueri patitur. Est hoc obedientiæ fidei exemplum, quam passim à nobis scriptura requirit, eamque Deo omnibus sacrificijs acceptiorem esse testatur. Et hîc quoque eius effectum pulcherrimum fuisse, in sequentibus audiemus. Viderunt enim ex mortuis resurgere Lazarum, & Christi cognitione illuminati sunt, quotquot hæc non maligno oculo spectarunt. Credamus ergo nos quoque verbo eius, & præceptis ipsius obtemperemus. Ita fiet, vt ipsi quoque gloriam Dei non modò videamus, verumetiam regni eius hæredes efficiamur per Iesum Christum Dominum nostrum: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

HOMILIA CVIII.

Iesus autem sustulit oculos sursum, & dixit: Pater, gratias ago tibi, quòd me audieris. Ego autem sciebam quòd semper me audis: sed propter turbam circunstantem hoc dixi, ut credant quòd tu me miseris.

VT homines mortem natura horrent, & frequenter eius metu multa præter officium facinora committunt, ita nihil ad confirmandos animos efficacius est, quàm si Iesum Christum vitæ & mortis imperium habere sciamus, & eos qui in hunc credunt, mortis tyrannidē ita euasisse, vt ea ipsis ad vitam potius quam ad interitum faciat. Ideò frequenter nos de isto spiritus sanctus in scripturis admonet. Nam vt à promissione primis parentibus data exordiamur, ea Christum diaboli, & mortis quoque (quam is per peccatum inuexit) victorem esse docet. Apud Isaiam verò de Christo dicitur: Mortem absorbet in æternum, & absterget Dominus Deus lachrymam à cunctis facie. Et ipse mox ait: Mortui tui viuent, qui corpus meum sunt resurgent. Apud Hoseam verò idem hoc epinicium canit: Vbi tuus ô mors aculeus? vbi tua inferne victoria? In euangelio autem sæpe de hoc concionatur, vt cùm Capite quinto dixit: Veniet hora, qua omnes qui in monumentis sunt, audient vocem filij Dei, & prodibunt: et cætera. Imprimis verò huc facit, quod nuper Martham dixit: Ego sum resurrectio & vita: Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, viuet, & omnis qui viuit & credit in me, nequaquam morietur in æternum. At quia verbis ægrè creditur, quæ ipsa carnis sensui diuersum ingerit, operibus hoc ipsum declarat. Morbis enim incurabilibus varia propria medetur, vt ostendat se à morte præseruare posse quos velit. Deinde ex ipsa mortuorum nullos excitauit, inter quos Lazari resuscitatio facilè primatum obtinet, quam Ioannes prolixè describere incipit. Qui locus diligenti consideratione dignus est, quia quid in mortis periculis fieri beat docet, & veram orandi rationem tradit, quæ cognitu perquàm est necessaria.

Isa. 25. & 26.

Hos. 13.

Christus patrē inuocat.

Orditur autem à precatione, & sublatis sursum oculis in cœlum ait: Pater, gratias ago quòd me audieris: & cætera. Vbi nemo putauerit, illum virtute aliena Lazarum à mortuis excitasse, & precibus illi opus fuisse quibus eam impetraret. Alibi enim nullis omnino precibus præmissis miracula & signa edit, & pro suo in omnes creaturas imperio morbis, ventis, fluctibus & spiritibus dæmonibus præcipit, qui mox illius iussis obtemperant. Et quoad mortuorum suscitationem, quæ quoque in sua potestate esse docet, quando (vt supra ex Capite quinto diximus) fore ait, vt qui in monumentis sunt, sua voce audita resurgant. Adhæc discipulos sua potestate instruxit, vt ipsi miracula fecerint, quæ plerunque absque precibus in ipsius modò nomine ediderunt: quod fieri non possibile fuisset, nisi hæc mandandi liberam habuisset potestatem. Cur ergo (inquis) orauit? Propter populum astantem (vt ipse mox fatebitur) adeoque propter nos omnes. Primò enim hoc fidelium calumnias aduersariorum confutat, qui ipsum Dei hostem esse, & cum diabolo occulta commercia habere dicebant, cuius virtute & auxilio omnia sua faceret. Orat ergo, vt reipsa testetur, opera sua diuina esse, seque totum (quoad assumptum hominem) à Dei patris voluntate pendere. Deinde humilitate & obedientia sua patrem nobis placauit, quem primi parentes sua ambitione & inobedientia offenderant. Præterea suo exemplo nos ad preces excitat, in quibus nos frequentes esse decet, & quidem imprimis, quando mortis terrores instant, qui non alia quàm diuina ope propulsari possunt. Ideò Psalmo 107. qui morbis debilitantur, ad Deum confugere iubentur, & eius auxilium petere. Et Iacobus Apostolus ait: Infirmatur quis inter vos? accersat presbyteros ecclesiæ, & orent pro eo, vngentes eum oleo in nomine Domini: & oratio fidei seruabit laborantem, erigetque eum Dominus, & cætera. Quo loco ridicula Papistarum superstitio arguitur, qui ex symbolo, quo donum sanitatis adumbrabatur (quod olim in ecclesia adhuc frequens erat) sacramentum fecere, & iam morituris adhibent, quod Apostoli ijs adhibebant, quos ex mortuis restituere volebant. Adhæc vera orandi rationem tradit Christus, aut potius alibi diligenter traditam nunc proprio exemplo confirmat. Sunt ergo hîc nobis singula ex ordine consideranda.

Primò oraturus solius patris meminit, non Eliæ aut Elisæi, quorum ministerio olim mortuos excitatos fuisse non ignorabat. Vnum ergo illum nos quoque inuocare debemus. Docent hoc passim sacræ literæ. In Psalmo certè quinquagesimo, cùm externa sacra Deus ceu inutilia reiecisset, veri cultus rationem in sui nominis inuocatione constituit, sic dicens: Sacrifica Deo laudem, & perfolue altissimo vota tua: In die tribulationis inuoca ME, & eripiam te, & glorificabis me. Ipse autem Christus Matthæi sexto capite ait: Sic orate vos: Pater noster qui es in cœlis, sanctificetur nomen tuum, &c. Quæ verba soli Deo conuenire, notius est, quàm vt multis oporteat demonstrari. Et sunt huius doctrinæ rationes grauissimæ. Primò enim inuocari debet, qui nostras res nouisse & preces exaudire potest, quando sæpe fit, vt cordis nostri molestiam nullis verbis explicare possimus. Atqui solus Deus animos nostros perspectos habet, solus vbique præsens est, & omnia audit atque videt. Ergo ad hunc solum preces nostræ dirigi debent. Vsus est hac ratione olim Solomon, quando in templi dedicatione populo veri Dei cultum & inuocationem diligenter commendabat. 1. Regum capite octauo. Et apud Isaiam pij clamant: Respice de cœlo Domine, & de habitatione sanctuarij tui & gloriæ tuæ vide. Et mox docent, cur vnius Dei opem implorent: Quia tu es pater noster: Abraham quippe nos non cognoscit, neque Israel nos nouit: tu Domine pater noster es, redemptor noster, nomen tuũ ab æterno. Est ergo grauis & multiplex illorum error, qui Diuos inuocant, & pro afflictionũ diuersitate preces & vota sua inter illos distribuunt. In creaturas enim transferunt gloriam, quæ vni & soli Deo debetur, & ita simul turpissimo ingratitudinis vitio sese polluunt. Peccant item in ipsos Diuos, quando illorum nominibus ad idololatriam & superstitiones abutuntur, qui sanguinem suum pro asserenda Dei gloria fuderunt. Sed & Diuorum exemplis conuincuntur, qui cùm de antecessoribus suis honorifice sentirent & Dei beneficia in illis agnoscerent, neminem tamen ex illis inuocandum esse putarunt, sed ab eo opem petebant, qui in illis iuuandis olim suam bonitatem atque potentiam declarauerat. Hos ergo & cum his Christum Iesum imitemur, neque nobis durum & inexorabilem fingamus Deum, qui suam opem nobis sua sponte offert, nosq; ad sui nominis inuocationem inuitat.

Christus solum patrẽ inuocat.

Deinde gestum Christi orantis Euangelista describit, Quòd nimirum oculos sursum ad cœlos sustulerit. Non debet autem ex eo perpetua regula constitui, ad quam oraturi omnes astringantur. Alibi enim iubet eos in cubiculum ingredi, vbi cœlum videri non potest. Et publicanum defixis in terram oculis preces fecisse legimus, quas Deus sibi acceptissimas habuit. Fit etiam frequenter, vt vel carceribus angustis concluſi, vel morbis debilitati, neq; manus neque oculos in cœlum attollere possimus. Attamen tam ægrotos quàm captiuos à Deo exaudiri, Psalmus 170. testatur. Quid, quòd Ionas in ventre cæti delitescens, & ad maris abyssos vsque demersus, ad Deum clamauit, à quo benignè exauditus est? Itaque Dominus non ad certum gestum nos astringere, sed potius animi ad precandum rectè compositi exemplum præbere voluit. Quia enim oratio colloquium est cum Deo, nunquam rectè precabimur, nisi animum à terra & terrenis studijs in cœlos, & quasi in Dei conspectum eleuemus, atque nobis cum illo negotium esse cogitemus. Nam nisi hoc fiat, vel cupiditatibus nostris abstracti, inter orandum quoque circa carnis studia & pessimas cogitationes occupabimur, quæ preces nostras non irritas modò, verumetiam Deo inuisas reddent: vel crassas de Deo imaginationes concipiemus, & tantum non idololatræ efficiemur, dum veri Dei cultores videri volumus. Ideò scriptura oraturos in cœlum suspicere, id est, relictis terrenis & carnalibus cœlestia & diuina meditari iubet, vt in rem præsentem intenti, nihil eorum admittamus, quæ nos à Deo reuocare, aut nostrum cum illo colloquium interturbare possunt. Est hoc factu difficillimum. Est enim cor hominis (vt propheta ait) profundum, & breuissimo temporis momento per diuersissimas cogitationes peregrinatur. Et quia eius figmenta praua, cogitationes verò (vt rursum scriptura docet) vanæ sunt, non parui laboris est, animum reluctantem & ad terrena procliuem in cœlestium considerationem totum subuehere. Accedit tamen his omnibus satan, qui vt omnibus bonis atque pijs studijs aduersatur, ita suis suggestionibus preces imprimis turbare studet, in quibus præcipuum salutis præsidium nobis repositum esse nouit, dum in hisce terris peregrinamur. Et quantum hæc omnia possint, reipsa experimur, quando vix vnquam datur, vt orationem dominicam ex ordine recitemus totam, quin aliud quid nobis in mentẽ veniat. Qua in re nobis ipse Dominus probè consuluit, quan-

Gestus Christi orantis.

do non breui modò precandi formula omnia complexus est, quæ nobis necessaria sunt, veram
eius partes ita constituit, vt singulæ nobis plenæ & perfectæ precationis loco esse possint. Prædi
men, vt ipsi quoq; ad Christi exemplum nosmetipsos excitemus. Quod commodissime & magno
fructu fiet, si Dei maiestatem nobis ob oculos ponamus, & simul cogitemus, quàm necesse nobis
vt illo propitio vtamur, atque ab eo exaudiamur. Accedat hisce meditationibus disciplina quæ
nis lasciuientis cupiditates & malarum cogitationum fomenta restinguamus. Hanc fere scripto
ieiunij nomine comprehendit, quod neque temporibus certis alligari, neque in superstitiosi cultus
discrimine constitui debere, alibi diximus. Ieiunandum enim est, quando carnem spiritui seruire
fieri sentimus, & tunc illi subtrahenda sunt, quæcunque eam ferociorem aut lasciuiorem facere
sueuerunt, qualia sunt cibi delicatiores, vini vsus liberalior (ab intemperantia enim & ebrie
Christiani nunquam non abstinere debent) vestitus splendidior, tori coniugalis consortium, &
alia sunt eius generis. His enim subductis caro in ordinem redigitur, quò minus animum ad
stium bonorum & diuinæ maiestatis meditationem subuolaturum remorari aut detinere possit.

A gratiarum actione ordi= tur.

Sed audiamus Christum precantem, qui à gratiarum actione exordium faciens ait: Gra
ago tibi, quod me audieris, &c. Ex quibus verbis apparet, illũ prius cùm fremeret & in spiritu
turbaretur, tacitas preces fudisse, vel saltem hunc fremitum & animi conturbationem apud pa
precationis loco fuisse. Nam huius rei exempla in scripturis non pauca habemus. Mosi certe ad
re rubrum stanti & tota mente perturbato dicebat Deus: Quid clamas? At qui nullius clamor
illo facti sit mentio. Sed clamoris instar erant animi afflicti & de Dei gloria populique salute
piæ cogitationes, quas ille non sine precibus secum in animo voluebat. Et in Psalmo duodecimo
pter gemitum inopum se exurgere velle ait Dominus, & ita testatur hunc abs se audiri et re

Psalm. 56.

Dauid quoque fugas & lachrymas suas à Deo obseruari dicit, & inde colligit, se illo propitio
Quò etiam illud Pauli referri potest, ad Roma. capite octauo dicentis: Spiritus simul subleua
firmitates nostras: quid enim oremus vt oportet non nouimus: sed ipse spiritus postulat pro nob
spirijs inenarrabilibus: Qui verò scrutatur corda, nouit quis sit sensus spiritus, quia secundum
postulat pro sanctis. Sunt hæc plena consolationis. Docent enim nos tunc quoq; exaudiri, quãd
mi nostri desiderium præ dolore ne exprimere quidem verbis possumus. Quia nostra relatione
quaquam opus habet Deus, cui satis est, si animum nostrum perspectum habeat. Interim admo
mur hoc Christi exemplo, inter precandum imprimis requiri gratiarum actionem, & ab ea
dissimè exordium fieri posse. Per hanc enim ante accepta Dei beneficia in memoriam reuocan
& bonitatis ipsius consideratione in fide confirmamur, quæ sola preces nostras Deo acceptas
caces facit. Ideo sancti tunc quoq;, quando grauissimè premuntur, inter precandum à disciplina
ordiri solent, qua Dei bonitatem & potentiam aliasque eius virtutes prædicant. Et de hoc ma
tionis dominicæ initium non obscurè admonet, quod est: Pater noster, qui es in cœlis. Quid enim
aliud quàm Dei paternam bonitatem & eiusdem cœlestem & toto mundo excellentiorem ma
tem summumq; in omnes creaturas imperium prædicamus; vt horum consideratione confirm
dubitemus nos ea accepturos esse, quæ ex eius præscripto petimus? Est ergo turpissimus illor
tor, qui perpetuas querelas cient, & ita in Dei conspectum non preces, sed belluinum vlulatum
runt, quo Dei rigorem & iniquitatem accusant. Neque est, quòd se eius rei graues causas ha
dicant, eò quòd perpetuis malis atque aduersis exerceantur, & proinde non habeant aliquam
tiarum actionis materiam. Annon enim homines creati sunt à Deo, qui illos vel non creare, vel
stias facere poterat? Annon animam ab illo acceperunt rationalem & beatæ immortalitatis
cem? Annon verbũ suum illis reuelat, quo docet, monet, consolatur? Annon pro illis etiam mor
est Dei filius, quo nullum beneficium maius excogitari poterat? Et vt de solis afflictionibus
mus, annon gratiarum actionem meretur Christi bonitas, qui crucis suæ socios facere dignatur
propter peccata grauioribus supplicijs multare poterat? Obseruarũt ista Apostoli, quos exulta
& Deum glorificasse Lucas scribit, quòd digni habiti fuissent, qui pro Christi nomine affligerent
Quòd si verò his reliquum afflictionum vsum addas, qui multiplex & saluberrimus est (vt
docemur) mox videbis, non temerè à Paulo scriptum fuisse, quòd pij illis glorientur. Procul ergo
cessant, qui in Dei conspectu porcorum instar grunniunt, et solis aduersis intenti, quibus exercen

reliqua Dei beneficia negligunt, neque etiam obseruant, quid ipsorum saluti conferat, aut quid requirat Dei gloria, cui nos totos consecratos esse decet. Semper verò nostris oculis obuersetur Christi exemplum, qui à gratiarumactione orditur, quando miraculum illud facere instituit, propter quod hostes suos de ipso occidendo consilium capturos esse sciebat.

Pro quo Christus gratias agat.

Quid verò illud est, pro quo gratias patri agit? Quòd me audieris, inquit. Et mox addit per expositionem: Ego autem sciebam, quòd semper me audis. Quibus verbis summum inter se & patrem consensum exprimit, cuius vera & propria causa est, quòd cùm illi coæternus & coessentialis sit, vna quoque & eadem patris & filij voluntas sit oportet. Vnde rursum hoc etiam colligitur, quòd etsi oret interdum filius, propria tamen virtute instructus sit, neque quicquam precario accipiat. At ne quis interrogaret, Cur ergo orat? ipse mox subijcit: Sed propter turbam circunstantem hoc dixi, vt credant, quòd tu me miseris. Quæ verba D. Chrysostomus pulchrè & propriè interpretatur, sic scribens: Non dixit, vt credant me minorem, & quòd diuino indigeam auxilio, sine quo nihil facere possim: Sed, quòd tu me misisti. Sic enim ponit, veram orationis causam, ne me Deo contrarium arbitrentur, ne dicant me non esse à Deo, vt secundùm voluntatem tuam me hoc feciſſe ostendam. Ego (inquit) sciebam, quòd semper me audis: hoc est, vt fiat voluntas mea, non indigeo precibus ad persuadendū: vna enim voluntas est. Ad quid ergo preces? propter infirmiores. Hæc Chrysostomus: quæ propter eos ascribere libuit, qui Seruetanorum argutijs decepti, ad eos locos offendunt, in quibus aliquid humilius de seipso Christus loquitur, neque interim ad assumptæ humanitatis dispensationem & eius mysterium respiciunt. Sunt autem in hisce Christi verbis quædam propius inspicienda.

Christus semper pro nobis intercedit.

Primum, quòd se semper exaudiri dicit. Semper ergo pro nobis intercedit & orat. Est enim æternus sacerdos secundùm ordinem Melchizedech. Psalmo centesimo decimo. Et perpetuum semperque efficax est apud patrem mortis eius meritum: & ideò Apostolus dicebat: Christus est, qui mortuus est, imò verò qui etiam est excitatus, qui etiam est ad dextram Dei, qui etiam postulat pro nobis. Quibus iam illud nostri Euangelistæ addi debet: Si quis peccauerit, aduocatum apud patrem habemus, Iesum Christum iustum, &c. Idem preces quoque nostras suo spiritu regit (vt paulò ante diximus) vt in nomine eius factæ apud Deum pondus habeant, sicuti infra pollicebitur. Confutatur ergo hic eorum superstitio, qui Diuis mediatoribus opus esse putant, & proinde preces suas ad illos potius quàm ad Deum dirigunt, adhæc gloriam, quæ vni Christo debetur, in eos transferunt, qui illius serui fuerunt. Præterea consolationem dulcissimam habet iste locus, quæ sola in tentationibus conscientiam nostram exhilarare potest: si nimirum cogitemus, nos intercessorem habere Iesum Christum, qui cùm filius ille Dei dilectus sit, semper à patre exauditur, & ideò hic propter illum nobis propitius erit, etsi iniquitatū nostrarum ratio (vt Dauid Psal. 56. ait) nos longè superet. Quanta enim intercessionis ipsius vis sit, ex precatione ea apparet, quam habuit pro hostibus, qui ipsum in crucem suffigebant. Pater (inquit) ignosce illis, nesciunt enim quid faciant. Nam mox illorum aliqui visis signis, Dei filium agnouerunt, & eum publicè confessi sunt, cui paulò ante ignominiosè illuserant: & in die Pentecostes aliquot millia eorum ad fidem Christi transierunt, quos mortis illius auctores fuisse Petrus dixerat. Act. 2.

Quomodo nostræ preces ratæ fiant.

Deinde docet exemplo suo Christus, qua ratione fieri possit, vt nostræ etiam preces apud Deum ratæ sint. Si nimirum eadem velimus quæ Deus, et nostras petitiones ipsius voluntati subijciamus. Obseruauit hoc Christus vnicè, & quidē tunc etiam quando acerbæ & ignominiosæ mortis contemplatione caro tota exhorrescebat. Etsi enim calicē istum à se transferri cuperet, mox tamen subijcie bat: Verumtamē non mea, sed tua voluntas fiat. Quam precandi formulam nobis quoq; præscripsit, quos dicere iussit: Fiat voluntas tua quemadmodū in cœlo, sic etiam in terra. Neq; hoc alicui graue aut molestum videri debet, quando Deum nobis patrem, voluntatem verò eius instam, sanctam, bonam nobisq; salutarem esse constat. Hæc enim est voluntas Dei (inquit Paulus) vt omnes homines salui fiant, & in veritatis cognitionem adducantur. Qua in re medijs varijs & diuersis vtitur, & interdum ijs, quæ carni admodum molesta sunt. Sed tunc cogitemus ita nobis opus esse, & proinde carnis sensus atque cogitationes per fidei obedientiam bonæ Dei voluntati subijciamus. Quod qui faciunt, eorum preces exaudit Dominus: & quàmuis neget quæ caro postulat, ea tamen largi-

tur, quæ ipsis vtilia & salutaria sunt. Quòd ergo multi hodie nequicquam clamant, ex et
imperiosè nimis Deo præscribunt, & nisi statim ipsorum votis annuat, querelis & iniqu
aduersus illum insurgunt: digni planè, qui flagellis durioribus castigentur, vt Deo subesse

Finis omnium Christi actionum.

Postremò finem & vsum omnium eorum indicat Dominus, quæ ab ipso vnquam dicta
cta sunt. Est is, vt credamus, quòd pater ipsum miserit, id est, quòd ipse sit Christus & pro
humani generis seruator. Ita hunc locum Ioannes ipse infra Capite vigesimo exponet, vbi
illius loquens addit: Hæc scripta sunt, vt credatis, quòd Iesus est Christus ille filius Dei, &
dentes vitam habeatis per nomen eius. Ergo minimè sufficit historica sermonum, miracul
neq; mortis & resurrectionis Christi cognitio, nisi ad suum scopum ista omnia dirigantur, qu
alibi monuimus. Quapropter in scripturis ita nos versari conuenit, vt discamus Iesum Chris
ternum esse Dei filium, qui in carne assumpta totum nostræ redemptionis negotium obiit
inde in eius merito spem salutis omnem collocemus, illum vnum audiamus, & eidem obtem
in omnibus. Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

HOMILIA CIX.

Et cùm hæc dixisset, clamauit uoce magna: Lazare, adesdum foras. Et qui fuerat mortuus prodijt, manus & pedes uinctus fascijs, facies autem eius sudario erat obuincta. Dicit eis Iesus: Soluite eum, & sinite abire. Multi ergo ex Iudæis, qui uenerant ad Mariam, & spectauerant quæ fecerat Iesus, crediderunt in eum. Quidam autem ex ipsis abierunt ad Pharisæos, & dixerunt eis, quæ fecisset Iesus.

Christus mortis uictor & uitæ author.

OMnis scriptura vnanimi consensu testatur, Iesum Christum mortis victorem & vit
authorem esse. Vsus autem eius doctrinæ est, vt salutè in ipso vno queramus, & in eius
tione intrepidi stemus aduersus mortis terrores & quæcunque alia satan excitat, quibus fid
stram euertere conatur. At quia carnis infirmitas in hac re multis adminiculis opus habet,
stus hoc ipsum operibus docet, dum miraculosè multa facit, quæ humanas vires superant, &
totius creaturæ Dominum esse testantur. Inter quæ præcipuum est, quòd non modò omnes
morbos verbo pellit, verumetiam nonnullos ex morte in vitam reuocauit: vbi suum in illa
rium subinde ceu gradibus quibusdam illustrius reddidit. Primò enim Iairi cuiusdam princ
nagogæ filiam recens defunctam, vitæ illico restituit, ne ipsi longa ad eam rem præparatione opu
putemus. Deinde ne quis hanc non ex morte, sed ecstasi aliqua reuocatam diceret, viduæ ciui
filium resuscitauit, qui iam ad sepulchrum efferebatur. At quia hoc quoq; hostium calumnijs
spicionem trahi poterat, additur his modò Lazarus, quem se absente mortuum & sepultu
quartum diem in sepulchro agentem & putrescentem, miraculosè in vitam hanc reduxit. Quam
storiam Euangelista in præsenti sic describit, vt & diuinæ in Christo virtutis argumenta certis
proponat, & omnem doli fraudisque suspicionem procul remoueat. Est autem factum hoc diligē
inspiciendum, vt eius consideratione aduersus mortis terrores armemur, cōfirmemur autem
resurrectionis, quæ sola hos lenire atq; profligare potest.

Christus altùm clamat Lazarū resuscitaturus.

Primò finitis precibus ad patrem, alta voce clamauisse dicitur Christus. Atqui occulta
te, aut etiam solo nutu illum excitare poterat. Sed primò cauet, ne in Magiæ aut incantatio
spicionem incurrat, qua hostes ipsum non semel grauare conati sunt. Scimus enim exorcistas
citarum artium sectatores ferè susurris & confuso murmure vti, quo concepta quadam verba
sine gestibus certis proferunt: & ita quidem, vt in vultu quoque animi vel conterriti vel
indicia appareant. Ne ergo ex eorum numero esse videatur, clara voce & verbis diserte
Dominus, simulque animo præsenti & intrepido rem hanc omnem peragit. Deinde verbis
tem nobis commendat, qua homines quotidie ad vitæ nouitatem excitantur, & qua olim

suscitabimur. Cuius cognitio in eum finem nobis seruit, vt de mortuorum resurrectione minus dubitemus, & audita in euangelio Christi voce ex peccatorum luto absq; mora surgamus, ne ipsis defunctorum cadaueribus stupidiores esse putemur, quæ olim per illam excitata resurgent.

Quid autem Iesus clamauerit, audiamus. Lazare, adesdum foras. Nomine proprio illum vocat, ne quis alium huius loco resuscitatum fuisse putet. Simul verò ostendit, mortuos quoque eodem apud se loco esse, quo prius fuerunt, cùm in viuis agerent: & ideo supra amicum nominauit, quem vita defunctum esse sciebat. Est hoc plenum consolationis, & docet, Christum suorum nunquam obliuisci, & ne morte quidem eos ab illo separari posse, quorum nomina in cœlis scripta sunt. Deinde suum in mortem imperium non obscurè exprimit, dum mortuo loquitur, & eundem nomine suo compellat, quidue fieri velit imperat. Imò ex hoc apparet, illum verũ esse Deum, qui solus vocat ea quæ non sunt, vt sint, id est, qui verbi sui virtute omnia ad suũ nutum producit. Quid enim hic fit aliud, quàm quod in mundi creatione factum fuisse Moses scribit, quando ad Dei iubentis aut euocantis vocem omnia ex nihilo prodierunt? Facit huius consideratio multùm ad nostram institutionem atq; consolationem. Admonet enim, vt huic tam potenti domino libenter obediamus, neq; de promissorum eius fide dubitemus, qui vt verax, imò veritas ipsa est, ita quæcunque pollicetur, reuera præstare potest. Lazarum nomine compellat.

Facit ad huius confirmationẽ, quòd absq; mora Lazarus rediuiuus prodijt, id quod diligenter admodum describitur. Tunc (inquit Ioannes) qui fuerat mortuus: Lazarus nimirum, nõ alius eius loco. Quid verò is fecit? Prodijt ex sepulchro videlicet. Itaq; subitò non animam modò, quæ à corpore recesserat, sed cum illa vires quoq; pristinas recepit, vt prodire & incedere posset. Adhæc quomodo prodierit, indicatur: Manus & pedes vinctus fascijs, facies autẽ eius sudario erat obuincta. Quo loco nouum miraculum interpretes obseruarunt, quo factum est, vt prodire posset, qui manus pedesque vinculis aut fascijs sepulchralibus constrictos, adhæc faciem velatam atq; inuolutam habebat. Quod si cui absurdum videtur, is D. Augustinum sibi respondentem audiat: Quomodo processit ligatis pedibus miraris, et non miraris quia surrexit quatriduanus? In vtroq; potentia Domini, non vires mortui, &c. Voluit autem Dominus Lazarum eo ornatu in hominum cõspectum venire, quo in sepulchrum positus fuerat, vt minus suspicionis haberet miraculum, simulq; rei nouitas spectantium animos magis permoueret. Nos autem obseruemus in hoc spectaculo communem omnium nostrũm conditionem. Fuit Lazarus hic (vt omnes circunstantiæ docent) vir dives, illustris & charus omnibus. Quid verò idem ille ex suis opibus secum in sepulchrum detulit? Nihil præter sudarium, quo facies illa grata & honorata toti populo inuoluta, & fascias, quibus instar rei in iudicio sistendi ligatus fuit. Nec temerè veteres hunc sepeliendi morem obseruarunt. Quia enim in facie potissimùm apparet lurida mortis species, illam velari voluerunt, quod hodie etiam ob eandem causam apud plerasq; gentes obseruatur. Deinde fascijs quoq; ligandos putarunt, quos olim nouissimo die ad tribunal filij Dei iudicio sistendos esse sciebant. Est hæc omnium nostrũm conditio. Nam vt Apostolus ait, nihil intulimus in mundum, nec quicquam ex eo efferre possumus: quibus illud Iobi consentit: Nudus egressus sum ex vtero matris meæ, nudus etiã reuertar. In quorum consideratione si diligentius veraremur, quantum Deum immortalem ex nostra petulantia, libidine, fastu, auaritia & reliquis studijs turpissimis decederet? Nunquam certè vultum ad meretricias illecebras componerent, neque fuco faciem depingerent, qui qualis ea olim futura sit cogitarent. Non item opes immodicas colligerent tanto studio pleriq; homines, neq; ob amissas tam impatienter dolerent, si omnium animis assidue obuersaretur, has aliquando relinquendas esse. Nunquam deniq; vel vestitu insolentiori, vel supellectili ad fastum instructa, vel palatiorum insanis ædificationibus superbirent, si suum hunc sepulchralem ornatum & funebrem domum animo suo recolerent, in qua somnum illum extremum dormituri sunt. At quia hæc pleriq; negligunt, & consultò sibijpsis blandiuntur, vt omnes de morte & nouissimo die cogitationes excutiant, nõ mirum est, si peccata peccatis indies accumulent, in quibus tandem male pereunt. Lazarus resurgit.

Sed ad Christũ redeamus, qui cùm Lazarus pedes manusq; adhuc vinctus prodijsset, astantibus dixit: Soluite eum, & sinite abire. Quod ad miraculi confirmationem facit, et omni fraudis suspicio- Christus Lazarum soluere iubet.

ne illud liberat. Nec enim videndum modò verumetiam palpandum exhibet omnibus, quem re-
mortuum esse sciebant: ne quis illius loco phantasma aut spectrum aliquod suscitatū fuisse su-
Adhæc liberum ei facit, vt quò velit abeat, & vt prius hominum consortio fruatur. Quod dum-
cisse, in sequenti Capite audiemus, vbi in domo Simonis cum Christo & reliquis conuiuū disc-
dicitur. Ergò verè & perfectè restitutus fuit in vitam, cuius beneficio ad aliquod tempus
sus est. Est autem hoc loco obseruatu dignissimum, quòd non ad se illum recepit Christus,
(vt agyrtæ & incantatores, vel artis suæ ostentatores solent) eum hinc inde circunduxit, qu-
res in sui admirationem adduceret. Non enim priuatam gloriam ambitiosè quæsiuit Dominus
que aliquid fecit ad ostentationem, sed actionum omnium finis atque scopus ipsi fuit Dei patris
ria & hominum salus, cuius ergò in mundum venerat. Hunc ipsum scopum omnes quoque fi-
positum habeant, quicunque in sua vocatione cum laude & fructu versari volunt, de sua autem
ria aut nominis sui existimatione nequaquam soliciti sint, nisi quatenus ea cum Dei gloria co-
cta est: quod alibi Christum obseruauisse scimus, & post hunc apostolos quoque, si quando De-
riam & euangelij veritatem in se oppugnari senserunt. Confutantur igitur hoc loco superstitio-
crorum nundinatores, qui vt eximij Diuorum cultores esse videantur, illorum ossa, vestes et q-
cunque inuenire possunt reliquias circungestare, & per has edita miracula non verbis modò p-
care, verumetiam depicta ostentare solent: ita verò inani superstitione simplicium mentes dem-
& sub religionis prætextu honorem & commodum priuatum quærunt, digni, qui cum Simone
go & omni suo quæstu ad coruos relegentur.

Cæterum vt totius historiæ & miraculi huius vsum verum teneamus, principio adse-
Typus resurrectionis uniuersalis. mus, Christum vitæ & mortis imperium habere. Quod cùm hîc euidentissimè probauerit, etiam
illum reuera humani generis seruatorem esse, quem olim Deus promiserat. Deinde typum com-
nis vel vniuersalis resurrectionis historia hæc continet, qua illius fides cõfirmetur. Volunt enim
minus specimen dare eius, quod Capite quinto dixit: Veniet hora, qua omnes qui in monu-
sunt, audient vocem filij Dei, & prodibunt. Quemadmodum enim Lazarus ipse, qui mortuus
pultus fuerat, rediuiuus prodit, non alius eius loco: Ita nos ipsi olim resurgemus ijsdem corpo-
quæ vel morbis vel alio mortis genere consumpta fuerunt, attamen non corruptibilibus (q-
nunc sunt) sed clarificatis & nulli posthac corruptioni obnoxijs, sicuti Paulus in priori ad Cor-
capite decimoquinto docet. Nam vt talia sint res ipsa exigit, vt vel cœlestis gloriæ consortio
frui, vel perpetuis & nunquam finiendis inferorum supplicijs sufficere possint. Extant autem
rectionis futuræ testimonia passim, quæ quia alibi produximus, eadem repetere non est opus.
que scripturis modò illa probari potest, verumetiam rationibus & argumentis solidissimis
quæ veteres hoc imprimis obseruarunt, quòd Dei iustitiam sine corporum resurrectione mino
consistere posse viderent. Si enim iustus est Deus, pijs quidem sua præmia retribuet, impios
gnis scelerum pœnis mulctabit. At istud in hac vita rarissimè fieri videmus, imò plerunque
flictionibus perpetuis exercentur, impijs interea securè voluptuantibus. In futuro igitur iud-
munerationem illam fieri, & vt ea fieri possit, corpora resuscitari oportet. Nisi enim id fiat, p-
iudicij & iustitiæ locus erit. Deinde voce Christi excitatus Lazarus è sepulchro prodit: Ita
bam illam nouissimam virtute Christi omnes excitabimur, & tunc non terra modò, verum
mare (vt in Apocalypsi scribitur) & omnes aliæ mundi partes suos mortuos reddere cogentur.
quia hoc voce & virtute filij Dei confici oportere scriptura docet, omnem simul dubitatio-
animis nostris tollit, & eorum rationes confutat, quibus hoc factu impossibile videtur, ei quod
pora alia in terra computrescant, alia flammis in cinerem redigantur, alia in aqua diffluant,
multa à piscibus, volucribus & feris deuorentur. Sed si illa restitui impossibile putant, dicant
qua ratione factum sit, vt eiusdem verbi æterni virtute totus hic mundus è nihilo productus
item ratio fuerit, quòd ad Christi vocem leprosi mundati sint, febres & morbi diffugerint,
fluctusque cessarint, & Lazarus iam putrescens subitò viuus & sanus resurrexerit? Quæ cu
cta esse non possint negare, nisi scripturas simul omnes negare velint, absurdum nimirum est
tuorum resurrectionem in dubium vocare, quam eiusdem Christi virtute confici oportere

Firmiter ergo teneamus hunc nostræ fidei articulum, qui in aduersis efficacissima consolationis argumenta suggerit, & simul excitat, vt futuri iudicij memores sanctè viuamus, sicuti alibi prolixius diximus.

Continet præterea historia hæc allegoriam pulcherrimam, quam cùm veterum nonnulli obseruarint, eademque ad illustrandum salutis nostræ negotium non parum faciat, minimè prætereunda esse videtur. Est enim Lazarus hic omnium nostrûm typus, quo docemur, vt nos redimi & saluos fieri oporteat. Fuit is verè mortuus, & quartum iam diem in sepulchro agens computrescere cœpit. Ita nos omnes in delictis mortui sumus, & graui legis pondere oppressi, ex morte ista non possumus resurgere, sed indies magis & magis computrescimus, quando pluribus quotidie & nouis peccatis nosipsos grauamus. Vt autem Lazarus prodiret, lapidem prius remoueri oportuit, vnde fœtorem grauem orituru esse Martha sciebat. Ita vt ex peccatis aliquando surgamus, Legem aperire & verum eius sensum explicari necesse est, vt illorum fœtor tam nostris quàm aliorum omnium naribus & sensibus ingeratur. Nisi enim hoc fiat, nunquam agnoscemus nos miseros esse, neque de salute seriò cogitabimus. Blanditur enim nobis peccatum, & ea est nostra infelicitas, vt tunc nos omnium felicissimos putemus, quando sceleribus toti sumus obruti. Ideo Christus Matthæi quinto capite verum legis sensum ita eruit, vt ex eo omnes peccati conuincamur, & ab eo articulo prædicandi initium facere iubet apostolos, quando præcipit, vt pœnitentiã primum omnium doceant. Quod quanta cum diligentia illi fecerint, vel vnica Pauli ad Romanos epistola abunde testatur. Porrò non sufficiebat sepulchri lapidẽ remouisse, sed Christi vocem accedere oportuit, quæ Lazarum excitaret. Ita Lex quantùmuis explicetur, neminem à peccatis & morte animarum liberat, sed euangelij vox accedat oportet, quæ remissionem peccatorum, adhæc iustitiam, satisfactionem, vitam & salutẽ ipsam in Christo nobis prædicat. In his verò omnibus alta voce & clamore magno opus est, eò quòd innata nobis corruptione impediti, ea difficulter admittimus, quæ carnis nostræ desiderijs contraria sunt. Ideo prophetæ vocem instar tubæ exaltare iubentur, & Ioannem baptistam Spiritus sanctus vocem clamantis vocat: & vehementer errant, qui hodie Dei verbum ita prædicari volunt, vt nemo de se dici sentiat, sed in commune modò proponatur, quid nos facere velit Deus: Ea enim est nostri ingenij corruptio, vt licet animi ipsi feriantur, vix tamen obtineas, vt seriò pœnitentiam agant, & vitam emendent, qui peccatis assueuerunt. Cæterùm prodit quidem ex sepulchro Lazarus, sed manus pedesq; vinctus adhuc est fascijs sepulchralibus, & insuper faciem sudario obuolutam habet. Etsi per Christi verbum & spiritum ad vitæ nouitatem excitemur, manent tamen peccati & carnis reliquiæ, quibus constringimur, vt minus expeditè in Dei vijs ambulemus. Vocat hanc Paulus legem peccati, vulgò autem peccatum originale dicunt, eò quòd ex primis parentibus originem sumpsit, & ex illis ceu iure hæreditario est deriuatum. Quod in sanctis etiam suum adhuc locum habere illorum preces & querelæ testantur, imprimis verò quod Apostolus de seipso memoriæ prodidit ad Roman. capite septimo. Soluuntur tamen istæ fasciæ assiduo verbi & pœnitentiæ studio, quo carnis sensus & opera mortificantur. Papistici quidem doctores hanc particulã de confessione Auriculari & absolutione priuata exponunt, quam à sacrificulis petere iubent: Sed hoc nimis ridiculum est. Nec enim constat, num discipulis hoc mandarit Christus, vt ipsi Lazarum soluant, & verisimilius est, hoc aliquos ex turba astante fecisse, cuius potissimam rationem in hac tota actione Christus habuit. Poterat enim miraculum non parua ex parte suspectum fieri, si suorum ministerium adhibuisset. Deinde præcipitur hic quod factu necessarium est, & sine quo salus nostra non consistit. At priuata absolutione non omnino opus esse constat, quando qui per fidem in Christum innouantur, procul dubio salui fiunt, licet nemo ipsos absoluere velit. Nihil ergo hîc aliud iubet Dominus (si allegoriam spectes) quàm quod alibi pedum ablutione adumbratur, qua adhuc opus habent, qui per ipsum abluti sunt, vt suo loco fusius dicetur. Postremò abit Lazarus & inter viuentes sua libertate fruitur. Est hic finis nostræ redemptionis in Christo, Libertas nimirum ingrediendi & egrediendi in domo Domini, de qua supra Cap. 8. & 10. diximus: quam tandem salus æterna sequetur.

Allegorica huius miraculi expositio.

Et hæc in memorabilem Lazari resuscitati historiam hactenus dicta sunt. Restat vt tanti miraculi effectum inspiciamus, qui duplex fuit. Primò enim multi ex Iudæis, qui ad Mariam venerant, & spectauerant quæ fecerat Iesus, crediderũt in eum. Credidisse autem in illum di-

Effectus miraculi.

cuntur, nõ quòd perfecta illorum fides fuerit, sed quòd tantæ rei spectaculo perculsi, & occulto tus virtute moti, se ab eo tempore dociles præbuerunt, & doctrinæ eius locum dederunt, vt dic mus. Vbi rursum obseruabis, vt nostris studijs abutatur Deus ad salutem nostram: quando Mariam consolarentur venerant, Christum inuenerunt, & in eius cognitionem adducti sunt. ret præterea, quàm vtile & salutare sit, cum sanctis & pijs commercia habere. Ibi enim quæ mæ salutis occasiones sese offerunt, cùm impij ferè scandala nobis obijciant, quæ nos ad salutem dentes impediũt. Cæterum his alij opponuntur, qui ad pharisæos abierunt, & dixerũt eis, quæ set Iesus. Quod illos maligno animo fecisse ex eo patet, quòd pharisæis ista retulerunt, qui Christi hostes esse, nemo ignorabat. Fuit horum ingratitudo execrabilis, & horum similes hodie eos persequuntur, qui propter beneficia amorẽ merentur, & qui calumnijs occultis ea quæ nulla ratione probabili possunt damnare. Simul etiam admonet locus iste, non mirum bere videri, si hodie minus proficiatur docendo, quando pleriq; horum sunt similes, qui neq; beneficijs vllis mouentur. Postulant quidem multi miracula: sed nullus horum effectus est probos, qui verbũ aspernantur, cuius illa sigilla sunt. Nam vt sigilli nulla est apud eos auctoritas qui ipsas tabulas vel instrumenta publica negant & oppugnant: ita nequicquam miracula oculis obijciuntur, qui horum finem vel ignorant vel contemnunt. Vt ergo aliquis ad nos ve Ętus redeat, primò prauis affectibus animos liberare, deinde in solius Dei verbum intentos illius erga nos bonitatem sedulò obseruare conuenit. Sic fiet, vt omnia nobis ad salutem sua culo. Imitemur ergo priores illos, & precibus assiduis Deum rogemus, vt vera filij sui Iesu cognitione illuminatos ab omni errore liberet, ad vitæ nouitatem excitet & illius coherede cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

HOMILIA CX.

Coegerunt ergo Pontifices & pharisæi concilium, & dicebant: Quid facimus? nam hic homo multa signa edit. Si ita sinamus eum, omnes credent ei, uenientq́ue Romani, & delebunt tum locum nostrum tum gentem. Vnus autem ex ipsis Caiaphas, Pontifex anni illius, dixit eis: Vos nescitis quicquam, nec cogitatis: quòd expedit nobis, ut unus homo moriatur pro populo, & non tota gens pereat. Hoc autem à semetipso non dixit, sed cùm esset Pontifex anni illius, prophetauit fore ut Iesus moreretur pro ea gente: Et non tantùm pro ea gente, sed ut etiam filios Dei dispersos cogeret in unum. Ab illo igitur die consultabant unà, ut eum interficerent.

POST expositam miraculosam Lazari à mortuis resuscitationem, qua docetur, Iesum Chr vitæ & mortis dominum esse, & proinde ignominiosa eius morte neminem offendi debere, geliſta deinceps passionis & mortis dominicæ historiam contexere incipit, ea commemorans decimitertij capitis initium, quæ illam proximè præcesserunt. Orditur autẽ ab illis, qui eam pui authores fuerunt, & docet quibus causis ad illum occidendum extimulati fuerint. Nam ra atque propria mortis Christi causa sit æternum Dei decretum, qui ita dilexit nos, vt filium nobis dederit, vt eius merito redempti vitam æternam habeamus, huic tamen alia cau diæ & quasi adiuuantes accedunt ex hominibus, qui nõ in Dei voluntatẽ respexerunt, sed affectibus ducti, dum illis indulgent, mortem filij Dei accelerarunt. De his autem evangeli genter agunt: vt primò quidẽ videamus, quid nos potissimùm cauere oporteat, ne ipsi seducti in Christum Dei filium peccemus, nosque ipsos mortis eius fructu spoliemus. Deinde nent nos horum exempla, impios & sceleratos per Dei prouidentiam minimè excusari, etiam illorum opera ad suæ voluntatis executionem bene abutatur. Quia enim ipsi nihil minus quàm Deo vero suam operam locare, & affectuum libidine feruntur, Deo quidem seruiunt tentia laudem meretur, qui illorum consilia & conatus ad finem aliquem bonum dirigit:

digni sunt, qui iustas scelerum pœnas illi exoluant, cuius consilijs atq; præceptis tam insolenter reluctantur. Discimus præterea in horum exemplo hostium Christi mores & artes agnoscere, quò facilius nobis caueamus ab ijs impostoribus, qui hodie simili conatu & improbitate Christum & ecclesiam eius oppugnant.

Primi autem hic producuntur pharisæi & principes sacerdotum, quos resuscitati Lazari miraculum per suos Coryphæos siue emissarios resciuisse, nuper audiuimus. Congregauerunt illi hoc audito Concilium, & in eo de Christo occidendo consilia inierunt, adeoque illum è medio tollendum esse decreuerunt. Estq; hæc historiæ pars dignissima, cuius singula membra diligenter ex ordine considerentur.

Itaque videamus primò, qui aduersus Christum conuenerint. Pontifices nimirum, penes quos summa erat sacrorum authoritas: & Pharisæi, qui præcipuam sanctitatis existimationem sustinebant. Potest hoc mirum & absurdum videri, si sacerdotij istius institutionem & vsum seu finem consideres. Erat enim diuinitus institutum, & sacerdotes illi Iesu Christi, summi & æterni sacerdotis typum gerebant, & præcipuum illorum munus erat, huic populum adducere. At hic meminisse oportet, totum istum ordinem iampridem sacerdotum auaritia & ambitione corruptum fuisse, cui malo initium dedisse videtur circa annum ante Christi natiuitatem centesimum septuagesimum quartum, Iason Oniæ sacerdotis frater, qui apud Antiochum Epiphanem promissa ingenti pecunia sacerdotium obtinuit: neque eo contentus, insuper regem in vrbem recepit, qui templum ingressus multos occidit, & illud spoliauit. Adhæc Hierosolymis gymnasium instituit, in quo iuuentus more Græcorum in disciplinis ethnicis exerceretur, vnde veteris doctrinæ & Legis corruptio, & tandem sectæ exortæ sunt. Hunc simili fraude eiecit Menelaus, qui ne quid sceleris omitteret, Oniam, cui sacerdotium debebatur, ex asylo protractum interfici curauit. Secutæ sunt mox horrendæ calamitates, quibus Deus sacerdotij prophanationem, scelera item sacerdotum & totius populi hos sequentis & adiuuantis impietatem vltus est. Memor tamen promissionum suarum Deus Maccabæos excitauit, qui eiectis regum exterorum præsidijs, Iudæorum gentem libertati vindicarũt, templum purgarunt & sacerdotij dignitatem verumq; vsum restituerunt. Sed neque tunc diuturna fuit illa reformatio. Cùm enim posterorum ambitione sacerdotium in regnum esset mutatum, & iidem sacerdotes simul & reges haberi vellent, mox inter fratres Hircanum & Aristobulum dissidia exorta, quæ bellis ciuilibus causam dederunt. Et cùm vterque externa auxilia accerseret, Pompeius Magnus ea occasione sibi vtendum esse ratus, Hierosolymam cæpit, Hircanum sacerdotem constituit, sicq; sacerdotium rursus in prophanarum gentium potestatem & arbitrium deuenit, Iudæa autem Romanorum prouincia facta est, qui primò illi gubernatorem dederunt Antipatrum Idumæum, cuius prudentia & fide Iulius Cæsar in bello Ægyptiaco plurimùm adiutus fuerat. Huic autem sublato filius successit, Herodes cognomento Magnus, quem cùm Iudæos seditionibus crebris tumultuantes domuisset, primò Tetrarcham, deinde totius Iudææ regem constituerunt. Is vt regnum sibi collatum in seditiosa gente stabiliret, summum Senatum (quem illi ex septuaginta duobus Senioribus collectum, Sanhedrim vocabant) occidit, & veterem sacerdotum prosapiam, quia authoritate pollebat, aboleuit: ad sacerdotium autem euexit homines obscuros, quos nullis ad resistendum ipsi viribus sciebat esse instructos. Itaque tunc corruit planè vetus sacerdotij dignitas. Secuta tamen maior corruptio sub Romanis præsidibus, qui cùm sacerdotium viderent ad modum esse quæstuosum, eius conferendi potestatem sibi vendicarunt, vt ad ipsos etiam aliqua pars lucri redundaret. Venale ergo factum est, & inuenti homines auari atq; ambitiosi, qui illud pretio sibi redimerent. Vtq; vberior esset quæstus, pluresq; ex eo ditarentur, vices etiã annuæ inductæ sunt, vt nouus quotannis sacerdos crearetur, cõtra Dei institutũ, qui illud officium perpetuò penes vnum esse iusserat, quoad is vixisset: id quod ad Christi typum imprimis pertinebat. Quia ergo ad sacerdotium sine pretio & largitionibus peruenire non licebat, ne quid illis deperiret, qui illud à præsidibus Romanis redemerant, sacrorum nundinatio instituta fuit, & trãditiones inuectæ quibus Legis doctrina corrumpebatur, templum deniq; totum in emporium aut latronum speluncam conuersum, formam pristinam prorsus amiserat. Tales ergo cùm essent sacerdotes, mirum non est, illos aduersus Christum cõspirauisse. Arguebat enim ipsorum impostura & improbitatẽ: & quia simul doctrinam

Sacerdotes aduersus Christũ consultant.

Ordinis sacerdotalis corruptio apud Iudæos.

2. Machab. 4.

suam miraculis salutaribus quotidie confirmabat, multi illis relictis ipsum sequebantur. Do
ergo ipsorum quæstui & honori, & nunc maius periculum sibi imminere putabãt, quando ip
tute Lazarum resuscitatum esse audiunt: & proinde sibi non amplius cessandum esse at
nec verentur aduersus eum palàm insurgere, quem diuina virtute instructum esse, non pos
gare. Sunt hi impiorum mores, quòd vbi veritatem diu nequicquã persecuti sunt, tandem
Deo bellum inferunt, si illam indies superiorem fieri videant. Nec enim cõtenti sunt sic
ta insolentius arrogauisse, nisi etiam Dei filio suum honorem & dignitatem eripiant, qua
sia meritò excellit. Exempla huius generis in Pharaone, Saule, Achabo & horum simili
extant: & multa fiunt hodie ab aduersarijs nostris, quæ ipsos eodem spiritu agitari docent.
tur ergo vehementer, qui tales vel docendi lenitate & mansuetudine, vel iudiciorum Dei
& miraculis, vel beneficijs lucrifieri posse putãt, & proinde indulgentius cum eis agunt. Q
his omnibus efficiant homines, quando Dei filius istis hoc vnum effecit, quòd maiori in
cia aduersus ipsum insurrexerũt veritatis hostes? Deinde admonent ista, qui semper
tatis hostes sint, à quibus pij sibi cumprimis cauere debeãt. Falsi nimirum antistites, qui
nis prætextu priuatis commodis student. Docent hoc omnium seculorũ exempla, quæ cum
co nostro commemorauimus nuper, eadem hîc repeti minimè est opus. Vsum potius
ciamus, qui est, ne similibus hodie offendamur. Nam nouissimis temporibus, eosdem
ctrinæ eius hostes fore, prophetæ simul & apostoli testantur. Paulus certè ex episcoporum
pos graues prodituros dicit, qui gregi non parcant: & idem Antichristi sedem in templo
monstrat, quam ille ibi obtinere non posset, nisi religionis studium simularet, & huius
stitem mentiretur. Impleta sunt hæc iam aliquot seculis, & hodie pontificum atque
biem non sine communi piorum dolore experimur. Et mirantur multi, cur qui doctrina
tate valent, euangelium tanto ardore persequantur? Sed quid faciant aliud, qui Iudæorum
tum similes, ecclesiæ ministerium iam pridem in regnum commutarunt, doctrinam corrupe
cra omnia venalia habent, & dummodo ipsis bene sit, aliorum omnium errores & perdition
uiter rident? Neminem ergo istorum exempla offendant, neque eorum authoritate quis
ueatur. Quin potius Dei potentiam & bonitatem admiremur, qui ecclesiam suam aduersus
conatus mirificè conseruat, & multos etiam ex istorum ordine veritatis luce illuminare
vt relictis dignitatibus suis & amplissimis opibus, ecclesiæ Christi egenæ & periculis exp
coniungant.

Qui præcipui sint ueritatis hostes.

Christus concilij authoritate oppugnatur.

Porrò videamus, quomodo isti hanc causam aduersus Christum egerint? Exponi hoc
bo Ioannes, quando illos concilium coegisse ait. Græcè συνέδριον scribitur, quo nomine Iud
mum iudicum consessum appellabant, qui totius gentis nomine de ijs decernebat, quæ ad
& rempub. spectabant. Nam etsi Senatum illum (vt supra diximus) sustulisset Herodes,
sub præsidibus Romanorum, qui τὸ συνέδριον Iudæis concedebant, aliqua eius forma
Erat itaq; summa huius consessus authoritas, qua sibi aduersus Christum vtendum
cùm multa hucusque nequicquam tentauissent. Vbi obseruabimus non sine prouidentia
esse, quòd in Concilio aduersus Christum consultatum, & hîc publica gentis istius
natus fuit. Voluit enim suo exemplo docere, ne offendamur, si hodie etiam Concilia
bus publica principum & antistitum authoritate veritatis doctrina & sectatores
enim seculis aliquot hoc stratagemate vsus est satan, vt Pontifices sub Conciliorum
rannidem suam stabilierint, & huic contrariam veritatem oppresserint, quo olim
pes & episcopi aduersus hæreses vsi sunt. Et quemadmodum Iudæorum pontifices
nerandum Synedrij vel Sanhedrim nomen sibi vendicarunt, quò maior esset decretorũ
quæ ab illis decernebantur: ita Romani pontifices coniuratorum suorum
ralis & Oecumenici titulis vestiunt, vt imperitis rerum fucum faciant. Nemmem
giæ & externus titulorũ splendor decipiãt: sed in mentem nobis veniat, quoties
Christum quoque in Concilio damnatum fuisse, & eundem prædixisse, quòd
lia producturi sint hostes, vt ibi iniustis suffragijs damnent, quos scripturis
conuincere non possunt. Vide Matth. 10.

Quomodo contra Christum consultarint.

Sed præstat istorum cõsultationes, vel potius sermones tumultuarios & perplexi animi indices, audire. Quid facimus? aiunt. Ita verò exordientes, partim se rerum dubios & incertos esse produnt, partim seipsos ignauiæ accusant, vt qui Christũ hactenus tulerint diutius, et longius æquò passi sint progredi, quem initiò statim coercere & opprimere debuerint. Putant ergo per se stetisse, quòd ille nõ tandudum extinctus sit cum sua doctrina, neq; agnoscunt Dei consilium, quo tota hæc causa guberna batur. Est hæc impiorum insolentia, qua sibi persuadent, Euangelij & regni Christi progressum siue euersionem ex suo arbitrio pendere, & ipsos quocunq; sese inclinent, totam hanc mundi machinam simul abripere posse. Et hæc ferè causa est, quòd cæco furore feruntur, & insana consilia suscipiunt, quæ illis plerunq; exitium afferunt. Ita Iulianus olim sua & maiorum suorum oscitantia siue ignauia factum putabat, quòd Christiana religio eò vsq; excreuisset, qui & scholas Christianis aperuisset, & non totas imperij vires aduersus illos armassent. Sed dum ille vtrunq; molitur, in medio conatu victus miserè interijt. Quid verò nostros hosce adeò perplexos reddit? Hic homo (dicunt) mul ta signa edit. At quid in eo erat reprehensione dignum, cùm in vita eius summa innocentia eluceret, & signa quàm plurimis salutem afferrent? Quin hoc dicendo, non obscurum innocentiæ Christi testimoniũ ferunt, cùm in illo nihil præter signorum virtutem possint reprehendere: ex quibus Messiam agnoscere debebant, cui hæc ipsa Isaias tribuit, quæ illius virtute fiebant. Dicit enim is Cap. 35. Deus ipse veniet, & seruabit vos. Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum reserabuntur: tunc saliet claudus tanquam ceruus, & iubilabit lingua muti, &c. Sed est hoc hostium veritatis ingenium, vt piorum virtute exacerbati, ea vitio vertant quæ laudem merentur, & in quibus Dei gratiam peculiarem debebant agnoscere. Quò fit, vt animi sui virulentiam prodant, dum illos temerè accusant. Fit hoc ipsum hodie frequenter, quando vitæ sanctimoniam hypocrisis nomine proscindunt, laboriosam propagandi regni Dei industriam diabolico furori tribuunt, docendi dexteritatem, astutiam & impostura dicunt. Cæterùm apertius isti seipsos produnt, quando addunt: Si ita sinamus eum, omnes credent ei. His enim ostendunt, quid ipsos maximè solicitos habeat. Nimirum quòd multis ad Christum deficientibus, ipsorum quæstui & honori indies multum decederet. Et hæc illa Helena est, pro qua Romani Parides hodie etiam tanta animorum contentione pugnant. Ne tamen hoc alijs innotescat, imò vt inter seipsos aliqua honestatis specie velent, quod imprudentius effutiuerunt, mox subijciunt: Venientque Romani, & delebunt tum locum nostrum, tum gentem. Id est, Si maior populi pars illum sequi cœperit, & eum pro Messia habuerit, Romani nos rebus nouis studere, et regem nobis elegisse putabunt; itaque missis exercitibus conatum hunc nostrũ reprimere volent, quæ res toti huic regioni nostræ & genti excidium feret. Ita verò publicæ salutis studium priuatis suis affectibus inter socios quoque sceleris prætexunt. Ea enim est scelerum deformitas, vt sceleratissimos quoque illorum pudeat, qui ne inter sui similes quidem tales videri volunt. Hinc est quòd inter fures quoque & latrones honorifici virtutum tituli, & inter meretrices mutua castitatis & pudicitiæ præconia audiantur. Insolenter verò nimis aiunt: Delebunt tum locum NOSTRVM tum gentem. Sic enim loquendo sibi vendicant totum Dei peculium, cùm neque terræ istius dominium ad ipsos pertineret, neque legitimi essent ecclesiæ antistites: & rursum ostendunt, cur Christum occisum velint, nimirum vt quæ ipsi debebatur hæreditas, illis maneret: quod ipsum Christus eis in vineæ parabola disertè exprobrat. Docet autem isto exemplo spiritus sanctus, quo prætextu veritas oppugnetur: Eo nimirum quòd qui suis rebus consultũ volunt, reipub. pacem & publicam salutem in ore habent, cuius defensionem susceptisse videri volunt. Et hîc quidem mira verborum grauitate & artificiosa historiarum commemoratione apud principes simul & imperitum vulgus exponunt, quantum mali iam seculis aliquot vbique locorum dederint concionatores, qui veteres & receptos ritus abolere & nouas religionis formas inuehere conati sunt. Vtq; istos non pudet seditionis insimulare Christũ, qui adeò nullum seditiosi hominis specimen dederat, vt nec Herodes postea quicquam de illo conqueratur: ita nostri etiam aduersarij non verentur plusquàm meretricia fronte quæuis effutire, quæ veritatis sectatoribus odium & inuidiam conflare possunt. Sed quia hæc vetus sophistice est, qua olim diabolus pugnauit, et cuius dentes ipse etiã Dei filius expertus est, neminẽ ea offendere debet, &c. Plura vide Homil. in Marcũ 114. Hîc verò simul obseruabis, vt isti sibijpsis contradicant, & eo ipso sibi excidiũ accersiuerint, quo illud subterfugere co-

nati sunt. Fatentur enim signa, quæ humanis viribus maiora à Christo fiebant: interim verò à Romanis periculum imminere clamant: nisi ille compescatur. Ad quid opus erat homines timere, qui penes se haberent, qui morbis, ventis, fluctibus, imò ipsi diabolo & morti potentissimè imperabat? Rursum ergo constat, hoc illos falso prætexuisse, ideoq; factum est, vt propter occisi filij Dei salutem non multò post, cum tota gente, Romanorum armis deleti sint.

Caiaphæ sententia.

Cæterum hæc illis nequicquam quiritantibus, cùm quid fieri deberet nõ decernerent, pontifex planè authoritate sese interponit Caiaphas, eius anni Pontifex, & ait: Vos nescitis quicquam, nec cogitatis, quòd expedit nobis, vt vnus homo moriatur pro populo, & non tota gens pereat. Quæ ba diligentem consideration merentur, tum quòd his Concilium totum commouit Caiaphas, vt Christi mortem omnes consentirent, exceptis pauculis, quorum fidem & integritatem Euangelista alibi commendant: tum quòd inscius & longè aliud cogitans ijsdem totum nostræ redemptionis negotium comprehendit, sicuti Ioannes postea docebit.

Caiaphæ arrogantia.

Primò non ignorantiæ modò, verumetiam belluinæ stupiditatis omnes collegas accusat, vt nihil pensi habeant, neque aliqua publicæ salutis cura teneantur. Vos (inquit) nescitis quicquam, nec cogitatis, &c. Quis verò hîc non agnoscat eundem spiritũ, qui hodie Romanos Pontifices exagitat? Nam hi quoq; omnes homines, imò omnes ecclesiarũ præsules atq; episcopos, stultitiæ & insaniæ damnant, quando in sui pectoris scrinio omnem rerum cœlestium cognitionem contineri, & ex eodem totam scripturæ sacræ interpretationem peti debere dicunt: neq; eo contenti, Concilia quoq; sibi subijci volunt, & nulla horum decreta rata habent, nisi quorum ipsi authores fuerint. Annon ergo stultissimè sapere, se solos publicæ salutis curã sustinere, se solos vtilia cogitare gloriantur? Et sanè portentosum est, quòd & Iudæorum sacerdotes quorum ambitio insatiabilis erat, tam indignæ Caiaphæ vanitati ferre potuerunt, & Pontificum insolentiam tam diu sustinuerunt episcopi simul atq; principes, qui & ipsi plerunq; ambitionis mancipia sunt.

Caiaphas priuatum cõmodum quærit.

Sed quæ illa sapientia est, quam sibi soli vendicat Caiaphas? Quòd expedit nobis, vt vnus homo moriatur, &c. Concurrunt hîc multa, quæ animum iniustum, impudentem & sanguinarium arguunt. Nam expedit nobis, inquit. Ergo non quid iustum, quid æquum, quid honestum esset spectauit, sed solius vtilitatis rationem habuit. Imò nõ publicum, sed priuatum commodum respexit, quod dicat, Expedit nobis. Est hic scopulus, ad quem ferè offendunt, qui de rebus politicis aut negotijs consultant: Quòd nimirum in solum vtile intenti, quid iustum aut honestum sit non cogitant. Itaque fieri non potest, quin suis rationibus & carnis philautia decepti à vero & iusto exorbitent, cùm priuata vtilitate omnes natura moueantur. Nunquam ergo in consultationibus vtile ab honesto separari debet, quando reuera vtile esse non potest, quod cum aliqua ignominia commissum est. Viderunt hoc gentium philosophi, vt ipsorum de moribus & officijs præcepta testantur. Quanto magis ergo homines Christianos & ecclesiæ ministros hoc obseruare conuenit, vt ante omnia curent fieri deceat, quidq; Deus iubeat fieri inspiciant, & hoc sibi faciendum proponant, de eventu non modum soliciti, qui non potest nisi vtilissimus & felicissimus obtingere ijs, qui Deum vocantem sequuntur.

Caiaphas scelus extenuat.

Deinde scelus mirificè extenuat, vt animi sanguinarij indicia facilè deprehendas. Expedit nobis vt vnus homo moriatur pro populo, & non tota gens pereat. Primò vnũ cum multis, imò cum toto populo cõfert, cuius publica salus pluris quàm vnius vita fieri debeat. Deinde quia aliquos de populo conqueri audierat, ne horum splendore cõmouerentur, contemptim & inuidiosè hominẽ vocat, qui diceret: Quid signa respicitis, quæ in vili & ignobili turba per illũ fiunt? Nam qualiacũq; & quotacunq; ea sint, homo tamen est, & quidem homo vilis, obscurus & nullius pretij, neq; dignus, vt propter illũ gens tota in periculũ veniat. Ita verò ipse etiam rempub. prætexit, cùm hoc vnũ spectet, ne ipsis periret populus, qui iam pridẽ totus perierat, cùm quoad corpus & fortunas Romanis subiectus esset, quoad animã verò ipsorũ traditionibus seductus, instar ouium oberrans, pastore destituuntur. Satis tamen ipsis adhuc saluus erat, cùm ex eo quæstũ quotidianũ facerent, eius stoliditate ad suæ existimationis conseruationẽ abuterentur. Similes huius Caiaphæ sunt, qui quot hodie simili artificio ex priuata causa publicam, & rursus ex publica priuatam facunt, modo nimirum suis commodis publicæ salutis studium prætexunt, de religione autem & doctrina

ip

tis perinde loquuntur, ac si ea causa ad solos ministros pertineat. Inde verò colligunt, iniquum esse, vt propter pauculos respub. tota periclitetur. Sed nõ prosunt istis hominibus suæ cautiones. Vt enim Iudæis Romanos ideò induxit Deus, quòd filium suum crudeliter occidissent, & quidem paschatis tempore, quo illi hæc consilia iniqua inierant: ita ferè impij quæ maximè timent, suis sibi consilijs accersere consueuerunt. Et plerunq; fieri solet, vt qui in nonnullis conniuent, vt euangelij & veritatis hostibus propitijs vtantur, postea grauioribus turbis impliciti, & hos sibi infensissimos, & Deum ipsum sibi iratũ sentiant. His ergo exemplis admoniti, fortiter & ingenuè agamus religionis & fidei negotium: adhæc in externis quoq; rebus eorum consilia detestemur, qui sentiunt facienda esse mala, vt veniant bona. Etsi enim malis consilijs hominum aliquando bene vtatur Deus (quod in præsenti etiam factum fuisse constat) hæret tamen in illis sua iniquitas, neq; poterit non infelicissimus esse eorum exitus, qui agnitæ voluntati reluctantur.

Porrò interpretatur Ioannes Caiaphæ verba, & ea æterno Dei decreto de humani generis redemptione accõmodat, & ita veram mortis Christi causam nobis in mentem reuocat, ne quis illum istorũ consilijs circunuentum, aut eorundem potentia oppressum fuisse arbitretur. Sic enim ait: Hoc autem à semetipso non dixit, sed cùm esset Pontifex anni illius, prophetauit fore, vt Iesus moreretur pro ea gente, &c. Prophetauisse ait Caiapham, eò quòd inscius & longè alia cogitans locutus est, quæ Christi Iesu & salutis humanæ mysterijs per omnia conueniunt. Habent enim eius verba sensum duplicem. Primus est, quem ipse Caiaphas spectauit, qui vt priuatæ ipsorum ambitioni atque vtilitati consuleret, Christum sub publicæ pacis prætextu occidendum esse consuluit. Alter, qui ex verbis eius piè colligi potest secundùm æternum Dei decretum, secundùm quod non vtile modo, verumetiã necessarium fuit, vt filius Dei ignominiosam mortem subiret, ne nos propter peccata morte æterna mulctaremur. Quoad primum sensum, ex semetipso locutus est Caiaphas, malum scilicet & impium carnis affectum secutus. Quoad alterum verò, minimè ex semetipso hoc dixit, imò nihil huius cogitauit, Deus verò eius linguam ita moderatus est, & aliud cogitanti hæc verba suggessit, quæ cum ipsius æterno decreto consentiunt. Fit hoc frequenter, vt homines inscij & nolentes vera dicant, aut ea proferant, quæ ipsis præsagiorũ loco sunt, & ipso euentu, secus quàm ipsi putarant, confirmantur. Solent ea prophani scriptores Omina dicere, qui & ipsi in illis occultum numinis afflatum agnouerunt. Tale quid Pharao passus est, quando Mosi dicebat: Caue, ne posthhac videas faciem meam. Quod Moses arripiens respondit: Sicuti locutus es, non amplius videbo faciem tuam. Vtrunq; verò dictum exitus confirmauit, quando Pharao maris rubri fluctibus obrutus interijt. Cui non multum absimile est, quod Iuliano apostatæ accidit, qui cùm aduersus Parthos profecturus Antiochenis, quos grauissimè oderat, dixisset, se ad ipsorum vrbem nunquã velle redire: paulo post eo bello occisus, verbis suis fidem fecit.

Ioannes Caiaphæ uerba interpretatur.

Quoad verò hoc Caiaphæ dictũ Ioannes hoc illi excidisse ait, quòd eius anni Pontifex esset. Quod non ita intelligi debet, quasi sacerdotio illi spiritus sanctus alligatus fuerit, sed voluit Deus ex summi Pontificis ore tale dictum prodire, quo testatum fieret, Christum esse promissum humani generis redemptorem, et ita impijs illis nulla reliqua esset excusatio. Et quia impij nebulonis lingua ad proferendum oraculũ Deus vti voluit, satis euidenter testatur, se ad officium potius, quod sustinebat, quàm personam eius respexisse, neq; tamen pro sanctis habendos esse omnes, in quibus aliqua spiritus effecta conspiciuntur: neq; etiam verbũ eius propter illorũ malitiã contemni debere, qui illud enuntiant. Ita enim fauet Deus abs se instituto ministerio, vt impij quoq; in eo constituti interdũ dicant, quæ ipsius voluntati probè conueniunt. Imò per reprobos aliquando voluntatẽ suã reuelat, vt inexcusabiles faciat eos, qui toti ab illis dependent. Huius ergo consilio olim factũ fuit, quòd Balaam de Israelitici populi successu & ex eo exorituro Christi regno vaticinaretur, ne quid prætexere possent Moabitæ, qui Dei populũ odio implacabili persequebantur. Et apud Matthæum Dominus quosdã in nouissimo die coram ipso cõparituros ait, qui se prophetauisse glorientur, eos autem (etsi non mendaces dicat) se pro suis agnoscere velle negat, eò quòd sint operarij iniquitatis. Cõmendatur his ecclesiæ ministerijs, ne propter ministrorũ vitia, ab ijs ecclesijs successione faciamus, in quibus Dei verbũ purè prædicatur: quod olim Donatistæ fecerũt, quorũ exemplũ hodie Anabaptistæ imitantur. Quia enim Dei verbo sua authoritas ex semetipso constat, nihil illi decedit propter hominũ improbitatẽ,

Sacerdotij dignitas.

vt neq; Sacramentis, si secundùm Christi institutionem administrentur. Deinde in ecclesiasticis cæ-
bus, non scelerum, sed sacrorum communicatio habetur, quibus si qui legitimè & piè vtantur, ipsi a-
liorum nequitia nequaquam fraudi esse poterit: vt nec Apostolis nocuit, quòd ad eandem mensam
in Cœna mystica cum illis Iudas accubuit, & quòd eodem baptismo tincti fuerunt, in quo multi hy-
pocritæ & multi scelerati atq; pœnitere nescij tingebantur. Quid, quòd ipse Christus synagogas in-
gressus est, in quibus impij cum pijs conueniebant, & ad festos dies Hierosolymam ascendit, neque
propter maiorem impiorum turbam à Deo patre instituta sacra negligenda putauit?

Caiaphæ exemplũ non patrocinatur Papistis.

Quòd verò exemplum istud pontificij adducunt, vt Papæ & cleri sui authoritatem tutantur,
quibus propter characterem indelebilem (vt ipsi loquuntur) spiritus sancti gratiam adesse, & prin-
de illorum statutis parendum esse cõtendunt, etsi vita moresq; vocationi eorum minus respondeant,
nimis friuolum atq; ridiculum est. Primò enim nulla est similitudo inter duo ista sacerdotia, Pa-
sticum & Leuiticum: quando hoc quidem à Deo institutum, promissiones de Christo clarissimè il-
strauit: illud verò ab hominibus confictum omnia Christi mysteria obscurat, & eiusdem meritũ ab-
olet. Deinde Leuiticum sacerdotium vnà cum sacerdotibus suis in Christi morte abrogatum, nu-
verò huius simile substitutum fuisse constat. Perperam ergo Papis aut ipsorum creaturis tribuitur,
quod in veteribus illis locũ habuit. Præterea etsi in præsenti prophetauerit Caiaphas, non tamen
semper fecit, neq; ideò omnia eius dicta pro oraculis haberi debuerunt. Imò idem ille paulò post, Chri-
stum ob veritatis confessionem impiè condemnat, & quantum in ipso est, omnia fidei atq; salutis no-
stræ fundamenta conuellit, simulq; in eiusdem sceleris societatem trahit collegas, qui ipsi seruilitate
blandiebantur. Rectius ergo aduersus Pontifices exemplo isto vtemur, ne ipsorum decretis temere
subscribamus. Si enim tam turpiter & nefariè Caiaphas errauit, qui in munere diuino constitutus
erat, & cuius lingua ad oraculi saluberrimi promulgationem paulò ante vsus fuerat Deus: quid ab
illis sperabimus, quorum institutio, ritus, authoritas, potestas & quicquid præterea habent, ab homi-
num superstitiosorum commentis dependet?

Humani generis redemptio traditur.

At omissis istis, Ioannem Caiaphæ verba interpretantem audiamus: Prophetauit fore, vt Iesus
moreretur pro ea gente: et non tantùm pro ea gente, sed vt etiam filios Dei dispersos cogeret in vnum.
Primò quod secundùm spiritualem & sibijpsi ignotum sensum de solius Iudaici populi redemptione
Caiaphas dixerat, Apostolus ad alias quoque gentes extendit, de quarum vocatione propheta fere
omnes vaticinantur. Deinde filios Dei vocat, qui cùm ista diceret Caiaphas, nihil minus esse vo-
bantur, cùm alij Iudaicis traditionibus circunducerentur, alij in idololatria & superstitionibus ne-
farijs miserè sudarent. Ita verò dicuntur propter electionem, & quòd tales suo tempore reuera fu-
turi erant, qua ratione supra quoque Cap. 10. oues vocauit eos qui tunc hirci potius, aut etiam lu-
dici merebantur. Comprehendit autem Ioãnes paucis hisce verbis totum humanæ redemptionis a-
que salutis negotium. Cùm enim dispersos dicit Dei filios, miseram hominum conditionem exprimit,
qui priusquàm tempus gratiæ illuxisset in diuersas superstitionum sectas & infinita sibiq; inuicem
contraria scelerum studia distracti & dispersi fuerunt. Eosdem verò per Christum colligi & vnum
dicit, & ita hunc nostræ salutis authorem constituit. Habet autem ista collectio certum modum atq;
ordinem. Nam primò morte sua legem cum ceremonijs aboleuit, & ita maceriam diruit, qua gen-
tes hactenus à Iudæis distinctæ, adeoque à salutis consortio exclusæ fuerant. Deinde per Euangelij
prædicationem tam Iudæos quàm gentes ad suam ecclesiam vocauit, & externis signis inter se con-
iunxit, qui prius dissidebant. Adhæc vnum & eundem spiritum omnibus conferendo fecit, vt in eu-
dem fide coalescerent, & non modò eiusdem patris filij, verumetiam eiusdem corporis membra effi-
cerentur. Exponit huius coniunctionis mysterium Paulus, quando ad Ephes. Cap. 4. sic scribit:
Vnum est corpus, & vnus spiritus, sicut & vocati estis in vnam spem vocationis vestræ: Vnus Do-
minus, vna fides, vnum baptisma, vnus Deus & pater omnium, qui est super omnia, & per omnia,
& in omnibus vobis, &c. Quibus verbis apertè docet totam salutis nostræ rationem ab ista vnione
dependere, cuius in præsenti meminit Euãgelista. Ad cuius certitudinem plurimùm facit, quòd nos
in Dei filios adoptari audimus. Nam si filij sumus, vtique hæredes etiam erimus: hæredes quidem
Dei, cohæredes autem Christi. Seruit ergo locus iste multiuariàm nostræ institutioni. Primò enim
mortis Iesu Christi fructum exponit, & in vno hoc omnem salutis fiduciam collocare docet. Deinde

sectas prohibet, ne in diuersas superstitiones scindantur, quos Dei filius in vnum coegit. Fatemur vnam ecclesiam catholicam, quam sanctorum cõmunionem dicimus. Huius ergo vnitatem conseruare studeamus, quando extra hanc salus nulla inuenitur: & meminerimus non leue peccatum, imò immane & horrendum scelus esse, ecclesiæ vnitatem scindere. Qui enim hoc faciunt, in ipsum Dei filium peccant, & quantum in ipsis est mortis eius fructũ euacuant. Accusant nos huius criminis Papistæ, sed in ipsis potius hanc culpã hærere diuersi Monachorum ordines testantur, quos illi fouent, & quibus fit, vt vestitu, professione & nominibus differant, qui in Christo vnũ corpus & vna ecclesia esse debebant. Præterea charitas fraterna & sanctæ concordiæ studiũ nobis cõmendatur. Si enim vnum corpus & eiusdem patris filij sumus, adhæc vno & eodem spiritu animamur atque regimur, minimè decet, vt inuidiæ, odio & prauis cupiditatibus locũ demus, quibus vinculum illud vnitatis Christianæ scinditur. Postremò innocentiam vitæ & sanctimoniam morum locus iste præcipit. Quia enim nos per scelerum quoq; studia dispersos Christus collegit, et in fide vnitos sibi sponsam fecit, etiã atq; etiam videre nos decet, ne quid nostra vocatione indignum faciamus, neq; audiamus Satanam, qui peccati laqueis irretitos suo seruitio rursum mancipare studet, quos Christus sibi vendicauit.

Restat Concilij huius decretum, quod hisce verbis Ioannes exponit: *Ab illo igitur die consultabant vnà, vt eum interficerent. Ergo in Pontificis sententiam pedibus itum est &c, & quia morte digni iudicarunt, simul occasionem omnem captandam esse censuerũt, qua hoc suum decretum exequerentur. Vbi Euangelista paucis verbis multiplex peccatum comprehendit. Primò enim capitis sententiam ferunt in eum, cuius causam nondum cognouerant. Deinde ingratitudine peccant, dum perditum cupiunt, cuius infinita extabant in totam gentẽ beneficia. Præterea cæci & amentes eius vitæ insidiantur, qui recenti miraculo docuerat, se vitæ & mortis imperium habere. Videmus ergo, quantum possit impietas, si illius cupiditatibus homines indulgeant. Simul verò obseruemus, quid interea consultarit Deus. Nimirum, vt repudiati, cum vrbe & templo malè perirent, sicuti non semel prophetæ prædixerant. Nec multò post illud accidit, vt alibi prolixè exposuimus. Hoc igitur exemplo admoniti, caueamus cupiditatum carnis illecebras, amplectamur autem Iesum Christum vera fide, vt in illo collecti & vniti seruemur. Ipsi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.*

Decretum concilij.

HOMILIA CXI.

Iesus ergo iam non amplius palàm uersabatur inter Iudæos: sed abiit illinc in regionem, quæ est propè desertum, in urbem quæ dicitur Ephraim, & illic commorabatur cum discipulis suis. Propè autem erat pascha Iudæorũ: & ascenderunt multi Hierosolymam ex illa regione ante pascha, ut purificarent se. Quærebant ergo Iesum, & loquebantur inter se in templo stantes: Quid uidetur uobis? num quòd non ueniet ad festum? Dederant autem Pontifices & Pharisæi mandatum, ut si quis nosset ubi esset indicaret, ut prehenderent eum.

Dei filius Iesus Christus discipulos suos frequenter de cruce ferenda admonet, & ne sibijpsis in hoc seculo omnia læta & secunda polliceantur, non modò quid passuri sint docet, sed etiã quod verbis prædicit, proprio exemplo confirmat. Infra enim Cap. 15. ait: Non est seruus maior domino suo: Si me persecuti sunt, & vos persequentur: si sermonẽ meum seruauerunt, & vestrum seruabũt. Quia ergo ad suum exemplũ nos remittit, multum proderit, totam passionis eius historiam diligenter inspicere, vt si quid huius nobis accidit, in illud intenti simus, quod nos neq; impatientia superari, neq; a recto & vero aberrare patietur. In eius autem descriptione Ioannes primo loco sacerdotes & pharisæos producit, qui de eo occidendo consultarunt, eò quòd eius doctrinam atq; miracula quæstui & existimationi suæ quàm plurimùm derogare viderent. Vbi didicimus, qui semper veritatis hostes grauissimi futuri sint, & quòd nemini hoc nouum aut insolens videri debeat, si hodie etiam Christi doctrina cum sectatoribus suis ab ijs damnetur, qui supremum quidẽ in ecclesia dignitatis gradum

obtinent, interim verò sub religionis prætextu suo duntaxat commodo consulunt. Sequitur in præsenti, quid tunc Christus fecerit, & quæ de illo fuerint in vulgo Iudæorum iudicia, et quid porrò aduersus illum Pontifices atque Pharisæi tentarint.

Christus hostiũ insidias declinat.

Quoad Iesum Christum, non potuerunt illum latere hostium consilia, cùm æterna sit Dei patris sapientia. Ideò non amplius palàm versabatur inter Iudæos, sed abijt illinc in regionẽ, quæ est prope desertum, in vrbem quæ dicitur Ephraim, & illic cõmorabatur cum discipulis suis. Vbi nemo putauerit, illum ignobili metu superatum istud fecisse. Quid enim opus erat homines timere, cùm vnus simul & mortis imperium haberet, & in eius arbitrio esset hostium conatus occulta diuinitatis virtute coercere, sicuti infra ex eius in vrbem ingressu patebit? Ergo aliæ huius facti causæ nobis quærendæ erunt, inter quas duæ mihi præcipuæ videntur. Prima, quòd cùm mortis suæ tempus nondum venisset, hostium furori sese per aliquot dies subducere voluit, ne absque graui causa illos sua præsentia magis inflammaret. Quod ipsum nos etiam non oscitanter obseruare conuenit. Nam etsi quenuis euentum pro Christi gloria semper parati esse debeamus, nequaquam tamen nos periculis temere obijcere, neque hostibus furendi occasionem dare debemus, vbi nulla causa grauis hoc iubet, & de Dei voluntate non satis constat. Nec enim frustra Christus serpentinam prudentiam à nobis requirit, & vt ab hominibus caueamus, idem grauiter nos admonet. Errant hîc multi vehementer, qui vel seipsos absque Dei vocatione ingerunt, vel alios præter causam periculis obijciunt, & nos omnes eos damnant, qui insanis illorum consilijs nolunt obsequi. Altera causa est, quòd dominus voluit, quid Iudæis euenturum esset, & ideò in ea loca secedit, quorum nomina & veteres typos memoriam reuocare & de futura eius populi calamitate cordatos quosq; admonere poterant. Abiit enim in regionem deserto propinquam, & in vrbem Ephraim diuertit, vt ibi cum discipulis suis ad tempus versetur. Quoad Ephraim ciuitatem, non opus est disputatione aliqua, cur eius mentionem nullam faciant Geographi. Scimus enim post exilium Babylonicum paucas vrbes prius splendori restitutas, aliquot verò nouas extructas fuisse, quibus earum conditores nomina pro arbitrio imponebant. Et credibile est, aliquos Ephraimiticæ tribus studiosiores isti oppidulo, cuius hîc mentio fit, nomen hoc dedisse. Nos potius ad typum veterem respiciamus, cùm constet Christum nihil temere fecisse, qui etiam in præsenti aliò diuertere poterat, nisi quid maioris mysterij ista in hunc locum secessione adumbrare voluisset. Audiamus ergo Mosem, qui Genes. 41. cap. scribit: Nati sunt Iosepho duo filij, antequam veniret annus famis, vocauitque nomen primogenito Manasse (quod oblitum significat) dicens: Quia Deus me obliuisci fecit cuncti laboris mei, & vniuersæ domus patris mei. Nomen verò secundi vocauit Ephraim, dicens: Quoniam effecit Deus vt fructum haberem in terra afflictionis meæ, Ephraim enim Hebræis fructificantem siue crescentem significat. At quia postea Iacob moriturus Ephraimum natu minorem primogenito Manasse prætulit, non temere per hunc quidem Iudæorum populum, per illum verò gentes adumbratas fuisse dicemus: de quibus alibi prædictum fuit, quòd in Iudæorum locum successuræ, & vberiores fideles Christum fructus facturæ essent. Itaque innuit ista secessione Dominus, iam adesse tempus, quo sanguinaria Ierusalem, cum tota Iudæorum gente, eò quòd Deum factorem suum dereliquit & ingrata fuit petræ salutis suæ (vt Mosis verbis vtar) apud hunc quoque in obliuionem veniat, regnum verò Dei ab illis ad gentes transferatur, vt quæ hactenus steriles & neglectæ fuerunt, multum fructum ferant, & ecclesiam constituant numerosissimam. Debet ergo huc accommodari, quod Isaias Cap. 54. his verbis vaticinatur: Iubila sterilis, quæ non paris: prorumpe in iubilum & hinni, quæ non parturis: Quoniam plures sunt filij desolatæ, quàm eius quæ marito iuncta est. Vbi maritum confert propheta Iudæorum synagogam, eò quòd hanc Deus sibi desponsarat, neglectis gentibus reliquis, quas (vt Paulus ait) siuit suis ipsarum vijs ambulare. Et huic expositioni pulchre conuenit rei euentus, quando constat, multò plures ex gentibus Apostolorum prædicatione conuersos, & ecclesiam Christi per totum orbem extensam fuisse, quæ prius intra angustos Iudaici populi fines concludebatur.

Pœna contemptorũ Christi

At hîc meminerimus, Deum in Iudæis cõmune & publicum exemplum edidisse, quo docuit, quod omnibus seculis passuri sint, quotquot filium suũ, Iesum Christum contemnunt. Nam si natura aliorum ramis, qui ex electa patrum stirpe descenderant, non pepercit Deus, minimè putandum est, quod

ijs parcere velit, qui ex prophanis gentibus, ceu oleastro, decerpti, & in stirpẽ illam ex gratia insiti sunt, si ingratos & steriles deprehenderit. Est hæc sententia multarum gentium & vrbium exemplis confirmata, à quibus regnum suum Deus olim transtulit, & constat in plerisq; locis hodie impia Mahumetis deliria regnare, vbi olim apostolorum voces sonuerunt. Et quid nobis hodie portendat Deus, quidue multi iam passi sint, nemo tam cæcus est qui non videat. Non autem putemus solius animæ negotium hic agi, quod plerique nõ magni faciunt. Quia enim tota hominis salus ex Dei gratia dependet, cuius mediator nobis est Iesus Christus, impossibile fuerit eos in externis vera & stabili felicitate frui, quicunq; Christum & verbum eius sua ingratitudine à seipsis repellũt. Iudæos certè, quam primùm à Christo repudiati fuerũt, infinitis malis attritos, & tandem horribili exemplo excisos fuisse scimus: & ijdem adhuc hodie nullum malorũ suorum finem inueniunt, quando aduersus Christum incurabili contumacia pugnare pergunt. Vident præterea hoc loco quid sperare debeant, qui ita rempub. administrant, vt pij ab ipsis discedere cogantur, impunè interim quiduis agentibus impijs, qui sua licentia Dei iram indies accendunt. Quia enim Christus cum suis coniunctus est, simul cum illis hic quoq; discedit, in eius verò locum succedit maledictio, quæ extremum vrbibus interitum affert. Sic Lotho è Sodomis digresso, mox sulphur & ignem de cælo pluit Dominus, & idem prius eodem die diluuij aquas immisit, quo Noa ab infelici mundo abiens in arcam sese recepit. Quæ exempla vtinam diligentius intuerentur, qui hodie pios Christi cultores inhumaniter reijciunt, & ex eo sibijpsis felicitatem summam pollicentur, si vna cum illis euangelium quoq; excludant.

Christus facilè locum inuenit suæ ecclesiæ.

Obseruabimus præterea, quòd etsi ab Hierosolyma discedat Dominus, non tamen hominũ consortium prorsus fugit, sed locum quærit, vbi tutò & cum fructu maiori degat, eumq; facilè inuenit. Plurimum ergo falluntur, qui eo licentius peccant, quòd Christi regnũ sibi alligatum arbitrantur, quasi nullus vspiam terrarum ecclesiæ locus futurus sit, si ab ipsis euangelium auferatur. Atqui potest Deus (vt Baptista dicebat) ex lapidibus Abrahami filios excitare. Nemo igitur spe vana seipsum decipiat. Interim consolationem habet non vulgarem, quòd reproborum malitiam electis suis nequaquam fraudi esse sinit Deus, vt ab his quoq; simul regnum suum auferat: & quòd idem ecclesiæ suæ locum mox inuenit, vbicunq; vult. Neminem ergo vel persecutionum procellæ, vel impiorum malitia terreãt, vt de ecclesiæ conseruatione desperet. Quin certa spe armati discipulos imitemur, qui Christum in desertum quoq; & ad Ephraim vsq; secuti, illic cum eo perseuerarunt, cui inter Iudæos nihil ferè tutum esse videbant. Laudat hanc illorum constantiam Dominus, & amplissima promissione remunerat, quando in vltima Cœna illis ait: Vos ij estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis: Ego igitur dispono vobis, prout disposuit mihi pater regnũ, vt edatis & bibatis super mensam meam in regno meo, &c. Quam promissionẽ ad omnes pertinere, qui inter aduersa in fide Christi constantes perseuerant, infiniti alij loci testantur: & quidem imprimis ille, quem Cap. 17. audiemus, vbi se non pro Apostolis modò orare dicit, verumetiam pro omnibus, qui horum doctrinam secuti in ipsum credunt.

Tempus passionis Christi.

Cæterùm ista occasione tempus annotat euangelista, quo hæc gesta sunt, dicens: Prope autẽ erat pascha Iudæorum, & ascenderunt multi Hierosolymã ex illa regione ante pascha, vt purificarent se. Fuit hoc vltimum pascha, quod Christus in terris egit, & in cuius parasceue mortẽ in ara crucis obijt. Et de paschate quidem & eius institutione Moses Exod. 12. copiosè disserit. Quoad verò purificationem, ad quam multi ante diem festi in vrbẽ ascendisse dicuntur, nulla eius fit mentio expressa in Lege, quæ hoc potissimùm præcipit, vt fermentum omne procul remoueatur. Videtur tamen posteris temporibus mos iste obtinuisse, quando multi ad sacra irreligiosius accesserunt: & tale quid Ezechiæ temporibus obseruatum fuisse, ex eius paschatis historia patet, quod ille celebrari curauit. Cum enim multi ad illud venissent, qui secundùm legem immundi censebantur, ad hunc modum Ezechias pro illis orauit: Dominus, qui bonus est, expiet omnẽ, qui cor suũ præparauit ad quærendum Deum, Dominum patrum suorum, etiamsi non sit mũdatus secundùm purificationẽ sanctuarij. Atqui Lex cum suis purificationibus & ceremonijs omnibus abrogata est, omissis his, ea considere mus, quæ ad nostræ salutis mysterium faciunt.

Vbi primùm occurrit, cur hoc potius, quàm alio tempore, Dei filius mori voluerit? Nimirùm, vt festi huius consideratio nos & cõditionis nostræ admoneret, & ipsum doceret eum esse, quem olim

paschalis agnus figurauit. Quò Paulus respexit, quando in priori ad Corinth. scribebat: Pascha nostrum pro nobis sacrificatum est, nempe Christus. Quia verò Homilia in Marcum 114. multis diximus, vt festum hoc cum Christo & salutis nostræ mysterio conueniat, hæc in præsenti paucis attigisse sufficiat.

Ad Christum percipiendum opus est præparatione.

Deinde videamus, quid nobis facto opus sit, vt hoc nostro paschate, Christo nimirùm, salubriter fruamur, id est, vt salutis consortes fiamus, quam ille nobis mortis & sanguinis sui pretio acquisiuit. Vbi fidem potissimùm requiri, scripturæ omne passim docent. Sed vt ea in nobis locum habeat, præparatione opus est, qua auferantur, quæ illam impedire aut extinguere solent. Vbi hoc præcipue oportet, de quo Israelitas in paschatis institutione admodum grauiter, & quidem sub pœna capitis admonuit: Nimirùm, vt fermentũ omne expurgetur. Atqui de fermento materiali nulla hic quæstio est. Sustulit enim ciborum discrimina Christus, neq; vllus cibus, qui modestè & cum gratiarum actione sumitur, hominem inquinare potest. Spirituale ergo fermentum expurgari debet, quod Apostolus Vetus dixit, & quo omne illud comprehenditur, quod hominem aduersus Deum inflat, & ram illo acidum siue insipidum reddit. Inter quæ primus locus falsæ doctrinæ & impijs de Deo opinionibus debetur, quas alibi Christus pharisæorum fermentũ vocauit. Parit illa hypocrisim & proprij meriti fiduciam, quo nihil Deo magis ingratum, nihil nostræ saluti exitialius est, sicuti pharisæorum exempla abunde testantur. Et quod mirum videri poterat, ad eundem titulũ pertinet Epicureus Dei contemptus & impudens morum corruptio, quod Herodis fermentum à Christo dicitur. Ista ergo omnia expurgent, qui Christianum pascha agere, & bonorũ cœlestium in Christo consortes fieri volunt. Quoad enim his occupati fuerimus, Christi quidem nomine gloriari possumus, ende tamen illo nunquam fruemur, vt nobis salutaris fiat. Quia non alias ille oues agnoscit, quàm quæ vocem eius audiunt, neq; incertis & dubijs opinionibus circunferuntur. Iustitiam verò suam illis sibi communicat, qui vbi de suis viribus & suorum operum merito desperauerunt, omnẽ salutis spem in ipso solo collocatam habent. At quàmuis hoc multi profiteantur, simul verò vitam degant impiam atq; sceleratam, eos pro operarijs iniquitatis ille habet, neq; dignos iudicat, qui eius nomẽ vsurpant. Simul ergo fermentũ omne expurgari, nosq; totos spiritu innouari oportet, vt quod Paulus monet, festum agamus, non in fermento veteri, nec in fermento malitiæ & nequitiæ, sed in azymis paniis, synceritatis & veritatis, &c. Vide 1. Corinth. 5.

Varia Iudæorũ de Christo iudicia.

Postremò Iudæorũ de Christo sermones euangelista exponit, ex quibus apparet variè de illo iudicatum fuisse, simulq; plus quàm ferrea Pontificum contumacia arguitur. Qui enim purificationis ergò Hierosolymam aliunde aduenerãt, illum quæsiuisse dicuntur. Erat enim iam notissimus omnibus ex fama doctrinæ & miraculorum, & quia antehac dies festos nunquã neglexerat, nunc ipsum nuspiam adhuc comparere mirantur. Non tamen dubium est, non pariter affectos fuisse omnes, qui ipsum quæsiuerunt. Fecerunt hoc alij zelo bono, quòd illum magni facerent, & doctrinæ eius studio tenerentur. Alios fortasse sua curiositas & nouitatis studium extimulauit. Fuerũt item, qui populeuitatem suam exprobrarent, qui relictis legitimis doctoribus, eum sibi magistrũ delegerint, qui vocem fugiat, & in festo omniũ celeberrimo non ausit comparere. Et tale quid verba sonare videntur. Dicunt enim: Quid videtur vobis? num quòd non veniet ad festum? Quasi dicerẽt, Iam ne incipit sentire, quàm malè sibi conscius sit vester ille doctor, cùm in publicum prodire non audeat? &c. Possus non defuisse puto, qui ideo illum quæsiuerint, vt inuentum Pontificibus & pharisæis prodere, quos de eo mandatũ publicum dedisse, Ioannes scribit. Nos verò in his obseruemus, semper variis Christo & eius membris iudicia fore in mũdo, neq; ijs quæ hodie fiunt, quenquã offendi debere. Nam ea illorum sors est, vt calumnias prorsus effugere nullo modo possint. Si quid enim bene agunt ex Dei præscripto, hoc ferè in peiorem sensum impij detorquent, & prauo alicui affectui tribuũt, ne pietatis officium in ijs agnoscere cogantur, quos cane & angue peius oderunt. Si quid verò humanitus peccant, Deum immortalem, quanto iubilo & quàm mirificis sannis insultant: non quidem, vt errorem emendent, sed vt eo prætextu totam fidei & religionis Christianæ causam omnibus bonis suspectam & inuisam reddant. Quò magis nos aduigilare decet, ne quam hostibus proscindendi fidem Christi occasionem demus. Minimè tamen speremus, nos omnibus placere posse: & proinde sufficit nobis, si actiones nostras Dei verbo cõsentaneas esse, & proinde illi probari sciamus. Quod vt maior

cum fructu fiat, ipsi Christum sancto studio quæramus, vt inuentum apprehendamus, & in illo seruemur. At quomodo (inquis) Christum in terris quæram, quem in cœlum ascendisse scriptura docet, & ipsi inter fidei articulos profitemur? Aut quomodo in cœlum manum mittã, vt ibi sedentẽ teneam? Audi tibi respondentem D. Augustinum: Fidem mitte, & tenuisti. Quoniã Christus absens etiã præsens est. Nisi præsens esset, à nobis ipsis teneri non posset. Sed quoniam verum est quod ait: Ecce ego vobiscum sum vsq; ad consummationem seculi: & abijt, & hic est: & redijt, & nos non deseruit. Corpus enim suum intulit cœlo, maiestatem non abstulit mundo. Hæc (inquam) Augustini sunt: quibus adde, quòd Christus, cuius diuinitas vbiq; præsens est, idem suum quoq; meritum nobis per verbum suum offert, & in eo à nobis apprehendi vult. Audiamus ergo loquentem in verbo suo, & credamus ei, sicq; illum & inueniemus & apprehendemus, vt nobis salutaris fiat.

Pharisæi Christum comprehendere iubent

Priusquã verò dicendi finem faciamus. Pontifices quoq; & pharisæi nobis cõsiderandi sunt, qui mandato publico præceperũt, vt si qui Christum alicubi latere norint, illum prodãt: & procul dubio suis suffragijs siue acclamationibus eorum sententiã confirmarunt, qui in templo de illius absentia sinistrè iudicabant. At ijdem dum Christum omnibus exosum reddere & crudeliter extinguere cupiunt, suam produnt impietatem, qui nec templi neq; festi religione mouentur, vt à sanguinarijs consilijs cessent. Ita hodie, qui toti spirituales & mũdo mortui videri volunt, præ alijs sanguini & iniustis cædibus student: & quidem tunc, quando spiritu sancto imprimis gloriantur: Nimirũ in Conciliis suis, quæ ad opprimendam Christi doctrinam indicunt. Quibus si qui interesse nolunt, mirum est quam fœdis calumnijs illorum absentiam exagitent, cuius ipsi præcipui authores sunt, qui innumeris exemplis docuerunt, quàm periculosum sit ipsorum promissis credere. Obseruatu quoq; dignissimum est, quàm ridiculos sese isti præbeant. Nunc enim Christum anxij quærunt, & vehementer metuunt, ne posthac in vrbem venire detrectet. At non multò post ad illius ingressum terrentur, & ex templo eijcientem prophanos sacrorum nudinatores atq; publicè docentem non audent attingere. Ita ridet Deus impiorum hostium consilia. Nemo igitur homines metuat, sed fortes in Christo Iesu vincamus quæcunque aduersa incidunt, & cum illo in cœlis regnabimus, cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

CAPVT XII.

HOMILIA CXII.

IEsus ergo sexto die ante Pascha uenit Bethaniam, ubi erat Lazarus, qui mortuus fuerat, quem suscitarat ex mortuis. Fecerũt ergo ei cænam illic, & Martha ministrabat, Lazarus uerò unus erat ex ijs, qui simul accumbebant cum eo. Maria ergo accepta libra unguẽti nardi spicatæ multi pretij, unxit pedes Iesu, & extersit pedes eius capillis suis: domus autem impleta est odore unguenti.

PRAECLARA & memorabilis admodum est Iesu Christi sententia, quam supra Capite tertio audiuimus: Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum dederit, vt omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Comprehendit enim his verbis veram & propriam suæ mortis causam, & hanc nobis in æterno patris decreto monstrat, qui cùm quales futuri essemus præuideret, illum nobis redemptorem destinauit, & præfinito tempore misit, vt suæ mortis merito & gloriosa sua resurrectione miseros nos redimeret. Est autem hæc mortis Christi causa diligenter consideranda: quia & inanem operum nostrorum fiduciam retũdit, & simul nos excitat, vt ipsi quoq; Deum redamemus, & vicissim nos nostraq; omnia pro nominis ipsius gloria expendamus. Quoad verò historiam passionis & mortis dominicæ, quidam ex hominibus producuntur sacerdotes nimirùm & Seniores Iudæorum, qui cùm hoc Dei decretũ omnino ignorarent, aut saltem in prophetis obscurius expressum non attentè considerarent, priuatis affectibus ducti, Christum occidi curauerunt. Istis Iudas accessit, ijsdem planè causis excitatus, qui nõ mdo

suam operam illis contulit, verumetiam author fuit, vt quod facere decreuerant, sua opinione [illegible] exequerentur. Et quia hæc historia multa habet cognitu dignissima, Ioannes eam prolixè [illegible] nobis autem perspicuitatis ergò, & vt plus ex ea fructus percipiamus, hoc ordine consideranda [illegible] vt primò quis Iudas fuerit videamus: deinde quid illum mouerit, vt tantũ facinus auderet: [illegible] mò historiam, quæ prima huius Cap. parte continetur, cum suis circunstantijs excutiemus, [illegible] sceleris perpetrandi occasionem dedit.

Iudas Christi proditor quis fuerit.

Quoad Iudam, fuit is Iscariotes, sic dictus à loco natali, quem D. Hieronymus in Isaiæ [illegible] scribens tribus Ephraim vicum fuisse ait. Ex duodecim verò discipulorum numero eundem [illegible] omnes euangelistæ vnanimi consensu testantur. Fuit ergo ex eorum numero, quos Christus [illegible] alijs delegerat, vt eorum opera in propaganda euangelij doctrina vteretur, & quos miraculorũ [illegible] no instruxerat, vt maior esset doctrinæ ipsorum authoritas. Nec verbi modò sui, verumetiam [illegible] niæ & facultatum suarum dispensatorem illum cõstituit, vt postea Ioannes annotabit, quando [illegible] supium illi concreditum fuisse dicet, vt ea reciperet, quæ pij & opulentiores Christi sectatores [illegible] & discipulorum sustentationẽ siue alimoniã conferebant. Vnde apparet non vulgarem fuisse [illegible] discipulũ, sed præ alijs dignitate eximium, eoq; atrocius est, quòd in illo editum fuit diuinæ [illegible] tiæ exemplum. Cuius non obscurè nos admonuit Dominus, quando supra Cap. 6. discipulis [illegible] Nonne ego vos duodecim elegi, & vnus ex vobis diabolus est? Ita verò nos admoneri oportuit [illegible] quo hominũ ordine grauissimi ecclesiæ hostes prodituri sint: ex ipsis nimirũ ministris, qui verbi [illegible] dicationem & religionem sibi quæstum faciunt: quod Paulus quoq; obseruauit, quando Ephe[illegible] nistris dicit: Ex vobis ipsis exorientur viri, qui loquentur peruersa, vt discipulos post se abstra[illegible] Quod vtinã diligentius hodie attenderent, qui successionis apostolicæ titulo ita sibi oculos per[illegible] patiuntur, vt nefas putent illis contradicere, qui eam suis traditionibus prætexunt. At quid [illegible] illa conferet, quando inter ipsos apostolos deprehenditur Iudas, qui Christum Iesum ob vile [illegible] prodidit? Docet præterea exemplum hoc non aliquem hominum ordinẽ inueniri, qui non malos [illegible] mixtos habeat: quemadmodum in singulis etiam propè familijs reperiuntur, qui alijs dedecori [illegible] & quorum viros bonos non immeritò pudet. Exempla huius rei in Marco adduximus, quorũ [illegible] nium nobis vsus duplex est. Primus, ne propter familiæ aut ordinis nostri splendorem cristas [illegible] mus, sed in eo potius simus, ne quid designemus, quod in familiæ & ordinis nostri ignominiam [illegible] det. Alter, ne aliquem hominum ordinem, quem ipse Deus instituit, propter pauculos, aut [illegible] res malos damnemus. Est enim hoc animi insolentis & inconsiderati indicium: quando constat [illegible] etiam aut nostris hoc ipsum accidere posse, quod in alijs damnamus. Quod ipsum in ecclesijs & [illegible] na obseruari debet, ne vel ecclesias temere relinquamus propter aliquos, qui professioni suæ [illegible] spondent (quod hodie Anabaptistæ nimis insolenter faciunt) vel doctrinam verbi accusemus [illegible] quòd corruptis moribus aliqui viuunt, qui huius studium profitentur. Vt enim de ecclesijs ex [illegible] doctrina potissimùm debet iudicium fieri: ita doctrinam ad scripturæ sacræ canonem examinare [illegible] bemus, cui si respondeat, diuina & orthodoxa erit, etiãsi eius prætextu multi abutantur. Plura [illegible] de in Marco nostro Homilia 115.

Causæ quibus Iudas motus est.

Quoad verò causas, quæ Iudam mouerunt, vt facinus hoc indignissimũ designaret, non [illegible] duci possunt, quàm quæ sacerdotes & pharisæos aduersus Christũ extimulauerũt. Audiemus [illegible] postea furem, vel potius sacrilegũ fuisse: cuius sceleris non alia causa ipsi esse potuit, quàm auaritia [illegible] insatiabilis habendi cupiditas, qua vel in posterum sibijpsi prospicere, vel opes inutiles coacer[illegible] voluit: cùm ita suis discipulis prospexerit Dominus, vt nihil ipsis vnquam defuerit, sicuti in [illegible] Cœna apud Lucam confitentur. At si nihil illis defuit in cõmune, multò minus Iudæ aliquid [illegible] deesse, qui loculos seruabat, ex quibus reliqui omnes necessaria petebant. Mouit ergo illum haud [illegible] biè carnis solicitudo, quæ fidem in illo extinxit, & consilia suggessit, quibus caueret, ne rebus Chri[illegible] labentibus, ipse ad egestatem extremam redigeretur. Et potuerunt ipsi nouos quotidie stimulos [illegible] dere sacerdotum insidiæ & vulgi de Christo intercipiendo sermones, vt eò magis sibi festinandũ [illegible] taret, quò ardentius illos hoc negotium agitare videbat. Potuit tamen astutus nebulo animum [illegible] leratum cælare, donec in Cœna Bethaniensi oblata magni lucri occasio repentè euanuit: neq; ea [illegible] euanuit, verumetiam ipse propter intempestiuũ murmur à Domino correptus, suam hanc nequitiam [illegible]

illum minimè latere sensit. Tunc enim ambitionis quoq; stimulis exagitatus, nouum animo furorẽ concepit, vt sibi non amplius cunctandum esse putaret. Simul enim & oblati lucri subitoq; erepti iacturam sarcire, & à Christo sibi factam iniuriam vlcisci voluit, vt postea suo loco audiemus. Nunc enim ad loci præsentis expositionẽ accedere tempus est, quo Cœnam istam Ioannes cum omnibus circunstantijs diligentissimè describit.

Primò autem reditum Christi in Iudæam seu loca vrbi propinqua commemorat. Nuper enim, cùm ex Pontificum decreto sibi insidias strui audisset, aliò desertum versus secessit, quia hora mortis suæ nondum instabat. At nũc sponte vrbi appropinquat, & quidẽ in tempore, vt sexto ante Pascha die Bethaniam veniat, quam Hierosolymæ vicinam fuisse in Cap. præcedenti audiuimus. Est hoc euidens obedientiæ Christi argumentum, qui sponte eò redijt, vbi se captum iri sciebat, adeoq; cruci obuiam iuit, cùm horam mortis iam in procinctu esse sciret. Eoq; illustrior est hæc eius obedientia, quòd Marcus Capite decimo scribit, discipulos in ea profectione admodum timidos & totis animis consternatos fuisse, eò quòd de ijs ipsos admonuisset, quæ ipsi euentura erant. Quia ergo à discipulis quidem & familiaribus suis retrahebatur, à nemine autem vi vlla cogebatur, vt eò rediret, restat vt ipsum sponte illuc profectũ dicamus, vt patris sui decreto obsequeretur, qui illius merito genus humanum redimi voluit. Itaque confirmatur hîc, quod nuper Capite decimo dixit: Nemo tollit animam meam, sed ego pono eam à meipso: Potestatem habeo ponendi eam, & potestatem habeo rursus sumendi eam: hoc mandatum accepi à patre meo. Confirmatur his certitudo salutis nostræ. Quia enim volens obediuit decreto patris sui, potuit eius mors sufficiẽs esse pro nostris peccatis satisfactio, & ideo Paulus rectè dicebat, nos vnius obedientia seruatos esse. Romanorũ quinto. Præterea minimè putandum est, quòd eos negligere velit, pro quibus sua sponte, imò ardenti cum desiderio (vt ipse Lucæ vigesimo secundo testatur) acerbam mortem subijt. Hinc ergo consolationis argumenta petamus, si quando satan salutem nostram in dubium vocare conabitur. Deinde nostri nos officij Christus admonet, quoad mortis horam. Est hæc omnibus constituta, & quia peccati pœna est, natura illam exhorrescimus, & quidem meritò, cùm eius horrores ipse etiam Dei filius senserit. Ne verò eius metu absorbeamur, non modò quid per se sit mors, verumetiam qualis per Christum facta sit, videre oportet: transitus nimirùm ex ista lachrymarum valle in vitam æternam, sicuti Capite quinto & vndecimo abunde dictum est. Itaque cœlestis gaudij & vitæ æternæ spe confirmati vincamus metum hunc, quo caro nostra concutitur, & in Christi exemplum intenti nostrã vocationem constanter sequamur, neque nobis durum aut graue videatur vitam hanc mortalem & infelicem cum æterna commutare. Sed quia de hoc alibi quoque diximus, hîc consultò breuiores sumus.

Christus redit ad urbem Hierosolymam.

Porrò quàm primùm Bethaniam venit Dominus, cœna splendidiori excipitur, quam in domo Simonis cuiusdam, quondam leprosi, per ipsum verò mundati, institutã fuisse, Matthæus & Marcus testantur. Quamuis non ignorem, hanc nõnullis aliam omnino ab illa videri: sed illorum sententia nullis coniecturis probabilibus, nedum certis argumentis nititur. Et vt multa omittamus, quis credat, Dominum intra pauculos dies vnguento vsque adeò pretioso bis cum discipulorũ offensione inungi voluisse, cùm vna vnctio sufficeret adumbrando mortis & sepulturæ eius mysterio, quod illic agebatur? Esset sanè hoc ab eius humilitate & mansuetudine alienissimum. Cæterum præstat singulas huius Cœnæ personas ex ordine inspicere.

Cœna Bethaniensis.

Primus in his locus Simoni debetur, in cuius domo conuiuiũ hoc factum fuisse audiuimus. Vbi repetendum est, periculosum fuisse tale quid in Christi honorem facere, cùm publico Concilij decreto excommunicarentur, aut synagoga mouerentur, quicunq; eius doctrinæ adhærebant. Sed pluris fit apud Simonem accepti beneficij memoria & purior salutis doctrina, quàm Pontificum authoritas, quos impostores & vilissima auaritiæ atq; priuatæ gloriæ mancipia esse sciebat, & ideo nequaquam illum Christi pudet, vtut illi ipsum persequantur. Est ergo hoc fidei constantis & piæ gratitudinis exemplum, quod nos imitari conuenit. Fuimus enim omnes nos peccati lepra infecti, & ideò excluſi à ciuitate Dei & regni cœlorũ consortio. Imò vt Paulus ait, in peccatis mortui fuimus, neq; aliqua in nobis spes vitæ reliqua fuit. Mundauit autem nos sanguine suo Iesus Christus, simulq; verbo suo & spiritus virtute ad vitæ nouitatem reuocauit, ne æternùm periremus. Agnouerunt hoc beneficium

Simon Christi hospes.

omnes sancti, et scripturæ omnes idem magnificè prædicant. Dauid certè clamat: Ecce ego in iniq-
tate formatus sum, & in peccato concepit me mater mea. Sed idem simul Deum orat: Laua me
rimùm ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me. Et mox ratione huius mundationis cla-
exprimẽs, addit: Expia me hyssopo (id est promissi Messiæ merito, quem hyssopus & legales lu-
rificationes adumbrant) & mundus ero: laua me, & niue ero candidior. Et huius generis multa
sent ex prophetis adduci, quibus apostolicũ illud consentit: Sanguis filij Dei emundat nos ab om-
peccato. Mundationis verò huius sigillum est baptismus, qui ideo lauacrum regenerationis &
uationis dicitur. Tanto igitur affecti beneficio grati simus, neq; nos eius pudeat, quem nostri cau-
suscipere, & propter nos vilissima quæq; serui officia obire non puduit. Eidem verò apud nos
demus, illum totis animis excipiamus, illum in verbo suo et membris suis complectamur, quem-
uis aduersus illum Pontifices & pharisæi insaniant, &c

Lazarus conuiua Christi.

Deinde ex discumbentiũ numero Lazarus quoq; fuisse dicitur, quem ex mortuis suscitatum
minus. Ita verò miraculum illud denuo inculcat euangelista, & veritatem illius asserit, quando-
lum aliquo tempore superuixisse, & edendo, bibendo, cumq; hominibus publicè conuersando
viui hominis munera obiuisse testatur. Est autem multa observatione dignum, quòd ex mortuo
tam hanc restitutus Lazarus, neq; hominum consortia subterfugit, neque Christi conspectum
posthac inutilem arbitratur, eò quòd coràm vitæ cœlestis & futuri seculi statum vidisset: sed
minum cœtibus & conuiuijs quoq; honestis interest, ita Christum quoq; adhuc suum magistrum
scit, eiusq; familiaritate imprimis gaudet. Simile quid in Paulo videmus, qui etsi in tertium cœ-
raptus ineffabilia mysteria vidisset, nihil tamen humani abs se alienum esse putauit, neq; hominum
cœtus horruit, neq; scripturas aspernatus est, in quibus Christum per prophetas olim locutum
sciebat. Confer cum horum exemplis Monachos & fraterculos, qui ex purgatorio (vt ipsi som-
uersi perpetuos gemitus ducunt, aut etiam Anabaptistas, qui visionum & reuelationũ (quibus
riantur) magnitudine depressi, vel inflati potius, miram in vultu austeritatem præ se ferunt, &
vestitu neq; victu solito sibi posthac vtendum esse putant, adhæc vix cuiquam hominũ sui cognos-
ciunt, nisi quem sui similẽ nouerunt: & mox videbis, quo illi spiritu agitentur, eo nimirùm, quo
inter gentes Trophonij antrũ fabricauit, vt ex superstitiosis prorsus insanos faceret. At simul
gium vitæ cœlestis typum hæc Cœna nobis exhibet. Simul enim conuiuantur Christus vita cœ-
vnicus, Simon huius beneficio à lepra mũdatus, alij item ex verbi semine in Dei filios renati, e-
zarus, quem ex morte in vitam reuocauerat. Ita olim in cœlis simul eodem gaudio fruentur
Christo Iesu tam ij qui nouissimo die ex mortuis resurgent, quàm qui in illo die adhuc superstites
momento oculi immutabuntur & immortales fient. Ad omnes enim credentes pertinet, quod
pulis in vltima Cœna dicitur: Ego dispono vobis, prout mihi disposuit pater meus regnũ, vt
& bibatis super mensam meam in regno meo. Quo etiam illud referri potest: Multi ab Oriente
Occidente venient, & discumbẽt cum Abrahamo, Isaaco & Iacobo in regno cœlorum. Quæ pro-
siones vt consolationem habent dulcissimam, ita eas typo aliquo confirmari oportuit, quem mul-
minus iam morti vicinus in ista Cœna proponit.

Martha ministrat discumbẽtibus.

Tertio loco Martha producitur, quam discumbẽtibus ministrauisse ait Ioannes, Facit hoc
suo more: nam alibi quoq; sedula & circa rem domesticam solicita atq; officiosa describitur. Ita
senti verò ad eius commendationem imprimis facit, quòd cùm diues & honesto loco nata esset,
in aliena quoq; domo ministrandi munus suscipere dignatur, nimirùm quòd suam operi illius
riam esse videret. Est ergo hoc memorabile exemplum industriæ & sedulitatis, quem in mu-
scriptura potissimùm commendat. Vide Proueb. 31. Item 1. Timoth. 5. & Tit. 2. Talem de-
quoq; Moses describit, quæ cùm opibus & famulitio numeroso abundaret, ipsa tamen in bestiis
tiam farinæ massam subigit, placentas coquit, neq; sua persona indignũ putat culinaria officia
vt & marito obtemperet, & hospitibus rem gratam faciat. Atqui hanc Christianis fœminis
plo esse vult Petrus apostolus, eò quòd eius filiæ per fidẽ factæ sint. Pudeat ergo suæ ignauiæ
tulas, quæ sui generis nobilitatem, opum & dignitatis suæ splendorem in immodico corporis ornatu,
superbo fastu, lasciuis saltationibus & alijs rebus consistere putant, quæ inter Christianas mu-
nari quidem debebant.

Qui

Quartò ipse etiam Christus considerandus venit, qui ad conuiuium istud vocatus accedit, neque Simoni vitio dat sumptus, quos haud dubiè solito maiores faciebat, adhæc sibi ministrari sinit. Fecit hoc ipsum alibi etiam, neq; illum mouit, quòd hinc calumniandi occasionem peterent aduersarij eius, qui ipsum helluonem & vini potorem dicebant. Est ergo vsus rerum huius seculi licitus, & per leges Christianas licet amicos & honestos viros honorificentius tractare, neque peccant qui ista in suam gratiam fieri patiuntur. Fecerunt enim hoc olim Abraham, Isaac, Ioseph, Samuel & infiniti alij, quorum fides & pietas in scripturis commendatur. Attamen modus obseruetur, ne quid contra temperantiæ leges fiat, & accedat gratiarum actio, qua cibos (vt & reliqua quæ nostris vsibus seruiunt) sanctificari scribit Paulus 1. Timoth. 4. Procul ergo valeant morosi Timones, qui dum humanitatis & hospitalitatis officia damnant, et ea in pijs calūniantur, sese Iudæorum socios faciunt, quos idem in Christo fecisse, paulò ante diximus. Christus conuiuio interest.

Restat postrema huius conuiuij persona, cuius in præsenti sit mentio (nam de Iuda & discipulis postea dicetur) Maria Lazari soror, quæ & ipsa pro suo more in vnum Christum intenta, singulari aliquo honore eum afficere voluit, cuius diuinam virtutem ex doctrina & miraculis iam pridem cognouerat. Nihil tamen facit alienum à receptis patriæ gentis moribus. Quia enim apud Orientales nullus erat caligarum vsus (qui nec hodie plerisque in locis receptus est) solebant hospitum pedes abluere, & eorundem corpora vnguentis odoratis recreare, quæ illis balneorum loco erant. Cuius rei testimonia, cùm in sacris & prophanis scriptoribus passim occurrant, ea cōmemorare non est opus. Huic ergo consuetudini sese accommodans Maria, primò pedes Christi abluit, & abluto capillis suis extergit, deinde libram vnguenti pretiosissimi, ex nardo spicata confecti (quam inter Parthorum regalia vnguenta Plinius etiam numerauit) super caput discumbentis effundit, quod ad imos pedes vsque defluens totum corpus pertransijt, totamq; domum odore & fragrantia sua repleuit. Videtur quidem Ioannes factum hoc paulò aliter narrare: sed si rem ipsam cum Matthei et Marci descriptione consideremus, mox patebit eo ordine hæc fieri oportuisse, quem modò exposuimus. Concurrunt autem hìc magnificentia siue liberalitas propè exemplo carens, & extrema humilitas. Nam vt postea audiemus, pretium vnguenti huius fuit trecentorum denariorum, qui florenos Germanicos quadraginta conficiunt. Stupenda ergo fuit hæc munificentia fœminæ priuatæ erga hospitem, quem multis exosum, plerisque verò contemptum esse nouerat. E contra extremæ humilitatis officium fuit, quòd eiusdem pedes capillis extergere dignatur, quibus vt plurimum superbiunt mulieres, cùm ad eam rem linteo vti posset. At nihil ei graue aut nimium videri potuit, quæ se & omnia sua Christo debere sciebat, seq; totam huic consecrauerat. Et rursum nobis hoc etiam exemplo fidei gratitudo erga Christum commendatur. Externis quidem officijs illi non seruitur, neque his ille posthac opus habet, vt ipse postea testabitur. Plerunque verò fit, vt qui illi nomen dederunt, de opibus suis periclitentur, quas aut relinquere coguntur aliò vocati, aut quas ipsis tyranni eripiunt. Deinde in conseruanda doctrina et ijs, quæ ad externum Dei cultum faciunt, sumptus aliquos fieri oportet. Multa etiam à nobis exigit charitas, quam inter suos Christus ardentissimam esse vult, ne à nobis negligantur, quos ille pro suis agnoscit, & qui eiusdem corporis nobiscum membra sunt. Hìc ergo nos nulla opum solicitudine teneri, nullius etiam laboris aut sumptus pigere debet, quin liberaliter nos & nostra omnia pro illius honore impendamus: & si quid præterea nobis superest, illud in pauperes conferatur, qui pedes Christi dici possunt, cùm quòd fere contempti & viles sunt, tum quòd in his ipse Christus ad nos venit, & humanitatis officia à nobis flagitat, eaque sibi impensum putabit, quicquid in illos contulerimus. Lubet hìc vobis recitare D. Augustini verba, quibus facti huius mysterium exponit: Quærebas operari iustitiam? Iustus ex fide vivit. Vnge pedes Iesu bene viuendo, Dominica sectare vestigia, capillis terge. Si habes superflua, da pauperibus, & Domini pedes tersisti. Capilli enim superflua corporis videntur. Habes quod agas de superfluis tuis. Tibi superflua sunt, sed Domini pedibus necessaria sunt. Fortè in terra Domini pedes indigent: De quibus enim, nisi de membris suis in fine dicturus est, Cum vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis? Superflua vestra impendistis, sed pedibus meis obsecuti estis. Hæc Augustinus. Est autem hæc magna Christi bonitas, qui etsi suum corpus nobis subduxerit, non tamen sibi inserendi occasionem omnem simul abstulit. Huius itaque memores, excitemus ei bonam fragrantiam, Maria Christū ungit.

*nosque ei sistamus hostiam viuentem, vt peccatis & mundo mortui, ipsi vni viuamus: cui debe-
benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.*

HOMILIA CXIII.

Dicit ergo unus ex discipulis eius, nempe Iudas Simonis, Iscario-
tes, qui eum erat proditurus: Quare unguentum hoc non uænijt tre-
centis denarijs, & datum est pauperibus? Dixit autem hoc, non quòd
pauperum ei cura esset, sed quia fur erat, & marsupium habebat, & ea
quæ conferebantur portabat. Dixit ergo Iesus: Sine eam, in diem sepul-
turæ meæ seruauit istud. Pauperes enim semper habetis uobiscum, me
autem non semper habebitis.

*IOannes diligenter describit historiam, quæ Iudam falsum discipulũ exacerbauit, vt Christo
dendi consiliũ caperet. Prima verò eius parte fideles Bethanienses producuntur, Simon a
do leprosus, Lazarus & duæ eius sorores, cum alijs quibusdam, quorum nomina non exprimu
Exceperunt hi Christum, quàmuis illud non careret periculo, & insuper magnis impensis & m
officiorum genere honorarunt: vbi præ alijs omnibus Mariæ liberalitas eluxit, de qua bre
mus. Sequitur modò secunda pars, quæ Iudæ proditoris de facto Mariæ iudicium exponit, &
ille præterea tentarit, cùm se sua spe frustratum videret.*

Iudas Mariæ obstrepit.

*Principiò Iudam non expectato aliorum iudicio erupisse scribit Ioannes. Matthæus autem
Marcus quosdam alios quoq; ex discipulis murmurauisse aiunt. Sed facilè isti cum Ioanne consen
possunt. Nec enim dubitari potest, discipulos simul omnes nouo hoc & insolito prodigalitatis
quod Maria Christo impenderat, offensos fuisse, cùm nihil tale vsquam à Christo mandatum,
aliquid huius antehac factum esse scirent. Deinde non difficile fuit Iudæ illos mysterij sub
latentis ignaros in suam sententiam pertrahere, vt vnà secum istud officium damnarent. Qua
reliqui audito Christo conticuerunt, & Ioannes solius Iudæ improbitatem proponere instituit,
sis alteris vnum hunc producit, quem non puduit operam suam sacerdotibus elocare, quos adi
Christum consultauisse nuper audiuimus. Nobis tamen priusquàm longius progrediamur,
uandum erit, quantum possit vnus & alter murmurator seditiosus, si vel pauxillo tempori
cus detur. Sic olim Core, Dathan & Abiron suis calumnijs atq; criminationibus Israelitas
omnes turbauerunt. Sic vnus Seba vix dum sopitam seditionem, cuius author fuerat Absalon
uis clamoribus denuò accendit. Et quid Catilina vnus in Romana repub. potuerit, notius est
vt exponi debeat. Et in præsenti vnus Iudas discipulos reliquos excitat, vt aduersus Christum
Mariam indignissimè murmurent. Neq; desunt nostri seculi exempla, quæ docent, non raro
bonos & publicæ salutis amantes insidiosis seditiosorum sermonibus decipi, vt ipsorum noxia
lia iuuent, dum patriæ communi & religioni consultum volunt. Hîc ergo prudentia & matura
silio opus est, vt & boni, quos illi deceperunt, erroris sui admoneantur, et alteri illi coerceantur
quia mali dent publicè. Quod Christum obseruauisse in præsenti, postea audiemus.*

Iudæ de Mariæ facto sententia.

*Sed præstat nunc Iudam audire loquentem, vt ex eius cantu omnes istius generis aues
agnoscere, quæ etiam hodie Christo obstrepunt. Orditur autem (vt Marcus annotauit, ieun
natione, dicens: Ad quid perditio hæc? Quibus verbis tam ipsum Christũ quàm Mariam tu
immodicæ prodigalitatis accusat, sicq; bonum œconomum simulat, cuius personam & officium
discipulos sustinebat. Deinde addit: Cur non vænijt vnguentum hoc trecentis denarijs? V
buisse ait, vt innuat nequaquam decere hæc tam sumptuosa & magnifica eos, qui hallenus
tatem & humilitatem extremam sint professi. At quia non minor pecuniæ quam vnguenti
esse poterat, hîc quoque addit: Et datum est pauperibus? Videtur ergo hæc Iudæ sententia
bilis admodum & grauissimis rationibus confirmata: Sed multa simul concurrunt, quæ impro
nebulonem arguunt. Primo enim ingratitudine in Christum peccat, cui ab alijs exhibitum
rem inuidet, cum ipse ab eo infinita beneficia percepisset. Deinde mulieri sanctissimæ, imò*

liæ optimè de Christo & discipulis eius meritæ, litem non necessariam intentat, cùm nihil tale in mandatis accepisset: adeoq; iudicem agit, qui ne accusare quidem hoc factum debebat. Est hoc animi iniqui & præcipitis indicium, à charitate item alieni, quæ peccata quoque proximi tegere consueuit, non autem malignè calumniari ea, de quibus nihil dum constat, an reprehensionem mereantur. Præterea sordidus nimis nihil nisi lucrum in ore habet. Nihil enim de Dei cultu, nihil de gratitudinis erga Christum officio, sed de sola pecunia loquitur. Facit autem hoc quoque præter officium, cùm ex eorum numero esset, qui omnia propter Christum reliquerant. Sed vtinam nõ hodie etiam pestis hæc regnaret, quando plerique omnia vtilitate metiuntur, nec aliquid vel æquum vel honestum ducunt, quod non cum lucro præsenti cõiunctum esse vident. Accedit his impia calliditas, qua pauperes prætexit, & tantumnon Dei præcepta allegat, quæ in Lege de pauperum subuentione habentur. Itaq; in primam tabulam peccat, qua prohibetur, ne Dei nomine abutamur.

Iudæ imitatoræ qui sint.

Discamus ex his eos agnoscere, quos adhuc hodie spiritus Iudæ exagitat, sub quibus eadem etiã est Christi conditio, quæ olim sub Iuda fuit. Est illi fragrantissimus odor prædicatio Euangelij, eò quòd hostias ipsi vinas adducit, homines nimirum, qui relictis superstitionibus & peccatis ad verum ipsius cultum accedunt. At hunc ferè ei inuident, qui Apostolici videri volunt, & eo titulo ipsius Christi & ecclesiæ marsupium possident. In quorum numero facilè primi sunt laruati præsules, qui sub religionis prætextu ex ecclesiæ bonis non modò voluptuantur, verumetiam immani fastu & luxu reges tantumnon superant. Accusauit horum auaritiam, furta, rapinas, sacrilegia & immodicum luxum ante annos quadringentos D. Bernhardus, & eos non Petri, sed Iudæ successores esse dixit. Num verò ab eo tẽpore illi mores in melius mutarint, cordati & rerũ periti iudicent. Sequuntur hos proximo gradu pseudoeuangelici, qui dum ecclesiarum reformatione prætexunt, opes sacras sibi vendicant, & illis non minus turpiter quàm priores illi abutuntur. Et hi quidẽ omnes hoc proprium habent, quòd liberæ & synceræ prædicationis odorem Christo inuident, eò quòd hac suos dolos & improbitatem argui sentiunt. Itaq; temere damnant & accusant quosuis, qui illam propagatã volunt, & de scholis aperiendis & vocandis ministris idoneis verba faciunt. Neque sordidos animos dissimulare possunt, quando suorum consiliorum argumenta non aliunde quàm ex auaritiæ loco depromunt, neq; aliud quàm quæstum seu lucrum in ore habent. Et cùm omnia sua vni Christo debeant, tamen plus quàm diabolica ingratitudine cultum impediunt, qui ab alijs ipsi impenditur. Interim ne quid omittant Iudæ facinorum, pauperes in ore habent, imò rempub. & infinita alia, in quæ maiori cum vtilitate impendi possint, quæ nos in scholas & necessarios ecclesiæ vsus cõferri cupimus. Ita verò sub plausibili pauperum, reipub. & gloriæ Dei prætextu priuatum commodum quærunt, quod infinitis argumentis probari poterat, nisi res ipsa loqueretur. Neq; tamen intra hosce fines Iudæ spiritus sese continet, sed ad priuatos etiam homines extenditur, qui simili ingratitudine ijs inuident, vel etiam insidiantur, à quibus maxima beneficia acceperunt. Quid enim aliud quàm Iudas liberi faciunt, qui parentibus, à quibus magno cum labore & pluribus impensis educati sunt, non modò gratiam nullam referunt, verumetiam illorum mortem ceu hiantes corui auide expectant, adeoq; huius lucri vsum ipsis inuident, quem Deus illis concesit? Similis est subditorum ingratitudo, qui cùm magistratui debeant, quòd pace publica fruuntur, quòd ius suum obtinent, quòd iniurijs improborum minus sunt expositi, attamen illos oderunt, neque eos patienter ferre possunt, qui de illis honorificè loquuntur, aut debitum illis honorem impendunt. Et vt ad Christum redeamus, quàm multos inuenies, qui cùm priuatim ex Euangelio commoda plurima acceperint, & quotidie vtilitatem ex eo maximã percipiant, illud tamen odisse solent, & omnes eos indignis modis lacessunt, quos illius amantes & studiosos esse vident? Quid ergo Iudam accusas, qui eodem spiritu duceris? Quin potius in temetipso agnoscis Iudæ mores, deq; ijs emendandis cogitas?

Ioannes Iudæ factũ exponit.

Cæterùm Ioannẽ audiamus, qui Iudæ laruã detrahens, quis eius animus fuerit docet. Sic enim ait: Dixit autẽ hoc, non quòd pauperum ei cura esset, sed quia fur erat, & marsupium habebat, & ea quæ conferebantur portabat. Vendi ergo voluit vnguentum istud, vel potius sibi tradi vendendum, vt ex eo conflata pecunia in communes loculos reponeretur. Inde verò multiplex lucrum ad ipsum redire poterat. Primò enim minoris venditum fuisse dixisset, & sic initiò statim bonam pecuniæ partem sibi seruasset. Deinde non dubium est, quin homo auarus infinitas rationes habuerit,

quibus ex cõmissa sibi pecunia (licet de sorte nihil detrahere posset) lucrum faceret. Note sunt res
vsurariorum & numulariorum artes, quibus pecuniam natura sua sterilem, scropha alba faceun
rem reddere possunt. Et profuit hanc Iudæ improbitatem diserti verbis argui, quo similium ma
sturis hodie minus offendamur. Sunt tamen hîc, quæ diligentius considerari debent.

Christus marsupium & pecunias habuit.

Primum quòd Christus marsupiũ & pecunias quasi publicas habuit. Vnde etiam habuerit, no
obscurè hoc loco exprimitur, quando Iudam ea portauisse scribit Ioannes, quæ conferebantur pr
à pijs & opulentioribus, qui ipsum sequi solebant. Fuerunt ex horum numero aliquot dimitte
stres fœminæ, quarũ nomina Lucas Cap. 8. recenset: Maria scilicet Magdalene, Ioanna uxo
zæ procuratoris Herodis regis, & Susanna, cuius conditio non annotatur. Vsus verò pecuniæ
fuit, quòd ex ijs seipsum & discipulos aluit, & pauperibus quoq; benefecit, sicuti infra Cap. 13. vi
bimus. Cùm enim illic Iudæ dixisset, Quod facis fac citò: pleriq; discipulorũ illũ inssisse putarunt
aut ea coemeret, quibus ad festum opus erat, aut vt pauperibus aliquid daret. At nihil horum ip
cari poterant, nisi vtrumq; solitus fuisset facere. Atqui pecunijs non opus erat ei, qui diuina v
suos & quosuis alios alere poterat. Voluit tamen receptũ inter homines morem obseruare: pr
vt legitimum pecuniarum vsum cõmendaret, & hypocritas argueret, quibus nefas putatur pe
contrectare, cùm interim sub voluntariæ paupertatis prætextu domus orphanorum & vidu
deuorent. Deinde ecclesiæ exemplum præbere voluit, vt ipsa quoq; ærarium habeat publicum, u
petantur quæ ad vsus publicos necessaria sunt, & pauperibus simul prospiciatur: ne vel cõfusio
dam fiat, dum communionis Christianæ prætextu quidam aliena inuadunt, & ijs pro sua
vtuntur: vel pauperes victum ostiatim quærendo paulatim pudorem abstergant, adhæc omnes C
stianũ aduersariorum ludibrijs exponant, & disciplinæ etiam iugum excutiant. Obseruanis mor
hunc diligẽter primitiua ecclesia, quod in Actis Apostolicis & Pauli ad Corinth. epistolæ est vi
Confirmarunt eundem postea Christiani principes, quorũ liberalitate opes ecclesiarum in immen
auctæ sunt. Posterorum autem incuria factum est, vt maior earum pars episcoporũ insatiabili
ritiæ aut luxui, deinde superstitionibus seruiret, neglectis pauperibus simul et verbi ministeri
in ecclesia imprimis cõseruatum oportuit. Accusant abusum istũ multi in aduersarijs nostris: a
domi suæ illum corrigant, pauci reperiuntur: quò fit, vt ecclesias minus rectè constitutas habeam
et multis in locis ministri vel omnino nulli sint, vel inepti & indocti sint, pauperes verò pudore
& disciplinæ tam publicæ quàm ecclesiasticæ iugo excusso passim oberrent, & exoptatissimã ca
niandi materiam aduersarijs præbeant, qui Euangelij lucem extinctam volunt.

Christus suam pecuniam furi & proditori commisit.

Deinde non considerationem modò, verumetiam admirationem dignum videri potest, quòd
niæ istius administrationem Iudæ commisit Dominus, quem furacem & proditorio ingenio præ
imò diabolum esse nouerat. Supra enim Cap. 6. illum dixisse audiuimus: Nonne ego vos duo
elegi, & vnus ex vobis diabolus est? Cur hoc fecerit, certò sciri non potest, & fere abyssus
dicia Dei, in quibus nos eius sapientiam, bonitatem, iustitiam & potentiam admirari, non a
causas factorum eius omnium, quas ille non indicat, curiosius scrutari decet. Si quis tamen p
iecturis locus est, fortassis ecclesiam voluit admonere de futura sorte, vt à quibus maxime c
dum sit omnes intelligant. Nam quod D. Bernhardus quoque annotauit, facit Iesus admo
die multos diabolos Episcopos, qui deinde Iudas agunt, quando non contenti ecclesiam spolia
Christum insuper & verbum eius turpiter produnt, aut etiam ipsi violenter opprimunt. D
excusationem omnem Iudæ eripere voluit, ne sceleri suo inopiam & necessitatem prætexere
cùm penes se haberet communes pecunias, ex quibus necessaria reliquis omnibus sufficerent
ministrabantur: quod illos in vltima Cœna confessos fuisse nuper diximus. Videtur præterea
primo exemplo admonere voluisse, quàm periculosa sit opum eiusmodi administratio, ad q
hodie multi nimis temere contendunt. Quia enim natura alieni appetentes sumus, facile
diabolo suis insidijs eos circunuenire, quorum animos pietate & sero Dei timore minus mu
tos esse videt. Et exempla sunt omnium seculorum, quæ docent, quàm turpiter & pernicios
ti ad eundem cum Iuda lapidem offenderint. Rectè ergo Apostoli, cùm diaconos eligendos
serent, monuerunt, vt spectatæ probitatis viri eligerentur, quos sapientia & spiritu sanctis
ctos esse constaret. Quod si hodie obseruaretur, minus scandali & turbarum haberet Eccle

Non

Meminerint ergo huius exempli omnes, penes quos est diaconorũ ecclesiæ electio: ne dum suffragia sua temere, aut etiam prauo affectu consultore ferunt, alienis peccatis communicent. Meminerint etiam malæ fidei & furaces diaconi, cuius socij fiant, si quid hîc faciant præter officium. Verissimè enim D. Augustinus dixit: Qui aliquid de ecclesia furatur, Iudæ perdito comparatur. Et rursum: Qui consueuerat de loculis pecuniam tollere, non dubitauit accepta pecunia ipsum Dominum vendere.

Bonitas Christi erga Iudam.

Est præterea obseruatu dignissima Christi Iesu bonitas, qui Iudam in discipulorum numero tam diu tulit, imò mensæ suæ adhibuit, pedes eius postea abluit, & amicis admonitionibus in viam reuocare conatus est. Suo nimirum exemplo docens, vt etiam ipsi peccatores benignè feramus, neq; præcipiti nimis iudicio ecclesiæ societatem turbemus, vel ab ea secessionẽ faciamus non necessariã. Requirit hoc in ministris potissimùm Paulus, quando Timotheum iubet placidũ esse erga omnes, & malos tolerare cũ mansuetudine, eosq; qui obsistunt erudire. 2. Timoth. 2. Quantò magis ergo hoc eos obseruare conuenit, qui cùm priuatam vitam agant, nullam de alijs Deo rationẽ reddent, modò ipsi neminem suo exemplo offenderint? Peccãt in eo grauiter admodum Anabaptistæ, qui mox ecclesias totas damnant, in quibus aliquos malos esse conspicantur, neq; adduci possunt, vt in illis vel verbum audiant, vel cum mensa Domini cõmunicent: adhæc sceleratorum socios & scelerũ patronos esse clamant ministros, qui non subitò à talibus discedunt. At quia illis suspectũ est quicquid à nobis dicitur, audiant quæso D. Augustinum piè & Christianè de hac causa disserentem: Quid voluit Dominus noster Iesus Christus fratres mei, admonere ecclesiam suam, quando vnum perditũ inter duodecim habere voluit, nisi vt malos toleremus, ne corpus Christi diuidamus? Ecce inter sanctos est Iudas, ecce fur est Iudas, & ne contemnas, fur sacrilegus, non qualiscunq; fur. Fur loculorum, sed dominicorum: loculorum, sed sacrorum, &c. Et postquàm in sceleris eius amplificationem multa dixit, rursum hæc infert: Talis erat iste Iudas, & tamen cum sanctis discipulis vndecim intrabat & exibat, adipsam Dominicã Cænam pariter accessit, conuersari cum eis potuit, eos inquinare non potuit. De vno pane & Petrus & Iudas accepit, & tamen quæ pars fideli cum infideli? Petrus enim accepit ad vitã, Iudas ad mortem: Quomodo enim ille odor bonus, sic ille cibus bonus: sicut ergo odor bonus, ita & cibus bonus bonos viuificat, malos mortificat. Qui enim manducauerit indignè, iudicium sibi manducat & bibit: iudicium SIBI, non TIBI. Si iudicium SIBI, non TIBI, tolera malum bonus, vt venias ad præmia bonorum, ne mittaris in pœna malorum. Hæc Augustinus, quem disciplinæ ecclesiasticæ & veræ pietatis vindicem acerrimum fuisse constat: voluit tamen illorum præcipitem zelum frenare, qui dum paucos malos ferre nolunt, totam ecclesiam pernicioſe turbant, perinde vt mali medici, qui dum vnum membrum vitiosum temere & sine graui causa resecant, totum corpus in periculum adducunt. Quin frequenter videmus, rigidos istos Catones temerarijs suis iudicijs grauius peccare quàm eos, quos illi eijciendos censent.

Christus Mariæ patrocinatur.

Sed Christum Iudæ respondentem audiamus, qui responsionis suæ partes duas constituit. Prima Mariæ patrocinatur, & quidem seriò, dum Iudam vnà cum discipulis reliquis, qui eum incautius fuerant secuti, grauiter increpat. Quod enim Ioannes in præsenti ad vnum Iudam restringit, & Christum dixisse ait, Sine illam: hoc apud Marcum omnibus dicitur: Omittite illam, quid ei laborem affertis? Bonum opus operata est erga me. Damnat ergo discipulorum, & imprimis Iudæ murmur, vt qui bona operanti temere obstrepant, In præsenti verò opus istud bonum definit, dicens: In diem sepulturæ meæ seruauit istud: Sensus est: Non temere & ex priuato affectu hoc fecit, sed opportunè admodum ex certa spiritus sancti sug gestione, qui vnguentum istud ab ea fieri & in diem sepulturæ meæ seruari voluit: at quia officium hoc mihi mortuo non poterit impendi, occulta inspiratione eam mouit, vt quod in meæ sepulturæ honorem parauit, nunc in meum corpus effuderit. Bonum ergo opus vocat hoc Mariæ factum, cùm quòd illud ex fide & spiritus sancti suggestione fecisset, tum quòd mortis & resurrectionis suæ mysterium adumbraret. Solebant enim veteres corpora defunctorum vnguentis & aromatibus condire, vt ita fidem resurrectionis futuræ testarentur, & seipsos in eius spe confirmarent. Hodie ista fieri minimè opus est, quando apertius multò nobis patefacta sunt salutis & vitæ futuræ mysteria, eiusq; promissiones sui corporis gloriosa resurrectione Dei filius confirmauit. Obseruabis autem hoc loco, quòd Christus aduersus

Christus bona operantes respicit & tuetur.

discipulos quoque patrocinium Mariæ suscipere dignatus est, cùm pio & sancto operi intentam illi impedirent. Est hoc illi perpetuum, quòd bona operantes respicit atque tuetur. Nam vt David inquit, oculi Domini super iustos intenti sunt, neque idem eorum titulis & splendore mouetur, qui pijs cultoribus suis negotium faciunt. Imò illis irascitur, & nisi cessent in ira quoque sua eos corripiet. Potest hoc latissimè extendi. Indignantur nobis Pontifices, quòd bonam Euangelij fragrantiam Christo excitamus, & illam dicendo atque scribendo per totum orbem diffundimus: adhæc Apostolica authoritate prohibent, ne quid huius posthac faciamus. Sed non moueant nos istorum minæ & fulmina. Asseret enim nos Dominus, neque nos illorum calumnijs obrui patietur, neq; etiam illos ementiti & falsò vsurpati Apostolicorum tituli defendent. Irascuntur similiter multi pijs principibus, quòd sua regna & vrbes renascentis Euangelij doctrinæ patefaciant, quòd superstitiones abolent, & puriorem Dei cultum reducant: neq; irascuntur modò, sed cruenta consilia ineunt, vt illos vnà cum regnis suis euertant. Sed nullum illis timendum est periculum, quia Christum protectorem habent, qui sui nominis studiosos nunquam deserit. Ita Epicuri de grege porci aduersus disciplinæ publicæ instauratores grunnire solent, & eosdem impudentissimis calumnijs apud omnes conantur inuisos & exosos facere. Sed non debent istorum grunnitus Christi fidos ministros terrere: quia enim huius negotium agunt, nunquam ipse suo patrocinio eos destituet. Eadem est priuatorum hominum ratio, qui etiam ipsi contemptis mundi iudicijs Dei gloriam tueri, vocationem eius sequi, perq; omnia pericula fortiter eluctari debent, neque de Dei promissione dubitare, qui olim per prophetam dixit: Honorantes me honorabo. Vtamur ergo hoc Christi exemplo ad consolationem nostram aduersus impiorum iniqua iudicia, qui nobis officium facientibus obstrepunt. Sufficit enim aduersus totum mundum Christi solius authoritas. Itaq; quoties calumnijs eiusmodi petimur, cum Paulo dicamus: Mihi verò pro minimo est quòd à vobis diudicer, aut ab humano iudicio, &c. 1. Cor. 4. Imitemur præterea Christi exemplum, vt similiter qua possumus diligentia & fide eos tueamur, qui in bono opere occupati improborum calumnijs siue insidijs petuntur. Vt enim ijs irascitur Dominus, qui bona operantes impediunt: ita non potest eos probare, qui laborantibus aut periclitantibus in bono opere non succurrunt, cum maximè possent. Et si charitate Dei illos destitui dicit Apostolus, qui cum huius seculi facultatibus abundent, esurientis fratris non miserentur: quis obsecro eos aliquo Dei amore incensos dixerit, qui huius gloriam in fratribus pijs periclitari patiuntur? Peccatur in hoc plurimùm hodie à potentibus huius seculi, quando pro Christi gloria & fide vera laborantes fideles negligunt, imò sub cruce succumbentium fratrum eiulatus surdis auribus prætereunt, ne quem iuratis Christi hostibus offendant, neque interim Dei iram metuunt: qui ignauiam istam, qua veritas ipsa proditur, inultam non sinet. Omnibus enim illis dicitur, quod Hesteræ suæ Mardochæus dicebat: Ne putes te animam tuam seruaturam in domo regis præ omnibus Iudæis: Si enim omnino tacueris hoc tempore, aliunde oborietur Iudæis respiratio & liberatio, tu autem domus patris tui peribitis, &c. Quòd si verò scelus est bona operantes impedire, vel etiam illis patrocinium negare, quid de illis fiet, qui suæ fidei commissos, imò interdum alienos, in quos iuris aut potestatis habent, ad turpia & nefanda cogunt, vt nimirum fidem in Christum abnegent, cultus impios exerceant, imagines adorent, & Dei gloriam in creaturas transferant? Faciunt hoc nostro seculo multi, & ex eo præcipuam pietatis laudem sibijpsis pollicentur: Sed haud dubio magno suo malo sentient, quid sit Christum iratum habere, cui pater omne iudicium & omnem potestatem in cœlo & in terra tradidit.

Respondet ad id, quod de pauperibus Iudas obiecerat.

Sed alteram quoq; responsionis Christi partem audiamus, qua quod de pauperibus Iudas dixerat, confutatur: quod omnino fieri oportuit, ne vel Christus ipsos contemnere videretur, vel ijs occasionem dare, qui illis neglectis circa inanes cultus occupantur, quasi Christo externis officijs adhuc hodie seruiri possit. Pauperes (inquit) semper habetis vobiscum (apud Marcum addit, Et quandocunq; volueritis, potestis illis benefacere) me autem non semper habebitis. Quibus verbis duo agit. Primò leges de pauperum subuentione latas confirmat, & præsens hoc exemplũ illis nihil derogare docet, nec quicquam obstiturum posthac, quò minus quicquid voluerint, in pauperes conferant, quos nunquam non sint secum habituri. Deinde externos cultus omnes abolet, quibus superstitiosi homines occupantur, dum Christo perinde, ac si in terris adhuc ageret, suffitus faciunt, exequias agunt,

ceros incendunt, & infinita huius generis faciunt, quæ illi reuera impendi posthac minimè possunt. Sunt enim hæc corporalia & solis hominum corporibus seruiunt. Atqui corpus suũ à nobis ille subduxit. Ridiculi ergo nimis sunt, qui officijs eiusmodi illum demereri student. Nam quoad diuinitatem, qua ille vbiq; præsens est, illa externis hisce nequaquam colitur. Corpus verò, quod olim istis opus habebat, iam in cœlis gloria æterna fruitur, neq; aliquid eiusmodi officiorũ requirit. Et disertè negatur hoc loco corporalis Christi in terris præsentia, quod D. quoq; Augustinus diligenter obseruauit. Loquebatur (inquit) de præsentia corporis: Nam secundùm maiestatem suam, secundùm prouidentiam, secundùm ineffabilem & visibilem gratiam impletur quod ab eo dictum est: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsq; ad consummationẽ seculi: Secundùm carnem verò, quam verbum assumpsit, secundùm id quod de virgine natus est, secundùm id quòd à Iudæis comprehensus est, quòd ligno cõfixus, quòd de cruce depositus, quòd linteis inuolutus, quòd in sepulchro conditus, quòd in resurrectione manifestatus, non semper habebitis me vobiscum, &c. Item: Secundùm præsentiam maiestatis semper habemus Christum: secundùm præsentiam carnis, rectè dictum est discipulis, Me autem non semper habebitis, &c. Hæc Augustini sunt, quibus illum communem veteris ecclesiæ de corpore Christi sententiam exposuisse, ex eo apparet, quòd nemo veterũ illi litem mouit propter ista aut alia huius generis, quæ passim in eius scriptis occurrũt. Nimiùm ergo temerarij & iniqui sunt, qui nos hodie hæresis accusant, eò quòd carnalem Christi in Cœna præsentiam negemus. Clamãt illi nos noui dogmatis authores esse. At nos huius sententiæ authorem producimus ipsum Christum, qui vt in præsenti ait, Me nõ semper habebitis: ita postea dicet, Non sum amplius in mundo, Relinquo mundum, &c: & supra de carnis suæ manducatione corporali quærentes ad ascensionis articulũ remisit, in qua palàm intellecturi sint, nihil hîc carnale animo concipi debere. Quid, quòd alibi impostores & seudoprophetas dicit eos, qui ipsum in terris certo loco monstrare audent? Neque ideo vel Christi præsentiam, vel Dei omnipotentiam negamus (vt aduersarij impudentissimè de nobis mentiuntur) sed de hac ex eius voluntate pronuntiandũ esse dicimus, illam verò agnoscimus talem, qualem ipse pollicetur, & qualis nobis salutaris est. Sed plura de his alibi.

Nunc quod de pauperibus dicitur, inspiciamus. Vbi initiò obseruabimus, quòd ait: Pauperes semper habebitis vobiscum. Ergo præceptum de illorum subuentione perpetuum est, & vix aliud reperitur, cuius frequentior fiat in scripturis mentio: adeoq; cõmuni sensu & naturæ legibus commendatur. Nam priusquam Legem suam Deus scriptis mandasset, sensum hunc omnium animis insculpsit, vt intelligerent pauperum rationem esse habendam. Eliphaz enim cum Iobo colloquens, Deum pauperum vindicem esse pronuntiat. Ipse verò Iobus in sceleratissimorum hominum catalogo, quos à Deo cumprimis obseruari & puniri dicit, eos recenset, qui pauperes & inopes affligunt: deq; sua innocentia sermonem instituens, inter alia se pauperum patrem fuisse protestatur. Quin inter gentes olim beneficentiæ in pauperes studiosissimi fuerunt, quicunq; aliquo virtutis præconio cõmendantur. Cicero certè pecuniarum hunc vsum esse intellexit, vt sumptus nobis suppeditent, non modò necessarios, verumetiam liberales. At liberalitas tunc demum laude digna est, si in eos exerceatur, qui nostra ope indigent: alioqui prodigalitas potius aut inanis diuitiarum ostentatio dici merebitur. Sed in sacris pergamus. In Lege Deus Israelitis pauperum curam cumprimis commendauit, & lege perpetua sanxit, ne esset mendicus in Israel: ita nimirùm volens egenis prospici, ne vagi & oberrantes vitium queritando, publica inopiæ & egestatis exempla fierent. Rationem verò ostendit, qua illis publicè simul & priuatim subueniretur. Vide Deut. 14. 15. 24. Apud prophetas etiam multi loci occurrunt, qui misericordiam in pauperes præcipiunt, & extrema illis minãtur, qui hos vel negligũt, vel etiam affligunt. Isaias inter veri cultus & pœnitentiæ officia eleemosynã numerat, dicẽs: Frange esurienti panem tuum, afflictos & vagos domum deducito: si videris nudum, vestias eum, & à carne tua ne te abscondas. Solomon verò Prouerb. 21. ait: Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, clamabit etiam ipse, & non exaudietur. Et rursum Prouerb. 28: Qui largitur pauperi, non egebit: qui autem auertit oculos suos, multam habebit egestatem. In nouo Testamento Christus de eleemosyna certas leges præscripsit, quæ Matth. 6. & Luc. 10. in Samaritani parabola habentur. Neq; ijs contentus, in præsenti pauperes sibi substituit, & eos nunquam non nobis occursuros ait, ne vnquam desit illis benefaciendi occasio: & alibi disertis verbis pollicetur, se in suas rationes ascribere

Pauperum subuentio commendatur.

Iob. 5. 24. 29. 30. 31.

velle, quicquid eius nomine in pauperes confertur. Apostoli verò hanc curam ita ad se pertinere putarunt, vt sub initium nascentis ecclesiæ ante omnia ærarium publicum esse voluerint, ex quo inopes alerẽtur, neq; ipsos puduit huius administrationis, quoad nullis grauioribus negotijs impediti, ministrare potuerunt. Quàm seriò autem ecclesijs hanc curam cõmendarint, Pauli ad Corinthios epistolæ satis testantur, vt alia multa breuitatis studio omittamus. Et sanè meritò hæc passim inculcantur, quia hìc maximè elucet, quo in Christum Iesum animo præditi simus, si eius membra pio amore complectamur. Imò non possunt non ab omni humanitate alienissimi censeri, quos nullus tangit communis miseriæ sensus, cui omnes homines obnoxij sunt, si sui iudicij rigorẽ Deus expedire velit. Nec tamen in re omnium sanctissima peccetur, proderit à Deo præscripta legem diligenter seruare, ne murmurent & obstrepant. Quidam hoc animos à Christi dilectione alienos arguit, ita morũ disciplinæ vehementer officit. Qui enim ea oberrant, paulatim abstersо pudore disciplinam omnem fastidiunt: & quia plerisq; indignũ videtur aliquid seuerius in illos statuere, ἀπρεπτοι fiunt, id est exleges, qui nullo ordine legitimo nullíq; senatus concluso pro suo arbitrio omnia faciunt, dum paupertatis prætextu defenduntur. Quos Paulus tanquam pestem aliquam, ab ecclesijs arcendos esse monet. Singuli ergo priuatim sibi aliquos sumant pro facultatum suarum ratione, quos sua beneficentia iuuent: etsi quid possunt præterea, in communem ecclesiæ ærarium illud conferant. Constituantur autem publica authoritate viri graues & spectatæ probitatis, qui non modò quæ conferuntur bona fide distribuant, verumetiã sub disciplina contineant ecclesiæ pauperes, ne vel otio ignauo assuescant, vel acceptam pecuniã prodigant in vsus non necessarios, vel etiam inhonestos. Videtur hoc multis difficile, quia priuati commodi quàm publici studiosiores sunt. Sed cogitent, quantò grauior olim futura sit Christi Iesu sententia, qua ad sempiternos inferorum cruciatus damnabit eos, qui ipsum in membris suis esurire, sitire, algere, incertis sedibus oberrare & publicum miseriæ exemplum fieri patiuntur. Poterant hæc prolixè tractari, sed πρέπον putauimus quàm ἐκφεύγειν exigunt, & temporis angustia nos breuiores esse cogit.

Iudas admonitione fit deterior

Restat enim ad huius loci supplementum, quod ab ab alijs euangelistis descriptũ Ioannes omisit. Nimirùm vt admonitionẽ istam Iudas acceperit, qua reliquis discipulis Christus abunde satisfecerat. At ille peior factus, & nouo insuper furore inflammatus, quòd se publicè correptum videret, non de lucro modò sarciendo, verumetiam de vlciscenda sibi facta iniuria cogitat. Itaq; subitò erumpit, recta ad sacerdotes contendit, quos Christi hostes esse, & iam diu de illo occidendo consilia captasse sciebat: & à nemine eorum requisitus, Quid (ait) dabitis mihi, & ego eum vobis prodam? Obstupescite mortales ad tam horribilem impietatem, ô ingratitudinem execrabilem, ô impudentiam exemplo carentem. Sed omnis sceleris causa illi fuit auaritia, quæ Christo male fidum, & tandem inimicum quoq; & hostem fecit. Tanta erat sola proditionis mentio ipsos sacerdotes terrere, vt nefarium & sceleratum hominem à consilio reijcerent. Sed gaudent oblata sibi occasione, & triginta denarios illi paciscuntur: qua promissione ille inescatus, suam operam denuo pollicetur, & omnem eius prodendi occasionem diligentissimè observat. Possent hìc multa dici de auaritia, de sacerdotum impietate, impiorum Christi hostium industria, & vt hodie omnia ista publicè fiant, quæ in Iuda & Iudæorum pontificibus plerisq; damnantur. At quia de his in Marco nostro diximus, eadem hìc repetere non opus est. Discant pueri hostium veritatis artes agnoscere, vigilare & suam stationem constanter tueri, vt olim ipsi quoq; Christi Iesu præconio commendati, cum eodem in cœlis viuant & regnent; cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

HOMILIA CXIIII.

Cognouit ergo turba multa ex Iudæis, quòd illic esset: & uenerũt non propter Iesum tantùm, sed etiam ut Lazarum uiderent, quem suscitauerat à mortuis. Consultarunt autem principes sacerdotum ut Lazarum quoq; interficerent: quia multi ex Iudæis propter eum abibant, & credebãt in Iesum. Postero die turba multa quæ uenerat ad festum, cùm audiuissent quòd ueniret Iesus Hierosolymam: acceperũt ramos palmarum

palmarum,& egressi sunt obuiam ei,& clamabant: Hosanna,Benedictus qui uenit in nomine Domini,Rex ille Israel.

EVangelistæ in passionis & mortis Christi Iesu historia diligẽter exponunt,qui & quales aduersus ipsum conspirauerint,vt ex eo discamus, qui nam omnibus seculis illius hostes futuri sint. Primi autem producuntur sacerdotum principes, qui iam pridem excõmunicationis fulmen minati sunt omnibus,qui illum sequi instituissent:cùm verò se edictis minacibus minus proficere viderẽt,de illo occidendo consiliũ cæperunt. Impulit hos ambitio atq; auaritia, quæ causæ hodie etiam episcopos aduersus euangelij doctrinã extimulant. Secundo loco sacerdotibus coniungitur Iudas, ijsdem quibus illi causis motus,sicuti in præcedenti historia vidimus. Sunt hæc diligenter obseruãda,ne offendamur,si quid simile hodie contingit: quando nimirùm cũ laruatis præsulibus falsi euangelij præcones & Iudæ proditores,disciplinæ impatientia & lucri spe excitati,contra fidos ecclesiæ pastores conspirant,& religionem omnem simul extinctam volunt. Nihil enim isti omnes proficiunt,quàm quòd sibipsis sempiternam infamiã accersunt, Christi verò regnum indies prouehũt. Quod vt alibi in scripturis,ita hoc potissimùm loco probatur. Pergit enim Ioannes,& narrat,quid interea populus in honorem & gloriam Christi fecerit,dum isti omnes eius occidendi consilia ineunt.

Primò vbi resciuit illum Bethaniæ esse,eò multus & frequens excurrit. Atqui nõ modò prohibuerant Pontifices,ne quis eius discipulus fieret, verumetiã mandarant, vt si quis sciret vbi esset, ipsum indicaret. Stulti reuera homines,qui inquisitione anxia opus esse putarunt, quasi Christus ex eorum numero sit,qui lucẽ fugiunt & latebras quærunt,eò quòd malè sibijpsis sunt conscij:cùm potius Solis instar citius oriatur seq; cum sua luce proferat,quàm tenebriones illi volunt, qui impostu ris & flagitijs delectantur. In populo autem memorabile est, quòd contempto Pontificum mandato,Christum illis minimè produnt,sed ad illum excurrunt, vt ipsum coràm videant & docentem audiant. Frustra ergo tyranni veritatem edictis minacibus opprimere vel impedire conantur. Potest enim Deus suos excitare,vt contemptis periculis omnibus illius doctrinam recipiant, & eò ardentius sequantur,quò magis illam oppugnari vident. Et ea in re communi hominum vitio optimè abutitur Deus,quo fit, vt in veritum nitamur. Sunt exempla omnium seculorum, quæ istis fidem faciunt,& quibus docemur,Christum (sicuti olim Dauides prædixit) in medio hostium suorum dominari, eiusq; regnum persecutionibus crescere potius & prouehi,quàm opprimi. Quorum hîc nobis vsus esse debet,ne tyrannorum minis terreamur, sed fortes in Christo fidei constantiam in periculis intrepidè seruemus,&c. Populus ad Christum excurrit Bethaniam.

Docet præterea populi exemplum,ne eorũ edictis obediamus, qui impia & ijs contraria iubẽt, quæ Deus præcipit. Etenim magistratum quidem Deus instituit, & eundem legum authoritate & gladij iure armauit: attamen potestatem eius certis finibus conclusit, iustitia nimirùm & religione, ne quid ex priuato arbitrio iniquè aut etiam impiè cõstituant. Vt verò alijs Dei institutis diabolus insidiari & ijs ad suum regnum stabiliendum abuti solet: ita frequẽter principes insolentiæ & superbiæ spiritu dementat,vt sibi quiduis licere putent,neq; propria impietate cõtenti, insuper alijs quoq; impia & iniusta mandent. Illos autem Christus postetatem tenebrarum vocat, & talium tyrannidem scripturæ passim accusant. Hîc ergo Domini regula probè tenenda est, vt Cæsari quidem demus quæ Cæsaris sunt,simul verò suum quoq; ius Deo integrum seruemus,neq; in vllius hominis gratiam illi debitum officium negligamus. Obseruarunt hanc sancti omnes,quorum pietas in scripturis probatur. Prohibebant olim impij,ne Dei verbum prophetæ prædicarent: Sed respondebant isti: Leo frugiat,quis non timeret? Dominus Deus locutus est,quis non prophetaret? Iubebat Nabuchodonozor,vt audito tubarum & instrumentorum omnis generis concentu omnes coram statua aurea procumberent: Sed non paruerunt huic edicto Danielis socij,licet & subditi & alumni regis essent, fidemq; illorum Deus insigni miraculo probauit. Imitatus est posteà istorum exemplum Daniel, quando contra regis mandatum preces ad Deum fudit: & eius quoq; factum signo memorabili commendatum fuit. Secuta sunt huius generis exempla plurima temporibus Antiochi, quando hic Dei cultum extinctum voluit: quæ nemo pius vnquã damnauit. Quid apostoli fecerint, Lucas in Actis narrat,qui cùm à Senatu Hierosolymitano ipsis interdiceretur, ne euangelium Iesu Christi porrò Non obediendũ edictis impijs. Amos 3. Dan.3.6. Actor.5.

prædicarent, responderunt: Oportet Deo magis obedire quàm hominibus. Similia sunt, quæ de Martyribus in historia ecclesiastica traduntur. Seruiunt hæc ijs confutandis, qui in fidei quoq; & religionis causa principibus simpliciter obediendum esse clamant, neq; eos quicquã peccare aiunt, qui extra illorum præscripto aliquid voluntati Dei contrariũ faciunt. Frustra ergo illam hic nobis reuelatur, & extremæ dementiæ (ne quid grauius dicam) damnari merentur sanctissimi cultores Dei, qui olim supplicia quæuis potius subire, quàm à fidei veræ confessione latum vnguem discedere voluerunt, & simul alijs vt idem facerent authores fuerunt. Cæterùm cõmuni etiam sensu & naturæ legibus illi confutantur. Laudantur filij, qui parentibus ipsos ad furta & alia flagitia hortantibus nõ obediũt. vxores item, quæ maritis lenocinium exercere volentibus sese opponunt. Cur ergo non laudemur eantur, qui in causa grauiori & magis necessaria hominum edictis non obtemperant, vt suum honorem vendicent Deo, cui nos totos consecratos esse oportet?

Propter Lazarum potius quã Christum excurrit populus.

Porrò causam quoq; exprimit Ioannes, quæ populũ excitauit, vt Bethaniam vsq; excurreret. Venerunt (inquit) non propter Iesum tantùm, sed etiam vt Lazarum viderent, quem suscitauerat à mortuis. Potest hoc bifariàm exponi, de pijs nimirùm, quos zelus fidei impulit, & de curiosis, quos carnis affectu moti eò profecti sunt. Qui enim reuera pij erant, & veræ fidei semina animo conceperant, ij Lazarum coram videre & loquentẽ audire cupiuerunt, vt eo argumento diuinæ Christi potentiæ in fide sua magis confirmarentur. Est hoc proprium pijs, quòd suæ infirmitatis sibi conscij, subsidia contemnũt externa fidei adminicula, quæ Deus ipse nobis offert. Frequenter ergo de fidei mysterijs disserunt, conciones sacras libenter audiunt, Dei operum consideratione delectantur, sacramentis religiosè vtuntur, & his omnibus preces quoq; coniungunt assiduas, quibus fidei incrementa à Deo petunt. Itaq; non aliud est animi prophani indiciũ euidentius, quàm dicere: Quid mihi opus doctrina & concionibus? quid sacramenta iuuent eos, qui iam antea Christũ fide apprehenderunt? &c. Quia fieri non potest, vt de Deo magnificè sentiat, quisquis ab illo institута pietatis exercitia contemnit. Recte ergo pij quoq; ad Lazarum videndum Bethaniam exiuerũt. Interim minimè dubium est, in tanta multitudine complures fuisse qui partim superstitione partim curiositate incensi, Lazarum prius quàm Christum videre voluerint. Est enim hoc vitium vulgare admodum, quòd plurus fiunt homines, in quibus diuinæ potentiæ & gratiæ specimina relucent, quàm ipse Deus, qui vnicus omnis boni author est. Fuit hæc omnibus seculis præcipua causa superstitionum. Hinc Deorum multitudo apud gentes, quòd præterito vero Deo, in eos tantùmodo intenti fuerunt, qui vel rei alicuius necessarium uentores esse credebantur, aut alicuius boni publici authores erãt. Et inter veræ fidei professores sius Christi temporibus præpostera hæc sanctorũ admiratio caput attollere cœpit: quãdo multi Iohannem Baptistam Messiæ titulo ornarũt, neglecto Christo, cuius ille præco & testis erat. Et apostolica opera miraculosa edentibus reperti sunt, qui ipsis eam virtutem acceptam ferrent, imò qui Deum litus descendisse putarent. Creuit autem cum tempore superstitio, & in papatu horribile totius diuini cultus & religionis confusionẽ peperit, vt in locum veri Dei & seruatoris nostri Iesu Christi cesserint Diui, quorũ reliquias, ossa nimirum, vestes, calceos & quid non? homines superstitiosi adorarunt. Nec pudet multos adhuc hodie eorum nominibus ad opprimendum Christi Iesu merum buti, qui pro asserenda eius gloria vitam & sanguinem suũ impenderunt. Contra errorem ipsum seruare cõuenit, quod de Iudæis hisce paulò post dicetur: quòd licet Lazari causa potissimùm Bethaniam excurrerunt, eo tamen viso, non in ipsum crediderunt, sed in Christum, cuius virtute excitatus fuerat. Nam reuera stultum & absurdum est, opus quidem admirari & laudare, opificem verò ipsum contemnere.

Contra eos, qui mortuorum spiritus consulũt.

Præterea fieri potuit, vt nonnulli Lazarum de defunctorum statu & seculi alterius conditione disserentem audire voluerint. Fuit enim hic quoq; vetus error, quo multi dementati animas defunctorũ reuocari posse putarũt, seq; ab illis vel res futuras vel alioqui cognitu necessarias edoceri posse crediderunt. Cuius superstitionis exemplum in Saule proponit sacra historia, qui Samuelem exciutari cupiebat, & Isaias Cap. 8. eos acerrimè reprehendit, qui mortuos consulebant. Quid quòd Dominus errorem istum perstingere videtur in diuitis epulonis parabola, quem petentem ordinat vt defunctorum aliquis ad fratres suos mittatur, qui eos de suo statu admoneat, vt maturè resipiscant. Fuit hic error plurimarum superstitionum, imò impietatis multiplicis fœcundissima seges: qui

ideo satan illum cumprimis inter homines fouere & conseruare studuit. Hinc spirituum apparitiones prodierunt, qui adiurati responsa dederũt ad sibi propositas quæstiones: qui vt gentes olim miserè seduxerunt, ita inter Christianos ignem illum purgatorij verè alchymisticum pepererunt, cui posteà totus ferè papatus superstructus fuit. Hodie verò etsi euangelij lux tenebras istas multis in locis dissipauit, audiuntur tamen multorum voces, qui aliquem ex altero seculo reuersum audire velint, à quo de ijs, quæ illic fiunt, edoceantur. At conuincuntur isti scripturæ authoritate. Prohibet enim lex Dei, ne quis ex mortuis quicquã scisciteur. Deut. 18. Vnde Isaias illud desumpsit, quod paulò ante adduximus. In nouo autem Testamento Deus filium suum nobis doctorem constituit, quem cœlitus delato testimonio audire iubet. At quanta huic iniuria fit, si qui ipso prætorito ad fallaces & incertas spirituũ apparitiones cõuertuntur? Deinde ipse Dei filius in parabola epulonis, quam ante adduximus, scripturæ authoritatem illius petitioni opponit, Abrahamum sic illi respondentem induens: Habent Mosem & prophetas, audiant eos. Item: Si Mosem & prophetas non audiunt, neq; si quis ex mortuis suscitatus fuerit, audient. Paulus verò euangelicæ doctrinæ veritatẽ tanta grauitate asserit, vt non dubitet dicere: Etiamsi nos aut angelus è cœlo euangelizet vobis præter id, quod euangelizauimus vobis, anathema sit. Addamus his exempla, quæ plurima occurrunt. Quàm multos enim reperimus, qui ex mortuis in vitam redierunt? Quis verò eorum vnquã scripturas & quæ ex his deriuatur doctrinam, falsi accusauit? In præsenti Lazarum quidem reuixisse, aliquandiu inter homines versatum fuisse audimus: quid autem ille de mortuorum conditione, deq; cœlis aut inferis dixerit, nullibi scribitur. Noluit enim Deus illũ talia referre, vel si quid huius retulit, illud scripturis mandari noluit, ne eiusmodi internuntijs nos opus habere putemus, & discamus à solis scripturis pendere, quibus tota salutis doctrina perfectè continetur. Possumus idem de Paulo dicere, qui in cælum tertium raptus audiuit quidẽ ineffabilia quædam verba, sed idem quoad salutis humanæ negotium, nihil præter Iesum Christum crucifixum se nouisse profitetur. Sed & ipse Christus cùm ex mortuis resurrexisset, apud discipulos ex Mose, Prophetis & Psalmis concionatur: quod vnum argumentum sanæ mentis hominibus sufficere potest aduersus phanaticos, qui nouas reuelationes requirunt. Itaq; scripturas audiamus, & Paulini illius semper memores simus, quod in posteriori ad Timoth. cap. 3. ad hunc modum scribitur: *At tu mane in ijs, quæ didicisti, & quæ tibi concredita sunt, sciens à quo didiceris: & quòd à puero sacras literas noueris, quæ te possunt peritum reddere quoad salutem, per fidem quæ est in Christo Iesu. Tota scriptura diuinitus est inspirata, & vtilis ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad institutionem, quæ est in iustitia: vt perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum perfectè instructus, &c.*

Populi studio sacerdotes exacerbantur.

Cæterùm redeamus ad præsentis loci historiam, qua Pontifices populi excursu ita cõmotos fuisse Ioannes scribit, vt denuo quid agendũ esset consultarint: consultationis verò hic finis fuit, quòd Lazarum quoq; occidendum esse censuerunt. Vides hîc rursum, quid boni speres ex eorũ consultationibus, qui religionem sibijpsis quæstum fecerunt, neq; alium finem sibi propositum habent, quàm vt rerum suum, quod malis artibus quæsiuerunt, stabiliant. Est tamen imprimis obseruandus istorum furor cum multiplici iniquitate coniunctus. Quid enim meruit Lazarus, quem sepultũ iam & nihil huius petentem Christus resuscitauerat? Atqui innocentem occidere prohibet Lex, quæ eadem horribilem Dei iram ijs denuntiat, qui sanguinem innoxium fundunt. Deinde quæ dementia est mortem moliriu, quem miraculosè nuper Christus in vitam reduxerat? Pugnam ergo suscipiunt cum eo, quem vitæ authorem esse debebant agnoscere: neque vident eum facilius multò Lazari vitam posse tueri. Similis furor posteà eos exagitauit, quando conducta militum cohorte Christum in sepulchro detinere conantur, cuius diuinã virtutem ex signis, quæ in eius morte contigerunt, milites poterant agnoscere: quando item mercenariorum militum mendacijs eius gloriã obscurari posse putãt, quem resurrexisse audiebãt. Fiunt huius generis multa hodie: quò magis nos anniti decet, ne Dei opera impurum calumnijs patiamur obscurari, sed illorum memoriã inuitis omnibus conseruare studeamus.

Impij insidiantur per Christũ resuscitatis.

Elucet præterea in Lazari exemplo, quæ sors sit piorum, qui Christi beneficio ex morte in vitã reuocati, veritatis luce fruũtur, et relicto peccati seruitio in vitæ nouitate ambulãt. Vt enim ipsam veritatis lucem odit mundus, ita neq; eos ferre potest, qui actiones suas ad huius regulam atq; præscriptum componunt. Imprimis verò illis infesti sunt personati præsules, quibus vehementissimè do-

let, quòd suo quæstui & honori plurimum derogatur, cuius præcipuũ præsidium in vulgi ignorantia constitutum esse nouerunt. Dolet præterea alijs, quòd piorum exemplo suam nequitiam, errores & superstitiones argui vident. Fit ergo quod Paulus prædixit fore, vt persecutiones perpetuas sustineant, quotquot piè viuere volunt in Christo Iesu. Ad quæ certamina nos perpetuò præparari conuenit, ne illis ex improuiso irruentibus offendamur.

Peregrini Christum honorificè excipiunt.

Restat postrema huius loci pars, quæ magis adhuc arguit vanos Sacerdotum conatus. Postero enim die intellexit populus, Christum in vrbem venturum esse. Itaq; multi ex ijs, qui ad festum iam aliunde aduenerant, illi obuiam procedunt cum ramis palmarum (quod antiquitus victoriæ symbolum fuit, eò quòd palma ponderi non cedit, sed aduersus illud quasi victrix ascendẽs foruicatur, (vt Plinij verbo vtar) & venientẽ acclamationibus faustis excipiunt: Hosanna, Benedictus qui venit in nomine Domini, Rex ille Israel. Sunt hæc verba petita ex Psal. 118. quo pij solenniter Messiæ aduentum & regni eius instaurationem petebant. Et hîc quidem admirabile Dei consiliũ considerari debet, cuius occulto instinctu factum est, vt isti intrepidè eum excipiant, & regem illum promissum agnoscant publicè, quẽ principibus inuisum & exosum esse sciebant: imò scripturis vti possunt in decantandis eius laudibus, quem scribæ prorsus ignorabant. Imprimis tamen hîc obseruatu dignũ est, quòd ista aduenæ fecerũt, non Hierosolymitani ciues, qui propter templi celebritatẽ, & celebre apud omnes sacerdotum collegium, præ alijs instructi esse debebant. Est hoc frequens admodum hodie, vt vbi cathedrales sunt ecclesiæ, populus ferè rudior sit, & simul pertinacior in retinendis superstitionibus. Cuius mali causa quidem est, quòd pingues illi & opimis sacerdotijs onusti Canonici docendi munus negligunt: & ipse populus quæstu, quem ex illis colligit, contentus, institutionem ampliorem minimè requirit: adeoq; quasi pro focis & aris pugnat aduersus eos, qui superstitiones illorũ arguũt. Interim illud Christi impletur, qui regni sui mysteria à sapientibus abscondi, paruulis autem & insipientibus reuelari seu manifestari dicit. Admonet autem nos omnes officij nostri hoc populi exemplum. Oremus indesinẽter pro regni Christi aduentu atq; propagatione, cùm ex eo salus nostra omnia dependeat. Venientem verò ad nos excipiamus gratis animis: neque nos eius pudeat, quàmuis plerosq; illi infestos esse videamus. Agnoscamus eundem victorem peccati, mortis & diaboli, nosq; totos ipsius imperio subijciamus, qui nobis vitæ & salutis author est vnicus. Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

HOMILIA CXV.

Nactus autem Iesus asellum, sedit super eum, sicut scriptũ est: Ne timeas ô filia Zion. Ecce Rex ille tuus uenit, sedens super pullũ asinæ. Hæc autẽ non cognouerunt discipuli eius primùm: sed quando glorificatus fuit Iesus, tunc recordati sunt, quòd hæc essent scripta de eo, & hæc fecissent ei. Testabatur autẽ turba, quæ erat cũ eo, cùm Lazarum uocaret ex sepulchro & eum suscitaret ex mortuis: Propterea etiã obuiam uenit ei turba: quia audierat eum edidisse hoc signum. Pharisæi ergo dixerũt inter se: Videtis quòd nihil proficitis? ecce mundus post eum abijt.

NEmo vestrum fratres dilecti putare debet sine peculiari spiritus suggestione factũ fuisse, quod Euangelistæ simul omnes aduentm Iesu Christi in vrbem diligentius describendum esse censuerunt. Continet enim ea historia non pauca, quæ nobis cognitu non vtilia modò, verumetiã necessaria sunt. Primò enim, quia volens vrbem ingreditur, à cuius principibus se ad mortem quæri scribat, palàm testatur, se voluntariam mortem subiuisse, vt æterno patris decreto obediret, & suæ obedientiæ merito inobedientiæ nostræ culpã expiaret. Deinde quia ex crucis ignominia ingens scandalum oriturum erat, vt huic medeatur, hoc ingressu regiam, vel potius diuinam, suam potentiam atq; maiestatem declarare voluit. Præterea, cùm pleriq; regnum eius terrenũ fore putarent, & ideo mota de primatu contentio antehac fuisset inter discipulos, simul docuit hoc facto, quale sit regnũ suum spirituale

spirituale nimirum & veræ cõsolationis plenum, non terrificum & sanguinarium, qualia ferè huius mundi regna esse consueuerunt. Seruit itaq; huius historiæ consideratio non minus nobis, ne in Christi terrenam & temporariam felicitatem quæramus, quàm ijs olim seruiuit, qui ingressus istius spectatores fuerunt. At quia eius circunstantiæ à reliquis Euangelistis diligenter & prolixè descriptæ sunt, Ioannes breuitati studet, & præcipua modò eius capita paucis perstringit, in quibus ipsi quoq; expotissimùm excutiemus, quæ ad huius loci statum faciunt.

Primò apparatum describit, quo Iesus vrbem ingressurus vti voluit, & hunc quidem pauciss. Apparatus Christi.
mis verbis complectitur. Nactus (inquit) Iesus asellum, sedit super eum. Vnde verò hunc habuerit, alij fusius commemorant, qui insuper pullum fuisse scribunt, super quem nemo hominum antea consederit. Precariò certè illũ accepit, & quidem nullis phaleris ornatum, imò ne sella quidem instructum: quæ causa fuit, quòd discipuli vestes suas super illum loco ephippiorum iniecerunt. Fuit ergo apparatus hic admodum ridiculus carnis iudicio, si cum regum & principum huius seculi fastu conferatur, quo illi vrbes ingressuri suam potentiam & magnificentiam ostentare consueuerunt. Sed qualiscunque sit, multa hîc concurrunt, quæ illum omnibus virtutibus verè regijs instructissimum fuisse testantur, quæ eò illustriores sunt, quòd vili hac & contempta specie non potuerunt obscurari. Primò enim sapientiæ & scientiæ incomparabilis argumentum est, quòd absens nouit, quid in Christi sapientia.
rico agatur, vnde asellum adduci volebat, et discipulos de singulis, quæ illic ipsis euentura sint, præmunere certisq; mandatis instruere potest. Est autem sapientia principibus imprimis necessaria, quum populo capitis instar constituti sunt, vt pro omnibus alijs videant, audiant, consultent atque iudicent. Quod olim Solomon vidit, quem eo nomine scriptura potissimùm commendat, quòd optione sibi data à Deo, sapientiam omnibus alijs rebus anteposuerit, quas homines carni et mundo addicti magni facere solent. Quàmuis verò leuiculum videatur, quod in præsenti Christus facit, non vulgare tamen diuinæ omniscientiæ specimen fuit, cuius infinita exempla alibi edidit. Ex quibus nos colligere debemus, nihil eius oculos latêre, neque quicquam accidere posse sine certo diuinæ prouidentiæ consilio illis, qui ipsius imperio atque gubernationi subsunt. Verissimè enim supra dixit, se pastorem bonum esse, qui oues suas nouerit, easq; in numerato habeat. Est hoc plenum dulcissimæ consolationis, quæ sola omnes huius vitæ molestias lenire & mitigare potest. Deinde iustitiæ etiam Iustitia.
obseruantissimum se esse declarat Dominus. Etsi enim penes illum sit omnium rerum potestas atque imperium, noluit tamen rem alienam temere contrectare, aut inuitis heris asellum abducere. Quod præter morem tyrannorum facit, qui subditorum opera, iumentis item & facultatibus vniuersis pro sua libidine vtuntur, & tunc potissimùm sibi quidvis licere putant, quando peculiari aliqua pompa suam magnificentiam ostentaturi ex alieno superbiunt. Non ita Christus, qui quod hîc facit, vbiq; alias obseruauit, adeò vt illum nemo vnquam alicuius iniustitiæ accusare potuerit. Simul autẽ pro exemplo phanaticos rerumpublicarum & œconomiæ omnis turbatores arguit, qui sub fidei & religionis Christianæ prætextu bonorum & fortunarum omnium communionem, imò confusionem potius inuehere student, & eam inuitis quoque & reluctantibus obtrudunt. Qui dum præ alijs religiosi & Christiani esse volunt, publicè prædantur & religionis nomine furta exercent. Postremò po Potentia.
tentiæ etiam plus quàm humanæ exemplum nobis Christus exhibet. Etsi enim nulla authoritate publica commendetur, neque armis vllis sit instructus, absens tamen hominum mentes flectit & mouet, vt voluntarium obsequium sibi præstent. Quam enim aliam causam fuisse dicemus, quæ asselli istius heros mouerit, vt hominibus ignotis & peregrinis, nulla intercedente stipulatione illum concederent, nisi quòd occulta spiritus suggestione edocti intellexerunt, nihil ei esse negandum, qui seipsum quoque totum pro salute nostra impendit? Et huius quoque generis exempla passim in euangelio occurrunt: nec mirum videri debet, Dei filio in hominum animos ius & imperium esse, qui pro suo arbitrio ventis, fluctibus, imò demonijs quoque imperat: Est enim reuera Dominus exercituum, cuius nutui omnia animata & inanimata obediunt. Habemus ergo regem sapientem & omniscium, iustum item & omnipotentem: in cuius consideratione nos indesinenter versari conuenit, vt hinc argumenta petamus, quæ nos aduersus tentationum assultus consolentur, simulq; ad faciendum officium extimulent. Quia enim talis est Christus, minimè timendum est nobis, ne nos ignoret, neue causam nostram negligat, aut non sufficiat nobis defendendis aduersus quos-

cunque hostium tam visibilium quàm inuisibilium machinationes. Adhæc, quia ille omnia vide-
& potest, iusti item & æqui obseruantissimus est, meminerimus nos in eius conspectu viuere,
lum corda renesq; nostros inspicere, dicta factaq; nostra omnia obseruare, neque impunitos dimit-
tere eos, qui aliquid præter officium faciunt. Studeamus ergo innocentiæ, veritati, iustitiæ
sanctimoniæ, vt iucunda nobis sit & potentiæ & maiestatis Christi consideratio, quæ impijs ter-
fica esse solet.

Causa & mysterium huius ingressus.

Secundò ingressus istius adeoq; totius facti causam siue mysterium Ioannes exponit, dicens: Sicut
scriptū est, Ne timeas filia Zion, &c. Quod ipsum Matthæus pluribus verbis exponens, ait, Hoc
autem totum factum est, vt adimpleretur, quod dictum est per prophetam dicentem: Dicite filiæ
Zion, ecce rex tuus venit tibi, &c. Ita ergo vrbem Christus ingredi debuit, vt omnibus constaret
ipsum esse Regem illum, quem venturum esse in populi salutem atq; liberationem, olim prophetæ
prædixerunt. Quoad verò prophetæ locum, qui Zachariæ 9. cap. extat, Ioannes eum non totum
adducit, simulq; verba quædam mutat, in hoc nimirum intentus, vt historiæ totius ipsum & mysteri-
rium pijs cōmendaret, qui est, vt intelligamus, qualis rex sit Christus, & quid nobis ex eius regno
sit sperandum. Vbi primò obseruabimus, quòd ad filiam Zion propheta sermonem dirigit. Ita ver-

Hierosolyma filia Zion.

Hierosolymam nominat communi & vsitato scripturarum more, imprimis tamē ecclesiam piorum
intelligit, quam hoc nomine designari notius est, quàm vt demonstrari oporteat. At si Hierosoly-
mam consideres, qualis fuit quando suo ingressu vaticinium istud Christus compleuit, quonā alio
quàm hoc nomine dignam fuisse patebit. Erat enim superstitionis & falsæ doctrinæ sedes, schola er-
ris, furum & latronum spelunca, adhæc tota prophetarum sanguine madebat, cui sic assueuerat, vt
Christus prophetam non alibi quàm Hierosolymis mori posse testetur. Hoc tamen nomine illam Spi-
ritus sanctus dignatur propter electos, qui in ea reliqui erant. Quod ipsum D. Augustinus obser-
uauit, qui in hæc verba sic scripsit: In illo populo reprobo & cæco erat tamen filia Zion, cui dicerentur
Noli timere, ecce Rex tuus venit sedens super pullum asinæ. Hæc filia Zion, cui diuinitus ista di-
cuntur, in illis erat ouibus, quæ vocem pastoris audiebant: in illa erat multitudine, quæ Dominum
venientem tanta deuotione laudabat, tanto agmine deducebat. Hæc August. Habent ista multum
consolationis. Docent enim Deum suorum nunquam obliuisci, & pro suis eos etiam agnoscere, quos
medio impiæ nationis ipsum agnoscunt atq; profitentur. Qui enim in fundo maris inter cetum &
algam gemmas creat, quæ suo tempore in lucem extracta regibus in pretio sunt: eadem opera in me-
do hoc impuro sibijpsi filios gignit, qui omnem mundi splendorem sua dignitate & valore longè
rant. Et quia idem suos nouit, impiorum malitiam ipsis nequam fraudi esse patitur. Cuius eos mo-
minisse oportebat, qui nimis præcipiti iudicio totas vrbes & populos diabolo tradunt, in quibus
tos vitam impiam viuere conspicantur: & dum sibi cauent, eos suo officio defraudant, quorum
& pietatem doctrina & consolatione pia fouere debebant.

Christi aduentus non terribilis, sed iucundus.

Deinde quid filiæ Zion dicatur, audiamus. Prophetæ verba sic habent: Exulta vehementer fi-
lia Zion, iubila filia Ierusalem: en Rex tuus venit tibi, iustus & seruator ipse, pauper, vehens super
asino, super pullo (inquam) filio asinarum. Ioannes autem prima verba sic reddidit: Ne timeas filia
Zion: Et quàmuis minus dicere videatur, reuera tamē idem dicit: imò gaudij & exultationis
sam exprimit, fore nimirum, vt omni metu & terrore liberati meritò gaudeant atque exultent. Di-
cemur ergo regnum Christi eiusmodi esse, quod pijs consolationem & gaudium, non (vt hmins
reges suo aduentu solent) terrorem metumq; afferat. Consentit prophetæ verbis angelus, qui Christi
natiuitatem pastoribus annuntians dicebat: Ne timeatis: ecce enim euangelizo vobis gaudium ma-
gnum, quod erit toti populo, &c. Neque temere ista dicuntur, quando Christus reuera is est, qui
lius gaudij veri & solidi materiam atque causas nobis affert. Pellit enim cōscientiæ terrores, qui
peccato enascuntur, & ipsam vitam quoque nobis amaram reddunt. Diabolum quoque frena-
suis suggestionibus nouos quotidie motus animis nostris obijcit. Adhæc mortis horrorem lenit, ne
peccati pœnam timeamus, quæ eius merito ianua vitæ facta est. Quin mundum hunc, quamvis
tus est, nobis formidabilem esse prohibet, quando eum cum principe suo ita vicit, vt nihil in
nostras iuris & imperij habeat. Et hæc quidem omnia nobis applicat propheta, cùm dicit: Ecce
tuus venit tibi. Dicuntur enim ista singulis credentibus, qui per fidem Zionis illius spiritualis

bra facti sunt. Ad singulos ergo Christus cum bonis suis omnibus pertinet. Venit autem iustus: non modò quoad seipsum, sed vt nobis quoque suam iustitiam impertiat, nosque (vt scriptura loquitur) per fidem iustificet. Itaque seruator quoque venit: quia nullus perditioni & morti locus reliquus est, sublato peccato, per quod illa in mundum introiuit. Deinde mitis siue pauper venit: vt qui non nobis oneri esse, sed nostra onera in se transferre velit, sicuti eius promissiones testantur, quibus oneratos & laborantes ad sese inuitat, & ad se venientibus requiem veram pollicetur. Et ne quid dubitaremus, hoc ipsum externo apparatu testari voluit: dum non mores principum huius seculi imitatus est, quos immodicus luxus & aulae fastuosus splendor subditis onerosos reddit: sed extremè humiliatus asello precario vehitur, neque alios secum ducit comites, quàm qui etiam ipsi inopiae assueti, & sorte sua contenti viuere didicerunt. Sunt haec alibi fusius tractata, quare hîc breuitati studemus. At horum consideratio primùm eos arguit, qui in Christo regnum terrenum, opes, honores & huius seculi felicitatem quaerunt: quod perinde est, ac si hero egente & miseris modis afflicto, seruili lautitias quaerant, & ludos petulantes instituant. Eadem illi quoque confutantur, qui cum Iesu Christi praecones haberi velint, sua tamen doctrina conscientias terroribus diris concutiunt, & de salute dubios reddunt, quos pijs consolationibus debebant subleuare. Accusatur praeterea mundi infelicis peruersitas, qui relicto rege Christo, non minus benigno & propitio quàm inuicto atque potente, personatum eius vicarium suspicit, eumque reueretur, qui sibi ipsi venit, aliena inuadit, bellorum faces circunfert, & fastu plus quàm barbarico molestus est omnibus, qui ipsius imperium agnoscunt. Sed ita sibijpsis poenas accersant oportet, qui veritatis lucem contemnunt, vt scientes volentes pereant, dum salutis authorem improbè aspernantur.

Asseritur huius mysterij veritas.

Caeterùm interseritur aliquid huic narrationi de discipulorum ignorantia, quod ad huius mysterij confirmationem facit. Nam diceret aliquis, discipulos consultò asellum adduxisse, vt hoc pacto Zachariae testimonio abuti & rudi populo fucum facere possent. Obijciunt certè hoc nobis Iudaei hodie, & nos nimis ridiculos esse aiunt, qui asini testimonio conemur probare, Iesum esse promissum illum populi seruatorem. Quasi verò non alia multa huic vaticinio insint, quae nostram sententiã confirmant. Veteres sanè Rabbini, vt ex Rabbi Solomone apparet, locũ hunc de nullo alio quàm Messia exponi posse dixerunt: eò quòd addatur, Et dominabitur à mari ad mare, &c. Quia verò ex infinitis alijs locis euincitur, Iesum esse Messiam, rectè nos hunc etiam in illo impletum fuisse dicimus. Sed vt ad discipulos redeamus, ostendit Ioannes adeò nihil ex composito hîc factum fuisse, vt ne ipsi quidem quid ageretur intellexerint. Nam & scripturarum rudes erant, & quàmuis locũ istum forsitan aliquando recitari audiuissent, nunc tamen illis non veniebat in mentem: imò etsi in mentem veniret, mysterium tamen & verũ eius sensum ignorabant: & eò vsq; durauit ista ignorantia, donec Christus in gloriam patris receptus spiritum suum super eos effudit, quo illuminati intellexerunt, hoc (vt multa alia) non temere, sed ex occulta spiritus suggestione secundùm scripturae veteris vaticinia factum fuisse. Habet ergo fides suos gradus & incrementa, neque primo statim die plenam omnium mysteriorum Christi cognitionẽ percipiunt electi: quod ipsum Christus Marci Cap. 4. sementis parabola pulchrè explicat. Quapropter non statim damnari merentur, qui aliqua adhuc ignorant: qua in re nonnulli nimium insolentes sunt, qui scientiae fiducia elati ipsos cœlos digito contingere sibi videntur. Interim cogitemus studio frequenti opus esse, vt quotidie proficiamus. Quod tunc commodissimè fiet, si quaecunq; proponuntur cum scripturis conferamus, de quarum authoritate & vsu nuper diximus. Addamus harum lectioni assiduas preces ad Deum, vt is spiritus sui lucem in animis nostris accendere dignetur: Ita fiet vt clariora nobis indies reddantur, quae prius obscuriora erant. Quòd si nõnulla adhuc nos fugiunt, meminerimus, nos dum hîc viuimus, ex parte modò cognoscere, & ex parte prophetare: fore autem tempus etiam nostrae glorificationis, quando coràm intuebimur salutis & regni cœlorum mysteria: & tunc impijs quoq; hostibus magno suo dolore patebit, quae illa gloria sit, quam suae mortis merito nobis Christus acquisiuit.

Obedientia discipulorum.

In tota autem ista actione laude dignissima est discipulorum obedientia: qui etsi mysterium huius negotij non intelligerent, Christo tamen obsecuti sunt, & asellum (sicuti iussi erant) adducunt. Nec eos ab hoc officio reuocat vel inciuilitatis vel periculi species, quae se ipsis offerebat. Iam ergo

didicerant suas rationes eius verbo subijcere, quæ præcipua veræ sapientiæ pars est. Et quia absq; contradictione Domino obtemperant, felici etiam successu vtuntur. Requiritur hoc ipsum ab omnibus, qui Dei cultores haberi volunt. In lege enim prohibemur facere quod nobis bonum videtur, sed simpliciter Dei præceptis obsequi iubemur: adeò vt ab illis ne ad dextram quidem, id est, non etiam pio & sancto animi instituto deflectamus. Quàm primùm enim nostræ carnis sensum, & quas his nobis obijcit rationes audimus, officij nostri immemores turpiter peccamus: cuius rei exempla in Saule habemus, in quorum consideratione indesinenter versari conueniebat eos, qui hodie in sua sapientia sibijpsis tantopere placent, vt eius dictata manifestis Dei decretis opponere non vereantur. Vt verò ista in omni alia actione, ita in religione cumprimis obseruari debent, in qua iam pridem damnatum esse scimus omnem cultum, qui humanis traditionibus nititur.

Populus quomodo hoc facto affectus fuerit.

His interpositis redit Ioannes ad populum, quem in duas partes distinguit. Primò enim qui Bethaniæ fuerant, cùm Lazarum ex mortuis resuscitaret, de hoc eius facto publicè testati sunt. Alij verò istorum testimonio & prædicatione excitati, ex vrbe ipsi obuiàm processerunt vt venientem honorificè excipiant. Et hi quidem omnes, quam de ipso conceperant existimationem, variè testantur, vt alij annotarunt. Alij enim vestes suas in viam sternunt: alij decerptis ex arboribus ramis & frondibus omnia replent, quà ille venturus erat: alij palmarum ramos ante & post illum deferunt, vt victorem esse profiteantur: omnes verò isti simul acclamationibus faustis & lætis illi bene precantur, adeoque illius regnum publico testimonio celebrant, de quo nuper diximus. Inter quæ primùm obseruabimus, quòd publicè illud prædicant, quod sacerdotibus atque pharisæis quàm maximè dolebat: imò regem & seruatorem suum agnoscunt, quem secundùm illorum edicta non licebat magistrum siue doctorem agnoscere. Est ergo exemplum hoc perpetua imitatione dignissimum, ne propter mundi improbitatem opera Domini cælemus, quibus & huius gloria propagatur, & plures alij in eius cognitione atque vera fide institui possunt. Est enim hæc veræ confessionis pars siue species, in qua nos intrepidos & synceros esse conuenit, ne quid turpiter simulemus aut dissimulemus: quando non temere dixit Dominus: Quemcunque puduerit mei & verborum meorum, eius pudebit quoque filium hominis, quando venerit in gloria patris sui cum sanctis angelis. Admonet nos præterea locus hic de vsu miraculorum atque operum Christi, qui est, vt ipsum agnoscamus vitæ & mortis Dominum, vnicumque salutis authorem esse: & proinde relictis impijs præsulibus, qui religionem sibi quæstum faciunt, ad illum exeamus, illi nos nostraque omnia substernamus, adeoque nos illi sistamus viuentem hostiam: de quo alibi copiosius est dictum.

Pharisæorum de hoc facto iudicium.

Sequitur postrema huius loci pars, qua sacerdotes et pharisæos denuo inducit, vt videamus, quomodo isti hoc factum acceperunt. Pharisæi (inquit) dixerunt inter se: Videtis quòd nihil proficitis? ecce mundus post eum abijt. Ergo in rabiem maiorem accensi seipsos accusant, suam ignauiã sibi inuicem exprobrant, qua malum hoc passi sint eò vsque serpere & progredi, vt iam incurabile prorsus sit factum. Ita enim dicere videntur, qui reliquis vehementiores erant: Annon prædiximus hoc fore, & ideò sæpe monuimus, vt maturum & serium huius opprimendi consilium caperetis? Sed suadis fabulam narrauimus. Nostra ergo ignauia & stolida cunctatione factum est, vt qui initio paucules modò piscatores discipulos habuit, nunc ingentem vndique ad ipsum confluentium turbam secum ducat, & iam in eius partes Hierosolymitani quoque ciues inclinent, quos hucusq; nostra auctoritate in officio continere poteramus, &c. Quo loco primùm occurrit, impios, qui priuatos affectus gloriæ Dei & publicæ saluti præferre consueuerunt, nullis neque signis neque exemplis mouerint, vt resipiscant, sed indies in peius proficere: adeò vt cum ipso Deo pugnam suscipere non vereantur, quando illum victorem & Dominum agnoscere debebant. Exempla huius contumaciæ olim fuerunt Pharao, Saul, Achab, & infiniti alij, quorum veteris testamenti scriptores meminerunt. Quibus nunc isti accedunt, quorum ea fuit insania, vt luce meridiana clarius sese exerentem Christi gloriam suis consilijs opprimi posse existimauerint: Imò per ipsos hactenus stetisse putant, quid ea Christus fecerit, quæ omni humana virtute excellentiora esse, ne ipsi quidem dæmones negare potuerunt. Atqui vtinam non etiam hodie flabella eiusmodi excitaret satan, quæ principum auribus similes planè voces ogganniunt, & in rabiem nouam accendunt eos, quos operum Dei consideratione

derationē debebant ad pietatem excitare. Sunt inter hos præcipui, qui si nominis & officij sui aliquam haberent rationem, nō in regum aulis versarentur, sed ecclesias, quarum antistites se esse profitentur, Dei verbo pascerent. At horum dolis atq; calumnijs ferè fit, vt reges immani furore in propria viscera grassentur, dum suæ fidei commissum populum propter puriorem fidei doctrinā grauissimè affligunt, nec modò priuatos homines, verumetiam interdum in totas ciuitates, sibi in cæteras obsequentissimas, horrenda crudelitatis exemplа edunt, omniaq; ea faciunt, quæ ab immanissimo hoste expectari poterant.

Videamus autem, quæ causa istos ad tantam rabiem extimulauerit. Ecce mundus (inquiunt) post eum abijt. Mundi vocabulo populum intelligunt, quem totum in Christi partes cōcessisse queritantur. Et emphasim habet Abeundi verbum. Eo enim secessionem notant, quam plerique ab ipsis ad Christum faciebant, & quæ sola hunc illis dolorem mouebat. Nec enim multùm curabant, quænam populi fides aut sententia esset de sacris & religione, modò schisma nullum fieret, quod ipsorum existimationi & quæstui derogaret. Eadem causa nostros quoque aduersarios hodie exagitat. Quàm securè enim populi salutem simul & Dei gloriam negligant, tam ex ipsorum moribus, quàm ex populi cui præsunt exemplo apparet: in quo summā licentiam & manifesta scelera facilè ferunt, modò nihil dicatur aut fiat, quod ipsorum commodis priuatis deroget. De Paulo tertio Pontifice fertur, quòd in eos, qui religionis & doctrinæ ergò in vinculis detinebantur, inquisitionem non vsq; adeò rigidam fieri iuberet, quoad fidei articulos, modò sedis Romanæ dignitatem non hostiliter oppugnarent. Vt enim natura humanus erat, ita illi satis esse videbatur, si gradum suum obtinere & conseruare posset. At hodie multorum ea est rabies, vt quàmuis liceat ipsis per euangelicos principes suis honoribus & redditibus frui, nunquam tamen desinunt sanguinaria aduersus pios Christi cultores consilia inire: ita nimirum illos exagitante conscientia, quæ ipsis omnia suspecta facit, & timorum atq; terrores illis obijcit, vbi nihil periculi prorsus timendum erat. Pharisæis dolet populi secessio.

At hic nos consoletur, quòd tales aduersus seipsos sententiam ferunt, adeoq; vaticinium edunt, cuius veritas iam inde ab orbe condito infinitis exemplis est confirmata. Videtis (inquiunt) quòd nihil proficitis? Reuera enim nihil profecerunt, quàmuis populum insidiosis persuasionibus in suas partes postea retraxerint, Pilatum improbis clamoribus ad ferendum capitalem sententiam coegerunt, imò in cruce suspensum Dominum omni conuitiorum genere obruerint, & crudeliter occisum in morte & sepulchro adhibita militum armatorum cohorte voluerint detinere. Surrexit enim à mortu Christus, & milites istos suæ resurrectionis testes atque præcones constituit: nec multò post illis triumpho victricem carnem, quam ex nobis assumpserat cœlis intulit, & inde spiritum sanctum misit Apostolis, qui eius virtute animati donisq; variis instructi, Euangelium in ipsa vrbe Hierosolyma tanto successu prædicarunt, vt intra paucos dies multa millia hominum apertam à sacerdotibus secessionem faciant, & ecclesiam propriam constituant, quæ propter miracula, vitæ innocentiam & manifesta diuinæ protectionis indicia ipsis quoque hostibus terrori fuit. Et quàmuis nouos furores illi conciperent & persecutionem instituerent, in qua Pauli rabies præ cæteris eluxit, tamen ne tunc quidem aliquid profecerunt: sed dispersis hinc inde fidelibus, qui intra Hierosolymæ mœnia sese hactenus continuerant, regnum Christi per omnem Iudæam latè propagatum est, & ipse Paulus non sine miraculo conuersus, fidei doctrinam per Asiam et Europam incredibili cum fructu prædicauit. Imò cum ne sic quidem Christo manus darent, hoc vnum profecerunt, quòd vrbe per Romanos excisa, tota Iudæorum gens per totum orbem dispersa & horribile iudicij diuini exemplum facta est. Secuta sunt huius generis exempla in Romanis Imperatoribus, qui simili rabie aduersus Christi regnum pugnarunt. Quid enim proficiant suis consilijs, qui aduersus Deum insurgunt, cuius decreta æterna sunt & inuiolabilia? inter quæ præcipuum est, quo Iesum Christum Zionis, id est, ecclesiæ suæ regem constituit, ad quam gentes omnes colligi debeant. Oppugnatur quidem ea indesinenter ab impijs, sed reuera lapis ille onerosus est, quem nemo impunè contractauerit, sicuti Zacharias propheta Cap. 12. docet. Neque desunt exempla nostri seculi, quæ istis fidem faciant. Sumus ergo constantes in Domino, & cùm impios tanta pertinacia aduersus propriam conscientiam luctari videamus, pudeat nos in causa bona & sancta ignauiores deprehendi: quæ cum non nostra, sed Iesu Christi sit, minimè timendum fuerit, ne eam ille vinci aut opprimi patiatur. Hostes Christi contra seipsos vaticinantur.

Est enim ipsa Veritas, & Dominus exercituum, cuius ferreo sceptro comminuentur, quotquot pedo eius salutari regi nolunt. Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

HOMILIA CXVI.

Erant autem quidam Græci ex ijs, qui ascendere solebant, ut adorarent in festo. Isti ergo uenerunt ad Philippum, qui erat ex Bethsaida Galilææ, & rogarunt eum, dicentes: Domine, cupimus Iesum uidere. Venit Philippus & dicit Andreæ: Andreas rursum & Philippus dicunt Iesu. Iesus autem respondit eis dicens: Venit hora, ut glorificetur filius hominis. Amen amen dico uobis, nisi granum frumenti lapsum in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet: si uerò mortuum fuerit, multum fructum affert.

Multa quidem scripturæ veteres de hostium Christi consilijs atque conatibus disserunt, quibus regnum eius perpetuò oppugnaturi sint: simul verò eiusdem gloriam atq; potentiam diligenter exponunt, quæ nullis impiorũ viribus obscurari possit, quò minus sese exerat, & inuictis quiq; aduersarijs dominetur. Exempla huius generis Euangelistæ multa passim proponũt, inter quæ memorabile est, quod huius Cap. historia nobis exhibet. Audiuimus enim in præcedenti Cap. sacerdotũ coniurationem, qui vnanimi consensu decreuerunt, vt si qui Christus vbi sit norint, illum indicent, vt de eo mortis supplicium sumant. Sed quid suo illo edicto proficiunt? Nihil prorsus. Primo enim quàm plurimi ex vrbe Bethaniam excurrunt, vt Christum & Lazarum eius virtute resuscitatum videant. Deinde ijdem Christum honorificè deducunt, & inscij licet faciunt, quod olim Zacharias de illo prædixerat. Præterea alij fama excitati, obuiam ipsi progrediuntur & omne officij genus illi præstant. Et vt alij Euangelistæ annotarunt, non in angulum aliquem obscurum se ille recipit, vt illic lateat, sed rectà in templum diuertit, cuius reformationem mox aggreditur, dum ex eo vendentes & ementes eijcit, numulariorum mensas euertit, & de templi legitimo vsu publicè concionatur. Et hæc quidem facit tanta cum authoritate & successu, vt pharisæi quoq; querantur, irrita esse sua aduersus illum consilia, neq; se hactenus quicquam aliud profeciſſe, quàm quòd totus propè mundus ipsis relictis illum sequatur. Confirmantur ista nunc nouo exemplo, quod in præsenti Ioannes describit, & quod eiusmodi est, vt & Iudæorum ingratitudinem palam arguat, & Christo nouæ concionis occasionem præbeat: qua primùm de regni sui propagatione inter gentes disserit, & ita suas partes Iudæis non obscurè denuntiat: deinde docet etiam, qua via & ratione nos quoq; ad gloriam, quæ nobis in ipso proposita est, peruenire possimus.

Græci ijdẽ qui & gentes.

Primi autem producuntur, qui toti huic tractationi occasionem dedêre. Fuerunt hi quidã Græcorum ex eorum numero, qui diebus festis Hierosolymã ascendere solebant, vt in templo adorarent. Solent autem in nouo testamento Græci dici gentes, & quicunq; à republica Iudæorum alieni erant, sicuti ex Pauli epistolis apparet. Ratio eius nominis inter Iudæos præcipua fuit, quòd plerig; populi Orientis Græcè loquerentur, illi verò Hebraicam linguam, vel ex ea derivatum Syriacũ idioma, excolere & seruare studerent, eò quòd in illo Lex & prophetarũ libri descripti essent. Ergo ex gentibus illi fuerunt, quod veteres quoq; interpretes senserunt, ex more tamen Hierosolymam ascenderunt, vt illic Deũ adorarent & sacra facerent. Quod nemini debet mirum videri. Nam etsi Iudæorum religionem non per omnia probarent, neque per leges Romanas liceret ad Iudaismum transire, magna tamen erat templi Hierosolymitani celebritas, quam Herodis exemplum haud dubiè maiorem fecerat, cùm is templum nouum incredibili sumptu ædificasset. Præterea non dubium est, quin plures ex gentibus aliquam veri Dei cognitionem assecuti fuerint ex Iudæorum consuetudine, qui tunc per omnes propè terras dispersi erant. Quæ causa est, quòd Lucas in Actis frequenter religiosorum meminit, qui Iudæorum synagogas ingredi solebant, & ferè primi fuerunt, quibus Apostoli Euangelium prædicarunt. Et qui tales erant, interdum ad templum veniebant, vbi Deum cultus sedem ordinariam esse voluerat: cuius rei exemplũ in Eunucho Æthyope idem Lucas nobis

propo-

proponit. Neq; tales Iudæis abominationi erant, vt reliqui ex gentibus, qui veri Dei notitia prorsus carebant, & sacra Leuitica prophano contemptu aspernabantur. Habebant enim Solomonis oraculum, qui in templi primi dedicatione gentibus quoq; illic adorandi copiam fecerat. Sic enim ille dicit in priori Regum Cap. 8. Alienum quoq; qui non est de populo tuo Israel, qui è longinqua regione propter nomen tuum venerit (audient enim nomen tuum magnum, manum tuam robustam, atq; brachium tuũ extentum, venientq; oraturi in domo ista) audies tu in cœlis, in habitaculo mansionis tuæ, faciesq; omnia, pro quibus alienigena clamauerit ad te, vt cognoscant omnes populi terræ nomen tuum, &c. Ita verò gentes ad regnum Christi præparari oportuit, quod suo tempore ad ipsas debebat transferri: & commodè ad eam rem Deus Iudæorum hinc inde dispersorum opera vsus est, licet illi Christum immani odio prosequerentur: vt ita constaret, negotiũ hoc omne non humanis artibus, sed diuinæ prouidentiæ consilio gubernatum fuisse. Nobis verò hîc obseruandum est, regnum Christi, non vnius gentis finibus concludi, sed per totũ orbem extendi, sicuti olim prophetæ non vno loco prædixerũt. De quo vt minus dubitari posset, omnibus seculis inter gentes reperti sunt, qui veri Dei cognitione aliqua imbuti, superstitiones sibi cauendas esse putarunt. Imò voluit Deus primum tabernaculum ex Ægyptiorum spolijs contexi, postea verò in primi & secundi templi ædificatione Tyriorum & aliarum gentium opera atq; liberalitate vsus est, ne quis regnum suum soli Iudæorum genti alligatum putaret. Seruit hoc institutioni simul & consolationi, ne vel aliquos temere damnemus, vel nosipsos propter gentẽ aut locũ vnde oriundi sumus, à salutis cõsortio exclusos esse arbitremur.

Videamus autem, quid isti fecerint. Venerunt vt adorent in die festo Hierosolymis. Atqui potuerant hoc domi facere, quando constat adorationem & cultum Dei loco nulli esse alligatum: neq; dubium est, illos frequenter preces fudisse, & Deũ coluisse in spiritu & vitæ innocentia. Sed quia tunc temporis adhuc durabant exercitia illa externa fidei & pietatis, quæ Deus in Lege instituerat, illa minimè negligenda esse putarunt. Non ergo sumptibus parcunt, non laborem vllum subterfugiunt, non suorum gentilium sannis & ludibrijs absterrentur, quò minus veri Dei cultũ publicè confiteantur, & eius populi societatẽ ambiant, quem promissionibus & certa religionis forma à Deo donatum fuisse intellexerãt. Pudeat ergo suæ negligentiæ & ignauiæ eos, qui sacra, quæ domi suæ exercentur, turpiter negligunt, & vel somno indulgẽt, vel ludis inutilibus vacant, aut lucro turpi student, dum alij cœtus sacros ingrediuntur, Dei verbum audiunt, precantur & sacramentis Christi cõmunicant. Testantur illi hac sua negligentia, se Dei cultum & ecclesiæ societatem non magni facere, adeoq; indignos esse, quos pro suis agnoscat Deus, cùm ipsi veræ fidei & cultus sui professionẽ tam securè negligant, cuius omnes sancti semper studiosissimi fuerunt. *Græci ueniunt ut adorent in festo.*

Deinde Christum cupiuerunt videre Græci illi, nimirum quòd doctrinæ & miraculorũ eius famam longè lateq; spargi audirent, & recens resuscitati Lazari miraculum in omnium ore esset. Poterat hoc curiosum videri, sed quia zelo gloriæ Dei ipsos flagrauisse audiuimus, pium quoq; fuit hoc desiderium: impium verò fuisset nulla eius cura tãgi, quem tot tantisq; miraculis illustrẽ esse intellexerant. Interea autẽ modestè agunt, quando non temere aut impudenter in Christi conspectũ ruunt, sed Philippum prius cõueniunt, vt hic nimirum ad illum ipsis aditum paret. Quo exemplo Papistæ Diuorum intercessionem stabilire putant, qua nobis opus esse aiunt, vt in Christi conspectũ admittamur, qui deinde noster apud Deum aduocatus atq; mediator sit. Sed nimis ridiculũ est illud cõmentum. Primò enim ex facto, quo modestia & reuerentia commendatur, quam hominibus in magna dignitate constitutis debemus, dogma fidei constituũt, quod Christi præcepto repugnat, qui omnes laborantes & oneratos ad se venire iubet. Deinde Græcos istos in exemplum trahunt, cum quibus nihil ipsis commune est & simile. Illi enim Philippum in terris agentem cum Christo conueniunt, ipsi verò apostolos in cœlis iam æterno gaudio fruentes solicitant. Rursum illi Philippo sui animi desiderium simpliciter exponunt, neq; quicquam à communi more alienum faciunt; ipsi verò Diuos inuocant, & illis vota faciunt, adeoq; in illos transferunt cultum, qui vni Deo debetur. Præterea Christum instar terreni principis esse fingunt, & regnum Dei aulis regum huius seculi simile faciunt, vbi infinitis mediatoribus opus est, vt in principis conspectum admittaris. At longè aliud ipse Dominus docet, quando per Isaiã sic loquitur: Cogitationes meæ non sunt cogitationes vestræ, neq; viæ vestræ viæ meæ. Sed quemadmodum cœli terra sublimiores sunt, ita excedũt viæ meæ vias vestras, & *Græci Christũ uidere cupiunt.*

cogitationes meæ cogitationes vestras, &c. Nihil ergo ad Diuorum intercessionem locus iste facit. Attamen non negauerim, hoc facto typum contineri, quo primùm adumbratur, gentes per apostolorum ministerium Christo adduci oportere: deinde omnes homines admonentur, quos imitari & audire debeant, si in Christi cognitionem & salutis per ipsum acquisitæ societatem venire cupiunt: apostolos nimirum, & quoscunq; vident horum doctrina illuminatos & Christi amicos factos esse. Errant hi perniciosè admodum, qui cùm Christi & fidei zelum magnificè prætexant, eos tamen audiunt & sequuntur, qui professione, vestitu, gestibus & infinitis alijs indicijs se non Christi, sed hominum discipulos atq; seruos esse profitentur: vt interim de illis nihil dicamus, qui Conciliorum decretis se subijciunt, in quibus ceu Ariopagitæ quidam præsident, qui aduersus doctrinam Christi iam pridem coniurauerunt.

Apostolicæ prudentiæ & modestiæ exemplum.

Sed ad Philippum transeamus, qui nec ipse hos confestim ad Christum deducit: nimirùm, quòd mysterium vocationis gentiũ adhuc ignoraret, & ipsum Christum aliquando dixisse audiuisset: In viam gentium ne abieritis, & in ciuitatẽ Samaritanorũ ne ingrediamini, &c. Item: Non sum missus, nisi ad perditas oues domus Israel. Interea aũt nõ superbè aut indignè reijcit, quos Christi studiosos esse videbat: sed prudenter rem cum Andrea cõmunicat, qui & conciuis ipsius erat, & prioris Christi consortium fuerat vocatus, sicuti cap. primo audiuimus. Et hi quidem ambo simul hanc causam ad Dominum referunt. Est hoc præclarũ prudentiæ & modestiæ apostolicæ exemplum, quòd non ijs edi voluit spiritus sanctus, quos nondum plena & perfecta virtute afflauerat: vt doceret quàm dispensandis regni Dei mysterijs obseruari oporteat. Opus hîc est prudenti cautione, ne margaritas istas canibus & porcis proijciamus: simul verò cauere nos decet, ne superbo & fastidioso contemptu aut inhumanitate improba oblatas nobis occasiones negligamus, quibus aliqui lucrifieri possint. Et hîc quidem cum Paulo apostolo meminerimus, nos omnibus hominibus debitores esse, nec quenquam propter nationem aut vitæ suæ conditionem negligi debere. Imò hîc cumprimis peregrinorum ratio habenda est, cùm quòd hos nobis Deus in scripturis passim commendat, tùm quòd regnum Dei nulla alia ratione citius & latius propagari potest, quàm si exterarum & diuersissimarum gentium homines in Christi cognitionem adducantur. Sunt ergo à Christi spiritu alienissimi, qui vel peregrinos Christi exules inhumaniter oderunt, vel corã aduenis & exteris fidem suam dissimulãt, vel etiam sua maledicentia eos absterrent, ne conciones sacras accedant, quibus in fide vera poterant instrui.

Christus discipulorum de regno suo opinionem confutat.

Porrò Christum audiamus, qui discipulorum relationi respondet, non autẽ directè sed vt eos ijs admoneat, quæ ipsis cognitu quàm maximè necessaria erãt, & errores cõfutet, quos illis de futuro iampridem ex communi Iudæorum opinione conceperant. Somniabãt enim (vt iã sæpe diximus) regnum terrenũ, & in eo sibi dignitates, opes & læta omnia pollicebantur. Et credibile est, eum in huius spem nouam concepisse, quando Christum à Iudæis quidem tanto cum applausu instar regis susceptum, gentes verò eiusdem desiderio iam accensas esse videbant. Sperabant itaq; regnum istud iam facilè constitui posse, & vndiq; cõfluxuras copias, quibus sese aduersus vim hostilem defendant. Ne ergo illos Christus in cõcepto errore confirmet, aut occasionem præbeat aliquam res nouas tentandi, de duobus eos admonet, quæ omnem errorem istum validissimè confutant. Primò enim de sua glorificatione disserit, & eius rationem perspicuè exponit. Deinde doctrinam hanc illis applicat, & quæ ipsis euenturum sit docet, & eos ad crucem ferendam excitat rationibus idoneis & validissimis.

Christus & regni & mortis suæ rationem reddit.

Quoad primum, sic ait: Venit hora, vt glorificetur filius hominis, &c. Vocat autem glorificationem Dominus, glorificam sui nominis propagationem per orbem terrarum, quæ per euangelij prædicationem facta fuit, & quæ mox fieri cæpit, postquam ipse pro nobis in mortem traditus, & exantlatis suscitatus nostræ redemptionis negotium peregit. Sensus ergo verborum est: Ne miremini Græcos istos meum colloquium expetere. Iam enim instat hora, quando euangelium in toto orbe prædicabitur, & huius doctrina gentes etiam institutæ, me suum seruatorẽ & Regem agnoscent: neq; (vt vos admiramini) regnum meum Iudææ finibus concludetur, sed per omnes gentes ad fines vsq; orbis terrarum propagabitur. At ne mortis & crucis eius ignominia offenderetur, præoccupatione vtitur, & rationem illius omnem & fructum eiusdem vberrimum exponit, sic dicens: Amen amen dico vobis, nisi granum frumenti lapsum in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet: si verò mortuum fuerit, multum fructum affert. Asseuerationem præmittit, quæ illi iurisiurandi loco est, quia de re grã

graui & necessaria hîc agitur. Sic autem ait: Priusquam fiat quod modò dixi, me ignominiosam crucis mortem subire oportebit, & multa fient præter vestram expectationem, quando amicos simul & vosipsos turpiter dilapsos, hostes verò quasi victoria aduersus me parta insolêter ferocire videbitis. At non debent ista vos terrere, neq; ideo aliquid regno meo decessurum putabitis. Eadem enim mortis meæ ratio est, quæ sationis. Nam vt frumẽti granum, quoad in horreo asseruatur, solum manet & planè infrugiferum est, terræ verò & sulcis commissum, & in illis emortuum, fructus fert plurimos, & magno cum fœnore ad agricolã redit: Ita nisi ego morerer, nulla esset carnis meæ ex Maria assumptæ vilitas, & ego solus manerem Dei filius regniq; cœlestis hæres: at vbi in ara crucis mortuus & postea sepultus fuero, tunc non ipse modò à morte resurgam, verumetiam fructus feram copiosos, quorum vsus & vtilitas ad plures alios redundabit. Nam peccatũ meæ carnis & sanguinis sacrificio expiabo, & mortis aculeum auferam, & veteris serpentis caput conteram, ne sua tyrannide porrò premat genus mortalium, vos autẽ meo spiritu donatos ad prædicandum emittam, qui breui temporis spatio orbem totũ incredibili successu percurretis, & electos meos ex omnibus nationibus ad meæ ecclesiæ societatem congregabitis, qui & ipsi meo verbo atq; spiritu fœcundati fructus fidei vberrimos ferent, & nouos mihi quotidie discipulos adducent. Itaq; ego quidem ex morte gloriosior resurgam, vos autem horũ memores, vanas de regno terreno cogitationes deponite, in hoc magis intenti, vt officio fideliter fungamini, cui vos destinatos esse auditis. Hæc verborũ Domini sententia est, quibus & regni sui rationem perspicuè explicat, & discipulos officij sui admonet.

Glorificatio Christi ex euangelij prædicatione dependet.

At nos hîc obseruabimus primò, glorificationẽ Christi & regni eius in euangelij prædicatione consistere, quoad hoc præsens seculũ. Per hanc enim ille hominibus innotescit, qui nisi per euangelium instituantur, ex semetipsis nihil vident aut intelligũt. Norũ est enim illud Pauli: Quomodo credent ei de quo non audierunt? quomodo audient absq; prædicante? Ergo euangelij prædicationem sedulò foueant & promouebant, quicunq; vel Christi amantes vel regni eius studiosi videri volunt. Et hinc simul apparet, eiusdem hostes esse & inimicos, qui euangelij cursum impedire student, & ijs molestiã exhibent, penes quos illius doctrina sonat. Quò Paulus respexit, quando Iudæos Christi inimicos ad hoc esse scribit, eò quòd apostolis resistant, quò minus euangeliũ inter gentes prædicetur. 1. Thess. 2. Quod vtinam expenderent, qui cùm ecclesiæ Christi capita & propugnatores videri velint, in eo tamen laudem quærunt, quòd euangelium pertinaci odio vbiq; locorum persequuntur.

Simile de grano frumenti.

Deinde grani seu frumenti similitudo propter multiplex mysterium diligentius expendi debet. Ad hanc enim pertinet, quòd supra se panem vitæ esse dixit, & quòd nos in illo vnum panem factos esse, ait Apostolus. Et sanè multa hîc concurrunt, quibus Christi & salutis nostræ cognitio illustratur. Primò, vt granum nõ propter se, sed propter fructum seminatur, quem ex eo sperat agricola: Ita Christus Iesus nõ suiipsius causa, sed propter nos homo factus est, vt nimirũ fructu suæ incarnationis nos beatos & felices redderet. Erat enim ipse in forma Dei, adeoq; vnũ cum patre est ab æterno, & proinde nequaquam opus habuit, vt nouam aliquam sibi gloriam acquireret, nisi Deum alicuius indignum aliquando fuisse dicamus, quod vel cogitatu absurdum atq; nefarium est. Deinde nullus ex grano fructus enasci potest, nisi in terræ glebis mortuum germinet & denuo succrescat: Ita nec Christus aliquid fructus hominibus attulisset, nisi in assumpta carne mortuus, & in eadem resuscitatus, illius merito peccatũ expiasset, & deuicta morte vitam nobis restituisset æternam. Ideo supra de carnis suæ fructu & manducatione loquens dicebat. Panis, quem ego dabo, caro mea est, quam ego dabo pro mundi vita: docens nimirùm carnem suam eatenus nobis salutarem & viuificam factam esse, quatenus pro mundi vita data est, quod non alibi, quàm in morte seu ara crucis factum fuisse notius est, quàm vt demonstrari oporteat. Sunt ergo nimium ridiculi, qui de eius manducatione corporali nobiscum contendunt, quam inutilem esse eodem loco disertè testatur. Præterea vt granũ frumenti fructũ fert sui similem: Ita Christus suæ mortis merito nos sui similes fecit, vnctos nimirum Dei, id est reges atq; sacerdotes, adeoq; filios Dei, nõ quidem naturales, sed adoptiuos, qui spiritu regenerati veterem hominem exuerunt, & illius vestigia secuti in vitæ nouitate ambulant, atq; olim cum ipso regni cœlestis hæreditatem adibunt. Qua nota veros Christianos à falsis discerne possumus, qui cum eius nomine glorientur, vita tamẽ & moribus se ab eo alienissimos esse non obscurè produnt. Et hæc primam responsionis Christi partem dicta sint. Discant singuli bonitatẽ Dei agnoscere, qui filium

suum pro nobis hominem fieri & mori voluit: amplectamur autem hunc nostrum redemptorem vera fide, vt & nos in illo fructus feramus professione nostra dignos, & cum eodem in cœlis viuamus. Ipsi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

HOMILIA CXVII.

Qui amat animam suam, perdet eam: & qui odit animam suam in hoc mundo, in uitam æternam custodiet eam. Si quis mihi ministraue rit, me sequatur: & ubi ego sum, illic & minister meus erit: & si quis mihi ministrauerit, honorabit eum Pater.

QVoniam discipuli in Christo Iesu regnum terrenum somniabant, frequenter ille de cruce & morte sua cõcionatur, quò minus ea offendantur, & quid de seipsis in mũdo debeant sperare, intelligant. Factum hoc in ijs etiam, quæ proximè præcesserunt. Cum enim triumphantis instar urbem ingressus esset, & non modò Iudæorum acclamationibus celebratus, verumetiã Græci quidam illum conuentum cuperent, noua regni acquirendi spes Philippi & Andreæ animos titillare cœpit. Rursum ergo docet, se quidem breui glorificandum esse, sed præcessurã prius mortem, quæ illius semẽtis futura sit: Ex ea enim enascituros fructus vberrimos, quorum prædicatione gentes omnes ad regni ipsius consortium sint adducendæ. Quia verò eadem est credentium, quæ Christi condition, nunc in altera suæ responsionis parte quod de seipso dixit, discipulis accõmodat, quò magis adhuc illos auocet à spe regni terreni, simulq; constantia fidei & patientia illos armet aduersus crucem, quæ necessariò ipsis ferenda sit. Tribus autem argumentis vtitur, quæ singulis consideratu non minus necessaria quàm vtilia sunt. Seruiunt enim confirmandæ fidei aduersus omnia, quæ nobis desperationem suadere solent.

Contra mortis timorem suos animat.

Et primò quidem illis medetur, qui de vita periclitari nolunt, & ne illam amittant, turpi abnegatione ipsum & doctrinã eius (quantum in ipsis est) prodere non verentur. Vbi imprimis solida doctrina & consolatione opus fuerit, quando constat vitæ cupiditatem natura omnibus inharere, quæ non paucis (vt historiæ testantur) vel nouorũ scelerum vel extremæ ignominiæ causa fuit. Et nunc Christianos homines hodie quasi prouerbio vulgari iactatur, Nos nihil vita nobilius aut pretiosius possidere: quam rationem ad quamuis apostasiam siue defectionẽ excusandam multi sufficere arbitrantur. Hinc igitur initio facto Christus ait: Qui amat animam suam, perdet eam: & qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodiet eam. Scopus & finis argumenti est, quòd maioris periculi comminatione minoris metum excutere & profligare conatur. Quod vt rectius intelligamus, verba seu locutiones singulas inspicere oportet. Et animã quidem pro ipsa vita (vt Hebræi solent) hîc accipi debere, res ipsa docet, de qua agitur. Amare verò animam, id est vitam hanc pro sentem dicuntur, qui ita huic se totos addixerũt, vt Christi & regni eius causa nihil facere aut pati velint, quod eam vel in periculum adducat, vel ipsis iniucundam & molestam reddat. Eandem non sum oderunt, qui illam parui faciunt, quando Christus & regnum eius in comparationem veniũt, & proinde vel centies mori, vel vitam in egestate, exilio, vinculis & omnis gaudij mundani experium viuere malunt, quàm fidem abnegando à Christo & regni eius societate excidere. Itaque hæc dicit ipsis parabolam grani aut sementis accommodat, qua modò suæ mortis rationem exposuit. Quasi diceret, Quemadmodum grana frumenti perdit, qui stulto illorũ amore captus ea in granarijs recondita seruat, & vetustate corrumpi patitur: eadem verò seruat & auget, qui sulcis mandat & glebis obruit, sub quibus resoluta multiplici cum fœnore succrescunt & fructificant: Ita qui animæ suæ vitæ desiderio præpostero victus, eam neq; deponere vult propter me, neq; aliquid pati, quod eius gratiã dijs temporalibus officiat, is reuera & vitam hanc & seipsum quoad corpus & animam miserè perdit. Hoc autẽ verissimè dici: res ipsa docet. Primò enim inutilis & inani cura seipsum excruciat, dum vitam hanc retinere studet, quam suo tempore velit nolit deponere cogetur, etiamsi eius cõseruandæ studio veritatem centies abnegauerit. Deinde dum accerba quæuis fugiunt, carnificinã sibi ipsis maximum sæuissimam accersunt, cõscientiæ nimirùm terrores, qui nihil illis dulce aut iucundũ esse sinunt.

Quod

Quòd si verò hos immani & Epicuræo numinis contemptu excutiant, in omne scelus ruunt, & dum cæcis affectibus indulgent, viuentes mortui sunt, sicuti de vidua lasciuiente Paulus loquitur. Præterea, cùm abnegando seipsos Christo spolient, in quo vno vita atq; salus habetur, mortis mancipia sint oportet. Itaq; etsi ad tempus felices esse videantur, diù apud impios in pretio sunt, diuitijs & honoribus abundant, voluptatibus impuris diffluunt, morituris tamen noui terrores obuersantur, quibus supe rati desperationis plenas voces edunt, & nisi gratia peculiari ipsos in viâ reuocet Deus, animæ quidem ipsorum cruciatibus æternis destinantur, olim verò corpora quoq; ijsdem adiudicabuntur. Est ergo hæc Christi sententia longè verissima, quæ si ad carnis sensum examinetur, prorsus paradoxa & absurda videri poterat.

Idem patebit, si huic oppositam consideremus, qua animã seruare dicitur, qui eam odit, quando nimirùm huius studio & desiderio se à Christo reuocari sentit, cui nos nostraq; omnia debemus. Nam quisquis affectus est, is primò vitam totam Christo cõsecrat, & proinde verè viuit, cùm eum penes se habeat, qui ipsissima vita est. Deinde etsi afflictiones assiduas sentiat, interq; mortis pericula nunquam non versetur, simul tamẽ spiritu Christi confirmatur & cõsolationes dulcissimas animo concipit, quæ illi & afflictiones leues reddunt, & vitam in morte certã pollicentur. Adhæc, quia tales extorum hominẽ cum suis cupiditatibus prauis mortificarunt, multis laboribus atq; curis seipsos liberarunt, quæ carni & mundo addictos excruciare solent: è contra verò fructus ferunt egregios, qui illos spiritu innouatos esse, & in Christo viuere testantur. Quòd si autem hinc migrandũ fuerit, animas in Dei manus deponunt, quæ secundùm Christi promissionẽ ex morte in vitam transeunt, corpora verò resurrectionem expectant, quæ in nouissimo die ipsis læta & iucunda obtinget, quando ad cælestẽ vitæ consortium cum sanctis omnibus colligentur. Et hæc quidem innumeris scripturæ testimonijs atque exemplis confirmari poterant: at quia hæc passim occurrunt, & pijs satis nota sunt, brevitatis studio eorum cõmemoratione abstinemus. HAEC autem, quæ modò diximus, vt omnes alias afflictiones nobis leues reddunt, ita aduersus mortis terrores efficacissimè nos consolantur. Videmus enim eandem nostræ mortis conditionem esse, quæ Christi fuit. Nam vt eius caro fructum nullum tulisset, nisi in mortem fuisset tradita: ita neque nos fidei nostræ fructum percipiemus aliquem, nisi carnem hanc corruptibilem & diuersissimis affectibus obnoxiam exuamus, quæ (vt Paulus ait) regni cælorum minimè capax est, nisi in resurrectione incorruptibilitatem atque immortalitatem induat. Cur ergo mortem metuamus, quæ & necessaria est, & maximorum bonorum materiam nobis exhibet? Adde hìc, quòd vt Christus certam mortis suæ horam sibi constituta habuit, ita nobis quoq; singulis vitæ finem certum Deus præfixit, quem nemo tyrannorum, quantumuis aduersus nos sæuiant, anticipare poterit.

Qui animam odit, is seruat eam.

Debet autem, quod de vita hac eiusq; cõtemptu dicitur, ad omnia alia quoq; extendi, quæ nobis cara & iucunda esse solent. Nam horum quoq; conseruandorum nulla ratio est certior atq; commodior, quàm si illa propter Christum amittamus, adeoq; in Dei manus deponamus, qui ea nobis (si ita opus sit) cum fœnore restituet. At quia hæc carni nostræ admodum difficilia sunt, eò quòd è terra originem ducit, & proinde terrenis intenta in his ferè felicitatem omnem consistere putat, nihil hìc præstabimus, nisi totius hominis mortificatio & nostri abnegatio præcedat. Ideo Christus, cùm Mar. 8. hanc ipsam doctrinam proponere instituisset, cõmunem regulã præmisit, quæ necessariò obseruanda sit omnibus, qui eius discipuli volũt fieri: In qua primus locus nostrijpsius abnegationi tribuitur. Dicit enim: Quicunq; vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Porrò abnegationis præcepto requirit, vt carnis sensui & affectibus renũtiemus, & nos totos per fidei obedientiã diuinæ voluntati subijciamus: quòd olim patriarchas cum multis alijs feciss̃e constat, quorum pietas in veteri scriptura cõmendatur, deinde apostolos quoq; & sanctos martyres, qui relictis terrenis omnibus, vitã quoq; quasi in manibus gestarũt, vt ad eam deponendã parati essent, si ita iuberet Dominus. Vt verò hoc faciamus, nequaquã nostrarum est virium, sed spiritus efficaci operatione opus est, qui nos ex semine verbi Dei regeneret atq; homines nouos efficiat. Sunt tamen, quæ nos hìc non parum adiuuant, inter quæ præcipuum ferè est diligens rerum huius seculi consideratio, & earundẽ cum cælestibus & æternis bonis cõparatio. Admonet de hac in præsenti Dominus quando ait: Qui odit animam suam IN HOC MVNDO, IN VITAM AETERNAM cu-

Ratio tutissima res omnes conseruandi.

stodiet eam. His enim verbis mundum hunc cum vita æterna confert, quasi diceret: Non iubeo animam perpetuò odisse, aut irreparabilem eius iacturã facere: sed in hoc mundo illam non tanti faciendam esse dico, vt eam mihi & regno meo præferatis. Quid enim habet mundus hic, cuius causa vita conseruari debeat? Præcipua eius sunt, cupiditas carnis, libido oculorum & fastus vitæ. Atqui omnia hæc partim mala & noxia, partim temporaria & caduca sunt, nec aliquid inter omnia horum culi bona stabile aut perpetuum est. Ergo stultum fuerit vitam illicitis modis seruare velle, vt vita diutius fruaris, quæ cùm minimè putas euolant & inane sui desiderium tibi relinquunt. Quòd si vero his simul & vitæ huic tẽporariæ propter me renuntiaueritis, nihil amittetis, quàm quod aliàs reliquendum fuerat, momentaneam verò hanc iacturã æternæ vitæ gaudio cõpensabitis, &c. Hæc verborum Christi sententia est, quæ si ita animis nostris cõcipiatur, vt in quauis tentatione terrena illa cum cœlestibus & temporaria cum æternis conferamus, non adeò graue nobis videbitur illis renuntiare, vitamq; simul abijcere, si ita Dei gloria postulet. Addamus huic considerationi preces ardentes & assiduum verbi studium, moxq; nobis leue videbitur, quod carni & externo homini prius impossibile erat.

1. Ioan. 2.

Videamus nunc secundum argumentum, quo Christus nos ad patientiam & fidei constantiã excitat. Sumit hoc ab exemplo, & quidem suo exemplo, quod nemo pius improbare, vel vt nihil ad se pertinens contemnere potest &c. Si quis (ait) mihi ministrauerit, me sequatur. Sensus est: Vos mei ministri estis, & tales vultis videri. Me ergo vobis præeuntem sequamini, & cùm me pauperem, egenum, adhæc hostium calumnijs & insidijs expositum videatis, nec multò post in cruce ignominiosè morientem visuri sitis, nolite vobis meliorem conditionem polliceri, sed ad similẽ pugnam & eadem certamina vos quoq; præparate. Non enim est seruus maior aut præstãtior hero suo: & sufficit discipulo, si magistri sui similem sese videat, &c. Habent aũt hæc verba generalem doctrinã de omnium Christiani officio. Præcipuum huius caput est, vt Christo ministret & seruiat, quem redemptorem & dominum nostrum profitemur. Seruiunt autẽ illi, qui ipsum sequũtur. Quod cùm corpore non possit fieri, quoad in hisce terris viuimus, animo fiat oportet. Sequuntur ergo illũ, qui fidei oculis in ipsum vnum respiciunt, in eo vno omnem salutis spem atq; fiduciã collocant, in illo denig; vno quærunt panem, fontem & lucem vitæ, nec quicquam admittunt, quod eius merito & gloriæ minimæ ex parte deroget. Parit deinde fides ista obedientiam, qua legibus & præceptis eius paremus, & mortificatis affectibus carnis nostræ nos ipsi sistimus viuentem hostiam. Comitatur obedientiã fidei patientia in cruce, quæ diuinarum promissionũ experimentis quotidianis cõfirmata, aduersa omnia vincit, & tandem cœlestis regni hæreditatẽ glorioso triumpho ingreditur. Hæc (inquam) hominis Christiani officia sunt, quæ nisi sedulò obeamus, inanis & inutilis, imò etiã noxia nobis erit eius nominis professio. Falsi enim conuincemur, & ex illorũ numero erimus, quibus ille olim dicturus est: Non omnis qui dicit mihi Domine Domine, ingredietur in regnum meum, sed qui fecerit voluntatẽ patris mei qui in cœlis est. Et sanè quouis supplicio digni sunt, qui cùm se Christianos profiteantur, eius tamen præceptis parêre recusant, quæ & leuia & salutaria sunt, & quæ ipsius exẽplo cõmendantur. Quid enim à nobis ille postulat, quod nõ ipse prior præstiterit? Petit obedientiæ officium: Atqui ipse factus est obediens factus est vsq; ad mortem, mortem (inquam) crucis. Petit nostri abnegationẽ: atqui ipse se exinaniuit, & cùm in forma Dei esset, serui formam assumpsit, nobisq; per omnia (vno peccato excepto) similis factus est. Petit vt ipsius causa relinquamus opes, honores, voluptates huius seculi: atqui idem ipse prior fecit, quando omniũ egenus non habuit, quò caput suum reclinaret. Petit vt exulemus ipsius nomine subeamus: atqui ipse etiã in terras venire, peregrè nasci & nihil proprij habere voluit. Petit vt patienter feramus quæcunq; nobis imponuntur onera: atqui ipse cum diris quæ sustineret, tanquam ouis nõ aperuit os suum. Petit vt inimicos diligamus & bene precemur his qui oderunt nos: atqui hoc ipse fecit, qui pro hostibus animam suam deposuit, proq; illis intercessit apud patrem, à quibus in crucem suffigebatur. Deinde nihil ille præcepit, cuius non exemplum absolutissimum ipse nobis præbuerit. Est ergo inexcusabilis eorum inobedientia, qui vel doloris impatientia vel alijs affectibus superati, ipsum sequi dedignantur.

Christum sequãtur, qui eius discipuli esse uolunt.

Tertium argumentum ab vtili sumit, quo homines cumprimis permoueri solent. Præmia enim amplissima pollicetur ijs, qui ipsius exemplum patienti sub cruce constantia secuti fuerint. Quales

Præmia sectatorum Christi.

admirabilis Dei bonitas obseruari debet, qui inutiles seruos, quorum nullus ipsi vsus est, præmijs muitare dignatur: & quidem eiusmodi, quæ omnem mundi huius magnificentiam longè superant. Primò enim ait: Vbi ego sum, illic & minister meus erit. Exponit hanc promissionem ipse alibi de æterno regni consortio, cuius nos cohæredes secum esse velit. Nam in vltima Cœna discipulis dicit: Vos ij estis qui permansistis mecũ in tentationibus meis: & ego vobis dispono, prout mihi pater meus disposuit regnum: vt edatis & bibatis super mensam meam in regno meo. Et infra Cap. 14. dicet: Vado paraturus vobis locum: Et cùm abiero, & parauero vobis locum, rursus veniam, & assumã vos ad meipsum, vt vbi sum ego, & vos sitis. Itẽ Cap. 17: Pater, quos dedisti mihi, cupio vt vbi sum ego, & illi sint mecum: vt spectent gloriam illam meam, quã dedisti mihi, &c. Pollicetur ergo, quòd sui regni & gloriæ consortes habere velit eos, qui inter crucis & mortis pericula in sui nominis & veræ fidei cõfessione cõstanter perseuerauerint. Rectè ergo Paulus pijs scribebat: Fidus sermo: nam si cum eo mortui fuerimus, cum eo etiam viuemus: Si toleramus, etiam cum eo regnabimus: Si abnegamus, & ille abnegabit nos, &c. Sunt hæc multa consideratione dignissima, eò quòd omnem crucis molestiam eximere & omnes mortis terrores discutere possunt, simulq; omnem aduersus Deum murmurandi aut quiritandi occasionem nobis auferunt. Quid enim præterea volumus? aut num iniuriam nobis fieri dicemus, si suæ crucis nos participes faciat Dei filius, qui nos gloriæ etiam suæ consortes & cohæredes habere dignabitur? Equidem quò minus dubitemus, aliam insuper promissionẽ huic coniungit, qua ipsum patrem hoc ratum habiturum esse docet, quod ipse pollicetur. Ait enim: Et si quis mihi ministrauerit, honorabit eum Pater. Quia enim verus & æternus Dei filius, & vnũ cum patre est, æquum fuerit, vt ipsum patrem remuneratorem sentiant, quicunq; illi fideliter seruiunt. Facit ad huius confirmationem, quod olim per prophetam dixit Deus: Honorantes me honorabo. Fit autem hoc multiuariàm. Nam frequenter in hoc etiam seculo gloria & honore coronantur, qui in periculis Christi gloriam constanter defenderunt. Exempla sunt in Constantino Magno, Iouiniano, Valentiniano & similibus, vt ea nunc omittamus, quæ in veteri testamento cõmemorantur. Deinde etsi omne genus contumeliæ sustineant in mundo, & insuper nonnunquam morte ignominiosa è medio tollantur, memoriæ tamen ipsorum cõsulit Deus, vt apud posteros in honore & pretio sint, qui dum in viuis erant, omniũ odijs & conuitijs proscindebantur: quod videre est in prophetis & Apostolis, quorũ memoria inter eos etiã honorifica est hodie, qui doctrinã illorũ minimè probant. Accedit his immortalis gloria, quæ animabus simul et corporibus illorũ in cœlis parata est, vt paulo ante diximus. Sunt hæc eiusmodi, vt omnes labores nobis leues reddere & periculorum omnium terrores procul propulsare possint, si ea diligentius consideremus. Et est hîc obseruandum, non solis verbi ministris ista promitti, qui in docendi munere Apostolis successerũt, verumetiam magistratibus, imò priuatis hominibus, qui Christo Iesu in sua vocatione legitima fidele obsequiũ præstant. Potest enim (vt August. annotauit) vnusquisq; paterfamiliâs inter suos domesticos episcopale implere officium, dum illos Christo adducit & in veræ pietatis officio cõtinet. Singuli ergo hæc sibi applicent, & cùm filius Dei Iesus Christus nobis ministrare dignatus sit, nos vicissim ipsi ministremus & in eius doctrinam atq; exemplum intenti, ipsum sequamur, vt æternùm cum illo simus. Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

HOMILIA CXVIII.

Nunc anima mea turbata est: & quid dicam? Pater serua me ex hac hora: sed propterea veni in horam hanc. Pater glorifica nomen tuum. Venit ergo vox è cœlo: Et glorificaui, & rursus glorificabo. Turba ergo quæ adstabat & audierat, dicebat tonitruum esse factum. Alij dicebant: Angelus ei locutus est.

Disseruit nuper Dominus breuiter quidẽ sed perspicuè, de morte sua & eius fructu: idq; eam potissimùm ob causam, vt discipulorũ errorem confutaret, qui in illo ex communi Iudæorũ opinione regnum terrenum somniabant. Inde verò occasione sumpta in generalẽ doctrinam de cruce digreditur, quæ credentibus in hoc mundo perpetuus quasi comes esse consueuit, & ibi argumentis fir-

mißimis nos aduersus omne mortis periculum consolatur. At quia hîc nobis vix vlla doctrina sine consolatio sufficit propter carnis ingeniũ, quæ afflictiones quasuis fugit, ad mortis verò conspectum tota consternatur, doctrinæ suæ in præsenti propriũ exemplum subijcit, quo eam confirmat. Ne enim alios ad patientiam & constantiam fidei in cruce hortari videretur, ipse extra omnẽ mali sensum positus, infirmitatẽ suam & acerbißimum animi dolorẽ, quem ex mortis imminentis recordatione concipiebat, publicè fatetur, simul verò ad patrẽ conuersus preces fundit, & huius voluntati se totum subijcit: ita nimirum suo exemplo docens, quid in tentationibus eiusmodi fieri debeat. In cuius consideratione nobis eò diligentius versandum est, quòd Petrus illud nobis grauiter commendat, sic scribens: Christus passus est pro nobis, relinquens nobis exemplum, vt sequamini vestigia ipsius. Videamus ergo Christi orationem, quam ipse pater oraculo cœlitus delato confirmauit.

Christus nostrã infirmitatem in se recipit.

Nunc anima mea (inquit) turbata est: quid dicam? Pater serua me ex hac hora, &c. Quæ verba etsi cum præcedentibus malè cohærere, adeoq; illis contraria esse videantur, egregiè tamen ad illorum confirmationem faciunt. In se enim recipit infirmitatẽ nostram, vt suo exemplo illi medeatur, ne eius sensu toti absorbeamur. Perinde enim hoc est, ac si diceret: Nemo putet me instar ignaui imperatoris post principia & extra teli iactum constitutum, alios ad patientiam & constantiã hortari. Nam quod paulò ante dixi, mihi etiam mors appropinquat, & quidem adeò sæua & atrox, vt vel sola eius recordatio animam totam perturbet, & consilij planè incertum reddat. Quid enim dicam, quid consilij captem, quò me vertam, non video, quando in humanis spes nulla superest. Ad te igitur ô pater conuertor, tu me serua & eripe ex hora ista mortis diræ & ignominiosæ. Sed quid dico? Atqui propterea veni in hanc horam, id est, ideò homo factus conditionẽ mortalem suscepi, vt meæ mortis merito mundi peccata expiem, & humanũ genus ex mortis & diaboli tyrannide eripiam. Quid ergo aliud petam ô pater, quàm vt tu tuum nomen glorifices? Fiat de me quodcunq; tibi videbitur, modò omnia cedant ad tui nominis gloriam atq; illustrationẽ. Hic orationis Christi sensus est, quem si cum ijs conferas, quæ non multò post dixit ad montẽ oliueti, planè eadem inuenies. Nam illic etiam calicem crucis seu mortis imminentis à se transferri petit, simul verò se totũ patris voluntati subijcit. Exhibent autẽ hæc nobis exemplum animi vehementer perturbati & in seipso grauiter luctantis, vincentis tamen in lucta illa tentationum, qua nobis nulla grauior incidere potest. Primò enim de periculo sibi imminenti, quin potius de eius metu & animi terroribus conqueritur: adhæc consilio & remedio sibi opus esse fatetur, quod in semetipso nullũ videre aut inuenire poßit. Inde verò, quod vnum restabat, ad patrem conuersus, huius opem & auxilium implorat, atq; crucis acerbum supplicium deprecatur. Mox, quia hoc votum cum vocatione sua pugnare videt, illud corrigit, patris voluntati se & sua omnia permittens. Finẽ verò & scopum sibi constituit gloriam Dei, cui vitam propriam longè postponit, seq; ad mortem quantùmuis acerbam voluntariũ offert, modò patris nomen & gloria per eam illustretur.

Christus cur mortis mentione turbetur.

At mirum videri poterat, Christum mortis recordatione tam grauiter turbatũ fuisse, quã multi ex gentibus olim animo intrepido subierunt, quibus ea demũ gloria maxima visa fuit, si vitã pro patria aut alias ob causas deponerẽt: vt iam nihil de Martyribus dicamus, quibus iucundũ fuit mori propter Christi & fidei veræ confeßionem. Imò inter facinorosos reperiuntur, qui ad scelerũ pœnas & infamis mortis supplicia ea animi alacritate contendunt, vt oĩbus admirationẽ pariant. Sed longè alia fuit Christi quàm istorũ omniũ conditio. Gentes enim læto animo mortem adierunt, quòd vel gloriam maioris quàm vitã facerent, vel mortẽ extremam lineam rerum esse putarent, post quã nihil hominis superesset. Martyres autẽ nõ propria sed ipsius Christi virtute cõfirmati eam cõtempserunt, eò quòd illam huius merito deuictã, et vitæ ianuã esse scirent, inq; parata sibi cælestis regni gaudia respicerẽt. Quæ fides aliquibus facinorosis quoq; animũ addit: quidã verò vnà cum numinis metu mortis quoq; timorẽ impia & prophana audacia excutiunt, quos desperatio & vitæ huius tædium non fortes, sed temerarios, vel potius belluarũ instar stupidos et attonitos reddit. Verùm Christus in morte, quæ tunc nondũ deuicta fuit, aliud quiddã vidit, quod gentes non intellexerunt, & multi hodie etiã non obseruant: Nimirũ quòd propter peccatũ ingressa Dei iram coniunctã habet, & æternæ damnationis quasi ostiũ siue initium est, si in sua natura consideretur. Quia ergo videbat sibi nõ modò cum morte luctandũ fore, quatenus ea est corporis et animæ dissolutio, sed cũ pœna peccati, in qua

horribilem

horribilem Dei iram & æternos inferorum cruciatus intuebatur, non potuit non in assumpta humanitatis natura toto animo exhorrescere atq; conturbari. Quos terrores ipsa morte grauiores fuisse, il lius sudor cũ sanguine mixtus, adhæc eiusdẽ verba testãtur, quibus iam morti vicinus exclamauit: Deus meus, Deus meus, quare me dereliquisti? Habuit ergo iste mortis terror & ex eo enata animi perturbatio, causas iustas & graues, & proinde vera etiã fuit hæc trepidatio & anxietas, nõ imaginaria & fictitia, sicuti quidã veterum hæreticorum olim docuerũt. Nam etsi nihil passus sit, quod non ipse volens susceperit, verè tamen tam animo quàm corpore passus est, quæcũq; de illo Euangelista scribunt: nisi & hos mendacij & illũ simulationis falsæ arguere, totumq; nostræ redemptionis negotiũ in dubiũ vocare libeat. Nec enim temerè ista suscepit Dei filius, neq; eadem frustra ab euangelistis cõmemorantur. Primò enim istos horrores illũ sentire oportuit, vt mors eius sufficiens esset peccatorum nostrorũ expiatio: quæ nulla futura fuisset, nisi ille graue Dei iudiciũ subijsset, quo nos ad mortẽ æternã deposcebamur. Facit hoc ad arguendam peccati atrocitatẽ, & nostram simul nobis duritiem atq; socordiã exprobrat, qui scelera quoq; nõ horremus, & pro leuiculis ducimus peccata, quæ nõ aliter expiari potuerunt, quàm atroci & ignominiosa morte filij Dei, cuius tanta fuit acerbitas, vt vel sola eius recordatio illius animã horrendis terroribus cõturbarit. Pudeat ergo nos ea indies repetere, quæ nõ nisi tam crudeli satisfactione expiari potuerunt. Deinde ista sustinuit Dei filius, vt ostenderet se verè hominẽ & nobis per omnia similẽ factum esse, solo peccato excepto. Quod ipsum ad nostræ salutis certitudinẽ facit. Quia enim verus homo, adeoq; frater noster factus est, vtiq; ad nos pertinet meritũ eius, & proinde omnia nobis imputabũtur, quæcunq; ille fecit & passus est. Rursum, quia ad hunc modũ idem ille tentatus est, & (vt Isa. inquit) nostras infirmitates tulit, satis apertè constat, illũ fidelẽ Pontificem atq; mediatorẽ esse apud patrẽ in omnibus quæ nobis illic agenda sunt. Qua de re diligenter scribit Apost. ad Hebr. cap. 2. & 4. Non habemus (inquit) pontificem, qui non possit affici sensu infirmitatũ nostrarũ: sed tentatũ in omnibus similiter absq; peccato. Nam debuit per omnia fratribus assimilari, vt misericors esset & fidelis pontifex in his, quæ apud Deum forent agenda, ad expiandum peccata populi. Nam ex eo quod perpessus est cùm tentaretur, potest & ijs qui tentantur succurrere. Sibijpsis ergo hinc consolationis argumenta petant omnes homines in quocunq; tentationis genere: quando nihil nobis accidere potest, quod non propter nos in assumpta carne Dei filius perpessus sit. Qui enim peregrè natus est, qui infans exulauit Herodis tyranni insidias fugiens, qui pauper esuriuit, sitiuit & alsit, qui cõuitijs & probris diris obrutus fuit, idem postremò horribiles mortis terrores sustinuit: vt sciremus illum non modò in vulgaribus & momentaneis tentationibus, verumetiam in mortis articulo nobis subuenire velle, quando peccatorum diræ facies & infernalium pœnarum minæ animos nostros perterrefaciunt. Sunt ergo plus quàm miseri (ne quid grauius dicam) qui hoc Mediatore relicto, noua sibijpsis quærunt salutis subsidia: quæ cùm nulla authoritate scripturarum confirmentur, nullam quoq; consolationem afferre possunt.

Quid in mortis metu debeat fieri.

Cæterum quoad huius loci vsum primarium, docemur Christi exemplo, quid nos in simili angustia facere conueniat: in cuius doctrinæ consideratione nos diligenter versari decet. Est enim hoc proprium humanæ naturæ, quòd vitæ appetentes sumus, mortẽ verò metuimus. Et quia affectiones istæ naturales sunt, per se non sunt peccata, vt neq; esurire, sitire, algere, et si quæ aliæ sunt huius generis. Imò animi parum religiosi argumentũ est mortem omnino contemnere, quam per peccatum ingressam, & peccati pœnã esse omnes scripturæ testantur. Nam etsi Martyres singulari fide animati illã subierint, ijdem tamen carnis & naturæ nostræ imbecillitatem non dissimularunt, & ita se gesserũt, vt omnibus constaret, hoc illos non suis viribus facere, sed peculiari spiritus virtute confirmari, vt ea possent, quæ hominis vires longè superant. Hìc verò exemplum Christi nos imitari conuenit. Primò itaq; angustijs eiusmodi circunuenti ad Deum confugiamus, cuius hoc præceptum est Psal. 50. In die afflictionis tuæ inuoca me, & ego liberabo te. Deinde quando duriora & grauiora, quam par sit, Deus nobis imponere videtur, tunc conditionis nostræ meminerimus, & mox patebit, nihil nobis nouum & insolens accidere, cùm mortales nati simus. Cogitemus ergo nos ideò creatos esse, vt quàm diu Deo visum fuerit, ei in hisce terris seruiamus: & hinc migremus quãdo idem ille nos vocauerit. Itaq; eius voluntati nos subijciamus, & cũ Christo dicamus: Nõ mea, sed tua (pater) voluntas fiat. Neq; id nobis graue debet videri, quando Dei voluntatẽ non modò iustã & sanctam, verumetiã no-

bis salutarem esse scimus. Vult enim (vt Paulus ait) nos saluos fieri, & in veritatis cognitionem peruenire. Finem verò & scopum votorum omnium nobis proponamus Dei gloriam, ad quam nos conditos esse constat. Admonet de hoc Dominus, quando orandi formulam præscripturus, primum omnium petitionum hanc constituit: Sanctificetur nomen tuum. Dicamus igitur cum Christo: Fiat de nobis ô Deus, quodcunq; tibi videbitur. Da modò, vt tua gloria in nobis illustretur, & ne quid sciamus, quod illi aliqua ex parte deroget. Hîc verò forti lucta opus est, qua carnis affectus domemus, vt per fidei obedientiã Dei verbo subijciantur. Qua in re nos excitare debet Christi exemplũ. Si enim is naturales affectiones, quibus nihil vitij inerat frænandas & subigendas putauit: quanto magis in hanc curam nos incumbere decebit, quorum affectus propter innatam nobis naturæ corruptionem vitiosi & diuinæ voluntati palàm contrarij sunt? Obseruemus ergo hunc ordinem, quem suo exemplo Christus commendauit, & is nos nequaquam errare patietur.

Deus pater preces filij ratas habet.

Facit ad doctrinæ huius confirmationẽ, quod sequitur. Hæc enim dicente Christo, vox è cœlo venit: Et glorificaui, & rursus glorificabo. Quibus verbis testari voluit pater, se filij preces audiuisse, & easdẽ ratas habere: idq; duobus argumentis probat. Primũ ab anteactis sumitur. Nã quando ipse nomen suũ in ipso glorificauisse dicit, in mentẽ illi reuocat miracula, & quæcunq; in ipsius conceptione, natiuitate & toto vitæ eius cursu contigerunt: & inde vult ipsum colligere, quòd in posterum illa facturus sit, neq; imperfectũ relicturus opus, quod tam feliciter inchoatũ hucusq; tanto successu deduxerit. Adijcit his promissionẽ diserta, quæ alterius argumenti loco est. Et confirmatur illa insuper indicijs, quæ ipsius mortem partim comitata, partim secuta sunt. Huc enim pertinent signa, quæ in morte eius cõtigerunt, quando terra horrendo motu tremuit, petræ cum tẽpli velo scissæ sunt, Sol luminis suæ splendorẽ amisit, & sepulchra patuerunt: quæ omnia eiusmodi fuêre, vt militibus terrorẽ incutere, & veri confessionẽ extorquere potuerint. Secuta est mox tertio die resurrectio, qua hunc Dei filium publicè declaratũ fuisse, Paulus ad Rom. docet. Post hanc verò cœlos cõscendit, quasi triumphum ducens de hostibus nostris deiectis: è cœlo autẽ spiritum misit, quo animati Apostoli, euangelium inter Iudæos & gentes prædicarunt, fidem verã docuerunt, ecclesiã collegerunt, quæ inter persecutionũ pericula mirificè conseruata in hunc vsq; diem durat: & quotidie fiunt multa, per quæ Christi gloria mirificè illustratur, & quæ ferocissimos quoq; hostes cogunt fateri, hæc non sine numine fieri, quæ ipsi cõibus viribus impedire conantur. Nos autẽ hoc exemplo admonemur, Deũ non deesse precibus suorũ, qui ipsum ex fide inuocãt. Vt enim filiũ suum exaudiuit, ita se exauditurũ pollicetur omnes, qui ad ipsum cõfugiunt. Fiet (inquit Isa. 65.) priusquàm inuocent, ego respondebo: & adhuc illis loquentibus ego exaudiã. Et Christus infra dicet: Quicquid petieritis à patre in nomine meo, dabitur vobis. Sunt hæc infinitis exẽplis, cum publicis tùm priuatis cõfirmata: imò nemo tam abiecta sorte, nemo tam calamitosus, nemo tam afflictus homo est, qui nõ in semetipso expertus sit diuinæ bonitatis argumenta, quæ promissionibus istis fidẽ facere possunt. Obseruemus præterea, Deũ hisce verbis consiliũ & decretũ suum patefacere, quo nomen suũ in filio suo & eius membris perpetuò illustrare velit. Et faciunt ad huius explicationẽ quæcũq; in scripturis de ecclesiæ et regni Christi perpetuitate habentur: & quæ quotidianis exemplis cõfirmari, paulò ante diximus. Quin ipse Dominus Matth. vlt. ait: Ecce ego vobiscũ sum vsq; in consummationẽ seculi. In prophetis autẽ memorabiles sunt parabolæ, quibus Zach. 12. cap. ecclesia lapidi oneris & catino argenti inter ligna ardentia conferitur. Ex his ergo consolationem petamus in omni tentationum genere, simulq; ita instituamus vitam & studia nostra, vt in nobis quoq; Dei nomen illustretur: ne nostris studijs contraria petere videamur.

Populi de voce Dei iudicium.

Porrò audiamus populi astantis de hac voce iudicium, quod varium fuit. Alij enim tonitrum factum putant: alij angelum ipsi locutum esse aiunt. Et licet isti omnes suis iudicijs fallantur, faciunt tamen ea ad confirmandã huius vocis fidem atq; authoritatẽ, quando eam cælitus delatam, & prorsus inde à fraude & dolo alienam esse testantur. Et fit hoc frequenter, vt aliquo modo veritati testimonium ferant, qui eius mysteria nondum probè intelligunt. Interim admbratur hoc exemplo, semper diuersa fore hominum iudicia de verbo Dei, & inter electos quoq; non eodem sensu omnia illius promissa nunciata accipi: cuius rei exempla passim occurrunt: quorum hic fructus est, ne offendamur, si quid simile nostro seculo accidit. Paulo certè apud Athenienses prædicante, alij doctrinam de Christo & resurrectione scurriliter riserunt, alij gustu quodam veritatis imbuti eandem rursus audire

cupiuerunt,

cupierunt, quidam autem verè crediderunt. Quid ergo hodie speres, quando propter nostram ingratitudinẽ spiritus non tam efficaciter vim suam exerit, vt olim, quando Apostoli & primitiui fideles Zelo Christi toti ardebant? Obseruabis autem, quòd nõnullis vox ista tonitru visa fuit: ijs nimirũ, qui illam minus intellexerant. Ex eo enim apparet, quanta sit verbi Dei vis, propter quã Christus Ioannẽ & Iacobũ tonitrui filios dixit. Vt enim tonitru nullis humanis viribus impeditur, & idem hominum mentes terrore percellit, qui impios quoq; supremi numinis vim agnoscere cogit: Ita Dei verbum inuitis etiam potentissimis tyrannis intonat, & hominum corda potenter ferit, vt eius vim impij quoq; sentiant, quemadmodum ex illorum insanis consilijs & furiosis conatibus apparet, qui hoc illud opprimere & extinguere conantur. Est ergo hoc ingens socordiæ & impietatis manifestæ argumentum, quòd etiamsi tonitru istud verbi Dei omniũ mentes penetret atq; conuincat, tam pauci tamen inueniantur, qui huic cedant & diuinæ voluntati obtemperent, aut saltem serium Dei timorem concipiant. Fit enim vulgo hodie, quod in suis auditoribus olim Ezechiel cap. 33. notauit, vt quo oprimi videntur, Dei verbum instar cantilenæ nihil ad se pertinentis audiant, & proinde fructum ex eo nullum referant. At cogitent illi diligenter, Dei verbum vim coniunctam habere vltricem, quam impij & pœnitere nescij nunquam effugient. Etsi ista vox, qua vix quicquam iucundius audiri poterat, non omnino malis tonitru visa fuit, qualem olim fore putabimus Christi iudicis vocem, quam ex throno cœlesti pronuntiabit: Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius? Itaq; horum memores, audiamus Dei verbum pijs animis, salutis verò spem in vno Iesu Christo collocemus, qui extrema quæq; propter nos pati dignatus est, vt & miseros nos ex peccati seruitio mortéq; æterna redimeret, & exemplũ præberet, cuius vestigia secuti cœlestis regni hæreditatem adire possimus. Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

HOMILIA CXIX.

Respondit Iesus & dixit: Non propter me hæc uox facta est, sed propter uos. Nunc iudicium est mundi huius: nunc princeps mundi huius ejicietur foras. Et ego si exaltatus fuero à terra omnes traham ad meipsum. Hoc autẽ dicebat, significãs qua morte esset moriturus.

Plenè quidem & perfectè omnia in scripturis tradit Deus, quæ nos tam in huius vitæ officijs, quàm in æternæ salutis negotio erudire possunt: at pauci sunt, qui eum inde fructũ referant, quẽ ipsis percipere decebat. Causa est mali eius, quòd quæ illic traduntur, non omnes ad se pertinere putant, & ideò alijs cogitationibus occupati illa negligũt: aut carnis sensum secuti opiniones absurdas atque falsas concipiunt ex ijs, quæ verè & piè dicuntur. Exemplum huius rei nuper vidimus. Cùm enim Christus mortis imminentis recordatione consternatus, ad Patrem preces fudisset, vox cœlitus audita est, quæ & illi finem crucis lætum atq; glorioſum promittebat, & populum aduersus scandalum muniebat, quod ex eius cruce poterat oriri. At nemo fuit in confertissima auditorum turba, qui vocis istius verum sensum perceperit, sed mox diuersa iudicia audita sunt. Alij enim tonitru factum, alij angelum de cœlo ipsi locutum fuisse putarunt: & ita suo exemplo testantur nõ sufficere, si Dei verbum audiamus, nisi idoneus interpres accedat (siue ille internus siue externus sit) qui eius sensum verum indicet, & quod temerè dictum videri poterat, in nostrum vsum accommodet. Quod ipsum in præsenti Christus obseruans, primò vocis huius sensum interpretatur: deinde quasi nouis viribus confirmatus, de mortis suæ mysterio atq; fructu non minori constantia quàm diligentia disserit: adeò vt paucis hisce verbis vniuersum nostræ redemptionis atq; salutis negotium comprehendat.

Hic verò, priusquàm ad verborum interpretationem accedamus, ingenuum & ardens eius studium obseruari debet, quo salutem nostram promotam cupit. Iam enim amplissimã habebat seipsum ostendendi occasionem, tùm tanto populi applausu exceptus esset, cùm ipsius colloquium Græci quidã expeterent, & nunc cœlesti etiam voce se & doctrinam suam cõmendari audiret. At contemptis quodammodo hisce omnibus totus in hoc est, vt auditorum saluti consulat, quos diuinorũ mysteriorum plane rudes, et insuper erroneis de regno suo opinionibus occupatos esse sciebat. Debet hoc eius studiũ

Christi studium in salute nostra propaganda.

nos excitare, vt magna sit apud nos doctrinæ eius authoritas, ne ingrati deprehendamur in eum, qui sui nominis gloriam saluti nostræ postponere non dubitauit. Quòd si vero exemplum Christi imitarentur, qui docendi munus in ecclesia sustinent, mox contentiosis disputationibus finem impositum videremus, quibus simplex veritatis doctrina obscuratur, & multorum conscientiæ grauiter offenduntur.

Christus uocẽ patris interpretatur.

Cæterùm audiamus ipsum Christum, qui patris vocem de cælo delapsam interpretatur his verbis: Non propter me hæc vox facta est, sed propter vos. Quibus verbis vsum eius præcipuum indicat, ex præterito (vt modò diximus) qui ad ipsum pertinebat. Nam propter ipsum quoq; vocem illa fuisse, ex toto orationis contextu patet, quo docemur, eius carnem naturali mortis horrore pertimuisse, ita cõfirmari oportuisse. At idem minime opus habebat, vt de mortis suæ mysterio & fructu admoneretur, cùm ista omnia probè cognita atque perspecta haberet. Vt verò propter nos homo factus est, ita propter nos omnia sunt facta, quæcunq; ipsi in carne agenti contigerunt. Recte ergo vocẽ illam ad populi astantis institutionem accommodat, & propter ipsos factam esse ait. Ex ea enim discebant, ipsum nequaquam Dei aduersarium esse (vt nonnulli calumniabantur) sed dilectum filium, cui nihil sine certo Dei cõsilio accideret: Id quod ad remouendum crucis scandalum vehementer faciebat. Simul verò non obscurè ipsorum ingratitudinem perstringit, qui Deum siue in terris coram per filium ipsis loquentem, siue cælitus propria voce intonantem, audire dedignentur. Excitat ergo illos, vt in posterum attentiores præbeant, Deiq; voluntati sese pio obsequio accommodent. Nos verò obseruabimus generalem hoc loco regulam tradi, quæ in totius scripturæ lectione obseruari debeat. In his enim Deum ipsum loqui, nemo negare potest, nisi qui simul fidei & religionis principia conuellere velit. At propter nos ille loquitur, quando verbi eius vsus nullus est apud bestias ratione carentes, aut res inanimatas, quæ sensu etiã destituuntur. Quò Paulus respiciens dicebat. Quæcunq; scripta sunt, in nostram doctrinam scripta sunt: vt per patientiam et consolationẽ scripturarum spem habeamus. Rom. 15. Et idem in posteriori ad Timotheum hunc scripturæ vsum nobis indicat, vt Homo Dei perfectus sit, & ad omne opus bonum plenè instructus. Nobismetipsis ergo singula accommodemus, et propter nos dictum putemus, quicquid in scripturis Deus præcipit, quicquid vetat, quicquid punitur siue minatur, aut quæcunq; in illis extant de rebus futuris vaticinia. Est enim inexcusabilis ingratitudo atq; contumacia, si Deum audire dedignemur, qui infinitis modis se nostri captus imbecillitati iam inde ab origine rerum accommodauit, dum modò ipse cælitus locutus est, modò propheticas suæ voluntatis interpretes dedit, modò filium suum æternum nobis doctorem constituit, tandem huius discipulos instar præconum publicorum in orbem totum emisit, & insuper doctrinam hanc omnem scriptis mandauit, vt quiuis domi suæ libros sacros legere, & in his ipsum loquentem audire, adeoq; cum eo familiariter conferre possint.

Vsus uerbi Dei & scripturæ.

Mortis Christi fructus.

His verò dictis, ad inceptam de morte sua tractationem redit Christus, cuius recordatione illum nuper turbatum fuisse audiuimus, vt nos suo exemplo cõfirmaret: & nunc audita patris voce, quodammodo ob certam victoriam exultans, mortis suæ fructum amplissimum verbis latis exponit. Nunc (ait) iudicium est mundi huius, &c. Iudicij vox hoc loco non processum illum iudicialem significat, quo olim mundus impius cum suo principe æternis supplicijs damnabitur (quia non ad iudicandum, sed ad seruandum venerat Dei filius in primo suo aduentu) sed reformationem, qua totam mundi faciem instaurare atq; res eius in melius constituere velit. Itaque sensus est, iam nunc adesse tempus, quando humanum genus ex misera sua conditione vindicari, & inter homines regnum Dei instaurari debeat. Et hoc ipsum clarius exponens addit: Nunc princeps mundi huius eijcietur foras. Ita enim vocat diabolum: non quòd is mundi opifex sit, aut vllum in hoc legitimum imperium habeat: sed quòd in homines peccati illecebris à Deo abductos crudelem & exitialem tyrannidem exerceat. Dicit ergo fore, vt hoc eiecto ex possessione malè occupata, humanum genus suam libertatem recuperet. Et ne quid omittat, quod ad huius mysterij explicationem facit, modum quoq; & rationem, qua hoc omne confici oporteat, exponit: Ego si exaltatus fuero à terra, omnes traham ad meipsum. Quod de morte eius intelligi debere, Ioannes docet, cùm mox subijcit: Hoc autẽ dicebat, significans qua morte esset moriturus. Videtur autem hæc vulgaris locutio fuisse, qua Iudæi tunc temporis supplicium crucis denotarint, eò quòd in hanc sublimes suffigebantur, qui ad illud erãt damnati. Pop-

lum

haut errè aſtantẽ hæc verba mox intellexiſſe, in ſequenti ſermone audiemus. At quia Dominus his verbis totum noſtræ redemptionis negotium complectitur, ſingulas eius partes ex ordine conſiderauiſſe proderit, vt plus inde ad nos fructus redeat.

Primùm hîc occurrit humani generis conditio, quam miſerrimã fuiſſe ex eo apparet, quòd vindice opus habuit, qui omnia in melius reſtitueret. Initiò quidem Adamũ Deus ſecundum ſuam imaginem creauerat, vt felicẽ & beatam vitam degeret, & ipſius gloriæ inſeruiret. At quia is ſuæ conditionis non ſatis memor, diaboli conſilijs & ſuggeſtionibus locum dedit, Dei præceptum tranſgreſſus eſt, & amiſſa imagine illa ſanctiſſima, ad quam conditus fuerat, totam poſteritatem vnà ſecum in ruinam traxit, quando peccatores nati ſunt omnes, quotquot ex ipſo deſcenderunt. Nam vt Moſes ſcribit, in ſua imagine (corrupta nimirũ & peccatrice) filios ſuos genuit, & ita per vnum hominem peccatum ingreſſum eſt in mundum, id eſt, totum humanum genus peruaſit. Ea verò occaſione ſatan mundi imperium inuaſit, & horribilem in eo exercuit tyrannidem. Extincta enim paulatim vera Dei cognitione, πολυθεΐᾳ, id eſt, confuſam & innumerabilem ferè Deorum fictitiorum multitudinem inuexit: de quibus ea finxerunt gentium poetæ & ipſi ſacrorum antiſtites, quæ nemo vir bonus, nulla matrona honeſta de ſe dici aut ſcribi vellet. Secuti ſunt Deos hoſce cultus non modò ſuperſtioſi & ridiculi, verumetiam nefarij & ſceleratiadeò vt in multis locis ebrioſæ comeſſationes, ſaltationes laſciuæ, ſtupra, adulteria & homicidia inter præcipua religionis exercitia numerarentur. Confirmarunt hanc impietatem oracula, quæ per Deorum imagines ſiue ſacerdotes diabolus reddidit, & quibus ita dementati fuerunt potentiſſimi reges, vt ipſis inconſultis nihil agendum putarent. Quæ cauſa fuit, vt hæc ſufficere arbitrati, nullam præterea doctrinam requirerent, qua melius inſtituerẽtur. At extincta in hominũ animis religione vera & omnino ſublata veritatis doctrina, fieri non potuit, quin peccãdi licentia vires acquireret, ad quã natura procliues ſumus. Quæ quàm effrenis lõdine inter gentes graſſata fuerit, hiſtoriæ & poetarum ſcripta teſtantur, in quibus luſus & iocus cenſentur ea, quæ olim Deus in Sodomæis igne & ſulphure cœlitus puniuit. Neque hic aliquis ſanctos patres obijciat, qui promiſſionum veterum & legis doctrina inſtituti, iugum hoc diaboli minimè admiſerunt. Horum enim exiguus admodum ſemper fuit numerus, ſi eos cum aliarum gentium multitudine conferas: & ijdem propter hæreditariã peccati culpam ipſi quoque vindice opus habuerunt. Fuit ergo miſerrima mundi totius conditio, in qua pereundum fuiſſet omnibus, niſi Deus humani generis miſertus ſaluti noſtræ conſulere dignatus eſſet. Et hinc ferè docendi initium faciunt apoſtoli, quando ſalutis rationem tradere inſtituerũt: vt partim conſtet, ſalutem nobis ex mera gratia, abſque vllo noſtrorum operum merito obtigiſſe: partim verò doceant, quàm horribilis ſit mundi facies, & quàm miſeram ſeruitutem ſeruiant, qui vel huic placere, vel principi huius morem gerere inſtituerunt. Illum certè eijci oportere Chriſtus teſtatur, ſiquidem humanum genus vindicari & in libertatem aſſeri debeat. Nam vt Paulus ait, nulla eſt communio luci cum tenebris, aut Chriſto cum Belial: & proinde Dei regnum inſtaurari nequit, niſi deſtructo prius diaboli regno, & omnibus ſublatis, quæ Deo aduerſantur. Vehementer ergo errant, qui Chriſtum cum diabolo conciliare ſtudent, & ſi quando de reformatione conſultatur, multa relinquunt, vel etiam ſublata reducunt, vt eos ſibi demereantur, quos ſuperſtitionibus aut peccandi licentiæ nimiùm addictos vident. Pollicentur hi ſibi aliquando meliora tempora, & præſentem animorum offenſionem metuunt: ſed idem illis accidit ferè quod Iſraelitis, qui cùm Chananæos aliquos reliquos feciſſent, ſibijpſis ſuperſtitionum ſimul & bellorum grauiſſimorum fuerunt authores: imò interdum ab illis ſubiugati ſunt, quos maiores ipſorum Dei auſpicijs adiuti eijcere noluerant.

Conditio generis humani.

Secundo loco videndum erit, quis ille ſit, qui eiecto ſatana mundũ vindicauit & humanũ genus in libertatem aſſeruit. Eſt is vnus Dei filius, qui in carne manifeſtatus, hoc omne peregit, ſicuti non modò præſes hîc locus, ſed vnanimis ſcripturæ totius cõſenſus teſtatur. Hic enim ſemẽ illud mulieris eſt, quod caput veteris ſerpẽtis contriuit, id eſt, quod diaboli vires confregit regnumq; eius aboleuit. Idem ſemen illud Abrahami eſt, in quo gentes omnes benedicuntur, id eſt, cuius merito à peccatis & maledictione liberatæ cum Deo in gratiam redeunt. Adhæc fortis ille gigas eſt, qui diaboli domum, videlicet mundum hunc ingreſſus, illum conſtrinxit, & vaſa eius diripuit, id eſt, homines aſſeruit, quibus ille in ſuam poteſtatem redactis tanquam vaſis & inſtrumentis ſuis pro ſuo arbitrio

Vnus Chriſtus generis humani iudex.

abutebatur. Ideo eum olim vindicem & redemptorẽ suum Iobus dicebat, & talem omnes electi semper agnouerũt: Docuit hoc ipse supra Cap. 8. quando pharisæis falso libertatis titulo gloriantibus dicebat: Si filius vos vindicauerit, verè liberi eritis: ita nimirum ostendens, præter se humani generis vindicem & redemptorem nullum inueniri. Quò & illud referri potest, quod Isa. 45. ait: Annon ego Dominus? & non est alius Deus præter me: Deus iustus & saluans nullus præter me. Item Isa. 42. Ego Dominus, hoc est nomen meum, & gloriam meam alteri non dabo. Dominus enim noster dicitur respectu redemptionis nostræ, qua ex hostis diaboli tyrannide vindicati, ipsius serui facti sumus. Quod cum ipse solus præstiterit, ei etiam Domini nomen scriptura ceu proprium tribuit. Quod Paulus obseruãs scripsit: Nobis vnus est Deus, Pater ille, à quo omnia, & nos in ipso: & vnus Dominus Iesus Christus, per quem omnia, & nos per ipsum. 1. Cor. 8. Sunt hæc probè obseruanda, ne ea vni Christo debetur, gloriam in creaturas transferamus, & sectarum atq; superstitionum auctores simus, dum nouos vindices & redemptores fingimus.

Modus redemptionis humanæ.

Tertiò modũ huius iudicij siue vindicationis Christus describit dicens: Et ego, si exaltatus fuero à terra, omnes traham ad meipsum. Quasi diceret. Nunc quidem miserum genus mortalium in mille sectas diuisum in superstitionibus simul & sceleribus oberrat, & sub diaboli tyrannide seruitutem seruit miserrimam, cuius stipendium est mors. At vbi ego in cruce exaltatus fuero, tunc dominio satanæ seruitutis quoq; istius iugum confringam, & ad me trahã omnes electos, qui nunc hinc inde dispersi vagantur. Per crucis ergo vexillum Christus hostem nostrum debellauit, & per crucis id est mortis suæ, quam in cruce sustinuit, meritum, nos in libertatem asseruit. Carnem enim ex nobis assumpserat, vt frater noster factus, causam nostrã susciperet & vindex noster fieri posset. Ita q; cum carne peccati quoq; reatum in se recepit, quo nos premebamur. Deinde cum satana congressus, illius tentationes vicit, & mortis suæ merito peccatũ expiauit, quo sublato, mortem simul & infernum, adeoq; ipsum diabolum exarmauit, qui non alijs armis, quàm peccato nos in suam potestatẽ redegerat. Non potuit ergo illum mors detinere, quin tertio die resuscitatus, illam planè deuictam esse testaretur. Inde verò in cœlum conscendens, spiritum misit apostolis, qui eius auspicijs in orbem missi totum digressi, omnes gentes ex peccati seruitio & superstitionibus ad vitæ innocentiã & veri Dei cultum reduxerunt. Explicant mysterium hoc passim sacræ literæ & cum his historiæ etiã consentiunt. Constat enim post Christi mortem confusam illam Deorum multitudinem attenuatam et ceu pulsam quadam (quod futurum esse Sophonias prædixerat) paulatim consumptam fuisse, adeò, vt ex trecentis millibus Deorum (quos inter gentes cultos fuisse, ex Varrone D. Augustinus annotauit) vix paucorũ quorundã nomina hodie extent, quibus impij & superstitiosi astrologi ad sua deliria vtuntur. Constat præterea tempore prædicationis euangelicæ oracula cessauisse, quæ tyrannidis satanæ inter gentes præcipua fulcra fuerunt, eò quòd his Deorum fictitiorum potestas & eorundem non sine cultu potissimùm cõfirmaretur apud rudes & imperitos, qui veri Dei cognitione destituti, impostoras satanicas non poterant agnoscere. Quid templo Delphico acciderit, regnante Iuliano apostata, in Sophoniæ expositione Capite secundo, Homilia 7. recitauimus. Testantur certè sanctorũ patrum libri apologetici, Christianis inter alia crimina hoc præcipuum ab hostibus obiectum fuisse, quòd neque Dij suam virtutem vt prius exerant, neque per oracula respondeant, ex quo Christus prædicari cœperit. Adhæc sublatis superstitionum impostoris, scelerum quoq; licentiam coercuerunt, quæ tam de Deo & eius voluntate rectius erant instituti: & secuti sunt tandem Imperatores Christiani, qui vt ecclesijs pacem dederunt, ita leges quoque constituerunt politicas, quarum maximus fuit in eo seruanda publica honestate & iustitia effectus. Fuit ergo verè in foribus iudicij mundi huius quando hæc Christus dicebat, & eius mortem verè totius mundi reformatio secuta est, vt non temerè hanc exaltationis nomine denotarit. Nam etsi vulgaris hæc esset locutio, videtur tamen Dominus altius quid spectauisse: nimirum, quòd per mortis ignominiam adeò nihil regno eius decessurum sit, vt potius maior & illustrior futura sit illius gloria, quando ad crucis vexillum, ceu tropheum quoddam, gentes omnes colligi oporteat. Qui locus simul docet, quàm turpiter in suis conficiis impij & Christi ecclesiæ hostes fallantur. Voluerunt enim Pontifices hoc supplicij genere in Christum vti, vt illius ignominia omnes ab eo absterrerentur. Atqui infamia hæc in gloriam & honorem conuersa fuit, vt hodie etiam crucis signo nihil illustrius, nihil efficacius nihilq; victoriosius habeatur. Vt enim

Soph. 2.
Vide Euseb. lib. 5. de præparatione Euangelica

Vt enim olim sub hoc militans ex Dei mandato Constãtinus hostes ecclesiæ magno successu denicit: ita crucis meritum hodie etiam nos tuetur & hostes cùm visibiles tùm inuisibiles profligat. Vbi tamen eorum superstitio cauenda est, qui crucis imagini aut signo, quod manu fit, istam virtutem tribuunt. Nam ipsius Christi crucifixi merito hæc gloria debetur, & crucis supplicium ille sibi delegit, non vt nos cruces ligneas aut lapideas facere doceret, in quibus aliquam salutis spem poneremus, sed (quod D. August. annotauit) vt ipsam crucem in cordibus fidelium figeret, vt dicat Christianus: Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi, &c. Tract. in Ioan. 43.

Cæterùm oritur hic quæstio, qua ratione iudiciũ mundi peractum & satan eiectus dicatur, cùm & hic nos tentare atq; solicitare nunquam desinat, & nos peccati legem adhuc intra animos nostros gestemus, adhæc morti simus obnoxij, quæ credentes pariter & incredulos ex vita hac tollere consueuit? Petrus certè diabolum instar rugientis leonis oberrare ait, et quærere quẽ deuoret. Paulus verò de lege peccati, quam in membris suis inueniat, multis conqueritur, & eandẽ omnes homines sentiunt, qui non vnà cum Dei timore omnem quoq; mali sensum exuerunt. At hic tenendũ est primò, Christum mundi quidem statum reformauisse, & peccatum expiauisse, non autẽ mutauisse naturam carnis, quæ in peccato concepta & nata cupiditatibus prauis æstuat, & ad malum propendet. Deinde eiecit quidem diabolum ex possessione sua, non autem occidit, neq; adhuc conclusit in lacum ardentem, vbi cum suis seruis æternùm cruciabitur. Oberrat ergo per loca arentia & deserta (vt Domini Matthei 12. ait) & requiem quærit: quã cùm non inueniat vspiam, in homines redire tentat, ex quibus eiectus est. Et patitur ista Deus, quia ita nobis vtile est, qui vbi extra certamen & omnem periculi metum constituti sumus, propria securitate nosipsos perdimus. Idem etiam suos tuetur, ne quid damni accipiant. Etsi enim illos satan tentet, ijsdem tamen præualere non potest, cùm Christi imitantur, aduersus quem ne inferorum quidem portæ aliquid possunt. Neq; etiã diabolo accusatio contra electos admittitur, cùm hi quidem ab ipso Deo iustificati, ille verò eiectus & omni potestate spoliatus sit. Nulla itaq; damnatio ijs metuẽda, qui sunt in Christo Iesu Rom. 8. Quoad verò mortem, hæc non (vt olim) peccati pœna est, sed transitus seu migratio animæ in vitam æternam, vt Cap. 5. ipse Dominus abunde docuit. Corpus verò mori necesse est, vt deposita omni corruptione & mortalitate, olim immortale & incorruptibile resurgat, atq; regni cœlorum hæreditate fruatur. Nihilergo ex istis omnibus nostræ saluti decedit, cuius certitudo in Christi merito fundata & inuiolabilis est. Quomodo satã eiectus dicatur.

Quartò, quorum ista salus sit, scire oportet. Omnes (inquit) ad me traham. Dicit hoc de suæ mortis effectu, qui per se omnibus saluandis sufficit: & licet non omnes ipsum recipiant, ipse tamẽ (quantum in se est) omnes insitat, omnibus sese per euangelium offert, adeoq; quasi expansis adhuc in cruce manibus omnes attrahere satagit. Ergo non vnius modò gentis vindex atq; redemptor est Christus, sed ex æquo ad omnes pertinet. Nam vt apostoli aiunt, nõ est respectus personarum apud Deum, & in Christo non est Iudæus neq; Græcus, non Scytha neq; barbarus, non liber neq; seruus, non mas neq; fœmina, &c. Docuit hoc ipse nuper, quando se extra Iudaicæ gentis septa alias adhuc oues habere ait, quas duci oporteat, vt sit ouile vnum & pastor vnus. Et Ioannes cap. 11. ideo mori debuisse Christum dixit, vt omnes Dei filios per orbem dispersos colligeret. Pertinent huc quæ passim de gentium vocatione dicuntur apud prophetas, & quòd apostoli euangelium in omnes gentes diuulgare debuerunt. Illud autẽ omne trahendi verbo in præsenti explicat. Loquitur enim de tractu, nõ vio lento, sed amico & iucundo, qui foris quidem per euangelij prædicationem fit, intus verò per spiritus operationem siue virtutem, quæ animis nostris nouos motus nouamq; voluntatem inserit, vt volenti trahatur, vt ostendat, hoc non nostrum, sed diuinæ virtutis opus esse, quæ nisi sese nobis insinuet, nunquam ad ipsum simus accessuri. Quia enim nos natura reluctamur, & insuper satan suis laqueis retrahit eos, qui viam salutis semel ingredi cœperunt, efficacem spiritus virtutẽ accedere oportet, quæ nos omnibus obstaculis superiores faciat. Et hanc sibi Christus cum patre communem facit, quando in præsenti se eos tracturum ait, quos Cap. sexto à patre trahendos dixerat. Imprimis autẽ hoc loco teneamus, Christi regnum & quam ille nobis acquisiuit salutem, non intra vnius gentis fines conclusum, sed ad omnes populos extendi, eiusq; socios fore, quotquot se ab illo trahi sinunt. Meritum Christi omnibus offertur.

Officia eorum, qui per Christũ redempti sunt.

Restat postremum huius tractationis caput, quod nam sit nostrum officium, & quid nos facere conueniat, vt huius salutis consortes efficiamur. Vbi primum est, vt Christum Iesum vnicum agnoscamus vindicem & redemptorẽ, neq; in vlla alia re salutis fiduciã repositam habeamus. Hic enim solus est, qui & peccata nostra expiauit, & diabolum ex regno suo eiecit, quod in homines sibi vsurparat. Et tunc quidem hoc fecit, quando in cruce exaltatus mortem acerbam perpessus est: Nemo igitur aliud pro peccatis suis sacrificium quærat, nemo aliam satisfactionem expectet, nemo vindicem alium speret. Nam NVNC *(inquit) est iudicium mundi huius, &c. Deinde audiamus vocantem, & sequamur trahentem nos Dominum. Fit hoc per obedientiam fidei, quæ omnes carnis sensus atq; rationes humanæ sapientiæ Dei verbo subijcit: quod nisi fiat, nunquã eò perueniemus, vt vindicem nostrum agnoscamus eum, qui in cruce mortẽ ignominiosam obijt. Sequamur autem vocantem & trahentẽ nos Dominũ absq; mora, relicto satanæ & peccati seruitio. Si enim illum eijci oportuit per Christum, turpe fuerit eos illi adhuc locũ dare, qui Christo gloriãtur. Imò quia (vt Paulus ait) nulla est inter Christum & Belial cõmunio, non poterit illius regnum instaurari, nisi hic eijciatur. Postremò in statione simus aßiduè, & pugnemus aduersus hostem diabolum, ne illi denuò locum demus, quem tãto labore Dei filius eiecit. Opus hic verbi studio, quod armis idoneis nos instruit: precib. item aßiduis ad Deum, vt is suo spiritu nos illuminare, & in via salutis dirigere dignetur. In hæc si intenti simus, non negabit suam gratiã nobis cœlestis pater, & ipse vindex noster Iesus Christus boni pastoris officio fungens nos tuebitur, ne quis nos ex ipsius manu eripiat. Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.*

HOMILIA CXX.

Respondit ei turba: Nos audiuimus ex Lege, quòd Christus manet in æternum: Quomodo igitur tu dicis, Oportet exaltari filium hominis? quis est iste filius hominis? Dixit ergo eis Iesus: Adhuc ad paruum tempus lux uobiscum est: ambulate donec lucem habetis, ne uos tenebræ deprehendant. Nam qui ambulat in tenebris, nescit quò uadat. Dum lucem habetis, credite in lucem, ut filij lucis sitis. Hæc locutus est Iesus, & cùm abijsset occultauit se ab eis.

NEcessaria quidem est omnibus hominibus Iesu Christi cognitio, eò quod sine ea seruari nemo potest: at non aliud est, in quo frequentius & turpius erretur. Quia enim homo animalis nõ percipit ea, quæ sunt spiritus Dei, de Christo quoq; & salutis per illum acquisitæ mysterijs ex carnis sensu iudicat, & proinde longè aliũ fingit, quã reuera ille sit. Experimur hoc in multis hodie, qui cũ nos per illum Deo reconciliari audiunt, mox ex eo in huius seculi rebus sibi omnia læta pollicentur. Quò fit, vt vbi afflictiones incidunt, se deceptos esse querantur, & deinceps doctrinam Christi vel scurriliter rident, vel hostiliter persequuntur. Est hic error vetus admodũ, & olim Iudæis quoq; imposuit, vt in promisso Meßia regnũ terrenũ & omnigenã in hoc seculo felicitatẽ sperarent: quæ deinde causa fuit, quòd Christum non possent agnoscere, quem nullo regio apparatu illustrẽ, sed vilẽ & plerisq; exosum esse videbant. Obstitit præterea hæc inanis & falsa persuasio, quòd multa nõ intellexerunt, quæ ab illo clarè & perspicuè dicebantur, & quorũ cognitio ad salutẽ imprimis pertinebat. Exemplũ eius rei locus hic, quem modò recitauimus, exhibet. Nuper enim Dominus vniuersum redemptionis humanæ mysterium, cuius ergo in mundum venerat, diligenter exposuit, docens illud in merito suæ mortis consistere, quam ipsum nõ multò post subire oporteat: Et hæc dicendo, inter alia hoc potissimũ spectauit, vt discipulos, quos propter cõmunem Iudæorum errorẽ in spem regni terreni erectos videbat, rectius institueret. At nihil huius discipuli intellexerunt, quod ipsorum cõtentiones de primatu in vltima Cœna exortæ testantur: ex auditoribus verò reliquis multi nouam ipsum insectandi occasionem arripiunt, qui doctrinam eius dictis amarulentis & scurrilibus exagitant. Sed ijsdem ille ad monitionem grauem opponit, qua omnium eorum petulantiam coercet, qui hodie simili scurrilitate euangelij doctrinam insectantur. Audiamus ergo diligenter vtramq; partem, vt discamus, quid nos vitare quidue facere conueniat.

Prim

Primi hic illusores prodeunt, quos ex turba populi fuisse Ioannes scribit, Hierosolymitani nimirum, qui præ omnibus alijs optimè instituti esse debebant. De aduenis enim audiuimus nuper, quòd Christum venientem honorificè exceperint, & non sine publicis acclamationibus per vrbem deduxerunt. Ergo inquilini & ciues isti fuerunt, qui Christo de morte sua & nostræ redemptionis mysterio concionanti litem mouent, & quæstionem huiusmodi obijciunt: Nos audiuimus ex Lege, quòd Christus manet in æternum: Quomodo ergo tu dicis, Oportet exaltari filium hominis? &c. Finis & scopus illorum est, quòd illum ridere, & simul apud omnes alios in contemptum adducere instituerũt, vt qui ipse secum pugnet, & scripturis contraria loquatur. Et cùm prophano animo ista dicant, scripturas tamẽ citare audẽt (quas Legis vocabulo cõprehendunt) perinde ac si res hæc ipsis cordi sit, & de toto hoc negotio verè institui cupiãt. Sensus itaq; verborũ est: Scripturæ Christũ, id est, promissum populi redemptorem in æternũ mansurum esse testantur. Notum est enim illud Psal. 89. Semel per sanctitatem meam iurauí, haudquaquam Dauidem fefellero: Semen eius in æternũ erit, solium eius corã me vt Sol perstabit: Firmum vt Luna manebit, quæ est certus in æthere testis. Item Psal. 110. Sede mihi ad dextram, donec posuero inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Et iurauit Dominus, nec pœnitet eum, vt tu sis sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchizedech. Et rursum Psal. 45: Solium tuum in sempiternum stabit, &c. Hæc (inquam) & infinita alia in scripturis de Christo traduntur: Tu autem cùm te Christum illum esse profitearis, simul te in cruce exaltandum & mori eum esse ais: Ergo nõ es Christus ille, quem scripturæ tradunt, aut ea dicis quæ simul consistere nõ possunt. Si enim Christus es, manebis in æternũ: si verò in æternũ manes, quomodo exaltaberis à terra? Vtq; maiori cum scurrilitate illũ exagitare possint apud rude & imperitũ vulgus, aliunde repetunt vocabulũ Filij hominis, quo Dominus in præsenti nõ vsus fuerat, & cũ contemptu dictũ: Quis est iste filius hominis? Quasi dicerent. Sæpe quidẽ te filium hominis prædicauisse audiuimus, quẽ nos in Lege nostra nusquam inuenimus. Quis tandem ille est, quẽ aliàs magnificè cõmendauisti, nunc aũt ignominiosa morte tollendũ esse fateris? Sunt hæc hominũ audcissimorum verba, qui cum turpi sacrorum omniũ ignorantia intolerabilem arrogantiam cõiunxerunt: quando tam insolenter in publica disputationẽ instituunt aduersus eum, qui cum scribis & sacerdotib. iam toties congressus, semper victor discesserat, vt Matth. annotauit. Apparet aũt in horum exemplo improbum carnis ingeniũ, quæ in scripturis ea modò obseruat, quæ desiderijs suis prauis conuenire arbitratur, neglectis ijs, quæ illis contraria esse videt. Gloriantur isti scripturis, & harũ authoritate contra Dominum vtuntur. Atqui illæ non modò Christi regnum æternũ describunt, verumetiam de morte eius ignominiosa vaticinantur, qua ille genus humanũ redempturus, & inde in regnũ patris sui ingressurus sit. Dauid certe, qui de eius regno & gloria magnificè locutus est, vt paulò ante audiuimus, inter alia humilẽ quoq; eius conditionem & quæcunq; passurus sit, prædixit, De torrente in via (inquit) bibet, & propterea attollet caput. Et alibi in eius persona dicit: Qui edit panẽ meũ, sustulit aduersus me calcem suum. Quicunq; me aspiciunt, subsannãt me, distendũt labia, mouent caput dicentes: Speruit in Domino, eripiat eum, liberet eum, quoniã amat eum. Aperuerunt contra me os suũ, sicut leo rapiens & rugiens. Effusus sum velut aqua, dissociantur omnia ossa mea, factumq; est cor meum sicut cera, liquefactum intra viscera mea. Vt leo manus meas & pedes meos perforauerũt. Numerarem omnia ossa mea, diuiserunt inter se vestimenta mea, & super vestem meam iecerunt sortem. Et dederũt in cibo meo fel, & in siti mea potarũt me aceto. Hæc omnia Dauid de Christo ex se nascituro vaticinatus est. Taceo nunc typos Isaaci, Iosephi, agni paschalis, sacrificiorum, quibus omnibus illius mortem adumbratam fuisse nemo pius vnquam dubitauit. Adhæc Daniel quoq; Messiam excindendũ fore prædixit, & Isaias Cap. 53. totam passionis eius historiam non minus euidenter exponit quã Dauid, cuius verba modò retulimus. At Iudæi præteritis omnib. istis, ea modò excerpunt, quibus regni eius splẽdor et perpetua sub hoc piorũ felicitas verbis & similib. ex vulgo & hominũ cõsuetudine desumptis describitur, & ijsdẽ malè detortis aduersus illũ abutũtur. Imposuit hic cõmunis error discipulis quoq;, vt sæpe diximus: & hodie adhuc Iudæos in ignorãtia detinet, vt eũ nõ possint pro Messia agnoscere, quẽ in cruce nullũ non ignominiæ genus sustinuisse audiũt. Et gentib. quoq; ridiculi fuerũt apostol. quòd in cruce & morte Christi vitã inueniri docerẽt. Vnde Paulus in priori ad Cor. scribebat: Nos prædicamus Christum crucifixũ, Iudæis quidem offendiculum, Græcis verò stultitiã. Est aũt

Hierosolymitani Christo obganniunt.

hoc egregium diaboli strategema, quo sub scripturæ sacræ prætextu pios quoq; circumuenire & in errorem abducere studet. Vsus est eo olim aduersus ipsum Christum, quando ad horrenda scelera eos licitans eum, promissionẽ diuinam, quæ Psal. 91. habetur, allegare non est veritus. Idem postea hereticos excitauit, quorũ plerique scripturarum testimonijs malè detortis errores suos defenderunt. Quod ipsum in Papatu fit, vbi horribilis verbi Dei deprauatio & abusus cernitur, quando crassissimæ superstitiones, quibus Christi Iesu meritũ & tota nostræ salutis cultusq; diuini ratio euertitur, scripturis palliare audent. Offendunt ad eundem lapidẽ quotquot aliquos scripturæ locos pertinaciter vrgent, neglectis alijs, quorum collatione verum illorum sensum inuenire poterant. Faciunt hoc in Cœnæ mysticæ articulo, qui ex verbis Christi, Hoc est corpus meũ, &c. corporalẽ & realem corporis eius veri & essentialis præsentiam atq; manducationem colligunt, neq; interea cum illis conferunt, quæ idem ille alibi de corporis sui discessu ex hoc mundo dicit, & quæ Ioan. 6. de vera & salutari carnis suæ manducatione (quæ sola fide perficitur) aduersus Capernaitarum cogitationes absurdas disseruit, qui hoc ipsum animo suo voluebant, quod hodie aduersarij nostri pertinacissimè defendunt. Debent ergo exempla hæc tam vetera quàm recentia nos cautos & circunspectos reddere, ne subtilis & detortis scripturarum allegationibus nobis fucum fieri patiamur ab ijs, qui veritatem oppugnare semel in animum induxerunt, & non minori scurrilitate suis figmentis contrarios locos exagitant, quàm Iudæi isti ipsius Iesu Christi verbis insultarunt.

Inepta de uitæ æternæ conditione iudicia.

Videmus præterea quàm inepta sint hominũ huius seculi de vitæ æternæ cõditione iudicia. Quia Christi regnũ æternum fore isti audiuerunt, videre non possunt, quomodo idem ille mortem obire debeat: quasi verò nemo vnquã ex mortuis resurrexerit. Et quidẽ nunc de eo disputant, quando in omnium ore erat recens excitati Lazari miraculum. Quòd si ijdem scripturas diligentius fuissent scrutati, mox vidissent illum omnino mori oportere, vt regnũ illud æternũ obtineat. Dixerat enim Dauid: De torrente in via bibet, & propterea attollet caput. Et Esa. cap. 53. Domino placuit ipsum infirmando atterere, vt vbi posuerit animã suam hostiã delicti, videat semen, proroget dies, & voluntas Domini prosperè cedat in manu eius. A labore animæ suæ videbit, & satiabitur, & sciẽtia sua multos iustificabit iustus seruus meus, quorũ iniquitates ipse baiulabit: Idcirco dispertiar ei cum magnis, & cum fortibus diuidet spolia, eò quòd in mortẽ effudit animã suam, &c. Hæc & alia huiusmodi si isti obseruassent, nõ ideò mirum illis visum fuisset Christũ in cruce mori debere, cui regnum æternũ promitti sciebãt. At solet ita carnis ratio in ea modò quæ ante oculos sunt respicere, futura autem negligere, & impossibile putare quicquid sensum & intellectũ nostrũ superat. Fit idem in nostræ resurrectionis & vitæ æternæ articulo. Multis enim absurdũ videtur, si resurgere dicamur ex, qui in puluerem aut cineres redacti sunt, si itẽ ex scripturis nouissimũ diem & totius mundi innouationem prædicemus. At qui ideo nos mori oportet, vt vitam hanc mortalem cum immortali commutemus: ideò carnem hanc cõsumi & in nihilũ redigi necesse est, vt exuta omni corruptibilitate inuestiatur incorruptibilis & immortalis resurgat: ideo cælos qui nunc sunt, & terrã cum elementis reliquis perire & quefieri opus est, vt fiant cæli noui & terra noua: ideo omnẽ huius mundi faciem vnà cum vita huius seculi aboleri oportet, vt Dei regnum & æterna vita locum habeant. Non est ergo quòd ad carnis nostræ sensum ista reuocemus, sed discamus potius explosis aut extinctis rationibus, quas illa obijcit, in ea constanter respicere, quæ Dei verbo traduntur, & à vero nunquam aberrabimus.

Christus aduersarios ad fidem hortatur.

Sed tempus est, vt Dominum audiamus, qui non respondet ad quæstionem sibi propositam, sed improbitatem illorum & voluntariam ignorantiã grauiter corripit, & vt maturè respiscant hortatur. Quæstionẽ verò præterit, quia indigni erant, quibus cum porrò ageret, quando non veritatis cognitionem, sed calumniandi occasionẽ quærebant. Et debet exemplum hoc obseruari, ne dum ad omnium obiectiones & conuitia respondemus, litibus nunquam finiendis ansam præbeamus, quod hodie multi magno cum scandalo infirmorum faciunt. Repetit autẽ lucis parabolã, qua supra quoq; Cap. 8. & 9. vsus est: ex quibus locis satis apparet, non alium hic quàm ipsum Christum intelligi debere, qui lux illa vera & æternus iustitiæ Sol est, qui suo in mundum aduentu homines illuminat. Propositio huius loci est: Ambulate donec lucẽ habetis. In luce ergo ambulare & hac bene vti iubet, quæ non aliud est, quàm Christum fide vera amplecti (ita enim ipse postea interpretabitur, dicens: Dum lucem habetis, credite in lucem) & illius præcepta atque exemplum sequi. Propositioni verò huic rationes

rationes coniungit, quibus illos excitat & vrget. Prima est: Adhuc ad paruũ tempus lux vobiscum est: Ambulate igitur, donec lucem habetis, ne vos tenebræ deprehendant. Videtur argumentum hoc à necessario desumptum, quo omnem procrastinationẽ prohibet, & sensus est: Iam quidem Deus vobis lucem offert in me: at eadem apud vos non erit diuturna: sed quia eam aspernamini, non multò post (vt olim prædixerunt prophetæ) transferetur ad gentes. Illa ergo fruamini dum licet, quando eam frustra requiretis, si semel ablata fuerit. Admonet nos locus hic de ratione & modo, quo Deus in lucis & ipsius salutis dispensatione vtitur. Ab electis quidem illa nunquam auferetur, quin semper aliqua scintilla maneat, quæ eam in ipsorum animis non omninò extingui patiatur. Quia etsi illi interdum officij sui non satis memores sunt, Dei tamen timorem nunquam prorsus exuunt, & lapsi resurgere cupiunt, vt cum Deo in gratiã redeant. Alia est impiorũ & reproborum ratio, quibus illa etiam affulget interdũ, sed non perpetuò cum illis manet. Nec enim eam apprehendunt, vt qui pessimis studijs occupati tenebras luci præferunt, & proinde digni sunt, à quibus hæc auferatur. Vult tamen Deus illes quoq; hanc ad tempus lucere, vt inexcusabiles fiant, & vt bonitatẽ suam nobis commendet, qua Solem suum super iustos & iniustos oriri finit. Hinc ergo generalis doctrina peti debet, vt præsentem Dei gratiam animis gratis recipiamus, & quando hanc nobis per euangelium ille offert, semper nobiscipsis Paulinũ istud occinamus: Ecce nunc tempus acceptũ, ecce nunc dies salutis. 2. Cor. 6. Et excitet nos Iudaicæ gentis exemplum, à qua lucem filij sui Deus abstulit. Si enim (vt idem Apostolus monet) naturalibus ramis non pepercit, cùm ingrati & infrugiferi essent, quid de nobis sperabimus, qui ex prophanis gentibus peculiari gratia adoptati, simili ingratitudine peccamus? Debet hoc priuatim etiam à singulis obseruari, quoad pœnitentiæ doctrinã. Hic enim vehementer multi peccare consueuerunt: qui etsi scelera sua neq; dissimulare neq; excusare possint, & proinde pœnitentia sibi opus esse fateantur, eam tamẽ subinde in aliud tempus reijciunt, neq; vt festinent necessarium putant, cùm multos adhuc vitæ annos & commodiores quoq; occasiones sibi promittunt. Atutsciunt infelices & miseri, quàm diu lucis suæ & vitæ huius vsum Deus ipsis concessurus sit: et frequenter fieri videmus, vt qui cum diuite illo, cuius Christus Luc. 12. meminit, rationes suas in longum æuum vsque extenderunt, subita & improuisa morte tollantur. Fit etiã, vt qui Dei spiritu illuminati & ad pœnitentiam iam propensi fuerunt, vbi hanc occasionem elabi passi sunt, postea prophani fiant & in sua cõtumacia malè pereant. Singuli ergo sibijpsis hanc Christi admonitionem accommodent: Ambulate dum lucem habetis, ne vos tenebræ deprehendant.

Vt Deus lucem in Christo dispenset.

Sequitur altera ratio, qua periculũ exponit, quod eos maneat, à quibus lux illa auferetur. Vt enim Solis occasum nox sequitur, ita tenebræ succedunt, vbi nullus luci locus est reliquus. At quia hoc multis leuiculum videtur, qui nihil perinde expetunt, quàm vt Christi & euangelij prædicatione liberentur, addit: Nam qui ambulat in tenebris, nescit quò vadat. Perstat in similitudine, & hac etiam parte ad animum transfert, quod per loca ignota in tenebris ambulantibus accidere solet. Fatigantur illi corpore & animo, & nihil non metuunt, proficiunt autem nihil, imò plerunq; per præcipitia ruunt, aut in foueas delabuntur, vel diuturna fame & siti enecantur. Accidit hoc ipsum omnibus, qui Christo destituuntur. Quia enim hic vera & vnica lux est, extra illum meræ sunt tenebræ, & densissima caligo est, quicquid humanæ sapientiæ titulo, aut etiam religionis nomine commendatur. Pulchrè ergo similitudo hæc eorum conditionem exprimit, qui sine Christo sapere volunt, & sine fide in illum Dei cultus instituunt & nouas salutis vias comminiscuntur. Sunt hi sibijpsis grauissimorum laborum & molestiarum authores, quibus tam corpus quàm animum fatigant, imò enecant, dum nouas quotidie superstitiones excogitant, quæ maxima ex parte in exercitatione corporali consistunt (quam Paulus ad nihil vtilem esse ait) & simul non sine maximis impensis peraguntur. Impietum sane quod hìc dicitur in Iudæis, qui vbi à Deo repudiati fuerunt, & euangelij lucem ab illis Christus abstulit, ab eo tempore in hunc vsq; diem in Thalmudicarũ traditionum & ineptissimarũ superstitionũ tenebris oberrãt, nesciunt autẽ quò vadant, cùm in salutis ratione nihil certi habeant. Idem ante hos passe fuerunt gentes, de quarũ erroribus & infelici statu Paulus ad Rom. horrenda tradidit, quæ propriis ipsarũ scriptis confirmantur. Eadẽ est hodie eorum conditio, qui relicto Christo in Papisticis tenebris ambulant. Ieiunant illi, feriantur, induuntur cilicijs, humi cubant, in clausris & desertis locis degunt, Missas dicunt & audiunt, tẽpla & aras extruunt, extructas statuis,

Conditio eorũ qui lucem Christi deserunt.

picturis, taperijs, cereis & lampadibus exornant, psalmodijs & precularũ demurmurationibus occupantur, nudis pedibus, discooperto capite & interdũ loricati per terras longinquas discurrunt, per maria & inter omne periculorũ genus vagantur, indulgentias Romanas redimunt, liberos proprios superstitionibus & monasterijs mancipant: neq; cõtenti ijs, quæ dum in viuis sunt faciunt, mortuis noua sacra instituunt, & sæpe fraudatis hæredibus opes suas monachis & sacrificulis legant, quorũ precibus et meritis ex purgatorij flãmis redimi cupiunt. Quid verò omnia ista illis conducunt? Nescium quò vadãt. Sunt enim hæc incerta, neq; vllo verbi Dei testimonio nituntur: et cæcos ducere quuntur, qui hominẽ salutis suæ nunquã certũ fieri posse affirmant, & ita dubios suspendũt, quos gratiæ in Christo exhibitæ doctrina cõfirmare debebãt. Sunt hæc tam manifesta, vt demonstratione nulla opus habeant. Nã vos ipsos appello, aut potius cõscientias vestras ô monachi, neq; vos ista mouere scio, si quod animo sentitis effari libeat, aut effari tutum sit. Vos itẽ appello, qui serio Papisticas superstitiones adhuc sequimini, & in illis salutẽ quæritis. Dicite, si potestis, quò abeatis, & quid vobis certi vobis sit in vestris hisce exercitijs? Si enim certus vobis scopus est propositus, cur noua quotidie sacra instituitis? cur Diuos veteres cum nouis permutatis? cur nouas indulgentias quæritis, cur peregrinationes ad Diuos diuersos suscipitis? cur õibus ritè peractis adhuc horretis purgatorium atq; cruciatus? Verissimè ergo dicit Christus: Qui in tenebris ambulat, nescit quò vadat. Est enim cæca planè hominis ratio, neq; quicquam videt in diuinis, nisi cœlestis illius lucis radijs illuminetur.

Filij lucis qui?

Audiamus ergo conclusionem quoq;, quam hisce omnibus infert: Dum lucem habetis, credite in lucem, vt filij lucis sitis. Lucis filios vocat phrasi Hebraica eos, qui lucis participes aut propriæ perpetuiq; eius hæredes sunt. Monet ergo, vt ipsum recipiant, vt ita luce perpetuò frui & æternæ felicitatis consortes fieri possint. Vnde rursum sequitur filios lucis non esse alios, quàm qui in Christum credunt: at ijdem postea se tales esse declarant, dum opera lucis faciunt, quæ eadem cum fidei operibus sunt. Quod probè obseruandum est, primùm propter eos, qui dum opera lucis passim cõmendari audiunt, ex eo colligunt, nos per opera iustificari & Dei filios fieri: deinde propter eos quoq;, qui cum soli dei soli hæc gloria tribuitur, omnium securi libidinantur, & pro suæ carnis arbitrio omnia agunt. Teneamus ergo iustitiam & salutem in solo Christo per fidem inueniri, neque quicquam nostrorum operum meritis hîc tribui debere: fidei autem proprios fructus esse opera lucis, quæ nisi adsint, falsa professio inanis atq; vana est. Docet hoc præclarè Paulus, qui cùm Ephesijs fidem in Christum nostris cõmendasset, tandem de huius effectis loquens, addit: Eratis olim tenebræ, nunc autẽ lux in Domino, vt filij lucis ambulate: Nam fructus spiritus situs est in omni bonitate & iustitia & veritate, probantes quid sit acceptũ Domino. Idem in epistola ad Rom. quasi ad hæc Christi verba alludens, ait: Videtis opportunitatem, quòd tempestiuum iam sit nos à somno expergisci: Nunc enim propior nos est salus, quàm cùm credidimus. Nox præterijt, dies autem aduenit. Abijciamus igitur opera tenebrarum, & induamur habitu qui luci conuenit: vt interdiu compositè ambulemus, non in comessationibus & ebrietatibus, non cubilibus ac proteruijs, non lite & inuidia. Sed induamini Dominum Iesu Christo, & carnis curam ne habeatis ad expiendas cupiditates, &c. Rom. 13.

Christus se abscondit.

Sed ad Christũ redeamus, qui quod verbis minatus est, facto etiam, ceu chria quadã, adumbrat. Nam his dictis abijt & occultauit se ab eis: Nam hoc illum nõ periculi metu fecisse, ex eo apparet, quòd mox in publicum reuersus nouam concionem habuit, & postea sponte abijt in hortum, vbi sciebat. Voluit ergo in præsenti docere, breui fore, vt Deus lucem veritatis & salutis auferat. Vbi meminerimus, in Iudæorum exemplo doceri, quid sperent quicunq; Christum veritatis magistrũ & vitæ authorem vnicum aspernantur. Solent tales ferè omnẽ lapidem mouere, vt illo & doctrina eius liberentur. At non tanto labore & cura opus est. Sponte enim ab illis discedit Dominus, vt iam ante nõ semel diximus. At quia idem nobis à Deo sapientia, iustitia, sanctificatio, vita salus q; factus est, hæc simul omnia cũ illo abeunt à nobis, & in eorũ locũ succedunt ignorantia, cæcitas, peccatũ, mors & sempiternũ exitium. Exempla alibi recitauimus, eadẽ ergo hîc repetere non est opus. Excitent autẽ nos ista, vt præsentem gratiã amplexemur, & semel receptã seruare studeamus. Recipitur & seruatur hæc fide & obedientia. Itaq; istis intenti, renuntiemus carnis nostræ desiderijs, & per omne genus periculorum constanter ambulemus in Christo Iesu, qui cùm lux sit veritas, suos aberrare non sinet. Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

HOM. Lx.

HOMILIA CXXI.

Cùm autem tot signa edidisset coram eis, non credebant in eum: ut sermo Isaiæ prophetæ impleretur, quem dixit: Domine, quis credidit prædicationi nostræ? & brachium Domini cui reuelatum est? Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Isaias: Excæcauit oculos eorum, & indurauit cor eorum, ne uideant oculis, & ne intelligãt corde, & conuertantur, & sanem eos. Hæc dixit Isaias, quando uidit gloriam eius, & locutus est de eo: Veruntamen etiam ex principibus multi crediderunt in eum: sed propter Pharisæos non confitebantur, ne synagoga mouerentur. Dilexerunt enim gloriã hominum potius quàm gloriam Dei.

EXposuit hucusq; Ioannes præcipuas conciones Domini nostri Iesu Christi, & miracula quædã ingniora, quibus ille se Dei filium & promissum humani generis redemptorem esse publicè testatus est: & narrationem istam ad ea vsq; deduxit, quæ in postrema eius profectione in vrbẽ Hierosolymam contigerunt. Itaq; proximum iam erat, vt ad mortis & resurrectionis eius historiam accederet, qua redemptionis nostræ negotium absoluit. At quia non mirum modò & stupendũ, verum etiam cum graui scandalo coniunctum erat, quòd Iudæi, penes quos tunc fuit ecclesiæ & populi Dei regimen, illum crudeli morte sustulerunt: priusquàm narrationem istam ingrediatur, in præsenti impietatis eius causas veras commemorat, quibus deinde cõcionem Christi postremam subijciet, quam is publicè coram populo habuit. Est autem locus hic multa consideratione dignissimus. Primò enim scandalum remouet, quod hodie infirmis ex incredulorum pertinacia & credentium paucitate obijcitur. Deinde causas continet, quæ obstant, quò minus in vera fide homines proficiunt. Quibus probè cognitis, simul discimus, quid nos facere, quidúe cauere oporteat, ne ad eundem lapidem cum infelici Iudæorum gente offendamus.

Incredulitas Iudæorum accusatur.

Principiò incredulitatem populi Iudaici accusat, & ipsum Dominũ omni culpa liberat, dicens: Cum tot signa edidisset coram eis, non credebant in eum. Quasi diceret: Non defuit quidem suo muneri Dominus, sed diligenter docuit, & simul doctrinam suam signis multis atque stupendis confirmauit; attamen non crediderunt ei, homines nimirum pertinaces & qui in impietate iam callum obduxerant. Et ne qua suspicio apud mysteriorum Christi rudes remaneret, simul ostendit, nihil hoc nouum aut insolens fuisse: eò quòd hoc ita euenturum olim prophetæ prædixerint. Adducit ergo locum ex Isaiæ Cap. 53. Illic propheta Christi mortem & quæcunq; hanc comitata aut secuta sunt, adeoq; totum nostræ redemptionis negotiũ descripturus, cùm in spiritu simul Iudaicæ gentis cæcitatem atque contumaciam præuideret, ab exclamatione orditur, qua hanc miseriam illorum deplorat, & ait: Quis credidit auditioni nostræ, id est, prædicationi, quam ex Dei reuelatione nos prophetæ didicimus, & quam illi ex nobis audient? Et brachium Domini cui reuelatum est? Vtitur autem præteritis loco futurorum, & brachium Domini vocat ipsum Euangelium, quod Paulus quoq; potentiam Dei dicit ad salutem omni credenti: eò quòd per illud efficacissimè operatur ea, quæ ad nostram redemptionem atque salutem faciunt. Sensus ergo est: Veniet quidem promissus ille seruator, & omnia faciet & patietur, quibus humani generis salus atq; redemptio constat, & eadem passum prædicabunt eius discipuli, sed pauci erunt, qui ipsum recipiant. Quis enim sub infirma carne latentem Dei filium, aut sub Euangelij prædicatione vel crucis doctrina inuictã & salutiferam eius potentiam agnoscat? Neque dubium est, prophetam communem errorem præuidisse, quo Iudæi decepti, in Christo regnum terrenum sperauerunt, & idcirco non potuerunt eum Messiam credere, quem pauperem, omnibus inuisum & ignominiosa morte sublatum videbant. De istis verò admonere voluit, ne illorum incredulitas & contumacia alicui scandalum daret, aut Christi gloriæ aliquid detraxisse putaretur. Et sanè magna suspicio gentibus oriri poterat, ne quid magni de eo sibi polliceretur, quem à Iudæis reijci cernebant, quibus olim promissus fuerat, & ex quibus secundùm carnem natus erat.

Credentium paucitas neminem offendat.

At simul omnium admonitioni hæc seruiunt, ne quis credentiũ paucitate offendatur, quasi Dei fides & veritas ab hominum consensu pendeat. Quid enim (inquit Apostolus) si quidam fuerunt incredulitatis? num incredulitas eorum fidem Dei faciet irritam? Absit. Imò sit Deus verax, omnis autem homo mendax, &c. Primò itaq; teneamus, mysteria hæc humani ingenij acumine neq; tradinec percipi posse, sed animos nostros Dei spiritu illuminari oportere. Innuit hoc propheta non obscure, quando reuelationis meminit, per quam Dei brachium & salutifica euangelij virtus nobis innotescere oporteat. Et testatur idem ipse Christus, cuius verba sunt: Nemo venit ad me, nisi pater meus traxerit eum. Deinde cùm ea sit hominis corruptio, vt natura à diuinis abhorreat, cœlestia contemnat, terrenis solis inhiet, & oblatam veritatis lucem odio prosequatur & extinctam velit; quid mirum est, si paucissimi in Christi cognitionem perueniant? Quin potius miremur aliquos inueniri, qui illi locum dent, & Dei bonitatem exosculemur, qua ille ingenij nostri contumaciam vincit, et animos nostros regenerat, vt sese ipsius consilio atq; voluntati accommodent. Adde his, quòd non hoc demum seculo cœpit ista cæcitas mundi, sed iam olim inter homines regnũ obtinuit. Scimus enim quid Mosi acciderit, quem miraculis horrendis insignem, & ipsius Dei congressu atq; colloquio commendatum, Israelitæ contempserunt. Eadem quoque fuit sors prophetarum, vt paucissimos inuenirent, qui per ipsos annuntiato verbo Dei crederent. Elias certè se solum superesse putabat ex ciuitorum Dei numero. Isaias se & discipulos suos, quos ipsi Dominus dederat portenti instar in Israele esse dicebat, eò quòd ei doctrinæ fidem haberent, quæ ab omnibus explodebatur. Et ne quis hoc prophetarum morositate factum putaret, idem ipse Dei filius experiri voluit, quando neque doctrinæ authoritas, neque miraculorum splendor, neque eiusdem inexhausta bonitas atque beneficentia hominum mentes emollire potuit, vt ipsum reciperent, qui tot modis se illis manifestabat. Neq; mirum fore rerum conditionem nouissimis temporibus, idem ille prædixit. Nam de mũdo pronuntiat, quòd spiritum veritatis non possit accipere. Paucos item esse ait, qui per angustam portam aduersus cœlestis hæreditatem ingrediantur, quàm plurimos autem, qui mundi exemplum secuti ad exitium ruant. Clamat denique multos quidem esse vocatos, paucos verò electos: & de postremi seculi hominibus differens, eorum planè similes fore dicit, qui Noæ atque Lothi temporibus Dei admonitiones simul & iudicia cõtempserunt. Quid ergo miramur, aut cur offendimur, si ista hodie fieri videamus? Quin deploremus potius infelicem hominum conditionem, qui de his tam fideliter præmoniti, non tamen sibi cauent, sed simili cum Iudæis cæcitate & contumacia sese ad interitũ præcipitant. Vtinam illi, quàmuis ipsorum cæcitatem & incredulitatem prophetæ prædixissent, non tamen sibi cauerent, sed Messiam somniarunt, qui cum publico totius populi applausu in terris hisce regnum constitueret: Ita cùm de socordia, peccandi licentia, veritatis odio & persecutione, Antichristo & impiis hominibus nos abundè præmonuerit Dominus, paucos tamẽ inuenias hodie, qui ista timeant, aut deinde euitandis seriò cogitent. Imò multi impudenter ea faciunt & defendunt, quæ in prædictionibus istis vel contumacibus huius seculi filijs, vel Antichristianis seductoribus tribuuntur: neque pudet eos illorum ordine deprehendi, quorum impietatem Dei filius iam olim damnauit. Quid enim aliud faciunt, qui securi belluantur, scortantur, mœchantur, fœnerantur, & quæuis alia scelera pro animo libidine designant? Qui item Christum in certis locis monstrant? qui diuinos honores sibi ipsis vendicant? qui sacrorum nundinationẽ exercent? qui ciborum discrimina docent, & coniugia prohibent? Annon enim hæc pseudochristos & pseudoprophetas facturos esse, spiritus sanctus prædixit? Ego indesinentibus lachrymis deploranda hæc mundi infelicis cæcitas, qui nihilominus ista facientibus obsequitur. At tunc simul vaticinia vetera in mentẽ reuocare oportet, ne illi offendamur: & imprimis ex ijs consolationẽ petere debent ministri, ne propter mundi improbitatem a contumaciam succumbant, & spe omni abiecta simul stationem suam deserant. Ipsorum enim est cum huius seculi filijs luctari, eoq; ardentius sibi commisso officio fungi, quò pertinacius illos in sua impietate pergere vident.

Causa incredulitatis Iudæorum.

Redeamus autem ad Euangelistã, qui mox altius ascendens, causas quoq; exponit, cur non crediderint in Christum Iudæi. Non poterant (inquit) credere: quia iterum dixit Isaias. Excæcauit oculos eorum, &c. Quibus verbis non vult causam incredulitatis & contumaciæ ipsorũ in Deum referre, quasi ipsis hoc præter omnem culpam acciderit: sed ostendit, tales omnino fuisse, quales fore Deus

olim prædixerat, & proinde propria atq; voluntaria malitia meruisse, vt suo spiritu destitutos & in sensum reprobũ traditos Deus excæcaret atq; induraret, vt tandẽ dignas sua cõtumacia pœnas exolueret. Nam vt fides Dei donũ est, & ex spiritus reuelatione nobis obtingit, ita non potest non sequi insanabilis incredulitas atq; cõtumacia, si quando spiritum suum Deus subducit, & sui iudicij rigore contra inobedientes vtitur. At quia simul constat, Deum humani generis amantissimum, impietatis verò & iniustitiæ acerrimum hostem esse: non dubium est, quin hoc omne non cæco impetu faciat, sed iusto & æquo iudicio dispenset. Intelligemus hæc rectius, si ipsum Christum hæc Isaiæ verba adducentem audiamus, & cum illis conferamus Iudæorum mores præfractos & incurabiles. Ille enim apud Matthæum Cap. 13. à discipulis interrogatus, quare parabolis vteretur ad populum verba faciens, inter alia sic ait: Propterea per parabolas loquor eis, quia videntes nõ vident, & audientes non audiunt, nec intelligunt: Itaq; completur in ipsis prophetia Isaiæ, quæ dicit: Audiendo audietis, & non intelligetis: & videndo videbitis, & non cernetis: Pinguefactum est enim cor populi huius, & auribus grauiter audierunt, & oculis suis conniuerunt: ne quando cernant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant, & conuertantur, & sanem eos. Quo loco disertè docet, Iudæos excæcationem & indurationem sua improbitate meruisse. Nam illos videndo non vidisse, & audiendo nõ audiuisse ait: quasi diceret: Dedit quidem illis Deus oculos & aures, quibus verbum audiant, & diuinam in me virtutem per opera sese manifestantem intueantur: sed ipsi eorum similes, qui quæ dicentur neq; audire neq; videre volunt, oculos occluserunt & aures obturauerũt, adeoq; animos quoque suos aduersus veritatis doctrinam obfirmarunt, vt ne propriæ quidẽ conscientiæ testimonio conuicti cedere voluerint. Quid ergo aliud restat, quàm vt iudicium suum exerat Deus, & quando sic volunt, totos excæcet & induret ne vnquã conuertantur & salui fiant? Estq; eò iustius hoc Dei iudicium, quòd olim de eo præmoniti, illud tamen non exhorrescunt. Et hæc quidem de Iudæis verissime dicit, tota euangelicæ historiæ series testatur, & multorum confessiones probant, quas veritas ipsa inuitis quoque & reluctantibus extorsit. Christus certè docendi officio nunquam defuit, sed templum, synagogas, domus item priuatas, adeoque littora & deserta verbi sui prædicatione impleuit. Miracula verò in publico edidit infinita, & omnium oculis ingessit: quorum tantus fuit splendor, vt palàm multi dicerent: Christus cùm venerit, num signa plura edet ijs, quæ hic edidit? Imò Nicodemus ex infestissimo pharisæorum ordine, nõ tam suo quàm omnium collegarum nomine dicebat: Scimus te à Deo venisse magistrum: nemo enim potest hæc signa edere, quæ tu edis, nisi Deus sit cum eo. Taceo nunc alia populi testimonia, qui multoties visis miraculis Deum glorificauit, & magnum illum prophetam in Israele surrexisse confessus est. Num verò hæc omnia eos commouerunt, vt docenti crederent, & salutem quam ipsis offerebat, fide vera amplexarentur? Nequaquam. Imò implacabili odio illum persecuti sunt sacerdotes & pharisæi, & extinctum voluerunt, ne quid quæstui ipsorum sacrilego & gloriæ decederet, quam fucatæ sanctimoniæ studio sibi parauerant. Populus autem quauis aura mutabilior, in sacerdotum gratiam concepta iam fidei semina abiecit, aut turpi dissimulatione occultauit, tandem verò insontem & optimè de omnibus meritum ad crudele & horrendum crucis supplicium poposcit. Digni ergo erant, quorum cordibus tenebræ perpetuæ obijcerentur, & callus induceretur, qui illos ad mentem redire prohiberet, sicq; voluntariæ suæ ignorantiæ & malitiæ pœnas dignas luerent. Est itaque excæcatio & induratio peccati & impietatis pœna, & in hominibus hæret illius causa, vt minimè opus sit, Deo litem mouere, aut disputationes temerarias instituere, quibus illius iustitia siue bonitas in dubium vocetur. Docet hoc ipse non vno loco. In lege enim suorum præceptorum transgressoribus per Mosem inter cætera hoc quoque minatur: Percutiet te Dominus amentia, cæcitate & subita conturbatione cordis: Et palpabis in meridie, quemadmodum palpat cæcus in tenebris, &c. Deut. 28. Et rursum per Ezechielem prophetam sic loquitur Cap. 14: Quicunque de domo Israelis aut peregrinus, qui habitat in Israele, abalienatus fuerit à me, & passus fuerit ascendere sordes suas in cor suum, posueritq; scandalum iniquitatis suæ ante faciem suam, & venerit ad prophetam consulturus me per eum, ego Dominus respondebo ei ex me, ponamq; faciem meam contra illum, & vastabo eum, vt sit in signum & prouerbium, &c. Et propheta si seductus locutus fuerit sermonem, ego Dominus seduxi prophetam illum, extendamq; manum meam super eum, & delebo eum de medio populi mei Israelis; Et portabunt ini-

Excæcatio & induratio pœna est impietatis.

quitatem suam: qualis erit iniquitas interrogantis, talis erit iniquitas prophetæ. Similia his Paulus dicit de ijs, qui efficaci illusione decepti Antichristo credūt, eò quod veritatē amplecti noluerint: & de nouissimorum temporum hominibus scribit, quòd sibijpsis doctores falsos coacernaturi sint, qui ipsis placentia loquantur, & proinde dignos fore, qui in exitium abducantur. Faciunt ad horum confirmationem exempla alia quoque, quæ in Pharaone, Saule, Achabo, Iuda & similibus scripturæ proponit, in quibus omnibus voluntaria cæcitas et impietas eam excæcationem animorum præcessit, quæ illis exitium attulit. Et si nostri seculi impios consideremus, idem in illis quoque videbimus, & proinde non mirum nobis videri debet, si non possint credere, qui cùm possent, gratia Dei & per hanc concessis facultatibus vti noluerunt. Nam, vt apud Matthæum loco ante citato Christus ait, ei qui habet, dabitur & abundantior fiet: ab eo autem qui non habet (id est, qui data sibi Dei dona non agnoscit, neque illis vtitur) etiam quod habet auferetur. Vsus ergo huius considerationis hic nobis esse debet, vt primò non offendamur eorum contumacia, qui se Christi hostes & ex reproborum numero esse iamdudū apertis indicijs declararunt. Deinde vt ab eorum insidijs & conatibus cautemus, ne dum spem aliquam de eis concipimus, & nosipsos & ipsam veritatis causam turpiter prodamus. Postremò, vt discamus, quid nos facere conueniat, ne idem nobis, quod olim Iudæis, contingat. Sumus enim omnes natura cæci & infirmi, qui ex nobis ipsis æternæ salutis mysteria neque videre neque amplecti possumus: sed Dei gratia & efficaci operatione opus est. Offert hanc ille, & in cano verbo suo, ceu medio externo & ordinario vtitur. At quia hoc, si auribus solis percipiatur, non prodest, simul interna spiritus virtute corda & animos illuminat atque trahit, dum quæ auribus ingeruntur, propriæ conscientiæ testimonio confirmat. Sequitur hinc fides & totius hominis innouatio, quam Isaias conuersionis nomine exprimit. Finis verò omnium istorum est salus, quæ omnem hominis incolumitatem tam in præsenti hoc quàm futuro seculo comprehendit. Hæc vt nobis salutem ex gratia obtingere docent, ita simul nos officij nostri admonent: quod est, vt huic ordini, quo Deus vtitur, nos accommodemus. Audiamus ergo verbum eius, admittamus spiritus suggestiones & contra conscientias nostras conuicti cedamus. Ita enim quotidie proficiemus in melius, & salutem in Christo consequemur. Quotquot verò à Deo institutum ordinem contemnunt, verbum & spiritum eius conculcant, & conscientiæ testimonio reluctantur, hi nō à salute modò æterna excidunt, verum etiam in hoc seculo miseri & infelices sunt. Quod Iudæorum exemplo docemur. Cùm enim excæcationis malum in illis Deus comminatus esset, interrogat propheta: Quousq; Domine? Et mox ei respondetur: Donec vastatæ fuerint vrbes, vt nemo sit qui inhabitet, & in domibus nullus sit homo, tellusque redigatur in solitudinem. Quas minas Christus etiam repetit non vno loco, & easdem non inanes aut vanas fuisse, res ipsa testatur. Secutum est enim horribile totius gentis excidium, & exilium miserabile, quod iam annis amplius mille quingentis durat, et in veteri etiam cæcitate pergunt Iudæi, vt reuera quoad corpus & animam omnium hominum miserrimi censeri debeant. Videndes ergo quid hodie sperare debeant, qui Iudæorum similes oblatam sibi salutis doctrinam contemnunt. Itaque illorum exemplo territi, Dei institutum sequamur, & procul dubio seruabimur.

Vsus doctrinæ huius.

Subijcit autem adducto Isaiæ testimonio Ioannes: Hæc dixit Isaias, quando vidit gloriam eius, & locutus est de eo. Quibus verbis prophetæ oraculo fidem & authoritatem astruit. Quasi dicerent: Non temere ista exciderunt Isaiæ, sed tunc illa dixit, quando extra se raptus Dei veri & æterni maiestatem spectauit, & spiritus suggestione ad vaticinandum excitatus fuit. Nemo igitur hoc nouum & insolens putet, quod olim tam disertè prædictum fuit. Habet autem præterea locus hic euidens & irrefragabile veræ & æternæ Deitatis Christi argumentum. Nam constat prophetam toto eo Capite de Deo vero & æterno verba facere, qui suam gloriam atque maiestatem ipsi manifestare aliquo modo dignatus fuerat. Nam angeli disertè Iehoua & Dominū exercituum nominant, qui tituli soli Deo conueniunt. At Ioannes gloriam Christi ab eo visam ait. Ergo hic verus Deus, patri coæternus atq; coessentialis est. Confutantur hoc argumento Arianorum & Seruetianorum blasphemiæ, qui Christum Iesum non solum falsis accusare & conuincere coguntur, aut illum Iehouan fateri & Dominum exercituum. At prius illud sine manifesta impietate non possunt facere. Alterum ergo concedant oportet, nisi maiori cum blasphemia ipsam veritatem negare velint.

Isaias uidit gloriam Christi.

Ant

Principes aliqui credunt Christo.

At ne quis Christi doctrinã & miracula prorsus omni fructu caruisse putaret, subijcit euangelista, non defuisse, qui in eum crediderint. Et quia satis constabat, ipsum ex vulgo discipulos aliquos habere (quod hostes quoq; confessos fuisse audiuimus, Cap. 7.) hic magnatum & procerum meminit, dicens: Veruntamen etiam ex principibus multi crediderunt in eum: sed propter pharisæos non confitebantur, ne synagoga mouerentur, &c. Quo loco videmus, impietatem & tyrannidem nunquam satregnare, quin reperiantur, quorum corda Dominus tangit, & qui spiritu eius illuminati rectius sentiunt. Et tanta diuinæ gratiæ virtus est, vt frequenter tales in eorum quoq; ordine consplicantur, qui euangelij doctrinam omnino euersam volunt. Sic factum Eliæ temporibus, quando inter Achabi aulicos Abdias est prophetarum nutritius: & Deus ipse testatur, esse sibi septem millia virorum in Israele, qui genua sua Baali non flexerint. Sic Zedechia regnante, cùm tota aula in Ieremiæ mortem conspirauisset, Abdemelech Æthyops inuenitur, qui illius defensionem suscipit. Refert huc, quod de Cæsaris Neronis domesticis Paulus ad Philippenses scribit, quos sub impurissimo impissimoq; tyranno seruientes Deus fidei luce illuminauit. Et huius generis exempla in historijs ecclesiasticis multa habemus. Diocletiano enim & Maximiniano ecclesiam persequentibus, in Britannia Constantius fuit, Magni Constantini pater, qui eius reliquias illic protexit: & ijsdem Constantinus successit, qui tyrannos è medio sustulit, & fidem Christianã longè lateq; propagauit. Rursum sub Iuliano, vaferrimo & audacissimo Christi persecutore, fuerunt Iouinianus & Valentinianus, qui postea ad imperialis Maiestatis fastigium euecti, ecclesijs pacem reddiderunt. Taceo nunc milites & plebeios homines, qui omnibus seculis Christo tunc quoque adhæserunt, quando reges aduersus illum ferro & igne quàm maximè grassati sunt. Fiunt huiusmodi multa hodie, & certum est in eorum etiam principum aulis & cubiculis, qui Pontificibus suam operam in persequendis Christianis ediderunt, quàm plurimos reperiri, qui euangelio credunt, et qua possunt diligetia pijs patrocinantur. Sunt hæc præclara diuinæ bonitatis argumẽta, quæ radios suos ijs etiã in locis exerit, vbi impietas omne imperium obtinere videtur. Docent item exempla ista, quanta veritatis vis sit, quæ inuitis tyrannis hominum mentes penetrat, neq; vnquã sine fructu aliquo luculento proponitur. Adhæc Dei potentiam nobis spectandam exhibent, qua ille tyrannos ludificare, & eorum consilia dissipare solet. Nos verò ista in eum finem accommodemus, vt fortes in domino, nullis impiorũ conatibus nos à veri confessione & officio nostro abduci patiamur. Quod enim olim fecit Deus, hoc ipsum hodie quoq; potest, neq; vnquam causæ suæ deerit, quod Christi promissio docet: Ecce ego vobiscum sum vsq; in consummationem seculi.

Quomodo principes isti crediderint.

Sed videamus, quæ & qualis istorũ fides fuerit. Crediderunt in eum, sed non confitebantur. Credidisse dicuntur, quia illum à Deo missum & doctrinam eius ex Deo profectã agnoscebant. Interim fidem hanc non publicè confessi sunt, neq; etiam relictis traditionibus superstitiosis illi nomen dederunt, vt alij discipuli, qui ipsum sequebantur. Ergo non fuit hæc vera & viua fides, quæ homines iustificare & seruare dicitur, neq; illis quicquã profuisset, nisi postea maiores fecissent progressus. Viua enim fides animosos reddit, & confessionem quoq; sibi coniunctam habet: quando fieri non potest, vt eos Christi pudeat, qui omnem salutis suæ spem atq; fiduciam in illo collocarunt. Discamus ergo, non sufficere, si intra animos nostros Christi cognitionem cõceperimus, sed confessionẽ quoq; fidei requiri, quæ nos totos illi cõsecratos esse testetur. Admonet de hoc Paulus, quando ait: Corde creditur ad iustitiam, ore autẽ fit confessio ad salutem.

Confessio fidei necessaria est.

Vult enim Christus nos à mundo hoc degeneri & corrupto planè separatos esse, & ideo discipulis postea dicet: Ego elegi vos ex mundo. At quomodo ex mundo electi & separati dici poterunt, qui in superstitionũ cultu & vitæ totius consuetudine mundi exemplum sequuntur, & insuper de fide requisiti, eam ignauo metu dissimulant? Semper ergo animis nostris obuersetur grauis illa Iesu Christi sententia: Quencunq; puduerit mei ac sermonum meorum in natione hac adultera & peccatrice, eius pudebit etiam filium hominis, quando venerit in gloria patris sui cum angelis illis sanctis. Confert inter se mundum hunc & seipsum atq; verbum suum: & illam vocat nationem adulterã & peccatricem, eò quòd imitiò statim degenerauit, totusq; peccati seruituti subiectus nihil diuinum aut cœleste sapiat: vt ostendat indignum prorsus esse, vt hominum causa ipsum abnegemus, qui vt sanctissimus, ita vita salusq; est omnium, qui ipsum vera & viua fide recipiunt. Si enim merito parentes ijs filijs indignãtur, qui vt helluonibus & nullius frugis cõbibonibus

gratificentur, ipsos negant & eorum monita contumeliosè proscindunt: iusta quoq; ira atq; indignatione Christus eos persequitur, qui vt mundo infelici placeant, verbū eius reijciunt, & fidē in ipsum dissimulant. Neq; leuis aut inanis hæc ira censeri debet, sed æternam damnationē infligit, quam recessariò subibunt omnes, quos Christus in magno illo die pro suis agnoscere dedignabitur. Debet hoc nobis sufficere aduersus omnes rationes eorum, qui fidei confessionē inter indifferentia numerāt, & abunde excusatos arbitrantur, si vel regum edicta, vel publicæ pacis studiū, vel priuatas amicitias, aut etiā quæ parentibus siue liberis debentur pietatis officia possint prætexere: quibus multi religionis quoq; prætextum addunt, dum piū esse censent vt nos melioribus temporibus reseruemus potius, quàm vt temere & sine aliquo fructu nos periculis obijciamus. Sed sunt hæc rationis humanæ figmenta, quæ nō recipit Deus, cùm longè aliud ipse à nobis disertè exigat, vt modò audiuimus. Quod enim regum edicta, non licet illis quicquā statuere, quo verus Dei cultus prohibetur: & si ipsi eo temeritatis progrediantur, piorū est Deo potius quàm hominibus obedire. Ita enim Cæsari reddendum quod Cæsaris est, ne quid Deo negemus, quod illi debetur. Quoad verò pacem publicā, piorum est illam non turbare: quòd si verò eam tyranni turbent edictis impijs, quoduis potius periculum subire debent, quàm cum veritatis abnegatione pacem redimere. Ideo olim Ambrosius, cùm moneretur, vt populum propter impium Imperatoris de basilicis tradendis edictum tumultuanté sedaret, respondebat: in suo iure esse, ne populum excitet, in Dei manu autem, vt excitatum mitiget. Quod amicitias priuatas, omnibus quidem benefacere, neminem verò tanti facere debemus, vt illum Deo filio præferamus, qui vt noster amicus, vel potius frater & vindex fieret, homo nasci, & mihi nō mediocrem pro suis subire voluit. Similiter neq; parentum neq; liberorum aliqua debet haberi ratio, quando Christi causa agitur, qui in euangelio dixit: Si quis venit ad me, neq; odit patrem suum & matrem, & vxorem & liberos, & fratres & sorores, insuper etiam animam suam, non potest meus esse discipulus. Cumq; naturæ lex sit, quam primi parentis animo ipse Deus inscripsit, vt homo relictis parentibus coniugi suæ adhæreat, qua obsecro venia digni erunt, qui ne parentes aut liberos negligere videantur, illud sacrosanctum & salutiferum spirituālis coniugij vinculū abrumpunt, quo Dei filius nos sibi desponsauit? Præterea præpostera nimis illorum prudentia est, qui vt se mediis temporibus seruent, officium suum tunc negligunt, quando pro Dei gloria aliquid audendum est, & ignaua dissimulatione ijs scandalum præbent, quos suo exemplo debebant confirmare. Poterant tiones hasce omnes prætexere Daniel, quando Darius de non precando Deo edictum impium proferat: sed quia de fidei confessione agi videbat, quæ præcipua diuini cultus pars est, preces suas intermittere nequaquam voluit, neq; leonum dentes & vngues ita exhorruit, vt aliquid contra religionis veræ leges faciundum esse putaret. Eadem fuit omnium Martyrum tam veteris quam noui Testamenti sententia, quos extremæ dementiæ & impietatis accusabimus, si rationes istas ratas esse, quibus ignaui illi tergiuersatores suam leuitatem excusant. Neq; temere factum putamus, quòd principum istorum dissimulationem disertè damnat spiritus sanctus, qui alibi sospitem Arimatthæum & Nicodemum magnificè commendat, quòd tandem Christi causam seriò defendendam susceperunt, quem in cruce pendentē ab omnibus derelictum esse videbant. Nemo igitur sibi blanditias faciat, sed in Christi verba respiciamus, & eos imitemur, quorū fidē scripturæ prædicat.

Cur principes fidem suam non sint confessi.

Sed proderit diligentius inspicere, cur principes isti fidem suā noluerint confiteri, cùm Christum à Deo missum esse non ignorarent. Id verò propter pharisæos factum fuisse, scribit Ioannes, quos propter singularem sanctitatis existimationē tunc temporis primum in ecclesia locum tenuisse, & accrimos fuisse Christi hostes, iam sæpe diximus. Neq; mirum videri debet, quòd illos principibus quoq; formidabiles fuisse audimus. Tanta enim est vis hypocrisis, vt in ipsos hominum animos sibi imperium vendicet, & falsæ religionis terriculamentis eos quoq; cōcutiat, qui alijs terrori esse debeant. Ita olim potentissimi monarchæ & victoriosissimi imperatores augurum & aruspicum commentis sese terreri passi sunt. Et hodie cucullati impostores regibus terrori sunt, in quorum arcana per auricularis confessionis cuniculos penetrare solent. Et fit hoc iusto Dei iudicio, vt qui ipsum timere nolunt, eos timeant, qui nullis nocendi viribus instructi sunt, quam quibus ipsi illos in sua captiua ducere solent. Cur autem pharisæos timebant viri principes? Ne synagoga moueretur. Quæ de re Cap. nono diximus, vbi iam hoc lege publica sanctum fuisse Ioannes scribit, vt excommunicatione

fulmen

flumine ferirentur, quicunq; Christum suum magistrũ agnoscerent. Itaq; quod ad conseruandã fidei puritatem & morum disciplinam piè constitutũ fuerat, eo impij hypocritæ contra veritatẽ turpiter abusi sunt: quod in Papatu quoq; fieri, nemo nõ videt. At ne quis principes istos religione aliqua aut conscientiæ terrore perculsos fuisse, & ideo excõmunicationem timuisse putaret, quid illos mouerit, diserè indicat euangelista his verbis: Dilexerunt enim gloriam hominum potius quàm gloriã Dei. Gloria hominũ dicitur, quam homines sibi mutuò impendunt, aut quæ ab hominum iudicio siue existimatione dependet. Et hanc diligere dicuntur, qui apud homines in pretio haberi & magni fieri volunt. Gloriam Dei verò similiter vocat Ioannes, non quam Deus in semetipso habet, aut quam nos illi impendimus: sed qua ille suos cultores dignatur, dum pro filijs & hæredibus suis eos agnoscit, qui filio ipsius vnigenito per fidem insiti, huic verbis simul atq; factis confitentur. Sensus ergo verborum est, quòd honori & dignitati suæ isti timuerint, & potius spectarint vt in mundo hoc omnem infamiæ notam effugerent, quàm vt fidem atq; pietatem suam Deo approbarent, qui nobis filium doctorem atq; magistrum constituit.

Docet exemplũ hoc quantum in religione nocere possit ambitio & gloriæ huius mundi studium. Ambitio religioni obnoxia.
Solet quidem animosos & indefessos reddere in ijs, quæ cum huius seculi gloria coniuncta sunt, vt in eorũ exemplis est videre, qui capita sua manifestis periculis obiecerunt, vt vel viui ab omnibus prædicarentur, vel etiam mortui gloriosam sui nominis atq; virtutis memoriã posteris relinquerẽt. De Themistocle ferũt, quòd noctes insomnes transigere & cæteris dormientibus per vrbẽ obambulare solitus fuerit, & interrogatum ab amicis cur id faceret, respondisse: Quia me trophæa Miltiadis de somno excitant. Miltiadis enim consilio Persæ in campis Marathonijs victi fuerant, & idẽ postea ad Artbemisium & Salaminem aduersus eosdẽ hostes felicissimè pugnando totam Græciam ingenti metu atq; terrore liberauerat. Tãtæ igitur gloriæ recordatio Themistoclis animũ extimulabat, vt sibi non prius putaret quiescendũ esse, quàm simile quid ipse quoq; designasset. Excitat eadẽ auræ popularis cupiditas hodie etiã multos, vt nihil nõ tentare ausint, & maxima quæq; pericula facilè contemnant, si qua gloriæ spes in illis affulgeat. At ijdem ferè in ijs, quæ ad Deum & eius cultum pertinent, omnium mortaliũ timidissimi sunt, & ad quemuis auræ strepitum cõsternantur. Vident enim causam hanc odij & inuidiæ plenã esse, eò quòd neq; præsules suam hypocrisim atq; tyrãnidem arguivolunt, neq; populus seueriorẽ morum disciplinam admittit. Quare nihil non prætexunt, vt rem omnium maximè necessariã differant, ne dum Dei gloriam promouere studeant, odia multorũ concitent, & de sua priuata gloria periclitentur. Rectè ergo Christus supra dicebat: Quomodo vos potestis credere, qui gloriã alij ab alijs captatis, & gloriã quæ à solo Deo proficiscitur, nõ quæritis? Et hinc est, quòd principes & magnates ferè minus proficiũt in fide, quàm homines plebei, quibus nulla honorũ vel acquirendorum vel retinendorũ materia est proposita. Illi enim dignitatis suæ splendore, ceu aureis compedibus vincti, non possunt progredi in vijs Domini, dum neminẽ offendere volunt, cuius fauorem ad tuendum suæ dignitatis gradũ sibi necessariũ esse arbitrantur. Experimur hoc hodie multiuariam. Regibus enim & principibus formidabilis est Pontificum potentia. Ne ergo hos cum suo periculo prouocent, religionis causam vel omnino negligunt, vel etiam opprimunt, vt illis rem gratã faciant. At principũ fauorem captant nobiles, & proinde ipsi quoq; veritatis doctrinã non magni faciunt, quam à principibus contemni vident. Trahũt deinde illi etiã aliquos in suas partes, quos priuati cõmodi studiũ excæcat. At hìc nos cogitare decet, nihil absurdius vel turpius à nobis designari posse, quàm si hominũ iudicia diuino anteponamus. Quid enim hoc aliud est, quàm Deum ex solio suo detrahere, & eum vanissimorũ hominum iudicio subijcere? Quod etsi multi faciãt, & ita rebus suis prudenter admodum consulere videantur, olim tamẽ sentient, quantum spe sua falsi sint, quando ad Christi tribunal sistentur, qui non ex hominum arbitrio sententiã feret, sed ex æterno patris decreto, quod in verbo suo nobis reuelatur. Ergo procul relegato hominum quorumcunq; respectu, in vnum Deũ respicere & eius gloriã promouere discamus. Fecerũt hoc olim omnes, quorũ fides in scripturis commendatur. Neq; nos vel Conciliorũ authoritas moueat, vel Pontificiarũ excõmunicationum fulmina terreãt. Non enim ad animas illa possunt penetrare: & quæ in hoc mũdo sustinemus opprobria ob veritatis confessionẽ, olim æterna cœlestis regni gloria cõpensabit Iesus Christus, cũ in maiestate patris ad iudicandũ venerit. Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

HOMILIA CXXII.

Iesus autē clamauit, & dixit: Qui credit in me, nō credit in me: sed in eum qui misit me. Et qui uidet me, uidet eum qui misit me. Ego lux in mundum ueni, ut omnis qui credit in me, in tenebris non maneat. Et si quis audierit uerba mea, & non crediderit, ego non iudico eum: Non enim ueni, ut iudicem mundum, sed ut seruem mundum. Qui reijcit me, nec recipit uerba mea, habet qui ipsum iudicet. Sermo quem locutus sum, ille iudicabit eum in ultimo illo die. Quia ego ex meipso non sum locutus, sed qui misit me pater, ipse mihi mandatū dedit quid dicam & quid loquar. Et scio quòd mandatū eius uita æterna est. Quæ ergo ego loquor, sicut dixit mihi pater, ita loquor.

Continetur his, quæ modò recitauimus, vltima Iesu Christi concio, quam paulò ante mortem suam in publico habuit. Cùm enim æternæ salutis doctrinā Iudæis hucusq; diligenter & sæpe proposuisset, eandemq; innumeris cōfirmasset signis atq; miraculis, illi verò incurabili malitia ipsum reijcerent, multi verò intra animos suos conuicti non tamen ipsi obedirent, ne excōmunicati publica infamia notarentur: nuper quidem se ab eis abscondit, vt ostenderet breui fore, vt translato ab ipsis regno Dei, in sua contumacia malè pereant. Nunc verò rursum in publicū progressus, ipsis quodam modo valedicit, & omnium quæ vnquam dixit & fecit summam paucis comprehensam proponit, vt partim eorum saluti consulat, qui adhuc curabiles erant, partim omnem ignorantiæ prætextum auferat contumacibus illis, qui nullis rationibus se flecti patiebantur. Etsi verò Iudæis ista dixerit, seruit tamen concio hæc omnium locorum & seculorum hominibus. Docet enim quis sit Christus, quare in mundum hunc venerit & vt nobis salutifer fiat: quid item doctrinæ ipsius contemptores maneat: vbi simul euangelij authoritas grauissimis argumentis asseritur. Facit autem ad loci huius cōmendationem, quòd nō obiter & quasi aliud agendo hæc dixisse, sed clamauisse dicitur: nimirùm vt ostenderet horum mysteriorum cognitionem ad omnes pertinere, & simul omnes ad attentionem diligentiorem excitaret. Itaq; singulas huius loci partes ex ordine consideremus.

Christus se Deū uerum esse docet.

Principiò quis nam ipse sit, docet: & ab eo incipit, vt primò quidē ijs medeatur, qui nihil in ipso agnoscebant maius homine, & ideo timebāt, ne in ipsum credendo Deum atroci ignominia afficerent, cui soli honor iste debetur. Deinde meticulosos illos cōfirmare vult, de quibus nuper dictum est, & in super suos ad fidei constantiā excitare, ne aliorum exemplo aut friuolis rationibus sese ab instituto reuocari sinant. Dicit ergo: Qui credit in me, nō credit in me, sed in eum qui misit me, &c. quasi diceret: Scio multos me nudum hominem putare, & ideo illis impium videri, si salutis fiduciā in me collocent: Multi item, quàmuis meorū operū testimonio cōuicti, aliquid maius & sublimius in me agnoscere cogantur, adhuc tamen mundum suspiciunt, & quia ab hoc sibi periculū imminere vident, metuunt ne ipsis aduersus illum defendendis possim sufficere. At cura hac minimè opus erat. Qui enim in me credit, non credit in me (hominē scilicet nudum, quem coràm intuetur) sed in eū qui misit me. Et qui me videt, non me videt (id est, non hominem solum videt) sed simul eum intuetur, qui me misit: Deum scilicet verum, cui ego coæternus & coessentialis sum. Loquitur autem non de visione, quæ oculis corporeis fit (his enim Deus videri nō potest, qui spiritus & immensum illud bonum est, quod nullo sensu humano comprehenditur) sed de fide, quam cum cognitione, quanta in hac vita nobis obtingere potest, coniunctam esse alibi diximus. Per fidem enim ad Deum accedimus, & illius oculis eum videmus, quem oculi carnis videre nō possunt. Quoad verò Christi verba, testatur his se verum æternumq; Deum esse, eiusdē cum patre naturæ, essentiæ, virtutis atq; maiestatis: adeò, vt qui in se credit, ea ipsa fide simul in patrē quoq; credat: simulq; monet, vt fidem nostram non in carne, quæ cernitur, defixam teneamus, sed in Deum inuisibilē extendamus, qui sub carne latere voluit, vt nostræ redemptionis negotium ageret. Ita locum hunc. D. Augustinus exposuit, cuius verba recitare lubet, vt veteris ecclesiæ fidem de æterna Iesu Christi Deitate videamus. Sunt enim eiusmodi: Nūc quod ait, Qui credit in me, non credit in me, sed in eum qui misit me, quomodo intellecturi sumus, nisi quia

homo

homo apparebat hominibus, cum lateret Deus? Et ne putarent, hoc eum esse tantummodo quod videbant, talem ac tantũ se volens credi, qualis & quantus est pater, Qui credit in me (inquit) non credit in me, id est in hoc quod videt, sed in eum qui misit me, id est in patrem. Sed qui credit in patrem, necesse est eum credat esse patrem: qui autem credit eum patrem, necesse est vt credat eum habere filium: ac per hoc qui credit in patrem, necesse est vt credat in filium. Et paulò post: Propterea dixit, Qui credit in me, nõ credit in me: ne totũ quod de Christo creditur, secundùm hominẽ crederetur. Ille ergo (inquit) credit in me, qui non credit in me secundùm id quod me videt: sed in eũ qui me misit, vt cum credit in patrẽ, credat eũ habere filium sibi æqualẽ, & tunc verè credat in me, &c. Et rursum: Nõ à se abstulit fidem credentis, sed noluit in forma serui remanere credentem: quoniam cùm quis credit in patrẽ qui eum misit, profectò credit in filiũ, sine quo patrẽ non esse cognoscit, & ita credit vt credat æqualem: quoniã sequitur, Et qui videt me, videt eum qui me misit. Hæc omnia Augustini sunt, quibus omnino cõuenit, quòd in symbolo nos in vnũ Deũ credere profitemur, in quo deinde tres personas, Patrẽ Filium & Spiritum sanctum agnoscimus. Asserit autem Dominus hoc loco fidem nostram aduersus Iudæorum & Turcarum calumnias, qui nos in hominẽ crucifixum credere aiunt, & proinde maledictioni obnoxios esse, teste propheta Ieremia, qui Cap. 17. maledictum pronuntiat eum, qui homini confidit, & carnem facit brachium suum. Atqui non credimus in Christum, quatenus homo est, sed quatenus Deus est, qui nobis carne manifestari, & ita redemptor noster fieri voluit. In illis autem, qui hoc nobis falso exprobrant, diaboli strategema callidissimũ apparet, quo infelices homines circunuenit, vt se Deo patri fidem illibatã tunc demum seruare putent, si Christum reiiciant, quem hominem natum fuisse audiunt: cùm ad patrem nobis nulla alia ratione accedere liceat, quàm per filium, quem ille nobis mediatorem constituit.

Deitatis Christi usus.

Plurimum verò consolationis hic locus affert in tentationibus, quando metuimus, ne Christus nobis seruandis sufficiat. Quia enim non nudus homo, sed simul verus & æternus Deus est, non est quòd de eius merito, virtute & potentia dubitemus. Non potest enim non maxima esse meriti eius gratia apud patrem, cuius ille dilectus filius est. Et quia verus Deus patri consessentialis est, non difficile ei fuerit nos aduersus quosuis hostes tueri. Ideo Paulus dicebat: Si Deus pro nobis, quis contra nos? Deus est, qui iustificat: quis ille, qui condemnet? Præterea officij quoq; hic locus nos admonet, ne videlicet nostræ salutis fiduciam in vllum siue angelum siue hominẽ collocemus. Si enim ipse Christus fidem, qua ipsum recipimus, in Deum patrem refert, & in se, quatenus homo est, credi negat; inexcusabilis profectò illorum error est, qui in homines credunt, quos mortales & iisdem nobiscum affectibus obnoxios fuisse constat, cùm in terris agerent. Viderunt hoc omnes, quotquot aliquam habuerunt vnquam veri Dei cognitionẽ. Ioram certè, etsi non vno modo impius esset, intolerabilem tamen blasphemiã putauit, quòd Syrus rex ab ipso ea peteret, quæ à solo Deo peti debent, nimirum vt Naamani lepram purgaret. Et quàmuis pharisæorum hypocrisis & superstitio magna esset, hoc tamen principium apud illos ratum manfit, quòd peccatorum remissionem, quæ salutis nostræ quasi fundamentum est, in solius Dei potestate esse, & penes hunc solummodo quæri debere senserunt. Apostolos verò in hoc diligenter incubuisse scimus, ne qui gloriam, quæ vni Deo debetur, in ipsos transferrent. Exempla eius studij Actorũ liber in Ioanne & Petro, Paulo item & Barnaba nobis proponit. Et in veteri ecclesia adeò recepta fuit hæc sententia, vt D. August. in huius loci explicatione nũ dubitarit scribere: Apostolos suos certè ipse Dominus Christus misit, quod eorum etiã nomẽ indicat (nam sicut Græcè angeli, Latinè nuntij vocantur: ita Græcè apostoli, Latinè missi appellantur) nunquã tamen aliquis apostolorum dicere auderet, Qui credit in me, non credit in me, sed in eum qui misit me. Omnino enim non diceret, Qui credit in me, Credimus enim apostolo, sed non credimus in apostolum: non enim apostolus iustificat impium. Credenti autem in eum, qui iustificat impium, deputatur fides eius ad iustitiam, &c. Posteris demum temporibus superstitio inter Christiani nominis professores obtinuit, vt sicuti olim gentes de repub. bene meritos in Deorum numerum retulerũt: ita ipsi quoq; apostolos & sanctos Christi martyres diuino honore dignati, & se in illos credere professi sint. Et tanta superstitionis vis fuit, vt symboli apostolici articulum corrumpere auderent quidam inepti assentatores, quo maiores nostri ecclesiam catholicam siue vniuersalem agnouerunt, quæ sanctorum omnium communio est. Hoc enim illis non satis visum fuit, nisi se in ecclesiam catho-

licam credere profiteantur. Quem errorem D. Cyprianus manifestè confutat, qui in symboli expositione sic scribit: Non dixit IN sanctam ecclesiam, nec IN remissionem peccatorum, nec IN carnis resurrectionem. Si enim addidisset IN præpositionem, vna eademq; vis fuisset cum superioribus. Et paulò post: IN præpositio non additur, vt dicatur IN sanctam ecclesiam, sed sanctam ecclesiam credendam esse: non vt in Deum, sed vt ecclesiam Deo congregatam, &c. Quòd si in totam ecclesiā credere cum veræ fidei & religionis legibus pugnat, quantò minus ferendi sunt, qui in vnum aut alterum, vel etiam plura illius membra credere docent? Hanc igitur gloriam vni Deo nos inuiolatam seruare debemus, ne dum religiosi esse volumus, idololatræ efficiamur.

Cur in mundū uenerit Christus.

Sequitur secunda huius concionis pars, qua docet, cur in mundum hunc venerit, & quomodo nobis salutaris fiat? Ego (inquit) lux in mundum veni, vt omnis qui credit in me, in tenebris non maneat. Repetit doctrinam, quam Cap. 8. proposuit, vbi copiosè diximus, qua ratione Lux dicatur? Nō mirùm quòd mentis tenebras discutiat, ab errorum labyrinthis liberet, & nō modò seipsum, verum etiam in se Deum patrem & vniuersam salutis rationem patefaciat. Dum verò se in mundum venisse ait, partim Dei bonitatem prædicat, partim Iudæorum contumaciā arguit, qui oblatam sibi lucem nolint recipere, neq; inæstimabile illud Dei beneficium agnoscant, qui filium suum vnigenitum in mundum venire & serui formam assumere voluit, vt nobis lucem illam diuinam atq; cælestem afferret. Interea paucis hisce verbis omnia cōprehendit, quæ nos in salutis nostræ negotio instituere possunt. Primò enim docemur, quæ humani generis conditio olim fuerit, & quæ etiam hodie sit, si Christum è medio auferas. Si enim ideo hic in mundum venit, ne in tenebris maneremus, vtique tenebræ mundum hunc totum prius occupauerant. Dicuntur autem tenebræ peccatum, falsa doctrina, superstitiones, terrores cōscientiæ, mors deniq; & damnatio. Nam vt in tenebris, ita in his quoq; omnibus nihil certi, nihil quod hominē exhilaret aut tranquillum reddat, inuenitur. Atqui hæc olim in mundo non regnarunt modò, verumetiam tyrannidem exercuerunt indomitam, sicuti gentiū scripturæ abunde testantur. Quod Paulus obseruans, gentes olim tenebras, & tenebrarum potestati obnoxias fuisse scribit. Neq; melior est adhuc hodie omnium eorum conditio, qui Christi cognitione destituuntur. Nam aut impudenter peccatis seruiunt, & affectuum prauorum tenebris excæcati illorum turpitudinem non vident: aut dum religiosi esse volunt, hominum traditionibus circunducuntur pertinaces superstitionū nebulas. Vtriusq; verò mali finis est, quòd conscientiæ carnificina excruciantur quoad in hac carne viuūt, tandem verò mortem & damnationem subeunt, quod peccati stipendium esse, scripturæ docent. Atqui hæc illa hominis cōditio, hæ nostræ vires sunt, quibus multi superbiunt, qui non modò sui ingenij acumine regni Dei arcana scrutari, verumetiā sui arbitrij facultatibus & propriorum operū meritis cœlum conscendere conantur. Ex tenebris verò istis nos solus Christus liberat, qui nobis à Deo factus est iustitia, sapientia, veritas, pax, vita deniq; & salus, vt alibi plurimis est dictum.

Quomodo Christus apprehendi possit.

At quomodo illum apprehendimus (ais) vt tanti boni in eo participes reddamur? Vt omnis (inquit) qui credit in me, in tenebris non maneat. Fide ergo opus est, quam alibi quoq; vnicam rationem esse docet, qua & ipsi inseramur, & salutis in ipso consortes efficiamur. Hanc verò vniuersalē facit & communem omnibus, dicens: Vt OMNIS, qui credit in me, &c. Et ita passim loquitur, ne quis propter vitæ genus, aut gentem, aut etiam anteacta scelera, se excluſos arbitretur: sed certā habeant salutis fiduciam, quæ nullis tentationū arietibus succumbat. Deinde admonet hoc ipsum salutis rationem quæ in Christo proponitur, vnicam esse, neq; extra illum vllam aliam inuenri. Consentiunt hoc omnes scripturæ, & constanter hoc ipsum apostoli testantur, quando aiunt, nullū aliud nomē in cælo hominibus datum esse, in quo seruentur, præterquam Iesum Christum. Hic itaq; illorum error confutatur, qui ne quem temere damnare videantur, vnumquenq; in sua aut maiorū suorum religione seruari posse sentiunt. Qui (vt alibi diximus) primò ipsi Deo iniuriā faciūt, quasi is nulla grauissima causa motus duram hanc & acerbam redimendi humani generis prouinciam filio suo vnigenito imposuerit, cùm infinitæ aliæ rationes essent, quibus nobis consuli poterat. Deinde in ipsum quoq; Christum iniurij sunt, quem suo honore & gloria spoliant: Adhæc operam inanem sumunt, quando alibi quærunt quod in Christo abunde inuenitur, neq; vspiam alibi inueniri potest. Qui enim illum vera fide apprehendunt, hi in tenebris non manent. Nam quia ipsorum iustitia ille factus est, peccatum

in illis non dominatur amplius. Idem falsæ doctrinæ traditionibus excæcari non possunt, cùm æternæ salutis lucem in Christo habeant. Et ideò neque conscientiæ terroribus superantur, neque damnationi & morti subiacent, sicuti Paulus ad Romanos octauo Capite testatur. Ex his autem perfecta salus oritur, & qui ista alibi quærunt, perpetuò quidem esuriunt & sitiunt, nunquam verò intra animos suos satiantur. Vide quæ Samaritidi dixit supra Cap. 4.

Sed ne quis hinc peccandi securitatem atq; licentiam concipiat, simul officij sui credentes admonet Dominus, quando se ideò in mundum venisse ait, ne maneant in tenebris. Ergo in luce ambulare debent credentes, cuius opera planè cõtraria sunt tenebrarum operibus, quæ paulò ante enumerauimus, Itaque peccato mori & iustitiæ viuere, falsam doctrinam fugere & veram amplecti, superstitionibus longum valere dicere & Deum in spiritu & veritate adorare atque colere, denique se totos Christo consecrare, & ita viuere debent, ne ipsos alicuius dicti aut facti pudere possit. Quod etsi in carne adhuc viuentibus præstitu impossibile sit, eò quòd ex innata corruptione semper aliquid labis inhæret, farciet tamen vitia nostra ipse Christus, qui fide apprehenditur: dum & suam iustitiam nobis communicat, & spiritu suo ad pœnitentiæ studium perpetuum excitat, ne in peccatis & erroribus toti pereamus. Parum ergo adhuc profecerunt in salutis ratione & fide Christiana, qui compositionem rerum diuersissimarum fieri posse putant, & in omne latus claudicant, dum superstitiosos cultus cum vero coniungunt, humanas traditiones Dei verbo commiscent, & Christianam libertatem immani & indomita peccandi licentia corrumpunt. Audiant illi clamantem Apostolum: Eratis olim tenebræ, nunc autem lux in Domino, vt filij lucis incedite. Quæ enim cõmunio luci cum tenebris? quod consortium iustitiæ cum iniustitia? quæ concordia Christo cum Belial? Quæ verba vtinã memori & seria mente sibijpsis occinerent perpetuò, qui hodie in religione ludunt, & Christum quidem ore profitentur, vita verò & moribus diabolum referunt.

Officia ueræ credentium.

Cæterum quia plerique contumaces & incurabiles erant, promissioni tam liberali & salutiferæ cõminationem pœnarum subijcit, quas increduli & inobedientes subituri sint, & sic ait: Si quis audierit verba mea & non crediderit, ego non iudico eum, &c. Sensus est: Ego quidem veritatis & salutis æternæ lucem publicè omnibus offero: at si qui his contemptis increduli & pertinaces esse pergunt, & oblatam sibi in me salutis gratiam amplecti dedignantur: ego nunc quidem non iudico eos, id est, non exeram in præsenti meæ iustitiæ & iudicij rigorem, vt mox meritas pœnas de illis sumam. (Quia non ideò veni, vt iudicem & puniam quenquam, sed vt mundum infelicem ex perditione & interitu asseram.) Attamen non impunè ferent illi suam contumaciam. Nam qui me reiicit, dum verba mea non recipit, & monstratam sibi salutis viam ingredi aspernatur: is iam habet iudicem suum, qui sententiam aduersus illum feret, quam nunquam effugere poterit. Sermo enim meus, quem locutus sum, ille iudicabit eum, &c. Id est, euangelium ipsum aduersus eum tesdicur, illud conscientiæ eius obstrepet, & assiduè obganniet ei, quid de me audierit, quid ego fecerim, quàm amicè & benignè ipsum inuitarim ad salutis consortium, quæ rursus ipsius fuerit contumacia, & quòd supplicio quouis dignus sit. Neque in præsenti seculo tantùm hoc fiet, sed olim in nouissimo illo die, euangelij sermo eum iudicabit. Ex illo enim ego sententiã feram irrefragabilem, cuius eò vehementior & grauior erit authoritas, quòd illam propriæ conscientiæ testimonio confirmari, & eidem suam executionem coniunctam esse sentiet. Hic verborum Christi sensus est, quibus non negatur articuli fidei nostræ veritas, quo ipsum olim venturum fatemur ad iudicandum viuos & mortuos: neque etiam sibijpsi contrarius est, cùm alibi dixerit, omne iudicium sibi à patre traditum esse: sed partim distinguit inter primum suum aduentum in carnem, & secundum, qui in vltimo illo die erit (vt supra Capite tertio fusius docuimus) partim sceleris huius grauitatem arguit, & tantum esse docet, vt increduli & contumaces effugere non possint, quin iudicio sistantur, vbi neque accusatores neque testes defuturi sint, quorum authoritas sit inuiolabilis. Itaque ad Dei tribunal eos citat, quos hominum minas contemnere, imò ipsius Dei verbũ scurrili contumacia eludere sciebat.

Incredulis pœnas denuntiat.

Sed vt ista nostræ institutioni magis seruiant, de quibus hîc loquatur Dominus, diligenter videre oportet. Dicit autem: Si quis audierit verba mea, & non crediderit. Ergo de illis loquitur, quibus datum est Euangelium audire, & tamen non credunt, neque obediunt; & proinde minor eorum

Qui nam per euangelium iudicentur.

culpa est, qui cùm nunquam audierint, ex simplici ignorantia peccant, adeoque suo zelo seducuntur. Nam etsi ijdem non omnino extra omnem culpam sint, grauius tamen delinquunt, qui demum malitia peccant, & cum sceleribus aut superstitionibus verbi quoque diuini contemptum coniungunt. Docet hoc alibi quoque Dominus, quando seruum inobedientem, qui heri sui voluntatem noluit, pluribus plagis vapulaturum ait: & præterea Sodomis atque Gomorrhæ leuius iudicium denuntiat in nouissima die, quàm ciuitati, quæ oblatam sibi euangelicam doctrinam aspernatur. Ac quia hoc multis leuiculum videtur, expositionis loco subijcit: Qui reijcit me, neque recipit verba mea, &c. Ita nimirum docens, idem esse non recipere verba sua, & ipsum reijcere. Quia enim cum verbo suo ille coniunctus est, & qui illud prædicant, ipsius nomine (vt Paulus ait) legatione fungantur, non potest non verbi contemptus in ipsum Dominum redundare. Apertius hoc ipse docebit in sequenti Capite, vbi dicet: Amen amen dico vobis, qui recipit quencunque ego misero, me recipit: qui autem me recipit, recipit eum qui misit me. Et rursum Luc. 10. Qui vos audit, me audit: & qui vos reijcit, me reijcit, &c. Quid verò ab homine grauius & enormius designari potest, quàm si Dei filium reijciat, & eum amplecti nolit, qui propter nos in mundum venit, & homo factus est, vt nos consortes & cohæredes suos posset facere? Fingamus regem aliquem ad rebellionem seditiosos subditos legationem destinare, qua illis non modò culpam excitati tumultus condonet, verumetiam libertatem summam & priuilegia sponte offerat, qualia illa ne sperare quidem, nedum postulare ausi fuissent: Quis non quouis supplicio dignos dicat, si legatos sui regis ignominiosè reiciant? Quòd si filium ad illos mittat rex, & neq; filij authoritate moueantur, nulla certè verba sufficere poterunt ad accusandum & exaggerandum ipsorum malitiam. Atqui hoc omnes eos facere ait Christus, qui euangelij doctrinam non recipiunt. Quid ergo de illis dicemus, qui illam contemnunt, excipiunt & hostiliter persequuntur: neque contenti sua inobedientia, alijs quoque eam lucem inuident? Accusabat olim istam improbitatem Paulus in Iudæis suis, qui passim obstabant, ne enarrandum inter gentes prædicaretur, & illos Deo displicere, simulque omnibus hominibus aduersari ait: vt publicos humani generis hostes esse ostendat. At habent hodie imitatores quàm plurimos, quos eadem supplicia subituros esse non est dubium, quibus olim illi multati sunt, sicuti hoc ipse loco non obscurè innuit Dominus.

Incredduli ab ipso euangelio iudicantur.

Est enim pœna quoque diligentius consideranda, quam istis denuntiat. Sermo meus (inquit) iudicabit eum in vltimo illo die. Quod de Euangelio intelligi debere, ante diximus. Atqui maximum scelerum reo grauissimum est, coram iudice sisti: eidem verò intolerabile etiam est, si quem maximè odit iudicem ferre cogatur. At hoc istis accidit. Nihil enim ipsis molestius, nihil acerbius & exosum magis est, quàm Euangelij doctrina, qua suas superstitiones euerti & morum licentiam coerceri sentiunt. Ideò ad eius conciones vel omnino non accedunt, vel si accedunt, illud maximè sedulò efficè eludunt, & toti in hoc incumbunt, ne per aures in animos admittant. Sed inanem planè operam sumunt. Sæpe enim inuitis & aliud cogitantibus verbum suum Dominus obijcit: & tanta illius vis est, vt impiorum quoq; animos penetret, cordibus sese insinuet, & (vt ante diximus) conscientiam multis acutissimis pungat, qui illis ipsam vitam amaram reddunt. Neque hîc mihi quispiam fictos illos Epicuri de grege porcos obijciat, qui iam pridem callum obduxerunt, & vix fulminibus territentur. Non enim perpetua est securitas illa, sed licet diu illi quiescant & sibi omnia læta polliceantur, suo tamen tempore ea in memoriam redeunt, quæ illi dudum ventis mandauerant. Idque tunc ferè fit, quando Deus sua iudicia exerens scelerum pœnas exigit, vel cùm mortis hora appropinquat, & certa atque efficaci consolatione cumprimis opus erat. Tunc enim conscientia non modò quæ vnquam illi fecerunt aut dixerunt, in mentem reducit, verumetiam de Dei præceptis & minis eos admonet, exempla item iudiciorum Dei illis ob oculos statuit, quæ olim prædicari audierunt. Iam tum ergo illos iudicare incipit sermo euangelij, & contra illos sistit testes, quos ipsi negare, neque contemnere possunt. Quomodo enim conscientiæ suæ testimonium eludere possent, qui ipso puluere conuincuntur, qui ministrorum verbi ad ipsos venientium pedibus aut vestibus adhæsit? Hunc enim aduersus Euangelij contemptores Dominus in testimonium excutere iubet. Sunt hæc grauia admodum, & istorum conditionē deploratissimam esse docent. Quid enim de eius salute

ut vita speres, cui verbum salutis exitio est, & quem odor ille verbi viuificus occidit? Nec tamen in hoc seculo istud Euangelij iudicium perficitur, sed in nouissimo illo die potissimùm vim suam exeret, quando in nubibus cœli veniens Dei filius, non aliam sententiam feret, quàm quæ Euangelio traditur, cuius summa est: Qui crediderit, & baptizatus fuerit, seruabitur: qui non crediderit, condemnabitur. Quod ipsum Baptista, Iesu Christi præcursor obseruauit, quãdo discipulis suis dicebat: Pater diligit filium, & omnia dedit in manum eius. Qui credit in filium, habet vitam æternã: qui autem non paret filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum. Obseruent ista diligenter, qui & minas verbi Dei suauiter rident, & nouissimum Christi iudicis aduentum scurrili dicacitate in dubium vocant: quales innumeros fore sub finem seculi, olim Petrus & Paulus prædixerunt, & quorum impia dicta hodie passim audiuntur. Ludunt illi quidẽ nunc, iudicem tamen istum nunquam effugient, qui illos propriæ conscientiæ testimonio condemnabit. Debent etiam in horum consideratione frequenter versari pij, quos temporaria impiorum & Euangelij contemptorum felicitas offendit, quam Asaph in Psalmo 73. sic describit: Non sunt eis nexus ad mortem, sed pingues sunt & prænalidi. Nulla eos, vt reliquos mortales, premit molestia, à malis aliorum hominum immunes sunt. Itaq; superbia eos totos possidet, & ceu veste inuoluuntur violentia. Præ pinguedine oculi eorum protuberant, pergũt in imaginationibus cordis. Diffluunt, loquuntur violentiam, & iniuriam è sublimi loquuntur. Protendunt os suum in cœlum, & lingua eorum orbem peruagatur, &c. Hi (ne quam) impiorum mores sunt, quibus illi magno cum successu & impunitate publica indulgent, simulq; pijs petulanter & crudeliter insultant: quod ipsis non potest non molestissimum esse, si carnis suæ strationes audiant. Sed hìc cogitemus, impios illos gladium & virgam esse in manu Domini, quibus in suis castigandis vtitur, ne cum mundo incurabili & pœnitere nescio pereant. Et quia in Domini manu sunt, nihil possunt, quàm quod ipsi visum fuerit, cuius voluntas sancta est & saluifica. Quapropter, dum suæ libidini indulgent, nostram salutem prouehunt: quia ad preces excitant, vitæ huius odium instillant, & nostram in cœlos profectionem accelerant. At ijdem, vbi suæ iniquitatis mensuram impleuerint, suas pœnas Deo exoluunt, qui illos, ceu ferulas atritas & inutiles, in fornacem ignis infernalis abijcit, et in hoc etiam seculo horrenda in eos edit suorum iudiciorum exempla. Poterat hoc longa commemoratione probari, sed cùm historias legentibus multa huius generis occurrant, verbis minimè opus est, vbi res ipsa loquitur.

Euangelij authoritas unde sit.

Porrò confirmat Dominus quod dixit, & docet vnde tanta sit verbo siue euangelio suo authoritas: Quia ego (inquit) ex meipso non sum locutus, sed qui misit me pater, ipse mihi mandatum dedit quid dicam, & quid loquar, &c. Conueniunt hæc cum eo, quod Capite septimo dixit: Doctrina mea non est mea, sed eius qui misit me. Ista autem dicendo à patre se discernit quoad naturam humanã, & sensus est, se nihil humanum loqui, & doctrinam suam minimè similem esse hominum traditionibus, quæ conscientias obstringere non possunt: sed diuinam, adeoq; ipsius Dei verbum esse, & proinde nemini debere mirũ videri, quòd incredulos & impios ex hac olim iudicandos esse dicat. Si enim legum politicarum ea est authoritas, vt sontibus sua decernant supplicia, num minorem esse dicemus verbi Dei dignitatem, quo regni cœlestis & æterni leges atque iura continentur? Attamen amplioris confirmationis ergo addit Dominus: Et scio, quòd mandatum eius vita æterna est: Quæ ergo ego loquor, sicut dixit mihi pater, ita loquor. Vbi ante omnia obseruabimus, non temere fieri, quòd Christus Iesus toties & tam constanter asserit, doctrinam suam non hominum figmentis cõstare, sed æternum Dei patris verbum esse. Suo enim exemplo eorum audaciam siue confidentiam confutat, qui sibi simpliciter credi, & omnia sua recipi volunt, quàm uis illa nullis scripturis probari possint. Prætexunt illi quidem patres, ecclesiam & Conciliorum authoritatem, quam scripturis parem esse contendunt. At nos patres nullos agnoscimus, quàm quorum fides atque pietas Dei testimonio probatur: neque ecclesiam aliam scimus, quàm quæ ex Dei verbo nata, hoc vno nititur atque gubernatur. Omnibus autem patrum atque Conciliorum decretis, si verbo Dei in scripturis tradito aduersentur, Dei sententiam, olim per Isaiam promulgatam, & postea ipsius Christi authoritate confirmatam, opponimus: Frustra me colunt docentes doctrinas hominum. Et illud Pauli: Si vel nos, vel angelus è cœlo euangelizet vobis præter id quod euangelizauimus vobis, anathema sit. Quod non temere ei excidisse patebit, si quæ in præsenti de euangelio suo ipse Christus pronuntiet, attentius

obseruemus. Nam primò Dei patris mandatum vocat, & ita illud ab hominum doctrinis distinguit: quæ quocunque splendore commendentur, humani tamen cerebri figmenta sunt, & contra præceptum Dei proponuntur, qui in sua ecclesia non aliam, quàm sui verbi vocem prædicari vult. Est etiam alia adhuc ratio assignari potest, propter quam Dei mandatum dicitur: nimirum quòd illud inter homines prædicari vult, & perpetuam eius promulgationem mandato solenni sanciuit, sicut prophetarum vaticinia, & postrema Christi verba testantur, quæ iam cœlos conscensurus Apostolis dixit. Deinde se scire ait, quòd patris mandatum sit. Item: Quæ ego loquor, sicut dixit mihi pater, ita loquor. Certum ergo est mandatum illud, neque opus est, vt de eo & eius fide vel auctoritate disputemus. Nam qui hoc faciunt, Dei filium mendacij arguunt, adeoq; Deum patrem mendacij faciunt (quod Ioannes in epistola sua Capite quinto annotat) qui totum hoc Iesu Christi negotium, quod Euangelio continetur, voce sua cœlitus delata confirmauit. Præterea vitam æternam vocat Euangelium: eò quòd per hoc nobis ipse offertur, qui vita est, & quòd qui illud cum fide recipiunt, in Christo vitæ & salutis æternæ consortes fiunt. Quò Paulus respexit, dicens, euangelium esse potentiam Dei ad salutem omni credenti. Adde his postremò, quòd sententiam extremam continet, qua olim electis promissa æternæ felicitatis gaudia, impijs verò sempiternos inferorũ cruciatus denuntiabit. Hæc omnia cùm euangelio comprehendantur, nimiùm profectò ridiculi & miseri sunt (ne quid grauius dicam) qui aliud doctrinæ genus inducere volunt, & hoc agendo euangelium in dubium vocant, quasi hoc vel incertum sit, vel non plenè omnia tradat, quæ ad salutem nobis cognita & observatu necessaria sunt. Discant igitur ex huius loci & exempli consideratione ministri ecclesiarum, vt ipsi quoque nihil in ecclesia loquantur, quàm quod in mandatis acceperunt, ne malæ fidei serui fiant. Loquantur autem sicuti iussit Dominus disertè & liberè, adeoque in tectis proclament ea, quæ spiritus ipsis occultè suggerit, & quæ scripturis contineri sciunt. Neque hic vllis hominum minis sese absterreri patiantur, sed cum prophetis & Apostolis dicant: Leo si rugiat, quis non timebit? Dominus Deus locutus est, & quis non prophetaret? Non possumus quæ vidimus & audiuimus non loqui. Oportet enim Deo magis obedire, quàm hominibus. E contra excitent hæc ipsa omnes homines, vt cogitent non temere hoc factum fuisse, quòd Iesus Christus in vltima concione, quam publicè in terris habuit, de Euangelij sui authoritate potissimùm disserere voluit. Caueant ergo sibi ne Iudæorum contumaciam imitentur, sed potius euangelij doctrinam Dei verbum esse agnoscant, proinde hoc fiduciam omnem in vno Iesu Christo collocent, eidem vni viuant & seruiant, qui eos sui regni cohæredes facere dignatus est. Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

CAPVT XIII.

HOMILIA CXXIII.

ANte festum autem paschę, sciens Iesus quòd uenisset hora ipsius, ut transiret ex hoc mundo ad patrẽ, cùm dilexisset suos qui erãt in mundo, usq; in finem dilexit eos. Et Cœna facta (cùm diabolus iam immisisset in cor Iudæ Simonis Iscariotæ, ut proderet eũ) sciens Iesus quòd omnia sibi dedisset pater in manus, & quòd à Deo exisset, & ad Deum abiret: Surgit à Cœna, & ponit uestes, & accepto linteo præcinxit seipsum. Deinde misit aquam in peluim, & cœpit lauare pedes discipulorum, & extergere linteo, quo erat præcinctus.

EXPOSVIT hucusq; Ioannes duobus Capitibus, quæ Dominus noster Iesus Christus palàm ante mortem suam fecit, & quibus nonnulla quasi præparatio ad hanc continetur. Sequitur deinceps vltima Cœna, quam ita describit, vt simul nobis quoq; communis instructio lautissimum, quo animæ credentiũ ad uitam cœlestem alantur & confirmentur. Narrat enim eam

nis & peculiaria quædam Christi facta vnà cum postremis concionibus, quibus & suæ mortis frustum omniaq; nostræ redemptionis mysteria complexus est, & discipulos sui officij admonuit: quibus denig; perpetua doctrina continetur, qua omnium seculorum homines in suæ salutis & totius vitæ ratione instituuntur. Itaq; si apud frugi filios magna est eorum authoritas & frequens recordatio, quæ parentes ipsorum iam morituri dixerunt & fecerunt: æquum omnino fuerit, vt ipsi quoque ista magni faciamus & absq; intermissione assiduè consideremus, quæ Dei filius, redemptor & seruator noster iam mortē aditurus, non aliam ob causam dixit & fecit, quàm vt nos in salutis causa erudiret, & aduersus omne crucis scandalū instrueret. Facit autem Euangelista narrandi initium ab eo Christi facto, quo discipulorum suorū pedes abluit: cuius historiæ multiplex fructus & vsus est. Primò enim humilitatem docet discipulos, quos ambitiosis de suo regno cogitationibus videbat ad contentiones assiduas accendi. Deinde ijsdem mutuæ charitatis officia commendat. Adhæc actione ista suæ mortis fructum, ceu in tabula depictum proponit, quo vniuersum iustificationis nostræ negotium continetur. Interseruntur his nonnulla obiter, de quibus omnibus ex ordine dicemus.

Præfatiunculam premittit Euangelista, qua tempus mortis Christi, vnà cum eius causa & fructu complectitur. Quoad tempus, ista ante festum paschæ facta fuisse scribit. Intelligit autem eum diem, qui præceuen magni Sabbati præcessit, & in cuius vespera siue crepusculo illum captum fuisse constat. Quia verò huius circunstantiæ mysteriū, & quare isto potius quàm alio tempore mori voluerit Dei filius, supra Capite duodecimo enarrauimus, in præsenti minimè opus est eadem repetere. Nunc ea videamus, quæ de ipsa Christi morte & eiusdem dilectione, qua suos prosecutus est, dicuntur. Sciens (inquit) Iesus, quòd venisset hora ipsius, vt transiret ex hoc mundo ad patrē, cùm dilexisset suos, qui erant in mundo, vsque in finem dilexit eos. Quorum verborum hic mihi sensus esse videtur: Cùm Dei filius suæ bonitatis & dilectionis erga suos multa argumenta edidisset, quàm diu in terris hisce versatus est, sub extremum etiam vitæ suæ finem, quando horam suæ mortis iam instare sciebat, suum illum amorem firmiter retinuit, & eius exemplum singulare præbere voluit, quo & in fide sua confirmarentur, & simul sui quoque admonerentur officij. Insunt autem istis verbis multa, quæ ad fidei nostræ institutionem faciunt: quare singula diligentiorem considerationem merentur. Præfatur in sequentem historiam.

Primò Christus suæ mortis horam sciuisse dicitur. De hoc autem frequenter tam ipse quàm Euangelistæ nos admonent, vt constet, illum non aliqua vi coactum, sed voluntariè mortuum esse. Facit huc, quòd Capite decimo audiuimus: Nemo tollit animam à me, sed ego pono eam à meipso, &c. Et quod sæpe apud discipulos de ijs quæ passurus erat, verba fecit: quòd item etsi sciret ea omnia, sponte tamen ex Galilæa in Iudæam rediit, neque vrbem modò ingressus est, verumetiam in templo publicè docuit, imò in hortum eum abiit, in quo se ab hostibus capiendum esse sciebat. Declaratur his obedientia ipsius, quam patri præstitit, cuius æterno decreto destinatus erat, vt humanum genus mortis suæ merito redimeret. Quia verò huic voluntariè obtemperauit, & eius obedientia pater ita delectatus est, vt eum quoad assumptam carnem quoque, in supremā dignitatem euexerit, & ei nomen dederit excellentissimum, in quo omnium superorum & inferorum genua flecti debent: minimè dubium est, quin hæc eius mors potuerit sufficiens esse pro peccatis totius mundi satisfactio. Itaque vt per Adami inobedientiam peccatum ingressum nos perdiderat: sic per vnius Christi obedientiam seruati sumus, qui nobis iustitiam sempiternam reduxit, & nos patri reconciliauit. Ergo in Christi obedientia (cuius testimonium hîc proponitur irrefragabile) certū firmumq; salutis præsidium habemus, quo in tentationibus fidem nutantem possumus confirmare. At simul officij nos admonet Christus, vt ipsi quoque voluntarium Deo obsequium præstemus, si quid ex eius mandato nos facere conuenit. Sciebat ille, quid de se futurum esset, & tamen in omnibus patri obsequentissimus fuit. Nos verò, etsi pericula nobis ob oculos versentur, tamen quid nobis euenturum sit, nescimus, & frequenter lætissimus eorum exitus est, quorum initia admodum dura & tristia videbantur. Stultum ergo & iniquum fuerit, si propter periculum incertum omittamus, quod nos Deo ex officio debere scimus. Quòd si certò nobis mors subeunda sit, hæc certè nobis optatior contingere non potest, quàm si in Dei vocatione moriamur. Ita enim Christo conformes efficimur, qui nos suæ etiam gloriæ cohæredes esse cupit. Christus mortis suæ horam sciuit.

Mortis Christi consideratio.

Deinde obseruemus hoc loco, vt de Christi morte Ioannes loquatur. Primò horam vocat. At ipse Dominus horas diei duodecim, id est, certas & definitas esse dixit. Ergo certum & definitum mortis suæ tempus habuit, quo ea peragi debuerunt, quæ ad humani generis redemptionem pertinebant. Admonent de hoc propheticæ & apostolicæ literæ, quando nouissimorum dierum meminerunt, quibus ille venire debuerit, & Paulus eum præfinito tempore missum fuisse ait. Deinde horam fuisse ait, qua debuerit ex mundo transire ad patrem. Mors ergo ei non interitus, sed transitus fuit ex hac lachrymarum valle ad cœlestem gloriam, qui non antea debuit fieri, quàm ea peregisset, quæ ipsi pater æterno suo decreto mandauerat. Testatur hoc ipse non obscurè, quando in cruce iam moriturus ait: Consummatum est. Et mox addit: Pater, in manus tuas commendo spiritum meum: quibus dictis expirauit. Neque quoad corpus in morte mansit, sed tertio die resuscitatus, illud in cœlos euexit, & ad dextram Dei patris collocauit. Verè ergo mors eius transitus fuit ex hoc mundo ad patrem. Quia verò mortis huius fructus ad nos redundat, transitus etiam iste propter nos factus est, & ideò rectè Paulus Christum nostrum pascha, id est, transitum dixit. Vt enim olim Israelitæ, cùm per sanguinem agni postibus illitum, angeli vastatoris manum euasissent, per mare rubrum salui & incolumes transierũt ex Pharaonis duro & tyrannico imperio ad promissam patribus terram, vbi Deum sanctè colerent: Ita nos per sanguinis Christi meritum redempti, transimus ex diaboli seruitio ad regnum Dei & promissæ salutis consortium. Obseruauit hoc Paulus, quando dicebat, se gratias agere patri, qui nos liberauit à potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filij sui dilecti. Ista ergo locutione fructum mortis Christi Ioannes exprimit, at simul interea docet, quid de nostra morte sentire debeamus. Quia enim ille caput nostrũ, & (vt Paulus ait) primogenitus est ex mortuis, eadem hæc mortis definitio, non minus nobis seruit, qui etiam ipsi ex hac vita calamitosa ad regni cœlestis hæreditatem transimus. Rectè ergo D. Augustinus scripsit: Spes membris in capite data est, quòd essent illo transeunte, sine dubio secutura. Docuit hoc ipse Dominus Capite quinto, vbi de credentibus dicit, quòd non veniant in iudicium, sed à morte transeant in vitam. Prodest autem in horum consideratione diligenter versari, vt nimirum memores, nos in hoc mundo peregrinos esse, non subsistamus in terrenis & huius seculi bonis, sed ad cœlestem patriam indefesso & irremisso studio contendamus. Nam etsi transitus vocabulum de morte potissimùm dicitur, propriè tamen & verè ad totum vitæ cursum potest extendi: qui cùm nunquam subsistat, sed in continuo progressu sit, singulis vtique momentis ipsi quoque ex hoc mundo ad vitæ alterius consortium progredimur. Curare ergo nos conuenit, ne vel mentes in huius seculi luto defigamus, vel vitæ huius cursu peracto ad diabolum transeamus, ad quem colliguntur, quotquot terrena cœlestibus præferunt. Rursum, qui Christo per fidem insiti sunt, ex his consolationem petant, qua aduersus mortis terrores confirmentur. Audimus enim hanc transitum esse ex hoc mundo ad patrem. Licet ergo carni molestum sit ex mundo discedere, mox tamen molestia omni animus liberabitur, si cogitemus, vnde nos abire, & quò nos proficisci oporteat. Per mortem enim ex mundo transimus, qui sub principis sui diaboli imperio agens, totus in malo constitutus est: in quo genus omne vitiorum regnat: qui morbis, egestate, fame, bellis, & horrendis motibus assiduè affligitur: qui ipse olim transibit, & in quo nunc etiam nihil firmum aut stabile inuenitur. Transimus autem ad patrem, & proinde ad patriam, quæ in cœlis est, vbi incorruptibiles illi & æterni thesauri repositi sunt, quos neque fures diripiunt, neque tineæ corrumpunt, & vbi in conspectu Dei saturitate bonorum omnium replebimur. Transimus denique ex hoc corpore turpissimorum affectuum mancipio, vt anima in cœlis viuat & gaudeat, donec in nouissimo illo die ad corpus suum, iam ab omni vitio & corruptione repurgatum, reuertatur. Quis ergo sapiens mori miserum ducat? Quis Christianus mortem, ceu hominis interitum exhorrescat? Cicero olim in Thusculanis quæstionibus scribebat: Tunc erimus beati, cùm corporibus relictis, cupiditatum & æmulationum erimus expertes. Et apud eundem Cato de morte disserens, inter alia inquit: Equidem efferor studio patres vestros, quos colui & dilexi, videndi. Neque eos verò solùm conuenire aueo, quos ipse cognoui: sed illos etiam, de quibus audiui, & legi, & ipse conscripsi. Quò quidem me proficiscentem haud sanè quis facilè retraxerit, &c. Et mox: O præclarũ diem, cùm ad illud animorum concilium cœtumque proficiscar, & cùm ex hac turba & colluuione discedam, &c.

Mortis nostræ consideratio.

Quid

Quid si ista homo ethnicus videre potuit, dum reliquam in nobis purioris rationis scintillulam protuetur: nimis turpe fuerit, homines Christianos ex sacris literis & Dei verbo tam parũ proficere, vt ad mortis mentionem toti trepident, & suos defunctos perinde ac si æternùm amissi sint, implacabili luctu deplorent. Sed ad reliqua progrediamur.

Postremò enim mortis Christi causam quoq; non obscurè attingit: Dilectionẽ nimirùm, qua ille nos prosecutus est. Dictum de hac etiam Cap. 3. vbi verba eius exposuimus: Sic Deus dilexit mundum, vt filium illum suum vnigenitũ traderet, &c. In præsenti verò de ipso filio Dei, Iesu Christo, agitur, & amor notatur continuus, qui ne morte quidem extingui potuerit, imò illi causa fuerit, vt mortem pro nobis obiret. Oportuit autem hoc crebrò inculcari, vt intelligamus, salutem nobis absq; nostro merito ex gratia sola obtigisse. Nam vt alibi diximus, constat hanc in vno Christo contineri, qui nobis à Deo sapientia, iustitia, sanctificatio & redemptio factus est. At hunc nobis dedit Pater, non quia nos digni essemus, sed quia ipse dilexit nos. In hoc enim est charitas (ait Apostolus) nõ quòd nos Deum dilexerimus, sed quòd ipse dilexerit nos, &c. Rursus, filius patris decreto obsecutus est, cuius obedientiæ non alia ratio assignari potest, quàm quòd ille eiusdem cum patre essentiæ & naturæ, non potuit nõ eodem amore nos complecti, quo nos pater complectebatur. Itaq; tota nostræ salutis ratio in Dei gratia & amore fundatur, & simul extincta & exposita iacet vniuersa nostrorum operum siue meritorum fiducia. Causa mortis Christi.

At quia simul de multis alijs nos admonet Iesu Christi dilectio, diligenter admodum de ea Ioannes disserit, cuius singula verba excutere non fuerit superuacaneum. Primò quos nam dilexerit, docet: Nimirùm SVOS. Ita verò electi dicuntur, quos alibi à patre sibi traditos esse ait. At qui nam illi sint, infra Cap. 17. docebit, quando de discipulis siue apostolis verba faciens, inter alia dicit: Non pro eis tantùm rogo, sed & pro ijs qui credituri sunt per sermonem eorum in me. Pro suis ergo agnoscit Dominus omnes, qui ipsum per fidem agnoscunt, qualẽ nobis apostoli tradiderunt. At doctrinæ eorum compendium in Symbolo continetur, quod vulgò apostolorum dicunt. Deinde Christum suos dilexisse ait, qui in mundo erant. Quæ additio minimè superuacanea videri debet. Dum enim in hoc mundo peregrinamur, à Christo alieni esse videmur, & hoc frequenter nobis satan persuadere conatur si quando aduersis & cruce grauiori tentamur. Docet ergo nos propter mundum hunc, quo nobis dum hic viuimus necessariò vtendum est, nequaquam à Christo separari, quò minus ille nos diligat. Imò dum illum suos dilexisse dicit, qui in mundo erant, non obscurè innuit, hanc potius dilectionis huius causam esse, quòd in mũdo pluribus malis obnoxij, efficaciori ope & protectione opus habemus. Nam vt pater filios, qui ex ipsius mandato apud exteros peregrinantur, non ideo negligit, quòd longius absunt à domo paterna, sed eò ardentius amat & curat eos, quos nouis quotidie laboribus atq; periculis exerceri nouit: Ita Dei filius nos negligere non potest, qui in terris hisce peregrinamur, & ab illo nobis præscriptum vitæ huius cursum peragimus: in quo infinita nobis quotidie accidunt, quæ ipsius cura & prouidentia declinari oportet. Est hoc magnum dilectionis diuinæ argumentum, quo nos ipsos in persecutionibus, in morbis, egestate, fame & quibuscunq; alijs afflictionibus consolari debemus, quibus hac vita nostra scatet. Postremò in finẽ vsq; suos dilexisse dicitur, adeò vt ne acerbissimæ quidem mortis recordatione amor iste extingui potuerit. Vnde certò colligi potest, multò magis nunc nos eicuræ esse, quãdo ille nullis proprijs curis aut solicitudinibus distinetur. Et quàmuis præsens locus de ipsius Christi fine vel morte propriè intelligi debeat, non minus tamen de nostra etiam morte idem sentire debemus: quòd nimirùm hæc quoq; nos ab eius dilectione separare nequeat. Qui enim nostri amorem non deposuit, quando ex hoc mundo ad patrẽ abibat, multò minus illum exuere poterit, cùm nos vt ipsum sequamur, relicto hoc mundo ad patriam cœlestem contendimus. Absurdum siquidem foret procul absentes amare, eosdem verò iam iter ingressos & tibi appropinquantes negligere vel odisse. Hæc autem vt in mortis articulo constitutis dulcissimam consolationem exhibeant: ea quid nos facere conueniat, docent. Redamemus ergo Christũ, qui nos tanto amore prosecutus est: amorem verò nostrum testemur obedientiæ studio, & fraterna dilectione, qua eos complectamur, quos Christus sui sanguinis pretio redimere, & sibi fratres atq; cohæredes adoptare dignatus est. Hoc qui non obseruant, ij profectò satis testantur, se de Christi redemptoris dilectione nunquam adhuc seriò cogitauisse. De dilectione Christi erga suos.

Occasio abluti onis pedum.

His præmissis ad historiam ablutionis pedum euangelista transit. Videtur autẽ facto huic occasionem dedisse ambitiosa discipulorũ contentio, quam illos inter cœnandum de primatu instituisse, Lucas scribit. Fuerat ea aliâs sæpe suscepta, & nõ semel illos Christus hoc nomine corripuerat. Quia verò nihil hucusq; vel monendo, vel minitando profecit, in præsenti exemplum præbere voluit, cuius nunquam possent obliuisci: dum ipse vsq; eò sese demittit, vt vilissimum contemptissimumq; officium ijs præstet, qui ne seruulorum quidem loco haberi merebantur. Est autem in hac descriptione admodum diligens Ioannes. Nam non modò summam rei exponit, sed omnes eius facti circunstantias, & quæ tunc fuerit rerum omnium conditio, ex ordine cõmemorat: vt ita videamus quanta fuerit nostri seruatoris humilitas, & eò magis excitemur ad eius imitationem. Et rursum à tempore exorsus, hoc iam Cœna facta illum fecisse ait. Loquitur autem de epulo paschali, & Cœna mystica, quam in illius iam abolendi locũ substituit. Vtrumq; verò Ioannes omisit, vnà cum multis alijs, quæ ad eius Cœnæ præparationem pertinent, eò quòd ista omnia ab alijs prolixè iam tradita esse sciebat. Et quoad Cœnam illã mysticam, ea iam procul dubio omnibus probè nota, & passim in vsu erat, vt minimè opus esset nouam de ea narrationem instituere: quãdo non aliud de ea dici poterat, quàm quod alij abunde dixerant. Adhæc quæ ad illius sensum mysticum & verum eiusdem vsum spectant, Cap. 6. iam prædem exposita fuerant ab ipso Christo in ea disputatione, quam de vera & salutari corporis sui manducatione habuit. Hîc verò ad commendandam Christi humilitatem facit, quòd post tanti mysterij tractationem, seipsum quasi ex sublimi cœlorum fastigio ad discipulorum pedes vsq; demittere dignatus est. Arguit autem suo exemplo eos, qui sub prætextu ecclesiastici ministerij superbiunt, & immunitatem sibi vendicant ab officijs omnibus, quæ vel publicè vel priuatim proximo debentur. Facit hoc mira insolentia Pontifices, sacrificuli, & Monachi imprimis, qui parentibus quoq; pietatis officia neganda putant, ne quid faciant à sua professione alienum.

Christus non absterretur Iudæ flagitio.

Deinde ad Iudam proditorem redit, de quo cap. 12. dixerat, & quid ille iam penes se cõsilium habuerit docet: vt Christum ne periculi quidem imminentis recordatione ab hoc officio reuocatũ fuisse ostendat. Dicit enim hæc eum tunc fecisse, cùm diabolus iam immisisset in cor Iudæ Iscariotæ, vt illum proderet. Et diaboli quidem diserte meminit (quemadmodũ & Lucas, qui satanã in cor Iudæ intrauisse scribit) vt verum tanti sceleris authorem indicet, ne quis illud ipsi Deo acceptum ferat, qui Iudam ab omni culpa liberet. Etsi enim nihil absq; prouidentiæ Dei decreto factum sit, qui Iudæ malitia ad illius executionem bene vsus est, non tamen ipse malitiã eam illi instillauit, sed ibi inuentam ad eum finem direxit, vt nostræ redemptionis negotio inseruiret. Quòd si quæras, quis illã Iudæ instillauerit? nos cum Ioanne & Luca respondemus, diabolũ istud fecisse, quẽ Christus ipse supra mendacij & homicidij authorem iam inde ab initio fuisse dixit. Imò si rem omnem penitus scrutemur, propria malitia Iudas peccauit. Nã vt Cap. 12. audiuimus, natura auarus & turpissimũ auaritiæ mancipium fuit. Hæc furem fecit & sacrilegum, qui ex Christi ærario surriperet, quæ à pijs conferebantur. Cùm verò in Cœna Bethanensi furti vberioris spes oblata subitò euanuisset, murmurãs & indignabundo impiam de Christo prodendo cogitationem suggessit satan, vt ea ratione sarciret iacturam, quam se fecisse putabat. Suggestionẽ hanc infelix admisit, quia improbo suo affectui eam conuenire sentiebat: nec admisit modò, verumetiã fouit, inq; ea confirmatus ad sacerdotes abijt, & pactus mercede suam illis operã ad scelus hoc nefandum pollicitus est. Itaq; in Iuda omnis culpa hæret, qui audiri debent, qui spinosis suis disputationibus Deum scelerum authorem faciunt. Discamus potius hoc exemplo, quibus artibus & insidijs nos satan circunueniat, & quòd iusto iudicio tantũ ei permittat Deus, si impura carnis studia illius mandatis præferimus. Cogitemus item quàm plena periculis sit nostra in terris conditio, & quàm facilè labamur, si suam manũ nobis Deus subducat. Quid enim tunc de nobis fiat, cùm in apostolo & domestico Christi tantum satan potuerit? Confutantur etiam hoc exemplo, qui Romanos pontifices errare posse negant, eò quòd apostolorũ successores sint. Quàm ridiculè enim hoc dicant, ex eo apparet, quòd ipsos apostolos satan in errores abducere, & Iudam Christi proditorem efficere potuit. Sed de his alibi quoque diximus. Nunc euangelistæ consilium obseruemus, qui vt Christi humilitatem & ardens erga nos studium amplificet, ostendit tam tunc temporis fuisse rerum conditionem, vt Christus (si humanam rationem voluisset in consilium adhibere) structas sibi insidias potius cauere, quàm de hoc tam vili & sordido officio cogitare deberet.

Adeo

illud tamen non absterruit illum periculi magnitudo, vt ipsi etiam proditori pedes abluerit.

Tertiò Christi maiestatem commemorat Ioannes, & hunc sciuisse ait, quòd omnia sibi pater dedisset in manus, & quòd à Deo exisset, & ad Deum abiret. Quibus verbis comprehendit breuiter, quæcunq; ad gloriæ & maiestatis eius commendationem faciunt. Eum enim esse dicit, cui pater omnia in manus dederit. Ergo plena illi in omnes creaturas potestas est, nec plena modò, verumetiam legitima & libera: eò quòd à patre eam accepit quasi iure hæreditario: & quidẽ in manus, ne eorum similis putetur, qui potestatẽ quidem ore & verbis iactant, reipsa verò nihil faciunt, aut facere possunt, quo illam publicè declarent. Talem nobis Isaias quoque Christum depingit, qui imperium siue regnum humeris gestet, & ipse ea administret, quæ ad eius faciunt conseruationem. Deinde illum à Deo eximisse, & ad Deum reuersurum fuisse ait. Exprimit his illius deitatem & totum incarnationis mysterium, cum omnibus ijs, quæ in hisce terris ab eo facta sunt. A Deo enim exiuit generatione æterna, qua verus & patri coæternus atque coessentialis est Dei filius. Exiuit item à Deo, quando in mundum venit, & homo factus ea obiuit, quæ ad generis humani redemptionem pertinebant. Et secundum humanam naturam ad Deum abijt, quando absoluto nostræ redemptionis negotio, cælos conscendit, & ex nobis assumptam carnem cœlesti gloria donauit, in qua nunc ad dextram patris considet. Et talem quidem se iam esse sciebat, & proinde non opus ei erat, vt aliquem sibi hoc officio obstringeret. Nihilominus tamen hoc fecit, quod mox audiemus. Est hoc ingens modestiæ & humilitatis Christi argumentum. Solent enim interdum, qui vel suæ dignitatis nescij sunt, vel aliorum opera indigent, inferioris sortis hominibus amicè & familiariter conuersari, suaq; illis deferre officia. At isdem, vbi suam maiestatem agnoscunt, & nullius alterius auxilio siue beneficio sibi opus esse vident, mox cristas attollunt, & non modò temere obuios despiciunt, verumetiam eos insolenter negligunt, quorum opera & familiaritas ipsis aliquando iucundissima, aut etiã necessaria fuit. Christus verò, cùm nihil eorum ignoraret, quæ ad suam dignitatẽ faciunt, neq; alicuius hominis ministerio opus haberet, & iam ex mundo discessurus esset, extremæ tamen humilitatis exemplum discipulis suis, vel potius nobis omnibus præbere voluit.

Christus suæ maiestate non effertur.

His postremò ipsum Christi factũ Ioannes subijcit, quod ita describit, vt in eo nullũ abiectissimi seruili officium desideres. Ipse enim discipulis discumbentibus adhuc, prior à mensa surgit: quod fa malorũ esse ex vsu quotidiano omnes norunt. Deinde vestes (superiores nimirum & longiores) deponit, vt ad opus sit expeditior. Mox lintheo seipsum præcingit, vt ipso etiam habitu seruum referat. Inde aquam in peluim infundit ipse, ne in hoc quidem alterius ministerio vtens. Tandem inclinato & demisso corpore, discipulorum pedes suis manibus abluit. Neque abluit modò, sed ablutos etiam extergit lintheo, quo sese in eum vsum præcinxerat. Quod pro more quidem eius gentis & sectæ factum est, quando hospitum pedes ablui solebant (eò quòd caligis carerent, & ferè domi calceos quoq; aut sandalia deponerent) attamen nouum & insolens fuit quod hîc fit: quia officium hoc Christus seruis & discipulis præstat, imò ijs, qui paulò post ipsum turpiter negaturi erant: vt iam de Petro abnegatore & Iuda proditore nihil dicamus. Sunt ergo hæc stupenda admodum, si cum ijs ingenium carnis nostræ ambitiosum & insolens conferamus. Quia verò se nobis exemplum dedisse mox ducet, videre oportet, vt nos illud debeamus imitari. Peccant enim hîc stulta & detestabili emulatione potentissimi Monarchæ, adeoq; ipsi Pontifices: qui vbi toto anni tempore bellis iniquis & minimè necessarijs totum orbem turbauerunt, incendijs & rapinis multa vastarunt, & omnes prope terræ angulos sanguine Christiano tantumnon obruerunt atque suffocarunt: se omni pietatis officio egregiè defunctos arbitrantur, si in die Cœnæ (quem illi Sanctum dicunt) aliquos deligant, quibus discumbentibus ipsi inseruiant, & tandem ijsdem pedes lauent. Quasi verò hoc tam leui officio immanissima flagitia, quæ aduersus innocentiæ & charitatis Christianæ leges designarunt, expiari possint. Nec contenti sunt Christi exemplum Iudæis & Turcis ludibrium fecisse, nisi in stulta & histrionica eius æmulatione meritum salutis constituant, & simul Christum sua gloria spolient, in cuius solo sanguine peccatorum ablutio & expiatio quæri debet. Nos ergo longè aliud Christi consilium fuisse cogitemus, vt qui non Scenicum ludum instituere, sed exemplo suo perpetuũ humilitatis studium nobis cõmendare voluit: ne nos alicuius officij erga proximum pudeat. Estq; doctrina hæc admodum necessaria. Vt enim superbia peccati principium & grauissimarum turbarum inter ho-

Ablutionis pedum historia.

Abusus huius exempli.

Vsus uerus.

mines causa, sic humilitas fidissima charitatis nutrix est: quæ vt mutuis officijs fouetur, ita intra superbos & fastuosos locum habere non potest. Itaq; optimus historiæ huius interpres est Paulus, qui ad Philippenses sic scribit: Si qua consolatio in Christo, si quod solatium charitatis, si qua communio spiritus, si quæ viscera & miserationes: explete meum gaudium, vt similiter sitis affecti, eandem charitatem habentes, vnanimes, idem sentientes: ne quid fiat per contentionẽ, aut per inanẽ gloriam, sed ex humilitate animi alium quisq; se præstantiorem habeat: ne sua quisq; spectetis, sed vnusquisq; etiam quæ sunt aliorũ. Enimuero is sit affectus in vobis, qui fuit & in Christo Iesu: qui cum esset in forma Dei, nõ duxit rapinam parẽ esse cum Deo: sed seipsum exinaniuit forma serui assumpta, etc. Quæ verba, si cum Christi exemplo conferas, qui non modò in præsenti pedes discipulorũ lauit, & toto eo tempore quo in terris versatus est, quibus suis seruiuit omni officiorum genere, verumetiam nunc nos sanguine suo à peccatorũ sordibus abluere dignatus est; mox videbis omnes prætextus nobis eripi, quibus superba caro seipsam fallit, & humilia hæc charitatis fraternæ officia negligit. Alius enim generis nobilitas, alios muneris sui, quod sustinent, dignitas ita effert, vt indignum putent aliquid humilius facere, quo proximus iuuari possit. Multos suiipsius fiducia inebriat, vt se nullius hominis opera indigere arbitrentur, & proinde omnes inferiores insolenter fastidiũt. Alios rursum proximi cõditio humilis & abiecta, alios item ingratitudo (qua nihil in mundo vulgarius habetur) veteres inimicitiæ absterrent, quò minus alijs inseruiant. At quis nobilior Christo, cuius generatio, quoad diuinitatem, æterna ex Deo est, quoad humanam verò naturã, ex virgine castissima, & sanctissima multisq; regibus & prophetis nobilitata, patriarcharum familia ortum suum habuit? Quo eodem excellentior, si officij dignitatem spectes, quem Deus sui populi regem & sacerdotẽ æternum constituit? Vel num alicuius indigum fuisse putabimus, cui pater omnem potestatem tradiderit cœlo & in terra? & qui in vili atq; mortali carne vitã degens, morbis, ventis, mari & immundis spiritibus, imò etiam ipsi morti pro arbitrio suo imperabat? Quòd si verò nos cum illo conferas, nonne dò indignos tanto beneficio, verumetiã propter manifestam rebellionem, incomparabilem ingratitudinem & inuictam contumaciam, sempiternis inferorum cruciatibus dignissimos esse patebit. Etsi men vt illum olim nec apostolorum ambitio (cuius specimen nimis pudendum in vltima Cœna detexerant) nec eorundẽ mox secutura fuga & defectio, neq; Iudæ proditoris præsentia absterruit, quo minus ad pedes vsq; illorum sese demitteret: ita neq; nostra indignitas summa obstitit, quò minus humiliari, & vnà cum carne nostra etiam serui formam assumere voluerit. Ergo detestabilis plane & diabolica est eorum arrogantia, qui bonis alienis & diuinitus acceptis, adhæc temporarijs & caducis, eò vsq; efferuntur, vt fratribus inseruire detrectent: aut qui se extra omnẽ telũ iactum constituunt, & proinde nullius hominis opera indigere putant: cùm tot exemplis doceamur, interdum opus habere, lentissimos & potentissimos reges hominum pauperum & abiectissimorum ministerio opus habere. Nam quod Xerxi accidit, vt piscatoriæ nauiculæ subsidio euaderet, qui paulò ante maria naualibus ceu ponte cõtinuo strauerat, hoc ipsum multis olim euenisse historici testantur, & noua quotidiana generis exempla occurrũt. Vel cur iniurias, quas ipsi à proximis accepimus, plus ponderis habere arbitramur, quam quas Dei filio inferimus, quibus tamen hic se superari non sinit, quò minus suæ mortis meritũ nobis offerat, vt eo à peccatis omnibus emundemur? Quantò rectius Moses & Paulus qui Christi spiritu ducti, pro hostibus suis intercedere, & vt eorum saluti cõsulerent, ipsi potius è libro vitæ deleri, & anathema fieri voluerunt? At quia de his plura alibi sequentur, hæc modò dicta sufficiant. Nos exempli huius memores, salutis nostræ fiduciam in vnum Iesum Christum collocemus, cuius bonitas tot argumentis perspecta est: eiusdem verò vestigia sequamur, vt sui regni coheredes faciat. Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

HOMILIA CXXIIII.

Venit ergo ad Simonẽ Petrum, & dixit ei ille: Domine, tu mihi lauas pedes? Respondit Iesus & dixit ei: Quod ego facio, tu nescis nunc, cognosces autem postea. Dicit ei Petrus: Non lauabis meos pedes in æternum. Respondit ei Iesus: Si non lauero te, nõ habebis partem mecum

cum. Dicit ei Simon Petrus: Domine, nõ solùm pedes meos, sed & manus & caput. Dicit ei Iesus: Qui lotus est, non opus habet, nisi ut pedes lauet, sed est mundus totus. Et uos mundi estis, sed nõ omnes. Sciebat enim quis nam esset qui proderet ipsum, propterea dixit: Non estis omnes mundi.

Diuus Ioannes ex ijs, quæ Dominus noster Iesus Christus iam moriturus fecit, non temere eam historiam singulari diligentia describendã putauit, qua narratur, vt discipulorum suorũ pedes abluerit. Continet enim præclara mysteria, quorum cognitio omnibus ijs necessaria est, qui eius discipuli censeri, & in ipso salutem consequi volunt. Nam vt multa alia omittamus, primò humilitatis studium cõmendat, quæ fidissima fraternæ dilectionis nutrix est. Deinde fructum mortis eius eleganti typo exprimit, & in eodem totum nostræ iustificationis negotiũ quasi oculis subijcit, ex qua salutis nostræ ratio tota dependet. Et de primo quidem nuper diximus, & plura deinceps sequentur, quando ipse Christus huius facti sui mysterium exponet. In præsenti alterum excutiemus, ad cuius expositionem partim ipsum Christi factum pertinet, partim colloquium eius, quod ipsi cum Petro interfuit. At quia simul multa alia concurrunt, quæ considerationem diligentiorẽ merentur, non inutile fuerit, singulas partes ex ordine videre.

Num Christus à Petro exorsus sit.

Principio ad Petrum venisse dicitur Dominus, vt illius pedes lauaret. Quo loco de ordine, quo hoc factum sit, non eadem est veterum interpretum sententia. Augustinus à Petro exorsum fuisse putat, & eius sententiã libenter recipiunt Papistici doctores, vt Romani Pontificis primatum stabiliant, quem Petri legitimum successorem esse contendunt. Sed licet illud demus, ridiculum tamen est, quod isti ex eo colligunt, cùm primatus ille & ambitiosa eius affectatio hìc euertatur potius quã stabiliatur. Quia enim humilitatis exemplum præbere voluit Dominus, & (vt ipsi sentiunt) à Petro eius rei initium fecit, quis nõ videat illum ambitioni occurrere voluisse, qua Petri successores sibi primatum vẽdicaturos esse præuidebat? Cur ergo eum sibi vendicant, à quo ipsum Petrum tam memorabili exemplo Dominus deterruit? Chrysostomus lauandi initiũ à Iuda factum fuisse ait, quem hoc officium libenter admisisse putat, eò quod natura proteruior & Christi minus obseruans fuerit. At vtrumque harum sententiarum argumentis firmis & certis nititur. Ex verborum tamen contextu apparet, aliquorũ pedes iam ablutos fuisse, priusquam ad Petrum veniretur. Iam ante enim dixit Euangelista, Christum cœpisse lauare discipulorum pedes, & ablutos lintheo extergere. Nunc verò captam narrationem continuans, quid factum sit docet, quando ad Petrum ille venit. Nimirùm, quod is rei nouitate attonitus, & Christi dignitatẽ cum sua conditione misera & infelici conferens, facinus hoc indignissimũ & intolerabile esse putauerit. Ideo cum interrogatione, quæ abominationis speciem habet, Christum hoc officiũ sibi offerentẽ reijcit, dicens: Domine, tu mihi lauas pedes? Quàm magnificè enim de Christo senserit, non modò in eius confessione cernitur, quam semel & iterum edidit, verumetiam ex eo, quòd cùm illum ex miraculosa piscium captura primò agnouisset, mox ad genua ipsius procidens exclamauit: Exi à me Domine, quia homo peccator sum. At quod illic laudẽ modestiæ meretur, hìc non caret iusta reprehensione, vt paulò post videbimus. Exhibet autẽ nobis suo exemplo Petrus typum carnis nostræ, quæ vt in Christo gloriam huius seculi quærit, ita eiusdem humilitate offenditur, & frequenter peccat, quando ad dexteram, id est in meliorem partem nimiùm deflectit. Accidit hoc multis hodie, qui ne quid humilius de Christo sentire videantur, cultũ omnem illo indignũ putãt, qui nullo externo splendore cõmendatur. Quotquot itẽ humanæ in Christo naturæ maiestatẽ exinaniri & negari putãt, nisi suis proprietatibus plane exuta, diuinitati per omnia æquetur. Quorũ eriã similes sunt, quibus inciuile & irreligiosum videtur, ad ipsum Christũ rectà contendere, nec vti mediatoribus Diuis, quibus ipsi hoc officiũ, nullo scripturarũ testimonio suffulti tribuunt. Nos ergo in vnũ Christũ intenti, eius dictis et factis nos accõmodemus, neq; carnis rationẽ in consiliũ admittamus, quando de fidei mysterijs agitur, quæ omnẽ humani intellectus captũ longè superant.

Petrus Christũ abs se reijcit.

Facit huc Christi admonitio, qui Petro dicit: Quod ego facio, tu nescis nunc, cognosces autẽ posthac. Quibus verbis eum communis ignorantiæ admonet, qua fit, vt plerunq; nõ intelligamus salutis nostræ mysteria, quando illam nobis Deus quàm maximè offert. Ex eo autẽ colligit Dominus, non

Quod ego facio, tu nunc nescis.

temere ijs obluctandũ esse, quæ nõ intelligimus, cùm veræ pietatis sit, carnis sensum & intellectum omnem per fidei obedientiam Dei verbo subijcere. Est ergo multiplex huius dicti vsus, & latissimè extendi potest. Nam locum habet in ijs, quæ ad Dei cultum pertinent: vbi multis ridiculum videtur, illum in cœtibus sacris, verbi prædicatione, sacramentorum vsu, publicis precibus & aliis eiusmodi rebus constituere. Hi ergo hoc Christi dictũ sibi applicent, & quæ Deus instituit diligenter observent, & paulatim sentient magnum earum rerum vsum esse, quæ carnis iudicio leuia & inutilia videntur. Ita Anabaptistæ absurdum & iocularium spectaculum esse clamant, infantes baptismo tingere, qui mysteriorum omnium ignorantes sunt, & quid illic agatur non intelligunt. Ergo illorum iudicio ridiculus fuit Christus, qui in præsenti pedes Petri abluit, quem huius mysterij ignarum esse ipse testatur, & alibi pueulis manus imponit & benedicit, qui & ipsi quid ageretur nõ intelligebãt. Vel num circunciſionem lusum fuisse dicent, qua olim infantes octauo à natiuitate die in fœderi ecclesiæ cõsortium recipiebãtur? Quòd si ipsi nondum vident, qua ratione hoc ita iusserit Dominus, patienter ferant hanc suam ignorantiã, & sibi dictum putent: Quod ego facio, vos nunc nescitis, scietis autem postea. Similiter multi sub cruce & afflictionibus aduersus Deum impatienter murmurant, eius iudicia accusant, seq; præter meritum ab eo indignius tractari quiritantur. Sed ijs quoq; hoc Christi dictum seruit, & si carnis affectũ paulisper reprimant, mox euentus rerum illos docebit, Deum nihil absq; certa & iusta ratione instituere. Nec minus ad præcepta de moribus hæc sententia accommodari potest. Nam hîc quoq; carni nostræ multa videntur præter rationem prohiberi aut præcipi: qui deinde omnis inobedientiæ fons est. Cogitemus ergo carnem nostram naturæ cæcam & ignorantẽ esse, & quàmuis illi multa æquo duriora & prorsus iniqua videantur, obediamus tamen Dei præceptis, & mox res ipsa docebit, nihil ab illo melius, iustius nobis q; salutarius cõstitui potuisse. Continet ergo breue hoc Christi dictum præcipuam partem sapientiæ, quam in rerum diuinarum & humanarum cognitione consistere aiunt. At nusquam frequentius & pernicioſius nostræ carnis ratio impingit. Ne quid enim videamur ignorare, aut cæco affectuum impetu rapi, temerarias contra Deum & verbum eius disputationes suscipimus. Sed non debet noxia putari aut turpis ignorantia, cuius author nobis est Deus, qui suo tempore reuelabit quæcunque nobis sunt necessaria cognitu. Interea verò summa sapientia fuerit, carnis sensum & affectus per fidei obedientiam Dei voluntati subiugare.

Sed ad Petrum reuertamur, qui nondum cedit Christo, & proinde nec videri vult, qui aliquot ex ignorantia faciat: quin maiori contumacia se illi opponit, dicens: Non lauabis meos pedes in æternum. Quod etsi modestiæ magnæ argumentum sit, & pia animi intentione ista loquatur, peccat tamen grauiter, quòd de ignorantia sua admonitus, eam non agnoscit, & insuper Christo reluctatur, negligit, quem videbat rem seriam agere, quiq; nullum vnquam de se dederat inconsultæ temeritatis indicium. Ideo non sine graui ratione Dominus ei respondet: Si non lauero te, non habebis partem mecum; id est non eris mihi consors, non fratrem neq; cohæredem te agnoscam, denique nihil tibi mecum commune erit, & proinde neq; salutis eius particeps eris, quam ego meæ mortis merito acquiram. Et hæc grauis admodum sententia, qua nihil terribilius dici poterat. Atqui huic obnoxij sunt, quotquot Christo sese opponunt, quem Deus pater ab omnibus audiri vult, & ideo authoritatem eius voce reuelati confirmauit. Neq; hic aliquem excusabit animi intentio, cùm alibi quoq; moneat Deus, ne quid nobis bonum videtur faciamus, sed in eius præceptis ambulemus: à quibus neq; ad dextram neq; ad sinistram deflectere debent, qui eius cultores haberi volunt. Et satis nota est sententia, qua olim Iudæis sacrificia improbauit: Nunquid vult Dominus holocausta & victimas, & non potius vt obediatur voci Domini? Melior est enim obedientia quàm victimæ, & auscultare magis quàm offerre adipem arietum. 1. Sam. 15.

Quid verò Petrus? Exhorrescit ad tam grauem Christi sententiã, qua procul dubio nihil atrocius & intolerabilius illi accidere poterat. Scimus enim eum Domini amantissimũ fuisse, cuius amoris & studij multa & egregia argumẽta dedit. Ideo exclamat: Domine non solùm pedes meos, sed & manus & caput. Quasi diceret, Quãdo ita vis, agedũ nulla in me posthac erit mora, & potius quam abs te separari velim, vnà cum pedibus caput quoque & manus, adeoq; totum me, quantus quantus sum, lauandum tibi præbebo. At hæc dicendo, iam in alteram partem peccat, dum quasi parũ confert

Christus,

Christus, plus quiddam exigit. Ita verò solet caro nostra, & in quamcunque partem inclinet, nimia est. Quò magis nos in Dei verbum intendere oportet, vt illius affectus eius fræno coerceamus. Sed et Christus Dominus nimium hoc sui discipuli desiderium repressurus respondet illi: Qui lotus est, non opus habet nisi vt pedes lauet. sed est mundus totus. Quibus verbis illum monet, vt accepti beneficij memor, de ijs seriò cogitet, quæ ipsi adhuc desint, & quas caro nobis aspergit maculas, quotidie abluere studeat: vt paulò post fusius dicetur. Et quia Iudæ proditoris facinus ingens scandalum discipulis daturum erat, de eo etiam præmonet, & illos quasi præmunit, quò minus offendantur. Et vos (inquit) mundi estis, sed non omnes. Quod de Iuda dictum fuisse, ipse Euangelista testatur. Vbi admirabilis Domini mansuetudo nobis consideranda venit: qui etsi præmonitione ista discipulos opus habere videret, adhuc tamen à nomine proditoris abstinet, ne ei ostium pœnitentiæ præcludat. Sed plura de hoc quoq; infra sequentur.

Et hæc quidem in huius historiæ expositionem quoad literã, hucusq; diximus. At quia his simul mortis dominicæ fructus, adeoq; vniuersum iustificationis nostræ negotium adumbratur, de eo quoq; dicendum erit, & ideo nonnulla iterum repetere oportebit. Sunt autem tractationis huius capita quatuor, de quibus ex ordine disseremus, quantum Dominus dederit. Iustificationis doctrina.

Primo qui nam & quales nos simus videre cõuenit. Immundi nimirũ, & propter immunditiem salute atque vita indigni. Quod Christus quidem non obscurè innuit, dicens: Nisi lauero te, non habebis partem mecum. Euidentius tamen in Petri exemplo, quasi in speculo, hoc nobis spiritus sanctus spectandum exhibet, vt quæ sit eorum conditio videamus, qui optimi & sanctissimi sunt, si innatam omnibus naturam consideres. Hic enim de Christi facto secundùm carnis rationem iudicans, illud planè absurdum & indecens esse putat, & proinde eum abs se reijcit. Sed hunc sibi dicentẽ audit: Quod ego facio, tu nescis nunc, cognosces autem postea. Eadem est planè omnium nostrûm conditio, vt iustitiam & peccatorum ablutionem (qua omnino nobis opus est) non modò non possimus nostris viribus assequi, sed eius assequendæ rationem quoque non intelligamus. Animalis enim homo non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei. Et nisi homo renatus fuerit è supernis, regnum Dei videre non potest. Ergo quàm diu nosipsos audimus, non modò non admittimus quæ ad salutem nostram faciunt, verumetiam toto animo abijs abhorremus. Aut enim non agnoscimus nos ablutione peccatorum opus habere, eò quòd nobisipsis iusti & sancti videmur: aut nostris viribus nostrorumque operum meritis freti, illam in nobisipsis quærimus: vel conscientiæ nostræ testimonio superati, de illa omnino desperamus. Itaque si quando Christus prædicatur, & hic per euangelium suam nobis operam offert, alij quidem se indignos putant, quibus hoc officium ille præstet: alij iniuriam sibi fieri arbitrantur, si aliò ablegentur, qui sibijpsis abunde sufficiant: multi doctrinam hanc scandali plenam & bonis operibus inimicam esse clamant. Impegerunt olim ad hunc lapidem pharisei, qui dum suam iustitiam stabiliebant (vt Paulus ait) iustitiæ Dei, quam hic nobis in filio offert, subijci noluerunt. Quod ipsum inter gentes philosophis quoque accidit, ijs imprimis, qui summum hominis bonum in virtute constituerunt, huius verò originem atque caput ignorarunt, fidem nimirum, quæ sola nos ad omne bonum idoneos reddit. Et hodie huius erroris exempla passim occurrunt, imprimis apud Romanos Pontifices, qui cùm Petri successores dici velint, illum in hoc vno egregiè imitantur, quòd Christi merito ablui nolunt, sed suorum operum meritis & propria satisfactionibus confisi, iustitiam fidei, quam is nobis offert, nimis ignominiosè fastidiunt. Vinam verò eundem Petrum imitati, contumaces illos spiritus deponerent, seque Christo tandem laudandos præberent per fidei obedientiam. Est autem hoc primum caput in salutis nostræ negotio, vt nos miseros, immundos & proinde (quantum in nobis est) à regno Dei alienos & prorsus exclusos esse agnoscamus. Vrgent hoc passim sacræ scripturæ, & hunc præcipuum legis vsum esse Apostolus ad Romanos & Galatas copiosè docet, vt in ea ceu speculo quodam peccata nostra spectemus, & eadem latentem in nobis corruptionem arguat, quam nos philautiæ fascino excæcati ex nobisipsis videre aut agnoscere non possumus. Et hoc in nouo testamento primum euangelicæ prædicationis caput Christus infra cap. 16. constituet, quando de spiritu sancto loquens ait: Hic cùm venerit, arguet mundum de peccato, &c. Quod Apostolos in suis scriptis & concionibus feciſſe, notius est quàm vt multis demonstrari oporteat. Neq; absq; causa hinc docendi initium fieri vult Do- Homines natura immundi sunt.

minus. Primò enim cognitio hæc nostræ conditionis tàm corruptæ & miseræ nos de salute cogitare cogit, & serium eius studium in nobis accendit. Deinde hypocriticæ iustitiæ cristas deprimit, & salutis nostræ fontes in Dei gratia monstrat, eorumq; impostoras euertit, qui infelices homines in suorum operum meritis confidere docet. Quod enim meritum allegabunt coram Dei iudicio, qui sensui relinquantur, ne prima quidē nostræ redemptionis rudimenta intelligunt, & se ablutione peccatorum opus habere ignorant?

Christus solus nos abluit.

Secundò, quis nos abluat & purget, videndum erit. Docet hoc disertè Dominus, quando Petro dicit: Si non lauero te, non habebis partem mecum. Poterat dicere, Si non lotus fueris, &c. Sed ita loqui voluit, Si non lauero te, vt se huius ablutionis aut emendationis nostræ authorem siue mediatorem esse doceret. Etenim si nos spectes, ablutio ista à nemine mortalium fieri potest. Ad hæc enim opus est primùm scelerum admissorū expiatione: deinde iustitia quæ peccata nostra tegat & occultet, vt in Psalmis Dauid loquitur: adhæc regeneratione, quæ innatam nobis corruptionem tollat, & naturæ nostræ vitijs medeatur. Atqui omnia hæc vires humanas longè superant. Quomodo enim pro peccatis suis satisfaciet, cuius debita (vt Christus in parabola docet) plura & maiora sunt, quàm vt illis dissoluendis possit sufficere? quique reuerà animam debet, vt prouerbio dicitur? Aut qui expiatione peccatorum suorum Deum placabit, qui quantus quantus est, peccatum & maledictum est, & ne ad cogitandum quidem idoneus est? Quo item iustitiæ velo peccata manifestorà tegent, quorum iustitia (vt prophetæ verbis vtar) est instar sordidorum centonum & vt panni mulieris menstruæ? Quis autem vel sibijpsi vel alijs regenerationis illius cœlestis & supernaturalis author erit, cùm neque naturalis hæc generatio, qua peccatores nascimur, nostri sit arbitrij, neque corporis nostri staturæ quicquam addere, aut illius vitia emendare possimus? Inanis ergo & irritus omnium illorum labor est, quicunque istà penes seipsos quærunt, aut ablutionem hanc in externis ritibus consistere putant, quod olim Iudæos simul & gentes fecisse scimus. Nam vt Paulus ait, exercitatio corporalis parum vtilitatis affert, neque externa hæc ad animam penetrare possunt, cuius negotium hîc agitur. In hisce ergo angustijs constitutis Christus se offert, qui hæc omnia plenè & perfectè præstat, vt nihil nos alibi quærere opus sit. Primò enim propter nos homo factus, peccatorum nostrorum debita in se transtulit, pro ijsdem in ara crucis sanctus, & (vt Paulus ait 2. Corinth. 5.) ipse factus est peccatum, vt nos per illum iustitia Dei efficeremur. Ideo de illo Ioannes Baptista dicebat: Ecce agnus ille Dei, qui tollit peccatum mundi. Idem nobis à patre iustitia factus, omnem quæ in nobis est turpitudinem tegit, ne Dei oculos offendat. Imò huius iustitia vestitis non imputantur peccata amplius, quæ ipsi cōmiserunt. Deniq; vnus ille est, qui nos ex verbi semine sui spiritus virtute regenerās, corruptæ etiā naturæ vitijs medetur, ne hæreditaria illa & originalis lues nobis amplius dominari possit. Quod nō obscurè Paulus docet, quando de lege peccati intra membra sua grassante conqueritur, exclamat: Miser ego homo, quis me eripiet ex corpore isto mortis? Et mox ipse sibi respōdet: Gratias ago Deo per Iesum Christum Dominum nostrū. Vt ergo vnus & solus Christus à peccatis nos abluit, ita ablutio ea omnibus numeris absoluta atque perfecta est: quod ipsum scripturæ passim testantur. Zacharias certè de Christi regno vaticinans, Cap. 13. sic ait: In illo die aperietur fons domui Dauid & habitatoribus Hierusalēmæ ad peccatū & ad menstruā immunditiem. Vbi peccati nomine ea intelligit, quæ Deilegibus pugnant & aduersantur, vtpote dicta, facta, vnà cū prauis cogitationibus atq; desiderijs. Immunditia verò menstrua naturæ corruptionem denotat, quam ex primis parentibus contractam veteres Originale peccatum dixerunt. Itaque plenam & perfectam ablutionem pollicetur, quæ & manifesta scelera & occultas cogitationes vnà cum prauis cupiditatibus, adeoq; innatam nobis corruptionem eluat atque expurget. Et ita locum hunc Ioannes interpretatus esse videtur, quando ait: Sanguis filij Dei Iesu Christi emundat nos ab omni peccato. Viderat enim veterem illā promissionē reipsa impleri, quando ex aperto Christi iam mortui latere sanguis & aqua effluxerunt. Omitto infinita huius generis testimonia, quæ scripturas legentibus passim occurrunt. Nunc vsum huius loci obseruemus, qui duplex est. Primò enim officij nos admonet, vt in vnius Christi merito acquiescamus, neque aliò transferamus gloriam, quæ ei soli debetur. Faciunt hoc nimis impudenter, qui alia quidem per Christum

se Christum elui, alia verò nostris satisfactionibus expiari oportere docent. Si autẽ ab omni peccato emundat Dei filius, nihil nobis agendũ restat, quoad expiationis aut satisfactionis meritũ. Deinde consolationem dulcissimã habet hic locus, qua conscientiæ terrores placare possunt, qui peccatorum pondere pressi de gratia Dei desperare incipiunt. Quia enim ab omni peccato emundat nos Christus, nulla vtiq; damnatio timenda erit ijs, qui ipsi per fidẽ insiti fuerint. Ad eos enim pertinet, quod David dicit: Expia me hyssopo, & mundus ero: laua me, & niue ero candidior. Quin ipse Dominus per Isaiam talibus loquitur: Si peccata vestra fuerint vt coccus, niue albiora reddentur: si rubeãt instar purpuræ, sicut natiua lana fient, &c. Isa. 1.

Officia ablutorum.

Cæterùm ne quis hinc peccandi occasionem arripiat, tertio loco obseruandum venit, quid eos facere conueniat, qui sanguinis Christi merito abluti & mundati sunt. Docet hoc partim actione ista Dominus, partim diserti verbis, quando Petro caput & manus offerenti ait: Qui lotus est, non opus habet, nisi vt pedes lauet. At pedum nomine innatos carnis affectus & totã, quæ ex his dependet, vitæ consuetudinem intelligit. Vt enim corpus totum pedibus fertur, ita mores & totius vitæ studia pro affectuum voluntate reguntur & mutantur. Inquinatur autem mores nostri, partim ex innata naturæ corruptione, quæ affectus vitiosos in nobis parit, & ad malum solummodo procliuis est; partim ex huius mundi exemplo, qui cum totus in malo constitutus sit, suis illecebris pos se trahit omnes eos, qui ipsi placere student, aut de salute sua non seriò cogitant. Quæ causa est, quòd in sanctis quoque non vulgares peccatorum næui quandoque conspiciuntur, quorum exempla sacræ literæ non vno loco proponunt. Vt ergo qui toto corpore probè abluti balneum egrediuntur, ex terræ contactu ferè pedes iterum polluunt, & proinde noua illorum ablutione seu sordium abstersione opus habent: ita qui per Christum plenè mundati & iustificati sunt, ijdem propter inhærentes ipsis corruptæ naturæ reliquias, & mundi degeneris atque impuri consortium, ex vitæ huius studijs terrenis nouas subinde labes & sordes contrahunt, quas indesinenti studio quotidie ablui oportet. Docebit hoc ipsum infra in vitis etiam parabola Dominus, quando bonos quoque & fructiferos palmites, quàmuis in vite maneant, putatione tamen opus habere ait, vt plures fructus ferant. Ita verò pœnitentiam nobis commendat, quæ in Dei verbum intẽta & precibus ardentibus adiuta labes quotidianas abstergit, & obrepentia quotidie vitia corrigit, vitamque totam emendat. Et huc videntur respexisse, qui vitam hominis Christiani perpetuam pœnitentiam dixerunt. Vbi tamen obseruabis, has quoque ablutionis quotidianæ siue pœnitentiæ partes ad Christum pertinere, neque hic quicquam nostris viribus aut meritis debere tribui. Vt enim in præsenti ipse Dominus discipulorum pedes lauat, ita alibi non modò remissionem peccatorum, verumetiam pœnitentiam in suo nomine prædicare iubet. Et enim nisi ille nobis adsit, neque vitia nostra corrigere poterimus, neque studia nostra Deo patri placebunt, qui non alio quàm filij sui dilecti merito placari potest. Ideo Apostoli in Senatu Hierosolymitano grauiter admodum de Christo dicunt: Hunc Deus principem & seruatorem exaltauit dextra sua ad dandam resipiscentiam Israeli ac remissionem peccatorum. Itaque tota nostræ salutis ratio, siue peccatorum nostrorum expiationem siue pœnitentiam spectes, ad vnum Christum authorem debet referri, qui & satisfactio nostra est, & ex verbi sui semine renatos spiritu suo mouet atque excitat, vt assiduo resipiscentiæ studio vitia nostra corrigamus & affectibus prauis obstemus. Rursus verò doctrina hæc nostræ institutioni simul & consolationi seruit. Officij enim admonet omnes, qui se per Christum à peccati reatu liberatos perq; fidem in illum iustificatos esse gloriantur: vt nimirum tanti beneficij memores, puritatem istam magno studio tueantur, & assiduo pœnitentiæ studio expurgent labes atque maculas, quas ipsis propria caro & infelix hic mundus quotidie aspergit. Debent ergo singuli hanc doctrinam ad se transferre, vt ea vti discant pro vt sibi opus esse vident. Neq; hic quisquam securus aut confidens esse debet. Si enim electis Christi Apostolis pedum ablutione opus fuit, quàmuis eos ipse Christus mundos pronuntiauisset, quid de nobis fiet, qui illis conferri nulla ratione possumus? Ergo iustificationis doctrina minimè patrocinatur impuris porcis & canibus, qui cum Christi nomen fidemque profiteantur, in sordibus tamen suis perpetuò volutantur, & ipsum quoque euangelij nomen effreni morum licentia apud exteros diffamant. Sunt hi canes isti, quos angelus ex cœlesti Hierosolyma eijciendos esse dicit, & inutiles palmites, qui ex vite Christo resecti, in ignem æter-

num abijci merentur. Deinde solatur nos locus iste contra Nouatianorum deliria, qui lapsis post baptismum aut publicè factam fidei in Christum professionem, pœnitẽtiam & reconciliationem cum Deo negarunt olim, & hodie multos habent suæ sententiæ instauratores. Adeò enim non negatur pœnitentiæ locus ijs, qui postquam per Christum loti sunt, pedes suos, id est, vitam & mores rursus inquinant: vt potius ad huius studium quotidianum nos Christus exhortetur. Et qui nos orare docuit, Remitte nobis debita nostra, is vtique vidit, nobis propter quotidianos lapsus oratione ista nunquam non opus esse: neque nos ita iussisset, nisi patris sui gratiam atque misericordiam omnibus ad ipsum conuersis semper paratam esse sciuisset. Quid, quòd ipse Petrum abnegatorem in gratiam recepit, & quotidie multos recipit, qui eadem peccata sæpius iterarunt? Et quæ ratio nos iubet, vt Deum in recipiendis peccatoribus, qui ex animo pœnitent, duriorem fingamus, qui nos fratribus septuagies septies ignoscere iussit? Rectius ergo olim D. Chrysostomus, qui cùm Episcopi in Synodo statuere vellent, lapsos post baptismum, & redeuntes ad pœnitentiam, semel tantùm recipiendos esse, contra dicebat: καὶ χιλιάκις μετανόησας εἴσελθε, id est, Imò millies agens pœnitentiam ingredere. Neminem ergo tetricorum istorum Catonum comminationes perterreant, vt pœnitentiam sibi non profuturam putet: sed Dei bonitate constanter nitamur, ad cuius thronum nobis liberum aditum Christus aperuit. Nemo præterea de cuiusuis alterius salute temere desperet, quin potius fidis admonitionibus ad pœnitentiã excitemus quosuis, & ita (quantum in nobis est) ipsi quoq; aliorum pedes lauemus, &c.

Ablutio peccatorum fide apprehenditur.

Postremò modum siue medium nouisse oportet, quo per Christum facta peccatorum ablutio apprehenditur. At de hoc etiam Christus diligenter disserit. Ne quis enim iustificationis meritum externæ huic lotioni tribueret, aut Iudæorum more nouos sese purificandi modos institueret, sicuti Papistæ in aquæ lustralis aspersione facere consueuerũt: occurrit ille, & inter Iudam atque reliquos discipulos distinguens, docet, vnde iustificatio illa procedat, qua verè mundamur, & quomodo eius possimus consortes fieri. Dicit autem: Et vos mundi estis, sed non omnes. Et verba hæc ipse Ioannes exponens subijcit: Sciebat enim quis nam esset qui proderet ipsum: propterea dixit, Non estis mundi omnes. Atqui ex eo satis constat, discipulos nequaquam ablutione ista per aquam facta mundatos fuisse. Alioqui enim Iudam quoque mundum dicere oportuisset, cuius pedes non minus quàm aliorum abluerat. Ergo aliud quid in discipulis fuerit oportet, cuius gratia eos mundos dicit. Id verò ipse infra Capite 15. indicabit his verbis: Iam vos mundi estis propter verbum, quod locutus sum vobis. Quod ergo verbum illud esse dicemus? Haud aliud nimirum, quàm euangelium, quo se Dei filium & promissum humani generis seruatorem esse docuerat. Hoc quia Apostoli vera fide & certo firmóque animi assensu amplexi erant, & in eodem constanter perseuerabant, ideo mundi censentur, quàmuis ex humanæ naturæ infirmitate adhuc suos næuos & labes haberent, qui emendationem quotidianam requirebant. Immundus autem mansit Iudas, quia verbo Christi nunquam credidit, neque illum vel Dei filium vel mundi seruatorem esse ex vera fide agnouit. Vnde colligimus, nos solà fide eius iustificationis & salutis, cuius nobis author Christus est, consortes fieri, immundos autem & peccatis obnoxios manere omnes eos, qui fide ista destituuntur. Vt enim iustitia & salus in vno Christo inuenitur, sic nulla alia ratio est, qua nos vel Christum apprehendere, vel eidem inseri possimus, quàm fides. Docet hoc ipse non vno loco, & multa huius generis in Capitis tertij & sexti expositione diximus, quæ huc transferri possũt. Apostoli verò hoc passim tanto consensu & constantia inculcant & repetunt, vt vix totus dies enumerandis testimonijs illorum sufficeret. In Concilio certè Hierosolymitano, magna cum grauitate Petrus pronuntiat, corda fide purificari, & in huius sententiam omnes pedibus iuerunt. Imò hoc Apostolicæ doctrinæ caput est, homines ex gratia iustificari per fidem in Iesum Christum, de quo cùm sæpe aliâs dictũ sit, non opus est plura in præsenti addere. Obseruemus nunc, confutari hoc loco omnes eos, qui iustificandi vim qualibuscunque ceremonijs aut ritibus tribuunt. Si enim Iudæ proditori non profuit ab ipso Christo traditus Cœnæ mysticæ panis, non baptismus quo iam pridem tinctus fuerat, non per ipsum Dei filium facta pedum ablutio: quid de alijs rebus dicemus, quæ ab hominibus superstitiosis præter Dei verbum excogitata & instituta sunt? Agnoscamus ergo Dei gratiam, qui nos immundos filij sui sanguine abluere & sanctificare dignatus est. Beneficiũ hoc fide constanti apprehendamus,

deq; re

hæc eo retinendo diligenter & assiduè cogitemus. Abluti ergo studeamus innocentiæ & charitati fraternæ, quasq; ex nobisipsis & ex mundi huius contagio labes contrahimus, quotidiano & assiduo pœnitentiæ studio per Christũ eluamus. Ita fiet, vt maiores quotidie in salutis negotio progressus faciendo, olim ad cœlestem illam Hierosolymam colligamur, ibiq; viuamus & regnemus cum vnigenito Dei filio, Domino & seruatore nostro Iesu Christo, cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

HOMILIA CXXV.

Postquam ergo pedes eorum lauit & recepit uestes suas, rursum accumbens, dixit eis: Scitis quid fecerim uobis? Vos uocatis me Magister & Domine, & rectè dicitis, sum enim. Si ergo ego laui pedes uestros, Dominus & Magister, uos quoq; debetis inuicem alij aliorũ pedes lauare. Exemplũ enim præbui uobis, ut sicut ego feci uobis, ita & uos faciatis. Amen amen dico uobis, seruus non est maior domino suo: neq; legatus maior eo, qui legauit ipsum. Si hæc noueritis, beati estis, si feceritis ea.

QVoniam Iesus Christus nobis à Deo patre non modò seruator, verumetiam doctor & magister datus est, actiones suas omnes sic instituit, vt ex ijs omnia discere possimus, quæ ad nostræ salutis rationem pertinent, vnà cum vitæ Christianæ officijs. Id verò tunc maximè obseruauit, quando iam mortem aditurus erat. Tunc enim multa huius generis fecit, inter quæ memorabilis admodum est historia de pedum ablutione, quam hucusque audiuimus. Ea enim vtrunq; de quo modò diximus, perfectè & luculenter tradit. Primò enim totum iustificationis nostræ negotiũ, quasi in tabula depictum, oculis subijcit. Deinde charitatis Christianæ officia nobis commendat, quibus tota hominis Christiani vita continetur. Et de priori quidem in præcedentibus abunde diximus. De altero in præsenti agetur, vbi ipse Dominus suum factum discipulorum institutioni accommodat. Erat autem hæc concio perquàm necessaria illis, qui in Christo regnum terrenum somniabant, & iam animis suis dignitates, honores & potentiæ huius seculi spem conceperant. Non minus autem nobis seruit hodie, qui vt natura insolentiores sumus, ita ipsi quoque in Christo ferè terrena & carnalia quærimus, omissis ijs, quæ ad vitæ Christianæ rationem & æternæ salutis negotium pertinent. Videamus ergo diligenter ex ordine, quæ ab Euangelista simul & Christo hic commemorantur.

Principiò de Christo narratur, quòd postquàm discipulorum pedes lauit, receptis rursum vestibus ad mensam redierit, vt huius actionis suæ mysterium exponeret, quod se facturũ esse Petro antea promiserat. Vbi obseruabimus, quòd posito serui habitu ad docẽdi munus non sine decora grauitate redit Dominus, cui ipsum pater destinarat. Ex eo enim discimus, humilitatẽ et officiosam proximis inseruiendi industriã ita nobis præcipi, vt interim officij et dignitatis nostræ, in quã nos Deus collocauit, non obliuiscamur. Nec enim conueniẽs est, vt Deo suum negemus obsequium, dum hominibus seruire volumus. Et ita nos humiliari decet, ne interim nostram authoritatem prodamus, qua nos Deus necessariò instruxit. Et hanc quidẽ verbi administri etiã habitu honestiori testari debent: non quidem superstitioso & portentoso (vt hodie Monachi faciunt, qui in suis vestibus sanctitatem & salutis meritum constituunt) sed graui & functioni ipsorum accommodo: ne propter habitum insolentem aut scurrilem contemptui fiant. Nec enim temere olim veteres dixerunt, Vestis facit virum. Nam quo animo præditi simus, ferè ex vestitu apparet, & idem sua honestate nos cordatis & honesti amantibus commendat. Ideo de prophetarum vestitu scripturæ non vno loco mentionem faciunt, & Ioannis Baptistæ habitum describere non dubitarunt Euangelistæ. Quid, quòd de vestibus leges peculiares dedit Deus? Et prophetæ grauiter admodum in eos inuehuntur, qui in vestitu fastum & animi sui petulantiam ostentant. Quia tamen de his alibi sæpe dictum est, hæc modò obiter attingimus.

Christus ab humilitatis officio ad docendi munus redit.

Christus factũ suum exponit.

Sed Christum loquentem audiamus, qui ab interrogatione dicendi initiũ faciens ait: Scitis quid fecerim vobis? Atqui sciebat eos nihil horum intelligere: quærit tamen, vt magis attentos reddat, & iam nunc ad præstãdum debitum accingitur, quod Petro fuerat paulò ante pollicitus. Quo exemplo docemur, Deum non deesse suis promissis, & quàmuis mysteria sua aliquandiu cælet, suo tamen tempore reuelat quæcũque nobis cognitu necessaria sunt. Sic multa alia Apostolos ad tempus latuerunt, vtpote quæ regni Christi conditio sit, gentium vocatio & Iudaicæ gentis repudiũ. Sed tandem hæc omnia illis innotuerunt, quando spiritus superueniens eos in omnem veritatem induxit. Frenemus ergo curiosam ingenij nostri audaciã, neq; in ea curiosius inquiramus, quæ Deus nos adhuc celata vult: illi verò fidum obsequium præstemus in ijs etiam, quorum ratio nobis nondum satis perspecta est, & ita in illorum cognitione indies progressus maiores faciemus. Debet hoc ipsum ad auxilium Dei in aduersis transferri. Nam hoc quoque interdum differt, quando nos diutius exercitos prodest: nostri tamen non obliuiscitur, quin nos eripiat, cùm ita nostra salus & ipsius gloria exigit. Illum ergo expectemus, qui nos supra vires tentari non patietur. 1. Corinth. 10.

Cæterùm hoc præmisso exordiolo, mysterium totius negotij explicare incipit, & sic quidẽ, vt eorum ore argumentũ ducat, quo ipsos conuincere & mouere studet. Vos (inquit) vocatis me, Magister & Domine: et rectè dicitis, sum enim. At ego cùm nihilominus vestros pedes lauare dignatus sim, qui mei serui & discipuli estis: vestrũ fuerit, posito omni fastu idẽ officiũ vobis inuicẽ præstare, & de hoc potius sanctã contentionem suscipere, vt quisq; aliũ se præstantiorẽ ducat, quàm vt de primatu & regno terreno ambitiose disputetis. Sunt hæc per se plana et dilucida: at quia singulis eiusdam inest, quàm prima fronte appareat, de singulis etiam aliquid erit dicendum.

Christus se magistrum et dominũ nostrum profitetur.

Primò seipsum Christus magistrum & dominũ dicit, & discipulos commendat, quòd his nominibus aut titulis ipsum dignentur. Facit hoc non ex arrogantia, sed ex officio, & vt omnium hominum saluti consulat. Quia enim nobis seruandis in mundum venit, salus autem nostra ex eo pendebat, quòd ipsum agnoscamus magistrum & dominum nostrum, debuit vtique seipsum nobis manifestare. Deinde ad præsentem causam hoc faciebat, vt proprij oris testimonio discipuli conuicti, doctrinam siue præceptum de humilitate & mutuæ charitatis officijs non possent contemnere, licet vnicuiq; profiteri quod reuera est, imò vt hoc fiat, sæpe rei necessitas exigit. Eadem enim ratione prophetæ suam vocationem concionibus suis præmittunt: & Paulus interim sui apostolicam dignitatem contra aduersarios suos magna contentione asserit, quia in persona sua ipsam euangelij doctrinam contemni & oppugnari videbat. Ita magistratui aliquando necesse est, vt aduersus seditiosos & contumaces publicarum legum contemptores suam authoritatem in medium adducat. Et parentes probi non rarò contra filios inobedientes hoc ipsum facere coguntur. Hic tamen prouidebimus, ne quid ex priuatæ gloriæ studio fiat, sed omnia ad ædificationem & eorum salutem dirigantur, quibus cum nobis res est. Deinde ne nobis falsò vsurpemus, quod nobis non est datum, aut ipsi dignitatem nostram petulanti morum licentia prostituamus. Alioqui ministris ecclesiarum, magistratibus item, heris & parentibus respondere possunt lasciui & contumaces huius sectionis. Si doctrinæ antistites, si viri principes, si heri aut patresfamiliãs estis, cur non facitis officium, aut cur ea facitis, quæ à vestra vocatione alieniſsima sunt? Possent hæc latissimè dicta, & multiplex huius doctrinæ vsus est: sed hinc facilè occasionem petent, quibus sua salus cura est.

Qualem nos Christum debeamus agnoscere.

Deinde docet locus hic, qualem nos quoq; Christum agnoscere debeamus. Primò magistrum et doctorem nostrum. Talem enim olim Deus per Mosem descripsit, quando prophetã pollicitus est, quem omnes audire debeant. Deut. 18. Et apud Isaiam ipse sibi idem officium tribuit. Quid quòd ipse pater cælitus ei testimonium ferens, clamat: Hunc audite. Et Paulus eum nobis à Deo sapientiam factum esse, inq; eodem omnes scientiæ & sapientiæ thesauros contineri testatur. Ipsum ergo Deum reijciunt, qui hunc dedignantur magistrum suum agnoscere. Deinde Dominum quoque nostrum credamus, qui titulus ei multas ob causas debetur. Per ipsum enim omnia facta sunt, & eidem ad assumptam quoq; carnem humanam pater omnem potestatem dedit in cœlo & in terra. Præterea tamen ratio huius nominis est, quòd sui sanguinis pretio redemptos sibi vindicauit, vt ipsius serui essemus, qui prius peccato & Satanæ ad interitũ seruiebamus. Debet huc referri, quod Isa. 42. ait Deus

Domine, hoc est nomen meum, & gloriam meam alteri non dabo. Sed hîc quoq; obseruabimus, non sufficere, si ore magistrum & dominum dicamus, sed cauendũ esse, ne quid faciamus à professione hac nostra alienum. In hoc enim peccant, qui nouos sibi magistros ex hominibus constituunt, et ab illis denominati ecclesiæ vnitatem in sectas scindunt: quo nomine olim Paulus Corinthios reprehendit. At hodie plerique summam religionis in eo consistere putant, si abiecto Christi nomine, hominum serui & discipuli fiant. Peccant item, qui ad diaboli seruitium redeunt, & peccatis se rursum mancipant, ex quibus eos Christus mortis suæ merito redemerat. Conuincũtur hi falsi, dũ Christi nomẽ iactitant, & quid de illis olim futurum sit, ipse Dominus Math. 7. circa finem perspicuè docet.

Sed scopum totius concionis audiamus, & quid à nobis Dominus requirat. Debetis (inquit) alij aliorum pedes lauare. At hîc non oportet verbis aut literæ insistere, quod reges, pontifices, abbates & horum similes nimium superstitiosè faciunt, qui Christi exemplum in lusum theatricum conuerterũt, sicuti aliàs diximus: sed locutione ista humilitatem & ad quæuis officia paratã industriã præcipit, qua proximi cõmodis atq; saluti consulamus. Et præcepti huius finis est charitas, quæ consistere non potest, vbi non sponte sese subijciunt homines, vt quibus suis inseruiãt. Ideò enim ferè eius officia negligũtur, quòd plerique se alijs præstare, et proinde eos indignos putãt, quibus ipsi inseruiãt. Pedum verò ablutionis meminit, partim vt infimo & contemptissimo officij genere doceat, nihil tã vile aut sordidum nobis debere videri, quod non libẽter subeamus, si proximus eo opus habeat: partim vt officiorum omnium finem nobis commendet, ad quem illa dirigi debent. Scimus enim per pedes hominis effectus & ex his dependentem totius vitæ consuetudinem denotari. Charitatis ergo & humilitatis Christianæ vsus sit, non vt turpi et seruili indulgentia quibus uis blandiamur, sed vt proximi vitam & mores corrigamus: vt in Dei vijs ad æternæ salutis consortium contendant, qui prius in scelerum luto seipsos vitamq; omnem fœdissimè polluebant. Non ergo colluuntur hic dignitatis gradus, quos ipse Deus instituit, sed hoc præcipitur, vt singuli pro suæ vocationis ratione aliorum pedes abluant. Faciunt hoc verbi ministri, quando omnium saluti consulunt, & docendo, monendo, hortando, cõsolando ad Christum eos adducunt, qui prius per superstitionum & vitiorũ cœnosas paludes vagabantur. Idem magistratus facit, quando bonis legibus populum sibi creditũ gubernat, peccandi licentiam coercet, morum disciplinã tuetur, & imprimis in hoc intentus est, vt religio atq; veritatis doctrina floreat. Abluũt filiorum & domesticorum suorum pedes pij patresfamiliãs, quãdo in pietate eos instituũ curant, morũ petulantiam disciplina diligẽtiori frænant, & subrepentia in illis vitia studiosè corrigunt. Lauant pedes sibi inuicem coniuges, dum sibi inuicem ad virtutem adiumento sunt, se inuicem patienter ferunt & mutuæ charitatis officia fideliter faciunt. Sic priuati quiq; suorum concionium, contribulium, vicinorum, aut etiam quorunuis obuiorum pedes lauant, dum quisq; alium se præstantiorẽ putat, vitia alterius vel amicè et grauiter corrigit, vel sancta indulgentia tolerat, deq; ijs contegẽdis potius quàm cum proximi infamia diuulgandis solicitus est. Videmus ergo doctrinam hanc latissimè patere, & eius vsum in huius vitæ nostræ curriculo non multiplicem modò, verumetiam necessarium esse, vt eam piè & commodè transigamus.

Debemus alij aliorum pedes lauare.

Ideo non contentus hæc obiter monuisse, rationes et argumẽta subijcit Dominus, quibus ad huius præcepti obseruationem nos excitet. Primum ab honesto ducit, & ait: Exemplum præbui vobis, vt sicut ego feci vobis, ita & vos faciatis. Quasi diceret, Discipulorum officium est præceptores & magistros suos imitari, & in eorum exempla diligenter respicere. Atqui ego, qui vester præceptor atque magister sum, vobis exemplũ istud præbui. Ergo in eius imitatione vos diligentes et assiduos esse conuenit. Debet autẽ hæc regula ad omnia Christi facta extendi. Rectè enim à veteribus dictum est, omnem Christi actionem nostram esse institutionem: quãdo nihil ab illo factum est, quod nõ multiplicem doctrinam contineat, qua in moribus & salutis ratione instituamur. Attamẽ hic cauenda erit παροησία, id est stulta prauaq; æmulatione in exemplũ trahamus, quæ ille lõgè alia ratione fecit, & quæ vires nostras longè superãt. Faciunt hoc superstitiosi homines in papatu, quoad ieiunium quadragesimale, & verborũ quorundam recitationẽ, cui eundem effectum tribuunt, qui olim in illis eluxit, quando ab ipso Christo recitabantur. Distinguamus ergo inter miracula & virtutis exẽpla, & illis quidem nos ipsos in fide confirmemus, hæc verò imitemur, vt in totius vitæ cursu Christi spiritus sese exerat. Huius generis sunt humilitas et seruitus volũtaria, qua sese ad extrema quæq; offi

Christus nobis exemplum præbuit.

cia demisit: mansuetudo item qua & discipulorum quotidianos errores, & hostium cõtumaciam patientissimè tulit: obedientia, qua patris æterno decreto sese accommodauit vsq; ad mortẽ crucis: charitas erga omnes homines, quorum saluti & commodis se totum impendit: patientia in cruce & inuicta fidei constantia, qua hostium sannas, conuitia & ludibria superauit. Hæc & alia eiusmodi ipse nobis commendat, & sine illis Christiana vita non consistit. Ea igitur sibi imitãda proponãt, qui Christiani haberi volunt: reliqua verò, quæ sine miraculo & peculiari spiritus virtute fieri non possunt, ne affectent, neq; tentent, nisi se ad ea diuinitus vocari sentiant.

Seruus non est maior herõ suo.

Subijcit his aliud argumentũ Christus, quod sic enuntiat: Amen amen dico vobis, seruus non est maior domino suo, neq; legatus maior eo, qui legauit ipsum. Est hæc generalis sententia, & communi omnium hominum consensu sic confirmata, vt ampliori demonstratione minimè opus habeat. Attamen iureiurando eam confirmat, vt magis excitet ad eius considerationem. Sunt enim multa eiusmodi, vt de eorum veritate nemo dubitet, eadem tamen paucis in mentem veniunt, & plerig; illa ad se pertinere nunquam cogitant. Vult ergo diligenter expendant, quàm indignum sit, si relicto & contempto humilitatis atq; modestiæ exemplo, quo ipsis hactenus præiuerit, ad terreni regni honores & huius seculi dignitates aspirent: cùm inter homines nõ feratur seruus, qui sibi melius esse velit quàm herus suus: & intolerabilis sit legatorum insolentia, qui suis principibus sese præferunt, aut saltem maiori fastu atque apparatu sese ostentant. Probè autem conueniebant ista discipulis, qui & serui Christi erant, & quos ipse in omnes gentes legare instituerat, vt euangelium in toto orbe prædicarent. At eadem non minus omnibus Christianis seruiunt. Similiter enim Christi serui sunt, quicunq; is sui sanguinis pretio redemit: & singuli suam quoque habent vocationem, in quam ab illo quasi mittuntur, vt ea faciant, quæ per illos ipse confecta vult. Confutantur autem hoc loco ualdissimè Romani pontifices, qui sub Christi nomine regna huius mundi affectant, & ipsos quoq; reges pedibus suis subijciunt. Neque eo contenti, insuper in ipsum Christũ sibi authoritatem & imperium vendicant, dum quæ ille docuit oppugnant, & eius statuta pro suo arbitrio mutant & euertũt. Tribuit hoc Daniel Antichristo, quòd leges & tempora mutaturus sit: & in præsenti seruus heri sui maior esse negatur. Quia verò illi se Christo maiores faciunt, non obscurè testãtur, se illius seruum esse, & proinde indignos esse, qui audiantur.

Promittit obedientibus beatitudinem.

Tertium argumentum à fine aut præmio ducit. Si hæc noueritis (inquit) beati estis, si feceritis ea. Pertinet promissio ista ad præsentem quoq; vitam. Reuera enim feliciores & beati magis sunt, qui sua sorte contenti, omnibus benefacere studeant, quàm ambitiosi, qui alios omnes præ se contemnunt. Nam curis & molestijs infinitis seipsos liberant, quibus superbi illi dignitatum & honorum affectatores excruciantur, & amicos sibi indies nouos parant, & plerunq; chari & accepti sunt omnibus: cùm alteris illis nihil sufficiat, omnibus item inuisi sint, & infamem tyrannidis & superbiæ suæ memoriam post se relinquant. Exempla passim obuia sunt, quibus hoc probatur, vt eorum commemoratione non sit opus. Interim generalem doctrinam continet hæc sententia, & ad totam tractationem, quam hucusq; audiuimus, extendi debet. Docuit enim Christus nos omnes natura immundos esse, & ablutione opus habere. Hanc verò in se vno ostendit, qui vt sanguinis sui merito nos abluit à peccatis, ita se totum nobis per euangelium offert. Quod qui audiunt, & fide vera percipiunt, ij & ipsius & iustitiæ eius atque salutis consortes fiunt. At quia nobis, quoad in carne versamur, multas labes mundus & innata corruptio aspergunt, hæ quoque ablutionem quotidianam requirunt, cuius etiam author est Christus, qui & verbo suo quid nos facere conueniat docet, & spiritu suo pœnitentiæ studium in nobis accendit, quo sordes illas quotidie abstergimus. Traduntur hæc passim in sacris literis, & eadem profitentur ferè hodie, qui Christiani dici volunt. Sed meminerimus nudam istorum cognitionem siue professionem non sufficere, beatos autem nos fore, si ea feciamus. Oremus ergo Deum patrẽ, vt fide vera animos nostros illuminet, qua filij eius Iesu Christi sanguine partam remissionem peccatorum apprehendamus, & eidem seruiamus in puritate, cuius eodem olim in cœlis viuamus atque regnemus. Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

Flo-

HOMILIA CXXVI.

Non de omnibus uobis loquor: ego scio quos elegerim: sed ut implea tur scriptura: Qui edit mecum panem, sustulit aduersus me calcaneum suum. Nunc dico uobis priusquam fiat, ut cùm factum fuerit, credatis quòd ego sum. Amen amen dico uobis, qui recipit si quem misero, me recipit: qui autem me recipit, recipit eum qui misit me.

QVemadmodum pij et cordati parentes, quando se morti vicinos vident, filios suos diligenter & seriò de omnibus admonent, quæ illis ad vitam honestè et vtiliter transigendã necessaria esse nouerunt: vt qui ex illis bonæ frugis sunt, magis in officio retineantur, proteruiores verò prorsus inexcusabiles fiant, & eorundẽ exẽplo alteri illi minus offendantur: Sic Christus Iesus cùm mortem iam adire vellet, hunc optimi patris affectum probè expressit. Quia enim suos discipulos mysteriorum regni sui adhuc ignaros, in eo terrenam felicitatem & huius seculi dignitates quærere videbat, & ideò frequentiores inter eos de primatu contentiones oriebantur, admodum diligenter huic malo occurrit. Nam exemplo simul & verbo docet, nihil tale in ipso quæri debere, eosq; ad humilitatis & mutuæ charitatis officia rationibus grauissimis extimulat. Inter quas hæc etiam ponitur, quòd beatos fore dicit, si hæc norint simul & faciant. At quia in illorum contubernio hactenus Iudas fuerat, quem admonitiones istæ nequaquam mouebant, & cuius horribilis lapsus ingentis scandali occasionem dare poterat incautis & rudibus: nunc de illo quoque actionem instituit, qua partim illi omnem excusationis prætextũ adimit, partim discipulos reliquos præmunit, ne eius exemplo offensi deficiant, sed eò constantius gradum suum tueantur, ne promissam felicitatem ipsi quoque amittant. Est autem locus hic hodie etiam consideratu perquàm necessarius, quando non vnus Iudas ecclesiæ insidias struit, & passim eorum voces audiuntur, qui ex ministrorum perfidia et ignauia occasionem sumant, qua euangelij doctrinam calumnijs suis apud omnes suspectam & contemptam reddant.

Iudam excludit à promissionibus beatitudinis.

Principiò, quia beatos fore dixerat, si hæc norint & faciant, ne hoc Iudas etiam ad se raperet, mox infert: Non de omnibus vobis loquor, ego scio quos elegerim. Id est, promitto quidem hæc in genere omnibus discipulis, at non ideo promissionis huius effectus ad omnes pertinet, qui externo discipulorum meorum titulo gloriantur, aut nunc quoque in vestro grege censentur. Nam ego scio quos elegerim, id est, qui reuera sint ex meorum electorum numero, qui item hypocritæ sint & perfidi proditores. Imò cùm vos primùm reciperem in meum contubernium, iam tum sciebam, qualis quisq; futurus esset, &c. Itaque non pugnat locus hic cum eo, quod infra Capite sexto dicit: Nónne ego vos duodecim elegi? Illic enim de electione vulgari loquitur, qua frequenter reprobi quoq; ad certum aliquod munus destinantur, & propter illud donis aliquibus instruuntur, cùm interim veræ sanctificationis, quæ homines regenerat & totos Deo consecrat, minimè participes sint: quod in Saule primo Israelis rege accidisse scimus. Hîc verò de speciali & æterna electione agit, qua ex æterno Decreto ad salutem homines prædestinati sunt, & quam spiritus sanctificatio certò sequitur siue comitatur, quæ illos excidere non sinit. In præsenti autem Dominus Iudam occultius perstringit, à nomine tamen adhuc abstinet, vt absque infamia publica illi præbeat occasionem cogitãdi de pœnitentia & salute. Simul verò, ne reliqui discipuli sibijpsis plus æquo placerent, & suæ fidei constantiam propriæ virtuti acceptam ferrent, ad liberam & gratuitam Dei electionem ipsos remittit, de qua infra Capite decimo quinto apertius dicet: Non vos me elegistis, sed ego vos elegi. Vnde nobis doctrina & consolatio generalis petenda est. Nisi enim nos Christus eligat, & suo spiritu regat, ex nobis ipsis neque salutis principium habebimus, neque in eius via aliquo vsq; progredi poterimus. Eius enim vox est: Nemo venit ad me, nisi pater meus trahat aliquem. Et idem teste Apostolo, in nobis operatur velle & perficere, qui ex nobis ipsis ne ad cogitandum quidem sumus idonei. Illi ergo vni transcribi debet tota nostræ salutis gloria: neque de eius certitudine dubitare debent, quotquos se vera Christi fide illuminatos esse sentiunt. Nam quos ille elegit, idem fideliter seruare et tueri solet: neq; sibi aliquam ouem eripi patietur, & nihil est, quod nos ab eius dilectione separare possit. Vide Ioan. 10. Rom. 8.

Quomodo cum hostibus agi debeat.

Docet autem suo exemplo Dominus, quomodo agendũ sit cum hostibus, qui nos vel aperte persequuntur, vel dolis iniquis & proditorijs circunuenire student. Hos quidem diligere iubemur, & vt hoc faciamus, non modò charitatis lex admonet, verumetiã salus nostra exigit: quando peccatorum nostrorũ remissionẽ nunquam impetrabimus, nisi aliorum in nos delictis ex animo ignoscamus. At ne amor iste in ignauam & pernicioſam indulgentiam degeneret, ipsius Christi exemplum imitari conuenit, qui optimus suæ legis interpres est &c. Non dissimulat ille scelus Iudæ, quod huius animo suo concepisse sciebat, sed arguit, vt eum ad pœnitentiam excitet. Ita non dissimulari debent hostium iniqua consilia aut flagitia: ne dum se latere, vel etiam à nobis timeri putant, audaciores fiant, & magis indurentur. Libere ergo & in faciem arguendi sunt, vt & erga Deũ nostro officio defungamur, cuius gloria asseri debet, & si aliquo modo adhuc curabiles sunt, ex nobis pœnitendi occasionem habeãt: aut si in nequitia callũ obduxerunt, aliquando in extremis constituti propriæ conscientiæ testimonio conuincantur. Et sanè ad conciliandam amicitiam nihil efficacius est &c libera & fraterna admonitione: cùm è contra dissimulationes ignauæ simultates augeant, quæ tandem in publicũ aliquod malum erumpũt. Deinde vt honori Iudæ adhuc parcit Dominus, cùm flagitiũ suum ipse nondum publicauisset: Ita nos quoq; inimicorũ honori & famæ parcere conuenit, quoad eius fieri potest, vt constet, nos ipsorum emendationem & salutem quærere, nõ vt infames aut inglorij fiant. Hanc hodie omnes obseruarent, plus concordiæ esset inter homines, & plures Christo lucrifierent: auſdiam ipsi minus peccaremus, dum in bona quoq; causa ius nostrum rigidius persequimur.

Ecclesiæ et sacramentorum societas externa non sufficit ad salutem.

Deinde obseruabimus, quòd Iudam nunc secundò à suo & suorum consortio Christus separat. Prius enim dixit: Vos mundi estis, sed non omnes. Quod propter Iudam dictũ fuisse, euangelista annotauit. Nunc apertius eum proditionis accusans, à beatitudinis promissione illum simul excludit. Atqui in externa discipulorum societate erat, & cum illis omnia sacra communia habebat. Ergo externa ecclesiæ & sacramentorũ societas ad salutẽ non sufficit, sed vt Christo verè inseramur oportet. Id autem spiritu fit, & spiritualis est ea communio, quæ nos ipsius mẽbra & salutis æternæ consortes cum reliquis credentibus efficit. Sacramenta verò rerum spiritualium & internæ communionis externa symbola sunt, quibus promissiones suas Deus obsignat, vt in fide confirmemur, & officium nos admonet. His ipsis nos quoq; fidem nostram profitemur, nosq; ad illius obsequium obstringimus. Quòd si verò professioni nostræ non respondeamus, adeò non prosunt illa, vt potius nostra perfidia & iustæ dãnationis testimonia sint: sicuti non obscurè Paulus admonet, quãdo in priori ad Corinth. de ijs disserit, qui ad Cœnam Domini mysticam indignè accedũt. At hinc aliud quod huic opponitur, colligi debet. Si enim non prodest impijs externa, quam cum pijs habent, sacrorũ cõmunio, quis non videat hãc pijs quoq; non fraudi fore apud Domini tribunal, neq; eos idcirco pollui aut scelerum eorundem socios fieri, etiamsi quidam prophani & hypocritæ dolosè & fraudulẽter sese in ecclesiæ societatẽ insinuent, vel in ea etiam apertius grassentur, ipsis nequicquam reluctantibus? Vt enim latis promissiones non pertinent ad impios, quamuis in genere proponãtur: ita neq; damnationis comminationes ad pios extenduntur, sed in impiorum capitibus hærent. Sunt hæc obseruanda aduersus Anabaptistarum sophisticen, qua multos ab ecclesiæ societate abducunt, dum eos scelerum simul & pœnarum socios fore clamant, si cum hypocritis aut palàm flagitiosis sacra communia habeant.

Deitatis Christi argumenta.

Habet præterea locus iste manifesta & irrefragabilia diuinitatis Christi argumenta. Non enim arcana hominum, quod solius Dei esse, scriptura non vno loco docet, & communi omnium experientia probatur. Deinde se discipulos elegisse ait. At electionẽ in solius Dei potestate esse, omnes norunt, qui sacras literas vel obiter modò inspexerunt. Nam ab æterno hanc factam fuisse docent, priusquam mundus hic crearetur. Verus ergo & æternus Deus est Christus: quod vt Arianorum blasphemias confutat, ita plurimum consolationis habet, & fidem nostram vehementer confirmat.

Cur Iudam Christus elegerit.

Cæterùm vt ad Christi verba redeamus, quærat aliquis: Si talem fore Iudam sciebat, cur illum in discipulorum numerum adoptauit? cur donis aliquibus instruxit? cur ad prædicandũ emisit? cur denique illi ærarium ecclesiasticum credidit, quasi in illo plus quàm in reliquis discipulis fiduciæ haberet? Audiuntur eiusmodi quæstiones passim, quas modò pij mouent, dum in Dei verbũ non satis attenti sunt: modò impij illusores, qui totum Christi & salutis negotium in dubium vocare student. Quibus omnibus istis breuiter respondet Dominus, quando hoc se fecisse ait, vt impleatur scriptura. Quis enim

meum panem, sustulit aduersus me calcaneum suum. Extat locus hic Psalmo 41: in quo de suorum amicorum perfidia Dauid conqueritur, & hoc quidem sic facit, vt pleraq; Christo conueniant, cuius ille typum gerebat. Et voluit huius potissimùm loci meminisse Dominus, quia sceleris atrocitatem amplificat, quod ad terrendum Iudam multùm facere potuisset, si quis in illo pietatis sensus fuisset reliquus. Est enim calcaneum aduersus aliquem leuare, idem quod dolosè & per insidias adoriri, vt luctatores faciunt, qui aduersarios supplantare & calcibus ex improuiso obiectis prosternere solent. Quod cùm in nemine mortalium probari soleat, detestabile omnino et nulla venia dignum scelus est, si hoc faciant domestici & intimi, qui ad eiusdem mensæ societatem admittuntur, vel etiã ex nostro ouum. At talem fuisse Iudam, manifestius est, quàm vt multis demonstrari oporteat. Quoad verò præsentis loci statum, ita dicere videtur Dominus: Quòd proditorẽ inter familiares meos adoptaui, nemo temere aut inconsultò factum putet. Sed quia sic Deus ab æterno statuit, vt Messias à domestico suo prodatur, & hoc ita euenturum prophetæ prædixerunt, ego me illius voluntati accommodare, & scripturæ sacræ authoritatẽ ipso euentu confirmare debeo. Et nũc ista vobis prædico priusquam fiant, vt vbi sic facta videritis, credatis quòd ego sum ille, de quo olim spiritus sanctus locutus est, promissus nimirum humani generis seruator.

Cur Christus à domestico prodi debuerit.

At hic primùm obseruabimus, non sine graui causa decretũ fuisse, vt Messias ab aliquo suorum familiarium proderetur. Nam vt sic fieret, ipsa nostræ salutis ratio exigebat. Quia enim Adã, cùm ad Dei imaginem conditus, & quasi in regni societatem à Deo assumptus esset, contra hunc tamen rebellauit: simile quid Christũ quoq; pati oportuit, vt hanc primi parentis culpã suo merito expiaret. Interim non excusatur Iudas (vt alibi quoq; diximus) qui nulla vel externa vel interna vi coactus, sed propria malitia peccauit: quando turpis lucri cupiditate superatus, hoc ipsi Christo præferre non est veritus. Quin potius prædicari debet Dei bonitas & sapientia, qui illius malitia tam bene vti potuit, vt æterno suo decreto ad humani generis salutẽ inseruiret. In Iuda autem auaritiæ scelus & immodicæ cupiditatis vim agnoscere & detestari discamus, quæ hominẽ omni rationis vsu & pudore spoliat, vt nec veteris amicitiæ recordatione, nec communibus legibus aut iure gentiũ in officio se contineri patiatur. Quod enim Iudæ accidit, hoc multi alij passi sunt, qui priuatũ commodũ & huius seculi bona reipub. & saluti æternæ anteposuerunt. Est præterea alius quoq; huius exempli vsus, ne scilicet offendamur, si quid simile nobis etiã accidat, vt ingratos & perfidos sentiamus eos, de quibus optimè meriti sumus, aut qui nobis aliqua arctiori necessitudine coniuncti sunt. Est enim hæc ferè sors fidelium iam inde ab origine mundi, sicuti omniũ seculorũ exẽpla testantur. Abelus certè à Caino fratre occisus est. Isaacũ verò Ismael frater ludibrio habuit. Iosephũ quoq; fratres germani venditarunt. Quid, quòd tota Israelitarum gens, quæ Dei peculiũ dicebatur, Idumæos sibi hostes pertinacissimos habuit, qui ex eodem patre Isaaco cum ipsis descenderant? Paulus item periculorum ex falsis fratribus meminit. Et Christus credentiũ hostes fore ait ipsorũ domesticos. Feramus ergo patienter, quæ Christus prior propter nos passus est. imò nosmetipsos assuefacere studeamus ad ferẽdos proditores, quando nunquã tam læta ecclesiæ conditio futura est, vt illis in vniuersum careat. Consolatur autem nos, quòd isti causæ, quam sustinemus, nihil incommodare possunt, & dũ nobis nocere student, sibijpsis exitium & interitum accersunt. Excluduntur enim à Christi & partæ ab illo beatitudinis consortio: & quia Iudæ socij sunt, idem cum illo suæ nequitiæ stipendium recipient. Postremò docet nos Christi exemplum, quis nobis omnium prædictionum, quæ scripturis continentur, vsus esse debeat: Hic nimirum, vt non in nuda historiarum aut sententiarum cognitione subsistamus, sed vt singula ad nostræ fidei institutionem atq; confirmationem accõmodemus. Docet hoc in sui cognitione facere Christus, & hæc causa est, quòd vetera de hoc vaticinia toties apostoli adducũt. Faciamus idem in ijs, quæ de nouissimorum temporum conditione olim prædicta sunt: & ita minus nos offendent ea, quæ multis de toto fidei Christianæ negotio dubitandi occasionem præbent.

Authoritas doctrinæ apostolicæ asseritur.

Porrò occurrebat in hoc Iudæ lapsu graue scandalum. Poterant enim ex eo occasione sumpta impij totum apostolorum ordinem vnà cum doctrina ipsorum proscindere, quasi non aliqua fides illis deberet haberi, qui tale monstrũ in suo grege aluissent. Solet enim hoc strategemate vti satan, vt cùm doctrinam veritatis aggredi non audeat, eam per ministros contemptã & inuisam facere conetur: & ideo illorum lapsus & errores diligenter obseruat, vt ex illis calumniandi occasionem vane-

tur. Rursum discipuli timere poterant, ne irritus esset ipsorum labor, quando Iudæ scelus apud plerosque omnẽ authoritatem illis derogabat. Vt ergo illos confirmet Dominus, & vt euãgelij hostium calumnias simul retundat, repetit hoc loco, quod alibi dixit: Amẽ amẽ dico vobis, qui recipit si quem misero, me recipit: qui autem me recipit, recipit eum qui misit me. Asserit his verbis doctrinæ apostolicæ authoritatem, & simul omnes eos confutat, qui de ea propter ministros qualescunque audacter iudicant. Vt enim Reges suorum mandatorum authoritatem ratam esse volunt, etiamsi præcones aut legati ipsorum multa præter officiũ faciant: Ita qualescunq; fuerint euangelij administri, illud tamen cum suis promissionibus atque minis perpetuò ratum erit, et secundùm illud olim extremi iudicij sententiam pronuntiabit Dominus. Itaque non in verbi administros, sed in ministerij authorem, Deum, nos respicere oportet, et Christum in illis loquentem audire, cuius nomine (vt Paulus ait) legatione funguntur. Dabunt quidem graues pœnas Domino, quicunque in ministerio verbi & ecclesiæ animo proditorio versantur. At eorundem improbitas ipsi doctrinæ nihil detrahet, qua nos ad vnum Deum patrem per vnicũ mediatorem, Iesum Christũ remittit, & nos illi in fide vera, vitæ innocentia & charitate nõ fucata seruire docet. Quod autẽ Romani Pontifices ex hoc dicto sibijpsis authoritatẽ apostolicam vendicãt, & quæuis sua decreta pro authenticis haberi volũt, summa ridiculum est: ne quid grauius dicamus. Primò enim nihil cum apostolis cõmune habẽt, neq; successionem illam, qua gloriantur, adhuc argumentis solidis probarũt. Deinde plus sibi arrogant, quàm apostolis datũ fuerit, quos certo mandato astrinxit Dominus, vt nimirũ ea docerẽt, quæ ipse tradidisset. Vnde Paulus dicebat: Si ego, aut angelus de cœlo aliud euangelium prædicet, anathema esto. Nihil ergo ista ad eorum decretorum confirmationẽ faciunt, quæ cũ Iesu Christi euangelio pugnant, quem vnum audire iussit pater, & cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

HOMILIA CXXVII.

Cùm hæc dixisset Iesus, turbatus est spiritu, & testatus est dixitq; Amen amen dico uobis, quòd unus ex uobis prodet me. Aspiciebant itaq; se mutuò discipuli, hæsitãtes de quo diceret. Erat autẽ quidam ex discipulis eius recũbens in sinu Iesu, quem Iesus diligebat. Innuit ergo huic Simon Petrus, ut percũctaretur quis nam esset de quo diceret. Ille uerò incumbens pectori Iesu, dicit ei: Domine, quis est? Respondet Iesus: Ille est cui ego intinctam offulã dedero. Et cùm intinxisset offulam, dedit Iudæ, filio Simonis Iscariotæ. Et post offulã ingressus est in eum Satanas. Dicit igitur ei Iesus: Quod facis, fac cito. Hoc autem nemo intelligebat discumbentium, quorsum dixisset ei. Quidã enim putabant, quia marsupium habebat Iudas, quòd dixisset ei Iesus: Eme ea, quibus opus est ad festum, aut ut egenis aliquid daret. Ille ergo accepta offula, statim exiuit. Erat autem nox.

PRæcipuum quidem historiæ totius de morte Iesu Christi caput est nostra redemptio, at eidem multa alia concurrunt, quæ ad nostram institutionem siue consolationem faciunt. Inter quæ admodum memorabilis est actio, quam cum Iuda proditore instituit. Ex ea enim apparet, qui sempercentissimi ecclesiæ & veræ fidei hostes futuri sint, & quomodo pij cum illis agere debeant. Quum ipse Dominus proprio exemplo suum de diligẽdis inimicis præceptum exponit, quo hodie multi iurgare solent abuti. Alij enim ne quid contra charitatem facere videantur, omnia dissimulant & ad manifesta etiam scelera conniuent. Alij verò si ab aliquo moneantur aut corripiantur, mox illum fraternæ dilectionis immemorem esse, & priuato affectui indulgere clamant. Videamus ergo quid Christus fecerit, qui & charitas ipsa, & optimus suæ legis interpres est. Amauit is Iudam, & adhuc amat, sicuti ipsius verba & facta testantur: attamen ad scelus eius minimè cõniuet, sed hoc illi libere in faciem exprobrat. Deinde quàmuis correptionem duriorem mereatur, parcit tamen eius honori, et tacitè admonet sceleratum, ne quam reliquis discipulis aduersus illum aliquid inhumanius agẽdi occasionem præ-

nem prebeat. Vidimus hoc nuper, quando occultius & in genere de illo sermonẽ instituit. Sequuntur nunc reliqua, quibus negotium hoc totum plenius explicatur.

Iesus turbatus spiritu.

Cùm enim Dominus in huius rei mentionem incidisset, & res ipsa tractationem pleniorem postularet, spiritu turbatus fuisse dicitur. At spiritum in huiusmodi locutionibus pro mente sumi, alibi diximus. Sensus ergo est, quòd toto animo & seriò turbatus fuerit, nec quicquã simulauerit. Quia enim verum hominem assumpserat, à passionibus eiusmodi alienus non fuit, quæ vt naturales sunt, ita per se peccata non sunt, nisi vel causæ iniustæ accedãt, aut non intra fines suos cõtineantur. Nam quod Stoici dixerunt, perturbationes animi non cadere in sapientem, nimis absurdum est, & ipsi se hominum stultissimos esse ostenderunt, quando ex hominibus lapides aut truncos facere conati sunt, & eos affectus extinxerunt, quorum maximus in virtutis studio vsus est, dum honesta appetimus, turpia horremus, bonis & salutaribus delectamur, malis & saluti publicæ aduersis rebus contristamur. Et vt Christum inspiciamus, nihil in animi eius conturbatione vitiosum fuit, cùm causas habuerit graues & sanctas, neque per illam sese ab officio suo abduci passus sit. Primò enim per se horribilis erat mortis tam acerbæ memoria, qua illũ omnino affici oportebat, ne imaginaria & fictitia esset illius passio, & proinde ad expiandum peccata nostra inutilis. Deinde non potuit non commoueri sanctus animus ingratitudine Iudæ, qua nihil vnquã indignius orbis terrarum vidit. Præterea qui nostræ salutis ergò in mundũ venerat, et ad Hierosolymæ ingratæ conspectũ lachrymas fundere dignabatur, non potuit non turbari, cùm discipulum & apostolũ suum in præsens exitium ruere videret. Adhæc doloris acerbissimi causam dedit scãdalũ, quod ex ordinis apostolici publica ignominia oriturum sciebat. Rectè ergo & meritò conturbatus est, ideoq; hunc suum affectum graui cum contestatione exprimit, dicens: Amen amen dico vobis, quòd vnus ex vobis prodet me. Et contestatione opus erat, cùm discipulis hoc incredibile fore sciret, sicuti paulò post audiemus. Nos autem hic obseruemus, Christo imprimis exosos esse hypocritas & ecclesiastici ordinis turbatores, omnes denique, qui aliquid aduersus illum hostiliter instituunt. Quòd si verò vnus Iudas conuiuium istud illi acerbum reddere potuit, quod tanto desiderio expectarat: quid hodie fieri putamus, quando plures Iudæ sunt, qui vel disciplinam ecclesiæ euertere, vel hanc totam dissipare conantur? Debent autem hunc Christi zelum imitari ecclesiarum ministri & qui in magistratu constituti sunt, vt hominum interitu ipsi quoque contristentur, & indignè ferant, si quos suis dolis ecclesias turbare, leges euertere & disciplinam omnem tollere vidẽt. Nam si hic ignaui sint & negligentes, nimis apertè testantur, se nec gloriæ Dei nec salutis publicæ aliqua cura teneri.

Discipuli attoniti se inuicem inspiciunt.

Quid verò discipuli, quando Christum insolito dolore turbari vident, & eius rei causam indignissimam audiunt? Aspiciunt se mutuò dubij de quo nam loquatur. Mouentur ergo rei indignitate: quia verò singuli se extra culpam esse sciebant, in aliorum vultu & gestibus signa quærunt, ex quibus proditorẽ agnoscant. Solent enim etiã sceleratissimi vel expallescere, vel rubore insolito perfundi, si scelera sua vel modicum argui aut perstringi sentiant. Simul autem elucet hoc loco simplicitas discipulorum & impudens Iudæ astutia: quando illi tot eius furta non potuerunt deprehendere, hic verò non hæc modò cælare potuit, verumetiam tam præsenti animo admonitiones istas reijcit, vt nullam hominis sibi malè conscij signum de se præbeat. Imò (vt Matthæus annotauit) discipulis reliquis Christũ ex ordine interrogantibus, ipse idem facere audet, quasi Christi oculos perinde vt hominum fallere queat. Fit hoc ipsum hodie frequenter. Vt enim Christo teste filij huius seculi prudentiores sunt in generatione sua quàm filij lucis: ita audacter etiam & minaciter se pijs opponere solent, & plerunque eos suis comminationibus protelant, si minus instructos esse vident. Sunt ergo in Iuda obseruandi impiorum hypocritarum mores, ne sua proteruia & temeritate nos terrifacti: quæ prorsus elumbis & nulla est, si se agnosci & à nemine timeri sentiant. At hic simul apparet, quale sit carnis ingenium, si quando scelera in genere accusantur. Tunc ferè singuli alios inspiciunt, & de illis agi putant, nemo autem in semetipsum descendit, vt videat, num quæ dicuntur ad se quoque pertineant. Quæ causa est, vt ij quoque minus emendentur, qui conciones sacras attenti audire, & ministrorum in dicendo libertatem prædicare solent. Imitentur verò discipulorum pietatem omnes Christiani nominis professores, & ijs moueantur quæ Christo & ecclesiæ eius incommodare vident. Magistratus item atrocium scelerum commemoratione excitentur, vt ea ipsis displi-

cere omnes intelligant. Quem affectum in Dauide adhuc reliquum fuisse constat, cùm ipse turpissimi adulterij simul & iniustæ cædis reus esset. Cùm enim parabolam de paupere & diuite sibi à Nathano proponi audisset, mox rei indignitate commotus exclamauit: Dignus est morte homo ille: & eam sententiam contra seipsum ferendo, sibi ad pœnitentiam viam strauit. At qui omnia ignauiter negligunt, in seipsis quoque grauissima scelera non obseruant, & ita tam sibiipsis quàm alijs interna authores sunt. Damnantur ergo hoc discipulorum exemplo, qui apertos Christi hostes in pretio habent, amicitiam eorum ambiunt, & illorum fraudes atque insidias argui iniquissimè ferunt. Sunt hodie multi, qui fidis quoq; ecclesiarum ministris negotium faciunt, si illi Pōtificum & episcoporum artes liberius arguere audeant. Sed ita propriam impietatem produnt, & quòd omnem Christi dilectionem iam pridem abiecerint.

Petrus & Ioannes in proditorem inquirunt.

Porrò Petrus pro suo more reliquis discipulis feruentior, Ioanni innuit, vt is Dominum de proditore interroget. Diligebatur enim ille à Christo præ alijs, & tunc super eius pectus recumbebat, ideoq; commodius & liberius quàm alius quisquam scisciari poterat. Vbi nos morem veterum nouisse oportet, qui in triclinijs supra lectulos seu toros semisupini accumbebant inter vtendum, sicq; fiebat interdum, vt in frequentiori conuiuio, alius alterius pectori propius incumberet. Non ergo quod de Ioanne scribitur, eius rusticitati aut immodestiæ (vt quidam fecerunt) sed communi mori & publicæ consuetudini tribui debet. Ioannes itaque Christum interrogat, clam nimirum, vt ex sequentibus colligi potest: & eidem Christus proditorem indicat, docens, sibi eorum fidem probari, qui in ecclesiæ turbatores & scandalorum authores seriò inquirunt. Interim ipse quoque occultius respondet, & verbis signum externum coniungit, dicens: Ille est, cui ego intinctam offulam dedero. Et cùm intinxisset offulam, dedit Iudæ, filio Simonis Iscariotæ. Non autem apertè hæc agit, vt simul omnibus proditor innotescat: quia hoc discipulis non profuisset quicquam, & turbas fortasse dedisset maiores, ex quibus scandalum maius oriri poterat. Ioanni tamen rem omnem patefacit, vt cæteri suo tempore ab eo instituí possent, & scirent ipsum nihil præter voluntatem passum, neque in re tanti momenti ignorantem aut improuidum fuisse. Præterea signo quoque vtitur, quo adhuc animum amicum & beneuolum ostendit, vt Iudæ conscientiam demulceat. Suo autem exemplo docet, qua prudentia & modestia nos in hostibus aut sceleratis arguendis vti conueniat. Videndum hic est ante omnia, ne quid eorum quæ agunt vel turpiter dissimulasse, vel etiam probauisse videamur. At simul cauere nos oportet, ne dum eos pro meritis suis tractamus, aliquid nobis indignum faciamus, & in ecclesia aut repub. turbas excitemus, ex quibus publicum aliquod malum oriatur. Memores ergo exempli huius, discamus patienter ferre ad tempus Zizania, ne cum his frumētum quoque euellamus. Quoad verò improbos illos, nihil officij admittere debemus, quo præfracti illorum animi emolliri & mitigari queant, si qua in illis veræ pietatis scintilla supersit. Hoc enim Christum in Iuda obseruauisse videmus, quàmuis se oleum simul et operam perditurum esse non ignoraret.

Satan post accepturn panem à Domino in Iudā ingreditur.

Scribit enim Euangelista, quòd post acceptam offulam, Satan in illum intrauerit. Id verò non nunc primùm factum fuisse putabimus. Lucas enim diabolum in eum introiuisse scribit, quando ad sacerdotes abiens Christi prodendi consilium cum illis iniit. Et huius Capitis initio audiuimus, diabolum iam ante in cor eius cogitationes & consilia immisisse, vt Dominum proderet. At cum ea Iudæ mens non omnino deploratæ malitiæ videri posset, & melioribus cogitationibus, quas spiritus sanctus & conscientia propria suggerebant, adhuc locum aliquem dedisset, nunc factum est, vt his omnibus explosis, quasi in vacuam possessionem Satan ingressus, totum occuparit & suum sibi fecerit mancipium. Id verò non propter offulam accidit, qua suam beneuolentiam & amicitiam illi Dominus quodammodo offerebat: sed quia illum nec admonitionibus nec gratiæ diuinæ symbolis flectere posse videbat Satan, & iam salutis suæ securum de solo lucro cogitare, tantæ occasioni deesse nolebat, totumq; in suam potestatem redegit, qui prius adhuc in bilibrio constitutus esse videbatur. Itaque vt D. Augustinus scribit, bonum erat quod accepit, sed malo suo accepit, quia malè bonum accepit. Id verò omnibus accidit, qui obstinato animo aduersus Dominum feruntur, vt ea verbi diuini admonitionibus & sacramentorum vsu deteriores fiant, & exitium ex eo sibi accersant, quo ipsis salutem Deus offert. Habet enim suos gradus impietas, per quos ad interitum pro-

pro-

pitium ascendit. Nam primò homines blandiusculè tentat satan, & quasi per cuniculos animis illorum sese insinuat, vt illis boni odium, vitiorum verò amorem instillet. Quòd si blanditias istas admittant, mox in aperta scelera ruere incipiunt. At si his verbi Dei contemptum coniungant, & propriæ etiam conscientiæ suggestionibus reluctentur, fieri non potest, quin totos satan occupet, cùm ipsi seipsis præsidijs denudent, quæ sola hostem illum profligare, nosq; in salutis via retinere possunt. His gradibus olim Cainus ad extremam impietatem ascendit, et per eosdem nunc Iudam quoque progressum videmus: quorum exempla proh dolor multi hodie sequuntur, qui religionem sibi quæstum faciunt, aut priuatas cupiditates verbo Dei præferre non verentur. Nos verò exemplis tam tristibus admoniti, Deum in verbo & conscientijs nostris loquentem audiamus, ne ipsi quoque incurabiles facti, à Christo & salutis consortio excludamur: quod Iudæ accidisse insequentibus narratur.

Nam hunc deploratæ & incurabilis contumaciæ hominem esse videns Dominus, ait illi: Quod facis, fac citò. Quibus verbis non iubet illum facere quod malum erat, multò minus ad illud faciendum hortatur: sed suo illum arbitrio & menti reprobæ permittens, suam manum ab illo retrahit, & indignum quo cum posthac aliquid agat, è suorum contubernio excludit. Perinde enim hoc est, ac si diceret: Quando ita lubet, facias per me licet quod vis, & pereas malè, quando nullã salutis medicinam admittis: Quin ocyus te ex meo & meorum conspectu proripis, ne tua præsentia sanctioribus studijs occupatos diutius remoretur. Sunt ergo hæc comminantis potius quàm hortantis verba, qualibus ferè parentes filios malæ frugis alloqui consueuerunt. Ad eundem verò modum omnes reiicit abs se Dominus, qui animos suos aduersus salutares verbi sui admonitiones indurare solent. Nam quod Iudæ hîc accidit, hoc ipsum toti Iudæorum genti comminatus est, quando dicit fore, vt regnum suum ad gentes transferatur, ipsi verò contemptæ gratiæ Dei pœnas dignas luant. Quod in illis iã per annos circiter mille quingentos impleri constat: quando per totum orbem dispersi nullis legibus continentur, quò minus suas in Christum blasphemias expuant, interim verò omnibus modis miseri malè pereunt. Nimis ergo stultè faciunt, qui ex eo sibijpsis felicitatem pollicentur, si nemo illis in omne flagitiũ ruentibus monendo aut corripiendo molestus sit, neque vident ipsis tũc idem accidere, quod equis, qui fræno excusso per præcipitia ruunt, aut alijs modis sibi exitium afferunt.

Christus Iudam suo permittit arbitrio.

Sed ad discipulos redeamus, quorum nemo intellexisse dicitur, in quem finem Christus hoc Iudæ dixisset. Et paucos etiam hodie inuenimus, qui hypocritas, nocentissimos ecclesiæ hostes, ex signis quantumuis euidentibus agnoscere possint aut velint. Ergo quiduis aliud, quàm hoc quod res erat, cogitant: & ex re præsenti occasiones petunt hæc verba interpretandi. Nam alij de ijs coemendis locutum putant, quæ ad festum erant necessaria. Etsi enim iam nunc epulum paschale comedissent, durabat tamen festum illud diebus aliquot, quibus panes infermentatos edebant, quos propter ferias continuas prius parari necesse erat. Alij verò de pauperibus hoc dictum arbitrantur, vt hos aliquo donario iuuet ex communi pecunia, cuius dispensator ille erat constitutus. Sunt autem hoc ingenio præditi pij, vt quæ non intelligunt, in meliorem sensum accipiant. Est enim charitas minimè suspicax, à qua alienissimos se esse produnt, qui præter causam grauem de quibusuis etiam optime meritis sinistras suspiciones concipiunt. Abuntur quidem hac piorum simplicitate impij: tutius tamen est spe bona decipi, quàm iniquis suspicionibus homines innocentes in famæ aut vitæ periculum adducere.

Discipulorum ignorantia.

At quia discipuli hæc cogitandi occasionem ex eo sumpserunt, quòd Iudæ marsupium aut ærarij sui curam Christus credidisset, admonet locus hic, vt de ecclesiæ opibus aliquid dicatur. Obseruauit enim hoc olim etiam D. Augustinus, cuius verba recitare libet propter eos, qui simpliciter omnes opes cum publicas tum priuatas damnare consueuerunt. Habebat ergo (inquit) & dominus locuios, & à fidelibus oblata conseruans, & suorum necessitatibus & alijs indigentibus tribuebat. Tunc primùm ecclesiasticæ pecuniæ forma est instituta, vbi intelligeremus quod præcepit non cogitandum esse de crastino, nõ ad hoc fuisse præceptum, vt nihil pecuniæ seruetur à sanctis, sed ne Deo uidens ait: Si quis fidelis habet viduas, sufficienter tribuat eis, vt non grauetur ecclesia, quò veris viduis sufficere possit. Hæc Augustinus. Ex quibus primò apparet, nec rerum proprietatem, neque

Opum ecclesiasticarum origo & ratio.

ecclesiasticarum opum asseruationem in scripturis damnari. Habuerũt enim sancti patriarchæ quoq; maximas, quæ ipsis ex Dei benedictione obtigerant, & in nouo testamento inter Christi amicos & discipulos fuerunt Ioseph us ab Arimathæa, Lazarus Bethanienſis, Nicodemus & plures alij præclari & diuites, quorum in Actis fit mentio, & quos nemo apostolorum propterea damnandos putauit. Communes verò opes ecclesia semper habuit, vt idem Actorum liber testatur. Habuit autem illas ex credentium liberalitate, vnde sua quoque Christum accepisse, supra capite duodecimo vidimus: & Lucas capite octauo mulierum meminit, quæ illum suis facultatibus sustentarint. Spontaneas autem fuisse istas contributiones ex ijs patet, quæ Petrus Ananiæ & Sapphiræ dixit, cum ex agri venditi pretio aliquid sibi reseruassent, totum verò attulisse videri vellent. Dicit enim: Nonne si seruasses prædium, manebat tibi, & venundatum in tua erat potestate? Quod verò vsum opum istarum, hunc suo exemplo nobis Christus tradidit. Apparet enim ex discipulorum cogitationibus, ipsi morem fuisse, vt tam sibi quàm discipulis inde quæ ad victum necessaria erant emeret, & simul ex sua tenuitate pauperibus quoque benefaceret. Hic ergo legitimus opum ecclesiæ vsus est, vt ea parentur, quæ ad illius conseruationem faciunt: inter quæ primum locum doctrinæ & eius ministris deberi, nemo pius ignorat. Doctrinæ item scholæ inseruiunt, quarum curam olim prophetarum habuisse scimus, & apostolorũ tempore celebris fuit Antiochena ecclesia propter scholam, ex qua veluti præcones industrij & exercitati ad exteras gentes magno cum fructu prodibant. Pertinent eidem templorum, scholarum & domuum ecclesiasticarum ædificia, quæ cum publicis ecclesiæ vsibus inseruiant, ex publicis quoque eius opibus extrui & instaurari debent. At quia ecclesiæ pars non postrema sunt pauperes, hi quoque ex eisdem bonis ali debent: & ne priuatæ beneficentiæ occasio tollatur, singuli priuatim quoque in publicum conferant, prout opus fore viderint, ne egestatis publica exempla fiant, qui eiusdem corporis nobiscum membra sunt sub capite Christo, qui hos nobis peculiari præcepto commendauit. Hæc nunc breuiter perstringimus, quia alibi plura dicta sunt, & sæpe adhuc eidem dicendi locus occurrit. Curent modò qui bonorum ecclesiæ dispensatores sunt, ne ea in alios vsus transferendo Iudæ socij fiant. Quod si fecerint, ministrorum fuerit eos arguere, magistratum verò illorum sacrilegia pœnis dignis coerceant, ne paucorum peccatum in multos redundet.

Iudas à Christo & discipulis discedit.

Restat postrema huius loci pars, qua Iudas accepta offula statim exiuisse dicitur: nimirum a Satana impulsus, qui ferre nequit, vt sanis admonitionibus in viam reuocẽtur, quos ipse semel peruersos abripuit. Similia exempla in illis habemus hodie, qui ex sacris concionibus ceu canes fugibus cæsi è culina profugiunt, si quando liberius corripiuntur. Noctem verò tunc fuisse euangelista annotauit, vt animi in scelus ruentis ardorem exprimat, quem nec tenebræ nocturnæ impedire potuerunt. Solet hic in illis maximus esse, qui seipsos diaboli & peccati seruitio addixerunt: cum contra frigidissimi simus in ijs, quæ nobis ex Dei mandato facienda iniunguntur. Neque tenebras verentur impij, sed eas quærunt potius, vt sua facinora facilius occultent. Et ita fieri conuenit, vt tenebrarum potestate eos armatos esse omnibus constet, quod Christus ad se capiendum egressi quasi Lucam liberè exprobrat. Sed habebunt hi omnes digna suæ militiæ stipendia. Nos dominum nostri Iesu Christi bonitatem agnoscamus, quam hoc loco infinitis argumentis declarauit, vt illam vera fide amplexi in eodem viuamus, cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

HOMILIA CXXVIII.

Cùm ergo exisset, dixit Iesus: Nunc glorificatus est filius hominis, & Deus glorificatus est in ipso. Quòd si Deus glorificatus est in eo, etiam Deus glorificabit eum in semetipso, & statim glorificabit eum. Filioli, adhuc pauliſper uobiscum sum: quæretis me, & quemadmodum dixi Iudæis, quò ego uado uos non potestis uenire, etiam nũc dico uobis.

Non

NON temerè neque sine graui ratione Dominus noster Iesus Christus quondam Ioannis Baptistæ discipulis ad se quærendum missis dixit: Beatus, qui in me non offenditur. Quia enim natura gloriæ huius seculi & temporariæ felicitatis appetentes sumus, fieri non potest, quin crucis ignominia & afflictionibus offendamur, quæ in ipso pie viuere volentibus imminent, quàm primùm carnis nostræ rationem audimus. Itaque tam discipulis suis, quàm nobis omnibus consultum volens Christus, multa morti suæ præmisit, quæ crucis scandalum remoueant. Huc enim pertinet, quòd illa discipulos sæpius admonuit, quòd se voluntarium in mortem iturum prædixit, quòd miraculosa Lazari resuscitatione se mortis & vitæ imperium habere ostendit, & alijs infinitis signis diuinam suam virtutem declarauit. Quibus omnibus nuper accessit actio, quam cum Iuda proditore instituit, vt ostenderet nihil sibi inscio & præter animi voluntatem euenturum, & se eum ipsum esse, quem ista propter generis humani redemptionem passurum esse, olim prophetæ prædixerint. Et de his quidem Iuda adhuc præsente disseruit, quia de illis eum admoneri oportebat, vt de sceleris sui atrocitate cogitaret & inexcusabilis fieret. Nunc autem illo egresso, reliquos discipulos diligentius consolatur, & mortis suæ mysterium ita exponit, vt omne scandalum procul è medio auferat, quando illa tam sua ipsius quàm patris gloriæ seruitura sit. Quia verò istam tractationem in Iudæ discessum vsque reseruauit, suo exemplo docet, fidei & regni sui mysteria sic tradi debere, ne indignis temere proposita, ab ipsis ludibrio habeantur. Quod alibi euidentius præcipit, ne sanctũ canibus proijciamus, aut margaritas porcis substernamus. Audiant ergo hunc Christi sermonem, qui se huic totis animis consecrarunt, & eo confirmati crucis ignominiam contemnere, & ad omnem euentũ constantiam fidei retinere discant.

Principiò, qui paulò ante toto animo conturbatus cum Iuda proditore egerat, nunc quasi victor triumphans atq; exultans ait: Nunc glorificatus est filius hominis, & Deus glorificatus est in ipso, &c. Præteritis vtitur pro futuris, vt rei mox conficiendæ certitudinem exprimat, perinde ac si medicus aut chirurgus decumbente adhuc ægroto certa sanitatis signa videns exclamet: Nunc sanus factus est, nunc morbi vim natura superauit. Hæc autem dicendo Christus discipulos à tristi et scandalipleno mortis suæ spectaculo ad illius fructum reuocat, vt ex huius consideratione ipsi quoq; animos nouos colligant, inq; ipsius victoria atq; triumpho exultent. Et quia incredibile erat, ex ignominiosa crucis morte gloriam aliquam secuturam esse, argumento certo & infallibili hoc dictum suum probat, cùm addit: Et Deus glorificatus est in ipso: Quòd si Deus glorificatus est in eo, etiam Deus glorificabit eum in semetipso. Petitur autẽ argumẽtum ex Dei iustitia & promissione, quam olim per prophetam promulgauit: Glorificantes me glorificabo, &c. 1 Sam. 2. Et ita concludit Dominus: Quicunq; Deum glorificant, ij ab illo vicissim glorificabuntur. At in me & in morte mea Deus glorificatur. Ergo me hic quoq; glorificabit: ideoq; vos meæ mortis ignominia nequaquam offendi debet, quæ gloriæ maximæ causa atque materia futura est. Quia verò discipulos propter animorum consternationem moræ impatientes fore sciebat, addit: Et statim glorificabit eum. Vt autem hæc rectius intelligantur, & maiorem consolationem nobis afferant, inquirendum fuerit, quomodo in morte Christi glorificatus sit Deus, & vt hic vicissim filium glorificauerit.

Christus morte sua glorificatus eadem patrem quoq; glorificat.

Quoad Christum & mortem eius, glorificauit is patrem primò sua obedientia, qua seipsum exinaniuit & humiliauit ad crucis ignominiam vsq;, vt æterno illius decreto satisfaceret. Vt enim principum maiestas in populi & subditorum fide atque obedientia maximè elucet, & parẽtum præcipua gloria sunt obedientes & ad omne obsequium parati filij: Ita Dei patris maiestas & summum in omnes creaturas imperium in hac filij sui vnigeniti obedientia clarissimè cernitur. Deinde in Christi morte pater glorificatus est, quia in eo ceu in speculo omnia ea coràm videntur, quæ Dei cognitionem in nobis pariunt. Etsi enim omnia eius opera eiusmodi sint, vt ex illis agnosci queat, nullum tamen excellentius eo est, quo filium suum in mundum misit, vt homo factus mortis suæ merito miseros mortales redimeret & saluos faceret. In eo enim iustitia ipsius integerrima cernitur, quæ ad hominum peccata adeò non cõniuet, vt ea filij indigna morte expiari voluerit. Vicissim eiusdẽ immensa bonitas elucet, quæ illum mouit, vt nostri misertus, filium in mortem tradiderit. Veritatis autem & fidei diuinæ argumentum infallibile est, quòd ijs etiam promissis deesse noluit, quæ non aliter quàm ignominiosa filij dilectissimi morte præstari poterant. Ita sapientiæ opus singulare fuit, quòd

Quomodo Christus patrẽ glorificauerit.

eam salutis nostræ rationem inuenit, qua & iustitiæ satisfieret, & simul locum haberet gratia, qua nos saluos esse volebat. Omnipotentiam verò inuictam declarauit, quando per earnẽ nostram, quam filius assumpserat, peccatum, mortem, inferos omnemque aduersariam potestatem debellauit, & veteris illius serpentis diaboli caput contriuit. Qui enim ista potuit in carne mortali & misera manifestatus, quid quæso non poterit, si de cœlo fulminet, & suæ maiestatis vires apertè proferat? Hæc ergo quia in Christi morte elucent, rectè dicitur, quòd per eam Deus glorificetur. Nam qui ista in illa agnoscunt, his se totos ei consecrant, illum timent, illi fidunt, & eidem intrepidè seruiunt. Accedit his, quòd Christus mortis suæ merito homines Deo reconciliauit gratiæ diuinæ vultum nobis aperuit, & per euangelij prædicationem filios Dei, qui (vt supra capite vndecimo dictum fuit) miserè dispersi erant, collegit, & ad verum Dei cultum adduxit. Possent hæc fusissimè exponi & diduci, sed nos summa modo rerum capita percurrimus, vt argumenti veritas, quo hic Christus vtitur, magis eluceſcat.

Vt pater filium glorificauerit.

Quia verò ad hunc modum Deus in Christo & morte eius glorificatus est, ille vicissim suæ iustitiæ & promissionis memor, hunc quoque glorificauit, & quidem continuò, sicuti in sequenti dicitur. Cæpit enim glorificatio Christi in ipsa cruce, quando illo inter latrones suspenso Sol radios suos contraxit, velum templi scissum est, terra immani motu tremuit, petræ dissiluerunt, sepulchra aperta facta, & multorum animi ita consternati sunt, vt publicè Dei filium esse faterentur, cui paulo ante plus quàm scurrili dicacitate illuserãt. Quid quòd Pilatus publico scripto supra caput crucifixi apposito, hunc regem Iehudim, id est, verè credentium & cultorum Dei esse testatus est, neq; postea cum monitis se moueri passus est, vt scriptum illud mutaret? Nec parum fecit ad asserendam eius gloriam sepultura, quæ ipsi admodum honorifica obtigit, & in qua Senatorij ordinis viri, Ioseph & Nicodemus, innocentiæ illius testimonium tulerunt. Secuta mox est resurrectio gloriosa, in qua angeli cœlo delapsi suum illi obsequium præstiterunt, & terra nouo motu concussa redimium exhibuit, quem prius cum horrore intra viscera sua receperat; custodes autem eius splendore primùm consternati, deinde verò primi resurrectionis illius testes facti sunt. Inde verò in cœlũ receptus carnem quoque suam æterna immortalitate donatam ad Dei patris dexteram collocauit, vbi cælestis gloriæ consors viuit & regnat. E cœlis autem missus Spiritus sanctus apostolos varijs iam donis instructos excitauit, vt euangelij prædicatione omnes gentes ad fidem Christi adducerent, vt in toto orbe agnosceretur Dei filius & humani generis redemptor, quem Iudæi paulò ante tanta cum ignominia necarant. Et durat hæc Christi gloria in hunc vsq; diem, & in finem seculi vsq; in terris quoq; durabit, quando ecclesia inter medios hostiũ conatus atq; furores perpetuò seruabitur, donec olim abolita huius mundi corruptibilis machina, suos ad se colliget Christus, impios verò regni sui hostes æternis ferorum cruciatibus adiudicabit. Sunt hæc totius scripturæ sacræ testimonijs confirmata, quæ cum passim occurrant, longiori demonstratione non est opus. Hæc ergo inter mortis suæ recordationem simul animo voluens Christus, in tam lætas voces erupit, quibus discipulos simul & nos omnes excitat, vt gloriæ eius consideratione confirmati, crucis ignominia nequaquam offendamur.

Quid in mortis articulo fieri debeat.

Cæterùm quod de seipso dicit Christus, hoc singuli ad se transferre debent, vt discant, quid in mortis articulo fieri debeat. Est hæc carni terrifica admodum, & Dominum quoque eius recusatione conturbatum fuisse audiuimus. Vt verò is in gloriam, quæ mox secutura erat, respexit, & ea contemplatione seipsum simul & discipulos consolatus est; ita nos quoq; animi oculos à mortu horribili specie vlterius in gloriã, quæ nobis in cœlo reposita est extendere conuenit. Ibi enim (vt propheta ait) præparauit Deus diligentibus se, quæ oculus non vidit, neque auris audiuit, & quæ ne mente quidem verè & perfectè concipi possunt. Nec decet, vt quorundam scurrilibus dictis decepti de horum certitudine dubitemus. Quod enim propheta dixit, hoc ipsum Christus sua authoritate confirmat, quando suos eò venturos ait, quò ipse profecturus sit, vt ad suam mensam edant in regno patris sui. Hoc argumento olim Iobus seipsum consolatus est, & Paulus ideo dissolui & cum Christo esse cupiebat, quòd sciret apud eum repositam sibi esse coronam iustitiæ, quæ omnibus debetur, qui aduentum ipsius glorioſum desiderant. Eoque firmior atque efficacior apud nos esse debet consolatio ista, quòd absque mora in felicitatem hanc transeunt animæ piorum, quàm primùm hoc corporis mortalis ergastulo solutæ fuerint. Supra enim dixit Dominus capite quinto: Qui audit verba mea, et cre-

dit

dit ei qui misit me, habet vitam æternam: & in iudicium non veniet, sed à morte transiuit in vitam. Neque nos terreat afflictionum diuturnitas, quæ reuera nulla est, quando vitæ curriculũ breuissimo spatio terminatur: sed potius gaudij fucuri & nunquam finiendi æternitas omnem huius seculi terrorem mitiget.

Qui Deum glorificant, ipsi quoq; glorificabuntur.

Debet præterea generalis doctrina ex hoc Christi argumento peti, quòd omnes ij gloriam & honorem à Deo consecuturi sint, quicunque ipsum glorificarint. De hoc enim generalem promissionem olim datam esse, supra diximus. Glorificatur autem Deus præcipuè per fidei obedientiam, qua nos totos ipsius voluntati subijcimus, & ad quæuis ipsius nomine facienda aut ferenda parati sumus. Admonet nos de hoc orationis dominicæ ordo. Cùm enim primo loco petamus, vt nomen Dei in nobis sanctificetur, mox subijcimus: Adueniat regnum tuũ, Fiat voluntas tua, sicuti in cœlo etiam in terra. Quod qui ex animo faciunt, ij Deo iustitiæ, veritatis, sapientiæ & bonitatis testimonium deferunt, dum ad voluntatis diuinæ præscriptũ vitam suam omnem componunt, simulque suo exemplo multos alios ad Dei cognitionem & verum cultum adducunt: & in afflictionibus admirabili constantia fidei omnes excitant, vt Christi mysteria ipsi quoque scrutentur, et cum illo cõiungi cupiant, cuius tantam virtutem in credentibus conspicantur. Cupit quidem mundus infelix tales omni ignominia obruere & funditus delere: sed nihil aduersus Deũ proficit, qui suos honore & gloria coronare decreuit. Sunt hæc exemplis infinitis ab ipso mundi exordio confirmata. Voluit Abeli memoriam & nomen tollere Cain, sed sibijpsi quidem perpetuam infamiam peperit, illius autem gloria publicè vbique terrarum celebratur. Sic aduersus Dauidem quàm plurimi insurrexerunt, qui primò illum à regno excludere, deinde ex illius solio deturbare conati sunt. At quia Dei cultor erat fidelis, eiusque gloriam seriò promouebat, illorum quidem conatus in fumum abierunt, ipse verò victorijs & regni potentia illustris factus est. Idem Ezechiæ accidisse constat, & alijs nonnullis, qui istorum vestigia secuti sunt. Debent in hoc catalogo recenseri prophetæ, apostoli & omnes vtriusq; testamenti Martyres: quos olim quidem impij omni ignominia affecerunt, at eorundem animæ in cœlis viuunt, memoriam verò in terris seruauit Deus, quæ apud eos etiam in pretio habetur, qui ab illorum fide sunt alienissimi. Ista ergo sibi applicent, quotquot sibi authoritate opus esse vident. Queruntur de collapsa principum existimatione & Senatorij ordinis maiestate, qui in magistratu sunt constituti. Eadem parentum de suis liberis, herorum de seruis, maritorum de coniugibus querela auditur. At quæ huius mali causa sit, mox apparebit, si quàm frigidi sint omnis loci & ordinis homines in asserenda Dei gloria, consideremus. Cur ergo suæ gloriæ contemptores Deus honore aliquo exornaret, qui potius omne genus ignominiæ merentur? Quòd si illi zelum sanctum animo conceperint, mox suam quoque authoritatem sibi augeri sentient. Quod verò de istis dicimus, hoc ad verbi quoque ministros pertinet, qui etiã ipsi ferè in minori pretio sunt, quòd frigidiores sint in ijs, quæ ad Dei gloriam quàm maximè pertinent.

Discipulis prædicit propinquam mortem.

Porrò ne hæc Christi verba ex carnis sensu discipuli acciperent, apertius de sua morte loquitur, & quid ipsi passuri sint admonet, vt ad quæuis aduersa fidei constantia armentur. Sunt autem verba eius admodum pathetica, quò altius animis ipsorum insideant. Filioli (inquit) adhuc pauliſper vobiscum sum, & cæt. Filiolos vocat, vt & ipsos suæ infirmitatis admoneat, qui pupillorum instar tutore & protectore opus habeant, & sibi eos cordi esse ostẽdat. Estque in blandis hisce vocabulis obseruanda diligenter Dei bonitas, qua nos in Christo filio suo complectitur. Quos enim hîc filiolos dicit, alibi fratrum nomine dignatur: & titulos istos ad omnes, qui credunt in ipsum, extendi debere, ipse non vno loco admonet. Ex ipsius certè iussu clamamus, Pater noster, qui es in cœlis, &c. Et infra illum dicentem audiemus: Nõ pro hisce modò discipulis oro, sed pro omnibus, qui per sermonem eorum in me credent. Hinc ergo colligamus, nos etsi in mundo hoc inter medios hostes exulemus, non tamen orphanos & omni præsidio destitutos fore. Quomodo enim eos negligat Dei filius, quos filiolorum & fratrum loco habet, & cum quibus se mansurum promisit vsque ad consummationem seculi? Quòd si filij & fratres sumus, vtiq; hæredes quoq; erimus: hæredes quidem Dei (vt Paulus ait) coheredes autem Christi. Interim nostri officij esse cogitemus, vt nominibus istis respondeamus, ne quando ex ore proprio iudicemur, quando à filiorum Dei & fratrum Iesu Christi ingenio atq; moribus alieni deprehendemur.

Discipulis quid passuri sint, prædicit.

Quid verò istis dicit Dominus? Adhuc paulisper vobiscum sum, & cæt. Id verò de corporis sui præsentia et corporali in terris cõuersatione dicit, quæ breui finem suũ sit habitura. Ita enim ipse hæc verba exponet, quando se posthac in mundo fore negabit. Tunc ergo quæretis me, nimirum quando grauissimis afflictionibus circunuenti cupietis vel mea præsentia corporali frui, vel ex corpore hoc exire, & mecum in cœlis viuere. Sed quod aliâs Iudæis dixi, id vobis nunc dico, quòd non poterunt adhuc eò venire, quò ego abiturus sum. Prius enim vestrum etiam cursum vos absoluere, & mali huius seculi plenè defungi oportebit. Repetit autem quæ supra Capite septimo Iudæis dixerat, sed non eodem sensu. Iudæus enim repudium minatus fuit, & quòd in extremis calamitatibus bellum cum ululatu Messiam olim promissum quæsituri sint, quem nunc sese ipsis benignè offerentem, impiè reijciant. Discipulos autem de his admonet, vt tædium moræ illis mitiget, ne intempestiuo et præcipiti desiderio abrepti, cursum sibi à Deo propositum ante tempus abrumpere velint, sed patienter ferant in finem vsque, quicquid illis Deus imposuerit: simul etiam excitat, vt quando præsentia sua non semper frui possint, attentius nunc omnia obseruent, vt postea in aduersis melius instructi sint.

Quæ eorum cõditio sit, quos sua præsentia Christus destituit.

Continent autem hæc quoq; Christi verba generalem doctrinam: Quæ nimirum eorum sors sit aut quæ conditio, quos sua præsentia vel modicum Christus destituit. Sentiunt tunc demum quam fidum in hoc præsidium habuerint, & eum anxiè quærunt, cuius quando præsens erat, non adeo magnã rationem habebant. Estq; hoc magnum corruptionis nostræ argumentum, quæ in sanctis quoque interdum cernitur. Discipulos certè constat minus diligenter obseruauisse Christi beneficentiam, quando cum ipsis agens eos aduersus hostium insidias tuebatur, et necessaria omnia liberaliter præbebat, vt nihil vnquam ipsis defuerit. At ijdem procul dubio postea non sine profundis gemitibus condemnis istius pristinæ recordati sunt, quando egeni hinc inde peregrinabantur, algebant, esuriebant, et in persecutionibus omne genus malorum sufferebant. Ita hodie pauci dignè æstimant Christi beneficium, quando per verbum suum nobis coràm loquitur, nos de rebus agendis admonet, & in tentationibus fidelissimè consolatur. At quando ijdem doctrina hac destituti, vel in conscientiæ tentationes incident, vel falsis doctoribus ludibrium aut præda fient, tunc haud dubiè acerbo desiderio tam libertatem fidei requirent, quam modò vel ingrati negligunt, vel impij nimis quauis seruitute durorem putant. Minatus est tale quid Amos propheta Iudæis, sic per illum loquente Domino: Ecce dies venient, & mittam famem in terram, nõ quidem famem panis, aut sitim aquæ, sed audiendi verba Dei: Et oberrabunt à mari ad mare, & ab Aquilone vsque ad Orientem vagabuntur quærentes verbum Domini, nec inuenient, &c. Impleta sunt in Iudæis, & vtinam eorum diligentius memnissent, qui hodie otio & pace abundant, donis autẽ Dei tam salutaribus impiè abuntur. Inuenerunt ex eo consolationem petant pij, quòd non omnem spem liberationis Christus adimit. Etsi enim non ipsum sequi non possunt, sequentur tamen suo tẽpore, vbi suæ vitæ cursum absoluerint, in quo spatijs momentis aliquò vsque proficiunt. Curent modò vt hunc sibi suorum studiorum scopum & propositum habeant, vt Iesu Christi vestigia secuti, illum tota vita referant, & olim ad illum in cœlesti patria colligantur: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

HOMILIA CXXIX.

Præceptũ nouum do uobis, ut uos inuicem diligatis: sicut inquam dilexi uos, ut etiam uos alij alios diligatis. Ex hoc cognoscent omnes, quòd discipuli mei sitis, si charitatem habueritis alij in alios. Dicit ei Simon Petrus: Domine, quò abis? Respondit ei Iesus: Quò ego abeo, non potes me nunc sequi, sequêris autem postea. Dicit ei Petrus: Domine, quare non possum te sequi nunc? animam meam pro te ponam. Respondit ei Iesus: Animam tuam pro me pones? Amen amen dico tibi, non canet gallus usquequò me ter abnegaueris.

QVemadmodum præcipua mortis Iesu Christi causa est dilectio, qua is miseros nos complexus est: ita dilectionẽ istam tunc maximè quàmplurimis argumentis testari voluit, quando

do mortis horam instare sciebat. Inter quæ non postremum est, quòd pij parentis instar discipulos de omnibus iis amicè admonet, quæ ipsis cognitu & obseruatu necessaria erant. Et primò quidem, quia sui discessus mentionem fecerat, quem illis non acerbum modò, verumetiam scandali plenum fore sciebat, ostendit illum sibi & patri glorioſum fore, & proinde crucis ignominia neminem offendi debere. Deinde de periculis, quæ ipsis imminebant, tectius illos admonuit, vt ad diligentiorem eorum quæ dicebantur, considerationem eos excitet. Sequitur nunc locus præsens, quo primùm docet, quid ipsi interea facere, & quam vitæ suæ in hisce terris rationem sequi debeãt. Deinde occasione per Petrum oblata, periculum illis apertius prædicit, vt sibi præparatione diligenti & inuicta fidei constantia opus esse intelligant. At hic nos meminisse oportet, generalẽ nobis à Christo doctrinam proponi, quã necessariò sequi oporteat omnes, qui salutis per ipsum acquisitæ participes fieri volũt. Quia enim ex hoc mũdo discessurus suos discipulos et sectatores mandatis instruxit, satis euidẽter apparet, illum nostri curam non deposuisse, & olim rediturum esse, vt à nobis omniũ quæ fecimus, rationem exigat. Ita ergo in huius loci consideratione versemur, vt nobis dicta putemus, quæ ille discipulis tum temporis dixit.

Dilectionem mutuam Christus præcipit.

Quod primum sic ait: Præceptum nouum do vobis, vt vos inuicem diligatis: sicut inquam dilexi vos, vt etiam vos alij alios diligatis. Sunt verba hæc clara per se, nec quoad literam multa expositione opus habent. Dilectionem enim mutuam illis præcipit, & huius præceptum nouum dicit, non quòd nullum antea fuerit, sed propter nouum modum, quo illud promulgatur, & exempli nouitatem, quo eius rationem explicat. Scimus enim in Lege etiam olim dictum fuisse: Diliges proximum tuum, vt teipsum. Et prophetæ paſsim dilectionem mutuam præcipiunt, & sui seculi homines propter neglecta eius officia grauissimè reprehendunt. Nõ ergo nouũ per se & hactenus inauditum est præceptum hoc, sed nouo modo proponitur & nouo filij Dei exemplo commendatur, quod veteribus non plenè cognitum fuit, licet in illius aduentum omnes illi respicerent. Lex enim nos dilectionis modum siue regulam ex nobis ipsis petere iubet, dum ait: Diliges proximum tuum, vt teipsum. At Christus altius quiddam & præstantius præcipit, vt nimirum proximos diligamus ad ipsius exemplum, qui nos magis quàm seipsum dilexit, sicuti ex eo apparet, quòd cũ esset in forma Dei, propter nos homo fieri, huius vitæ molestias subire, & tandem vitam suam pro nobis profũdere dignatus est. Huius autem nos admonet in præsenti, vt simul præceptum hoc, quo nullum in huius vitæ curriculo magis necessarium est obseruatu, nobis à nouitate commendet. Solet enim ferè maxima legum esse authoritas, quando primùm promulgantur, & eædem postea longiori temporis progressu in contemptum veniunt, aut etiam omnino tolluntur ex hominum memoria. Vult ergo ne quid huius fieri patiamur in hoc mandato suo, sed illud semper nouum aut recens, & proinde obseruatu necessarium putemus.

Cur dilectionẽ præcipiat.

At nobis nunc primò videndum erit, cur omissis multis alijs, quæ in scripturis præcipiuntur, solam dilectionem ipsis commendet. Potest huius rei causa prima assignari ex re præsenti, de qua paulò ante Christus cum discipulis egerat. Nam hortatus fuit, vt deposita regni terreni cupiditate & ambitionis affectu, quo illos laborare videbat, humilitati studeãt, & omni officiorum genere sibi inuicem seruiant. Quia autem hæc sibi nunquam persuaderi patiuntur homines, nisi dilectionis vinculo inter se constringantur, de hac præceptum singulare dari oportuit. Deinde vt breuem piè & Christianè viuendi rationem præscriberet, charitatis studium cõmendat, qua præcepta Legis omnia continentur, & quæ virtutum omnium quasi materatque origo est. Docet hoc Paulus, qui ad Romanos capite decimo tertio sic scribit: Nemini quicquam debeatis, nisi hoc vt alij alios diligatis. Nam qui diligit alterum, legem expleuit. Siquidem illud, Non mœchaberis, Non occides, Non furaberis, Non falsum testimonium dices, Non concupisces, & si quod aliud est mandatum, in hoc sermone summatim comprehenditur, Diliges proximum tuum sicut teipsum. Charitas proximum non afficit malo; consummatio itaque Legis est charitas. Quibus adde quæ idem Paulus in priori epistola ad Corinthios capite decimo tertio, in charitatis laudem multis exponit, & mox videbis, Christum nihil huic præcepto non abrogare alias virtutes, sed summatim omnia complecti, quæ alibi fusius explicantur. Præterea cùm de eo admonere voluerit, quod filios Dei & suos discipulos maximè deceat, non aliud mandare debuit, quàm quòd cum Dei ingenio et ipsius exemplo imprimis conuenit.

Est autem Deus ipsissima charitas, cuius thesauros in omnes creaturas liberalissimè effundit, dum quotidie seruat, alit, solemq; suum & pluuias tam bonis quàm malis communicat: sed & Dei filium, in carne manifestatus, absolutissimum summæ dilectionis & mansuetudinis exemplũ nobis præbuit. Meritò igitur hoc præceptum præ multis alijs commendat.

Dilectionis modus & regula.

Quia autem caro nostra pro philautiæ omnibus innatæ ingenio in hac re admodum ingeniosa est, & nouas quotidie rationes excogitat, quibus sese excuset, quò minus charitatis officia indigentibus præstare cogatur: modum & regulam dilectionis talem præscribit Dominus, quæ omnia comprehendit, quæ de hac re dici possunt, simulq; omnes rationes confutat, quas suipsius amantes protexere consueuerunt. Suum enim exemplum proponens ait: Sicut ego dilexi vos, ita vos alij alios diligatis. Videamus ergo quos nam dilexerit Christus, quomodo item dilexerit, & quousq; Quod ad primum, ante omnes alios discipuli occurrunt, quos ex toto mortalium genere selectos amore singulari complexus est. At si videas, qui & quales illi fuerint, isto amore & honore omnino indigni fuisse deprehendes. Nam vt de vili & abiecta eorum conditione nihil dicamus, peccatores fuisse constat, qui alijs affectibus occupati, de Christo ne quidem cogitauissent, nisi hic illos sua gratia præuenire dignatus esset. Ideo illis infra dicet: Non vos me elegistis, sed ego elegi vos. Atqui eadem est omnium nostrũ conditio. Cùm enim ouium instar oberraremus, & non peccatores modò, verum etiam inimici Dei & filij iræ essemus (vt scriptura loquitur) dilexit tamen nos Dei filius, & pro nobis homo factus causam nostram suscepit, vt saluos faceret. Quòd si spectes, quomodo suos dilexerit, minimè fucatum fuisse amorem istum videbis. Dilexit enim non verbis, sed reipsa & operibus. Nam beneficia in illos infinita contulit, cura plus quàm paterna eis prospexit, vt nihil vnquam illi defuerit, quod in vltima Cœna illos confessos fuisse Lucas scribit: seruauit item in periculis, ne quid mali paterentur, etsi in medio hostium viuerent. Imò cum ad montem olueti se vndiq; hostilibus armis circundatum videret, suorum tamen rationem habuit, eosque vnico dicto liberauit, dum quæritis, sinite hos abire. Adhæc illorum vitia patientissimè tulit, vt minimè reijciendos putaret, quos rerum cœlestium rudes & affectibus prauis deditos, ad eũdem lapidem subinde offendere videbat. Quousq; autem ista dilectio progressa est? Ad mortẽ vsq;, cuius neq; ignominia neq; terribilis species ipsum absterrere potuit, quò minus vitam atque sanguinem pro nobis funderet. Et quod tum fecit, quando discipulis suis conuersatus est, hoc ipsum hodie nobis facit, quorum infirmitatem clementer sustinet, quos inter medios hostes tuetur, quos bonis corporalibus & spiritualibus donat, & indignissimis licet suæ mortis meritum quotidie offert, vt in ipso salutem cõsequamur. Ad hunc ergo modum nos quoque charitatem fraternam exercere conuenit. Et primò quidẽ diligenter cauendum est, ne quem dilectione nostra indignum putemus, siue ille pauper seu dives, doctus aut indoctus, illustris vel obscurus sit. Quia enim absque personarum respectu nos dilexit Dei filius, minimum insolentes sunt, qui aliquem contemnere aut negligere audent. Etenim Christiana charitas in Deum intenta, neminem contemnere potest, quem Dei filium esse, & nobis ab illo commendatum esse audit. Non ergo qualis quisque sit curiosius scrutemur, sed quid illi à nobis debeatur: ne dum metuimus, ne beneficium in indignum conferatur, Deo ipsi officium negauisse deprehendamur. Deinde non simulata sit charitas nostra, & (vt Ioannes in epistola sua loquitur) non verbis, sed reipsa diligamus: quod tum fiet, si eadem officia præstemus proximo, quæ Christum suis discipulis præstitisse audiuimus. Ad eundem verò scopum cum Christo tendentes, vitam quoque (si ita opus sit) pro fratribus ponere parati simus. Debet autem hoc non ita accipi, quasi nos pro facinorosis & latronum more supplicium subire necesse sit: sed quæ ex officio debemus proximis, ea cum vitæ etiam periculo præstemus. Sic apostoli olim vitam suam exposuerunt, vt omnes gentes Christo lucrifacerent per euangelij prædicationem, cui illos Dominus destinauerat. Ita magistratus subditos suos ad mortem vsque defendere, & rursum hi quoque pro illis sanguinem vitamque profundere debent. Eadem est ratio inter parentes & liberos, heros & seruos, coniuges denique & quoscunque alios, qui sibimet suam alijs ex legitima aliqua vocatione obstrinxerunt. Sunt hæc quidem carni dura, sed quia Christi exemplo commendantur, quod nobis vnica actionum nostrarum regula esse debet, nequicquam excusationes & suffugia quærent, quicunq; ista negligunt.

Dilectio discipulorum Christi nota est.

Itaque non contentus Dominus suum exemplum adduxisse, insuper alio etiam argumento eandem

cuscitat, dicens: *Ex hoc cognoscent omnes, quòd discipuli mei estis, si Charitatem habueritis alij in alios.* Quasi diceret. Scio vos meos discipulos dici velle, & id hactenus publicè non sine multorum inuidia professi estis. *Atqui discipulorum est magistri & præceptoris sui præceptis attendere, illius ingenium & mores referre, ita denique sua omnia instituere, vt ipsis visis & auditis mox appareat, cuius discipuli sint. Cùm igitur ego totus charitas sim, & hanc doctrina simul & exemplo meo vobis commendem, nemo certè vos pro meis discipulis agnoscere poterit, nisi dilectioni inter vos mutuæ studueritis. Nisi ergo à me prorsus deficere, aut saltem falsi conuinci volueritis, in hoc studium vos totis animis incumbere conueniet. Est autem in verbis istis probè obseruandum, quòd non ait: Discipuli mei eritis aut efficiemini, si alij alios diligatis: sed, In hoc cognoscent omnes quòd discipuli mei estis: & cætera. Scimus enim inter gentes quoque repertos fuisse, qui se inuicem ita dilexerunt, vt mortem potius subire, quàm amicos in periculis deserere voluerint, quales fuerunt Pylades & Orestes, Theseus & Pirithous, Damon & Pithias, vt iam fidei coniugalis & pietatis in patriam aut parentes exempla omittamus, quæ historias legentibus passim occurrunt. Ergo charitas non facit Christianos, sed nos Christianos esse ostendit. Quod propter eos obseruari debet, qui vbi Charitatis & operum eius mentionem fieri audiunt, mox contra fidei iustificationem insurgunt, & operibus salutis meritum tribuunt. Distinguere ergo oportet inter causam & effecta. Christianum enim sola fides facit, quando nullum aliud medium est, quo Christum apprehendere & eidem inseri possimus. Qui autem per illam Christo sunt insiti, ij & hunc diligunt, & in eo omnes simul alios homines syncero amore complectuntur, eos imprimis, quos eiusdem fidei vinculum ipsis deuinxit. Ideo Paulus fidem per charitatem agere siue operari dicebat. Est ergo charitas veræ fidei nota, qua nos Christi germanos discipulos esse ostendit, qua quotquot carent, ij fide nequicquam gloriantur, cùm hæc sine illa non possit consistere. In eos ergo illud Iacobi dicitur: Ostende mihi fidem tuam ex operibus tuis: & cætera. Præterea non minori diligentia hoc quoque obseruari debet, quòd Christianorum notam siue tesseram, ex qua agnoscantur, non in externa fidei confessione collocat, non in miraculis, non in victorijs & felici rerum huius seculi successu, non item in ceremoniarum splendore & magnifico apparatu, sed in mutua dilectione. Possunt enim altera illa in impios quoque cadere, & multos in nouissimo die reijciendos fore scimus, qui & Christum Dominũ in ore professi sint, & in eius nomine euangelium prædicarunt, atque miracula plurima ediderunt. Procul ergo hinc facessant, qui fidem quam ore profitentur, factis negant: qui item miracula iactant, in quibus non aliqua fides in Christum & charitatis Christianæ testimonia videntur: aut qui victorias, opes, lætos rerum successus tonant: vel circa inanes ceremonias occupantur, & Christianismum in superstitioso vestitu, cucullis, ciliciis, liripipijs, ciborum discrimine, peregrinationibus, suffitu, ferijs, vigilijs, & huius generis rebus consistere putant. Etsi enim ista magno cum conatu accumulent, verè tamen in illos torqueri potest propheticum illud: Quis requisiuit ista de manibus vestris? Nos verò omissis inutilibus hisce exercitijs & procul abiecta hypocrisi & simulata fidei confessione, Christum fide vera complectamur, fidem verò hanc dilectione fraterna testemur, quæ simul vitæ innocentiam & puritatem comprehendit.*

Petrus quò Christus abiturus sit, rogat.

His dictis transeamus nunc ad alterum huius loci caput, quod actionem Christi cum Petro continet. Pertinent autem hæc quoque ad omnes discipulos, vt ex alijs euãgelistis apparet, qui Dominum illos omnes de periculo imminente & offendiculo, quod passuri sint, admonuisse scribunt. At noster hic ea modò narrat, quæ cum Petro acta sunt, qui huic admonitioni occasionem dedit. Cùm enim audiuisset dicentem Dominum, Quò ego vado, vos non potestis venire: ille præteritis ijs, quæ de charitate seruanda idem Dominus monuerat, quærit: Domine, quò abis? Neq; dubium est, quæstionis huius causam fuisse ardentissimum amorem, quo Christum prosequebatur. Itaque durum & intolerabile ipsi videbatur, illum ab eis diuelli, & quòuis potius locorũ cum illo abire decreuit, quàm illum relinquere, quem solum verba vitæ æternæ habere sciebat. Fuit hic pius affectus, non tamen à vitio omni alienus. Primò enim totus à corporali Christi præsentia pendet, & de ea solicitus magis necessaria negligit. Deinde rudis nimium & antedictorũ immemor, ad discessus Christi mentionem perinde commouetur, ac si nihil huius vnquã ex illo audiuisset. Sunt ergo Petri similes, quotquot hõdie de corporis Christi præsentia litigant, et eò vsq; cõtendẽdo efferuescũt, vt omnis charitatis obliti,

pro fratribus suis agnoscere nolint eos, qui eundem cum illis Christum prædicant, vnum hũc seruatorem agnoscunt, eumque in cœlis simul & in terris omnem potestatem accepisse, vnicumq; suæ ecclesiæ caput & gubernatorem esse docent: neque sua illa inhumanitate contenti, simul nobis vitio vertunt, quòd fraternam cum ipsis coniunctionem expetamus. Vtinam verò id syncero pietatis affectu facerẽt, qui in Petro eluxit, & non potius ambitioso contendendi studio abriperẽtur. Imitantur præterea Petrum, qui etsi quotidie Christũ in euangelio de salutis & fidei nostræ mysterijs vitaq; Christianæ officijs disserentem audiant, tamen vbi ea præstanda sunt quæ millies audiuerunt, non aliter faciunt, quàm si nihil vnquam de his rebus audierint. Fit hoc, quando turbulenti homines noua eaq; absurdissima dogmata inuehunt, aut quando à sceleribus abstinere iubentur, & disciplinæ Christianæ iugo collum submittere. Tunc enim impostores illos quasi cœlo delapsos attoniti audiunt, neq; animo repetunt, quæ illorum figmentis aduersa sæpius ex scripturis audiuerunt: ad pœnitentiæ verò et disciplinæ Christianæ doctrinam perinde afficiũtur, ac si nihil huius in Dei verbo contineretur. Sunt autem hæc nimis clara corruptionis nostræ argumenta, quæ nos obseruare conuenit, vt ad ardentius verbi studium excitemur.

Christus Petrũ occultius suæ imperfectionis admonet.

Cæterùm, quia Petrum Zelo pio duci, non malitiosa curiositate peccare Christus sciebat, amicè respondens illum admonendi & instituendi occasionem captat. Dicit enim: Quò ego abeo, non potes me nunc sequi, sequêris autem postea. Quo dicto, partim intempestiuum illius desiderium reprimit, partim spe bona illũ fulcit, ne se perpetuò exclusum fore putaret. Sensus ergo verborum Christi est: Tu me in regionem aliquam longinquam abiturum putas, vbi aut tutius vitã ducere, aut maiori cũ fructu officio meo defungi possim, & mihi comes esse cupis. Sed multùm falleris. Ego enim de morte mea loquor, quam vbi subiero, ex terris hisce in æternum patris mei regnũ & cœlestes beatorum sedes abibo. Id verò tibi nondum dabitur, neq; adhuc eò vsque profecisti, vt mea causa mortem sustinere, & ita mortalem hanc vitam cum æterna commutare possis. Non tamen ideo animum desponderas. Quod enim nunc tibi negatur, hoc suo tandem tempore tibi dabitur, vbi cursum tuæ functionis absolueris: & tũc etiam morte & sanguine tuo, quod mihi dedisti testimonium confirmabis, atq; mecum in cœlis viues. Nunc itaq; tua sorte contentus, tibi creditam stationem tueri stude, donec ad altiora vocatus fueris, &c. Docemur nos isto exemplo, electos non semper ad omnia instructos esse, sed in multis interdum deficere, quæ in fide perfectos facere decet. Manet enim etiam post acceptũ Christi spiritum infirmitas carnis & innata nostræ naturæ corruptio: qua fit, vt sæpe mortis terroribus vincantur qui suo tempore inuicti & ferrei fiunt. Ita Paulũ Corinthi trepidauisse legimus, quem postea constanti animo Hierosolymam festinauisse scribit Lucas, vbi sibi insidias structas esse sciebat: imò idem coram Romanis præsidibus & rege Agrippa, ipso deniq; Imperatore Nerone, nefario & crudelissimo tyranno, Christi causam intrepidus egit. Ista verò nos officij admonent, ne vel alios temerè damnemus, in quibus infirmitatis humanæ vestigia apparent, vel ipsi Zelo præcipiti et inconsulto festinemus ad ea, quæ vires nostras superant, et ad quæ nondum vocamur à Domino. Habent præterea hæc dulcissimam consolationem, qnòd infirmitatem nostram Deo probè cognitã esse audimus, qui certa quoque vitæ nostræ tempora constituit, quidq; quouis tempore nos ferre aut pati oporteat præuidit. Quia enim idem ille (vt Apostolus ait) fidelis nostriq; amans est, nos vltra vires tentari non patitur, sed singulis momentis nouas vires largitur, vt ijs ferendis sufficiamus, quæ nobis imponit. Quòd si ad altiora aspirantibus vires negantur, aut etiã in medio conatu turpiter labimur, non ideo nos desperare cõuenit, sed Dei iustum iudiciũ agnoscamus, qui si concessis donis maiori cum modestia vtamur, illa augebit in posterum, vt indies magis magisq; proficiamus.

Electorum infirmitas.

Petri confidentia.

At nondum eò vsq; in Christi schola Petrus profecerat: ideo hoc Domini dicto commotus, confidenter nimis & proteruè respondet: Domine, quare non possum te sequi nunc? animam meam pro te ponam. Quasi diceret: Et quæ nam illa via est tam ardua, quam ego subire nequeam? aut quis labor tam improbus, qoud periculũ tam graue fuerit, quod ego non possim vincere, qui ita me tibi consecraui, vt animam & vitam potius profundere, quàm te relinquere decreuerim? Addidit his plura alia, vt alij euangelistæ annotarunt, inter quæ hoc etiam dixit: Etsi omnes offendantur, at non ego. Videntur hæc animi magni & intrepidi verba esse: sed si propius inspiciantur, multa in his peccata simul concurrunt. Nam primò suijpsius fiducia ebrius de seipso pollicetur, quod non erat suarũ virium,

rium, sicq; turpem suam ignorantiã prodit, quòd nec seipsum quidẽ adhuc nouerit, qui se multos alios anteuertisse putabat. Deinde fratribus & collegis suis nimiùm insolenter insultat, dum illos quidem offendiculũ passuros esse cõcedit, se verò ex eorum numero eximit adeoq; se vnum omnibus illis præfert. Erat hoc alienissimũ à charitatis ingenio, quam Christus paulò ante tam grauiter illis cõmendauerat. Adhæc Christo contradicens, illum tantumnon mendacij accusat, & quem de æternæ salutis mysterijs dissentem pro suo præceptore agnouerat, illi nunc fidem derogat de carnis infirmitate loquenti, quam in semetipso toties erat expertus. Sunt hæc non leuia peccata, imò quouis supplicio digna erat Petrus, si sui iudicij rigore Deus vti voluisset: & sanè dignus fuit, qui seipsum tam arroganter efferendo, postea turpius reliquis laberetur, vt tam tristi exemplo disceret de seipso modestius sentire. SED est hoc carnis nostræ ingenium, & eò vsq; progrediuntur, qui carnis zelo sese abripi sinunt. Vbi enim nos fide præditos & in Christi vocatione aliquò vsq; progressos esse sentimus, tũ nihil non nobis ipsis tribuendo pericula quæuis contemnimus, dum illa longius absunt. Et quia naturæ ambitiosi sumus, mox aduersus fratres etiã efferimur, & insolenter eos contemnimus, in quibus aut spiritus sancti dona exosculari, aut infirmitatem, si quæ in illis videtur, patienter ferre atq; corrigere debebamus. Quòd si ijdem periculis nos propius vrgentibus fidei cõstantiam & fortitudinẽ declarare debemus, ferè turpissimos nos damus, & ita nostræ temeritatis & insolentiæ pœnas dignas luimus. Ideo ferè suos Dominus multis modis humiliat, ne donorũ excellentia elati in perditionis præcipitium ruant. Seruiat itaq; omniũ nostrũm institutioni hoc Petri exemplum, ne nobis ipsis & viribus nostris, sed solius Dei gratiæ fidamus per Iesum Christũ, qui nostræ infirmitati medebitur, si nos abs se nõ pendere videat. Quòd si verò perniciosa est donorum spiritualium fiducia, quàm obsecro stulti & ridiculi sunt, qui lubricis fortunæ bonis eò vsq; insolescunt, vt salutis suæ securi Deum simul atq; homines contemnant & negligant?

Petri abnegatio prædicitur.

Sed ad Christum redeamus, qui adhuc amicè quidẽ & humaniter cũ Petro agit, sed tamẽ illum grauiter admonet de eo, quod præter officium facturus erat. Animã tuam (inquit) pro me pones? Amen amen dico tibi, non canet gallus, vsque quò me ter abnegaueris. Est hîc diligenti considerationè digna Christi mansuetudo. Sciebat is, quid Petrus, quid reliqui discipuli facturi erant. Videt præterea magnam in illis confidentiam, & Petrum satis contumeliosè sibi in os obloquentem audit. Fert tamen illos omnes patienter, & quàmuis Petro suum lapsum prædicat, non tamen amarulentius aut igneminiosè illum corripit, non hostiliter illi peccatum exprobrat, multò minus eũ è contubernio suo eiicit. Consolatur nos ista Domini bonitas, cuius argumẽta in nobis ipsis quotidie multa experimur. Simul verò exemplũ eius imitemur, vt ipsi quoq; infirmiores in fide feramus, dummodò infirmitate, non malitia peccant, & quoad reliqua fidei fundamentum retinent, & Dei causam animo syncero agunt. Pertinent huc, quæ Apostolus grauiter admodum scribit ad Rom. 15 & 14. ad Gal. itẽ cap. 6.

Abnegationis peccatum quale sit.

Docet præterea locus hic de abnegationis peccato iudicare, quod nonnulli in Petro accusant, aut falsem extenuant, ne illius atrocitatem in semetipsis agnoscere cogantur. At Christus ait: Non canet gallus, vsque quò ter me abnegaueris: & idem alibi eos, qui ipsum negant coram hominibus, dignos pronuntiat, quorũ ipsum quoq; pudeat, cùm olim in gloria patris veniet ad iudicandum viuos & mortuos. Videamus ergo quid Petrus fecerit, quidue dixerit. Primò (vt Matth. scribit) ancillulæ de Christo quærenti respondit: Nescio quid dicas: id quod dissimulatio potius & prudens eõceptæ de se suspitionis declinatio, quàm Christi abnegatio, multis videri poterat. Deinde ab altera interrogatus ait, Non noui hominem. Tandem hoc quod dixerat, iuramento quoq; confirmauit, cùm ipsi fortius instarent sacerdotum serui & milites. Quia verò hæc omnia inter abnegationis species Christus recenset, hunc abnegari constat, quandocunq; fidem in illum aliqua ratione dissimulamus, siue id ex pudore, siue metu fiat. Obseruauit hoc isto loco D. Augustinus, qui inter alia sic scribit: Dicas licet, nescio hominem: dicas licet, homo nescio quid dicis: dicas licet, non sum ex discipulis eius, me negabis. Si quid dubitare nefas est, Christus hoc dixit, verumq; prædixit: procul dubio Petrus Christũ negauit: non accusemus Christum, cùm defendimus Petrum: peccatum agnoscat infirmitas, nam mendacium non habet veritas. Agnouit planè peccatum suum infirmitas Petri, prorsus agnouit, & quantum mali Christũ negando cõmiserit, plorãdo monstrauit. Ipse suos redarguit defensores, et vnde eos conuincat, producit lachrymas testes. Hæc August. de quibus suo loco plura dicendi occasio dabitur.

Petrus ad galli cantum remittitur.

Nunc istud quoq; obseruemus, quòd non sine signo lapsum illi prædicit Dominus, de gallicinio ni mirum illum admonens, quod ille abnegando sit præuenturus. Voluit enim, vt hoc audito, Petrus de peccato suo cogitandi occasionem haberet. Videtur autem hoc non vile modò, verumetiam ridiculum esse, quòd tantus Apostolus per galli cantum admoneri debeat. Sed ita confundi oportuit eius confidentiam, vt gallum haberet præceptorem & magistrũ, qui Christo obloqui ausus fuerat. Et fit hoc frequenter, vt ad pecudes & bruta animalia ablegentur, qui ex Dei verbo nolunt discere. Exempla habes Isaiæ 1. & Ierem. 8. cap. Et Balaam ab asina se redargui & accusari audiuit, qui Deum monitorem audire noluerat. Quò etiam referri debet, quòd interdum ab inimicis suis & nullius pretij hominibus nobis vitia nostra exprobrantur, quæ per Dei verbum admoniti corrigere nolumus. Ita verò Deus suam erga nos bonitatem exercet, dum ex quauis re occasiones nobis obijcit, quæ nos in interitum ruentes reuocent & officij admoneant. Quam ita nos agnoscere decet, vt nihil vile aut contemptu dignum putemus, quod aliquam nobis meliora cogitandi occasionem præbet. Sunt enim hæc gallicinia, quæ non sine numine nostris auribus & oculis obstrepunt. Petrus certe, quia non spreuit galli cantum, cuius ipsum Dominus admonuerat, per hunc ad veram pœnitentiam excitatus est, quæ illum iam planè perditum in vitam reduxit. At ô miseros nos, qui hodie ne tonitruis quidem & horrendis iræ Dei indicijs mouemur, vt ad Dominum conuersi, scelerum nostrorum pœnitentiam agamus. Porrò omnium, quæ hucusque dicta sunt, hic nobis vsus sit, vt veri Christi discipuli efficiamur. Fit hoc fide, qua Christum apprehendimus. Hanc verò non confessione modò & externis ceremonijs, sed mutua dilectione testemur, quæ nobis omnium actionum regula esse debet. In periculis item constantes simus, neque nos vnquam nostri seruatoris pudeat. Interim nostræ infirmitatis memores, in vno Iesu Christo spem collocemus, in quo possumus omnia. Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

CAPVT XIIII.

HOMILIA CXXX.

NE turbetur cor uestrum. Creditis in Deum, etiam in me credite. In domo patris mei mãsiones multæ sunt: sin minus, dixissem uobis. Vado ad parãdum uobis locũ. Et cùm abiero, & parauero uobis locũ, rursum ueniam, & assumam uos ad meipsum, ut ubi sum ego, etiã uos sitis. Et quò ego uado scitis, & uiam scitis.

Argumentum trium sequentium Cap.

EXPOSVIT hucusq; Ioannes, quæ Dominus noster Iesus Christus inter cœnandũ cum discipulis suis egit. Sequuntur deinceps duæ conciones, quarum alteram eodem in loco, alteram verò in via habuit, cùm ad montem oliueti exiret, vbi se ab hostibus suis capiendum esse sciebat. Sunt hæ multa consideratione dignissimæ: primùm, quòd postremæ sunt, quas in mortali corpore, & iam mortẽ aditurus habuit: deinde, quòd res graues & cognitu necessarias continent. Consolatur enim his non discipulos modò, quos tunc habuit, verumetiam omnium fidelium pios aduersus omnis generis pericula, tam spiritualia quàm corporalia. Adhæc suæ mortis fructum & vsum diligenter exponit, & ita quidem, vt summam totius doctrinæ de vera fide atque vniuerso salutis nostræ negotio perfectè comprehendat. Et quia præsens hic locus omnium, quæ postea fusius dicentur, periochen continet, illum propius inspexisse proderit.

Ne turbetur cor uestrum.

Propositio & summa consolationis est: Ne turbetur cor vestrũ. Causa autem vel occasio huius dicti ex præcedentibus petitur. Dixerat enim de Iuda proditore, de periculis mox exorituris, de scandalo quod ipsi omnes passuri essent, quodq; Petrus, qui reliquis feruentior erat, ipsum priusquam gallus cantaret, turpissimè esset negaturus. Quæ omnia etsi illorum animos, nimia propriæ virtutis fiducia elatos, tunc non multùm mouerent, sciebat tamen fore, vt non multò post metu & terrore absorpti grauissimas tentationes subirent, quando ipsum quidem ab hostibus captum, suũ verò gregem fuit

gem sedè dispersum visuri erant. Ne ergo toti deficerent, humanissimè eos compellat, & ne animis suis turbentur admonet. Non autem Stoicam ἀπάθειαν siue indolentiam præcipit, quæ ex hominibus truncos aut saxa facit (hanc enim ipse suo exemplo confutat, dum animam suam turbari fatetur) sed monet, ne timori cedant, aut affectibus toti succumbant, & quàmuis se lapsos videant, non tamen animum despondeant, deque Dei gratia in vniuersum desperent. EST autem hoc generale præceptum ad omnes Christianos pertinens. Sumus enim omnes afflictionibus obnoxij, & frequenter lapsus fratrum incidunt, qui nos terrere & fidem nostram labefactare possunt. Hic igitur animo præsenti opus est, vt intrepidi stemus ad omnem rei euentum, & nec hominum authoritate moueamur, nec periculorum magnitudine territi à statione nostra discedamus. Atqui hîc plurimum proderit Christi bonitatem & paternam prouidentiam obseruauisse, qua is suis prospicere solet, & cuius exemplum euidens hic locus nobis exhibet. Nam vt vidimus nuper, non agnoscebant adhuc suam infirmitatem discipuli, sed immani & superba suarum virium fiducia elati, non modò pericula contemnebant, de quibus admonebantur, verumetiam fidis Christi monitis sese nimiùm audacter opponebant. Adeò tamen non negligit eos Dominus, vt potius illorum lapsum anteuertat, & fidelis medici instar antidotis eos præmuniat, fidis nimirum admonitionibus, quarum recordatione postea confirmentur. Solet hoc ipsum frequenter facere, & multa huius generis experimur, quando in morbis & tentationibus constitutis ea in mentem veniunt, quorum non magnam rationem habuimus, cùm primùm illa audiremus. Et est hæc verbi diuini virtus, vt veluti semen suo tempore germinet & fructum ferat, licet aliquandiu neglectum latuerit. Constat autem ex his, Christum fidelem esse Pontificem, qui cùm nostras infirmitates probè norit, nihil eorum negligit, quæ nobis cognitu necessaria sunt. Quomodo enim iam laborantes & oneratos negligeret, qui futuris quoque tentationibus suæ remedia tam diligenter adhibet? Quod vnum, si rectè consideretur, plurimum consolationis in quouis periculo nobis afferre potest. Cæterùm ne nudis verbis agere videretur Dominus, rationes quoque & argumenta validissima subijcit.

Primum à sua persona desumptum sic infert: Creditis in Deum, etiam in me credite. Sensus est: Qualiscunque nunc videar, & quæcunque mea sors mox futura sit, sum tamen verus & æternus Dei filius, eiusdem cum patre essentiæ simul & potestatis. Si quid ergo fiduciæ in Deum collocatis (quod vos omnes profiteri sat scio) credite etiam in me, & felicissimè vobis cedent omnia, quæ nunc tristissima videntur. Vt enim non fallit Deus, qui & Veritas & omnipotens est, ita neque ego vos fallam, qui verus Dei filius & vnum cum patre sum. His ergo verbis vera & æterna Iesu Christi Deitas euidentissimè asseritur. Est enim hæc totius scripturæ doctrina certa & vnanimi piorum omnium consensu comprobata, quòd in vnum solumque Deum credere debeamus, & maledictum pronuntiat Ieremias eum, qui carnem facit brachium suum. At iubet Christus in se quoque credere. Verus ergo Deus est, & qui hoc negant, ij simul eundem impietatis & idololatriæ magistrum sue doctorem faciunt. *Christus uerus & æternus Deus.*

Quoad verò huius loci statum, obseruatu dignissimum est, primum consolationis argumentum in ipsa fide monstrari, qua Deo eiusq; promissis per Iesum Christum nitimur. Est ergo hæc tutissimum præsidium in aduersis, adeoq; vnicum consolationis veræ & constantiæ Christianæ fundamentum, quod nos nullis tentationibus sinit succumbere. Nam etsi interdum impij quoque magnos spiritus concipiant, & in manifesta pericula magno animo ruant, est tamen ea inconsulta potius temeritas quàm fortitudo, in qua vel horribiliter pereũt, vel turpiter deficiunt tandem, quando se fallis sentiunt ab ijs, in quæ spem & fiduciam omnem collocauerunt. At quæ vni soliq; Deo nititur fides, falli non potest; & proinde eadem quoque in aduersis vincit, nosq; omnibus tentationibus superiores facit. Est enim nomen Domini (vt Solomon ait) turris fortissima, ad quã qui confugit, extra telorum iactum est. Ideoq; Dauid dicebat: Dominus lux mea & salus mea, à quo nam timerem? Dominus robur vitæ meæ, à quo expauescerem? Si obsideant me castra, non timebit cor meum: si ingruerit aduersus me prælium, hoc tamen vno nitar. Nam vbi pater meus & mater mea me destituunt, Dominus colligit me. Item Psal. 46: Deus nobis suffugium & robur est, premente necessitate auxilium præsentissimum. Propterea nihil timebimus etsi terra loco moueatur, & montes in medio maris nutent. Tumultuentur gentes, motus excitent regna, & tellus cũ fragore ruat: Dominus *Fides firmissimum consolationis argumentum.*

tamen exercituum à nobis stat, arx sublimis est nobis Deus Iacob. Imprimis verò huc pertinet tum Caput vndecimum epistolæ ad Hebr. vbi Apostolus innumera exempla eorum congerit, qui affectus internos & externos & externam vim hostium fide armati vicerunt. Quò Ioannes quoque respexisse videtur, quando fidem dicit nostram esse victoriam, qua mundum & eius principem vincimus. Itaq; haud temere passim vnam fidem scripturæ nobis commendant, sicuti in fœdere cum Abrahamo facto, in legis exordio, in prophetarum sermonibus & vniuersa Christi atq; Apostolorum doctrina est videre. Vt enim illa nos cum Deo coniungit, & omnis generis bona opera in nobis profert, ita in tentationibus sustentat, ne vnquam à salutis via exorbitemus.

Vera fidei ratio.

At hîc necesse fuerit veram fidei rationem tenere. Nam si omnium gentium homines intueamur, omnes fide in Deum gloriabuntur, eiusq; cultores videri volent. Sed quia natura peccatrix ideo à Dei consortio excluſi sunt omnes homines, fides hæc semper incerta fluctuabit, niſi nobis constet, nos Deo reconciliatos esse, & illum nobiscum in gratiam rediisse. Id autem in vno Christo habere possumus, de quo in carne manifestato pater cœlitus testatur: Hic est filius ille meus dilectus, in quo placatus sum. Hunc ergo nos fide vera & constanti amplecti oportet, si in Deum credere, & hinc per fidem coniungi volumus. Ideo in præsenti ait, Creditis in Deum, & in me credite. Quasi diceret: In Deum verè credere non poteritis, niſi me fide vera apprehendatis, qui vnicus inter patrē & vos Mediator sum. Et hoc ipsum mox clarius explicabit, quando dicet, Nemo venit ad patrem, nisi per me. Vehementer ergo seipsos fallunt, qui cùm fidem in Deum profiteantur, Christum tamen non colligunt, vel etiā hostiliter reijciunt atque persequuntur. Faciunt hoc apertè Iudæi et Turcæ, quorum illi quidem illum contumelioſiſſimè proſcindunt, hi verò Dei filium esse negant. Non tamen hoc scelere omnino alieni sunt, qui papisticam religionem tuentur. Etsi enim Christiani dici volunt, coniunctionem cum Deo quærant, in vtroq; tamen grauiter admodum offendunt, dum suis & Dei rum meritis ea atribuunt, quæ vni & soli Christo accepta ferre debebant. Potest ergo contra hos istis Christi verbis argumentum duci: Si creditis in Deum, etiam in Christum credite: Sed non creditis in Christū: ergo neq; in Deum creditis. Quòd si illi se in Christū credere clament, nos propriis eorum operibus eos conuincemus, quibus Christi gloriā in seipsos et alias creaturas transferunt, paucis quam illo clamante: Ego Dominus, hoc est nomen MEVM, & gloriā meā alteri non dabo. Sed de hoc Cap. 5. diximus, nunc ergo in ijs pergamus, quæ ad præsentis loci argumentum pertinent.

Promissione cœlestium bonorum solatur.

Quia enim primum hoc argumentum infirmius & obscurius multis videri poterat, cœlestium futurorum bonorum promissione consolationem istam cōfirmat. At cùm de illis multi dubitēt, multi etiam scurriliter omnem horum mentionem eludant, grauiter omnino & constanter docet ipse vitam aliam, & huic iam inde ab æterno locum certum destinatum esse, quem ipse modò in secutibus patefacere, deinde suo tempore ad eos redire velit, vt illos ex hac corruptibili conditione in viam cœlestem transferat. Vult ergo, vt quicunq; sese turbari sentiunt, animos in spem cœlestium bonorum erigant, in quibus vera & efficax consolatio inuenitur, quæ nulla est, quàm diu in fluxis euanidis huius seculi bonis hæremus. Quia autem vix quicquam difficilius est, quàm præsentia contemnere & futura quærere, à terrenis ad cœlestia mentem euehere, diligenter admodum hanc causam tractat, & eo quidē ordine, vt omnibus cogitationibus siue obiectionibus occurrat, quæ hanc fidem in nobis labefactare possunt.

Vita alia in cœlis est.

Primùm, quia ipso ex hisce terris in cœlos digresso, illi persecutiones, carceres, exilia, egestates & omnis generis miserias passuri erant, docet se nō ita discessurū esse ab eis, vt ipso semper careant, sed illis etiā in cœlo locū fore, vbi cū ipso olim æternùm regnaturi sint. Ait enim: In domo patris mei mansiones multæ sunt: sin minus, dixissem vobis. Quibus verbis hoc dicere videtur: Nolim vos offendi aut turbari, quæ post meum discessum patiemini. Qualiscūq; enim sit huius vitæ sors aut conditio, cogitare vos decet, aliam vitam fore in cœlesti patria, in quam vos transferri oportet, vbi peregrinationis huius cursum absolueritis. Neque de ea quicquam debetis dubitare. Sunt enim ibi mansiones siue habitationes multæ, quæ vobis omnibus recipiendis sufficient. Et niſi hæc ita se haberent, ego iam dudum vobis dixissem, vt qui vos spe vana lactare minimè velim, quos hallucinari

In cœlis esse mansiones & loca.

corum & discipulorum loco habui. Ista autem de cœlis dici & certa beatorum spirituū sede, in quam olim pij omnes colligentur, multis argumentis probari potest. Loquitur enim de loco, in quem

abiturus sit, & vnde olim redire velit, vt suos ad se colligat. Atqui illum in cœlos, qui supra nos sunt, in altum vbi viderunt discipuli, qui eundem supra omnes cœlos, corruptibiles nimirum ascendisse, & inde olim in nubibus venturum esse testantur, quando nos ipsi obuiam per aerem rapi oportet. De certo igitur beatitudinis æternæ loco ista intelligi debent, quem extra hunc mundum corruptibilem esse oportet, cùm quæcunque intra huius fines sunt, corruptioni obnoxia & olim peritura sint. Itaque minimè audiri debent, qui ex cœlesti patria Vtopiam fingunt, & hanc locum certum esse negant, cùm & loci & habitationum siue mansionum vocabulis Christus diserte vtatur, & Euangelistæ in ascensionis historia motus manifestam mentionem faciant, quo ille ex terris in altum abierit, vbi illum postea apertis cœlis non sine miraculo Stephanus protomartyr vidit. Et nimis absurdum est in simplici historiæ narratione tropos fingere, qui quod verè gestum fuisse dicitur, in dubium vocent. Nam si hoc demus in ascensionis historia, quibus obsecro argumentis nos aduersus eos tuebimur, qui Dei filium verè incarnatum, verè passum & mortuum esse negant, & in his etiam phantasias & imaginationes fingunt, quibus vniuersum nostræ redemptionis negotium euertitur? Quæ enim ratio obstabit, quò minus tota Christi historia allegoricis expositionibus obscuretur, si hoc in aliqua eius parte ipsi fecerimus? Procul ergo facessant contentiosorum hominum delicia, & Christum in cœlestem patriam corpore suo ascendisse credamus, quò nos etiam olim colligi oportet. Scurriles verò de huius loci altitudine & amplitudine disputationes ijs relinquamus, qui ambitione & alijs affectibus abrepti beatitudinem in huius seculi gloria & hominum existimatione collocant. Sufficiat nunc scire, quòd locus vitæ æternæ certus sit, & quòd idem omnibus electis recipiendis possit sufficere. Reliqua in eum vsque diem differamus, quando & Deum ipsum facie ad faciem, & omnia regni eius mysteria coràm intuebimur. Porrò locum illum æternæ beatitudinis domum patris sui vocat, partim pro more humano, quia in cœlis potissimùm Dei maiestas cernitur, & illic sese vnà cum thesauris suis fruendum dabit electis suis, quos in regni sui hæredes adoptauit; partim vt certior sit promissionis istius veritas. Quia enim ipse verus & vnicus est Dei filius, licet ei in hæreditatis consortium assumere quoscunque voluerit. Deinde mansiones seu habitationes in domo patris esse ait, non tabernacula, quo nomine alibi scriptura frequenter vtitur, ita verò cœlestem patriam ab huius seculi conditione distinguit, in quo non habemus permanentem ciuitatem, vt Apostolus ait. Peregrini enim sumus, patriam verò in cœlis habemus, vbi nostrum πολίτευμα siue ciuitatem esse, idem Apostolus testatur. Et in horum consideratione nos crebrò versari conuenit. Primò enim multùm ista faciunt ad leniendas vitæ huius molestias. Quid enim mirum est, si in hoc mundo peregrinantibus multa præter animi sententiam accidant? Deinde est hæc efficacissima consolatio in omni aduersorum genere. Inuident nobis terræ huius vsum homines, sed in cœlis nobis locus paratus est, quem illi nunquam eripient, & ex quo nunquam deturbari poterunt, qui semel eò ad Christum collecti fuerint. Feramus ergo patienter momentaneas huius vitæ afflictiones, quibus nunquam intermorituram æternæ beatitudinis remunerationem præparatam esse constat.

Atsimul hîc singularem considerationem meretur Christi dictum: Sin minus dixissem vobis. Ex eo enim constat, eum nihil eorum suos cælauisse, quæ ad veram salutis nostræ rationem pertinent. Testabitur hoc ipse euidentius in sequenti Capite, vbi ait: Vos dixi amicos, quia omnia quæ audiui à patre meo, nota feci vobis. Est ergo Christi doctrina perfecta & omnibus numeris absoluta, cuius ille præcones fecit Apostolos, quibus in mandatis dedit, vt omnia ea suis auditoribus fideliter tradant, quæ ex ipso audiuerint. Sufficit itaque locus hic confutandis omnibus, qui nouos fidei articulos & noua dogmata tradunt, quorum non aliquam mentionem in scripturis fecit Christus. Et possumus ex hoc loco omnibus istis respondere: Si ita se res haberet, sicuti vos dicitis, non vtique ista suos Apostolos cælauisset Dominus. At nihil ille vnquam locutus est de Romanis indulgentijs, nihil de Diuorum intercessione, nihil de cœlibatu monastico, nihil de Missæ sacrificio, purgatorio, nostrorum operum meritis, satisfactionibus, pontificis primatu, auriculari confessione, et sexcentis alijs, quæ in Papatu traduntur. Ergo vana sunt ista omnia, & minimè necessaria ad salutem, sed potius noxia, cùm Christi Iesu merito derogent, in qua vniuersa salutis ratio plenissimè continetur.

Christus nihil cælauit discipulos quod cognitu sit necessarium.

Christus morte sua nobis locũ in cœlis parauit.

Sed vt ad loci præsentis tractationẽ redeamus, dicat aliquis: Scimus quidem cœlum amplum et spatiosum esse, vt omnes tam homines quàm angelos capere possit. Quid autem hoc ad nos, qui à Dei gratia iam olim excidimus, & proinde à cœlorum possessione excluſi ſumus? Præoccupat ergo illam obiectionem Dominus, & ait: Vado ad parandum vobis locum, &c. Exponit autem his fructus ſui mortis atque resurrectionis & ascensionis, quibus totum salutis nostræ negotium continetur. Et constat quidem beatitudinis sedes ab æterno præparatas esse, quando idem Dominus in nouissimo die dicturus est: Venite benedicti patris mei, possidete regnum paratum vobis à iactis fundamentis mundi. Sed locum hunc nobis parauisse dicitur Dei filius, quando remoras & impedimenta sustulit, quæ obstabant, quò minus eò venire possemus. Inter hæc primas tenebat peccatum, quod nos à Dei conspectu arcet, deinde mors, quæ nobis per illud dominabatur. Occluſa ergo nobis erat salutis & vitæ æternæ ianua, quod olim gladij ignei coruscatione paradiſi oſtio appoſiti figurabatur. At Christus mortis suæ merito peccatum expiauit, resurrectione mortem vicit, ascensione autem vel corporis nobis assumpti translatione in cœlos nobis eos patefecit, & illic ad dextram patris conſidens pro nobis intercedit, vt ad thronum gratiæ nobis acceſſus pateat, qui prius à regno cœlorum excluſi erant. At quia hæc felicitas tunc demum ſuum complementum habebit, quando corpora quoque depoſita corruptibilitate immortalia & incorruptibilia fient, addit: Et cùm abiero & parauero vobis locum, rurſum veniã, & aſſumã vos ad meipſum: vt vbi ſum ego, etiam vos ſitis. Quæ verba aliter quàm de nouiſſimo Christi aduentu exponi possunt. Etſi enim poſt reſurrectionem ad diſcipulorum conſpectum rediit, non tamen tunc illos ad ſe aſſumpſit, vt corporaliter ſecum eſſent, ſed potius diuerſos hinc in mundum emiſit in orbem vniuerſum, vt euangelium omnibus gentibus prædicarent, ipſe verò corpus ſuum ſolis ipſis videntibus in cœlos ſubuexit, vt ſupra diximus. In nouiſſimo autem die implebitur quod hic dixit Dominus: qui (vt Paulus ſcribit in priori ad Theſſal. cap. 4.) cum hortationis clamore & voce archangeli ac tuba Dei deſcendet de cœlo, & qui mortui fuerint in Chriſto, reſurgent primum: deinde nos viui qui reliqui erimus, rapiemur ſimul cum eis in nubes, in occurſum Domini in aerem, et ita ſemper cum Domino erimus. Faciunt hæc ad ſalutis noſtræ certitudinẽ, & efficaciſſimã conſolationem habent, quæ nos in mortis articulo confirmare poteſt. Cui multum accedet, ſi cum his ea quæ afferamus, quæ Cap. 5. de animæ tranſitu ex morte in vitam dicta ſunt. Simul verò officij nos admonere debet frequens Chriſti olim rediturí conſideratio, ne peccandi licentia eum diem nobis terribilem reddamus, qui pijs & credentibus lætiſſimus illuceſcet. Obſeruemus præterea Chriſtum ſolum eſſe, qui nobis cœlos aperuit, & in illis locum parauit. Non potuit hoc lex per Moſem lata, non vlla humanæ iuſtitiæ meritum, nõ vllæ victimæ, aut quæcũq; olim magnifica ab hominibus excogitata ſunt. Solus ille ſcala illa cœli eſt, & huius meritum euacuant, quantum in ipſis eſt, quicunq; hanc gloriam vel ſibijpſis vel aliorum meritis tribuunt.

Poſtremò, quia hæc multis obſcuriora videri poterant, addit: Et quò ego vado ſcitis, & viam ſcitis. Senſus eſt: Non noua aut inaudita vobis videri debent quæ dico. Vado enim ad cœleſtem patriam, idq; per mortem & reſurrectionẽ, de quibus omnibus non ſemel vobiſcũ egi. Quare ſi vos quoque illuc veniendi deſideriũ tenet, me amplecti oportebit, & exemplũ meum imitari. Voluit autem hoc obſcurius loqui, vt diſcipulis daret interrogandi occaſionem, & ita ſibi viam ſterneret ad diligentiorem huius myſterij explicationem, quam ſuo loco et tempore audiemus. Nolumus enim ipſi Dominum prolixiori interpretatione anteuertere. Nunc obſeruemus, afflictiones omnis generis in hoc ſeculo eos manere, qui piè in Chriſto volunt viuere; non autem in illis aliquem debere deſperare, quando ſalutis noſtræ authorem & propugnatorem habemus Ieſum Chriſtum, qui & in huius vitæ curriculo nos tueri poteſt, & cœlorũ portas nobis aperuit, in quibus locum inuenient animæ eorum qui fide vera emigrauerint, & quò olim in magno illo die corpora quoque colligentur, vt cum illo aeterna vita atq; felicitate fruamur. Illi debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.

HOMILIA CXXXI.

Dicit ei Thomas: Domine, neſcimus quò abeas, quomodo igitur poſſumus viam ſcire? Dicit ei Ieſus: Ego ſum Via, & Veritas, & Vita. Nemo

Nemo uenit ad patrem, nisi per me. Si nosſetis me, patrẽ etiam meum nosſetis: & iam nunc cognoſcitis eum, & uidiſtis eum.

TEſtatus eſt nuper Ioannes, Ieſum Chriſtum ſuos in finem vſque dilexiſſe. Quod quàm verè dictum ſit, nõ modò ex ijs patet, quæ in ipſa cruce inter acerbiſſimos mortis dolores dixit & fecit, verumetiam ex concionibus ipſius, quas habuit cùm mortem iam adire decreuiſſet. Quia enim grauia pericula diſcipulis quoque imminere ſciebat, quibus illorum fides labefactari poſſet, initiò ſtatim conſolationem adhibet efficaciſſimam, qua & ſe Deum verũ eſſe docet, cui tutò & ſecurè inniti poſſint, & locum veræ atque æternæ beatitudinis iam illis paratum eſſe pollicetur, quẽ ipſe mortis ſuæ merito patefacere velit, vt huius vitæ curriculũ emenſi ad ipſum colligantur, & promiſſa laborum ſuorum præmia accipiãt. Quo loco didicimus, in omni tentationis genere conſolationem ex cœleſtibus & æternis bonis peti debere, quãdo vana & fallacia ſunt quæcunq; in terris habere poſſumus. Quod enim in præſenti Chriſtus facit, hoc paſſim prophetæ & apoſtoli in ſuis ſermonibus atq; ſcriptis facere ſolent, dũ ipſi quoq; ſub crucis & aduerſorum pondere laborantes ad cœleſtium bonorum ſpẽ remittunt. Ceterum quia quædam obſcuriora videri poterant rudibus & imperitis, ſequitur in præſenti plenior omnium explicatio, quæ & ipſa diligenter conſiderari debet.

Principiò non intellexerũt diſcipuli, quod poſtremùm dixerat Dominus: Quò ego vado ſcitis, & viam ſcitis. Ideo Thomas, qui alibi etiam tardior reliquis apparet, quid hoc ſibi velit ſcire cupiens, communem illorum omnium ignorantiã fatetur: Domine, neſcimus quò abeas, quomodo igitur poſſumus viam ſcire? Quo exemplo docemur, quàm tardi ſimus natura in percipiendis regni Dei myſterijs. Nam vt eos omittamus, qui à religione prorſus alieni ſunt, in electis quoq; & ſanctis ignorãtiæ huius & tarditatis exempla paſſim cernuntur. Apoſtoli certè, cùm tanto tempore cum Domino vixiſſent, deq; ſua morte & reditu ad patrem toties audiuiſſent diſſerentem, nondum tamẽ intelligunt, quod per ſe clarum erat, & nullis verborum inuolucris aut figuris obſcurabatur. Imò quod portenti inſtar videri poteſt, quod iam pridem ſciuerant, & non ſemel confeſſi erant, iam ſe ignorare dicunt. Annon enim omnium nomine dixerat Petrus: Tu es filius ille Dei viuentis? Annon idem ille ipſum de immani mortis ſuæ ſupplicio dicẽtem reprehenderat, & ne contra ſeipſum adeo rigidus vel crudelis ſit monuerat? Quomodo ergo non intelligunt nunc, ipſum de Deo patre loqui, ad quem per mortem & reſurrectionem iturus ſit, vt ex nobis aſſumptam carnem cœleſtis gloriæ conſortem reddat? At cæcitatis huius cauſa eſt, quòd carnis cogitationibus ebrijs nouum & abſurdum videbatur, Chriſtum regni ſui auſpicium à cruce & morte ignominioſa petere, & ex terris diſcedere, in quibus illum regnaturum eſſe ſperabant. Similis ignorantiæ vel oſcitantiæ exemplum poſt acceptum ſpiritum ſanctum ediderunt, quando Chriſti regnum intra Iudaici populi fines reſtrinxerunt, et gentes indignas iudicarunt, quibus euangelium prædicetur, quarum vocationem & prophetæ olim, & Chriſtus iam cælos conſcenſurus, non obſcurè prædixerant. Euenit hoc ipſum multis, vt aut reuerà neſciant, quod imprimis ſcire debebant, aut ſe illud neſcire putent, dũ non ſuccurrit menti, quod plus millies audiuerunt. Opus igitur aſſiduo verbi ſtudio, cui preces indeſinẽtes addere oportet, vt et regni ſui myſteria nobis Deus aperiat, & in tentationibus aut quouis alio caſu ea animis noſtris ſuggerat, quæ cognitu quàm maximè neceſſaria ſunt. Vidit hoc Dauid, qui vt verbi ſtudium paſſim commendat pijs, ita frequenter orat, vt Deus ipſi vias ſuas monſtrare, inq; illis pedes eius dirigere dignetur. Et decet nos imitari Thomæ ingenuitatem, qui nõ cupit ſciolus videri, ſed ignorantiã ſuam fatetur. Errant enim perniciosè, qui ruſtico pudore impediti non interrogant de ijs, quæ non intelligunt. Deteſtabilis verò eſt illorum arrogantia, qui ne quid ignorare videantur, manifeſtos errores non modò retinent, verumetiam pertinaciter defendunt, & ſæpe in eos conuitia iaciunt dira, qui illos rectius inſtituere conantur. Reprehenſione etiam non leui digni ſunt, qui vel Dei verbum obſcuritatis nimiæ accuſant, & eo prætextu omne diſcendi ſtudium abijciunt: vel inani ſcientiæ exiſtimatione turgidi, nihil reſtare arbitrantur quod diſcant, & ideo cum priuatæ ſcripturarum lectione publicas quoque conciones, ceu inutiles & ſuperuacaneas, negligunt. Ita verò omnes iſti de ſemetipſis teſtimonium ferunt, quòd non ſint ex filiorum Dei numero, quorum proprium eſt, quòd patris ſui verbo & voce delectantur.

Diſcipulorum ignorantiam Thomas fatetur.

Veram salutis consequendæ rationem tradit Christus.

Porrò Christum audiamus, qui Thomæ respondens, non quidem discipulorũ curiositati satisfacere studet, neq; prolixam de occultioribus regni Dei mysterijs tractationem instituit, sed verã salutis consequendæ rationem tradit, quæ cognitu necessaria est omnibus, qui seruari cupiunt. Ego (inquit) sum Via, & Veritas, & Vita, &c. Ita verò dicere videtur: Dixi me abire in domum patris, vobis quoq; in ea locum parem, siue olim paratum aperiam, vt illuc ad me olim colligamini. Id verò qua ratione fiat, vos ignoratis, neq; videre potestis, qua via ad cœlestes illas sedes perueniatis. Dicam ergo apertius. Ego qui ex terris hisce et mũdo hoc corruptibili abire institui, simul etiã Via sum, per quam alij quoq; eòdem venient, quicunq; me secuti fuerint. Neq; via modò, verumetiam Veritas ipsa sum, quæ hanc viam ingressos errare non patietur. Imò Vita sum, quæ ita meos conseruo, vt ne mors quidem obstare possit, quò minus ad patrem & regni eius cœlestis hæreditatem perueniãt. Sola autem hæc omnia solus, adeò vt ad patrem nemini, nisi per me venire liceat. Si quem ergo seruatoris salutis desiderium, is in me vnum intentus sit, me fide vera apprehendat, & quam ego iam volo aperire volo viam ingrediatur. Hoc quisquis fecerit, ei nihil deerit eorum, quæ ad consequendam salutem necessaria sunt. Hic verborum Christi sensus est. At quia illis tota salutis ratio continetur, & eadem nostræ institutioni atq; consolationi multifariàm seruiunt, singula diligentius erunt nobis ex ordine inspicienda.

Quid sit uenire ad patrem.

Vbi primùm occurrit, quod præcipuum huius tractationis caput est, nimirũ quid sit venire ad patrem. Est hoc idem, quod cũ illo reconciliari, & in illo salute & æterna beatitudine frui. Etenim ab illo alieni propter peccata, & à regni ipsius consortio excluſi, quæ vera & vnica omnium miseriæ & infelicitatis causa est, sicuti in primi parẽtis lapsu apparet. Nã tunc ille & imaginẽ Dei amisit, ad quam initiò conditus erat, & paradiso eiectus est, vt in ista valle lachrymarum inter multos labores, tristes morbos & omnis generis aduersa inobedientiæ suæ pœnas daret. Et quia omnis felicitas ex vnius Dei gratia dependet, nihil nobis in hac etiam vita verè iucundũ & salutare esse potest, nisi illo propitio vtamur. Ostẽdit ergo hîc Christus, quæ sit vera & certa consequẽdæ felicitatis ratio, adeoq; in quo nam summum bonum hominis consistat, de quo seculorum omnium philosophi magna animorum contentione disputarunt, & quæ etiã hodie omnium contentionum & sectarum principua causa, vel etiam materia est. Sentiunt enim natura suam infelicitatem homines, & quamvnquam aliqua rationis luce alios excelluerunt, hi in coniunctione cum Deo summum hominis bonum cõsistere dixerunt, eoq; nos feliciores esse, quò propius ad Deum accedimus. Idem verò pleriq; in sectas scissi sunt, quando carnis sensum secuti coniunctionis istius diuersas vias excogitarũ. Hinc religionum diuersitas simul & confusa Deorũ multitudo exorta est, hinc nouæ quotidie superstitiones prodierunt, hinc diuersa quoq; vitæ studia ab hominibus superstitiosis conficta sunt. Vt ergo omnem contentionũ simul & errorum materiã è medio auferret Christus, in se vno rationem omnem continere docet, qua cum Deo coniungi & veræ felicitatis consortes fieri possimus. Ait enim: Nemo venit ad patrem, nisi per me. Quæ verba Petrus omnium discipulorum nomine postea exponens ita Christo in hunc modum pronũtiat: Act. 4. Non est in alio quoquam salus: nec enim aliud nomen est sub cœlo, quod datum sit inter homines, per quod oporteat nos seruari. Et quod Petrus ait, vno omnium consensu apostoli omnes confirmarũt, quos vnum Christum prædicauisse, & in vno hoc omnem salutem monstrauisse constat. Sufficit ergo hæc Christi sententia ad confutandum omnia hominum figmenta, in quibus superstitiosi salutem sibijpsis pollicentur. Si enim nemo venit ad patrem, nisi per Christum, & nullum aliud præter hunc est nomen, in quo seruari possint homines, vana vtiq; & inutilis erit circunciſionis & legalium ceremoniarum atq; operum fiducia: vanæ erunt gentium superstitiones & multùm inter se diuersa cultus diuini genera: nihil item ex Mahometis sui traditionibus Turcæ, nihil ex Rabbinorum suorum decretis Iudæi vtilitatis percipient: neq; papistis prodesse ab hominibus confictum Missæ sacrificiũ, non iuuabit eosdem à monachis excogitatus ignis purgatorius, non Diuorũ intercessio, non Romanæ indulgentiæ, non vota monastica, non cuculla, ni pretiæ, non feriæ, non fraternitates, non deniq; patrũ & Conciliorũ statuta, & quicquid tandem sui pectoris scrinio pontifices produxerunt. Omnia enim ista vel à Christo prorsus aliena sunt, vel falsò illius nomine palliantur, eoq; magis exosa sunt Deo, quòd cũ impio & superstitioso nomine abusu coniuncta sunt. Habes ergo hîc certam & infallibilẽ regulam, qua omnes religiones aut falsas aut veras dijudices.

Per solum Christum uenitur ad patrem.

dijudicet. Si qui enim Christum vnum prædicant, & hunc vnum sequi docent, hi orthodoxi sunt, & nos sequendo falli non poterimus. Nam qui me sequitur (ait Dominus) non ambulat in tenebris. Quotquot verò vel extra Christum salutem monstrant, vel sua cõmenta illius merito coniungunt, & qui illi soli debetur honorem in creaturas partiuntur, vel etiam sibijpsis & suorum operum meritis vendicant, ij impostores & seductores sunt, etsi angeli de cœlo fuerint. Vide quæ in hanc sententiam Paulus dicit ad Galat. 1. cap.

Facit ad huius doctrinæ confirmationem diligens ista Christi descriptio, quam tribus verbis comprehendit, et omnia in seipso monstrat, quæ nobis ad salutẽ necessaria sunt. Primò ait: Ego sum Via. Ita verò per comparationem sese vocat, eò quòd viæ instar nos ad patrem & thronum gratiæ eius deducit, vt in illo beatitudinis veræ consortes efficiamur. Quo nomine per scalam quoq; olim adumbratus fuit, quæ à Iacobo visa cœlum terræ quasi coniungebat. Et hæc causa est, quòd hominem ex nobis assumpsit, vt Deus simul et homo existens diuina humanis conciliaret. Huc ergo referri debet, quicquid in scripturis de Christo mediatore & intercessore traditur. Et habet hoc viæ vocabulum dulcissimam consolationem, qua nosipsos confirmemus, si quando in mentem venit, nobis propter peccata aditum in cœlos præclusum, nosq; infirmiores esse, quàm vt eò perrumpere possimus. Tunc enim vicissim cogitare debemus, in Christo viam nobis patefactã esse, id quod veli scissio in eius morte facta adumbrauit. Deinde Veritatem se esse ait, quod ad prioris explicationem facit. Sunt enim viæ quædam adeo perplexæ & intricatæ, vt meritò inuias, vel etiam auia dixeris, quales in salutis negotio sunt viæ Rabbinorum, Mahumetanorum, Monachorum & si qui alij sunt horũ similes, qui suis traditionibus non in loca plana, sed potius in Labyrinthos inextricabiles abducunt. Ne quid ergo simile hic quoq; timeamus, veritatem se dicit esse, id est viam veram, rectam & securam, in qua nullus error timeri debeat. Potest præterea alio etiam sensu Veritatis vocabulum accipi: vt nimirum vmbris legalibus opponatur. Ita veritas dicetur Christus, quia in eo verè præstita & exhibita sunt, quæcunq; olim Deus promisit & Leuitici cultus ceremonijs adũbrauit. Et huc pertinet, quod in cap. primo Ioannes dixit: Lex per Mosem data est, gratia & Veritas per Iesum Christũ facta est. Quòd si quis pleniorem huius rei tractationem videre cupit, Paulũ audiat, qui in epistola ad Hebræos multa exponit, vt in Christo eorum veritas habeatur, quæ olim in lege typis & figuris adumbrata fuerunt. Tertiò Vitam quoq; se esse dicit, eo nimirum sensu, quòd nõ ipse modò viuit, sed vitæ spiritum ijs etiam communicat, qui ipsum fide vera apprehendunt. Ideo in loco modò citato noster euangelista ait: In ipso vita erat, & vita erat Lux illa hominum. Constat enim mortem per peccatũ ingressam, nos omnes (vt Paulus ait) per delicta mortuos fuisse. In filio autẽ suo viuificauit nos Deus, vt ex mortis tyrannide asserti, ipsi viuamus quoad hîc viuere datur, olim verò ad æternæ & cœlestis vitæ consortium adducamur. Habet ergo Christus omnia, quæcũq; à salutis cupido desiderari possũt. Via enim est ad patrem deducens, in cuius conspectu est bonorum omnium satietas. Idem veritas est ipsa, quæ neq; errare sinit suos sectatores, nec inanibus vmbris aut spectris ludificat. Adhæc vita ipsa est, & ideo ne mortis quidem periculum timendum est ijs, qui illũ fide vera & constanti sequũtur.

1 Christus est Via.

2 Veritas.

3 Vita.

Restat ergo vnũ hoc, vt nostri officij memores, ea sedulò præstemus, de quibus ipse Christus his ea sunt titulis nos admonet. Quia enim Via est, nostrum fuerit in ipso ambulare: quando nullus viæ vsus est, nisi vt per eam incedant, qui aliquò tendunt. In illum ergo vnum intenti, omnia nostra ad illius doctrinam & exemplum instituamus. Hæc enim vera & propria Christianorũ nota est, quòd ouium instar sui pastoris vocem audiunt. Rursum quia Veritas & omnium promissionum Dei complementum, vel (vt Paulus loquitur) finis legis est, decet, vt illi firmiter credamus, salutem & felicitatem omnem in illo vno quæramus, neq; vllis creaturis locũ demus, quæ nobis aliquid ipsius doctrinæ aduersum vel occultè suggerunt, vel etiam palàm & violenter obtrudunt. Deniq; cùm ipse vita sit, curandum erit, vt in ipso viuamus, non autem seruiamus peccatis, quorum stipendium est mors. Debet enim omnium Christianorum vox esse, quam de semetipso Apostolus pronũtiauit: Viuo, non amplius ego, sed viuit in me Christus: et vitam quam nũc viuo in carne, viuo per fidem filij Dei, qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me. Galat. 2. At si ista hodie cum nostri seculi moribus conferamus, Deum immortalem, quàm alienos à Christi regula & doctrina inueniemus plerosq;, qui Christiani dici & haberi volunt? Quotus enim quisq; est, qui per viam ab illo monstratam ambulet? qui

Officia eorum, qui in Christo seruari volunt.

ad eius doctrinam & exemplum seipsum & omnia sua componat? qui in hoc vno spem omnem salutis collocet? in eo solo omnem felicitatem quærat? qui illius præceptis, promissionibus, minis fidē habeat? qui deniq; in illo viuat, & eum dictis & factis suis exprimat? Quin potius pleriq; mortalium per suas vias ingrediuntur, hominum traditionibus seruiliter addicti sunt, noua indies quærunt sua salutis præsidia, præceptis eius palàm obloquuntur, & hoc ideo faciunt, quia neq; promissionibus neq; minis eius fidem adhibent, ita verò viuūt, vt facilius in illis fœdissima satanæ mancipia, quàm Christi discipulos agnoscas. Quid ergo horribilem sectarum omnis generis confusionem miramur? quid peccandi licentia apud omnes regnante offendimur? quid de multorum infelicitate & interitu quiritamur, quando Christum amplecti & sequi nolumus, qui solus Via, Veritas & Vita est?

Christus discipulorum ignorantiam reprehendit.

Cæterùm ad illius verba redeamus, qui discipulorum ignorantiam, cuius sibijpsis authores eiūt, grauiter reprehendit, dicens: Si nossetis me, patrem etiam meum nossetis. Itaq; hac quæstione nequaquam opus esset. Quòd autem rerum istarum ignari estis, vestra culpa fit. Etenim iam nunc cognoscitis eum, & vidistis eum, id est in me abunde videre potuistis patrem, cùm & doctrina & miraculis diuinam virtutem, adeoq; ipsam Deitatem abunde declarauerim. Quod ergo adhuc hæsitatis & dubij estis, hoc vobis ipsis debetis acceptū ferre, qui manifestissima diuinitatis documenta negligitis. Et hæc quidem nunc dicit, plura & grauiora dicturus paulò post, quādo cum Philippo agens apertius illis oscitantiam ipsorum exprobrabit. Nos verò hîc obseruemus, veram Dei cognitionē in solo Christo haberi. Est enim is (vt Apostolus ait) splendor gloriæ ipsius et character personæ ipsius, vel potius (vt ipse loquitur) vnum cum patre. Adhæc Dei verbum viuum & æternum est, quo omnia nobis reuelantur, quæ de illo nobis cognitu sunt necessaria. Elucent præterea in Christo omnes Dei virtutes, quæ illius timorem & cultum nobis commendant: quales sunt, iustitia, bonitas, veritas, sapientia, omnipotentia, maiestas, & quæcunq; sunt aliæ huius generis. Disputarunt de his olim multis philosophi, & hodie adhuc multus de his sermo est inter eruditos huius seculi: sed inanes speculationes sunt quascunq; carnis ratio parit, nisi Christus nobis præluceat, qui lux mundi & veritas est infallibilis. Possent hæc prolixè tractari, sed cùm alibi de his abūde sit dictum, & plura dicendi occasio subinde se offerat, consultò nunc breuiores sumus. Sufficiat nūc didicisse, Iesum Christum viam esse vnicam, qua ad patrem venitur, adhæc veritatem & vitam esse. Illum ergo amplectamur & sequamur, qui nos errare aut perire non sinet. Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

HOMILIA CXXXII.

Dicit ei Philippus: Domine, ostende nobis patrem, & sufficit nobis. Dicit ei Iesus: Tantum tempus uobiscum sum, & non cognouisti me? Philippe, qui uidit me, uidit patrem: quomodo igitur tu dicis, Ostende nobis patrem? Non credis quòd ego in patre sum, & pater in me est? Verba quæ ego loquor uobis, à meipso nō loquor: sed pater, qui in me manet, ipse facit opera. Credite mihi, quòd ego in patre sum, & pater in me. Sin minus, propter ipsa facta credite mihi. Amen amē dico uobis, qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora ijs faciet: quia ego ad patrem meū abeo. Et quicquid petieritis in nomine meo, hoc faciam: ut glorificetur pater in filio. Si quid petieritis in nomine meo, ego faciam.

QVemadmodum multa sunt huius vitæ incommoda, & (vt Paulus ait) per multas tribulationes nos ingredi oportet in regnum Dei: ita remedium in his præsentissimum & omnium efficacissima consolatio est, certa & constans fides in Deum per filiū eius Iesum Christū. Quia enim is sibijpsi semper constat & petra inuicta est, non possunt spe sua falli quotquot illi innituntur. Ideo Christus discipulos propter discessum suum solicitos consolaturus, hinc exorsus est: Ne turbetur cor vestrum: creditis in Deum, etiam in me credite. Quia autē fides sine eius notitia nō potest consistere, cui fi-

cui subditur, mox de seipso & suæ mortis fructu disserere cœpit, & se viam ad patrẽ vnicam, adhæc veritatem & vitã esse docuit, quæ nos neq; aberrare neq; perire sinat. Sed quia de his breuius, & quædam etiam obscurius dixerat, sequitur in præsenti plenior istorum omnium declaratio.

Occasionem verò illi præbuit quæstio, seu petitio potius Philippi, qua communis discipulorum omnium ignorantia arguitur. Cùm enim multa hucusq; de patre suo dixisset Dominus, illi nondum satis exercitati in diuinis, hunc perinde vt Christũ oculis corporeis videri posse putant, imò eius videndi desiderio gestiunt: ideoq; Philippus reliquis feruentior prorumpit, & ait; Domine, ostende nobis patrem, & sufficit nobis. Quasi diceret, Audimus te ad patrem abire, in patris tui domo complures esse mansiones, & quòd nobis illic locum parare institueris: Audimus præterea per te nobis viam ad patrem patere: deniq; te ita cum hoc esse vnitum, vt hunc norint quicunq; te rectè cognouerũt. At quia nobis hactenus patrem tuũ non licuit videre, non possunt ista nobis sufficere ad eius quæstionis solutionem, quam modò Thomas tibi proposuit. Quæso igitur, sicuti te nobis videndũ præbes, ita patrem quoq; ostende nobis, vt quis nam ille sit, & vbi sit videamus. Quod si feceris, sufficiet hoc nobis, & sublata prorsus erit omnis dubitatio, quæ nos nunc anxios & solicitos habet, &c. Nimis autem euidenter carnis nostræ ingenium his verbis Philippus prodit. Est hoc multæ & reconditæ scientiæ cupidissimum, imprimis verò Deum propius inspicere & cognoscere cupit, sicuti sapientissimorum omnium exempla testantur, qui in hoc præcipuè laborarunt, vt quis Deus sit scirent: nimirũ occulto naturæ stimulo & communi sensu excitati, quo admonebantur, in eo omnis boni thesaurũ & fontem esse reconditum. Et quidem laudem meretur hoc inquirendi Dei studium: at communis hic omnium error fuit, quòd quæ ex solo verbo Dei cognosci & sola fide apprehendi possunt, illi humanæ rationis sagacitate scrutari ausi sunt, & Deũ sibi finxerunt, qui oculis corporeis cerni & sensibus externis percipi posset. Imposuit hic error non modò gentibus, qui non sine scelere de Dijs suis ea dixerũt, quæ nemo vir bonus de se dici vellet: verumetiã sanctis, quos spiritus sancti gratia propius afflauerat. Mos certè fuit in Dei colloquiũ admissus, non contentus fuit ea cognitione, quã ei ille reuelauerat, sed faciem Dei coràm videre cupit. Idem in præsenti omnium discipulorum nomine Philippus petit. Et inter Christianos reperti fuerunt olim Anthropomorphitæ, qui humanam formam Deo tribuerunt: quod ipsum hodie etiã faciunt, quotquot illum aliqua imagine exprimere conãtur. Qui error etsi per se noxius sit admodum, maioris tamen mali causa est: quòd qui eiusmodi speculationibus vacant, plerunq; Deum ipsum oculis & sensibus nostris sese ingerentem negligunt, neq; videre volunt eũ, quem anxijs cogitationibus inquirunt. Accidit hoc gentibus, quibus cùm in mundi huius machina omne hoc reuelasset Deus, quod de ipso cognosci potest, illo tamẽ neglecto in suis illis imaginationibus euanuerunt. Idẽ hìc discipulos passos fuisse, paulò post ex Christi verbis apparebit. Et hodie multi in eo impingunt, qui nihil se perinde cupere aiunt, quàm vt Deum videant & illi coniungantur, interim verò non obseruant ea, quibus se nobis non videndum modò, verumetiam palpandum exhibet. Sit ergo nobis suspecta carnis curiositas & audacia, ne quid vltra fines ab ipso Deo præscriptos scire cupiamus; quod ipsum Christus in sua responsione grauiter monet, quæ tribus omnino partibus constat.

Philippus patrem sibi ostendi petit.

Homines natura cupiunt Deũ uidere.

Prima discipulorum tarditatem & ignorantiam reprehendit, & correptione dignos esse ostendit, qui tam diu in sua schola versati, adhuc diuinorum mysteriorũ adeo rudes & imperiti sint. Tantum tempus (inquit) vobiscum sum, & non cognouisti me? Quasi diceret, Ferri poterat, si qui me nunquam viderunt, aut vix modico tempore mecum versati sunt, eiusmodi quæstiones mouerent; Quòd verò vos adeo ignorãtes estis, quos mihi præ cæteris delegi & meæ doctrinæ simul atq; operum testes adhibui, id certe excusationem nullam admittit. Debet autem hæc increpatio ad omnes eos extendi, qui cùm puriorem euangelij doctrinam multis annis audiuerint, nihil tamen in Christi & salutis cognitione profecerunt, sed easdẽ subinde quæstiones repetunt, & (vt Paulus loquitur) semper quidem discunt, ad cognitionem verò veritatis nunquam perueniunt. Queruntur isti ferè de mysteriorũ salutis & scripturarum obscuritate, sed reuera ipsi sibi nebulas offundunt quibus excæcẽtur, dum inanibus & superuacaneis quæstionibus indulgent. Sed in Christi verbis pergamus, qui mox aliam quæstionem præoccupat, quam Philippus obijcere poterat. Diceret enim ille: Cur mihi tui ignorantiam exprobras, qui vt patrem nobis ostendas rogaui? Quoad te satis nobis notus es, nec aliquid præ

Christus discipulorum ignorantiam corripit.

terea petimus. Occurrit ergo Dominus, & non temere se ita locutum esse docet, cùm neq; ipsum nos patrem rectè norint, & ait: Philippe, qui me vidit, patrem vidit. Quomodo ergo dicis, Ostende nobis patrem? Sensus est: Tu patrem tibi ostendi cupis, quasi ego alius sim à patris natura & essentia. An non meministi, quòd nuper Iudæis dixi, Ego & pater vnum sumus? Quin ergo in me respicis, vt patrem simul videas, & quis nam & qualis ille sit intelligas? Vel num adeò adhuc stupidus es & immodicæ fidei, vt tot visis operibus miraculosis, non credas, quòd ego in patre sum, & pater in me est? Id est, quòd diuina virtus se totam in me exerit, & diuina planè sunt quæcunq; dico & facio? Eodem autem hîc dicit, quæ supra Cap. 12 & 10. & ideo prolixiori verborum expositione non est opus.

Christus patrē in se monstrat.

Obseruemus potius, quòd discipulos de Deo curiosius quærentes in sui contemplationē vocat, & patrem in se videndum atq; cognoscendum proponit: nec tamen sensus corporis externos, sed fidem illis excitat, qua & ipsum & patrē contemplentur. Ait enim: Non credis, quòd ego in patre sum, & pater in me? Causa huius doctrinæ est, quòd Deus qui inuisibilis & immensus est, sese per filium in carne manifestauit, qui etiam ipse non alia ratione quàm per fidem cognosci & apprehendi potest. Nam etsi in rebus creatis quoq;, & infinitis iudiciorum Dei exemplis, ipsius bonitas, potētia, iustitia & quæ aliæ in illo virtutes sunt cognoscantur, salutaris tamē & viuifica illius cognitio, de qua hîc agitur, in solo Iesu Christo habetur, qui vt vera & expressa Dei imago dicitur, ita solus ea perfectè quæ ex æterno patris decreto ad humani generis redemptionē necessaria erant. Itaq; è medio tollentes hic omnes humanæ rationis de Deo speculationes, quas homines vel curiosi vel superstitiosi sine Christo instituunt. Ex quibus non alium fructum percipiunt, quàm quod in suis cogitationibus euanescunt, & tandem ipsi suam stultitiam fateri coguntur. Exemplum huius rei olim Simonides præbuit, qui ab Hierone tyranno interrogatus, quid aut qualis esset Deus, deliberādi causa diem vnum sibi postulauit: postridie verò idem quærente tyranno, biduum petijt. Cùm autem sæpius dierum numerum duplicaret, admiratus Hiero quæsiuit cur ita faceret? Respondit ille: Quia quanto diutius considero, tantò res mihi videtur obscurior. Non multū ab hoc Simonidis facto abludit Socraticum illum, qui post multorum annorum studia, hoc vnum se scire dixit, quòd nihil sciret. Neque pudet hoc illum fateri, cui Delphicum oraculum sapientis titulum detulerat. Vnde verò ista ignorantia apud eos, quos in alijs rebus mortalium ingeniosissimos fuisse constat? Nimirum ex eo, quòd Christum ignorarent, in quo vno omnes veræ sapientiæ & scientiæ thesauri continētur, quiq; lux est vera, quæ mentes nostras illuminat, vt cœlestium mysteriorum capaces fiant. Quòd si verò aliquorum tanta est arrogantia, vt suam inscitiam fateri nolint, ij plerunque ne Dei ignorantes videantur, suo cerebro portenta nouorum figmentorum proferūt, quibus aut Trinitatis diuinæ maiestatem obscurant, aut de Christo ea garriunt, quibus vniuersa fidei & salutis nostræ fundamēta conuelluntur. Exempla huius etiam mali in priscis hæreticis extant, & vtinam non hodie passim exorirentur, qui eadem curiositate & audacia puriorem de Deo doctrinam discerpunt. Si qui ergo cognitionem Dei veram seriò quærunt (quod quidem necessariò facere debent quotquot seruari volunt) ij in vnum Christum intenti, talem agnoscere discant, qualem se nobis in illo manifestauit. Is enim solus ille dilectus est, qui cùm in sinu patris ab æterno sit, propter nos tamen homo factus, nobis enarrauit omnia: vtq; illum vnum audiamus, iam olim Deus pater peculiari mandato præcepit.

Probatur patrē & filium esse vnum.

Transeamus nunc ad secundam huius responsionis partē, qua probat Christus quod dixit: se in patre & patrem in ipso esse, adeoq; se & patrem vnum esse. Vtitur autem argumento ab effectis, doctrina nimirum & operibus, petito. Verba (inquit) quæ ego loquor vobis, à meipso non loquor: sed pater, qui in me manet, ipse facit opera. Videtur argumentum esse eiusmodi: Deus suam gloriam nemini ita communicat, vt diuina virtus perpetuo & inseparabili vnionis vinculo ipsi vnum existens aut coniuncta, sese in omnibus eius dictis & factis exerat. Atqui ego tam verba quam doctrinam cum Deo patre communia habeo, & ita in me manet pater inseparabiliter, vt ipsius virtus in omnibus sese proferat, quæ ego dico & facio. Ergo ego & pater vnum sumus, egoq; verus Deus sum. & verissimè hoc abs me dictum est, quòd qui me videt, idem patrem quoq; videat. De maiori nulla potest esse controuersia, cùm apud Isaiam clamet Deus: Ego Dominus, hoc est nomen meū, & gloriam meam non do alteri. Ad minoris verò declarationem siue confirmationem faciunt quæcunque de Christi doctrina & operibus in scripturis dicuntur. Etenim si doctrinam eius, qualis in scripturis continetur,

derent, mox non humanam, sed diuinã esse patebit, vt meritò de illa Capite septimo dixerit: Doctrina mea non est mea, sed patris qui misit me. Eadem enim est cum ea, quam pater primis parentibus in paradiso prædicauit de semine mulieris, quod veteris serpẽtis caput conterere, & miseros mortales ex eius tyrannide liberare debeat: quam itẽ in lege typis innumeris illustrauit, & per prophetas prolixè & copiosè exposuit. At quia non statim Deus est, qui diuina loquitur (hoc enim post Mosen prophetæ & Apostoli quoque fecerunt) simul videre oportet, quàm efficax Christi doctrina fuerit, & illic diuinæ virtutis in ipso verè & perpetuò manentis argumenta apparebunt. Matthæus scribit populum eius doctrina perculsum fuisse scribit, eò quòd doceret vt habẽs authoritatem, & non vt scribæ. Quibus verbis innuit, rude etiam vulgus in eius sermonibus diuinam maiestatem agnouisse, quodq; pro suo iure de lege & vero eius sensu, de vita & salute ac regno Dei dissereret. Simile quid accidisse Lucas scribit, quando puer adhuc in templo cum doctoribus contulit: quando itẽ apud ingratos suos ciues in schola Nazarethana docuit. Idem mulieris etiam meminit, quæ cùm illum docentem audiret, diuinæ virtutis admiratione abrepta exclamauit: Beatus venter, qui te portauit, & vbera quæ suxisti. Sensit quoque vim illam Petrus, quem Capite sexto dicentem audiuimus: Tu verba vitæ æternæ habes, & nos credimus & cognouimus, quòd tu es Christus, ille filius Dei viuentis. Quibus adde, quæ de sacerdotũ seruis ad ipsum capiendum emissis dicta sunt Cap. septimo. Quia ergo hæc obseruare & sentire potuerunt, qui eius doctrinam nondum intelligebant, quis non videat, diuinam virtutem illi coniunctam fuisse? Quoad opera autem, euidentior & oculis quoq; magis exposita muenitur veræ in Christo diuinitatis demonstratio. Fecit enim, quæ nõ modò vires humanas, verumetiam omnem humanum captum superant. Fecit autem non vt olim Moses & prophetæ, & postea Apostoli, qui virtute aliena instructi similia fecerunt, sed authoritate & virtute propria. Nã pro suo in omnes creaturas imperio morbos increpuit, & cesserunt: dæmones exire iussit, & paruerunt: ventis & fluctibus imperauit, & quieuerunt: mortuos euocauit, & in vitam reuersi sunt. Quæ cum solius Dei opera sint, Christus Deus verus et æternus sit oportet. Ideo infert: Credite mihi, quòd ego in patre sum, & pater in me: Sin minus, propter ipsa facta credite mihi. Vbi primò quidem pro suo in discipulos iure ab illis exigit, vt verbis eius fidem habeant. Mox verò, quia hoc carni durum & difficile esse sciebat, ad opera illos denuo remittit, et instar indulgentissimi præceptoris ait: Si verba mea vobis indigna videntur quibus credatur, saltem operibus credite, quæ eiusmodi sunt, vt de illorum veritate nemo dubitare possit. Simile quid supra Capite decimo Iudæis quoq; dixit: Si non facio opera patris mei, nolite credere mihi: Sin autem facio, etsiamsi mihi non credatis, operibus credite, &c. In præsenti verò doctrinam cum operibus coniungit, vt de his ex illa iudicare doceat, & simul omnem excusationis prætextum auferat ijs, qui ipsum ignorare pergunt. Nos itaque scopum et vsum istorum omnium obseruemus: vt primò quidem Deum verum & æternum agnoscamus Iesum Christum, & ex eo consolationem petamus in omni afflictione & firmi in fide perseueremus. Quia cum talis est, facile suos tuebitur, neque aliquam ouium suarum ex manibus suis sibi eripi patietur. Minimè ergo nos mundum hunc timere, aut eius minis atque conatibus terreri conuenit. Maior enim est qui in nobis viuit & agit, Iesus Christus, quàm qui in mundo furit & insanit, Satan. Deinde officij nostri memores, verbis eius credamus, neque incertam aut obscuram esse quiritemur euangelij eius doctrinam, quæ & olim infinitis signis confirmata est, & etiamnum hodie diuinam virtutem in eorum animis palàm exerit, qui eam fide vera apprehendunt. Credamus autem non promissionibus modò, quæ per se iucundæ & auditu suaues sunt, verumetiam præceptis eius, quibus nostri ipsius abnegationem, carnis mortificationem, vitæ nouitatem & sanctimoniam, dilectionem fraternam, & si quæ alia sunt huius generis requirit. Frustra enim fide gloriabitur & promissiones salutis ad se trahet, qui Christo obedire detrectat, neque eas conditiones admittit, quæ promissionibus istis connexæ sunt. Sed quia de hoc ipse Dominus in sequenti Sermone disseret, hæc paucis annotasse contenti, ad tertiam huius loci partem progrediemur.

Doctrina Christi diuina.

Opera Christi diuina.

Habet hæc noua consolationis argumenta, quibus per præoccupationem cogitationibus discipulorum occurrit, quas illos animis suis versare sciebat. Quia enim in carnalem eius præsentiã intenti erant, & de ipsa quoq; Deitate adhuc nimis carnaliter sentiebant, sicuti in Philippi postulatione videbimus, non dubium est, quin ita intra animos suos cogitauerint: Tu quidem magnificè de diuinitatis

Christus suæ diuinitatis effecta exponit.

tate tua loqueris, teque vnum cum patre esse argumentis firmissimis demonstras, quibus plane fidem habemus, & ideo te hactenus secuti sumus, nec in posterum abs te diuelli volumus. At quis ex tua illa diuinitate fructus sperari potest posthac, quando non amplius in terris hisce nobiscum futurus es, teq; ex hoc mundo ad patrem abire dicas? Annon nos orphanorum instar omni præsidio et patrocinio destituti, misere fluctuabimus, & immani hostium libidini subijciemur? Quis ergo te absente nos tuebitur? aut quo argumento certi efficiemur nos sub tua protectione agere? Hæc & multa alia similia procul dubio discipuli cogitabant, & eadem fortassis dicturi erant, nisi illos Dominus noua consolatione præuenisset. Est enim hoc carnis ingenium, quòd Dei potentiam non vltra sensus nostros extendi putat, & tunc modò illum nobis præsentem esse arbitratur, quando hoc aliquo beneficio externo declarat. Quin hodie etiam multis Christus procul ab ecclesia ablegari videtur, quando illum corpore suo non amplius in terris agere, sed supra hunc mundum corruptibilem in cœlesti gloria considere docemus. Sed occurrit huiusmodi obiectionibus, & illis nihil defuturum ostendit, licet corpore suo discedat, simulque docet, vt suæ gratiæ & virtutis beneficio ipsi in terris frui possint. Est ergo locus hic consideratu dignissimus, cùm propter nostri seculi de Christi præsentia controuersias, tum quòd non modò consolatur in periculis constitutos, verumetiã admonet, quid nos tunc facere conueniat.

Apostoli signa fecerunt maiora quàm Christus.

Quoad primum, graui cum asseueratione ait: Amen amẽ dico vobis, qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet: & maiora ijs faciet: quia ego ad patrem meum abeo. Disputatur hoc loco à multis, quæ nam illa opera maiora sint, & num pro incredulis & alienis à Christo censeri debeant, qui opera eiusmodi miraculosa non faciunt. Sed non oportet Christi verba aliò detorquere, sed in ipsa tu ab illo institutæ tractationis insistere. Est is, quòd discipulos ob suũ discessum solicitos consolatur. Illis ergo nunc loquitur, non omnibus credentibus in genere. Nec enim omnium est opera miraculosa facere, neq; etiam ijsdem semper opus est. Sunt enim (vt Paulus ait) discrimina donorum atq; ministeriorum, idem verò spiritus, qui illa omnia operatur: & alij quidem datur sermo sapientiæ, alijs promo cognitionis, alij fides, alij dona sanationum, alij facultates edendarũ virtutum. Debet ergo promissio hæc præcipuè de Apostolis exponi & viris Apostolicis, quorũ ministerio in euangelij praedicatione & regni sui per totũ orbẽ propagatione vti volebat: & sensus est, adeo nihil incommodi illorum suo discessu accepturos esse, vt potius illustrior in illis futura sit ipsius virtus, qua illis ita adiuuabit, vt miracula suis non similia modò, verumetiã maiora edãt. At quæ nam illa sint, non eadem omnium sententia. Sunt qui de ijs exponant, quæ de vmbra Petri & sudarijs atque semicinctijs Pauli Act. 5. & 19. cap. cõmemorantur. Sed non video qua ratione hæc maiora dici possint nonnullis ipsis Christi, ijs maximè, quibus corpore procul absẽs. sola occulta virtute, cẽturionis seruilũ & regij filium curauit: Lazarum item iã quartũ diem in sepulchro agentẽ vitæ restituit. Simpliciter ergo mihi eorum sententia videtur, qui per apostolos & plura signa et maiori cũ effectu facta fuisse autumant. Nam vt plures erant & per loca diuersa dispersi, ita plura etiam facere potuerunt, quàm Christus solus, qui intra Iudeæ fines sese continebat. Constat præterea plures apostolorũ ministerio ad fidem conuersos fuisse, quàm cùm ipse Christus in terris prædicaret. Et vt multa, quæ hîc dici poterãt, omittamus, miraculorum omnium maximum & excellentissimum fuit mundi totius innouatio & reformatio (vt ita dicam) generalis, quam per apostolos introductam fuisse scimus. Erat enim illo tempore mundus in duas sectas Iudæorum nimirũ & gentes diuisus, vtraq; verò fœdis erroribus, superstitionibus absurdissimis & nefandis sceleribus immersa erat, & ita in toto orbe satan longè latèq; dominabatur. Et Iudæi quidem ex singulari Dei consilio suos ritus & vetera quædam legis exercitia retinebant, gentium verò superstitiones Romani imperij authoritate & legibus, imò armis quoq; defendebãtur. Et potuissent fortassis Romani, si ita illis visum fuisset, ritus externos mutare, Deos alios quos & eorum cultum abolere (quod in Bachi orgijs illos fecisse historici tradunt) nouos item Deos suis suffragijs creare (quod ipsum eos fecisse scimus, quando Imperatores suos in Deorum numerum referebant) at ijdem ipsas hominum mentes mutare & nouas voluntates in illis creare nunquam potuissent: quia animos & voluntates aliqua vi externa cogere impossibile est. Id verò per Apostolos factũ esse scimus, qui cùm pauci numero, adhæc neq; armis neq; aliqua publica authoritate munitus essent, in orbẽ totum egressi, Iudæorum simul & gentiũ animos mutarunt, superstitiones abolerunt

cum

cum idolis & sacris suis omnibus, peccandi licentiam coercuerunt, denique mundum hunc ex diabolica tyrannide assertum ad fidei obedientiam reduxerũt. Quod hoc etiam nomine maiorem admirationem meretur, quòd hæc inuitis Romanis Imperatoribus & multùm reluctantibus ijs omnibus facta sunt, qui tunc inter Iudæos & gentes aliquam sapientiæ & sanctitatis existimationem sustinebant. Hæc ergo opera illa præclara & eximia sunt, in quibus Christi virtus sese per Apostolos exeruit, quæ etiã hodie non sine stupendis miraculis sese exerit, quando similiter per euangelij prædicationem multorum animos mutari, superstitiones aboleri & totas gentes subitò reformari, ecclesiam item in mediis hostibus conseruari, perq; viles & contemptos ministros indies latius propagari videmus. In his ergo ipsi quoq; diuinam Christi virtutem agnoscamus, simulq; ei locum demus, vt eadem opera in nobis quoq; fiant, quæ illum sua virtute & spiritu in nobis regnare testentur.

Vnde hæc virtus apostolis obtigerit.

Porrò singularem considerationem meretur causa, quam huic promissioni Christus annexit, dicens: Quia (inquit) ad patrem meum abeo. Dicat enim hîc aliquis: Quomodo ad patrẽ abire potuit, qui in patre iam tunc erat, & eum in se habebat manentem? De humana ergo natura hoc dictum intelligi debet, quam ex nobis assumptam in cœlos euehere & illic ad dextram patris collocare debuit, vt cœlestis gloriæ simul & potestatis diuinæ consortem faceret. Itaq; huius clausulæ sensus est: Hactenus quidem misera & mortali carne amictus vitã in terris vixi laboriosam & omni miseriarum genere refertam, nec nisi obscurius diuinitatem meam exerui, quantum videlicet nunc fieri necesse fuit. At nunc tempus instat, quando carnem hanc ex resurrectione immortalem factam in cœlos eueham, & quoad humanitatem quoque potestatem omnem in cœlo & in terris accipiam. Tunc ergo euidentius multò quàm hucusque virtutem meam diuinã declarabo per vos quos spiritu sancto ita instruam, vt quod nunc promitto præstare possitis. Respicit itaq; ad prophetarum vaticinia, qui hoc futurum prædixerant, vt Christus peracto in terris nostræ salutis negotio, spiritus dona effunderet, quibus Apostoli eius armati, orbem terrarum ad ipsius obedientiã reducerent. Et pertinẽt huc quæ locis secundo & Psal. 68. habentur. Eos enim locos Petrus in Actis & Paulus ad Ephes. cap. 4. de Christi ascensione in cœlos & spiritus sancti missione exponunt. Itaque in spiritus sui præsentia & efficacissima virtute nobis consolationem monstrat, & hac se sarturũ promittit absentiam corporis, quo ex terris modo discessurus sit. Licet ergo corpus suum ex mũdo subduxerit Christus, maiestatem tamen & virtutem non abstulit, sed quoad Deitatem suam nobis adest, & in credentibus efficaciter ea operatur, quæ illis vtilia & ad regni sui propagationem necessaria sunt. Et est multa consideratione dignum, quòd discipulos ideo suam virtutem efficacius sensuros ait, quòd ipse ad patrem abiturus sit. Id enim eos validissimè confutat, qui pro carnali eius præsentia in Cœna hodie contendunt, & nos Christi maiestatem atq; omnipotentiam negare clamant, quando illum corpore suo in cœlis residere, nec amplius in terris quæri debere docemus. Qua enim ratione hoc de nobis illi dicunt, quando ipse Christus suam virtutem & maiestatem in corporis absentia illustriorem fore testatur? Vel quis non videat, illos potius nimium humiliter de Christo sentire, qui illum omnipotentem omnium creaturarum gubernatorem non agnoscunt, nisi corporaliter omnibus in locis præsens adsit? Nam hoc dicendo regibus huius seculi inferiorem faciunt, quorũ maiestas & authoritas in extremis quoq; regni finibus agnoscitur, licet ad eos ipsi corpore suo nunquam accedant. Sed quia de hoc alibi plura dicet ipse Christus, pauculis hisce modò contenti simus.

Vt Christo in cœlis agente nos fruamur.

Nunc alterum huius Præoccupationis membrũ videamus, quo & amplius cõsolatur discipulos, & simul docet, qua ratione aut quomodo ipso licet in cœlis agente frui possint. Sic autem dicit: Et quicquid petieritis in nomine meo, hoc faciam, vt glorificetur pater in filio, &c. Ad preces ergo illos remittit, quibus fidem quoq; simul comprehendit, quando constat nullum esse precationis effectũ, nisi ex fide fiat. Et sanè alibi quoq; sola fides medium esse docetur, quo Christus apprehendi potest, qui quoad corpus in cœlis agit, neq; se amplius sensibus externis offert. Precum tamen potius quàm fidei nunc meminisse voluit: primo quidem, quia hoc ad Deitatis suæ demonstrationem faciebat (quod præcipuum huius consolationis caput est) deinde quòd discipulos officij admoneri oportuit, vt scirẽt quid fieri debeat, si qui ipso præsente frui volunt. Ad primum pertinet, quòd non ait: Quicquid petieritis in nomine meo, hoc vobis dabit pater: sed, Hoc faciam, vt glorificetur pater in filio. Neque eo contentus, idem mox repetit: Si quid petieritis in nomine meo, ego faciam. Quàmuis ergo in nomine

suo patrem inuocare iubeat, simul tamen se non Mediatorem modò, sed eorum quæ petimus auctorem quoque & largitorem, ideoq; verum Deum, & eiusdem cum patre essentiæ atque potestatis esse docet. Possumus enim ex eius verbis argumentum eiusmodi colligere: Nemo præter solum Deum omnium se inuocantium preces audire, & eorundem votis satisfacere potest. Ego autem quicquid petieritis in meo nomine vobis facere & præstare possum. Ergo Deus verus, patriq; coæternus & consubstantialis sum. Ad alterum pertinet, quòd preces illis commendat, quibus suum auxilium implorare debeant. Obseruarunt hoc diligentissimè Apostoli, quos inter miracula Christi nomè inuocarunt, & simul piorum precibus seipsos & ministerium suum commendauisse legimus. Et est hæc vnica & certissima ratio, qua Christum nobis conciliare possumus, vt sua virtute nobis præsens adsit, inimicis tueatur, & laboribus atque studijs nostris benedicat. Quam quia plerique hodie negligunt, non mirum est infelicius ferè omnia cedere, &c.

Vera precandi ratio.

At simul paucis hisce verbis veram precandi rationem comprehendit, de qua etsi sæpe alibi dictum sit, tamè hîc etiam aliquid dicemus, quando precibus imprimis colitur Deus, & ijsdem propter omnis generis afflictiones nobis nunquam non opus est. Et quidem solum Deum inuocari debere, sincera omnis vnanimi consensu testatur: neque vllus alius est, qui vota nostra omnia audire, & in quauis tentatione nobis succurrere possit. At quia nobis propter peccata aditus ad illum præclusus est, in Christi nomine preces fieri debent, quem ille nobis apud se Mediatorem & aduocatum constituit. Vbi imprimis fide opus est, qua credamus, Deum nobis propitium esse, & preces nostras exaudire propter filium, qui peccata nostra expiauit, & chirographum legis sustulit, quo in Dei conspectu accusabamur. Nec temere fieri putemus, quòd idem in præsenti bis dixit Dominus. Ita enim cauere voluit, ne quos alios nobis intercessores siue aduocatos quæramus: sed vno illo contenti simus, siue nemo ad patrem venire potest. Quod ipsum Apostoli quoq; diligenter inculcant, vt tam alibi est videre quàm in priori ad Timoth. secundo cap. & 1. Ioan. 2, &c. Præterea certum quoq; precum nostrarum finem siue scopum constituit Dominus: Vt glorificetur pater in filio. Admonet de eodem etiam in formula precandi, quam nobis præscripsit: vbi petitionum omnium prima est, vt Dei nomen nobis sanctificetur. Decet enim Dei filios, vt de patris honore et gloria imprimis soliciti sint. Atque hæc in filio Iesu Christo potissimùm elucet, ea nos præ alijs omnibus petere cõuenit, quæ ad regni eius propagationem atque conseruationem pertinent. Est ergo impudens nimium & prophanus nominis Christi abusus, si illo præterito nostris modò commodis priuatis studeamus, aut etiam ea petamus, quæ neque pia neq; honesta sunt. Poterant hæc latissimè diduci, sed sufficiat nunc causas intelligere, quibus fit, quòd preces nostræ ferè irritæ sint apud Dominum. Alij enim non precantur, sed impetuoso & belluino vlulatu Dei auribus obstrepunt. Alij impudẽter vel sine Christo in illius cõspectu ruunt, vel alios sibijpsis Mediatores fingunt, in quos illi debitã gloriam transferunt. Plerique porrò carnis desideria secuti, res noxias aut saltẽ inutiles petunt, vel etiam bonis rebus pro sua libidine abuti cupiunt. Non potest ergo precibus nostris Deus annuere, qui vt sanctus est, ita filij sui regnum & salutem nostram vnicè promouere cupit. Sed tempus est, vt dicendi finẽ faciamus. Non in tractationis scopum intenti, fortes simus in Christo Iesu, qui etsi corpore suo terras reliquerit, non tamen præsens est, quatenus hoc salutis nostræ ratio requirit, & suorum preces clementer exaudit. Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

HOMILIA CXXXIII.

Si diligitis me, præcepta mea seruate. Et ego rogabo patrẽ, & alium paracletum dabit uobis, ut maneat uobiscum in æternũ: Nempe spiritum ueritatis, quem mundus non potest recipere: quia non uidet eum, neq; nouit eum. Vos autẽ cognoscitis eum, quia apud uos manet, et in uobis erit.

QVemadmodum Dei filius, Iesus Christus, suum erga discipulos amorem multis argumentis testatus est, quàm diu apud illos in terris vixit: ita illius indicia cumprimis clara & manifesta

mirabilia præbuit, cùm mortis hora instaret, & ipsi ex hoc mundo discedendum erat. Nam vt pater filius iam moriturus liberos suos consolatur, monet, & ijsdem tutores dat, docetq; vt his obedire debeant. Sic illum hæc omnia abunde præstitisse videmus. Hactenus enim dolorem, quẽ ex eius abitu concipiebant, dulcissima consolatione leniuit. Nũc verò eos præceptis instruere incipit, quibus simul nouas iisdem consolationes interserit. Præmittit autem in præsenti summam eorum, quæ dicturus est, cuius hæc sunt capita. Primò docet quid faciant, si germani ipsius discipuli esse & salutis per ipsum partæ consortes fieri cupiant. Deinde ad hæc obeũda vires se subministraturum promittit per spiritum sanctum, qui posthac suus apud illos vicarius futurus sit. Postremò qui huius capaces sint docet. Etsi verò ista discipulis, quos tunc habebat, dixerit, eadem tamen ad omnes nos pertinent, qui docemur quales nos esse conueniat, vt & veri Christiani simus, & salutem illius merito quæsitam retineamus.

Principiò, quia se preces ipsorum in suo nomine factas exauditurũ & quæ rogaretur facturum promiserat, recte nunc illos vicissim sui officij admonet, ne sibi quiduis agendi licentiam cõcessam esse arbitrentur. Si diligitis me, præcepta mea seruate. Quæ verba non sic accipi debent, quasi liberum illis faciat, vt ipsum pro suo arbitrio diligant, aut non diligant. Est enim perpetuò firmum ratumq; præceptum, quo Deum ex toto corde & pro virili nostra diligere iubemur. Sed quia ipsi cum illis res erat, qui ipsius amorem atque dilectionem profitebantur, & iam totis animis dolebant, quòd illum breui discessurum esse audiuissent, vt præpostero & carnali ipsorum desiderio medeatur, ostendit, quibus argumentis suum amorem testari debeant. Sensus ergo verborum est: Scio me à vobis diligi, & dilectionem hanc vos profiteri audio, dum mecum in mortem vos abituros esse dicitis, & ad mei discessus mentionem ingemiscitis. At amorem hunc non lachrymis & gemitibus vos testari velim, quibus nunc minimè opus est, sed præceptorum meorum obseruatione, quæ vobis tam commendata esse volo, quàm ego vobis charus sum, &c. Discipulos officij admonet.

Docet igitur locus iste, in quo nã vera Christi dilectio, adeoq; totus Christianismus consistat. Est hoc necessarium cognitu, quia hîc salutis nostræ negotiũ agitur, & vix in alia re magis peccari solet. Nam etsi Apostoli tenerrimè quidem Christum diligerẽt, cuius causa omnia sua reliquerant, simul tamen carnis affectibus decipiebantur, vt amorẽ suum ferè ijs rebus declararent, quæ & Christi gloriæ & cõmuni omniũ saluti plurimùm incõmodassent, si illorũ desiderijs & voluntati morem gessisset Dominus. Alibi enim petunt, vt ignẽ cœlitus immittat ijs, qui ipsum ab vrbe sua excludebãt, & ita sibi factam iniuriam vlciscatur. Alibi verò, vt regnũ suum splendore externo ostẽtet. Rursus ab imminenti mortis supplicio interdum illum dehortantur, & nunc propter eius discessum contristantur, & interris hisce inter omnis generis pericula ipsum manere volunt, qui ad capessendã regni cœlestis hereditatem festinabat. Quod verò illis accidit, hoc ipsum hodie frequenter fit, vt cæco amore & zelo pij abrepti ea petant, quæ & ipsis noxia essent, & Christi regnum vehementer impedirent, si illorũ votis Deus annueret. Et est hoc ingens nostræ corruptionis argumentum, quòd in Christo amando peccamus, & tunc quoque saluti nostræ contraria facimus, quando pietatis studio quàm maximè efficimur. Nam tũc quoque vel crucem deprecamur, qua regnum eius latissimè propagatur: vel ad vindictam excitare cupimus eum, à cuius bonitate & misericordia totius mundi salus dependet: vel inconsulto zelo abrepti in arma ruimus, quæ plerunq; maioris calamitatis causa sunt: vel nostri animi intentionem secuti cultus superstitiosos instituimus, quibus Christi et meriti eius gloria paulatim obscuratur. Et qui nihil horum faciunt, ij disputationes de fide & religione deq; Christi præceptis instituunt, & in eo summam pietatis consistere arbitrantur, si illis omnia loca cùm publica tum priuata compleant, & omnium auribus molesti sint. Sed longè aliter de hac causa Christus pronũtiat. Si (inquit) diligitis me, præcepta mea seruate. Ergo præceptorum eius obseruatio vera & diligens (quam fidei obedientiam dicit Apostolus) germana & propria nota est eius dilectionis, quæ nos illi gratos & acceptos reddit. Quemadmodum enim ij demũ filij patris sui verè amantes censentur, qui illius iussis obtemperant, frustra autem de parentum dilectione disserunt, qui sua inobedientia eos offendere & irritare non verentur: Ita Christus quoque non alios syncero sui amore accensos putabit, quam qui hunc fido & sedulo obsequio testantur, procul verò abs se reijciet omnes, qui præcepta eius contumaciter & proteruè spernũt. Docet hoc ipsum etiam Matthæi septimo Cap. quando ait: Non In quo nam Christi dilectio consistat.

omnis, qui dicit mihi Domine Domine, ingredietur in regnum meum, sed qui fecerit voluntatem patris mei, qui in cœlis est. Similiter, cùm per Mosem olim Deus præcepisset: Diliges Dominũ Deum tuum ex toto corde tuo, &c. mox subiungit: Sint verba ista, quæ ego hodie tibi præcipio, in corde tuo, & inculces ea filijs tuis, &c. Et apud Malachiam hypocritas, qui ipso patre gloriabantur, & eius amantes volebant videri, ad hunc modum confutat: Filius honorat patrem, & seruus dominum suum. Si ergo ego pater sum, vbi est honor meus? si verò dominus sum vester, vbi mei timor? Et supra octauo Capite ex Deo natos esse negauit, qui verbum suum non audiunt. Constat ergo ex his, à Dei dilectione alienissimos esse, quicunque eius præcepta contemnunt, & suæ carnis desideria illis præferunt. Possunt illi vana aliqua persuasione sibijpsis imponere, & Dei amorem plenis buccis iactare, sed suis factis seipsos mendacij arguunt.

Contra traditiones hominũ.

At simul obseruabis, quòd disertè de suis præceptis loquitur Dominus. Nec enim ait: Si diligitis me, seruate maiorũ traditiones, sacerdotũ statuta & decreta Conciliorum, vel facite quod vobis bonũ & sanctum videtur: aut ex bona animi intentione cultus magnificos et sumptuosos instituite: sed præcepta MEA seruate. Et quod discipulis dicit, ad omnes similiter pertinet, qui ipsius cultores videri volunt. Nec enim alia apostolos prædicare iussit, quàm quæ ipse tradiderit. Et Matth. 15. cap. sententiam illam olim per Isaiam pronuntiatam confirmat: Frustra me colunt, docentes hominũ doctrinas. Abolentur igitur hoc loco hominum traditiones, & quæcunq; in fidei & religionis causa ex nostro cerebro fingimus. Cõmendant quidem sua decreta Pontifices authoritate ecclesiæ, & eo argumento eandem, quæ scripturis debetur, fidem illis vendicant. At nos ecclesiæ titulo indignam dicimus, quæ non vnius sponsi vocem audit, neq; aliud Dei verbũ nouimus, quàm quod in scripturis continetur, quas à Deo inspiratas esse, & ad hominis Christiani perfectionem sufficere Apostolus testatur. Scimus præterea cultus eiusmodi, qui ab hominibus instituuntur, magnifico quidem splẽdore & apparatu commendari: sed meretricius ille ornatus dst, quem sponsus Christus ferre non potest, qui in sua sponsa nihil aliunde acceptum videre vult, nihil etiam ferre, quod ab ipso mentem auocat, qui vnus nobis ad omnia sufficit. Et de omnibus istis olim per prophetam pronuntiauit Dominus. Quis requisiuit ista de manibus vestris?

Præcepta Christi quæ sint.

Videamus autẽ, quæ nam illa Christi præcepta sint, quorum obseruatio nobis ad testandam eius dilectionem necessaria est. Continentur ea in scripturis, neq; in incertis & ad quenuis auræ flatum volitantibus Sibyllæ folijs quæri debent, simulq; paucis comprehendi possunt. Primũ & præcipuum eorum caput est Fides, vt nimirum in ipsum credamus, & quidem talem agnoscamus, qualem Apostoli prædicant. Exigit hoc, quoties fidẽ nobis commendat, laborantes & oneratos ad se solum vocat, & promissiones salutis omnes solis credentibus accõmodat: sicuti multis doceri posset, si in re ipsa Sole meridiano clariore aliqua demonstratione opus esset. Regulam autem fidei ipse constituit euangelij doctrinam, cuius prædicationem Apostolis suis mandauit. Eius enim verba sunt: Ite in orbem vniuersũ & prædicate EVANGELIVM omnibus creaturis: Quisquis crediderit et baptizatus fuerit, saluus erit. Et infra Capite decimo septimo dicentem audiemus: Non pro eis (hisce nimirum vndecim discipulis) rogo tantùm, sed & pro ijs qui credituri sunt PER SERMONEM EORVM in me. Est hoc probè obseruandũ propter eos, qui simplex & rude vulgus ad fidẽ ecclesiæ remittunt, vtq; in ea omnes perseuerent hortãtur, nõ aũt exponũt quæ nã illa sit, vel etiã ex suo capite nouos fidei articulos condunt, eosq; vt necessarios ad salutem omnibus obtrudunt, cùm eorum nulla mentio fiat in scriptis Apostolorum, quos suæ fidei præcones Christus constituit. Piè ergo & recte à maioribus nostris factum est, qui fidei articulos in breuem summam contraxerunt, quæ Symbolum Apostolorum dicitur, & hanc fidei regulã esse voluerunt, ad quam omnes examinarentur, qui Christi nomen sibi vsurpabant: sicuti apud Irenæum & Tertullianum, vetustissimos & apostolorũ temporibus proximos scriptores est videre. Alterum præceptorum Christi caput est, vt exemplum eius imitemur. Quod enim supra de pedum ablutione dixit, Exemplũ præbui vobis, vt sicuti ego feci vobis, ita & vos faciatis: hoc ipsum ad omnia extẽdi debet, quæ similiter ab illo nobis in exemplum facta sunt. Nam idem alibi ait: Discite à me, quòd mitis sim & humilis corde. Et Petrus illũ pro nobis passum esse, & nobis exemplum reliquisse ait, cuius vestigia sequamur. Potest autem hæc pars latissimè diduci. Elucet enim in exemplo Christi perfectissima obedientia & extrema humilitas, quæ eò vsque

ò vsq; demisit se, vt serui forma assumpta ad mortem vsq; omnium acerbissimam patri obedierit, ne ipsius æterno de nobis redimendis decreto deesset. Innocentiæ verò ita studuit, vt de ea Pilatus quoq; & Herodes testati sint, & illius hostes ne falsis quidem testibus aliquid reprehensione dignum inuenire potuerint. De charitate verò eius quid dicere attinet, quando propter nos qui omni beneficio indigni eramus, omne genus malorum & ipsam quoq; mortem sufferre voluit? His ergo nos etiam studere decet, & secundum ipsius exemplum nostram quoq; vocationem sequi, cui nos destinatos esse videmus, & ita ipsius præcepta seruabimus, & eundem verè diligemus. Et hæc illa sunt, quæ & scriptura passim exigunt, & quorum studium in Sacramentorum vsu profitemur, & ad quorum obseruationem per illa arctissimo religionis vinculo obstringimur. Quòd si autem ista cum nostri seculi moribus conferas, Deum immortalem, quàm alienos ab his inuenies plerosq;, qui se Christianissimos esse profitentur? Rara igitur est hodie in terris vera & syncera Christi dilectio: vt iam nihil de ijs dicamus, qui non contenti eius præcepta neglexisse, insuper hostiliter alios persequũtur, quos aliquo eorum studio teneri vident. Sunt hi aperti illius hostes, quocunq; sese titulo pallient. Quia ergo totus fere mundus ex hypocritis & apertis Christi hostibus constat, quid mirum est, si suam aduersus nos iram Deus nouis & horrendis iudicijs quotidie declarat?

Spiritus promittitur paracletus.

Cæterùm quia hæc carni dura sunt, & multas remoras ijs mundus iniicit, qui vero Christi amore incensi præcepta eius obseruare student, paracletũ, id est consolatorem, aduocatum siue tutorem se daturum pollicetur, qui illos confirmet, regat atq; tueatur, neq; vnquam ab illis discedat. Et ego rogabo (inquit) patrem, & alium paracletum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum, &c. Ita verò loquitur, quoad Mediatoris personam, quã illi pater imposuit. Quoad enim Dei Filius et eiusdem cum patre essentiæ & maiestatis est &c. precibus minimè opus habet, sed de suo largitur quicquid vult. Et ideo in sequenti Cap. dicet: Cùm venerit paracletus, quẽ EGO mittam vobis à patre, &c. Porrò huius loci sensus est: Ego quidẽ vobis hactenus adfui, neq; passus sum vobis aliquid deferi, defendi item aduersus insidias atq; pericula: Sed quia mei discessus hora instat, neq; posthac vobiscum corporaliter versabor, efficiam vt alium tutorem & aduocatum habeatis, qui non ad breue tempus, sed perpetuò & in æternum penes vos maneat.

Vicarius Christi quis.

Vbi primùm obseruabimus, quem sibi vicarium Christus substituat. Num Petrum, quem apostolorum principem nonnulli dictitant? num Ioannem dilectum discipulum? num aliquem alium ex discipulorum numero? num matrem virginem? num angelum, aut vnum ex patrum siue prophetarum olim defunctorum ordine, sicuti de Enochi & Eliæ reditu quidam fabulantur? Nequaquam. Nam vt de alijs nihil dicamus, longè aliud fuit apostolorum officium, quos sui euãgelij præcones & mysteriorum regni sui dispensatores (vt Paulus loquitur) non autem suos vicarios esse voluit. Et si vicarij munus atque officium consideres, illi vices Christi nequaquam obire potuerunt. Quia nec vbiq; pijs adesse, neq; in animis hominum efficaciter operari, neq; illis vitæ spiritum largiri, neq; aduersus hostes tam visibiles quàm inuisibiles ecclesiam tueri potuissent. Sunt autem hæc Christi capitis nostri officia, qui cùm suam gloriam nemini cedat, seipsum ecclesiæ suæ semper præsentem pollicetur. Ego (inquit) vobiscum sum vsq; ad consummationem seculi. Præsentiæ autem suæ modum hìc definit, quòd nimirum spiritum sanctum, sibi patriq; coæternum & consubstantialem dare velit, & per hunc ea efficaciter operari, quæ paulò ante recensuimus, & si quæ alia sunt ad ecclesiæ conseruationem necessaria. Et ita locum istum veteres intellexerunt, ex quibus Tertullianus Christum scribit in cœlos ereptum sedere ad dexteram patris, misisse autẽ VICARIAM vim spiritus sancti, qui credentes agat. Hanc verò nobis magis necessariam esse, quàm corporis sui præsentiam, ipse Dominus infra testabitur. Cap. 16. Ego veritatẽ dico vobis, expedit vobis vt ego abeam: nã nisi abiero, consolator ille non veniet ad vos: sin autem abiero, mittam eũ ad vos, &c. Simul itaq; hoc loco errores duo grauissimi confutantur, alter eorũ, qui Christi vicarios fingunt Romanos Pontifices, & ecclesiæ capita imponunt, quibus nihil ferè sanioris cerebri inest, vt nunc de eorundem moribus fœdissimis nihil dicamus: alter eorum, qui de corporis Christi præsentia in terris nobiscum litigant, & dum hanc nobis ad salutis nostræ cõseruationem necessariam esse contendunt, ipsum spiritum sanctum non vulgari iniuria afficiunt. Tantum enim huius virtuti derogant, quantum præsentiæ corporis tribuunt. Simulq; in Christum contumelioſi sunt, quẽ nusquam operari & regnare credunt, nisi vbi cor-

pore suo præsens adsit. Atqui constat illum, quando mortali adhuc corpore inter homines viuebat, aliquos curauisse, à quibus procul aberat. Num ergo nunc illius potẽtiam in cœlesti maiestate sedentis imminutam putabimus? Sed de his alibi plura.

Spiritus sancti descriptio.

Nunc quomodo spiritum istum Dominus describat, audiamus. Primò quoad essentiam, nõ obscurè Deum esse docet, sibi & patri coessentialem. Sibi enim hunc substituit vicarium, qui ea omnia abunde præstaturus sit, quæ ipse hactenus præstiterit, & quæ nõ nisi diuina virtute præstari possunt. Alium verò à se nominando personarum in Deo distinctionem notat. Habes itaque hoc loco ipsum Christi verbis expositum sacrosanctæ & adorandæ Trinitatis mysteriũ. Discretè enim se & patrem & spiritum nominat, & qui alibi se cum patre vnum esse ait, nunc spiritum quoq; coniungit, eandem illi secum & patre virtutem tribuens. Deinde quoad officium siue effectus paracletum vocat, quasi propriè consolatorem simul & aduocatum significat, quales in foro aut iudicio constitutis suo consilio & patrocinio adesse solent. Nec id temerè, quando omnia fideliter præstat, quæ fidelis aduocati officia sunt. Consolatur enim in tentationibus, et omnes Satanæ, aduersarij nostri calumnias validissime confutat, vel nobis argumẽta, quibus has diluamus, suggerit, & ita intra conscientias salutis certos atq; securos reddit. Quo nomine arrhabo salutis dicitur. Idẽ etiam nos animat, vt qui natura peccatores & à Deo alieni sumus, in ipso clamemus, Abba pater. Quoad homines verò, gressus nostros dirigit, ne mundi huius exemplo seducamur, in periculis animũ & vires dat, ne metu aut terrore abripiamur: sapientiæ lucem accendit, vt videamus quid facto opus sit: adhæc os & linguam instruit, vt ad captiosas hostium quæstiones respondere, & ea loqui possimus, quæ ad nostræ salutis causam pertinent. Ideo illum apostolis in specie ignis & linguarum misit Dominus. Deinde spiritũ veritatis vocat, non modò quia ipse verax est, sed quia in veritatem omnem inducit eos, quos sua virtute illuminat, de quo infra apertius loquetur. Est ergo verè paracletus, id est consolator, tutor & aduocatus fidelis: & quia hunc omnibus credentibus confert Christus, nos in illo fortes esse conuenit, neq; vllis huius mundi et principis eius minis siue terriculamentis succumbere. Est enim eò efficacior huius promissionis consolatio, quòd paracletum hunc nunquam à nobis recessurum audimus, cùm ea ratione nobis detur, vt in æternum nobiscum maneat. Nunquam ergo hunc nobis mundus hic auferet aut eripient, sed quò magis illi contra nos insaniunt, eò fortius ille suas in nobis vires exeret, sicuti multis martyrum exemplis est videre.

Qui spiritus sancti capaces sint.

Sequitur postrema huius loci pars, qua docet, qui huius spiritus capaces sint. Vbi primò mundum excludit, dicens: Quem mundus non potest recipere. Ita verò doni huius excellentiam commendat, vt istud vulgare putent, simulq; ipsos ad illud amplexandum extimulat. Est autem hæc vox durum modum & terribilis, si cogitemus à Christo simul & omni salute excluſos esse homines, quorum eius non admittunt. Sic enim Paulus loquitur ad Roman. octauo cap. Si quis spiritum Christi non habet, hic non est eius. Ideo dicti huius causam in ipso mundo monstrat Dominus, ne quis Dominum morositatis aut iniquitatis accuset. Quia non videt eum, neq; nouit eum. Itaq; per mundum homines mundo per omnia deditos intelligit. Tales spiritum Christi neq; vident, neq; nouerunt, id est non curant eum, neq; eo delectantur, quem suis studijs contrarium esse sentiunt. Et sanè ingens & immanis inter spiritum Christi & mundum hunc discrimen est. Ille enim cœlestis & diuinus, hic totus terrenus & carnalis est. Ille sanctus, hic prophanus & impurus est, vt non temere quidã per irrisionem mundum dictum putarint, quasi minimè mundum. Ille veritatis spiritus est, hic totus mendacij, fucorum, dolis & impostoris delectatur, & hypocritam agit, quando optimus esse videtur. Adde hoc quòd animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei, eò quòd illa non sensibus, non carnis intellectu, sed sola fide percipi possunt. Rectè ergo mundum & huic deditos à spiritus sui communione Christus excludit. Eundem verò discipulis suis pollicetur, quando addit: Vos autẽ cognoscitis eum, quia apud vos manet, & in vobis erit. Id est, vos iam nunc sentitis illius operationem, & ei iam pridem locum dedistis. Huius enim virtute factum est, quòd me vocantem secuti estis, quòd mecum hucusq; perseuerauistis, quòd me diligitis, quòd mea doctrina delectamini, & vos à mundo hoc alienos esse videtis. Implebitur ergo in vobis promissio mea, Omni habenti dabitur: & quia locum datis spiritui sancto, augebitur is in vobis per dona sua, vt indies in omni bono proficiatis. Vnde colligimus, eos demum spiritus sancti capaces esse, qui mundo huic & impuris eius studijs renuntiant, & oblatã sibi gratiam

non improbè reijciunt. Posset hoc multis exemplis illustrari, si ita opus esset. Nunc potius obseruemus, vnde tanta sit mundi huius corruptio, quoad scelera & superstitiones. Mirantur enim hanc multi, & offenduntur quoque, quasi huius fontes ex euangelij prædicatione scaturiant, quod multos dicere non pudet. Sed quid mirum, quando ita viuit mundus, vt satis constet, illum non capacem esse spiritus sancti, qui solus pietatis & veritatis studium in hominum animis accendit? Nostrum fuerit apostolos imitari. Vocauit eos Christus, & ipsi vocantem secuti sunt. Fuerunt in illis aliqui næui & vitia, sed admiserunt institutionem, neque reluctati sunt contumaciter. Adhæc multis alijs à Christo deficientibus, ipsi cũ eo constantes manserunt. Dedit ergo illis vberiorem spiritum Dominus, quo in ipsis operante indies profecerunt, & vasa gloriæ eximia facti sunt. Ipsos (inquam) imitemur, & ipsi quoque sequamur vocantem nos Dominum, admonentem patienter feramus, reprehensione iuuemur meliores, oremus deniq; cum Dauide, ne spiritum suum à nobis Deus auferat. Ita fiet, vt Christo Iesu verè insiti, aduersa quæq; superare possimus, & in eodem æternùm viuamus: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

HOMILIA CXXXIIII.

Non relinquam uos orphanos, uenio ad uos. Adhuc paululum, & mundus me non amplius uidebit: uos autẽ uidetis me, quia ego uiuo, & uos uiuetis. In illo die uos cognoscetis, quòd ego sum in patre meo, & uos in me, & ego in uobis. Qui tenet præcepta mea et seruat ea, is ille est qui diligit me. Qui autem diligit me, diligetur à patre meo: & ego diligam eum, & manifestabo meipsum ei.

ETsi Dei verbum, quod in scripturis continetur, omnia perfectè contineat, quæ ad salutem consequendã nobis cognitu necessaria sunt, non sufficit tamen illud simpliciter proposuisse, sed propter innatam nobis naturæ corruptionem assidua doctrina, hortatione, & interdũ increpatione opus est. Quod ipsum in aduersis quoq; & curis siue tentationibus, quæ inde enascuntur, locum habet: vbi similiter non satis est qualemcunq; consolationem adhibuisse, nisi firmis simul & validis argumẽtis siue rationibus omnia ea remoueantur, quæ animi dolorem & solicitudinem instaurant. Obseruat hoc diligenter Christus in præsenti tractatione, qua suos discipulos propter suã discessum anxios consolatur. Multa enim hucusq; dixit, quæ animos mœstos & consternatos erigere atque reconciliare poterant: inter quæ postremum fuit spiritus sancti promissio, qui eius vices obiturus, & ita ipsos gubernaturus sit, vt nulla salutis iactura timeri debeat. At quia caro nouas subinde cogitationes suggerit, & admodũ difficilè est promissionibus spiritualibus consolari eos, qui toti à carnis sensu & huius seculi splendore dependent, pergit pluribus adhuc cum illis agere, & quod promisit antea, nũc diligentius explicat, simulq; repetit quod de eorum officio dixerat, qui promissionibus istis frui volunt.

Primò, non relinquam (ait) vos orphanos, id est non ita vos deseram, vt instar orphanorum seu pupillorum derelicti & omnium ludibrio expositi sitis. Nam ego ipse ad vos veniã, & mea præsentia vos tutabor. Quæ verba plerique de eius resurrectione exponunt, post quam ad eos reuersus & diebus aliquot cum ipsis conuersatus est. Sed quia non admodum diuturna fuit ea præsentia, Christus autem consolationem adhibere voluit, cuius effectus illos perpetuò confirmaret, verisimilior mihi eorum sententia videtur, qui hanc particulam præcedentis expositionem esse aiunt. Quia enim alium paracletum promiserat, poterant illi aliquem prorsus ab ipso diuersum animo concipere, deq; ipsius præsentia aut protectione omnino desperare. Docet ergo seipsum adesse velle, per spiritum scilicet, qui est propter personæ distinctionem alius ab ipso dicatur, non aliud tamen sit quoad essentiam. Itaque de solo corpore suo hîc agi, quod ex hoc mundo in cœlestem gloriam subuehi oporteat, cùm ipse in terra quoad diuinam virtutem & protectionem à suis nunquam discedat. Et ita locum hunc D. Cyrillus intellexit, qui ex eo probat spiritus sancti Deitatem, qua is cum patre & filio vnum est. Orphanos autem siue pupillos dicit discipulos, vt suæ illos conditionis admoneat, & ita excitet, vt posita omni propriæ virtutis fiducia, se ipsi regendos præbeant.

Christus non relinquit suos orphanos.

Ecclesiæ et credentium conditio in terris.

Et sanè non parum prodest ecclesiæ & singulorum fideliũ, quam in hoc mundo sustinent, conditionem crebrò & diligenter inspexisse, :eò quòd natura confidentiores sumus, & ideo nobis vix patimur persuaderi, vt nos totos Christo submittamus, qui spiritu suo nos gubernet. Sumus autẽ reuera orphani, quàm primum ille manum suam subducit. Vt enim pupilli tenerioris ætatis per se ipsos non sapiunt, neq; facilè inueniunt aliquos, qui ipsorum curam seriò suscipiant: Ita ex nobsipsis non videmus quæ nobis salutaria sunt, & ferè per auia errorum atq; prauorum affectuum ad exitium deflectimus, paucos verò inuenimus, qui salutẽ nostrã sibi cordi esse patiantur, quãdo omnes quæ sua sunt quærunt, alios verò facilè negligunt. Vt ergo pupilli præsidio destituti, quorumuis libidini subiacẽt, & ferè ab illis spoliantur, qui eorum tutores & patroni esse debebant: Ita pij, cùm protectores in terris paucos habeant, omnium ludibrio expositi sunt, & ab ijs potissimùm affliguntur, quos ipsorum tutores esse decebat: quales nimirum sunt antistites, qui ecclesiæ gubernationem ad se pertinere aiũt, & magistratus, quos ideo Deus gladio armauit, vt & pios omnes priuatim tueantur, & (vt Isaias scribit) ecclesiæ nutritios agant. Plerunq; enim fit, vt illi quidẽ in lupos degenerẽt, hi verò tyrãni fiant, & aduersus veræ fidei professores ferro & igne grassentur. Potest hoc omnium seculorum exemplis probari, & hodie idem ecclesia tota publicè, pij verò singuli priuatim experiuntur et sentiunt. Nam licet interdum aliquos lucri spes ad ecclesiæ curam siue defensionẽ attrahat, qui magno animo huius causam suscipere videntur: subitò tamen ille zelus deferuescit, quàm primùm spẽ illam intercidisse, pericula autẽ sibi proposita esse vident. At non debent ista nos terrere, neq; ideo nos omni patrono destitutos putemus. Viuit enim & regnat in cœlis Deus, cuius prouidentia & imperiũ in omnes etiam terræ angulos extenditur. Is verò in scripturis se orphanorum & viduarũ patrem esse profitetur, & aduersus eorum oppressores ira implacabili exardet. Num ergo illum vel ecclesiæ curam deposuisse putabimus, quæ viduæ instar in terris hisce mœret: vel in se credẽtes negligere, qui & ab hostibus apertis crudeliter affliguntur, & à malæ fidei tutoribus per artes planè proditorias circumuẽti spoliantur? Nouit certè suos Dominus, & in numerato habet oues suas bonus ille pastor, qui animã suam pro nobis posuit. Itaq; non relinquit orphanos, quàmuis mundo tales esse videantur. Adest enim illis spiritu suo, in aduersis consilia salutaria suggerit, in tentationibus solatur & confirmat, in periculis tuetur, & non rarò in illorum hostes horrenda iræ suæ exempla edere consueuit. Eius enim vox est: Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei. Et hòc quoq; omnium seculorum exemplis probatum esse norunt, quicunq; sacram & ecclesiasticam historiam vel à primo limine salutarunt. Simus ergo nos fortes in Domino, qui nos supra vires tentari non sinet. Meminerint autem alteri illi, fore tempus, quando suæ perfidiæ & crudelitatis pœnas dignas exoluent.

Christus seipsũ mundo ingrato negat.

Sed redeamus ad verba Christi, qui in consolatione instituta pergens hoc quoq; addit: Adhuc paululum, & mundus me non amplius videbit: vos autẽ videtis me, quia ego viuo, & vos viuetis, &c. Videtur hæc primùm opponere iniquo & corrupto Iudæorum iudicio, qui ipsum è medio sublatũ cupiebant, & ex eo sibi omnem felicitatẽ pollicebantur. Dicit ergo: Non est, quòd mundus meam præsentiã tam impatiẽter ferat, aut de me tollendo tantum laboris sibi sumat. Nec enim posthac diu in terris hisce manebo: sed pauculæ horæ mihi restãt, quibus elapsis ego moriar & sepulturæ mandabor, & ab eo tempore nõ videbũt me amplius, qui huic mundo addicti nihil quàm carnalia sapiunt. Sed non ideo illis tunc omnia pro votis succedent, quemadmodum sibijpsis pollicentur. Nam simul mecum auferetur Dei fauor & protectio. Itaq; à Deo repudiati in hostium manus tradẽtur, & quoad animas & corpora miserrimi mortaliũ fient. Id verò ita accidisse, ex historijs patet, & quæ in hodiernum vsq; diem durat Iudaicæ gentis calamitas, Christi verbis fidem facit. Nam amisso regno et terra patribus promissa, in orbem totum dispersi non repub. modò verumetiam ecclesiæ legitima constitutione carent: & quem corporeis oculis videre noluerunt, Iesum Christũ, nunc animis etiam videre aut agnoscere non possunt: sed omnibus modis miseri quoad animas simul & corpora pereunt. Quod exemplum vtinam propius intuerentur, quibus adeo molesta est euangelij prædicatio, & tũc demum se felices fore existimant, si tam illa quàm disciplinæ euangelicæ iugo liberentur. Possunt illi quidem facilè assequi quod volunt, & ab ingratis atq; contumacibus sponte discedet Christus, si illa pergant. At quia idẽ vnicus gratiæ Mediator est, succedet in eius locũ ira Dei et maledictio, quæ genus omne malorũ secũ trahet. Nec desunt exẽpla cũ vetera tũ recẽtia, quæ hæc ita euenire testãtur.

At

At ne quis impiorum contumaciam pijs quoq; fraudi fore putaret, simul etiam terrori medetur Dominus, quem ex eius morte discipuli concepturi erant, & ideo addit: Vos autem videtis me, quia ego viuo & vos viuetis. Sensus est: Non terreant vos quæ ingratis & rebellibus denuntio. Aliter enim vobiscum agetur, à quibus meipsum non ita, vt à mundo impio subducam. Nam etsi moriar, quia tamen ipsa vita sum, mors mihi non dominabitur, quò minus ex mortuis resurgam. Vos quoq; non modò ex omni periculo tunc liberabimini, ne quid mali vobis inferant, qui me occident, verum etiam quoad animas in me viuetis, vt neq; mors neq; inferi vobis præualere possint. Sunt hæc nõ vno modo implera. Primò enim ex morte in vitam restitutus ad illos redijt, & cõspicuum se exhibuit, non quidem toti populo (vt Petrus coram Cornelio Cẽturione loquitur) sed discipulis, quos prius sibi rerum suarum testes delegerat, cũ quibus per dies quadraginta conuersatus est, & sui corporis resurrectionem innumeris argumentis confirmauit. Viderunt ergo tunc illũ apostoli, & inde concepto gaudio ineffabili, quodãmodo ipsi quoq; in vitã redierũt, qui paulò ante metu cõsternati & mortuis similes erant. Deinde in cœlum subuectus, spiritum suum misit, quo illuminati reuera videre & intelligere ceperunt regni cœlestis atq; salutis mysteria, tumq; in illo vitam nouam inchoarunt, qui prius circa manes regni terreni cogitationes & bonorum corporalium spem occupabantur. Et huc referri debet, quod expositionis ergò subijcit: In illo die vos cognoscetis, quòd ego sum in patre meo, & vos in me, et ego in vobis. Loquitur enim de eo die vel tempore, quo spiritũ sanctũ acceperunt, ante cuius missionem hæc mysteria illos ignorauisse satis patet ex eo, quòd & de resurrectione eius toties prædicta dubitarunt, & iam in cœlos ascensuro Domino ineptissimam mouerunt de regno Israelis restituendo quæstionem. Sed tunc (inquit) tam spiritus sancti illuminatione quàm reipsa & experientia docti intelligetis, quòd ego in patre sum, id est quòd patri coæternus & consubstantialis sum, cuius diuina virtus sese in me potentissimè & efficacissimè exerit: & quòd vos in me estis, & ego in vobis, id est quòd mihi per fidem insiti me in vobis agentem & bona mea in vos liberaliter effundentem sentietis. Nam etsi vna sententia totum hoc dictum enuntietur, non tamen ita accipi debet, quòd non aliter in patre sit filius, quàm nos in ipso sumus, & ipse in nobis. In patre enim est filius, & filius in patre natura (vt alibi pluribus est dictum) nos autem in illo sumus per fidem, quæ eius bonorum eius omnium consortes facit: ipse rursum in nobis est participatione, gratia & per spiritus communionem, qui vitam & salutem omnem in nobis efficaciter operatur. Ita membrum hoc postremum ipse Ioannes exposuit in sua Canonica Capite tertio sic scribens: Nam qui seruat præcepta eius, in eo habitat, & ipse in eo: & per hoc nouimus quòd habitat in nobis, nempe ex spiritu, quem nobis dedit. Itaq; loco isto, vt & multis alijs, abusi sunt olim Arriani, quando non aliam inter patrem & filium vnionem esse docuerunt, quàm quæ inter ipsum & nos est. Nec enim ex professo hic de æterna sua Deitate sermonem instituit, sed potius de suæ dispensationis mysterio, cuius ergò in mundum venerat, vt ostendat patrẽ quidem omnem bonorum & virtutis suæ plenitudinẽ in ipso deposuisse, eandem verò per ipsum in nos effundi, qui per fidem ei inserimur.

impiorum contumacia non fraudi est pijs.

Est autem hic obseruatu dignissimum, quòd ita sese nobiscum coniungit Dei filius, vt vitam quoq; suam cum nostra coniunctam esse ostendat. Nam quia ego viuo (ait) & vos viuetis. Habet ergo omnia sua nobiscum communia, & quia caput nostrum est, nõ modò membris singulis totiq; corpori prospicit, sed spiritum etiam vitæ in ea diffundit, vt in ipso viuamus atq; seruemur. Est hæc consolatio efficacissima in omni tentationũ genere, quam vt rectius sctiamus, quid Christus sit, & quid in hoc pater nobis dederit, non ociosè considerare oportet. Est autem verus & dilectus ille Dei filius, cui regnum legitimo hæreditatis iure debetur. Est præterea æterna patris sapiẽtia, & in illo repositi sunt omnes thesauri sapientiæ atq; scientiæ. Est iustitia & sanctitas perfectissima. Est plenum atq; sufficiens redemptionis pretium. Est deniq; vita & salus sempiterna. At quia idem totus noster est, nosq; ei per fidẽ inserimur, & ipse vicissim in nobis agit, ita nobiscum hæc omnia communicat, vt nos quoq; in filios Dei adoptemur, & illius efficiamur cohæredes: nostra item sapientia, nostra iustitia, nostra sanctitas, nostra redemptio, nostra deniq; vita & salus est. Ideo Paulus dicebat: Ex ipso vos estis in Christo Iesu, qui factus est NOBIS *sapientia à Deo, iustitiaq; & sanctificatio, & redemptio. Et Ioannes: In ipso vita erat, & vita illa erat lux hominũ. Nemo igitur propter inhærentem & cognatam nobis stultitiam rerumq; cœlestium ignorantiam animum despondeat, nemo*

Christus omnia cum suis habet communia.

propter peccata sua & conscientiæ terrores desperet, nemo inferorum metu absorbeatur, nemo mortis & eius timori succumbat, aut etiam crudelibus piorum supplicijs offŏdatur. Tollit enim hæc omnia Christus Iesus, & seipsũ nobis communicans abunde sarcit defectus nostros. Licet ergo ex nobis ipsis stulti, peccatores, peccati mancipia & in peccatis mortui, ideoq; æterna etiam morte digni simus: licet item in mũdo hoc affligamur, & vt oues mactationi destinatæ occidamur quotidie, in Christo tamen sapientes sumus, in Christo iusti & emancipati sumus, in Christo viuimus, & inter mortis cruciatus vitam sentimus veram, adeoq; à morte in vitam transimus. Hæc verò quia non intelligit mundus, eò quòd corporeis sensibus percipi non possint, ideo Paulus vitam hanc nostram in Christo absconditam esse aiebat, sed mox idẽ addit: Quando Christus, vita illa nostra, patefactus fuerit, tũc & nos cum eo declarabimini in gloria. Coloss. 3. Ita verò hæc transferamus ad consolationem nostram, ne simul officij nostri memores, studeamus huius vitæ cursum secundùm Christi præcepta instituere, vt nos eius verbo & spiritu duci intelligant, quicunq; actiones & studia nostra intuentur.

Christianorum officia.

Et huc facit postrema huius loci pars, qua repetit, quod de sui dilectione & præceptorũ suorum obseruatione prius dixerat, ita nimirum ijs occurrens, qui communionẽ cum Christo in externa fidei professione consistere arbitrantur, & quiduis potius quàm illum amare consueuerunt. Ostendit ergo quid nos facere conueniat, vt ipsi reuera insiti bonis istis fruamur, quæ ille suis pollicetur. Sic autem ait: Qui tenet præcepta mea, & seruat ea, is ille est qui diligit me. Qui autem diligit me, diligetur à patre meo, & ego diligam eum, & manifestabo meipsum ei. Comprehendit his omnem felicitatis nostræ consequendæ rationem, in qua inuestiganda nequicquã laborant, quicunq; illam extra ipsum quærunt. Quia enim in solo Christo nobis pater reconciliatus est, & in illo vno bonorum omnium thesauri continentur, fieri nequit, vt vel in hac vita præsenti vel in futura felices sint, quicunq; abalieni circa suæ carnis studia vagantur. Ideo sui dilectionem nobis commendat, & per hãc nos sciuniri docet, vt bonorũ suorum participes reddamur. At quia multi illa gloriantur falsò, verat tamen notas in effectis monstrat, vt quid nos facere deceat intelligamus. Qui tenet præcepta mea (inquit) & seruat ea, is ille est qui diligit me. Duo itaq; hîc requiruntur: Primum, vt Christi præcepta teneamus, id est, vt in illis rectè instituti, quid ille à nobis fieri velit, intelligamus. Sunt enim quidam in libris descripta legunt, circunferunt, audiunt, recitant, verum tamen eorũdem sensum ignorent, & ideo sæpe grauiter peccant, dum illorum obseruatores diligentissimi haberi volunt. Studio igitur diligenti opus est, vt Domini mentem rectè teneamus: quod Dauid probè obseruauit, quando beatum pronuntiat, qui in lege Domini dies & noctes meditatur, et idem frequẽter orat, vt is viam sibi indicare velit. Alterum est, vt præcepta ista seruemus. Id autem faciunt, qui secundùm ea totam & studia sua omnia instituunt, & (vt alibi diximus) per fidei obedientiam se totos ipsius voluntati accommodant. Non ergo vera & exacta præceptorũ Domini cognitio sufficit, sed in illis nos ambulare oportet. Ideo per Mosem quoq; olim subinde hoc repetebatur: Audi Israel statuta & iudicia, quæ ego doceo vos, vt faciatis, vtq; viuatis, &c. Quæ verò ista præcepta sint, non opus est nunc repetere, quando de illis nuper prolixè diximus. Fidem enim in se exigit, sine qua illum nemo diligere potest, & exempli sui imitationem, quæ vt omnes alias virtutes in se complectitur, ita hoc imprimis exigit, vt nostræ vocationis probè memores simus, ne quid in illis prætermittamus, ad quæ peculiariter sumus destinati.

Christianorum præmia.

Quia verò nos hic multa auocãt, præmijs amplissimis nos excitat Dominus, quibus felicitas summa & omnibus numeris absoluta continetur. Primum est: Qui diligit me, diligetur à patre meo. Quid verò maius, excellentius & dulcius promitti poterat? Magnum est à viris præclaris aut principibus diligi. & si quibus hoc contingit, ij sibi nihil præterea deesse arbitrãtur. At fere sic vt illorum gratia & fauor subitò in iram commutetur, aut si maximè velint, non tamen semper iuuare & seruare possint quos diligunt. At Deus, quia veritas est ipsa, amore syncero & perpetuo suos complectitur: & quia is in filio eius fundatur, nostris quoq; infirmitatibus clementer ignoscit, quas per illum abunde sarciri videt. Rursum, quia omnipotens ille Dominus exercituum est, nemo illi obstabit, quominus suos tueatur, seruet, iuuet & asserat, quoties sua ope illos indigere viderit. Et cùm promittat terrena modò & corporalia beneficia conferant, quæ plerunq; scelerũ & maiorũ malorũ causa sũt atq; materia, Deus suis spiritualia et cœlestia dona largitur, quibus instructi terrenis quoq; bonis ita vsu-

ua vtuntur, vt ipsis ad salutem cedant. Deniq; vt filios amat nos Deus, & proinde regni sui hæredes fieri cupit. Superat ergo ista promissio omnem huius mundi felicitatem, & qui hac fruuntur, illis cum Paulo dicere licet: Si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum, quò fieri possit, vt non etiam cum eo omnia nobis gratificetur? Cæterùm obseruari hìc oportet, Christi verba non ita accipi debere, quasi nos nostrorum operum meritis aut Christum diligendo, vicissim à Deo diligi mereamur. Nisi enim is nos prior diligat, nos illum neq; agnoscere, neq; diligere, aut ex nobis ipsis aliquid boni facere poterimus. Quod non obscurè Ioannes in sua epistola docet, quando ait: In hoc est charitas, non quòd nos dilexerimus Deum, sed quòd ipse dilexerit nos, &c. Et rursus: Nos diligimus eum, quia ipse prior dilexit nos. Paulus verò nos dilectos fuisse ait, cùm filij iræ & æterna morte digni essemus. Nõ ergo tunc primùm nos diligere incipit Deus, quando nos filium diligimus, sed quos iam antea diligebat, eos tunc maiori indies amore complectitur, & se suaq; bona omnia illis liberalius communicat, adeoq; certos facit de suo amore, vt nullis tentationibus ab illo diuelli possint. Secundò ait: Et ego diligam eum. Est hoc prioris consequens. Nec enim fieri potest, vt non diligat filius eos, quos pater diligit, cui ille coæternus & coessentialis est. At quos ille diligit, iisdem bona sua omnia communicat, de quibus antea diximus, neq; eos vnquam patietur è manu sua eripi, quos in æternum secum habere vult. Tertiò addit: Et manifestabo meipsum ei. Ita verò pleniorem & indies augescentem sui cognitionem pollicetur, ex qua salus nostra dependet. Infra enim dicet: Hæc est vita æterna vt te (pater) solum cognoscant Deum verum, & quem misisti Iesum Christum. Est igitur notitia hæc bonorum, quæ nobis in hac vita agentibus obtingere possunt, præstantissimum: & ideò Paulus nihil præter Iesum Christum scire volebat, & idem quæcunque in mundo habuit pro stercoribus & damno ducebat, vt illo potiretur. Non acquiritur autem vera Christi notitia, nisi ipse se nobis reuelet, eò quòd animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei. Oremus ergo illum assiduis precibus, vt nobis quoad mundum orphanis ipse adsit, & spiritu suo illuminatos in veram sui cognitionem adducat, amorem suum in nobis accendat, ad præceptorum suorum obseruationem excitet, & olim regni sui cœlestis hæredes faciat. Ipsi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

HOMILIA CXXXV.

Dicit ei Iudas, non ille Iscariotes: Dñe, quid est cur te nobis sis manifestaturus, & non mundo? Respondit Iesus, & dixit ei: Si quis diligit me, sermonẽ meum seruabit: & pater meus diliget eum, & ad eum ueniemus, & mansionem apud eum faciemus. Qui non diligit me, sermones meos non seruat: & sermo quem auditis, non est meus, sed eius qui misit me patris. Hæc locutus sum uobis apud uos manens. Paracletus autem ille, nempe spiritus sanctus, quem mittet pater in nomine meo, ille uos docebit omnia, & suggeret uobis omnia quæ dixi uobis.

MVltis & grauibus argumentis hucusque discipulos suos Dominus consolatus est, inter quæ postremum fuit, quòd suos cultores, qui ipsum verè diligunt, ipse vicissim diligere, & seipsum illis plenius manifestare velit. Vbi didicimus, veram Christi cognitionem supremum omnium bonorum esse, quæ in hac vita agentibus obtingere possunt. Est enim cum fide coniuncta, per quam illi inserimur, & bonorum quæ nobis acquisiuit efficimur consortes. At quia tanta est humani ingenij tarditas, vt in tradendis cœlestis regni mysterijs vix vlla diligentia sufficere possit, hoc ipsum quod dixit, modò plenius exponit atque confirmat: idq; per occasionem, quam ipsi præbuit Iudas, non Iscariotes ille proditor, sed Iacobi minoris frater, quem & Thaddæum & Læbbæum vocant, & cuius epistola inter Canonicas numeratur. In qua tractatione multa simul occurrunt, quæ diligentem considerationem merentur.

Occasio præsentis tractationis.

Dependet autẽ ex præcedentibus Christi verbis huius tractationis occasio. Dixerat enim, mundum non posse capere spiritum veritatis, quem suis discipulis ipse daturus sit. Item: Adhuc paulu-

lum, & mundus non amplius me videbit, vos autem videbitis me. Quæ verba cùm non probè intelligeret Iudas, & Christi cognitionem ita ad solos duodecim discipulos restringi putaret, non sine admiratione & dolore aliquo illa accipit, & ait illi: Domine, quid est cur te nobis sis manifestaturus, & non mundo? Quasi diceret: Magnum quid accidisse oportet, cuius causa teipsum toti mundo neges, cùm prophetæ regnum Messiæ & veritatis lucē ad omnes gentes extendant. De illo enim scribitur: Dominabitur à mari vsq; ad mare. Item, Dabo te in fœdus populi, & in lucem gentibus: Et uidebit omnis caro salutem Domini. Quid ergo factum est, quòd istas promissiones abolere & solis nobis manifestare velis? Vt verò in mundi vocabulo errat, dum sub hoc simpliciter omnes homines intelligit: ita non obscurè prodit suam oscitantiam, qua factum fuit, vt minus attenderet ijs, quæ Dominus de sui dilectione & præceptorum suorum obseruatione dixerat, & quibus mysterij huius causas (quæ nimirum nobis cognitu necessariæ sunt) abundè declarat. Et quod plerumq; fieri solet, ijs neglectis, quorum consideratio vtilissima esse poterat, inutili curiositate regni Dei mysteria altius scrutari conatur. Quod ipsum hodie faciunt, qui curiosis & temerarijs disputationibus de prædestinatione & electione Deum quasi in ius vocant, dum ab eo rationem exigunt, cur hos quidem vocet atque trahat, alios verò negligat. Attamen vitium hoc mitigat in Iuda zelus egregius, qui ista dicere illum compulit, & in quo multa concurrunt, quæ laudem merentur. Primò enim maximi æstimat reuelationis Christi beneficium, & hanc singularem gratiam esse agnoscit, quòd illi seipsum miseris mortalibus manifestare velit. At Dei gratiam magni facere & admirari, pietatis veræ principium est. Deinde modestè sentit de semetipso & discipulis reliquis, quando mirum illi videtur, quòd præteritis multis alijs beneficium hoc ipsis solis conferri debeat. Præterea dolet ipse tantum bonum mundo negari, quàmuis hunc ipsis infestum & inimicum hactenus sensisset. Ita verò solent, quotquot syncero pietatis affectu sunt præditi. Quia enim seipsos & naturæ suæ corruptionem probè norunt, de semetipsis quidem humiliter admodum sentire, Dei verò beneficia maximi facere consueuerunt. Abraham certè, cùm se à Deo in colloquium familiare admitti videret, seipsum quasi admirans & ad extremum vsque extenuans, ait: En obsetro, induxi animum, vt loquerer cum Domino meo, qui puluis sum & cinis. Dauidem verò neque regni maiestas, neque victoriarum successus extollere potuit, vt prioris suæ conditionis immemor aduersus Deum superbiret. Imò cum prioribus beneficijs promissionem de Messia ex eius posteritate nascituro Deus adijceret, cum magna admiratione exclamat: Quis sum ego Domine Deus, & quæ domus mea, quia me tantopere euehis? Similiter Petrus, cùm ex admirabili piscium captura Christum agnouisset, dicebat: Exi à me Domine, nam homo peccator sum. Et nota est pij illius Centurionis responsio: Domine, non sum dignus, vt tectum meum subeas. Denique omnium sænctorum vox est, quæ in Psalmo octauo habetur: Et quid est homo mortalis, vt memoriam eius habeas, & filius hominis, vt eum inuisas? Vides ergo, quid de illis iudices, qui suarum virium & propriæ iustitiæ atque meritorum fiducia elati, Deum sibijpsis debitorem constituunt, & importuna suorum operum commemoratione ab illo quasi laboris sui mercedem exigunt. Referunt hi non Christi discipulos, sed pharisæos, quos hoc in more habuisse euangelica historia testatur. Cæterùm non humiles modò suæ insignitatis confessores & magnifici beneficiorū Dei æstimatores sunt germani Christi discipuli, verum etiam ob aliorum hominum perditionem vehementer dolent, etiamsi ab illis pessimam gratiam sibi referri sentiant. Quo argumento testantur, se Dei gloriam pluris facere quàm priuatos affectus, quibus homines carnales ad vindictæ cupiditatem accenduntur. Et in hoc etiam Christi ingenium atque mores referunt, quem Iudaici populi perditionem & ingratæ vrbis excidium cum gemitu & lachrymis prædixisse scimus. Paulus certè dies & noctes pro Iudæis preces faciebat, & pro ijsdē cupiebat anathema fieri, qui odio implacabili eius vitæ insidiabantur. Et Moses Israelitarum salutis consultum cupiebat, quàmuis ingratissimos iam sæpe expertus esset, ne Dei gloria & nomen in illorum excidio periclitaretur. Exod. 32. Erant hæc illis diligenter cōsideranda, quibus datur euāgelij libertate frui, cùm tam multi sint, quibus hoc aut omnino negatur, qui ideò in suis erroribus malè pereunt: aut nō nisi cū summo fortunarū simul & vitæ periculo cōceditur, vt cœtus occultos habeant, in quibus Dei verbū audiant, preces ad Deum publicas fundant, & sacramentis à Christo institutis legitimè vtantur. Agnoscāt illi quæso Dei beneficiū, gratos sese eidē præbeāt, doleant autē ob aliorū miseriam

Pij de seipsis modestè sentiunt, aliorum autem interitu dolent.

miseriam atque calamitatem, & cum Iuda hoc nostro dicant: Domine quid causæ est, cur teipsum nobis manifestes, & non alijs quoque innumeris, qui potentia, opibus & splendore externo nos superant? Qui obsecro nos sumus, quos otio & pace abundare sinis, reliquis inter persecutiones perpetuò periclitantibus, qui nobis multò meliores & sanctiores sunt? Hæc (inquam) nos cogitare & dicere oportebat, qui iam annis amplius quadraginta ecclesias rectè constitutas habuimus, quas inter undique tumultuantis furores Deus hucusque mirabiliter seruauit. Sed ô ingratos & ignauos, qui & ista nunquam cogitant, & insuper pace & otio ad scelera & immanem morum licentiam abuuntur. Sed Christum Iudæ respondentem audiamus.

Cur Christus sui cognitionē mundo neget.

Facit hoc ea ratione, vt regni sui mysteria non altius scrutetur, neq; primam salutis causam expetat, quæ in æterno Dei decreto fundata à libera & gratuita electione dependet, sed eam attigisse contentus est, quæ ad præsens institutum faciebat, vt nimirum discipulos ad veræ pietatis studium & fidei constantiam excitet. Repetit ergo quod prius dixerat: Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, &c. Quibus verbis non negat, regnum suum & salutem, cuius ipse nobis author est, per totum orbem ad omnes gentes extendi oportere, neq; de hoc editis veterum prophetarum oraculis contradicit: regni verò sui & salutis huius vsum siue fructum ad eos restringit, qui ipsum vera fide amplexantur, & vitam viuunt verè Christianam. Sensus ergo verborum hic est: Quæris tu, cur me vobis manifestare velim, non autem mundo: & hinc falsò colligis, salutem ad vos solos pertinere. Atqui ego nihil huius dixi, sed in genere omnibus ijs meam gratiam pollicitus sum, qui me ex animo diligunt, & dilectionem istam fidei obedientia testantur. Quia verò te minus attentum fuisse video, agedum idem hoc iterum dico, tu quid velim diligenter perpendito: Si quis me vero & non fucato amore prosequitur, is procul dubio meis præceptis audire studebit, ne quid faciat, quo ego offendi possim. Fiet ergo vt pater meus illum vicissim nouo & maiori amore complectatur: imò pater et ego (qui natura vnum sumus, neq; à nobis inuicem possumus diuelli) veniemus ad illum, & mansionem apud illum faciemus perpetuam. Rursus, qui me non diligit, sermones quoque meos non seruat. At talis omnino est mundus, id est, homines mundo & carni dediti. Hi enim me non diligunt, quem suis studijs contrarium esse vident, & ideò neq; præcepta mea seruant, sed omnia meæ voluntati contraria faciunt, adeoq; scientes volentes mihi aduersantur. Hæc ergo causa est, quòd me illis manifestare & propitium exhibere non possum. Vobis autem hoc beneficium præstabo, si quod hucusq; fecistis, in posterum quoque me amare, mihi obedire & placere perrexeritis. Hic (inquam) huius loci sensus est simplicissimus, & præsenti instituto quàm maxime conueniens: in quo hæc nobis obseruanda veniunt.

Nota ecclesiæ & fidelium.

Primùm, qua nota vniuersa fidelium ecclesia, vel etiam singuli fideles à mundo discernantur: Nimirum obedientia fidei, quæ ex syncero Christi amore promanat. Quia enim ecclesia sponsa Christi est, fidelis dici non potest, si alterius quàm sponsi sui dictis obtemperet. Ideò in Psalmo 45. ei dicitur: Audi filia & vide, & inclina aurem tuam: obliuiscere populi tui & domus patris tui. Rursum, quia fideles oues Christi dicuntur, illorum fuerit pastoris sui vocem audire & sequi: vt supra Capite decimo dictum est. Præterea cùm ecclesia domus Dei, singuli verò credentium illius domestici serui, imò filij & hæredes censeantur, decet sanè, vt sui patrisfamiliâs verba attenti audiant, nisi abdicari & eijci velint. Frustra tamen auditur Christi sermo, nisi simul fide apprehendatur, & eiusdem amor nos in illius obsequium rapiat. Ex quibus colligitur, ecclesiæ Christi membra non esse eos, qui verba eius reijciunt & illi debitum obedientiæ officium negant. Excluduntur ergo ab eius consortio Iudei omnes, qui non contenti Christum neglexisse, illum insuper cõuitijs & probris incessunt. Excluduntur etiam Turcæ, qui etsi Christum prophetam agnoscant, & aliquam historiæ euangelicæ partem admittant, nõ tamen credunt verbo eius, sed quæ illi debetur gloriam in Mahumetem suum transferunt. Excluduntur præterea, qui Christum quidem nobiscum profitentur, sed non vnum illum audiunt, illi non obtemperant, non vni illi fidunt, vitam denique suam ita instituunt, vt nihil in illis videre queas Christiano nomine dignum. Neque hîc mihi aliquis illorum multitudinẽ, splendorem, victorias & successus obijciat. Scimus enim pauciores esse electos, si cum reproborũ turba conferantur, & nullum esse personarum respectum apud Deum, nisi qui in Iesu Christo fundatur, qui solus nos illi gratos & acceptos reddit.

Christianorum dignitas.

Deinde magna & omnem huius mundi gloriam longè superans Christianorum dignitas hoc loco considerari debet, quam tribus membris comprehendit. Primò, pater meus (inquit) diliget eum, qui me diligit & præceptis meis obtemperat. Continet hoc omnem felicitatem, vt in præcedenti Sermone diximus, & si nihil aliud accedat, solum sufficere potest ad excitandũ eos, qui non omnem pietatis sensum simul exuerunt. Addit tamen secundo loco: Et veniemus ad eum. Venire aut abire dicitur Deus humano more, quãdo gratiam suam nobis vel declarat vel negat. Promittit ergo, quòd Deus pijs semper præsens futurus sit sua virtute, gratia, spiritu, vt non tuti modò sint inter huius mundi procellas, verumetiam indies magis magisq; proficiant. Tertiò, Et mansionem apud eum faciemus. Quibus verbis continuationem gratiæ pollicetur, & quòd veri credentes viua Dei templa futuri sint. Ita hoc Paulus exponit in posteriori ad Corinthios sic scribens: Vos templũ estis Dei viuentis, sicut dixit Deus: Habitabo in eis, & inambulabo, & ero illorum Deus, & ipsi erunt mihi populus. Est hæc incomparabilis dignitas, qua nihil homini in hoc seculo maius & excellentius obtingere potest: & eadem omnem felicitatem atq; salutem comprehendit. Quid enim ijs deesse poterit, qui Deum semper sibi præsentem, imò hospitem suum & ipsos inhabitantem habent? Placent filii ipsis mirificè, quos Reges suo alloquio dignantur, aut ad quos illi aliquando diuertunt. At quid illud esse dicemus, si cum hac Dei facilitate conferatur, qui cùm æternum & summum bonum sit, in nobis tamen hospitium sibi deligit, qui & peccatores & omnibus modis miseri atque calamitosi sumus? Attamẽ non sufficit ista audiuisse, sed eorundem vsum nos tenere oportet, qui in duobus potissimùm consistit. Primùm in omni aduersorum genere nos ista consolantur. Qui enim Deum sibi præsentem habent, ijs non egestas, non morbus aliquis, non mundus aut illius princeps, non denique ipsa mors nocere potest. Si Deus nobiscum (inquit Apostolus) quis contra nos? Aut quæ tanta vis erit, quæ huius templum factos ab eo separare aut diuellere queat? Huius ergo memores cum Dauide dicamus: Dominus mihi adiutor, non timebo quid mihi faciat homo: Dominus lux mea & salus mea, à quo nam timerem? Dominus robur vitæ meæ, à quo expauescerem? Deinde excitare nos debet hæc Dei bonitas, vt hospites istos excipere & retinere studeamus. Excipitur autem Deus pater cum filio & spiritu sancto per fidem, quæ & ipsum & promissiones eius apprehendit: retinetur autem per obedientiam fidei, quæ carnis mortificationem, vitæ honestatem, innocentiam & omnes alias virtutes hominis Christiani complectitur. Neque fieri potest, vt Deo, qui sanctus est per omnia cum ijs conueniat, qui ab his alieni prauorum affectuum desiderijs indulgent. Notum est enim illud Domini: Sancti estote, quia ego sanctus sum Dominus Deus vester. At si hodie fidem & obedientiam fidei quæras inter homines, vix vspiam reperies. Nam etsi fidem multi profiteantur, eandem tamen factis negant, dum in periculis turpiter deficiunt & ad illicita auxilia conuertuntur. In communi verò omnium vita eos omnino mores passim est videre, quos Christus commemorat, quando de statu nouissimi seculi corruptissimo disserit. Quid ergo mirum fuerit, si irati Dei manum experiantur, & à nobis ille suam gratiam auferat, qui iampridem ab illo secessionem fecimus, imò qui ad nos venientem impiè reicimus?

Sermonis Christi authoritas.

Cæterùm quia suorum sermonum obseruationem toties iam cõmendauit, ne quid insolentius dicere videatur, eius rationem reddit, & doctrinæ suæ authoritatem asserit. Subijcit enim: Et sermo, quem auditis, non est meus, sed eius qui misit me patris. Sensus est. Ne miremini, quòd tantum mihi tribuo, vt ipsum patrem illis propitium, imò contubernalem fore pollicear, qui meum sermonem seruant. Nam hic sermo, quem ex me auditis, non est meus (nimirum quoad hominem, quem assumpsi) sed diuinus est, & mihi à patre creditus, qui me ab æterno præordinauit, vt humani generis non modò redemptor, verumetiam doctor atq; magister sim. Itaq; qui me audit, patrem audit, & proinde illo propitio vtetur. Faciunt hæc ad asserendam Christi & doctrinæ eius authoritatem, de qua diximus plura Cap. 7. in hæc verba: Doctrina mea non est mea, sed eius qui misit me. Nunc tamen obseruabimus diligenter, de quo nam sermone loquatur Dominus: de eo nimirũ, quem ex illo quotidie audiebant discipuli, & cuius prædicationẽ ipsis postea cõmisit. Est is euangeliũ, quo docetur, Iesum esse Christum, id est, regem & sacerdotẽ adeoq; vnicũ humanæ salutis authorẽ. Hoc enim ex ipsius Christi ore audiuerunt Apostoli, hoc illis postea suggessit spiritus sanctus, vt paulò post audiemus, & hoc ipsum tanta constantia & tam vnanimi cõsensu illi prædicauerũt, vt Paulus anathema pronuntiat

tam

tam angelos quàm homines, qui diuersum prædicare audent. Minimè ergo audiri debent, qui hodie verbum quoddam nobis fingunt nõ scriptum, & huius præextu sua somnia aut figmenta hominibus obtrudunt. Imitentur potius singuli hanc Iesu Christi modestiam, qui doctrinam suam non priuata, sed publica patris sui authoritate cõmendat. Pudeat igitur suæ temeritatis Pontifices & alios quosuis, qui suas traditiones recipi volunt, quàmuis à scripturis & verbo Dei scripto alienissimas esse non possint negare. Nos nemini locum demus, nisi qui legitimè vocatus & missus cum Christo dicere possit: Sermo, quem auditis, non est meus, sed eius qui misit me. Num autẽ quis istud verè dicat, mox patebit, si quod docetur, ad scripturæ Canonem examinemus. Neque temerarij censeri debent, qui doctrinæ examen instituunt. Vult enim Apostolus iudicium penes eos esse qui in ecclesia considerent. Eidem, omnia probate (inquit) quod bonũ fuerit tenete. Et Ioãnes scribit in priori epistola Cap. 4. Ne cuiuis spiritui credatis, sed probate spiritus, an ex Deo sint, &c.

Repetitur spiritus sancti promissio.

At probè sciebat Dominus, discipulos rudiores & tardiores adhuc esse, quàm vt mysteria hæc possent capere. Ne ergo sua illa ruditate territi animum desponderent, repetit promissionem de spiritu sancto, & ostendit fore tempus, quando hæc omnia intelligant, & fructum ex ijs percipiant verissimum. Dicit autem: Hæc locutus sum vobis apud vos manens: paracletus autem ille, nempe spiritus sanctus, quem mittet pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, &c. Ita verò vult dicere: Multis ego coram præsens vobiscum egi, & plenè tradidi, quæcunq; ad salutem cognitu & obseruatu necessaria sunt. At vos nihil horum intellexistis hactenus, & ideò vos nunc varijs & molestissimis cogitationibus diuexari scio, quando me iam discessum parare auditis. Sed ego vos animo tranquillo & præsenti esse iubeo. Paracletus enim ille, quem nuper promisi, & quem pater meo nomine, id est, propter me, cuius merito ille placatus est, mittet, ille vos nihil cælabit, & partim quidem docebit omnia, quæ nunc obscura vobis videntur, partim suggeret etiam & in mentem reuocabit ea, quorũ modò non recordamini: & tunc ad omnia, quæ ego vobis in mandatis dedi, instructissimi eritis. Pulchrè autem adorandæ Trinitatis mysterium paucis comprehendit, & diserte personas tres in vna indiuisa Deitate nominat: Nimirum patrem, qui mittit: filium, cuius nomine mittitur: & spiritum sanctum: qui missus sit verus suæ doctrinæ atq; voluntatis interpres. Pollicetur autem hunc interpretem, ne ignorantiæ sensus discendi fastidium in discipulis pareret, quod plerunq; enasci solet, si nos aliquandiu nihil profecisse sentiamus. Ideò ad nos etiam promissionis huius vsus pertinet, ne statim abijciamus discendi studium, si quid non intelligimus. Solet enim aliquandiu suspensos tenere Deus, vt fidem & spem nostram exerceat. Tunc ergo cogitemus hoc nostro bono fieri, & fore aliquando tempus, cum nobis luce clariora erunt, quæ nunc Cimmerijs tenebris obscuriora videntur. Insunt præterea hisce Domini verbis nonnulla, quæ diligentius considerari debent.

Christus discipulos docet quos nihil horum intelligere sciebat.

Primum est Christi exemplum. Nouerat is rudes & indociles discipulorũ animos, & quòd alio demum tempore ista intellecturi erant. Attamen docuit illos, & eadem quotidie inculcauit, ne suo officio deesset, cui illum pater destinauerat. Imitari eum debent ministri, ne populi vel ruditate vel pertinacia sese auocari aut impediri patiantur. Etsi enim ipsis cum hominibus res sit, Dei tamen serui sunt, cui olim rationem reddituri sunt, & præmium se dignum accepturi, quàmuis omnes homines ingratos & rebelles sentiant. Deinde fit plerunque, vt doctrina post aliquot tempus suum fructum referat, quæ cùm primùm proponeretur, planè sterilis et infrugifera erat. Vbi enim ipso euentu confirmatur, tunc in mentem multi ea reuocant, quæ olim audiuerunt, & pij quidem à propria conscientia admoniti resipiscunt. impij verò & reprobi suo interitu verbi Dei veritatem cõfirmant, & suo exemplo posteritatem ad ardentius pietatis studium excitant. Denique vt semen quod aliquandiu sub glebis, pruinis item & niuibus delituit, suo tandẽ tempore germinat & fructum fert diu desideratum: ita Dei verbum, quod æterna obliuione sepultum videbatur apud homines, tandem aliquo improuiso casu quasi viuificatum suam vim exerit. Exempla eius rei in prophetarum historijs exstant. Nam quantum fructum Ieremiæ sermones ijs attulerunt, qui in Babylonico exilio detinebantur, ex Danielis nono Capite apparet, quos illo docente à plerisque contemptos fuisse scimus. Et hodie magna ferè est eorum authoritas, quæ fidi Dei ministri ante annos complures prædixerunt, quibus pauci fidem habuerunt, cùm in viuis essent, & officio suo fungerentur. Nunquã ergo in cassum laborabunt verbi præcones, & ideò illos patientia armari, & simul cõstanter pergere conuenit,

ne dum fructum præsentem nimis præcipiti desiderio habere volunt, spe sua frustrati succumbant. Quod autem illis dicitur, hoc ipsum priuatim parentes quoque in liberorum institutione, & publici magistratum in populi gubernatione & morum disciplina obseruare conuenit, ne populi improbi & proteruia ipsos e statione sua deijciat, in quam à Domino cõstituti sunt. Rursum qui suos doctores aut gubernatores fidos experiuntur, illorum monitis sese libenter submittant, ne olim magno suo malo verum esse sentiant, quod nunc credere nolunt.

Externa prædicatio sine spiritus operatione non prodest.

Deinde multa consideratione dignum est, quòd spiritum sanctum promittit Christus, qui ab ipso traditam doctrinam in discipulorum animis illustret & efficacem siue frugiferam reddat. Ergo nullus externæ prædicationis effectus est, nisi interna sancti spiritus operatio accedat, vt nec agriculturæ, nisi Deus è cælo det incrementum. Quo simili Paulus grauiter vtitur in priori ad Corinthios, vbi de seipso & Apollo alijs q̃ ministris loquens, inter alia ait: Quis est Paulus? quis Apollos, nisi ministri per quos credidistis, & vt cuiq; Dominus dedit? Ego plantaui, Apollos rigauit, sed Deus dedit incrementum. Itaq; neq; is qui plantat est aliquid, neq; qui rigat, sed Deus qui dat incrementum. Quod autem de seipso & Apollo dicit Apostolus, hoc omnium prophetarũ & Apostolorum exemplis confirmatur, qui procul dubio cum populi contumacia non tam diu luctari voluissent, sua ipsorum fuisset potestate et arbitrio incredulorum animos mutare. Quid autem de his dicere attinet, quando Dei filius discipulos, qui ipsum coràm docentem audiuerant, ad spiritus sancti schola remittit, qui interna virtute semen illud verbi frugiferum facturus sit? Seruit autem hæc consideratio nobis multiuariàm. Primò enim monet ministros, ne sui officij gradu superbiant, & in ipsas hominum mentes sibi ius & imperium temere vendicent, in quibus se nihil posse audiunt. Deinde audientes simul & ipsos ad preces excitat, ne nuda & inani auditione contenti sint, sed simul huic preces adiungant, vt spiritus luce animi illuminati fructus sua vocatione dignos ferant. Docet præterea, ne homines sibi magistros faciant, & in sectas scindantur, quod olim Corinthijs accidisse scimus, cum verbi præcones nimium intenti Christum minus obseruarent, cuius illi ministri erant. Agnoscimus quidem sunt in Dei seruis dona, quibus ille eos ornauit, non autem vltra suum gradum euehi, quæ illis tribui debet quod solius Christi est, in cuius nomen baptizati sumus. Quod si omnes obseruarent, religionem à superstitionibus magis purgatam haberemus. At quia de his alibi quoque dictum est, hæc modò annotauisse sufficiat.

Officium spiritus sancti.

Nunc, quod præcipuũ huius loci caput est, videamus quod nam spiritus sancti munus sit vel officium, aut quid in Apostolis operari debuerit. Comprehendit hoc Dominus duobus membris. Primum, ille (inquit) vos docebit omnia: nimirum quæ ad salutem consequendã cognitu necessaria sunt, quæ scilicet sit mei regni cõditio, in quo hominum salus consistat, quod vestrum sit officium, & quam doctrinam toti mundo prædicare debeatis. At ne quis ex hoc dicto nouum aliquod doctrinæ genus speraret, & ita sese illudendum præberet impostoribus, qui reuelationes iactitant, mox alterum membrũ quasi expositionis loco subijcit: Et suggeret vobis omnia, quæ dixi vobis. Nihil ergo nouum docere debuit spiritus sanctus, sed ea in mentẽ reuocare & illustrare, quæ Christus plene quidem & perfectè tradiderat, Apostolis autem obscuriora visa fuerant, eò quòd cæca humanæ rationis caligine et carnis affectibus præoccupati, neque illa intelligere potuerunt, neq; de illis seruandis fuerunt multùm soliciti. Et sanè spiritu doctore opus fuit, quãdo impossibile erat, homines rudes & illiterati aut retinere, & vel docendo vel scribendo in vulgus spargere, quæ ex Christo audiuerant, nisi spiritus suggestionibus adiuuarentur. Est ergo intolerabilis eorum temeritas, qui hæc Christi verba male ac peruerter detorquent, & ijsdem abutuntur, vt probent Apostolos non omnia salutis & religionis Christianæ mysteria tradidisse, sed multa reseruata fuisse, quæ illorum successoribus singulari spiritus reuelatione manifestari debuerint. Fuit hoc omnibus seculis commune principium, ex quo suos errores impij hæretici & impostores omnes deriuarunt. Vidit enim satan se ad decipiendum non posse compendium breuius & efficacius inuenire, quàm si eorum doctrinam aliquo modo suspectã redderet, quos vnus orbis doctores Dominus constituerat. Ita enim ostium aperuit omnibus, qui noua cõmenta audere ausi sunt, & simul canonem siue lapidem illum verè Lydium ex ecclesijs abstulit, ad quem doctrina & spiritus omnes probari debent. Olim certè (vt omnes alias hæreses nunc omittamus) Manichæus promissionem hanc Christi, non in Apostolis, sed in suo Mani siue archimanichæo impletam et

Contra huius loci abusum.

contendebat,

contendebant, sicuti D. Augustinus ad Quoduultdeum de Hæresibus annotauit. Eadẽ insania Cataphryges quoq; seduxit, quorum author siue dux fuit Montanus. Et Turcarum deliræ superstitiones hoc potissimum fundamento nituntur, quòd Mahumetem suum pleniori spiritus virtute illuminatum ea perfectius tradidisse putant, quæ in Christi & apostolorũ doctrina desiderentur. Sed quid de his dicere opus est, quando idem error Papistas maximè detinet, quòd multa creditu & obseruatu necessaria esse contendunt, quæ in scripturis apostolicis nusquam contineantur? Reperti enim sunt, & hodie etiam passim prodeunt, qui hoc cõmentum libris publicis constantissimè defendunt, & ita scripturas sacras & ipsum spiritum sanctum publicè accusant, vt qui salutis mysteria malignius tradiderit. Inde verò colligunt, posteris demũ temporibus in Concilijs multa reuelata & ex spiritus suggestione decreta esse, quorum eadem debeat esse authoritas, quæ eorum est, quæ in sacris literis continentur. Ita verò suas traditiones scripturis æquant, & traditionem ecclesiasticam esse clamãt quic quid scripturæ testimonijs non potest probari. Neq; eo contenti, spiritum sanctum Romanæ sedi ita assignt, vt in scrinio Pontificis contineri dicant, quicquid creditu necessarium est, & eò tanquam ad Delphicum oraculum remittunt omnes eos, quos de sensu mysteriorum Dei aliquid dubitare vident. Sed facilè omnes isti confutantur, si hunc locũ propius inspiciamus. Primò enim ipsis apostolis spiritum sanctum Christus promittit, qui illos omnia doceat. Ergo non ad eorum successores demum ista promissio restringi debet. Nam si hoc fiat, maior erit horum, quàm apostolorũ authoritas, quos Dominus suæ doctrinæ & operum omnium testes esse voluit. Deinde spiritus ille non noua tradere, sed à Christo tradita suggerere debuit. Ergo Christi spiritus non est, quisquis noua & apostolorum scriptis contraria docet, nisi vel istos falsi accusare, vel spiritum sanctum sibijpsi contrariũ dicere libet. Præterea spiritum hunc apostolis datum fuisse scimus vndecimo ab ascensione Christi die, & quidem visibiliter, neq; sine stupendis signis atq; miraculis, ne qua superesset dubitandi occasio. Fundus est itaq; suo officio, & omnia illis suggessit, neq; eos falli & errare passus est, quibus illum paracletum & consultorẽ Dominus miserat. Et quia ijdem fideles Christi ministri fuerunt (quod non laboribus modò infinitis & indefesso docendi studio, verumetiam sanguine suo abunde testati sunt) non dubium est, quin fideliter omnia tradiderint, quæcunq; in mandatis acceperant. Quapropter impudentissimi impostores, & in apostolos simul atq; spiritum sanctum contumelioſi sunt, qui illos non omnia plenè tradidisse aiunt, & suas traditiones literis apostolicis æquiparare audent. Vsus verò istorum omnium nobis hic esse debet, vt primò quidem non dubitemus de fide historiæ euangelicæ & apostolicæ doctrinæ authoritate. Quia enim spiritum sanctum sibi tam familiarem habuerunt, nihil eos fugere potuit, & ijdem nihil dolo malo vel cælare vel corrumpere voluerunt. Deinde non audiamus eos, qui aliquid ab hac diuersum prædicant. Prætexunt illi successionem apostolicam, Concilia, patres. At nos illud Pauli ipsis obijcimus: Si angelus de cœlo aliud euangelium prædicet, præterquam vobis prædicauimus, anathema esto. Itaq; apostolicæ doctrinæ vestigijs insistamus, quoad fidei & vitæ leges. Docuerunt hi vnum Iesum Christum, qui nobis à Deo factus sit sapientia, iustitia, satisfactio, sanctificatio & redemptio. Huius consortes fieri docuerunt eos, qui ipsum fide vera amplectuntur. Iusserunt autem fidem operibus testari, peccatis mori & ex semine verbi renatos in vitæ nouitate ambulare. In his ergo simus totis animis, & in illo vitam consequemur æternam. Ipsi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

HOMILIA CXXXVI.

Pacem relinquo uobis, pacem illam meã do uobis, non sicut mundus dat, ego do uobis. Ne turbetur cor uestrũ, neq; formidet. Audistis quòd ego dixi uobis, Abeo, & redibo ad uos: Si diligeretis me, gauderetis utiq; quòd dixerim, Abeo ad patrem: quia pater maior me est. Et nunc dixi uobis priusquam fiat, ut cùm factum fuerit, credatis. Nõ amplius multa loquar uobiscum. Venit enim princeps mũdi huius, & in me non habet quicquam. Sed ut cognoscat mundus, quòd diligo patrem: & sicut mandauit mihi pater, sic facio. Surgite abeamus hinc.

TOto hoc Capite Dominus noster Iesus Christus discipulos suos, ob suum discessum solicitos atq; consternatos, amicè consolatur, vt ad omnem fortunam intrepidi in agnita veritate constanter perseuerent. Etsi verò cum illis ista coràm egerit, eadem tamen non minus hodie nobis seruant. Nam vt illis dolorem mouebat corporalis Christi discessus, ita frequenter à nobis quoq; discessisse nosq; omnino reliquisse videtur, quando omni malorum & periculorum genere circumuentos nulla gratiæ & auxilij eius indicia apparent. Tunc ergo in mentẽ reuocare oportebit quæ hìc dicuntur, quòd nimirùm etsi nullis externis signis suam præsentiam declaret, reuera tamen sua virtute & spiritu nobis adsit, qui nos regat, doceat, & omnia ea fideliſimè præstet, quæ ad nostram salutem reddam faciunt. Quia verò carni nostræ vix aliquid sufficit, in præsenti primam hanc consolationem ita concludit, vt quæcunq; hactenus dicta sunt, in breuem summam colligat, vt & animis nostris facilius insideant, & facilius (quando opus est) à nobis in mentem reuocari possint.

Christus discipulis ualedicit.

Et initiò quidẽ statum totius sermonis repetens illis valedicit. Pacem (inquit) relinquo vobis, pacem illam meam do vobis: non sicut mundus dat, ego do vobis: Ne turbetur cor vestrum, neq; formidet. Pacem illis pollicetur ex communi Hebræorum more, qui cùm veniunt eumq; discedunt, pacem amicis imprecari solent, cuius nomine salutem & incolumitatem omnem intelligunt. Neuter hanc eius promissionem vulgarem esse & à communi valedicendi more nihil differre putarit, discerte inter hunc & illam distinguit, dum & SVAM pacem pollicetur, & se illam dare dicit non sicuti mundus facere consueuit. Sensus ergo verborum est: Ego quidem corpore à vobis discedo, & multa vobis præter expectationẽ vestram accident, quæ fidem labefactare possunt. Sed nõ ideò animum despondere aut metu absorberi conuenit. Relinquo enim vobis pacem, id est benedictionem veram, quæ vobis omnia læta atq; secunda faciet. Neq; hoc facio ex vulgi aut mundi huius consuetudine, qua fit, vt verbis quidem pacem homines sibi inuicẽ precentur, animis verò inter sese hostiliter dissideant, aut si quàm maxime amicis consultum volunt, nihil tamen præter amicam suæ voluntatis significationẽ præstare possunt. Ego enim reipsa præstabo quod verbis polliceor, & meam pacem (cuius nimirùm ego author sum) sic conferam, vt nihil vobis accidere possit, quod saluti vestræ officiat, & simul prosperè & feliciter cedant, quæcunq; ex meo iussu instituetis. Sitis ergo imperterrita mente, neq; locum aliquem detis affectibus, qui ignobilem metum incutiant, aut vos ex vestra statione deijciant, in quam ego vos collocaui, &c.

Pax Christi quæ sit.

Cæterùm vt promissio ista nostræ etiã consolationi seruiat, scire oportet quæ nam illa pax Christi sit, quam nobis pollicetur. Sunt enim, qui hanc de pace & felicitate huius seculi intelligũt, & ita grauiter offenduntur, quando turbas & persecutiones passim oriri vident. Sed horum sententiam ipse Dominus tam hìc quàm alibi confutat, quando se non pacem, sed gladiũ mittere ait, quo cognatissimi quiq; à se inuicem diuellantur. Est ergo pax ista Christi spiritualis, & propriè inter Deum & nos facta est, cui ille nos reconciliauit, cùm propter peccatum inimici eius essemus. Ita eam Paulus exponit ad Romanos scribens: Iustificati ex fide pacem habemus erga Deum per Dominum nostrum Iesum Christum. Parit pax ista conscientiæ tranquillitatem, ne vel inferorum terroribus vel iræ Dei metu concutiantur, qui hunc sibi in Christo Iesu placatum esse nouerunt. Comitatur hanc animi tranquillitatem inuictum robur & fidei constantia, quæ nullis periculis siue aduersis expugnari potest. Ideo pacem hanc Paulus in medijs afflictionibus durare, & proinde omnem huius mundi intellectum excellere scribit. Et quia hãc in animis nostris obsignat & cõfirmat spiritus sanctus, qui omnibus pijs communis est, eosdem ille in vnum quoq; corpus coniungit, vt inter se charitatem vnitatemq; colant non fucatã, & concordiæ studeant, quam mutuis officijs fouent atq; colunt. Hæc (inquam) spiritualis illa est, quam Christus SVAM vocat, & quam in præsenti discipulis suis pollicetur: quæ etiam vera pacis nomine digna est, quia Deum simul & homines complectitur & omnia in se continet, quæ ad hominis felicitatem veram faciunt. At nos vsum promissionis huius spectare oportet, qui duplex est. Primò enim in omni tentatione efficacissimè consolatur, quòd audimus, Dei filium Iesum Christum, quàmuis corpore suo è mundo abierit, pacem tamen suæ mortis merito acquisitam non abstulisse: imò (vt ipse hìc loquitur) eam nobis reliquit, & eandem per spiritũ suum quotidie in animis nostris confirmat. Est enim is adoptionis spiritus, per quem clamamus Abba pater, & qui vnà cum spiritu nostro testatur, quòd sumus filij Dei, ideoq; nobis cũ Apostolo dicere licet: Si Deus pro nobis, quis contra

nos? Est hæc omnium efficacissima consolatio, qua confirmati internos conscientiæ terrores vincere, infelices diaboli suggestiones profligare, & iniqua de nobis quorumuis hominum iudicia contemnere possumus. Negat nobis pacem & amicitiã suam mundus hic: sed huius odia atq; inimicitiam facilè contemnunt, qui Deum sibi amicum & propitium esse norunt. Fulminant contra nos excommunicationis telo Romani pontifices, & nos maledictos Deoq; exosos esse pronuntiant: sed sunt hæc bruta fulmina, quæ superstitiosos quidem suo crepitu terrent, à pijs autem ridentur, qui per Christum sibi pacem partam esse intelligunt.

Quæ pax debeat quæri.

Deinde officij quoq; nos admonet, vt pacem hanc veram & solidam totis animis quæramus. Est quidem pacis nomen plausibile, & inter huius seculi bona vix quicquam pace vel publica vel priuata iucundius habetur. In eo autem plerique errant, quòd pacem ex carnis sensu æstimant, & eam ferè in terrenis & mundo quærunt. Qui enim priuatim sibi bene esse volunt, ad opes aspirãt, & si illæ affluant, mox animum totum illis consecrant, & quasi parta iam pace cum stulto illo diuite dicunt: Anima, habes multa bona reposita in multos annos, requiesce, comede, bibe, oblectare. Alij verò vulgi applausum & huius seculi honores vænantur, alij otium quærũt, alij alijs studijs occupati sunt, quibus se ad veram felicitatem peruenturos sperant. At quia in his omnibus nihil certi est, incerta quoq; & dubia sit oportet pax siue felicitas, quæ istis nititur: Imò nulli mortaliũ magis tumultuantur, quàm qui eiusmodi studijs sese addixerunt. Rursus publicam pacem vulgus hominum in mundi amicitia consistere arbitratur, & ideo vt hac frui possint omnibus adulantur atq; morẽ gerunt, non iuxta modo quæ nostri iuris & arbitrij sunt, verumetiam in diuinis, quæ omnibus huius seculi commodis anteponi debebant. At quia mundi amicitia (vt Iacobus ait) est inimicitia cum Deo, ferè iusto huius iudicio, vt qui in mundi gratiam illius iussa negligunt, semetipsos turbis & periculis improuisis implicent, & neq; Deo propitio neq; hominibus amicis vtantur. Exempla eius rei multa in historijs occurrũt, & nostro seculo multa eius generis vidimus. Sequamur ergo regulas scripturæ, & (vt Paulus monet) pacem quidem nos colamus cum omnibus, quantum in nobis est. Quàm primùm verò Dei causa agitur, & eius gloria in periculũ venit, tunc quod illi debemus officium, omnibus, quæ sub cælo sunt, debet anteponi: & tunc apostolicum illud in omniũ auribus & animis sonet, Oportet Deo magis obedire quàm hominibus. Non potest enim non infelicissima esse ea pax, quæ impia Dei abnegatione redimitur. Hoc si hodie omnes obseruarent, Deo magis propitio vteremur, & insanos etiam mundi huius furores facilè compesceret.

Repetit argumenta consolationis.

Porrò institutum sermonem præcipitantius abrumpat Dominus, præcipua consolationis argumenta repetit, & de primo quidem sic loquitur: Audistis, quòd ego dixi vobis, Abeo & redibo ad vos. Dum illos hoc audiuisse ait, monet, vt istud memori mente seruent, neq; de eius dicti fide quicquam dubitent. Quasi diceret, Sufficiat semel istud audiuisse. Nam quod promisi, fideliter præstabo: & licet à vobis discedam, reuertar tamen ad vos: primùm quidẽ corpore, vbi à mortuis resurrexero, vt et resurrectionẽ meam argumentis firmissimis probem, & vos de parta salute certiores reddam: deinde in spiritu meo, quem vobis mittã, vt illo paracleto & aduocato vtamini: tandem rursus ipse in proprio corpore & visibiliter, quando ad iudicium venturus sum, vt vos resuscitatos ex morte ad me recipiam in regni cælestis consortium. Meminerimus autem ipsum hanc promissionẽ primo loco repetere, vt discamus, non aliud esse efficacius consolationis argumentum, quàm quod ex spiritus Christi præsentia & eiusdẽ nouissimo aduentu petitur. Nec enim orphani aut miseri censeri possunt, qui spiritum veritatis ducem atq; aduocatum habent: neq; spe sua frustrabuntur, qui olim Christum in nubibus cæli venire videbunt, vt promissa æternæ felicitatis præmia ipsis largiatur. Altero argumento docet, quò nam abire velit, vt ostendat, ipsos ex illius abitu gaudium potius quàm dolorem debere concipere. Ait enim: Si diligeretis me, gauderetis vtiq; quòd dixerim, Abeo ad patrem: quia pater maior me est. Quibus verbis hoc dicere videtur: Qui verè aliquos diligunt, ij illorum cõmoda proprijs anteponunt, & quàmuis aliquid molestiæ ex eorum absentia oriatur, hanc tamen longè superat gaudium, quod ex illorum gloria & incolumitate capiunt. Atqui ego non in locum aliquem abibo, vbi quid aduersi patiar, sed ex mundo hoc infelici transibo ad patrẽ, vt semel exutus omni molestia æternùm cum illo gaudeam, qui maior me est, id est, qui in æterna & cælesti gloria constitutus nullis huius seculi miserijs exercetur, quas ego nunc in mortali carne sustineo. Si ergo me verè diligi-

tis, & (quod veræ dilectionis proprium est) mihi ex animo consultum vultis, non dolere vos de meo discessu, sed potius gaudere, cùm & ego malis omnibus liberer, & vobis quoq; ad cœlestia viam aperturus sim. Hic verborum Christi sensus est simplicissimus, & cum statu huius sermonis prorsus conuenit. Ex quo apparet, Arianos olim hoc loco turpiter abusos fuisse aduersus veram & æternam Christi Deitatem, quasi quoad hanc patrem se maiorē dixerit. Atqui nihil hîc de sua Deitate disputat, sed vt discipulos ob suum abitum dolentes consoletur, se ad patrem abire ait, & in Mediatoris persona loquens hunc secum confert, non quoad diuinam naturam, secundùm quam illi æqualis est (vt sæpe aliàs docuit) sed quoad carnem assumptam & huius seculi statum, secundùm quem non tantùm modò, verumetiam seipso (vt veteres loquuntur) minor fuit: quando semetipsum exinaniuit, & homo factus serui formam assumpsit, in qua patri obediens fuit vsq; ad mortem. Non ergo extat in tum præsentis argumenti verba hæc diuexari debent, & mox apparebit, nihil hîc dici, quod aeterna Christi Deitati quicquam deroget. Interim carnalem in discipulis affectum perstringit, qui ipsum quidem amabant tenerrimè, sed in corporis præsentiam solummodo intenti, non spectabant quid ipsorum saluti simul & illius gloriæ maximè conduceret. Quales hodie multi inueniuntur, qui ex amicorum morte plus doloris quàm gaudij percipiunt, dum in præsentem modò consuetudinē & suam commoda respiciunt, non autē cogitant, quàm multis quamq; grauibus malis illi exempti sint, & quanta sit ea felicitas, qua nūc in cœlis fruuntur. Debet ergo hæc ratio nobis etiā semper ob oculos versari, vt tam in nostræ mortis articulo, quàm in nostrorum obitu ex ea consolationem petamus. Cogitemus mortem transitum esse ex lachrymarum valle in cœlestem patriam, vbi in Dei conspectu sanctorum bonorum cœlestium fruemur, quæ omnem huius mundi felicitatem longè superat. Quod qui seriò cogitant, ij & suam mortem fortiter ferent, & quàmuis in suorum obitu aliquid humanitùs patiantur, dolorem tamen omnem mox absterget cœlestis vitæ recordatio, qua fiet, vt ipsi potius sua ipsorum quàm illos in terras hasce reuocare cupiant.

Vsus concionū Christi.

His autem repetitis eorundem vsum quoq; tradit Dominus, & doctrinam suam illis grauiter commendat, dicens: Et nunc dixi vobis priusquam fiat, vt cùm factum fuerit, credatis. Quibus verbis supra quoq; Cap. decimo tertio vsus fuit. Continet autem hæc sententia vsum verum omnium concionum Christi, adeoq; omnium vaticiniorum, quæ in scripturis describuntur. Est ū, vt cùm ea impleta videmus, quæ olim prædicta sunt, non offendamur, sed ex illis petamus argumenta, quibus fidem nostram fulciamus. Si enim tanta est eorum certitudo, quæ de futuris olim prædixit spiritus, cur ab ea dubitemus, quæ de perpetua Dei erga genus humanum voluntate & regni ipsius mysterijs traduntur? Quoties ergo pios assiduis afflictionibus tentari atq; exerceri videmus, tunc in mente nobis veniant, quæ olim Christus prædixerit, & quem simul nobis ostenderit afflictionū finem seu vsum. Similiter, si quando in oculos incurrit fœda & incurabilis nouissimi huius seculi corruptio, quæ & ipsa olim in scripturis de nouissimorum temporum moribus prædicta sunt: & cùm ea cum illis per omnia conuenire videmus, certò credamus ea etiā euentura esse, quæ ex eiusdem spiritus suggestione de fine huius seculi, de mortuorum resurrectione, de nouissimo Christi aduentu, deq; sempiternis piorū præmijs & impiorum pœnis ibidem traduntur. Excitemur ergo his visis & leuemus capita nostra in diem nostræ redemptionis dignè excipiamus. Possent ista latissimè diduci, sed pijs occasionem præbuisse sufficiat.

Mortis Christi mysterium.

Pergamus ergo in Christi verbis, qui cùm grauissimum fore sciret scandalum, quod ex cruce & morte sua oriturum erat, denuo eius ratione exponit, vt illud è medio auferat. Præmittit autem quasi theticam planè sententiā, qua attētos reddere voluit: Non amplius multa loquar vobiscum. Quod si diceret, Sunt hæc quasi nouissima verba, quibus vos alloquor: vos ergo illa attentis auditæ curate & memori mente recondite. Venit enim princeps mundi huius, & in me nō habet quicquam; Sed vt cognoscat mundus, &c. Comprehendit autem multa his verbis, quæ ad mortis suæ mysterium explicandum faciunt: improbum scilicet Satanæ aduersus se conatum, suam item innocentiam & diuinam virtutē, æternū patris decretum, & suam dilectionē, qua moueatur vt illi obtemperet. Sensus igitur est: Magno quidem conatu aduersus me Satan insurgit, & iam sibi parauit idoneos milites, quibus me totum opprimat: sed non habet in me quicquam, id est nullum illi in me ius est, aut impera-

cum

cùm quia Deus, tum quia omnis peccati expers, & proinde morti etiã non sum obnoxius. Quæ etiam causa est, quòd nihil aduersus me proficiet. Quia tamen Deo patri ita visum est, permittam me ad tempus eius conatui, vt me quoad assumptum hominem ignominiosè occidat, vt toti mundo constet, quàm impensè ego patrem diligam, quodq; omnia faciam ex eius mandato atq; decreto: quod est, vt morte mea veteris serpentis caput conteram, dum ille mihi & regno meo insidias struit. Non ergo in morte & crucis ignominia vos hærere oportet, sed eius causas & finẽ intueri, sicq; nihil erit, quod vos turbare aut à fide abstterrere possit. Insunt autem his verbis nonnulla, quæ diligentius considerari debent.

Primum, quòd diabolum mundi principem vocat. Atqui hominẽ initiò in eum finem creauerat Deus, vt ceu princeps aliquis in omnes creaturas imperiũ haberet. Sed excidit ille à dignitate sua, quando diaboli consilium Dei præcepto anteposuit, & ita iusto Dei iudicio factum est, vt mundi dominium ille inuaderet tyranni instar, ex quo homo deiectus fuit. Et ea quidem fuit omnium hominum conditio, vt diaboli mancipia essent, quoad Christus venit, qui assumpto homine cum tyranno illo congressus, illum vicit, victum constrinxit, & vasa eius diripuit, homines nimirùm, in quos sibi iure & imperiũ vendicauerat. Ideo Paulus de gentibus scribens, illas sub tenebrarũ potestate tristem & infelicẽ seruitutem seruiuisse ait, imò tam Iudæos quàm gentes iræ vasa fuisse testatur, quæ æternam damnationem meruerint. Et est eadem adhuc omnium eorum conditio, qui Christum redemptorem non recipiunt, & per illum parto salutis beneficio frui nolunt. Prodest autem ista crebrò & diligenter considerauisse, vt & peccatum detestemur, quod tantæ miseriæ causa fuit olim, & quod plures adhuc hodie in illo luto detinet: & Christi beneficium agnoscamus, qui nos suæ mortis merito asserere dignatus est. Docet præterea hæc consideratio, quid de ijs sperari debeat, qui toti mundo & carni dediti, huic principi diabolo adhuc seruiunt. Non possunt illi veritatis lucem ferre, & proinde odio implacabili omnes eos persequuntur, penes quos illam lucere vident. Est hoc probatum omnium seculorum exemplis, & idcirco stultissimè faciunt, qui sibi nescio quam concordiam pollicentur, aut etiam istorum minis & conatibus, tanquam re noua & inaudita offenduntur.

Diabolus princeps mundi.

Deinde obseruabis, quòd diabolum contra se venire ait, cùm hoc à Iuda, sacerdotibus & horum seruis, militibus item factum fuerit, qui ad illum capiendum sese iam instruxerant. Sed diabolo hoc opus omne tribuitur, quia eius impulsu istud fecerunt: quo nomine apud Lucam illos potestatẽ tenebrarum esse ait. Debet hinc generalis doctrina peti, diaboli nimirùm seruos & mancipia esse omnes eos, qui huic sese regendos præbent, eius impulsu aduersus Christum conspirant, & illius verbum siue ecclesiam persequuntur. Neminem ergo illorum successus & victoriæ offendant. Sunt enim momentanei, & paulo post eadem cum suo principe stipendia recipient à Christo iudice, qui suorum vindex est acerrimus. Neq; illos magnifici tituli defendent, quibus ferè seipsos palliant, dum & legitimi reges, & ecclesiæ antistites, papæ, episcopi & sanctissimorum patrum successores dici volunt. Habebant enim hæc omnia, qui olim in Christi mortem conspirarunt, quos ille nihilominus potestatem tenebrarum ipsumq; diabolum vocauit.

Diabolo tribuitur quod Iudas cum coniuratis faciebat.

Habet præterea locus hic, quæ ad asserendam salutis nostræ certitudinem non parum faciunt. Inter quæ primum est, quòd Satanam nihil aduersus se iuris habere ait. Atqui habet ille ius mortis in omnes peccatores. Ergo Christus omnis peccati immunis fuit, & moriens nõ suum (vt ita dicam) debitum exoluit, sed propter nos omnia passus est, ideoq; sufficiens potuit esse pro peccatis nostris victima. Et hic verus innocentiæ eius vsus est, quam ideo etiam multis testibus probari oportuit, vt illum pro nobis mortuũ esse constaret. Debẽt enim huc referri, quæcunq; coram sacerdotibus, Pilato & Herode cum illo acta sunt, qui omnes partim inuiti, partim volentes eius innocentiæ testimoniũ perhibuerunt. Deinde dilectus ille Dei filius est Christus, & proinde non potuit non placere patri quicquid ille pro nobis fecit aut passus est. At quia interdum filij charissimi quædam contra officium faciunt, ipse se omnia sicuti pater mandauit facere testatur. Qua ego ratione ille improbet aut irritum habeat, quod ex ipsius mandato sit? Hæc si in vnum collata diligenter expendantur, firmissima nobis argumenta suggerent, quibus grauissimas quasq; tentationes & ignita Satanæ tela sũ premus. Potest enim ex his certò colligi, quòd si nihil in Christum iuris habet Satan, vtique nihil etiam habebit in eos, qui huic per fidem insiti sunt, & quibus ille à Deo factus est sapientia, iustitia,

Salutis per Christum partæ certitudo.

sanctificatio & redemptio. Idem quoq; propter Christum filij Dei censentur, & quia spiritum adoptionis acceperunt, illo gubernantur, vt olim cum Christo cœlestis regni hæreditatem accedant.

Christus ex urbe progreditur obuiàm morti.

Sequitur huius sermonis conclusio: Surgite, eamus hinc. Ita verò ad mortem sese accingit, cui volens obuiam processit, vt nimirùm sua obedientia nostræ inobedientiæ culpam expiaret. Quia verò discipulos, vt se comitentur, excitat, non obscurè docet, exemplum eius imitari debere omnes eos, qui ex discipulorum eius numero censeri volunt. Surrexit ille, & relicta vrbe sanguinaria in hortum ad montem olueti exiuit, vbi se ex patris decreto captum iri sciebat. Surgamus & nos luto studiorum nostrorũ carnalium, & relicto mundo hoc impuro, superstitioso & sanguinario, eamus obuiam Deo, qui gratiam & oleum lætitiæ, spiritus sui dona nobis offert, eiusq; voluntatem patienter subijciamus. Ita enim duce Iesu Christo aduersa omnia superabimus, cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

CAPVT XV.

HOMILIA CXXXVII.

EGo sum uitis illa uera, & pater meus agricola est. Omnem palmitem in me non ferentẽ fructum, tollit: & omnem qui fert fructum, purgat, ut fructum copiosiorem afferat. Iam uos puri estis propter sermonem, quem locutus sum uobis. Manete in me, & ego in uobis. Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in uite: ita nec uos, nisi in me manseritis.

AVDIVIMVS Domini nostri Iesu Christi sermonem, quem mox post vltimam cœnam in ipso cœnaculo habuit, vbi cœnatum fuerat. Eo autẽ discipulos, quos propter discessus sui mentionem contristatos videbat, consolatus est. Et præcipuum consolationis argumentum fuit, quòd etsi corpore discedat, ipsos tamen non relicturus sit orphanos, sed spiritum daturus, qui illos regat & tueatur. Imò promisit fore, vt si præcepta sua seruẽt, ipse vnà cum patre veniat, & mansionem apud ipsos faciat. At quia hoc expositione ampliori opus habebat, subijcit nunc dò nouum sermonẽ, quem habuit, cùm iam à Cœna surrexisset, seq; ad iter accingeret, vt in hortum exiret, vbi se ab hostibus capiendum sciebat. Exponit in eo, quid ipsos facere oporteat, si illum possint frui velint, & vt id constanter faciant hortatur. Estq; hæc doctrina vtilissima simul & maxime necessaria. Continet enim præcipuum nostræ salutis caput siue mysterium, quæ ex hoc potissimum loco pendet, vt cum Christo verè vniti, in illo fructum feramus, qui nostram vocationem decet.

Deus parabolis utitur in nobis erudiendis.

Proponit verò negotium hoc totum sub vitis parabola, qua nulla in scripturis est vsitatior. Sic enim in veteri Testamento Moses & prophetæ vsi sunt, & eandem non vno loco ipse adducit, vt scripturas veteres nobis commendet, & discipulis in mentem reuocet, quæ olim de pœnis ingratæ & contumacis gentis prædicta fuerunt. Sed priusquam parabolæ expositionem aggrediamur, obseruandum debet Dei bonitas & facilitas, qua in nobis erudiendis vtitur. Etsi enim cœlestis regni mysteria terrenis omnibus longe excellentiora sint, imò captũ quoq; humani ingenij superent, propter nostram tamen eò vsq; sese demittit ille, vt fidissimi & indulgentissimi præceptoris instar exemplis & similibus vtatur, quibus mysteria hæc adumbret, & quasi depicta sensibus nostris proponat. Et quia in humanis quoq; multa sunt, quæ nõ ab omnibus intelligũtur, exempla & similia ex ijs ferè rebus desumit, quæ in frequenti omnium vsu sunt, vt & perspicua magis sint omnia, & nunquam non occurrat nobis cogitandi de ijs, quæ ad nostram salutẽ faciunt. Seruit hoc ijs confutandis, qui imaginer tur, quòd libri sint laicorũ, vt per eas excitentur & erudiantur, qui literas ignorant. Quid enim simulachris mutis & humana arte factis opus est, quando ipse Deus nobis passim imagines proponit nimiè otiosas, quæ non modò inani contemplatione, verumetiam ipso vsu nos docere & de rebus maximè necessarijs admonere possunt? Nam si verum fateri libeat, parabolis eiusmodi in hunc vsum

consecrauit ferè omnia, quæ in rerum natura & quotidiano hominum vsu sunt: agriculturã nimirum omnem, sementem, messem, vineas, vindemiam, arbores & plantas omnis generis, rem pastoriam, militarem, artem pistoriam, mercaturam, rem domesticam, nuptias, solem, stellas, terram, aquas, aerem, vias, ostia, & quid non? Stulti ergo & in ipsum Deum ingrati, imò iniquissimi sunt, qui his non contenti, insuper simulachra fingunt, quæ ab illo legibus seuerissimis prohibentur. Sed præmissis istis, ipsum Christum loquentem audiamus.

Summa parabolæ uitis.

Ego sum vitis illa vera, & pater meus agricola est: Omnem palmitem in me non ferentem fructum tollit: & omnem qui fert fructum purgat, vt fructum copiosiorem afferat. Proponit his verbis summam parabolæ, quæ tria præcipuè continet. Primum, omnes homines natura steriles & boni omnis expertes esse, & proinde necessarium esse, vt ipsi vniantur, & inde vim nouam concipiant, qua fœcundos & fructiferos reddat. Alterum, eos quoque qui ipsi iam insiti sunt, Dei gratia & cura opus habere, qua excolantur, vt maiores quotidie in pietate progressus faciant. Tertium, ab ipsius communione & salutis societate reijci omnes, qui fidem quidem & nomen eius profitentur, interim verò fructus nullos ferunt, qui ipsorum professioni respondeant. Ex his tribus statum totius tractationis infert, annitendum esse ipsis, vt ei verè inserantur, inque fide vera constanter perseuerent, vt ita fructus dignos ferre possint, & in ipso salutem consequantur. Cæterùm vt rectius omnia intelligamus, singulæ partes erunt inspiciendæ.

Christus uitis uera.

Primo de seipso loquens ait: Ego sum vitis illa vera. Vitim se dicit, vt salutis principium in se vno haberi doceat, ex quo fructus quoque omnes progerminent. Ideò veram quoque vitim se esse ait, qui nimirum non fallat, sed fructiferam illam vim palmitibus suis verè conferat. Itaque ab omnibus ijs seipsum distinguit, in quibus homines superstitiosi salutem quærunt, seque vnicum huius mediatorem esse docet. Non temerè autem viti potius, quàm arbori alicui proceriori & in speciem nobiliori se confert. Vt enim vitis, quoad speciem externam & ligni sui vsum, omnium plantarum abiectissima videri potest, fructu autem commendatur, quo nihil inter homines suauius, iucundius & (si recte vtaris) salubrius habetur: Ita Christus, si externam illius formam spectes, hominũ vilissimus esse apparet, sed & eius doctrina carnis iudicio ridicula & stulta videtur: idem verò fructũ salutis nobis peperit, & quotidie in electis suis fructus fert, qui & Deum oblectant, & nobis veram salutem afferunt. Et hoc quidem solus ille præstat, ideoq; (vt initiò diximus) in illo est salutis principium, cui nos inseri oportet, si Deo probari & vitam æternam consequi velimus. Docent hoc vnanimi consensu Apostoli, qui & se nihil præter vnũ hunc nouisse fatentur, & præter hunc nullũ aliud nomen hominibus datum esse aiunt, in quo nos seruari oporteat. Damnantur igitur hoc loco omnium sectarum homines, qui sine Christo Deo placere & salutem assequi conantur: siue illi Turcæ, siue Iudæi, siue hypocritæ sint, qui suam ipsorum iustitiam in Dei conspectu iactitant. Quia enim solus Christus vitis illa vera est, cuius vitali succu aut spiritu nos animari oportet, vitæ & salutis expertes erunt, quotquot illi non insiti sunt per fidem, quæ sola nos eius consortes reddit.

Pater agricola siue uinitor.

Secundò patrem agricolam siue vinitorem esse ait, qui palmitum, adeoq; vineæ istius spiritualis curam habeat. Ita verò dicitur pater, quoad Christum & nos. Illum enim ab æterno ex se genuit, & antequam mundus hic crearetur, nobis seruatorem & redemptorem destinauit, eundem præfinito tempore misit, vt salutis nostræ mediator esset. Deinde nos quoque in illo elegit ab æterno, & quos elegit, suo tempore vocat per euangelium & fide donat, vocantem verò sequentes & verè credentes illi inserit, & propter illum eos iustificat & spiritu suo instruit, vt dignos fructus ferant. Commendatur hic rursum bonitas Dei, qui ecclesiæ suæ curam suscipit, & idem salutis nostræ vnicus author esse docetur. Nam etsi in hac re hominum ministerio vtatur, ipse tamen solus est, qui incrementum dat, sicuti Paulus in priori ad Corinthios scribit, & notum est illud Christi: Nemo venit ad me, nisi pater meus traxerit eum.

Patris cura circa palmites.

Tertiò patris officium diligentius describit Dominus, & illum circa palmites occupari ait, quorum duo genera constituit: primum eorum, qui fructum ferunt nullum: alterum eorum, qui fructum faciunt. Ad primum genus hypocritæ pertinent, qui in Christo quidem esse dicuntur propter externam professionem, sed quia fide carent, planè infrugiferi sunt, et ideò suo tempore resecantur, ne (quod de ficu sterili dicitur Luc. 13.) locum in ecclesia inutiliter occupent. Vbi hoc probè obseruari

Palmites steriles.

debet tales nunquam defore in externa ecclesiæ societate. Nam vt alibi Christus docet, euangelij instar verriculi est, quod tam malos quàm bonos pisces attrahit, & permixtionẽ illam Deus ad quandiu fert certas ob causas, non autem perpetuò conniuet, sed vbi tempus fuerit, iusto iudicio utiles illos resecat, ne suis fraudi siue impedimẽto sint. Nemo igitur temerè ecclesias damnet, in quibus palmites eiusmodi inutiles & aridi conspiciuntur: nemo etiam sibi temerè eos resecandi potestatem sumat. Hanc enim penes agricolam patrem esse docet Dominus, qui solus falli non potest, cuius ipsa corda quoque inspiciat, & idem quid quouis tempore fieri debeat probè intelligit. Peccant autem in vtroq; Anabaptistæ vehementer, dum nulla piorum ratione habita propter aliquos malos totas ecclesias Satanæ tradunt, & ipsi sibi in omnium conscientias ius & imperium sumunt. Ita vere cum Zizanijs triticum quoque euellunt, & cum palmitibus aridis siue superfluis fructiferos quoque secant, adeoq; quantum ipsis est, ipsam vitem Christum fœdè & crudeliter dilaniant.

Palmites fructiferi.

In altero palmitũ genere sunt veri Christiani, qui viua fide Christo insiti fructus ferunt satis professione dignos, & hos à patre purgari aut putari dicit, vt fructum copiosiorem afferant. Nam Christo reuera insiti sumus, manent tamen in nobis carnis reliquiæ, quæ vel fidei fructus impedient, vel inanibus foliis & labruscis luxuriant, & multis superfluis atque noxijs cupiditatibus carnis nostra redundat. Vt ergo supra eos, qui per ipsum abluti sunt, quotidiana pedum lotione opus habere docuit, qua sordes à carne & mundo sibi aspersas abstergant: Ita hic palmites veros & fructiferos à patre amplius purgari ait, vt fructuosiores fiant. Fit hoc primò per verbum Dei et spiritum. Illud enim gladius ille acutissimus est, qui (vt Paulus ad Hebræos ait) pertingit vsque ad diuisionem animæ simul ac spiritus, compagumque & medullarum: hic verò illud in animis nostris efficaciter dit, ne inhærentibus nobis corruptæ naturæ desiderijs hebetetur aut suffocetur. Et hæc illa spiritualis circuncisio est, quam olim Moses in lege, & postea Paulus pijs commendarunt. Deinde crux quoque & omnis generis afflictiones interdum adhibet Deus, quando carnem nostram contumacem esse videt, quàm vt verbo sese submittere velit. Ideò scripturæ afflictiones igni conferunt, quo vt hoc probatur & purgatur aurum, ita illis pij excoquuntur, vt à carnis scoria purgati in fide pietatis studio magis splendeant. In horum autem consideratione ita nobis versandum est, vt profquidem nostræ conditionis memores quotidie proficere studeamus, neq; locum demus securitati, ignauos & propriæ salutis negligentes reddit. Præterea, vt patienter feramus afflictiones, quibus carnem aduersus spiritum luxuriantem Deus coercet. Nam vt patres filios, quos diligunt, castigant: ita Deus, quia nos diligit & saluti nostræ consultum cupit, virgis quandoq; vritur, ne cupiditatibus in exitium abripiamur. Quoties ergo vel morbis, vel egestate, vel persecutionibus, exilio, vel bellis, aut alijs aduersis tentamur, cogitemus has Dei falces esse, quibus suos putet, ne prauis desiderijs superati salutis iacturam faciant.

Applicat parabolam discipulis.

Pergit autem Christus, & parabolam discipulis applicat, vt & ipsis proprio experimento faciat, & reliquos homines illorum exemplo ad idem studium excitet. Dicit autem: Iam vos estis propter sermonem, quem locutus sum vobis. Loquitur autem de sermone euangelij, quo docuit se promissum illum redemptorem esse, in quo vno salus miseris mortalibus obtingat. Hic enim prius Christi sermo est, quem (vt Isaias prædixit) publicè prædicare debuit, & quem Petrus pij capite sexto vocat verbum vitæ æternæ. Sic ergo in præsenti ait: Vos hactenus me vocantem ti estis, & mei palmites, id est, discipuli facti estis. Itaque sermo meus, quem fide apprehendistis, purgauit, vt ad ferendum fructum iam satis idonei. Restat ergo vnum hoc, vt in me manere stanter, & in sancto hoc vestro instituto in finem vsque perseueretis. Et mox adhortationi huic tiones subijcit, quibus aduersus pericula & aduersa quæuis illos confirmet. Primam cum ipsa hortatione cõiungens ait: Manete in me, & ego in vobis, scilicet manebo. Id est, si vos in mea fide uerauerit is, ego vicissim vobis adero, imò per spiritũ meũ ita me insinuabo vestris animis, vt in ea quoque posſitis, quæ vires humanas multùm superant, neque vos abs me vnquam patiar li. Secundam à necessario sumit, & eam per parabolæ repetitionem explicat: Sicut palmes non potest ferre fructum ex semetipso, nisi manserit in vite: ita nec vos, nisi in me manseritis. Sensus est: Nihil fructum feratis vestra professione dignum, pater agricola vos resecabit & abijciet. Atque ita manseritis fide constanti, fructum nullum ferre poteritis: Ergo necesse est, vt in me manatis,

in vniuersum abijci & à salutis cõmunione excidere velitis. Maiorem (vt diximus) parabolæ repetitione illustrat. Ad minoris autem confirmationem faciet sententia, quam postea subijciet: Sine me nihil potestis facere, de qua in sequenti Sermone dicemus.

Nunc considerandum erit primò, quòd discipulos puros dicit propter sermonem suum, sicuti supra etiam mundos pronuntiauit, cùm inter illos & Iudam distingueret. Atqui constat illos multis vitijs & næuis aspersos fuisse toto illo tempore, quo cum Christo in terris versati sunt. Sperabant enim regnum terrenum, & ad huius seculi dignitates ambitiosè aspirabant: Contentionibus & rixis inter sese scindebantur, quod ea ipsa hora inter cœnandum factum fuisse Lucas scribit: Petrus item paulò ante confidens nimis reliquos omnes superbè contempserat, & Christo temerè responsarat. Iudebat præterea omnium illorũ animis metus, quo mox erant superandi, vt turpi fuga dispergerentur. At quia inter hæc omnia verbum Christi retinuerunt, quod illos ab eo non permisit diuelli, propter illum puri & mundi censentur. Apparet hoc euidenter in Petri exemplo, qui etsi Christum abnegauisset, quia tamen ad gallicinium verborum Christi recordatus est, mox in viam redijt. Eadẽ est omnium hominum ratio. Nam si nos spectes, immundi sumus, nec quicquam ex nobis ipsis possumus. At si euangelium audiamus, & ex eo discamus Christum agnoscere, agnitumq́ & semel apprehensum fide constanti retineamus, iam propter ipsum puri ac mundi censebimur. Ipse enim nobis à patre iustitia & sanctificatio factus est. Deinde idem ille nos spiritu suo donat, qui & mentes nostras illuminat, & gressus nostros in vijs eius dirigit, vt aut nunquam exorbitemus, aut si quid nobis humanitus accidit, mox à lapsu possimus resurgere. Ideò Ioannes in sua epistola scribit cap. 3. Omnis qui natus est ex Deo, peccatũ non facit, id est, non peccat animo deuoto, neq; ad mortem. Et hoc probans addit: Quia semẽ eius in ipso manet. At semen, ex quo in filios Dei renascimur, verbum eius esse, Petrus Apostolus disertè docet his verbis: Renati nõ ex semine mortali, sed ex immortali, per verbum Dei viuum & manens in æternum. Vides ergo non temerè à Christo dictum fuisse: Iam vos puri estis propter sermonem, quem locutus sum vobis. Debent autem hæc nobis verbi diuini studium commendare, vt in eo assidui simus, quod nobis tanti boni causa est. Admonent præterea, ne de ijs facilè desperemus, quos verbum Dei nondum abiecisse constat. Nec enim hoc in illis otiosum erit, sed quàmuis ad tempus lateat, suum tamen aliquando fructum feret.

Quomodo discipuli puri dicantur.

Cauendum autem est in hoc loco, ne in eorum superstitiones incidamus, qui ex verbo Dei exorcismos conficiunt, quorum recitationi vim mirificam tribuunt, qua aut morbi à corporibus depelli, aut animæ à peccatorum sordibus liberari possint. Est hæc vetus admodum superstitio, & quàmuis tam plerique damnent in ijs, qui verbis Dei in medendis corporũ morbis et spirituum adiuratione abutuntur, eandem tamen non agnoscunt, quãdo vel sacramentis propter demurmurata verba aliquot mundandi vim tribuunt, vel priuatæ absolutionis virtutem & effectum ex eorum nuda recitatione pendere docent. Atqui non hic verbi Dei vsus est, vt vel pronuntiatum ore vel auribus perceptum talia conficiat, sed vt fide apprehensum nos Christo inserat, in quo omnis boni participes reddamur. Obseruauit hoc in præsenti D. Augustinus, cuius verba recitare libet, vt audiamus, quàm alienolim fuerint patres à superstitionibus, quibus hodie & verbi & sacramentorũ vsus corrumpitur, quæq; nocentissimarum in ecclesia contentionũ sunt materia. Sic enim ille scribit: Quare non ait, mundi estis propter baptismũ, quo loti estis: sed ait, propter verbum quod locutus sum vobis? nisi quia & in aqua verbum mundat. Detrahe verbum, & quid est aqua nisi aqua? Accedit verbum ad elementum, & fit sacramentũ, etiam ipsum tanquam visibile verbũ. Nam & hoc vnde dixerat, quando pedes discipulis abluit, Qui lotus est, non indiget nisi vt pedes lauet, sed est mundus totus. Vnde ista tanta virtus aquæ, vt corpus tangat & cor abluat, nisi faciente verbo? NON QVIA DICITVR, sed QVIA CREDITVR: Nam & in ipso verbo aliud est sonus transiens, aliud virtus manens. Hoc est verbum fidei quod prædicamus (ait Apostolus) quia si cõfessus fueris in ore tuo, quia Dominus est Iesus, & credideris in corde tuo, quia Deus illum suscitauit à mortuis, saluus eris. Corde enim creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Et quæ sequuntur.

Contra exorcismos & eos, qui uerborum recitationi uim aliquam tribuunt.

Obseruabimus præterea in Christi verbis, non sufficere, vt semel audito verbo ipsi inseramur, sed perseuerantia opus esse, qua in ipso in finẽ vsq; perseueremus. Docet hoc ipsum alibi euidentius, cum ait: Qui manu aratro admota respicit à tergo, non est idoneus ad regnum Dei. Item, Qui perse-

Perseuerantia opus est.

uerauerit in finem, saluus erit. Et rursum, In perseuerantia vestra possidete animas vestras. Vnde nos per fidem illi inserimur, ita in eodem manemus per dilectionem, quæ ab illo nos diuelli non sinit. Et per eandem fides fructus suos profert, ex quibus agnosci potest &c. Sunt inter hos præcipui, vera solius Dei inuocatio in omni tentationum genere, carnis mortificatio & nostrijpsius abnegatio, mentis nouatio totius hominis, vitæ innocentia & honestas, dilectio proximi, patientia in aduersis, denique fidei obedientia, quæ hominem totum Deo vendicat. His ergo studeant, qui Christo verè insiti videri volunt, & in ijsdem constanter perseuerent, & ita patris agricolæ salutarem falcem experientur, qua purgati quotidie maiores in pietate progressus facient.

Quæ uerè bona opera sint.

Admonet nos præterea hoc loco Christus, quæ nam opera sint verè bona. Ea nimirum, quæ ex fide fiunt, quæ sola nos ipsi inserit & spiritus sui capaces facit. Quia enim ex nobis ipsis nihil possumus (vt infra plenius docebit) vtique opera bona & Deo grata censeri non debent, quæcunque ex nobis proueniunt, nisi illa Christi spiritus in nobis operetur. At quia hic Christi & patris spiritus nihil haud dubiè operabitur ab ea Dei voluntate alienum, quæ in eius verbo reuelatur. Valentes ergo errant, qui sui animi intentionem operum bonorum regulam faciunt, & quæ ipsis bona videntur Deo obtrudunt, adeoq; salutis meritum in ijs constituunt, quæ præter Dei verbum ex sese ipsis fecerunt. Damnatur horum intentio passim in sacris literis, vt alibi quoq; demonstrauimus. Nos itaque in vnum Christum intenti simus, huic per fidem veram inseramur, in eodem constanter maneamus, & ita fructus feremus, qui Deo probari poterunt, Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

HOMILIA CXXXVIII.

Ego sum uitis, uos palmites. Qui manet in me, & in quo ego maneo, hic fert fructum multum: nam absq; me nihil potestis facere. Nisi quis in me manserit, eiectus est foras tanquam palmes, & exaruit, & colligent eos & in ignem conijcient, & ardent. Si manseritis in me, & uerba mea in uobis manserint, quicquid uolueritis, petite, & fiet uobis. In hoc glorificatus est pater meus, ut fructum multum afferatis, & fietis mei discipuli.

Dominus & seruator noster, Iesus Christus, postremo hoc sermone, quem iam mortem aditurus habuit, hoc vnum agit, vt discipulos ad perseuerantiam & constantiam in fide hortetur, ne vlla cruce aut afflictionibus se ab ipso diuelli patiantur. Commodè autem orditur à vitis & palmitum parabola, qua docet, necessarium omnino esse, vt in ipso maneamus, eò quòd alioqui nullos spiritus eius capaces, neq; aliquem fructum ex nobisipsis ferre possimus. Cæterum quia ea est hominum peruersitas simul atq; confidentia, vt hæc semel tradidisse non sufficiat, pergit in suo instituto, & ipsum diligentius exponit, interpositis simul minis atq; promissionibus, quibus nos incitat, vt doctrinæ ipsius obsequamur.

Repetitur parabolæ initium.

Primò parabolæ initium repetit: Ego sum vitis, vos palmites. Repetitionis huius causa est, quòd in eo ferè omnes offendunt, quòd neq; quis Christus, neq; quæ ipsorum sit conditio digne expendunt. Qui enim hoc faciũt, ij amore Christi incredibili inflammati, quiduis potius pati, quam ab eo diuelli volunt. Et ijdem dum suã Christo gloriam illibatam seruare student, nullis superstitionum locum dant, quibus meritum eius obscuratur, & ab illo hominũ mentes diuelluntur. In præsentia ergo ex eo quod de semetipso & nobis dicit, præcipuum huius tractationis argumentum colligit, nos nihil nisi frugiferos planè fore, nisi in ipso maneamus, quando ex nobis ipsis nihil possimus. Ait enim: Si quis non manet in me, et in quo ego maneo, hic fert fructum multum, &c. Habent verba hæc sensum imperatiuum, quem ita supplere poterimus ex ijs, quæ proximè præcesserunt. Quemadmodum palmes quam diu in vite manet, fructum fert, auulsus non item: Ita qui mihi verè insiti manent, fructu ferunt copiosum, & indies proficiũt in melius: at qui sese abs me diuelli sinũt, aut sua sponte deficiũt, de ijs fructus nulla potest reliqua esse. Id verò probat, quando per ἀιτιολογίαν siue causæ redditionem subijcit: Quia

absque me nihil potestis facere, eorum scilicet, quæ Deo grata sunt, & ad salutem consequendam faciunt. Quod verò dicit, infinitis exemplis demonstrari potest, inter quæ meritò primus locus discipulis debetur, quibus cum in præsenti egit. Manserunt hi in Christo Iesu, quem verba vitæ æternæ habere sciebant, quare fructus pulcherrimos vberrimosq; tulerunt. Quoad ipsos enim, omni virtutum genere floruerunt, adeò vt ipsis quoque hostibus admirationi fuerint. Quoad verò alios homines, innumeris etiam alijs salutis fuerunt authores, qui ipsorum ministerio ad Christum conuersi sunt, & ita qui in ipsis primum succreuit fructus, ad totum ferè orbem & omnes gentes redundauit. Quòd si illis ludam opponas, qui in Christo nõ manſit, sed ambitionis & auaritiæ spiritu se ab eo diuelli passus est, hunc non sterilem modò, sed tam sibijpsi quàm alijs noxium & exitialem fuisse comperies. Atqui eadem est omniũ aliorum hominum ratio. Quotquot enim in Christo perseuerant, ij & vitæ innocentia conspicui sunt, & proximis qubusq; benefaciunt: at qui hoc relicto deficiunt, ijdem ad omne bonum inutiles facti, insuper omnibus illis nocent, quibus cum conuersantur. Quid enim aliud faciant, qui natura ad bonum inepti sunt, & innatis sibi carnis desiderijs ad malum feruntur?

Sine me nihil potestis facere.

Cæterùm proderit diligentius adhuc expendisse Christi sententiam, qua huius dicti sui rationem reddit. Vbi primò obseruabimus, quòd non ait: Sine vobis ego nihil possum: sed, Absque me vos nihil potestis facere. Vt enim vitis, etsi palmites resecentur, ex semetipsa nouos protrudere potest: Ita Christus, si qui eius nomen aliquandiu professi sunt deficiant, vel iusto Dei iudicio abscindantur, potest tamen ipse sibi propria virtute nouos parare discipulos, quos suo spiritu fœcundos & ad omne bonum idoneos reddit. Ergo nemini hominum obstrictus est Christus, nisi ijs, qui promissiones eius viua fide apprehendunt, & ex semine verbi sui regeniti officiũ faciunt: eorum autem minimè indiget, qui sola fidei professione turgidi, officium suum securè aut improbè negligunt. Est hoc dignissimum obseruatu. Multos enim olim hæc opinio seduxit, quòd Dei regnum sibi necessariò alligatum putarent, neq; fore aliquos crederent, qui ipsis reiectis Deum colerent. Accusat hoc in Iudæorum principibus & pharisæis Ioannes Bapt. quòd inani filiorum Abrahami titulo gloriarentur, & eo prætextu ad se raperent promissiones, quarum conditiones tamen turpiter negligebant. Nec id accusat modò, sed insuper docet ipsos multùm falli, eò quòd Deus ex lapidibus possit veros filios Abrahami facere. Quod impletum esse constat, quando gentium corda, quæ saxis duriora videri poterant, euangelij et spiritus virtute emollita trediderunt, & Christo locum dederunt, quem Iudæi reijciebant. Et Christus Iudæis repudium denuntians, non ideò regnum Dei ruiturum dicit, sed transferendum esse ait ad gentem, quæ fructum suum faciat in tempore suo. Quod autem in Iudæis factum est, hoc ipsum gentibus applicat Paulus, quas ad Rom. cap. 11. grauiter monet, ne ea Dei gratia efferantur, qua in Iudæorum defractorum locum, in sanctam illam radicem insertæ sint. Quia si & ipsæ steriles inuenientur, futurum sit, vt ipsis non parcat Deus, qui ramis naturalibus non parcendum esse putauit. Et exempla sunt in multis ecclesijs, quæ olim ab Apostolis constitutæ & in toto orbe terrarum celeberrimæ fuerunt, posteris autem temporibus, cùm officij sui non satis memores essent, Turcarum tyrannide oppressæ sunt. Quarum exemplis vtinam emendarentur, qui hodie Christiani nominis professione tam insolenter ad peccandi licentiam abutuntur. Sed meminerint, ipsos absque Christo nihil posse, & breui hoc etiam professionis titulo exuendos esse. posse autem Christum alios vocare & substituere, qui fructus dignos faciant.

Liberum arbitrium & hominis uires sternuntur.

Deinde prosternitur hoc Christi dicto liberum hominis arbitrium & omnis humanarum virium atque nostrorum meritorũ fiducia. Fingunt quidem aduersarij nostri, inesse vires aliquas hominis, quibus Dei gratia adiutus aliquid ex semetipso faciat, & ex hoc fonte omnis de operum nostrorum meritis doctrina deriuatur. Sed quàm vanum & inane hoc figmentum sit, ex hisce Domini verbis apparet, quibus simpliciter omnem bene operandi facultatẽ nobis negat, nisi quam ex ipso habemus. Et vt Augustin. aunotauit, non aliquem saltem paruum fructum nos ex nobisipsis facere posse ait, sed diserte, Sine me (inquit) nihil potestis facere. Quibus illud Pauli consentit, qui nos ex nobis ipsis ne ad cogitandum quidem idoneos esse dicit, sed Deum esse, qui in nobis operetur velle & facere. Et alibi, Quid habes, quod non accepisti? Sunt hæc tam manifesta, vt omnino constet, eos ipsum Christi negotium spectant. At quia multis hæc noua & suspecta sunt, audiant quæso D. Augustinũ, qui

in hæc Christi verba sic scribit: Qui à semetipso se fructum existimat ferre, in vite non est: qui in vite non est, in Christo non est: qui in Christo non est, Christianus non est. Agnouerunt hoc omnes sancti, quorum fidem scripturæ prædicant, vt alibi demonstrauimus. Humiliemur ergo sub potenti manu Domini, & gratiam eius imploremus, ne dum nostram iustitiam constituere volumus, à Dei iustitia excidamus, quam ille nobis in filio suo offert. Neque tamen ex eo desperandi occasionem arripiamus, quòd nos ex nobis ipsis nihil posse audimus. Nam ijdem nos in Christo Iesu posse omnia (sicuti de semetipso Paulus loquitur, Philippen. capite 4.) si huic per fidem insiti, agricole patri nos purgandos atq; excolendos præbeamus. Itaq; non minus hic falsi arguuntur, qui nos bona opera & pietatis studium omne abolere clamant. Qui enim nos sine se quicquam posse negat, idem palmites fructiferos nos esse vult, & eos resecandos esse ait, qui fructum nullum ferunt.

De iis qui in Christo non manent.

Porrò facit ad huius expositionem, quod in Christi verbis sequitur. Diligenter enim describit eorum sortem & conditionem, qui in ipso non manent, sed aut sponte ab ipsius fide deficiunt, aut Dei iudicio abscinduntur. Nisi quis (inquit) in me manserit, eiectus est foras tanquã palmes, &c. Quæ verba vt rectius intelligantur, ante omnia videndum erit, qui nam in Christo nõ manere dicantur. Sunt hi non eiusdem ordinis. Primatum enim inter hos tenent, qui palàm deficiunt à Christo, & religionem ab eius fide & nomine alienã suscipiunt, quales sunt, qui ad Iudæos aut Turcas transeunt, vel quoscunq; alios, qui Christi & crucis eius nomen ex professo persequuntur. Est hoc crassissimum defectionis genus, & omnium facillimè cauetur ab ijs, qui non omnem pietatis sensum exuerunt. Sequuntur hos proximo gradu, qui Christi quidem nomen profitentur, sed eo non contenti, alia multa insuper illi coniungunt: sua nimirum opera, Diuos, Indulgentias Rom. & quæ alia sunt eius generis. Hi enim extra Christum vagando, qui suum honorem se nemini cõmunicare dicit, hunc filium penè inutilem reddunt, sicuti Paulus ad Galat. 5. cap. eorum exemplo docet, qui legis ceremonias aut opera cum Christo coniungebant. Et horum quidẽ magnus hodie numerus est inter eos, qui non Christiani modò, sed fidei & ecclesiæ Christianæ columnæ haberi volunt. Tertio loco his connumerandi sunt, qui & ipsi nomine Christi gloriantur, eundem verò factis & vita negant, dum ita viuunt, vt satis appareat, ipsos neq; cælum neq; inferos credere, sed ex eorũ esse numero, qui in corde suo dicunt: Non est Deus, Dominus non videt, & Deus Iacob non intelligit. Est horum quoq; maximatus hodie, quando eos planè mores passim videmus, quos nouissimo tempore regnaturos Christus non prædixit. Et vtinam in corde suo talia modò cogitarent, & non etiam disertis verbis multorũ aliorum mentes offenderent. Atqui omnes isti in Christo non manent, cùm neq; hunc suum redemptorem vnicum esse credant, neq; ipsius præceptis obtemperent.

Conditio eorũ, qui in Christo non manent.

Videamus ergo nunc, quid istis Dominus minitetur. Primùm, nisi quis in me manserit (inquit) eiectus est foras, nimirum extra vineam, id est, ecclesiam, cuius ego quasi viua radix sum, ex qua omnes & singuli fideles vitæ spiritum hauriunt. Dicit autem tales iam nunc eiectos, non longo post tempore demum eijciendos esse. Quia enim seipsos separant, coram Deo pro eiectis & exclusis habentur, licet aliquandiu adhuc hæreant in externa ecclesiæ societate. Et hæc quidem vera est excommunicatio, cuius ipsi homines sibi authores sunt, dum ab eo recedũt, qui solus ecclesiæ caput & vnicus salutis author est. Deindè tales iam exaruisse ait. Vt enim palmiti auulso nullus ex vite succus subministratur, & proinde necessariò arescit: ita qui à Christo secessionẽ faciunt, in eos Christi spiritus deriuari nequit, & ideò mox in suæ carnis desiderijs consumuntur, vt nulla prioris gratiæ vestigia in ipsis appareant. Tertiò colligent eos, inquit, & in ignẽ conijcient, & ardent. Addit hoc, quia multis leuiculum videtur à Christo separari & spiritus gratia destitui. Putant enim se eò cõmodiùs hoc mundo frui posse, & quæcunq; de Dei iudicio dicuntur scurriliter eludunt. Dicit ergo fore tempus, quãdo isti omnes colligantur, nimirũ vt ad ipsius Christi tribunal sistantur, & suæ impietatis pœnas luant. Pertinet enim ad huius partis expositionẽ, quod Mat. 13. de zizanijs dicit: Sicut zizania colliguntur, et igne cõburuntur, sic erit in cõsummatione seculi huius: Mittet filius hominis angelos suos, & colligent è regno illius omnia scandala, & eos qui patrant iniquitatẽ, ac mittent illos in caminum ignis. Vehementer ergo falluntur, qui in sua impietate sibijpsis delitias faciũt, & vel Deum nullum fore, vel se illud subterfugere posse sperant. Discurrunt enim oculi Domini per omnem terram, et innumeri sunt eidem ministri, qui inuitos quoq; et renitentes ad suũ tribunal trahant. Nã

manet

natur autẽ illis supplicium ignis. Vt enim palmitis aruisi & aridi nullus alius vsus est, quàm vt in ignem coniectus ardeat: ita qui à Christo resecti in suis desiderijs arefacti & cõsumpti sunt, nulli alij vsui seruiũt, quàm vt in ignem æternum coniecti dignas suæ defectionis & impietatis pœnas luant. Et huc accommodari potest, quod apud Ezech. cap. 15. in hanc sententiam scribitur: Quid fiet ex ligno vitis præ omnibus lignis? & ex palmite, qui est inter ligna syluæ, id est, qui exarefactus non magis fructũ fert quàm quæ in syluis habentur arbores? Num accipitur ex eo lignum, ex quo fiat opus aliquod? num capiunt ex eo clauũ, ex quo vas qualecunq; suspendant? Ecce traditur igni in deuorationẽ, duas extremitates eius ignis absumpsit, mediũ eius adustũ est: nũ proderit ad opus? Eò tamen deterior est impiorũ quàm palmitũ eiusmodi seu sarmentorũ cõditio. Hæc enim breui tẽpore in fauillas & cineres redigũtur: illorũ verò ignis æternus est, et corpora quoq; olim in resurrectione immortalia fient, vt in æternis & nunquã finiendis supplicijs durare possint. Docent hoc passim sacræ literæ, nec testimonijs opus est in re manifesta & vtriusq; testamenti authoritate confirmata. Vtinã verò horum meminissent hypocritæ simul & Epicurei, quibus familiare nimis est cum Deo ludere, & fidem vel confessionibus ambiguis dissimulare, vel etiam abnegare, si quod periculum grauius immineat. Sed dicant illi quod volent, nunquã tamẽ Christi iudiciũ subterfugient, quod modò audiuimus.

De ijs, qui in Christo manẽt.

Quia verò propriæ infirmitatis & inopiæ sensu discipuli tentari & animũ despondere poterãt, ad promissiones redit Christus, & quid ij sperare debeant docet, qui in ipso constantes manserint. Si manseritis in me (ait) & verba mea in vobis manserint, &c. Exponit initiò quid sit in ipso manere, quando addit, Et verba mea in vobis manserint. Manent ergo in Christo, qui verbum eius, id est, euangelium audiunt, audito credunt & toti ab eo dependent. Quod probè obseruandum est propter eos, qui in Christo manere se putant, licet relicto illius verbo pos€ hominum traditiones ambulent. Hi enim Christum extra se quærunt, & proinde illum inuenire nunquã poterunt, nisi in verbo suo loquentem audiant. Quid verò in se manentibus pollicetur? Primùm, Quicquid volueritis petite, & fiet vobis. Est hæc promissio, qua nulla liberalior excogitari poterat. Nam quicquid volueritis dicens, nihil prorsus excludit eorum, quæ à Deo peti possunt. Ratio promissionis huius in ipso Christo habetur. Quia enim hic dilectus ille es€ Dei filius, in quo pater placatus est, non pote s€ ille eorum preces contemnere, quos ipsi verè insitos esse viderit. Ne tamen vota nostra in licentiã erumpant, & simul de Christi fide dubitemus, si nõ omnia det Deus, quæ carnis affectu petimus, verũ promissionis ipsius sensum ex præcedentibus Christi verbis petere oportet. Quia enim de illis loquitur, qui in ipso manent & toti à verbo suo dependent, satis euidenter apparet, promissionem hanc ad eas modò preces restringi debere, quæ nihil à voluntate Dei alienum continent. Qui enim Christi verbis & præceptis insistunt, hi vota quoq; sua illius voluntati subijcere consueuerunt. Non ergo Christi fidem in dubium vocare, aut de Dei rigore conqueri debent, qui preces fundunt sine Christo, & ea ferè petunt, quæ nec Deus dare debet, neq; ipsis salutaria essent, si darentur. Interim docet hic locus, solos Christianos verè beatos & felices esse. Solis enim illis hæc promissio data est, qua omnia ea continentur, quæ ipsis & in huius vitæ cursu necessaria sunt, & ad æternam consequendam seruiunt. At quia de huius generis promissionibus alibi quoq; dictum est, hæc paucula modò sufficiant.

Deus nostris fructibus glorificatur.

Secundò ait: In hoc glorificatus est pater meus, vt multum fructum afferatis. Est hæc partim prioris promissionis confirmatio, partim noua promissio, quæ spem omnis boni à patre consequendi proponit. Quia enim qui in Christo manent, fructum multum afferunt, fructus autem ille ad Dei gloriam seruit, certò sequitur, tales à Deo exaudiri in precibus suis, & nihil non boni ab illo sperare debere. Est enim hic finis præcipuus, ad quem homo creatus est, vt in illo glorificetur Deus, & eiusdem promissio vetus est: Honorantes me honorabo. Et simul de vero Dei cultu hic locus nos admonet, qui in eo consistit, vt Christo insiti fructus feramus, quibus ille glorificetur. Sic enim alibi quoq; loquitur: Luceat lux vestra coram hominibus, vt videant vestra opera bona, & glorificent patrem vestrum, qui in cœlis es€. At quæ nam illa opera siue fructus boni sint, alibi diximus: vera nimirum Dei cognitio, inuocatio eius ex fide per Christum, dilectio Dei & proximi, vitæ innocentia, patientia in cruce & afflictionib. & si quæ alia in euãgelio nobis præscribuntur. Procul ergo facessant, qui circa inutiles superstitiones occupantur, & ijs Deum colere studẽt, quæ is nusquã præcepit. Obseruemus aũt, quòd ad Dei patris gloriã omnia refert Christus, quam alibi etiã abs se vnicè quæri di-

cit. Debet hæc nobis omnium actionum scopus esse, ne dum Dei cultores haberi volumus, nosipsos adulamus & priuatam quæramus gloriam, quod in pharisæis Christus grauissimè reprehendit.

Tertiò addit Dominus: Et fietis mei discipuli, id est, ex his constabit, vos reuera meos discipulos esse. Nec enim ista Christi discipulos faciunt, sed vt huic insiti & ipsius discipuli simus necesse est, siquidem hæc facere volumus. Fieri ergo discipuli Christi dicuntur, qui se tales esse bonorũ operum & veræ pietatis fructibus declarant: quemadmodum arbor bona fieri dicitur propter fructus, qui nisi iam ante bona sit, fructus bonos facere non potest. Hinc verò colligitur, germanos Christi discipulos non esse, quotquot in illo nõ manent, neq; fructũ ferunt, quo Deus glorificetur. Continet autem hæc quoq; promissio omnia quæ ad veram hominis felicitatẽ faciunt. Qui enim Christi Iesu discipuli sunt, ij illius merito à peccatis liberantur, & Deo patri reconciliati æternam cum illo cœlestis regni hæreditatem adeunt. Vult enim Christus discipulos suos secum esse, vt supra vidimus. Excitemur ista, vt in illo maneamus, & contemptis huius mundi minis simul atq; pollicitationibus, verbum retineamus, & ita verè in nobis glorificabitur pater per filium suum, in quo nobis etiam vita æterna frui dabitur. Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

Veri discipuli Christi.

HOMILIA CXXXIX.

Sicut dilexit me pater, ita & ego dilexi uos: manete in dilectione illa mea. Si præcepta mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea: sicut & ego patris mei præcepta seruaui, & maneo in eius dilectione. Hæc locutus sum uobis, ut gaudium illud meum in uobis maneat, & gaudium uestrum impleatur. Hoc est præceptum meum, ut alij alios diligatis, sicut dilexi uos. Maiorem hac dilectionem nemo habet, quum quis animam suam ponit pro amicis suis.

ETsi Dei filius, ex æterno patris decreto homo factus, fideliter omnia ea præstiterit, quæ ad humani generis redemptionem faciunt: nulla tamẽ inde ad nos redit vtilitas, nisi ipsum fide amplectamur, & in eodem constanter perseueremus. De hoc igitur scripturæ passim concionantur, & ipse Dominus non semel huius discipulos admonuit. Quia tamẽ in his natura segniores sumus, & super multa quotidie incidunt, quæ nos ab incepto reuocare solent, in vltimo isto sermone diligentiorem de hac re tractationem instituit. Et initiò quidem sub vitis parabola eius communionem, quæ nobis cum ipso intercedit, rationem ita depinxit, vt simul docuerit, salutem nobis constare nõ posse, nisi in ipso perseueremus, qui solus nos fœcundare & ad bonum idoneos reddere possit. Parabolæ autem huic nunc hortationem subijcit nouis argumentis confirmatam, & qua simul exponit, quid eos facere conueniat, qui in ipso manere & fructus Deo acceptos ferre volunt. Seruit ergo locus hic multum ad excitandum eos, qui vel negligentiores sunt in salutis negotio, vel inani titulo seu professione fidei semetipsos fallũt, dum illã sufficere arbitrãtur, neglectis interim ijs, quibus fidẽ nos testari oportet.

Hortatur, ut in sua gratia perstem.

Principiò summam totius loci paucis comprehensam præmittit, sic dicens: Sicut dilexit me pater, ita & ego dilexi vos: manete in dilectione illa mea. Dilectionem veram suum vocat fauorem & gratiam, qua nos complectitur. Itaque status siue propositio huius adhortationis est: Manete in mea illa dilectione. Id est, curate etiam atque etiam, ne vestra culpa excidatis ab ea gratia, in quam admodum estis suscepti. Et obseruare hic debemus diligenter, quòd nos in dilectione sua manere iubet, non autem curare vt illa maneat. Nam quoad Christum, ipse suos semper diligit, imò hostium quoque salutem quærit, quod illius lachrymæ & gemitus testantur, quibus Iudaicæ gentis repudium & Hierosolymæ sanguinariæ excidium prosecutus est. Itaque instar veræ & viuæ vitis viuam illam fructificantem spiritus sui assiduè in nos transfundere satagit. Periculum autem omne ex nobis oritur, qui vel carnis improbæ desideria, vel occultas Satanæ suggestiones, aut etiam malorum exemplum secuti, ab illo deficimus, & turpiter refugimus ab eo, qui (vt apud Isaiam propheta loquitur) tota die manus suas expandit, & omnes ad se vocat, qui se oneratos esse & laborare sentiunt. Minimè ergo illi imputari debet nostræ damnationis causa, quasi aut mersos fecerit

lutem nobis inuideat, aut nobis seruandis non posſit sufficere. Ex illo enim salus est, cuius largissimũ fontẽ in illo nobis pater apperuit, perditio autẽ (vt idem per Hoseam loquitur) ex nobis est, qui vel nunquam ad eum accedimus, vel etiam ab eodem impiè resilimus. Rectè ergo, vt nos penes ipsum & in eius dilectione maneamus admonet. Vnde tamen nemo colligere debet, nostræ virtutis hoc opus esse, & proinde nostris meritis salutem acceptã ferri debere. Quia enim (vt supra dictũ est) ex nobis ipsis nihil possumus, diuina ope & virtute nos adduci simul & retineri oportet, quam precibus assiduis implorare, & simul spiritus auxilio mentes ad recipiendam gratiam Dei præparare conuenit.

Adijcit autem causam & rationem, qua nos excitat & vrget ad hæc præstanda: Sicut dilexit me pater, ita & ego dilexi vos. Loquitur autẽ in Mediatoris persona, qui nos patri reconciliauit & dilectos filios fecit ex ijs, qui æternùm damnari merebantur. Argumentum igitur ducit ab honesto ad hunc modum: Aequũ & iustum est, vt qui se diligi sentiunt, vicissim sui amantes redament. At ego vos impensissimè diligo, perinde vt me vnigenitum suum filium pater diligit: adeoq; is sum, per quem Deus suum amorem in omnes homines transfudit. Nisi ergo hominum ingratissimi & iniquissimi haberi velitis, curandum erit, ne à dilectione illa mea excidatis. Continent autẽ verba hæc grauem admonitionem, nimirum Dei amore indignos esse eos, qui à Christo deficiunt. Cur enim eos ille amet porrò, qui gratiæ suæ pignus in filio dilecto ipsis exhibitũ fastidiunt? At nisi ille nos suo amore complectatur, satanæ insidijs expositi sumus, adeoq; toti perijmus. In quorum meditatione frequentiores esse conueniebat eos, quibus lusus iocusq; videtur esse, si ab euangelij doctrina & fide in Christum deficiant, quam diu professi sunt. Confirmat adhortationem.

Interim multùm facit hic locus ad salutis nostræ certitudinẽ, & dulcissimã nobis propinat consolationem, qua nosmet ipsos in omni tentatione cõfirmemus. Scimus enim ex scripturis, quàm tenerrimè Deus pater filium suum vnigenitum diligat. De hoc certè olim per prophetas, deinde verò semel & iterum cælitus testatus est, quòd filius ille dilectus sit, in quo ipse sit placatus. Deinde etsi illum in terris hisce hominẽ induere, & periculis maximis exerceri voluerit, eidem tamen custodes adhibuit angelos, qui illum suo ministerijo subleuarunt & defenderunt, ne quid mali pateretur ante horã sibi præfinitam. Adhæc, quod maximi fauoris signum est, nihil illum cælauit, quod ipse supra 5. capite his verbis testatus est: Pater diligit filium, & omnia demonstrat ei quæ ipse facit, & maiora his demonstrabit ei opera, vt vos miremini. Præterea honorem illius aduersus iniqua hostium iudicia miraculis infinitis, & tandem in morte signis quoq; horrendis asseruit. Et ne quod summi amoris indicium deesset, omnem quoq; illi potestatem dedit in cælo & in terra, atq; ab ipso assumptã carnem in cælestis gloriæ & maiestatis consortium subuexit. Hæc (inquam) argumenta sunt, ex quibus cõstat, Iesum Christum dilectissimũ illum esse Dei filium, in quem pater omnes sui amoris thesauros liberalissimè effuderit. At quia simili amore hic nos complexus est, & se totum nobis impendit, eadem ipsi quoque sperare possumus: & luculenta extant eiusdem dilectionis testimonia, qua nos propter filiũ pater prosequitur. Ipse enim supra cap. 3. dixit: Sic Deus dilexit mundũ, vt filium eius vnigenitũ dederit, &c. Et licet in terris hisce multa pericula nos vndiq; circunstent, seruat tamen nos atq; tuetur, adeò vt pilos etiã capitis nostri in numerato habeat. Sed & nobis destinauit angelos, qui nobis adsint, & quasi castrũ circa nos fixis omnẽ vim hostilem procul à nobis repellant: cuius rei exempla innumera tam in veteri quàm in nouo testamento proponuntur. Deinde nobis quoq; per filium iam olim manifestauit nostræ salutis & redemptionis consiliũ, et quæcũq; regni sui arcana nobis cognitu necessaria sunt: quo argumento dominus paulò post probabit, se discipulos non seruorum, sed amicorum loco habere. Similiter memoriam quoq; suorum tuetur & asserit, vt in prophetis & apost. videre licet, qui cùm olim pro seditiosis & sceleratissimis haberentur, hodie in toto ferè orbe terrarũ celebrantur, etiam apud eos, qui ipsorũ doctrinã & fidẽ odisse ac persequi consueuerũt. Et sunt hæc externa & tẽporaria diuini erga nos amoris argumẽta: quibus olim colophon accedet, quãdo Christus in regni sui & æternæ beatitudinis consortiũ nos recipiet. Eius enim promissio est: Volo vt vbi ego sum, illic etiã sit minister meus. Hæc igitur meditemur assiduè in tentationib. & mox omnẽ de amore & gratia Dei dubitationẽ excutient, & simul nos excitabunt ad redamandũ eum, qui nos tanto amore dignatus est. Vt pater filiũ, hic verò nos diligat.

Cæterùm quia inter Christiani nominis professores nemo non videri vult, qui & à Christo diligatur, & hunc vicissim diligat, pergit in præsenti Dñs, & ostendit, aliud quiddã præter externam Quomodo in Christi dilectione manere possimus.

& inanem fidei professionem requiri, si in eius dilectione manere velimus. Ait enim: Si præcepta mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea. Quæ sententia cum ea cõuenit, quam proximo cap. audiemus: Si diligitis me, præcepta mea seruate. Rursum verò suum exemplum producit, ne iniquus legislator videri queat: Sicut & ego patris mei præcepta seruo, & maneo in eius dilectione. Quasi diceret. Nõ iniquũ & graue alicui videri debet quod exigo. Quòd enim ego patris amore firmo & perpetuo fruor, ex eo est, quòd illius præceptis obtempero, legem eius in omnibus sequor, & mortem quoque subire paratus sum, vt æterno eius de hominum redemptione decreto satisfaciam. Multis magis ergo vobis hæc obedientia necessaria erit, vt simili studio mea præcepta seruetis, qui vt vestræ saluti consulam hæc tam dira & acerba ferre non detrecto. Facit autẽ ad exempli Christi declarationem, quod Paulus scribit ad Philip. Is cùm esset in forma Dei, non rapinam arbitratus est se esse æqualis Deo, sed semetipsum exinaniuit forma serui sumpta, in similitudine hominũ constitutus, & figura repertus vt homo, humiliauit semetipsum factus obediens vsq; ad mortem, mortem (inquam) crucis: Ideo & Deus illum in summam extulit sublimitatem, ac donauit illi nomen, quod est super omne nomen, &c. Cæterùm nunc quod præcipuum huius loci caput est consideremus, eos nimirum illos in Christi dilectione manere, qui præcepta illius seruant. Ergo fides in Christum non est sententiæ (vt quidã calumniantur) neq; etiam hæc stabilitur per gratiæ in Christo exhibitæ prædicationem, sed euertitur potius aut coercetur. Nam vt sæpè diximus, eadem hîc est ratio, quæ inter patrem & filios. Vt ergo bonæ indolis filij patris bonitate & clemẽtia non deteriores fiunt, sed eò reuerentius illum obseruant, quò benigniorem erga se vident: Ita germani Dei filij gratiæ & meriti Christi prædicatione excitantur, vt illũ ardentius ament, & illius præceptis studiosius obtemperent. Quidam autem plerique illa abutuntur ad peccandi licentiam, id eorũ improbitati & innatæ corruptioni, non bonitati misericordiæ tribui debet: & ijdẽ olim Deo graues contẽptæ suæ gratiæ pœnas exoluunt. In summa, firmiter hoc nobis tenendũ est, nullos in Christi gratia manere, nisi qui illũ vocantẽ sequuntur, & præceptis ipsius obtemperant. Neq; ij modò damnantur hoc loco, qui vitiosis affectibus indulgendo in aperta flagitia ruunt, verumetiam qui suis intentionibus aut aliorum suasu inducti, hominum traditiones audiunt, & circa cultus superstitiosos occupantur. Vt enim Christus non alterius cuiquã, sed solius patris præcepta seruauit: ita nos in nullius mortalium verba iurare, sed ab illius nutu voluntate pendere, & præceptorũ eius vestigijs insistere conuenit. Nam quocunq; fuco ornentur hominum traditiones & quæ ex his instituuntur superstitiones, reuera tamẽ cultus sunt meretricius, & perpetuò rata manebit Christi sententia: Frustra me colunt docentes doctrinas hominum.

Præcepta Christi quæ sint.

Vbi verò Christi præcepta inueniantur, & quæ nam illa sint, supra cap. 14. diximus. Præcipuum est fidei mandatum, quo iubet, vt omnem salutis fiduciam in ipsum vnum collocemus, & talem eundem agnoscamus, qualem nobis apostoli illum prædicauerunt, quorum doctrina quoad hoc caput symboli apostolici articulis continetur. Hîc verò addendum est, eodem præcepto confessionem quoq; fidei requiri: quia nõ vult eiusmodi discipulos Christus, quos sui aut doctrinæ suæ pudeat, & (vt Paulus ait) corde quidem creditur ad iustitiã, ore aũt fit cõfessio ad salutem. Quæcunq; verò alia sint Christi præcepta, ea omnia sub eius exemplo cõprehendi possunt, quod in illo absolutissimũ nobis pietatis posuit. Apparet in eo obedientia summa, quã morte etiã testatus est. Innocentiã ne hostes quidem calũmnijs obscurare aut in suspicionẽ adducere potuerũt. Iustitiã in illo nemo mortalium vnquã desiderauit. Charitatem ita coluit, vt sanguinẽ pro nobis fundere, & pro inimicis suis intercedere dignatus sit. Adde his patientiã in cruce, quæ nec opprobrijs & impudẽti hostiũ dicacitate, neq; doloris immani acerbitate superari potuit, quò minus Deũ suũ diceret & inuocaret, à quo derelictus videbatur. Hæc si præstemus ô fratres, tũc & eius præcepta seruabimus, & in dilectione ipsius permanebimus. Non tamẽ terreat nos exẽpli in illo propositi perfectio & nostræ infirmitatis sensus, qua fit vt ad illum peruenire nunquã possimus. Siquidẽ merito suo ita nos patri cõciliauit, vt omnia præstitisse censemur, si in eius fide manserimus, & à Deo cõcessis donis studiosè fuerimus vsi. Quod enim nobis deest, hoc suæ iustitiæ & obedientiæ merito ille sarcit, vt propter ipsum iusti & sancti reputemur, qui ipsa peccatores sumus & æternùm damnari merebamur. Simul autẽ docet nos locus iste iudicare de seculi nostri statu miserrimo, cuius causas multi mirantur, multi verò easdem euangelio asscribunt. At si hominum mores ad hoc Christi dictum examines, paucissimi inuenientur, qui eius præcepta ser-

uent &

nent & ita in illius dilectione maneant. Quam multi verò passim occurrunt, qui eo non cõtenti, verbum eius oderunt quoque, & eos hostiliter persequuntur, quos illius semitis insistere vident. Quid ergo mirum, si iratus contra nos suũ fulmen stringat Deus, qui gratiæ suæ Mediatorẽ non recipimus?

Finis & fructus doctrinæ Christi.

Porrò vt cunctantes magis vrgeat, finem & fructum huius suæ doctrinæ, adeoq; totius negotij, de quo hic agitur, subijcit dicens: Hæc locutus sum vobis, vt gaudium illud meum in vobis maneat, & gaudium vestrum impleatur. Gaudium suum vocat, partim quo ille de nobis gaudet, partim eius ille nobis author est: & idem mox nostrum dicit, quia eo nos in ipso fruimur. Quia enim nostræ salutis ergò in mundũ venit, nihil illi iucundius accidere potest, quàm si nos saluos videat. Apparet hoc ex dolore, quem ob hostium impiorum interitum concipit, vt initiò diximus. Imò alibi hunc ciborum & lautitias suas esse ait, vt voluntatem patris sui faciat, cuius hic finis & scopus est, vt omnis generis & loci homines in veritatis cognitionem veniant & saluentur. Ideò passim ad se inuitat & ad se venientibus plenam salutẽ pollicetur. Seruit hoc primùm consolationi nostræ in tentationibus. Quia enim nostra salute gaudet Dei filius, eam minimè negliget. Et cùm idem omnem potestatem acceperit in cœlo & in terra, facilè eam tueri poterit. Nitamur modò illi & nihil erit, quod nos ab eius dilectione separare possit. Deinde officij quoq; hoc eius dictũ admonet, ne vel ignaui salutẽ nostrã negligamus, sed illã (vt Paulus monet) cum timore & tremore operemur: vel alijs scandali authores simus, quo salutis suæ iacturam faciant. Ipsum enim Dei filium contristant, & suũ quasi cibum illi eripiunt, quicunq; contemptis illius præceptis ab eius dilectione excidunt, aut alios ab ea abducunt. Semper ergo sonet in auribus nostris hæc eius sententia, qua hunc sibi suorum studiorum finem propositum esse docet, vt & ipse ex nostra salute gaudium concipiat, & nos vicissim in illo verè & solide gaudeamus. Est autem obseruatu dignum, quòd se hæc ideo locutum esse ait. Ita enim docet, in ipsius verbo & doctrina quærendam esse certam salutis fiduciam, quæ sola animos nostros recreare & vero gaudio implere potest. Quæcunq; enim extra hanc in mundo hoc magni fiunt, fallacia & incerta sunt, & proinde quod ex illis habetur gaudium, diu durare non potest. Quod mox intelligent, qui quæ opum & honorum huius seculi sit conditio, & quid carnis voluptates ex sese pariant, paulò diligentius cõsiderauerint. In solo Christo veri & perpetui gaudij materia habetur, quæ in medijs afflictionibus durat, & ne morte quidem interturbari potest. Est ea pax, quæ nobis per illum cum Deo facta est, & quæ ideo omnem huius mundi intellectum superare dicitur. Incipit autem ex hac exortum gaudium in hoc seculo, & olim in cœlis perficietur, vbi externis quoq; & temporarijs molestijs omnibus liberabimur. De hoc Apostolus loquitur, quando nos semper gaudere iubet, & quidem in Domino. Debebant ista considerare, qui non nisi vanis & corruptibilibus rebus gaudent, de quibus modò diximus: aut etiam sceleribus & nequitia sua, quales hodie nimis multos est inuenire. Sed vera impletur in illis quod Solomon dixit: Etiam in risu dolet cor, & nouissimum gaudij est mœrour. Et quod de nouissimorum temporum hominibus scribit Apostolus: Cùm dixerint pax pax, repentinus illis superueniet interitus, &c. Prouerb. 14. 1. Thess. 5.

Christi præceptum de mutua dilectione.

Quia verò præceptorum suorum obseruationem nobis commendauit Dominus, repetit etiã hoc loco quod inter illa præcipuũ habetur. Hoc est (inquit) præceptum meum, vt alij alios diligatis, sicut dixi vos. Vbi non excludit Dei dilectionẽ, quam alibi primo loco præcipit, & huius præceptũ omniũ maximũ esse testatur. Sed proximi dilectionẽ hìc præcipit, quia in hac maximè elucet, quomodo erga ipsum Deũ, qui illũ nobis tam diligenter cõmendat, simus affecti. Quò Ioan. respexit, quando dicebat: Qui non diligit fratrẽ suum quem videt, Deũ quẽ non videt quomodo potest diligere? Deinde proximi dilectio vniuersa vitæ huius officia cõprehendit. Nã qui diligit alterũ (vt Paul. ait) legẽ expleuit. Siquidẽ illa, Non mœchaberis, non occides, non furaberis, non dices falsum testimoniũ, non concupisces, & si quod aliud præceptũ, in hoc dicto summatim cõprehenditur, Diliges proximũ tuũ sicut teipsum. Dilectio proximo malũ non operatur: Cõsummatio itaq; legis est dilectio. Cõuenit præterea hoc præceptũ quã optimè cum præcedentib. Dixit enim, se hoc vnũ spectare, vt & ipse de nobis, & nos de illo gaudere possimus. At qui sic affecti sunt, ij suos inter se cõcordes viuere volũt, quod sine dilectione fieri nũ potest. Nos verò hic primo obseruabimus, quòd passim fraternã & mutuã dilectionẽ præcipit. Quod enim hìc mãdat, hoc ipsũ ca. 13. quoq; mãdauit, et vbiq; ab illo inculcatur. Cõstat ergo illũ nũ alia exigere, quã q̃ nostræ felicitati seruiũt, quãdo ex mutua dilectiõe fructus oĩs ad nos redit.

Differunt in hoc etiam eius præcepta ab humanis traditionibus, quibus ea ferè præcipiuntur, quæ neque nobis ipsis neque alijs hominibus prosunt, qualia sunt quæ de ieiunijs, ciliciis, ferijs, imaginum cultu & similibus habentur. Simul autem arguitur infelix hominum peruersitas, qui hæc putant præcipiunt, quàm quæ Dei filius nostri commodi & salutis ergò nobis præcipit: & charitatẽ fraternam negligendo sibijpsis labores, curas & omnis generis pericula accersunt. Deinde quibus hoc dilectionis officium debeamus, videndum erit. Loquitur autem de suis discipulis Dominus. Ergo diligi debent omnes, quos ille pro suis agnoscit, & quos nostra ope indigere videmus, sicuti apud Lucã cap. 10. Samaritani parabola docet. Imò quia paulò post suum exemplum nobis proponit, hostes quoq; amari debent: quando hoc illũ fecisse constat. Vbi tamen nemo putet eum respectum tolli, quem naturæ lex commendat. Etsi enim omnes diligi debent, plus tamen cognatis & fratribus, aut etiam dei domesticis (vt Paulus loquitur) debemus, quàm ijs, qui nullo propiori vinculo nobis obstringuntur. Eorum autem errorem Christus confutat, qui in hominibus solicitè quærunt causas, cur illis officia dilectionis negent, cùm nos Christus in se respicere iubeat. Nulla ergo nobis causa satis digna videatur, propter quam eum negligamus, quem nobis Dei filius commendauit. Postremò quo ea dilectio hæc extendi debeat, docet. Quod enim de seipso dixerat exponens addit: Maiorem hac dilectionem nemo habet, quum quis animam suam ponit pro amicis suis. Fecit hoc ipse, imò pro hostibus & iræ filijs vitam deposuit. Idem ergo à nobis quoq; exigitur, teste hoc nostro apostolo, qui sic scribit: Per hoc cognouimus charitatem, quoniam ille animam suã pro nobis posuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere. Quod qua ratione fieri debeat, alibi docuimus: nimirũ quatenus hoc nostra vocatio & proximi salus exigit. Debent hoc suæ fidei cõmisso populo principes, & exempla habent imitentur in Mose, Dauide & multis alijs, quorum fidem & pietatem in patriam historici prædicant. Idẽ subditi suis principibus vicissim debent. Eadẽ est ratio inter parentes & liberos, eosdem cõciues item omnes, si quãdo aut hostes exteri incursiones faciũt, aut publici morbi siue lues grassatur. Quod probè obseruari debet hodie, quando Dei manum peste nos castigantis sentimus. Sunt qui in fuga salutis spem ponunt, & ij non modò conciues, verumetiam cognatos, vicinos, fratres deserunt, quibus omne charitatis officium debebant præstare. Excusant se autẽ contagionis periculo & eos Deum tentare clamant, qui se huic obijciant. At pestem contagione propagari, etsi quidam plerique putent, scripturis tamen probari non potest. Argumentantur quidem illi ex particularibus exemplis, & inde vniuersalem sententiã eliciunt: at nos eadem ratione aduersus ipsos possumus vti & contagionem negare, quando plures non infici constat, qui ex peste laborantibus cõuersantur, etc.

Psal. 6. & 91. inseruiunt. Scriptura certè pestem sagittas Dei vocat, quæ procul dubio non temerè feriunt, & numquam Dei, quæ neq; ipsa sine ratione fertur: verbũ item in tenebris ambulans, eò quod videri non

2. Sam. 24. test, & proinde etiã non euitari. Sed vt contagionem illis concedamus, nunquam tamen negari potuerit, contagiosos quoq; morbos sub diuinæ prouidentiæ manu esse, & per illã dispensari. Multi tamen probabunt Deum ab illis tentari, qui peste infectos inuisunt. Deũ enim tentant, qui absq; certo mandato periculis manifestis sese obijciunt, & ita de illius voluntate & potentia experimentum sumere volunt non necessarium. Id verò hîc fieri negamus. Extat enim Dei præceptum, qui ægros inuisere & consolari iubet. Extat promissio, quòd malum hoc ad eos non peruenturũ sit, qui in abdito altissimi occultantur, etsi à dextris eorũ & sinistris multa millia cadant. Psal. 91. Et Christus in suas rationes ascribit, quæ illis conferuntur officia. Matth. 25. Non ergo Deum tentant, qui adsunt: sed officiũ faciunt. Quòd si illos tunc peste corripi contingat, habent quod bene sperent & gaudeant. Moriuntur enim in Dei vocatione, & satius multò est inter pietatis officia perclitari, quam interea priuatis commodis, aut etiam libidini atq; luxui indulgere. Sciebat Paulus, sibi Hierosolymis carceres & vincula parata esse, nihilominus tamen eò contendebat, cùm spiritus suggestiuus ei gereretur. Nos quid de nobis futurum sit nescimus. Cur ergo propter incertum periculũ Dei mandatum certum transgredimur? Et si animum quoq; debemus proximo, quid obsecro nobis relinquitur, quod illi iure possimus negare? Aut quàm graue scelus est, indigentibus ea negare, quæ sine anima imò etiam fortunarum iactura dari poterant? Considerent ergo hæc omnis loci homines, & ardente charitatis studio incensi præcepta Christi seruent, vt in illius dilectione maneant, & merito eius acquisitam salutem obtineant. Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

HOMI

HOMILIA CXL.

Vos amici mei estis, si feceritis quæcunque ego uobis præcipio. Non amplius uos dicam seruos, quia seruus nescit quid faciat dominus eius: uos autē dixi amicos, quia omnia quæ audiui à patre meo, nota feci uobis. Non uos me elegistis, sed ego elegi uos, & constitui uos, ut abeuntes fructum afferatis, & fructus uester maneat: ut quicquid petieritis à patre in nomine meo, det uobis.

QVoniam Dei filius ideò in mundum venit & homo factus est, vt Mediatoris partes obiret & humanum genus patri reconciliaret, hunc etiam suæ doctrinæ finem atq; scopū constituit, vt veram nobis rationem tradat, qua Deo vniri & in eius communione permanere possimus. Et huc etiam referri debet omnis huius Capitis doctrina, qua hoc vnum exigit, vt in ea dilectione & gratia maneamus, in quam ipse nos suscipere dignatus est. Id autem nos facturos ostendit, si præcepta sua seruemus, quorum summa in proximi dilectione continetur: cuius regulam & exemplum in semetipso proponit. At quia omnis generis remoras obijcit satan, quibus nos à via salutis absterreat, plures etiam rationes nobis adhibet Christus, quibus in sancto instituto confirmemur. Et in præsenti quidem discipulos suæ conditionis admonet, vt huius probè memores non deficiant ab eo, qui ipsos in summam dignitatem euexerit, & cuius fidē atq; bonitatem hucusq; infinitis argumentis sint experti.

Vos amici mei estis (inquit) si feceritis quæcunque ego vobis præcipio. Cohærent ista cum præcedentibus. Dixerat enim se animam suam positurum esse pro amicis. Ne ergo quærerent, qui nam isti sint, addit: *Vos amici illi mei estis, &c.* Et ad statum sermonis huius ista accommodans hortatur, vt diligenti præceptorum suorum obseruatione amicitiam ipsius seruare studeant. Neq; sic accipi debent hæc verba, quasi nostrorum operum meritis amici Christi efficiamur (quid enim de illo mereatur, qui nostris officijs haudquaquā opus habet, & sine quo nos nihil boni et recti facere possumus?) sed docet potius, qua lege aut conditione nos in amicorum numerum recipiat, & quod nostrum sit in ea dignitate conseruanda officium: Nimirum, vt ipsius voluntati nos accōmodemus, quam suis præceptis declarauit. Nam quod gentium quoque sapientes obseruarunt, vetus est lex illa iustæ veræq; amicitiæ, vt idem amici semper velint: neque est vllum certius amicitiæ vinculum, quàm consensus & societas consiliorum & voluntatum. Huius ergo Christus suos quoque admonere voluit, non inanem nostri meriti fiduciam stabilire. Ideo, *vos mei amici estis* ait, *non Eritis aut Fietis.* Iam tunc enim amici eius erant, & tales ex gratia eius iampridem facti fuerant. Debet autem hīc diligenter obseruari bonitas & modestia Domini nostri Iesu Christi: qui cùm æternus sit Dei filius & Rex regum potentissimus, amicos tamen sibi eligere dignatur ex miseris mortalibus, qui nihil ipsi conferre possumus. Arguitur hoc exemplo immanis hominum arrogantia, qui si quos diuitijs, potentia, stemmatum splendore aut alijs rebus temporarijs excellunt, illos vix seruorum loco habent, et interdum canes aut equos aut accipitres illis præferunt, qui eiusdem cum ipsis naturæ consortes sunt, & quorum opera atq; seruitio non possunt carere. Sunt hi ab ingenio Christi alieniſsimi, & semetipsos digni tate ea spoliant, quam in præsenti suis pollicetur. Imprimis verò huius loci vsum considerare oportet, qui duplex est. Primus, ne de gratia & benignitate Dei dubitemus: quando nos apud filium, qui patri cœternus & coessentialis est, amicorum loco haberi audimus. Et sanè vnum hoc dictum Scholasticorum doctrinam validissimè confutat, qui hominem de Dei gratia certum fieri posse negant, & ita totam salutis rationem in dubium vocant. Contradicunt illi Deo patri, qui cœlitus clamat, se in filio nobis placatum esse. Filium quoque ipsum mendacij arguunt, qui nos amicos suos vocare dignatur. Procul ergo facessant à pijs, qui vt fidei doctrina delectantur, ita omne illud ex animo detestantur, quod desperationis causam præbere potest. Alter vsus est, vt grati simus Christo, & eius amicitiam sanctè colamus, qui in tantam nos extulit dignitatem, qua nulla homini maior tribui potest, & quæ (vt Cyrillus ait) ipsos naturæ humanæ terminos excedit. Quia enim peccatores & filij iræ nascimur, plus quàm humanum est Dei amicum fieri. Quomodo autem hunc nostræ dignitatis gradum tuebimur? *Si feceritis (inquit) quæcunque ego vobis præcipio.* Obedientiam

Qua lege nos in amicorum suorum numerū Christus recipiat.

ergo præcipit, & quidem eam, quæ præstemus quicquid ille mandauit. Atqui hoc (vt nuper quoque diximus) ab homine præstari non potest. Sed meminisse oportet, præcipuum inter Christi mandata esse, quo fides in ipsum docetur. Quæ quia ipsi nos coniũgit, fit, vt ei vniti ea quoque possimus in ipso, quæ vires nostras superant. Præterea illius merito sarcietur, si quid nobis defuerit. Interim ardens studio opus est, vt in melius quotidie proficiamus. Peccant in hoc Christi dictum turpiter, qui illo quidem redemptore gloriantur, seq; illius amicos esse iactitant, cùm interea affectibus pessimis seruiunt, & omnia sua secundùm mundi & carnis suæ voluntatem, non secundùm Christi præcepta instituant. Nec minor eorum culpa est, qui in religione & salutis æternæ negotio, præterius Christi præceptis, humanas traditiones sequuntur. Manifesti autem Iesu Christi hostes sunt, qui non contenti suis superstitionibus, insuper alijs easdem violenter obtrudunt, & Christi verbum hostiliter persequuntur.

Probat, se discipulos amicorũ loco habere.

At quia carni absurdum videtur Christi amicos dici, quos ille infinitis malis & aduersis passim exerceri passus est, probat se hactenus fidi amici officio erga illos functum esse, & ait: Non amplius vos dicam seruos, quia seruus nescit quid faciat dominus eius; vos autem dixi amicos, quia omnia quæ audiui à patre meo, nota feci vobis. Non negat seruos suos esse (tales enim reuera erant, & tales se illi in scriptis suis profitentur) sed se illos seruorum loco habuisse negat, & ex seruorum conditione argumentum sumit, qua illi ab amicis distinguuntur. Etsi enim interdum heris egregiè placeant, non tamen consiliorum omnium conscij sunt, neq; satis prudentes putantur heri, qui seruulis suis arcana omnia communicant. Alia autem est amicorum ratio, quia hos nihil celatur, imò hoc veræ amicitiæ certissimum est indicium, si arcanorum quoque conscios faciamus, quos in amicorum album ascripsimus. Quò Dauid respiciens de eius perfidia conqueritur, cum quo secreta aliquando suauiter communicare solitus fuerit. Atqui ego (inquit Christus) quæcunque audiui à patre meo, nota vobis feci. Quamobrem de meo amore & amicitia non debetis dubitare. Ita verò secundùm humanam naturam loquitur Christus, qui quoad diuinã nihil aliunde accipit aut discit. Vbi simul obseruandum dictum hoc ad ea modò restringi debere, quæ nobis ad consequendam salutem scitu aut cognitu necessaria sunt. Sunt enim multa alia, quæ & Apostoli ignorauerunt, & quæ cognita nihil prodessent, quibus hîc Christus non disserit. Admonemur autem hoc loco, certum & infallibile diuini erga nos fauoris argumentum esse, si verbum suum nobis Deus communicet: eos autem Dei amicitiam declarare, qui illud audire nolunt, aut impiè reijciunt. Relinquit hos tandem Deus, vt dum suo sensui relinquuntur, dignas suæ impietatis pœnas exoluant.

Christi doctrina qualis.

Docemur præterea, quo loco haberi debeat Christi doctrina. Primùm ex patre illã audiuit. Ergo diuina est, sicuti iã non vno loco diximus. Deinde omnia se tradidisse ait, quæ à patre accepit. Perfectè ergo suam voluntatem in ea expressit, vt peregrinis speculationibus aut nouis reuelationibus minime opus sit. Seruit igitur locus hic ijs confutandis, qui multa reseruata esse aiunt in aliud tempora, quæ in scripturis nusquam tradantur: & eo prætextu patrum traditiones, Decreta Conciliorum aut etiam sui cerebri figmenta proponũt, quibus eandem authoritatem cum scripturis sacris tribuunt. Atqui Christus, in quo omnes scientiæ & cognitionis thesauri reconditi sunt, se discipulis omnia manifestauisse ait, quæ à patre accepit. Nihil ergo eorum latuit Apostolos, nisi Christum quoque aliqua cognitu necessaria latuisse dicamus. Illos verò mysteriorũ Dei fidos dispẽsatores fuisse cùm quum non verba modò, verumetiã sanguinem & vitam profuderint, vt quàm plurimos in veræ salutis cognitionem adducerent. Nihil ergo cælauerunt, nec quicquã fuit, quod posteris demũ temporibus reuelari debuerit. Quod si aduersarij fateri nolunt, Paulo respondeant velim, qui ne angelo quidem credi vult, si quid ab Apostolorum doctrina alienũ prædicet. Imò, si verũ fateri libeat, magis Christũ & Apostolos eius cõtumelioſi sunt, quot quot in horum doctrina aut scriptis omnia continere negant, quæ ad nostræ salutis perfectã (qualis nimirũ in hac vita degentibus obtingere potest) cognitionẽ faciunt. Ex eo enim sequetur aut Christũ non omnia illa tenuisse, aut falsum dixisse quando omnia docuisse testatus est, aut Apostolos perfidè cælauisse ea, quæ publicè prædicare debuerũt. Atqui hæc autẽ omnia hæc dictu & auditu intolerabilia, & minimè errabimus, si Christũ, ipsam Dei sapientiam atq; veritatem, & Apostolos acceptæ ab illo doctrinæ fidos præcones, omnes verò eos impostores qui dicamus, quicunq; ab illis traditam doctrinam vel mendacij vel imperfectionis accusare audent.

Cæterũ

Ceterùm ne tam magnifici tituli dignitate insolentiores fierent, ad primam omnis boni causam Discipuli electi
mi remittit, vt vnde ista obtigerint, intelligant. Non vos me elegistis (inquit) sed ego elegi vos. Quæ ex gratia.
dicerat: Magnus quidem hic honor est, quem vobis tribuo, sed non ideo vos superbire aut efferri
conuenit. Nihil enim vestra virtute vobis partum est, qui de me eligendo magistro & doctore ne
quidem cogitauistis: Sed quòd mei amici & mysteriorũ salutis conscij facti estis, hoc mihi debet acce-
ptum ferri, qui vos omnium ignaros ex gratia elegi iam olim, electos suo tempore vocaui in meum
comitatum, & hactenus præ alijs familiarius institui, & porrò donis ampliorib⁹ instruam, vt di-
gressi in orbem mihi ex omnibus gentibus discipulos congregetis, & ita fructum feratis longè vber-
rimum, &c. Et hæc quidem de Apostolis verissimè dicuntur, si qui fuerint prius, quidque fecerint
considerem. Quis enim de ecclesiæ ministerio, de Euangelij prædicatione, deq; orbis totius reformatio-
ne vel cogitauisse credat rudes & illiteratos piscatores & quæstui deditos publicanos, aut alijs stu-
dijs vilioribus intentos? Sed qui illos priusquàm essent viderat, eos vocauit, & simul animos mouit,
vt omnibus relictis ipsum sequerentur, in quo nulla melioris conditionis spes apparebat, quiq; ab ho
stibus potentissimis publicè infestabatur. Eadẽ planè est nostræ etiam electionis ratio, & quod discipu Electio Dei
lis dicitur, hoc ipsum sibi quoq; à Christo dici omnes putent. In peccatis enim omnes concepti & nati gratuita.
sumus, & proinde carnis desiderijs interi ad cœlestia minimè aspiramus. Elegit autem nos Christus,
aut in Christo Deus, priusquàm mũdi huius fundamenta iacerentur, vt Paulus ait. Et quàm nihil
sit, quod nos ad nostram salutem conferimus, sanctorum omnium exempla docent, quæ in scripturis
proponuntur. Nam si à primis parentibus exordiare, illos post commissum transgressionis scelus
nudos corpore, mente consternatos & transfugas à Deo fuisse constat, quando illos hic quæsiuit, fu-
gientes vocauit, & in desperationem coniectos salutis per semen mulieris reparandæ promissionibus
recreauit. Nonne ergo illis etiam dicitur, Non vos me elegistis, sed ego elegi vos? Eadem fuit A-
brahami patris credentium conditio, quem ex medio idololatrarum consortio euocatum & Dei a-
micum factum fuisse, scriptura perhibet. Quid verò de tota Iudæorum gente passim prophetæ tra-
dant, & inter hos Ezechiel imprimis Cap. 16. omnes norunt. De gentibus quid dicere attinet? quas
rum mores & infelicissimam conditionem Paulus non vno loco describit, vt Roma. 1. Ephes. 2. Co-
loss. 3, &c. Quin in semetipsos singuli descendant, & mox inuenient, se quiduis potius quàm Christum
electuros fuisse, nisi sua bonitate eos præuenisset Deus, & efficaciter in filij sui cognitionem vocas-
set. Destruitur ergo hisce Christi verbis vniuersa nostri meriti fiducia, & omnium eorum rationes
confutantur, qui aut vires nostras cum gratia Dei coniungunt in salutis negotio, aut nos propter
opera, quæ in nobis Deus præuiderit, electos esse contendunt, & hoc dicendo præscientiam Dei (vt
Augustinus ait) contra eiusdem gratiam defendunt. Nisi enim à Deo eligamur, nos neque ipsum
neque aliquid boni eligere possumus. Et quid habes (inquit Paulus) quod non accepisti? 1. Corinth.
4. Etidem cùm corruptissimam humani generis conditionem multis exposuisset, mox addit: Post-
quàm bonitas & erga homines amor apparuit seruatoris nostri Dei, non ex operibus iustis, quæ
fecerimus nos, sed ex sua misericordia seruauit nos, &c. Tit. 3. Discamus ergo hoc Domini no-
stri dictum memori mente versare, vt omnem salutis nostræ fiduciam in Dei gratia collocemus,
quæ sola animos in tentationibus potest quietos & tranquillos reddere. Deinde gratissimus Deo,
qui nos præter meritum nostrum eligere dignatus est, ne electionis gratia ad peccandi licentiam
abutamur. Admonet de hoc Dominus, quando se discipulos elegisse dicit, non vt otiosi viuant, aut
suis rebus consulant, sed vt fructum ferant. Quod quanto studio fecerint, Actorum liber & ve
teres historiæ testantur. Idem verò ab omnibus requiri, nuper in vitis & palmitum parabola di-
dicimus, ad quam hic quoque Christum respexisse apparet. Et possunt huc multi scripturæ loci re-
ferri, imprimis autem, quod Paulus de Iudæorum repudio & gentium adoptione disserit ad Roma
nos Cap. 11.

Quia verò arduum & plenum periculi erat munus Apostolicum, & ab huius functione disci- Confirmat di-
pulos multa absterrere poterant, rationes duas his coniungit Dominus, quibus illis animum faciat. scipulorum ani
Primò enim, se illos non modò elegisse dicit, vt fructum qualemcunque & momentaneum ferant, mos.
sed vt fructus eorum maneat. Quod perinde est ac si dixisset: Quicquid tandem de vobis fiat in hoc
seculo, non tamen irritus erit vester labor, & fructus quem feretis, non vllis persecutionum tempestæ

tibus intercipi aut vastari poterit. Manebit enim in mundo quantùmuis ingrato & contumaci veritatis doctrina, quam prædicabitis: Manebit ex hoc semine enata ecclesia, & nunquam deerunt, qui fidem profiteantur & vitam viuant verè Christianam. Deinde etsi vos nunc minus idoneos & parum instructos esse, mundum verò aduersarijs fidei potentissimis, & in omni eruditionis genere exercitatissimis videatis abundare, tamen ne sic quidem animum despondere debetis. A vobis enim Deus stabit, quem ego vobis adeò propitium reddam, vt ab illo accepturi sitis quicquid meo nomine postulaueritis, &c. Sunt autem hæc verissimè impleta. Sunt enim aduersa multa passi Apostoli, hostes habuerunt ex Iudæis & gentibus omnes eos, qui in mundo eruditione, potentia & authoritate præstabant: & hi contra illos incredibili pertinacia, astutia, sæuitia & maximis viribus pugnauerunt. Sublati sunt per hos Apostoli, & his sublatis maior cœpit tyrannis, quando Romani Imperatores nascentem vbique terrarum fidem atque ecclesiam Christianam extinguere conati sunt: & scimus illos vsque ad Constantini Magni tempora per annos trecentos nullum crudelitatis genus omisisse, quod ad extinguendam fidem facere videbatur. Mansit tamen fructus euangelij, quem Apostoli plantauerant, & Dei manu protectus passim inter medias procellas & turbines caput exeruit. Idem factum, quando post Constantinum & filios eius Iulianus apostata maximo cum audacia simul & calliditate rem istam aggressus est. Imò etsi nouissimis temporibus Antichristus ecclesiæ faciem horribiliter fœdauerit, manserunt tamen in multorum animis fidei veræ semina, & inter omnia pericula seruati sunt libri sacri, ex quibus ecclesia instaurari potuit: quod quàm admirabili successu factum sit & quotidie adhuc fiat, omnes vident. Similis fuit ante Christum naturarum conditio docentibus prophetis, & hunc perpetuum fore cursum fidei atque ecclesiæ, promissiones testantur, quas nobis de hac re Christus reliquit. Huc enim pertinet, quod Isaiæ 59. ecclesiæ publicetur: Ego, ait Dominus, hoc fœdus cum eis pangam: Spiritus meus qui super te est, & verba mea quæ inserui ori tuo, nunquam recedent de ore tuo, neque de ore seminis tui, neq; de ore nepotum & pronepotum tuorum, &c. Item quod iam discessurus è mundo dixit: Ecce ego vobiscum sum vsq; in consummationẽ seculi. Debent hæc ad se transferre omnes ecclesiæ ministri, quieo potissimum tentantur, quòd se nihil profecturos metuunt, sed omni humano præsidio atq; auxilio destitutos videant. Sunt rursum, qui sua eruditione, eloquentia & authoritate freti, nihil non se posse arbitrantur. Est autem vterq; error nocentissimus: quia hi quidem ferè seipsos & ecclesias in periculum adducunt, illi verò priusquàm cœperint desperant, & pulcherrimas bene agendi occasiones elabi sinunt. Cogitet ergo singuli, nos ex nobis ipsis ad nihil idoneos esse, neq; aliquid hic posse hominũ industriam absq; eo dare incrementum. Humiliter ergo de seipsis sapiant, & Dei opẽ implorent, adeoq; ecclesias ad precem excitent, vt ipsis detur liberè, constanter & aperto ore veritatem docere. Quod Apostolos frequenter fecisse legimus. Interea quia hæc causa non nostra, sed Dei est, nõ desperent. Nec enim illam Deus deseret, neq; filij sui regnũ intercidere patietur: & olim patebit, ipsos non frustra laborauisse, quum ipsis in cœlo gaudentibus, alij ea fidei libertate in terris fruentur, quã illi suo labore & vitæ atq; sanguinis sui dispendio parauerunt. Quod de ministris dicitur, hoc ipsum omnes quoq; alij in sua vocatione cogitent. Deniq; memores nostræ dignitatis, in quam nos euehere dignatus est Dei filius, vocemus sedulò, vt & eam tueri & fructum ferre possimus, qui ad multorũ salutem & ipsius Iesu Christi gloriam redundet: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

HOMILIA CXLI.

Hæc præcípio uobís, ut alíj alíos dílígatís. Sí mũdus uos odít, scítis quòd me príus quàm uos odío habuerít. Sí de mundo essetis, mundus quod suum est amaret: quía uerò de mũdo non estís, sed ego uos elegí ex mundo, propterea odít uos mundus. Memẽtote sermonís, quem ego díxí uobís, Non est seruus maíor domíno suo. Sí me persecuti sunt, & uos persequentur: sí sermonem meum seruauerũt, & uestrum seruabunt. Sed hæc omnía facient uobís propter nomen meum: quía nõ nouerunt eum, qui mísit me. Matth

MVltis et grauissimis rationibus discipulos suos Christus Iesus hucusq; hortatus est ad cõstantem in fide perseuerantiam. Postrema ex ijs fuit, quòd suæ illos dignitatis admonens, eos & amicos suos et in hoc electos esse docuit, vt in orbẽ totũ digressi, ipsi ex omnibus populis discipulos adducant, & ita euangelij fructũ ferant, qui perpetuò duret. Quia ergo ista occasione in ministerij Apostolici mentionẽ incidit, quo nullũ vnquã inter homines grauius et periculosius fuit, plura in præsenti de hoc dicit, & de ijs præcipuè eos admonet, quæ ipsis in hoc obseruatu & cognitu necessaria erãt: deinde aduersus crucem & persecutionũ pericula illos argumentis firmissimis instruit. Vbi nobis ante omnia considerandum venit Christi fides, qua ille cum suis discipulis egit, quando illis non modò dignitatem eximiam ob oculos ponit & præmia, quæ sperare debeant, verumetiam ipsis imminentia pericula prædicit. Est ergo alienissimus ab impostorum moribus & ingenio, qui si quos in suas partes attrahere conantur, illos splendidis quidem promissis lactant, studioseè autẽ dissimulant pericula, quæ certò imminere norunt. Fit hoc tam in religionis negotio, quàm in alijs, quæ ad externa huius vitæ temporariæ commoda spectant. Quæ etiam causa est, quòd multi aut superstitionibus circunueniuntur, aut sceleribus sese immergunt, quibus extremum sibijpsis accersunt exitium. At longè aliter Christus, qui vt regnum suum non de hoc mundo esse testatur, ita ad cœlestis modò gaudij promissiones suos remittit, ijsdem verò in huius vitæ curriculo nihil præter crucem et omnis generis afflictiones propositum esse docet. Et quod Apostolis dicit, hoc ipsum ad omnes credentes pertinet, quibus alibi præcipit, vt abnegata carnis natura crucem suam tollant, & ipsius vestigia sequantur. Debent ista diligenter meditari, qui ad Christum accedunt, & suas vires probè expendere, ne ex eorum numero esse inueniantur, qui non subductis prius rationibus ædificia magnifica aggrediuntur, & tandem omnibus ridiculi fiunt. Seruiunt præterea hæc ijs confutandis, qui nobis crucem, mundi odia & assiduas persecutiones exprobrant, & inde argumenta petunt, quibus fidem nostram & vniuersam euangelij doctrinam falsi condemnent: cùm ex his potius constet illius veritas, quando Christi præfationibus omnia tam bene conueniunt. His præmissis ad loci huius tractationem accedemus.

Christus discipulos aduersus mundi odia instruit.

Orditur autem à mutuæ dilectionis præcepto, quod nunc tertiò repetit, dicens: Hæc præcipio vobis, vt alij alios diligatis. Nec superuacanea nobis videbitur tam crebra & diligens eiusdem præcepti repetitio, si vel ipsos discipulos, vel rem de qua agitur, propius consideremus. Illos enim communi de terreno Christi regno errore deceptos, zelo & æmulatione inuida aduersus seipsos laborauisse scimus. Deinde quia illos aduersus imminentia pericula armare instituit, dilectionem mutuam illis re cte commendat, quæ & durissima quæque mollit, & ipsa pericula nobis iucunda reddit, si alios quoq; illis amicè commoueri, & illos nobis suo auxilio adesse videamus. Sic coniuges facilè ferunt labores, egestatem & omnes coniugij molestias, si amore mutuo ardeant. Et in militia nullius labor tam molestus, nullum periculum tam graue aut terribile est, quod non leue videatur ijs, qui se inuicem fideliter diligunt. Imprimis autẽ hoc necessarium est ijs, qui in ecclesiæ ministerio eidem Domino seruiunt, & qui sibi ipsis eundem studiorum scopum aut finem propositum habere debent. Nisi enim illi animis suis probè consentiant, fieri quidem potest, vt initiò quidem singuli ecclesiam ædificare conentur, at idem mox inuidia & æmulatione superati priuato honori atque gloriæ studebunt, & sectarum authores erunt, aut etiam apertis hostibus aliquid contra ecclesiam audendi occasionem præbebunt. Nam vt in re domestica omnium fortunarum dissipatio sequitur, si inter coniuges animorum alienatio incidat, & in republica magistratuum ambitio partiũ studia & horribilẽ omnium ordinum confusionem parit: Sic ministrorum odia & simultates vniuersum ecclesiæ statum euertere consueuerunt. Exempla huius mali passim occurrunt in historijs, & imprimis memorabile est, quod Eusebius narrat de ministrorum moribus & dissidijs, quæ horribilem illam & diuturnam, quæ sub Diocletiano mota est, persecutionem præcesserunt. Et vtinam hodie nulla extarent, quæ hos possent fidem facere. Ideò spiritus sanctus olim ecclesiæ concordiam per Dauidem in Psalmo 133. tam magnificè commendauit, & nunc discipulos instituere volens Dominus, non temere dilectionis mutuæ præceptum repetit hoc loco, & monet, vt Apostoli positis affectibus priuatis operam suam in commune conferant, atque inter communis ministerij labores & pericula se mutuò diligant, iuuent & consolentur. Debet etiam eadem admonitio omnibus ministris commendatissima esse, ne ex eorum numero sint, de quibus Paulus loquitur: Omnes quæ sua ipsorum sunt quæ-

Dilectionis mutuæ præceptũ repetit.

runt, non quæ Christi Iesu: & tandem in illis impleatur, quod idem Apostolus ait: Quòd si alius alium vicissim mordetis & deuoratis, videte ne vicissim alius ab alio consumamini. Philippensi. 2. Galat. 2.

In periculis maximè retinenda dilectio.

Simul verò generalem considerationem meretur, quòd de cruce & persecutionum periculis dicturus Christus, à charitatis mutuæ præcepto toties iam repetito exordium sumit. Ita enim omnes Christianos sui officij admonet, quod est, charitati tunc quàm maximè studere, quando fratres in periculis constitutos vident. Qua de re nos admoneri multum prodeſt, eò quòd longè aliter mundus hic iudicat, quem ferè eorum pudet, qui sub cruce gemunt & multorum odijs infestantur. Malunt etiam priuati commodi studium ita excæcat, vt aliorum labores atque pericula facilè contemnant, dummodò ipsis bene sit: imò sibijpsis vehementer placent, si suum otium & pacem aliorum vel turpi desertione vel etiam proditione redimere aut tueri possint. At longè aliter nos docet Christiana fraternitatis atq; cõmunionis lex. Quia enim vnius & eiusdem corporis membra sumus, eum inter nos consensum esse conuenit, quem inter nostri corporis membra videmus. Admonet de hoc nos diligenter Paulus in priori ad Corinth. Cap. 12. Et idem ad Hebræos scribens, ait: Memores este vinctorum tanquam vnà cum illis vincti: eorum qui affliguntur, ac si ipsi quoq; corpore affligeremini. Obseruauit hoc studioſè vetus ecclesia, quæ & luctum & preces publicas indicere solita fuit, si quando ecclesiastas riclitari vidit, quorum operam multis vtilem esse sciebat. Sic captis & in carcerem coniectis Apostolis, pij omnes horum periculum sibi quàm maximè cordi esse, suis precibus testabantur. Et in veteri testamento prophetarum sermones extant, quibus idem docetur, inter quos admodum præclarus eſt, quem Ioel habuit. At in hoc etiam apparet misera & infelix nostri temporis conditio. Etsi enim in multis locis pij laborent grauissimè, & communi ecclesiæ exitium struant qui iam pridem contra euangelij doctrinam conspirauerunt: plerique tamen interea ludos agunt, poculis, saltationibus et turpi otio indulgent, eorum planè similes, quos Amos in eburneis lectulis distendi, cantu lascivis exultare, & vinum in pateris capacioribus bibere dicit, neque aliquem ex Iosephi contritione dolorem concipere. Quid verò de illis dicemus, qui verbi ministros non modò negligunt in periculis, sed vilem scurriliter insultant, & pro communi salute laborantes felle & aceto, id eſt, conuitijs & calumnijs amarulentissimis perfundere non verentur? Sunt hi omnes à Christi ingenio alienissimi, cuius mandatum nos anxiè sequi conuenier. si germani eius discipuli censeri velimus.

Patientiam sub cruce commendat.

Transeamus nunc ad alterum huius loci caput, quo ad patientiã sub cruce & afflictionibus inuitatur, & rationes adducit grauissimas, quæ non minus hodie suum vsum habent, cùm eadem semper sit mundi huius & piorum in hoc agentium conditio. Primam his verbis comprehendit: Si mundus vos odit, scitis quòd me prius quàm vos odio habuerit. Medetur his communi hominum iudicio, ne quis fit, quòd rebus nouis & quæ præter expectationẽ nobis accidunt, offendimur. Docet ergo nihil nouum aut insolens fore, etsi mundo se exosos esse videant, quando hoc ipsi quoque acciderit. Quasi dicerent: Mundi quidem odium subibitis, sed hoc vobis mirum videri non debet, cùm non primi sitis, quos homines impij & mundo addicti persecuti sunt. Et ne exemplis peregrinis vos diutius detineam, ipsos appello, qui scitis, quæ mea hactenus in hoc mundo sors fuerit. Alibi verò prophetarum quoque exempla producit, Matth. quinto sic loquens: Beati estis, cùm probra iecerint in vos homines, & persecuti fuerint, & dixerint omne malum verbum aduersus vos, mentientes propter me, &c. Sic enim persecuti fuerunt prophetas, qui fuerunt ante vos. Vbi primò considerari debet admirabile Dei consilium, qui ecclesiam & veritatis doctrinã inter continuas persecutiones & pericula seruauit, et in dies latius extendit. Nam si mundi historiam inspicias, iam inde ab exordio eius hanc piorũ sortem fuisse patebit, quòd odijs, insidijs & machinationibus hostium potentissimorũ expositi fuerunt. Ecclesiam enim primis parentibus de promisso mulieris semine, Iesu Christo, dicitur, quo cum perpetuas inimicitias vetus ille serpens gesturus sit, hoc ipsum ad illius membra quoq; referri debet, in quibus satan indesinenter Christũ oppugnat. Cœpit hoc facere in Abelo veri Dei cultore, in cuius eadem Cainus fratrem germanum excitauit. Quæ verò piorum patrum ante diluuium conditio fuerit, ex hominum seculi illius moribus prudens quisq; conijcere potest. De patriarchis, prophetis & horum pijs auditoribus non opus est dicere, cùm illorum labores & indignam sortem scripturæ diligenter exponentes. Attamen seruauit ecclesiam suam Deus (vt nuper quoque diximus) & filijs suis regnum in media hostium

Ecclesia inter pericula semper seruata.

bostium suorum propagauit indies. Et debet hoc obseruari non modò aduersus crucis scandalum, sed in eum quoq; finem, vt perfecta promissionum Dei veritate, in fide Christiana confirmemur. Quia enim hæc mundo semper inuisa & ab hoc omnibus seculis oppugnata, nihilominus tamen mirabiliter in hunc vsq; diem conseruata fuit, & hodie adhuc seruatur, satis euidenter apparet, totum hoc Iesu Christi negotium diuinum esse, & ab æterno diuinæ prouidentiæ cõsilio pendere: quo argumento olim Gamalielem Pauli præceptorem in Senatu Hierosolymitano vsum fuisse, Lucas Actorum quinto Capite prodidit. Deinde non oscitanter præterire debemus, quòd Christus hostes suos mundi nomine notat, quem in peiorem partem hoc loco accipi (pro hominibus nimirum mundo & carni deditis) omnes circunstantiæ docent. Atqui inter hos præcipui fuerunt sacerdotes, scribæ & pharisæi, qui mundo mortui, adhæc religiosissimi omnium hominum & toti spirituales videri volebant. Ergo non refert, quibus titulis aut ipsi nos ornemus, aut à nostri similibus vel seruilis ingenij parasitis prædicemur. Quotquot enim Dei filium & eius doctrinam persequuntur, hi mundi istius filij & serui sunt, cuius princeps est Satan, siue illi Sanctissimi patres, siue Reuerendi & Reuerendissimi, siue Spirituales, Seraphici, Cherubici, siue etiam semidei dicantur. Itaq; frustra nobis hodie titulos istos obijciunt, qui nos hæreticos dicunt, eò quòd ab ecclesia Romana secessionem fecerimus. Quo enim spiritu plerique agantur, nobis tacentibus omnes abunde intelligunt.

Christi hostes dicuntur mundus.

Secunda ratio ex mũdi ingenio petitur, qua docet aliter fieri nõ posse, quin plerisq; inuisi & exosi sint, neq; illos aliud nunc debere sperare. Dicit autem: Si de mũdo essetis, mũdus quod suũ est amaret: quia verò de mundo non estis, sed ego vos elegi ex mundo, propterea odit vos mundus. Nititur hoc argumentum communi sensu hominum, quo fit, vt contraria inter se conuenire non possint, neq; animorum consensio sit inter dissimiles & qui studia contraria sequuntur. Perinde enim est ac si dixisset: Mundus non nisi suos, id est sibi addictos diligit: At ego vos de mundo elegi & segregaui, vt illius studijs relictis mihi vni seruiatis. Ergo vos mundus odit. Ita verò ista proponit, vt simul offendat, hoc ipsis gloriosum potius quàm ignominiosum fore, si mundi odium sustineant. Nam mũdi nomine (vt modò diximus) eos intelligit, qui nondum in ipso renati, adhuc mundi desiderijs ardent & illis toti indulgent, & proinde Deum sibi iratum atq; infestum habent. Ab illis ergo separatũ esse, summa coram Deo gloria, & simul veræ felicitatis initium est. Quia quoad in mundo sumus, cum Deo non possumus coniungi. Nam vt Iacobus ait, amicitia huius mundi inimicitia est cum Deo. Quapropter quisquis voluerit amicus esse mundi, inimicus Dei constituitur. Iacob. 4. Quò Paulus respiciens dicebat: Si hominibus placerem, Dei seruus non essem. Quæ sententia omnibus verbi ministris commendatissima esse debet, ne doctrinam suam pro hominum arbitrio instituant, & mundi hominis applausum quærendo tam ipsius Dei gloriam quàm salutem eorum negligant, quos fidei ipsorum ille commendauit. Arment ergo seipsos aduersus iniqua mundi iudicia, qui in fidis ministris multa reprehendere & calumniari solet. Quæ cùm in suis probet & laudi ducat, satis apparet, hoc ex veritatis odio fieri, quam illi prædicant. Dicant igitur cum Paulo: Mihi pro minimo est à vobis iudicari, aut ab aliquo humano iudicio. Et hominum minis Dei mandatum opponant, sicuti olim prophetæ fecerunt, ex quibus Amos Cap. tertio aiebat: Leo si rugiat, quis non timebit? Dominus Deus locutus est, & quis non prophetaret? Quibus illud apostolicum responsum consentit: Oportet Deo magis obedire quàm hominibus. Act. 4. 5. Quod ipsum priuatim quoq; singuli ad se transferre debent, quotquot euangelij doctrinam secuti in Christo piè viuere decreuerunt. Nam hos simul omnes mundus hic odit, quia abs se illos deficere & suos mores illorum exemplo argui videt. Et testantur ecclesiastici scriptores quàm fœda crimina olim Christianis obiecta fuerint: quæ & ipsa hodie passim audiuntur. Sed soletur nos conscientiæ propriæ testimonium, & quòd procul dubio Christus eos mundi mendacijs & calumnijs obrui non patietur, quos ex mundo selectos sibi consecrauit. Simul verò de salutis ratione & nostro officio hæc verba nos admonent. Si enim discipulos suos ex mundo elegit Dominus, prius vtiq; mundi pars fuerunt, electi autem sunt ex gratia, & ijsdem salus ex gratia obtingit, sicuti nuper prolixè docuimus. Rursum, quia ex mundo nos ille elegit, minimè conueniet, vt post hac mũdo seruiamus, aut illius sectemur studia. Sumus enim (vt Petrus loquitur) acquisitus ille populus, quem sibi vindicauit Dominus, vt tam dictis quàm factis nostris ipsius virtutes prædicemus, qui ex tenebris nos vocauit in admirabilem suam lucem. 1. Pet. 2. Sed de his plura alibi.

Pij non possunt non mundo exosi esse.

Eadem ministrorum quæ Christi conditio.

Tertiò repetit quod initiò de suo exemplo cœperat dicere: Mementote sermonis, quem ego dixi vobis, Non est seruus maior domino suo: Si me persecuti sunt, & vos persequentur: si sermonem meum seruauerunt, & vestrum seruabunt. Conueniunt autem hæc quoque cũ publico more & sensu communi. Nec enim probatur alicui bono seruus, qui suam conditionem vult potiorem et lautiorem esse quàm heri sui sit. At quid mihi acciderit scitis, & quanta cum pertinacia mundus hic tam me ipsum quàm doctrinam meam reiecerit. Non aliud ergo vobis quoque de illo polliceri debetis. Commodè autem & non sine graui causa doctrinæ etiam meminit. Ita enim non modò aduersus persecutiones & odia multorum illos armat, verumetiam aduersus doctrinæ & verbi Dei contemptum, ex quo grauius multò scandalum, & maior impatientiæ occasio enasci solent. Est hoc videre in propheticis, qui interdum non queruntur modò, verumetiam cum Deo expostulant, quòd nihil proficiant docendo, seq; ipsos inani labore fatigent. Et hodie multi ministri hanc ob causam animum desponderunt, & aut ministerium verbi omnino deserũt, aut obiter modò & perfunctoriè in eo versantur, neq; cum aliquo seuerius agunt. Sed & inter hostes euangelij reperiuntur, qui ex eo calumniandi occasionem arripiunt, quòd nullus ex nostra doctrina fructus prodeat, et ferè ab ijs etiam contemnamur, qui relicto papatu religionem puriorem profitentur. Sed tunc nobis Christi exemplum in mentem venire debet, ne nobis ipsis plus tribuamus, quàm Christus olim in mundo agens præstiterit. Si enim eorum ille profecit, qui cum docendi dexteritate summam modestiam, mansuetudinem & benefactiam coniunxit incomparabilem, quid obsecro mirum fuerit, si eandem doctrinam hodie reijciant filij huius seculi, quãdo à nobis proponitur, qui vt vitijs nostris laboramus, ita nihil iuris habemus in hominum mentes, neq; alicuius voluntatem pro nostro arbitrio mutare possumus? Stulti certè sunt, qui de sua industria & modestia sibijpsis plus pollicentur: iniqui autẽ, qui hoc à nobis exigunt, vt doctrinam nostram omnibus approbemus. Quòd si quis obijciat, Cur ergo verbum suum Deus prædicari finit? facilis erit responsio. Nam habet is vbique locorum suos electos, in quibus illud fructum ferat. Deinde neq; reprobis frustra prædicatur, qui illud sibijpsis in testimonium audiunt, & inexcusabiles fiunt, quando auditæ veritati credere noluerunt. Certa igitur Deo constat sui consilij ratio, qua ministros quoq; excitare debet, vt officium suum sedulò faciant, neq; mundi huius ingratitudine & contumacia se absterreri patiantur.

Ministri propter nomen Christi persecutionẽ sustinent.

Quartum consolationis argumentum ex causa persecutionum producit, quæ hostes excitat. Hæc omnia (inquit) facient vobis propter nomen meum, &c. Opponit hoc calumnijs, quibus ferè euangelij præcones grauantur, quando seditiosi, pacis turbatores, ambitiosi & regnorum affectatores ducuntur. Et quia impij quoq; hostes Dei atq; veritatis minimè videri volunt, ferè cum publicis professionibus illa crimina pijs obijcere consueuerunt, vt rerum imperitis fucũ faciant. Sic ergo vult dicere Dominus: Dicant illi quod volent, attamen non alia causa eos contra vos extimulat, quàm quod nomen meũ ferre non possunt, quod suis prauis studijs inimicum & aduersum esse sentiunt. Continet autem hæc ratio ampliſsimi quoq; præmij promissionẽ. Quia enim iustus remunerator est Deus, non fraudabit vnquam eos promissa mercede, qui propter filium suum dilectum in periculum veniũt. Est illius promissio est: Volo vt vbi sum ego, ibi etiam sit minister meus. Et notum est illud Pauli: cum eo morimur, cum eodẽ viuemus: si cũ illo affligimur, cum eodẽ regnabimus. Est præterea hæc gens crucis nostræ gloria, quòd propter nomen suum nos affligi sinit Dei filius. sicq; suæ crucis socios facit, qui propter nostra peccata quouis supplicio digni eramus. Ignorat hanc gloriam noster amarus hic, & ideo nobis petulanter insultat, quasi Deo etiam ipsi simus exosi. Sed olim apparebit quid simus, quando promissa æternæ felicitatis præmia nobis Dominus retribuet. Vide quæ habentur Sup. 4. & 5. Cap.

Cur Christi nomen mundo exosum sit.

At quærat aliquis, quid causæ sit, quòd Christi nomen adeo exosum est mundo, vt propter hoc nos etiam odio persequatur, quos propter communis naturæ societatem et mutua officia amare deberet. Respondet ergo Dominus & ait: Quia non nouerunt eũ, qui misit me. Id est, quia Dei cognitionem destituuntur, qui me humani generis redemptorem constituit. Ita verò ostendit, mundum caco furore in proprium exitium ferri, vel potius ruere. Sed rursus miretur quis, quomodo Iudæos dicat Dei ignorantes esse, cùm hic se illis potiſsimùm reuelauerit, & eos in hunc finem maximè elegerit olim, vt per eos cognitionem per illos in toto orbe propagaret. Cæterùm facilè ad hoc respondetur. Quia enim Deus nihil

nobis in filio manifestat, in quo uno suæ bonitatis et gratiæ thesauros aperuit, nulla potest sine hoc salutaris cognitio Dei constare, & ideo frustra illam profitentur, quicunq; Christum ignorãt. Dictum de hoc multis cap. quinto. Eadem autem est hodie Turcarũ ratio, qui cùm se Dei veri cultores esse profiteantur, interim Christi meritum reijciunt, per quod solum ille nobis placatus est. Offendunt ad eundem lapidem Papistæ etiam, qui non alia de causa nos propter euangelij doctrinam oderunt & persequuntur, quàm quòd Deum ignorant. Si enim hunc rectè nouissent, Christum quoq; & in hoc exhibitum salutis mysteriũ nossent, & proinde neq; pro Missis, neq; purgatorio igne, neq; pro nostrorum operum meritis, neq; pro Diuorum intercessione aut alijs similibus rebus, quæ Christi merito & gloriæ derogant, cum quoquam hostiliter contenderent. Nos itaque his rationibus confirmati, fortes simus in Christo Iesu, qui propter nomen suum periclitantes & in hoc seculo ad sui nominis gloriam trahitur, & in cœlis beata immortalitate donabit. Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

HOMILIA CXLII.

Si non uenissem et locutus essem eis, peccatum nõ haberẽt: nunc autem non habent quod prætexant peccato suo. Qui me odit, is & patrem meum odit. Si opera non fecissem inter eos, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent: nũc autem & uiderunt & oderũt non solùm me, uerumetiam patrem meum. Sed hæc fiunt ut compleatur sermo, qui in Lege eorum scriptus est: Oderunt me immeritò. Cùm autem uenerit paracletus, quem ego mittam uobis, à patre, Spiritus ueritatis, qui à patre procedit, ille testabitur de me. Sed & uos testabimini, quia à principio mecum estis.

SPiritus sanctus in scripturis non modò piorum afflictiones & furiosos hostium veritatis conatus commemorat, verumetiam pœnas describit, quibus impiam illorũ audaciam vlturus sit Deus, qui suos quidem variè exerceri, non autem opprimi & perdi patitur. Finis et vsus istorum omnium est, vt & impij horum commemoratione terreantur, & ex ijsdem pij consolationem petant, neq; dubitent de fide Dei, qui promissionibus suis nequaquam deerit. Obseruat hunc scopum Christus etiam in præsenti tractatione. Exposuit enim nuper quid sui in hoc seculo passuri sint, & simul causam omnium indicauit hanc fore, quòd mundus Deum ignoret, & proinde cæco furore in suũ exitium ruat. Ne quis ergo impios hoc ignorantiæ suæ prætextu excusari putaret, modò hunc locũ subijcit, quo primum illis omnem excusationem eripit, ostendens hostes suos voluntaria & malitiosa ignorantia peccare, adeoq; oculis videntibus cæcutire, & proinde coram Deo esse inexcusabiles, cuius reuera aperti hostes sint. Deinde repetit promissionem spiritus sancti, ne huius virtutem mundi furoribus impediri posse existiment. Quoad primam partem, tribus argumentis hostes suos validissimè conuincit.

Prætextus excusationis eripitur Iudæis.

Primum est eiusmodi: Si non venissem, & locutus essem eis, peccatum non haberent, &c. Non autem in genere hîc de omnibus peccatis loquitur. Sunt enim omnes homines natura peccatores, & constat Iudæos etiam priusquam Christus in carnem veniret, innumeris peccatis & flagitijs obnoxios fuisse. Ergo incredulitatis peccatum hoc loco intelligit Christus, & sensus est: Nisi venissem ad eos, & me illis manifestassem, haberent aliquem prætextum, quo incredulitatẽ & inobedientiam suam excusarent. Nam se omnium ignaros fuisse dicerent, & ita aliqua venia & commiseratione digni viderentur. At veni ego in hunc mundum, imò ad ipsos veni, et quidem eo tempore & modo, quo me venturum esse, olim prophetæ prædixerunt. Natus enim sum, quando sceptrum à Iuda sublatum fuit, sicut Iacobus vaticinatus est: locus natalis fuit Bethlehem, quẽ Micheas indicauit: ex Dauidis item familia carnem assumpsi, sicuti promisit Deus. Nec veni modò, sed in publico versatus sum, inter illos in templo & synagogis docui, exposui qui sim & æternum patris decretum ipsis enarraui; nimirũ, quòd humanum genus meo merito redimi & seruari oporteat. Adhæc doctrinam meam frequenter Mosis & prophetarum testimonijs cõfirmaui. Quia verò nihilominus me aspernati sunt ha-

ctenus, & in posterum quoq; aspernabuntur, non habent quo peccatum suum excusent, sed in illo horret tam ignorantiæ quàm aliorum scelerum culpa, quæ ex illa emanarũt, aut eã comitata sunt. Hæc inquam verborum Christi sensus est, quem verissimè ista dixisse patebit, si eius incarnationem dicta, facta cum promissionibus & vaticinijs veteribus conferas. Ita enim ista omnia inter se consentiunt, vt neminem alium inuenire liceat, in quo impleta sint, quæ olim de Messia & promisso humani generis redemptore prædicta fuerunt.

Carnis ingenium quoad peccatorum agnitionem.

Non temere aũt excusationis prætextum omnem Iudæis eripere voluit Christus. Sciebat enim quod sit carnis nostræ ingenium, quæ ad peccandum quidem procliuis est, peccatum verò nunquam agnoscit, & quàmuis in ipso facto deprehensa conuincatur, effugia tamẽ captat, & si non alia ratione se excusare potest, translationibus vtitur, quibus culpã admissam in alios deriuet. Cupit malum hoc in primis parentibus, quando Adam quidem, cur de arbore prohibita comedisset interrogatus, respondit Deo: Mulier, quam dedisti mihi, ipsa dedit mihi, & comedi. Hæc autem, Serpens seduxit me, & comedi. Quod quid aliud erat, quàm in ipsum Deum crimen transferre? Durat hoc ipsum adhuc hodie, & passim eos audire est, qui prædestinationis & prouidentiæ doctrina ad hoc vsum vertunt, vt Deum suæ incredulitatis & peccatorum omnium authorem faciant, & ita in illum transferant culpam, quam in semetipsis debebant agnoscere. Sed illis etiam confutandis hæc Christi verba faciunt. Quia enim is in mundum venit, patris sui voluntatem exposuit, salutis viam indicauit, postra in arcano Dei consilio latebras quærunt, quibus sese tueantur, qui reuelatam sibi eius voluntatem improbè contemnunt. Quòd si aliqui nondum eò impietatis progressi sunt, vt Deum accusare in ius trahere audeant, commune tamẽ hoc omnibus est, quòd ad Adami exemplum sibi peccandi seruiunt, quibus peccata sua tegant, dum aut illa simpliciter negant, aut cultus instituunt hypocritas, quibus ea expiari posse arbitrantur. Sed nihil proficitur eiusmodi tergiuersationibus. Peccata enim externis sacris expiari non possunt: Deo autem facillimum est conscientiæ propria testimonio eos conuincere, qui culpam agnoscere nolunt. Tutissima igitur ratio nobis fuerit, peccata coram Deo fateri, & illius implorare misericordiam per Iesum Christum, quem ille nobis mediatorem & redemptorem vnicum constituit. Docet hoc suo exemplo Dauid, qui cùm in Psalmo 32. omnem nostræ iustificationis & beatitudinis rationem exponere instituisset, inter alia inquit: Quoniam tacuerunt ossa mea in rugitu meo tota die. Die & nocte ingrauescebat super me manus tua, versus est succus meus in siccitates æstiuas. At vbi peccatum meum tibi notum feci, & iniquitatẽ meam non celaui, & dixi: Fatebor contra me transgressiones meas Domino; tu remisisti iniquitatem peccati mei. Sed & ipse Dominus in orationis formula, quam nobis præscripsit, nos debita nostra Deo confiteri, & gratuitam eorundem remissionem petere docet. Quibus illud Ioannis ex prima eius epistola adde: Si dixerimus nos peccatum non habere, nosipsos fallimus, & veritas in nobis non est. Si confiteamur peccata nostra, fidelis est & iustus, vt remittat nobis peccata nostra, & purget nos ab omni iniquitate.

Non omnis ignorantia excusatur apud Deum.

Sed vt ad huius loci statum & Christi institutum redeamus, docet ille nos Iudæorum exemplo non omnem ignorantiam excusari apud Deum, vt nec apud homines. Imò quædam ignorantiæ sunt, quæ per se damnat, si ea nimirum nesciamus, quæ omnes necessariò scire debent. Talis erat sacerdotum & scribarum: qui cùm legis peritiã profiterentur, Messiæ mysteria minimè debebant ignorare. De illis enim per Malachiam dixerat Dominus: Labia sacerdotis custodient scientiam, legem requirent ore eius, &c. Talis item multorum est hodie, qui cùm ecclesiæ præsules haberi velint, ex bonis ecclesiæ voluptuentur, prima tamen fidei & religionis capita ignorant, & de controuersiis quæ hodie totum orbem scindunt, interrogati, se nihil horum intelligere aiunt, neq; vt intelligant quando studeant, sed quasi res nihil ad se pertinentes negligunt. Est horum securitas & negligentia etsi nihil grauioris mali accedat, cum sacrilegio coniuncta, & quouis digna supplicio, cùm insuper in præsepi ecclesiarũ redditus ipsi intercipiant, qui studiosis verbi doctoribus & fidis pastoribus debentur. Peiores his sunt, qui malitiosè errant, & institutionem omnem impio & immani dementiæ ptu reijciunt, & pro hostibus ducunt eos, qui ipsos meliora edocere volunt. Tales erant plerique Iudæorum Christi temporibus. Etsi enim illius doctrina simul & operibus quotidie conuincerentur, tamen non modò voluntariè ignorantes manebant, verumetiam hostili in illum animo nunquam non

de ipso crudeliter occidendo consultabant. Cuius contumaciæ exempla in euangelio passim occurrunt, & imprimis memorabilia sunt, quæ in cæci nati & Lazari resuscitati historia Capite nono & vnde cimo videmus. Ideo nulla ipsis relicta fuit excusatio, & secutum est mox horribile Dei iudicium, qui non modò vrbem cum templo & fortunis omnibus illis abstulit, verumetiam repudiũ eis dixit, regnumq; suum ab illis transtulit ad gentes, quod olim euenturum esse prophetæ minati fuerant. Vbi meminisse debemus, Deum in Iudæorum gente generale exemplum edidisse, quo docemur, quid futurum sit de omnibus, qui veritatis & salutis doctrinam vel non admittunt à Deo oblatam, vel agnitam scientes & volentes oppugnant. Quid verò aliud hodie faciunt, qui hæreseos nos accusant propter eam fidem, quam ipsi plenis buccis profitentur, quoties Symbolum apostolicum recitant? Quid enim ab hoc diuersum aut alienum docemus? Aut quid, quod illo cõtinetur, in nostra doctrina omittimus? Erat hoc maximè obseruandum ijs, qui hodie maiorum suorum exemplo abuntur in excusanda sua contumacia, qua aduersus vbiq; surgentem euangelij lucem pugnant, & eam extinctam volunt. Fuit enim lõge alia maiorum nostrorum ratio, qui communibus tenebris impliciti veritatis lucem planè nullam viderunt, neq; tamen animo ad impietatem deuoto errarunt, sed veritatis atq; iustitiæ studiosissimi fuerunt, quod crebræ illorum cum Romanis pontificibus concertationes testantur, propter quas nõ semel excommunicati sunt. Nihil ergo horum exemplum ijs patrocinatur, qui hodie passim sese oculis ingerentem veritatẽ videre nolunt, vt aut superstitiones suas tueri, aut maiorum licentia sceleribus indulgere possint. Et vt meritò horrorẽ nobis incutere debet Dei seueritas, qui lucem suam illis temporibus tam diu occuluit: ita nunc summa animorũ gratitudine agnosci debet eiusdem bonitas, qui eam hoc corruptissimo & omnibus modis miserrimo seculo reducere dignatus est. Cauteamus ergo ne in nobis locum habeat Christi sententia: Seruus, qui nouit voluntatem domini sui & non facit eam, pluribus plagis vapulabit. Lucæ 12.

Cæterum quia Iudæi, etsi contra Christũ hostiliter pugnarent, non tamen Dei hostes, sed cultores potius haberi volebant, imò hoc ferè prætextu Christum persequebantur, vt Dei honorem vindicarent, quem ab illo aboleri & conculcari clamabant: occurrit illis Dominus, et secundo loco hũc quoq; prætextũ illis ita eripit, vt ipsius Dei hostes esse euincat. Dicit enim, Qui me odit, is & patrẽ meum odit. Rationem dicti huius alibi exposuimus, quæ duplex est. Prima, quòd pater et filius vnum sunt. Altera, quòd qui inuisibilis est Deus, in filio per carnem assumptam se manifestauit, inq; illo se nobis placatum atq; propitium exhibuit, qui prius iræ filij eramus. Vt ergo Regẽ hostiliter odisse dicetur, quisquis semel facta rebellione non contentus, insuper filium regis, gratiæ & clementiæ regiæ legatum atq; mediatorem, contumelioſè reijcit: ita non potest non hostis Dei dici, qui prioribus peccatis hoc etiam addit, quòd filium Dei, patri coessentialem & vnicum diuinæ gratiæ mediatorẽ repudiat & persequitur. Quia enim nulla nobis cum Deo amicitia siue coniunctio intercedit, nisi cuius author est Christus, ab illo alieni & eiusdem hostes maneant oportet, quotquot illum agnoscere nolunt. Confutantur igitur his verbis non modò Iudæi, quibus cum tunc negotium fuit Christo, & Turcæ, vel quicunq; alij ex professo eum aspernantur, verumetiam qui cùm Christiani & Dei veri cultores dici & haberi velint, nihilominus Christi meritum cõtemnunt, & vt suam iustitiam stabiliant, illius doctrinam ferro & igne persequuntur. Clamant quidem illi se Christianos esse, etsi euangeliũ istud nouum (ita enim loquuntur) non recipiant. Sed quomodo Christiani erunt, qui Christum loquentem non audiunt? qui non illi vni fidunt? qui eius merito & gloriæ derogant? Quomodo Dei cultores erunt, qui eius filium non recipiunt? qui illum in verbo & membris suis oppugnant? Sed de his alibi plura.

Pietatis prætextum eripit Iudæis.

Nunc tertio loco quasi ad primum argumentum reuertitur Christus, & opera quoq; in medium producit, vt per illa euincat inexcusabiles esse eos, qui ipsum recipere noluerunt. Si opera (inquit) non fecissem inter eos, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent, &c. Videntur hæc Concessionis speciem habere, vt ijs respondeat, qui obijciebant, non temere credendum esse ei, qui & obscurius omnia tradat, & multa Legi per Mosem promulgatæ contraria doceat. Ita ergo vult dicere: Esto, non potuerint capere meam doctrinam: esto non decuerit eos, qui Legis disciplinæ assueuerant, me statim recipere, qui nudis verbis agebam, & nouum doctrinæ genus proponebam. Attamen ne hoc quidem illis excusadis sufficiet. Nec enim nudis verbis egi, sed simul opera feci miraculosa, qualia à nemine

Operibus suis Christus Iudæos conuincit.

mortalium vnquam facta sunt, & quidem ea, quæ Messiam facturũ esse Isaias olim prædixit: quando cæcis visum, claudis integras corporis vires, & surdis auditum restitui, & mutorum linguas in iubilum solui, multa deniq; feci his longè maiora. Et hæc quidem nõ occultè, sed in publico feci, vt ea non potuerint non videre. Nihilominus tamen & me oderunt, & patrem meum. Itaq; excusationis prætextum non habent aliquem. Faciunt ad minoris illustrationem & confirmationem, quæ passim ab euangelistis narrantur. Et sanè, si historias omnes euoluamus, nemo reperietur, qui vel plura vel maiora miracula fecerit quàm Christus Iesus, aut qui propria virtute ea fecerit, qua illum instructum fuisse scimus. Ex illo certè virtutem exiuisse Lucas scribit, quæ omnes sanauerit. Fuit ergo inexcusabilis & plus quàm insana aut furiosa contumacia, quòd eum agnoscere noluerunt Iudæi, cui dæmones ipsi testimonium perhibebant. Est verò non oscitanter prætereundum, quòd tam frequenter ad opera sua aduersarios remittit, vt & se diuinitus missum esse probet, & illorum contumaciam arguat. Idem enim illum Capite quinto & decimo fecisse vidimus. Vult ergo illa diligenter obseruari à pijs quoq;, vt eorum contemplatione in fide confirmentur. Debet autem hoc non ad ea modo opera restringi, quæ olim fecit, quando in terris agebat, sed ad ea etiam extendi, quæ quotidie per spiritum suum facit in ecclesia ad sui regni propagationem. Qualia sunt, quòd nostro seculo euangelij lucem per homines antea viles & obscuros reduxit, quòd per eosdem inuitis potentissimis totius orbis Monarchis reformationem ecclesiæ inuexit, quòd eandẽ hactenus inter pericula vndiq; imminentia seruauit, & (vt olim Dauid prædixit) perpetuò inter medios hostes dominatur. Sunt hæc manifesta diuinæ virtutis argumenta, quæ totum illud negotium euangelij non humanum esse, sed ab æterno diuinæ prouidentiæ consilio pendere docẽt. Erimus ergo nos quoq; inexcusabiles, si illa nõ agnoscamus, & oblatam veritatis lucem aspernemur.

Christum Iudæi immerenter oderunt.

Facit autem partim ad peccati amplificationem: partim ad remouendum scandalũ, quod addit. Sed fiunt hæc, vt compleatur sermo, qui in Lege eorum scriptus est, Oderunt me immeritò. Est verò locus hic ex Psalmis desumptus, quos Legis nomine comprehendit, eò quòd omnes reliqui scripturæ libri ad Legis & diuinæ voluntatis interpretationem pertinẽt. Extat locus Psal. 69. & simile quid etiam Psalm. 35. legitur. Vtrumq; autem Dauid de semetipso conscripsit, & his eorũ iniustitiã accusat, qui ipsum meliora de regno & patria communi meritum oderant simul atq; persequebantur. Atquia idem Christi typum gessit, & in illo prælusum fuit, quid de hoc olim esset futurum, rectè illud se transfert Dominus, vt & discipuli minus offendantur & Iudæos maiorum suorũ similes esse ostendat, qui & ipsi olim bene de se meritos iniquissimè persecuti sint. Sed & Legẽ ipsorum vocat, vt acutius pungat illorum conscientias, quando se illis ipsis scripturis conuinci sentiunt, quibus quàm maximè gloriabãtur. Est autem multa consideratione dignum, quòd ferè scripturas adducit, quando de sua morte aut alijs loquitur, quæ ipsum in hoc mundo pati oportuit. Occurrunt enim huius generis loci innumeri apud euangelistas, qui illum post resurrectionem quoq; discipulis ex Mose & prophetis concionatum esse testantur. Voluit quidem hoc modo scandalum remouere, quod ex sua cruce oriturum sciebat: simul verò docet, vt ipsi quoq; in omni tentationum genere in scripturas respiciamus, quæ nos multiuariàm docere & consolari possunt. Ex illis enim discemus, nihil nobis fortuitum & absq; certo Dei consilio accidere: quod vnum argumentum ad frænanda carnis impatientis murmura efficacissimum est, vt alibi monuimus. Deinde veram rationem tradunt scripturæ, qua mala aut effugere aut salubriter ferre possumus. Adhæc quãdo ea nobis accidere videmus, quæ olim in scripturis prædicta sunt, de harum fide & veritate admonemur, ne dubitemus ea quoq; suum habituri complementum, quæ de piorum liberatione & impiorum pœnis in ijsdem prædicuntur. Indicat hunc scripturæ sacræ vsum Paulus ad Romanos Cap. 15. sic dicens: Quæ ante scripta sunt, in nostram doctrinam scripta sunt, vt per patientiam & consolationem scripturarum spem habeamus.

Ingratitudo mundi communis.

Arguitur præterea tam Dauidis quàm Christi exẽplo inuicta mundi huius improbitas, qui plerunq; de se optimè meritos odisse & persequi solet. Sensit hanc ingratitudinẽ olim Moses cum fratre Aarone. Experti sunt eandem prophetæ. Et ne in diuinis modò eam exerceri putaremus, in gentium historijs innumera exempla extant eorum, qui priuatim & publicè eos erga se ingratissimos senserunt, pro quorum salute ipsi se totos impendebant: quales apud Græcos quidem fuère Themistocles, Phocion, Cimon, Miltiades, apud Romanos autem Camillus, Scipiones, Cicero & horum similes.

Neminem

Neminem ergo vulgi ingratitudo offendere debet, quasi res noua sit & insolita: quin potius cum ea beneficijs certare debent, quotquot se à Deo donis amplioribus instructos vident, ne dum mundũ vlcisci volunt, ipsi malè grati sint Deo, cuius dona defodiunt, aut etiam illis abutuntur. Poterat tamen tolerabilis videri ingratitudo hæc mundi, si intra hominum fines contineretur: at cõtra Deum maximè caput attollit. Cùm enim huic omnia sua debeant homines, illius tamen verba & leges nõ contemnunt modò, sed proscindunt, conculcant, persequuntur. Faciunt hoc hypocritæ, qui fucum sibi obsergi nolunt. Faciunt idem Epicuræi & scelerati, qui disciplinam omnem oderunt. Et vt vetera exempla omittamus, quæ innumera adduci poterant, nostri seculi mores de hoc abunde testari possunt. Et si enim Dei verbo debeamus bonas literas, pacem veram & solidam, libertatem animarũ atq; corporum, pleriq; tamen illud odio habent, & apud multos ij demum supplicio quouis digni putantur, qui illud prædicant, & eius authoritatem asserunt. Vlciscetur procul dubio Deus ingratitudinem istam: pij verò eò ardentius verbum illud complecti debent, quò impotentius à mũdo illud conculcari vident.

Repetitur spiritus sancti promissio.

At tempus est, vt alteram huius loci partem aggrediamur, qua promissionem spiritus sancti repetit non sine gratiæ causa. Poterant enim his omnibus auditis discipuli omnem de propagando Christi regno spem abijcere, adeoq; animum despondere priusquàm ab illo sibi impositum munus aggrederentur. Occurrit ergo huic dubitationi & ait: Cùm autem venerit paracletus, quem ego mittam vobis à patre, Spiritus inquam ille veritatis, qui à patre procedit, ille testabitur de me, &c. Quasi dicat: Etsi indomita sit huius mundi aduersus me & euangeliũ meum ferocia, nunquam tamen mei regni cursum impediet. Veniet enim, quem iam ante promisi, paracletus, Spiritus nimirũ veritatis, et hunc ego mitto. Qui cùm non humanus, sed diuinus spiritus sit, & ex ipso Deo procedat, sua virtute omnẽ aduersarium potestatem facilè superabit, & quantùmuis reluctantibus multis mihi testimonium perhibebit, partim in electorum animis, quos de salute per me acquisita certiores faciet, partim in impiorum quoq; conscientijs, quos conuincet, vt velint nolint mihi cedere cogantur. Quin vos illo confirmati in toto orbe de me testabimini, & vestro ministerio multi vbiq; terrarũ in mei cognitionem adducentur, mihiq; seruient. Neq; contemni aut reijci poterit vestrum testimonium, cùm ad hoc delecti sitis, & mihi iam inde ab initio familiarissimi fueritis, & proinde certam habeatis rerũ absẽ gestarum notitiam. Hic istius loci sensus est, & Trinitatis quidem adorandæ mysterium hîc nõ obscurè attingitur, cùm ipse Filius Patris et Spiritus sancti mentionẽ faciat: non tamen hîc ex professo de Spiritus processione disputare voluit, sed potius discipulos hoc argumento confirmare, quòd spiritum Dei sibi auxiliatorem & consultorem habituri sint, qui ipsorum ministerium feliciter ad suum finem dirigat. Nimis ergo arguti, vel etiam contentiosi fuerunt Græci, quando huius loci autoritate euincere voluerunt, Spiritum sanctum ex solo patre procedere. Quia enim pater & filius vnum sunt, seipsum hîc non excludit, quando patrẽ nominat. Sed quia hæc alterius loci sunt, & mysteria ista, quoad in carne viuimus, perfectè cognosci non possunt, nos simplici fidei doctrina contenti, nunc ea inspiciamus, quæ ad præsentem tractationem pertinent.

Mundi aduersus Christum conatus irriti sunt.

Vbi primùm occurrit, irritos & vanos esse hostium Christi conatus, quibus regnum eius oppprimere et euangelij cursum impedire instituunt. Est enim ille Rex regũ, cui omnis potestas data est in cælo & in terra, & ideò frustra aduersus illum pugnabũt, qui si ipse illis spiritum vitæ subtraxerit, morientur & in pulverem redeunt. Deinde spirituale est regnum eius & spiritus virtute propagatur: quapropter armis carnalibus euerti non poterit. Spirat enim spiritus hic, vbi vult, non ab hominum arbitrio pendet, & instar venti omnium animos perflat & incendit: qua de re Cap. 3. ipse Dominus cum Nicodemo disseruit. Itaque nihil quàm exitium & ignominiam referunt, quotquot cum illo certamen audent suscipere. Est hoc probatum exemplis omnium seculorum, vt alibi demonstrauimus: & nostro tempore multa vidimus, quæ his possunt fidem facere. Nobis autem istorum vsus esse debet, vt fortes & constantes in fide impiorum furoribus non cedamus.

Officium Apostolorum quod fuerit.

Deinde de officio Apostolorũ nos hic locus admonet, quod est, Christo testimoniũ perhibere: quòd nimirum sit verus & æternus Dei filius, qui in carne manifestatus, suæ mortis et resurrectionis merito omnia ea perfectè præstiterit, quæ ad humani generis redemptionem faciunt. Iubet hoc ipsum illo iam cœlum conscensurus, dicens: Vos eritis mihi testes in Ierusalem & in tota Iudæa, Samariâq;

& vsque ad vltimas terras. Et hæc causa est, propter quam illos sibi familiares habuit Dominus, quòd suorum dictorum & factorum conscios fecit, quòd ex mortuis redivivus se illis spectandum palpandum exhibuit, quòd cum illis edit & bibit: nimirum vt rerum omnium oculati testes essent, proinde fide digni. Qua autem animi constantia & dicendi libertate officio hoc suo functi sint, rum liber et ipsorum scripta abunde testantur. Facit hoc ad euangelij cõmendationem, quod ab ipsam causam testimonium Iesu Christi dicitur. Non ergo simplex est rerum ab illo gestarum ratio, cui vel credere vel non credere liceat: sed testimonium est, quod delecti in hunc finem & spiritu sancto illustrati tulerunt de filio Dei, qui propter nos incarnari, mori, resurgere & los ascendere voluit, vt miseros nos ex peccati seruitio & mortis atq; diaboli tyrannide Quotquot ergo illi contradicunt, aut illud reijciunt, ij non in Apostolos modò, sed in ipsum Dilium, sed in spiritum sanctum, sed in patrem ipsum contumeliosi sunt. Vidit hoc Ioannes epistola sua scribit: Qui credit in filium Dei, habet testimonium in seipso: qui non credit Deo, cem fecit eum, quia non credidit testimonio, quod testificatus est Deus de filio suo. Est ergo omnium atrocissimum, non credere euangelio, quod Apostoli prædicarunt, & in quo ipse pater ritum sanctum filio suo testimonium perhibet. Est autem hodie nihil vulgarius illo peccato, in hoc multi laudem quærunt, quòd euangelicam doctrinam pertinacissimè oderunt, & se eius perpetuos fore profitentur. Interim meminerimus, omnium qui Christiani dici volunt, hoc munus esse, vt Christi testes sint. Nam fidei confessionem ab omnibus ille requirit, quam libertam ingenuam esse decet, neq; nos eius pudeat, quem non puduit propter nos extrema quæq; subire. tamen sufficiet, verbis illum confiteri, nisi vita & mores confessioni huic respondeant, vt sæpe est dictum. Faxit Deus pater, vt & ipsi officium faciamus, & regnum filij sui Iesu Christi die propagetur, Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

CAPVT XVI.

HOMILIA CXLIII.

HAec locutus sum uobis, ut non offendamini. Mouebũt uos synagogis: imò ueniet tempus, cùm quisquis interficiet uos, putabit se cultum præstare Deo. Et hæc facient uobis, quia non nouerunt patrem, neq; me. Sed hæc locutus sum uobis, ut cùm uenerit tempus illud, memineritis eorum, quòd ego dixerim uobis. Hæc autem uobis ab initio non dixi, quia uobiscum eram. Nunc autem abeo ad eum qui misit me: & nemo ex uobis interrogat me quò abeam. Sed quia hæc locutus sum uobis, tristitia impleuit cor uestrum.

QVAMVIS omnium hominum vita laboris plena sit, & perpetua afflictionum atq; seriarum palæstra dici mereatur, imprimis tamen hoc in pijs Christi cultoribus locum bet, quos propter veritatis lucem sic odit mundus, vt Paulus testetur, fieri nõ posse, persecutionem sustineant, quicunq; in illo piè viuere instituerunt. At quia hoc carni admodum ue est, diligenti doctrina & institutione nos ad certamina ista præparari oportet. Itaq; observans Dominus diligenter, & cùm sæpe aliàs de his discipulos admonuerit, tamen in postremo suo discu nouam de ijsdem tractationem instituit, qua omnia ea complectitur, quæ nos in fide confirmare, inter pericula quæuis constantes atque intrepidos facere possunt. Et proximo quidem Capite exposuit, quid de hoc mundo nobis polliceri debeamus, & simul in se certam salutis fiduciam nos habere iussit: fore enim, vt sui spiritum sanctum accipiant, qui fidi aduocati instar illos regat atq; tur. Nunc verò ad huius doctrinæ illustrationem hoc quoq; Caput subijcit: quò primum plenius scribit furiosos impiorum conatus, deinde repetit etiam diligentius quæ ipsis in fide confirmandis uire poterant.

Et primo

Scopus totius tractationis.

Et primò infert statum siue scopum totius tractationis. Hæc locutus sum vobis, vt non offenda mini. Id est, prædico ista, ne vobis meliorem fortunam pollicendo, postea aduersis & vndiq; imminen tibus persecutionum periculis, tanquam re noua & insolita territi, de fide mearum promissionũ dubitetis & ab instituto vel officio vestro discedatis. Ita enim natura comparatum est, vt ijs offendamur, quæ nobis præter spem eueniunt, minus autem ijs moueamur, quæ nobis iam pridem sunt præuisa. Est ergo doctrina hæc admodum necessaria. Quia enim plerig; homines Dei fauorem ex felici rerum huius seculi successu metiuntur, & in religione quoq; bona temporaria quærunt: vix aliud tam vulgare est, quàm quòd grauiter plurimi offenduntur, quando pios continuis afflictionibus exerceri, impios autem florere & quasi perpetuos triumphos ducere vident. Neq; vulgarium modò hominũ fides hic tentatur, verumetiam eorum, qui præ alijs instructi & ab ipso Deo ad grauiores functiones delecti sunt. Nota enim est illa Ieremiæ querela: Quî fit, vt via impiorum prosperetur, & feliciter agant omnes, qui impudenter præuaricantur? Et Asaph propheta in Psalmo 73. parum abfuisse fatetur, quin pedes eius nutassent, & generationem filiorum Dei reprobaret, quando impios prospere & feliciter agere videbat. Et apud Habakuk prophetam pij clamant: Cur aspicis præuaricatores, & dissimulas cùm impius iustiorem se deuorat? Facis homines vt pisces maris, & sicut reptile, quod non habet ducem, &c. Omitto multa huius generis, quæ in scripturis occurrunt. Accedunt his impiorum insultationes qui credentibus inter pericula suam fidem & doctrinam exprobrare, & ex malis quæ patiuntur illam proscindendi occasionem arripere solent. Et quid hodie multi patiantur in eiusmodi tentationibus, nemo nõ audit & videt. Opus ergo est, nos de istis crebrò admoneri, & argumentis solidis instrui, quibus carnis & satanæ suggestiones eludamus. Elucet autem hîc fides & bonitas Christi singularis, qua is erga suos vtitur. Nec enim, vt impostores solent, magnificis modò promissionibus nos allicit, mala autem & pericula dissimulat: sed ingenuè prædicit, quid nobis in hoc mundo euenturum sit, & certamina nos manere docet, quæ nos non sine labore & sanguine superare oporteat, priusquàm promisso cœlestis regni brauio potiamur. Neminem ergo ille fallit, & si qui in periculis istis deficiunt, hoc ipsorum ignauia fit, quia admonitiones istas non admittunt, aut earum non sunt memores.

Piorum in mundo afflictiones.

Quia verò hucusq; in genere locutus erat de odio, quo illos mundus hic persecuturus sit, ne id vul gare & nõ vsq; adeò periculosum fore arbitrentur, nunc euidentius & quasi per species exponit, quid passuri sint. Primùm, mouebunt vos (inquit) synagogis. Id est, hæreseos & impietatis vos damnabunt, & à piorum consortio excludent. Erat hæc inter Iudæos (vt Cap. 9. diximus) extrema ignominia, & maximum fortunarum omnium dispendium coniunctum habebat, cùm externa quoque commercia talibus negarentur. Voluit autem sub hac specie omnia alia infamiæ genera complecti Dominus, quibus infelix mundus pios notare solet. Non obscurè autem admonet, piorum hostes fore non eos modò, qui à fidei Christianæ professione alieni sunt & apertas cum ecclesia Dei inimicitias exercent, sed ecclesiæ domesticos, & quorum summa est in populo Dei potentia atque authoritas. Tales illo tempore erant sacerdotes & scribæ, & inter hos pharisæi imprimis, qui propter singularis iustitiæ & sanctimoniæ existimationem supremum in Iudaico populo locum obtinebant, qui tunc solius ecclesiæ titulo censebatur. Quid autẽ isti cum Apostolis egerint, vtq; eos ceu publicos templi & sacrorum omnium hostes damnarint, Lucas in Actis non vno loco commemorat. Quod autem à Iudæorum sacerdotibus & senioribus factum est, hoc ipsum sub Imperatoribus, qui Christianam religionem persecuti sunt, postea factum fuisse constat. Nam vt Euseb. lib. 8. scribit, Diocletiani edictũ fuit, ne qui ex Christianis ad publicos honores admitterentur, prius amissi è gradu suo deijcerentur & infames fierent, militibus eriperetur baltheus, & si quis seruorum Christianus mansisset, libertatem non posset consequi. Cuius generis multa hodie fiunt sub principibus Papisticis. Imprimis autẽ excommunicationis telo contra nos pugnant Romani Pontifices, qui Apostolorum successores, Christi Iesu vicarij & totius ecclesiæ pastores haberi volunt: & horum artibus atq; stimulis excitati principes aqua & igne interdicunt ijs, qui purioris fidei & doctrinæ sectatores sunt. Sed & inter priuatos homines aliquos est inuenire, qui vix aspectu dignantur germanos Christi discipulos, & ab eorum colloquijs ceu viso angue resiliunt. Atqui hoc illud est, de quo nos in præsenti Christus admonet. Nos verò in eum finem respicere oportet, quem ille potissimùm spectauit hæc dicendo, qui est,

1 Excommunicantur.

ne iniquis hostium iudicijs, quibus nos damnant, succumbamus. Sufficere enim nobis debet, quod causa nostra Deo probatur, qui eius vindex & patronus erit fidissimus. Et in quantùmuis excelsa dignitatis gradu constituti sint, qui aduersus nos fulminant, non tamen ratæ erunt ipsorum sententiæ, nisi eis ex Dei verbo authoritas & pondus accedant. At cùm hoc illos turpiter abuti constet, inanes crepitus sunt eorum minæ, & (vt in Psalmo 109. scribitur) ipsi quidem maledicent, sed Dominus benedicet: cuius rei extmplum olim præcessit in Balaamo, cuius successores & imitatores eos esse Petrus in posteriori sua epistola testatur. Cogitemus præterea, ex hoc magna ex parte pendere salutem nostram, vt ab ijs separemur, qui Christi hostes sunt. Ab his enim electos ille colligit, vt nono Capite in cæci historia vidimus. Ideò Petrus Hierosolymitanis salutis consilium petentibus inter alia dicebat: Eripite vos à natione ista praua. Et hic nos excitare debet impiorum zelus exemplum. Cùm enim illi piorum consuetudinem ferre nullo modo possint, & in ijs deuitandis tanto studio vtantur, turpe fuerit, si qui Christi cultores dici volunt, non necessaria illorum commercia sectentur, quæ olim diuinis legibus seuerissimè prohibita sunt, & quæ Paulus grauiter prohibet, monens ne iugum ducamus cum infidelibus. Sed & ipse Dominus nos ex Babylone exire iubet, ne & peccatorum & pœnarum eius socij efficiamur. Vehementer ergo peccant hodie, qui dum horum minus sunt memores, primò quidem sibijpsis scandala & defectionis occasiones temere obiciunt, deinde verò aduersarios suos in superstitionibus confirmant, quando eorum consuetudinem tanti faciunt.

2 Occiduntur cum infamia.

At quia excommunicationis fulmen facilè contemnunt, qui fide vera donati sunt, secundum ad huc adijcit Dominus: Imò veniet tempus, cùm quisquis interficiet vos, putabit se cultum præstare Deo. Quibus verbis testatur, nõ contentos fore hostes, si ipsos extrema ignominia notent, nisi in superuitam eripiant, et vt hoc quoq; periculũ amplificet, quo hoc prætextu facturi sint docet: eò nimirum, quòd gloriæ Dei vindices videri velint. Quasi diceret: Ipsi quidem zelum veræ religionis profitebuntur, vos aũt iudicabunt omniũ mortalium sceleratissimos, imò apertos Dei hostes esse, propter quos ille mundo iratus omnis generis mala immittat, neq; alio sacrificio magis placari possit, quàm si vos è medio tollamini: quapropter eò crudelius in vos sæuient, quòd ex vestra morte sibijpsis felicitatem summã pollicebuntur. Fuit hæc omnibus seculis piorũ conditio. Quæ enim alia causa Cainum moueri, vt fratrẽ occideret, quàm quòd hoc viuo se Dei fauore nequaquã frui posse putabat? Quid aliud Esauum in Iacobi fratris odiũ extimulauit, quàm quòd ab eo sibi benedictionem præreptam, & Deum propter illum sibi iratum esse suspicabatur? Pharaonẽ quoq; contra Israelitas hæc suspicio accendit, quòd regno suo non aliter quàm horum excidio consuli posse arbitraretur. Et contra Ieremiã hoc nomine impij maximè insanierunt, quòd propter illum Reginam cœli sibi infensam esse dicerent, cuius cultum ille aboleuisset. Quid? annon ipsum Christum morte dignũ iudicarunt sacerdotes, quòd se Dei filium esse dixisset, & ita gloriæ Dei uindices haberi voluerunt? Eodem prætextu contra Apostolos quoq; vsi sunt, vt ex multis alijs exemplis apparet, ijs autem potissimùm, quæ de Stephano et Paulo narrantur. Factum est idem deinceps sub Romanis imperatoribus, cùm ecclesiæ fines latius propagarentur, et fictitiorũ Deorum cultus vbiq; locorũ deficeret. Siue enim aquarũ inundationibus agri vastarentur, siue nimius & diuturnior æstus fruges adureret, siue lues grassaretur, siue bella inscriperent, aut quæcunq; alia calamitas imperiũ affligeret, aduersus Christianos conclamabatur, hi ad leones, ad cruces, ad rogos & omnis generis supplicia poscebantur, & eorum sanguine iram Deorũ placandam esse omnes vno ore dicebant, sicuti apud Tertullianũ, Athenagoram, Cyprianũ, Iustinum & reliquos patres est videre, qui eam ob causam apologeticos libros scripserunt, quibus à Christianis calumnias eiusmodi depellunt. Estq; hæc singularis satanæ astutia, quòd cæco zelo suos incendit, vt furiosorum instar contra veros Dei cultores ruant, dum huius cultum conseruare & tueri student. Experimur hoc ipsum hodie passim, quando multi sunt, qui tempestates noxias, rerum omniũ penuriam ætq; caritatem, seditiones, bella ciuilia, Turcicas clades & quæcunque alia mala priuata & publica, non aliunde oriri clamant, quàm ex Euangelij prædicatione, quæ veterem religionis formam aboleuerit, & Diuorũ cultum sustulerit, quorum intercessione maiores nostri Deo propitio sint vsi. Neq; pudet nostros aduersarios veritatis doctrinam sub plausibili Diuorum nomine oppugnare, qui eius præcones fuerunt, & eandem sanguinis sui testimonio confirmarunt. Tanta deniq; illorũ est rabies,

rabiles, vt principibus viris interdum persuadere conentur, non ante illos vel contra Turcas feliciter pugnaturos vel malorum publicorum finem inuenturos esse, quàm euangelium istud nouum (sic enim illi loquuntur) vnà cum suis sectatoribus funditus excindant. Et hic quidem zeli nostri fructus est, si veritatis cognitione destituatur, quòd nõ modò superstitionibus immergit, verumetiam insano earum studio dementatos sanguinarios reddit. Quod in eum finem nos obseruare conuenit, ne zelo nostro facile locum demus, & simul caueamus eorum insidias, qui suo zelo feruntur, neque in Dei verbum respiciunt, quæ vnica nobis fidei & vitæ, consiliorum denique omnium regula esse debet.

Cur mundus hic pios persequatur.

Porrò veram tanti furoris causam indicat, cuius nuper quoq; meminit: *Quia non nouerunt patrem, neq; me.* Rationem huius dicti supra annotauimus, quæ est, quòd neque pater sine filio cognosci potest, cùm in hoc vno se nobis manifestet, neque filius cognoscitur, nisi incarnationis eius finem atque ipsius officium intelligamus, cui illum pater destinauit. At qui ista intelligunt, non possunt illum & eius doctrinam non amplecti & amare. Vnde colligitur omnes eos vera Dei cognitione destitui, quicunque Christi doctrinam, & propter hanc pios persequuntur. Quia autem ignorantia ista voluntaria est (vt alibi monuimus) excusationem planè nullam admittit. Nunc Christi institutum obseruemus, qui eius nos ideò admonet, quò facilius contemnamus odia & iniqua iudicia eorum hominum quos Dei cognitione prorsus destitutos esse audimus. Quid enim de his speres aliud, quàm quòd de tota religionis causa & pijs omnibus iniquissimè iudicaturi sint? De Socrate narratur, quòd cùm per forum transeunti petulans quidam iuuenis colaphum præter omnem causam impegisset, & multi vt eum in ius traheret hortarentur, dixerit: Quid verò, si me calce ferijsset asinus? An hunc quoque apud iudices accusandum censeretis? Respondentibus illis, Nequaquam, eò quòd cum animali ratione destituto in foro contendere absurdum & ridiculum foret: excepit ille, An verò hunc magis quàm asinum ratione vti arbitramini, qui absque omni causa immerentem verberat? Potuit ergo apud philosophum personæ consideratio tantùm efficere, vt ab homine lasciuo et petulante acceptam iniuriam patienter ferret. Quantò minus igitur offendi debent, qui in Christi schola instituti sunt, si ab ijs se damnari & affligi videant, quos ab omni puriori numinis cognitione alienos esse nouerunt? Habet ista consideratio fructum vberrimum. Primò enim patientes nos facit, si cogitemus nos propter Christum hæc omnia sustinere, qui nostri causa mortem ignominiosissimam subire dignatus est, & qui suorum vindex simul & remunerator est fidelissimus. Deinde vindictæ cupiditatem restinguit, ne odio prosequamur hostes, quorum infelicem conditionem propter communem humanitatis sensum commiseratione potius & dolore prosequi debemus.

Vsus harum prædictionum Christi.

Cæterùm ne ista temerè dici putemus, statum & vsum totius tractationis repetit: *Hæc locutus sum vobis, vt cum venerit tempus illud, memineritis eorum, quòd ego dixerim vobis.* Vult ergo nos istis prædictionibus ceu antidoto aut remedio vti aduersus scandalum, quod ex cruce nobis obijcitur. Et sanè nullum firmius est fidei fulcrum, quàm verbum Domini, si quæ illo traduntur, memori mente versemus. Ita enim intelligimus, nihil nouum aut insolens nobis accidere. Deinde omnia ista non temere fieri, sed certo diuinæ prouidentiæ consilio gubernari. Præterea quid à nobis inter hæc fieri debeat, docemur. Quòd ergo multi turpiter in periculis deficiunt, ex eo fit quòd non in Dei verbum respiciunt, sed à carnis sensu & mundi iudicio dependent. Est autem hinc nobis doctrina generalis petenda, non sufficere, si Dei verbum semel aut iterum audiamus, sed illud animis recondi & crebrò in memoriam reuocari debere. Et quia admodum multa sunt, quæ verbum ex animis nostris auferre, vel in illis suffocare solent (sicuti in sementis parabola Dominus docet) valde necessaria est hæc doctrina, quæ nos ad studium & meditationem verbi frequentem excitet. At quia hæc plerique negligunt, non mirum est docendo, monendo & hortando parum profici, & ipsa quoque iudiciorum Dei exempla contemni.

Cur prædictiones istas huc usq; Christus distulerit.

Sed obijceret aliquis: Cur ista non dudum prædixisti, aut cur in hunc vsque diem reseruanda putasti? Præoccupat ergo quæstionem hanc, & ait: *Hæc vobis ab initio non dixi, quia vobiscum eram;* nunc autem abeo ad eum qui misit me. Prædixerat quidem multa, cùm eos primùm ad prædicandum emitteret, vt Matthæi decimo scribitur, & non semel monuit, ne sibijpsis meliorem sortem polliceantur, quàm suã in hoc mundo esse videant. At non tam expressè singula exposuit, vt hoc loco, quæ ipsis euentura sint. Cur verò hucusque distulerit, docet: *Quia vobiscum eram,* &c. Quibus

verbis ostendit, his non opus fuisse hucusque, quando ipse fidi patroni atque tutoris instar ipsis ad-
fuerit, ne quid mali paterentur. Et sanè non caruit miraculo, quòd cùm rudes & nulla authoritate
præditi essent, tutò tamen terram Iudæam & Galilæam obire, in Christi nomine prædicare & sig-
na facere potuerunt. Quod illos ex sua protectione habuisse, ipse infra testabitur, dicens: Cùm essem
cum eis in mundo, ego seruabam eos nomine tuo: quos dedisti mihi, ego custodiui, & nemo ex eis pe-
rijt nisi filius ille perditionis, &c. At quia nunc (inquit) abeo ad eum qui misit me, neque porrò vo-
bis mea præsentia corporali frui dabitur, nihil amplius dissimulare debui, & ideò vos de singulis
admoneo, vt periculis dudum præuisis minus offendamini. Ad patrem verò se abire ait, vt ipsum
non periturum in morte intelligant, sed in cœlestem gloriam transiturum, & proinde mortis quoque
eius ignominia non terreantur: Imò in periculis cogitent, se vindicem in cœlis habere, qui ipsos tue-
ri & seruare possit. Sed & Missionis meminit, vt doceat, negotium hoc omne non humano consilio
gubernari, sed ab æterno diuinæ prouidentiæ consilio pendere: quod ipsum quoque ad confirmandos
animos plurimum momenti confert.

Ratio, qua in suis instituendis Christus est usus.

Debet autem hîc diligenter obseruari ratio, qua in suis instituendis Christus vsus est. Potuissent
hæc tam dira & tristia illos terrere, si nouitijs & regni terreni spe ebrijs proposita fuissent. Pruden-
ter ergo ea hucusque cælauit. Rursum, ne se deceptos dicant, nunc bona fide illos de omnibus admo-
net, nec illos antea periculis obijcit, quàm probè & planè institutos & ad omnem euentum instru-
ctos videat. Est hoc primùm magnæ bonitatis & fidei argumentum, ex quo generalis consolatio
peti debet. Vult enim nos saluos Deus, & proinde non vltra vires nos tentari patitur, sed inter pe-
ricula omnis generis rationes suggerit, quibus confirmati aduersa quæq; effugere possimus. Deinde
ministrorum institutioni seruit exemplum hoc Domini, vt cum fide prudentiam coniungant, audito-
rum captui sese accommodent, & singula suo loco & tempore proponant. Admonet de hoc ille in æ-
nomi aut dispensatoris parabola, Matth. 24. Et eodem Paulus respexit, quando ministrum cor-
quirit, qui verbum Dei rectè secare norit. Quod ipsemet obseruauit, quando Corinthios lacte alebat,
quos cibi solidioris nondũ videbat esse capaces. Præstat ergo fidei Christianæ principia diligenter in-
tiò tradi, vt paulatim altioribus mysterijs assuescant auditores, & tandem viri fiant in Christo per-
fecti. Præterea singulos hic locus officij admonet, vt Christi doctrina contenti, nolint quicquã vltra
eã sapere, aut aliquid curiosius scrutari, quod ille nobis non reuelauit. Docuit enim ille, quæcunq; no-
bis sunt cognitu necessaria, & doctrinæ suæ promissiones æternæ salutis adiecit, quæ satis docent, ni-
hil illi eorũ deesse, quæ saluti nostræ seruiũt. Et ferè videmus eos inutilibus speculationibus fatigari,
imò in errores horrendos incidere, qui ex semetipsis plus quiddam sapere volunt. Possent hæc multis
demonstrari & latissimè diduci: sed pijs admonitio ista sufficit, curiosa verò & ambitiosa ingenia
vix vllis rationibus mouentur, donec se perniciosè irretita aut etiam præcipitata sentiunt.

Reprehendit discipulorum mœrorem.

Quia verò Christus discipulos sui discessus mentione contristari quidem videbat, non autem rem
ipsam rectè expendere, reprehendit hunc illorum mœrorem præposterum, vt nouam ipsos consolandi
occasionem captet, & ait: Et nemo ex vobis interrogat me quò abeam: sed quia hæc locutus sum vo-
bis, tristitia impleuit cor vestrũ. Interrogarant quidẽ illum supra Petrus & Thomas, & non est
dubium varias de hac re cogitationes in animis illorum obortas fuisse. Sed quia in carnalem modo
præsentiam intenti erant, meritò illos reprehendit, quòd non ioterrogarẽt de salutis veræ mysterijs,
de quibus ipse eos subinde admonebat. Adumbratur verò in eis ingenium carnis nostræ. Est hæc sola
terrenis intenta, & in ijs solatium quærit, quæ sub aspectum veniunt. Vt primùm ergo illa eripi vi-
det, mox dolet, neq; de futuris cogitat: multò minus, quis illa eripiat, aut in quem finem ista fieri pati-
atur Deus. Et hinc ferè fit, quòd doloris impatientia vincimur. Rectius multò Iobus, qui dicebat:
Dominus dedit, Dominus abstulit, sit nomen Domini benedictum. Hæc vt in omnibus alijs diligen-
ter considerari debent, ita maximè in mentem reuocanda sunt, quando vel nobis hinc migrandũ esse
videmus, aut eos nobis mors abstulit, quorum consuetudo nobis vtilis vel etiã necessaria fuit. Cogi-
temus quò abeant, qui in fide vera moriuntur, & neq; nobis mors formidabilis erit, neq; nostrorum
mortem impatiẽter lugebimus. Vide quæ in hanc sententiã Paulus scribit in priori ad Thess. cap. 4.
Imprimis verò hoc Christi dictum ijs seruit, qui nobis hodie de corporali præsentia Christi litem mo-
uent, qua ecclesias omnes horribiliter turbãt. Si enim considerarent diligentius, quò ille abierit cor-

pore suo,

pere suo, & quanta eius ad dextrã patris in supernis maiestas sit atq; potentia, nunquam de carnis præsentia litigarent, quam in cœlos transferri oportuit, vt quæ nostræ redemptionis prætium fuit in terris, nunc in cœlis nostræ salutis arrhabo sit. Omissis itaq; concertationibus in vnum Dei filium intenti simus, qui in terris omnia præstitit, quæ ad nostram salutẽ faciebant, nunc verò in cœlis viuit & regnat, quò nos quoq; olim ad se recipiet. Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

HOMILIA CXLIIII.

Sed ego veritatem dico vobis, expedit vobis ut ego abeam: nam nisi abiero, paracletus ille non veniet ad vos: sin autem abiero, mittam eum ad vos. Et cùm venerit ille, arguet mundum de peccato, & de iustitia, & de iudicio. De peccato quidem, quòd non credunt in me. De iustitia verò, quòd ad patrem abeam, & amplius non videbitis me. De iudicio autem, quòd princeps huius mundi condemnatus sit.

QVoniam caro per se infirma & doloris impatiens est, in periculis & aduersis mox succumbit, nisi se aliquo præsenti auxilio subleuari sentiat. Huius ergo diligentem rationem habet Christus Dominus, & ideo à discipulis suis discessurus multis eos consolatur, quos ob suum discessum maxime grauissimo affici videbat, eò quòd nullum auxilium sibi reliquũ fore putarent. Præcipuum verò consolationis argumentũ est promissio spiritus sancti, quem se illis missurum esse pollicitus est, & qui omne fidelis aduocati officium sit præstiturus. Eam promissionem in præsenti magis confirmat & illustrat, idq; grauissimis de causis, vt in toto orationis contextu videbimus.

Primò docet discessum suum ipsis vtilem & necessariũ esse, vt ita locum cedat spiritui, sine quo neq; seruari neq; officium facere possint. Ita verò dolorẽ, quem ex discessus sui crebra mentione concepérant, lenire studet, cùm ex eo plus cõmodi rediturum sit, quam ex corporis præsentia, quam modò auferri oporteat. Quia verò totos in hanc intentos esse videbat, non sine graui asseueratione rẽ istam proponit: Sed ego (inquit) veritatem dico vobis, expedit vobis vt ego abeam, &c. Connectit autem hæc præcedentibus, quibus præposteram ipsorum tristitiã reprehenderat, quasi diceret: Vos quidem mœsti gemitis, quòd me digresso, nullum vos amicum aut patronum amplius habituros putatis. At ego, qui vos tenerrimè diligo, & cuius fidem hucusq; infinitis argumentis estis experti, hoc vobis pro certissimo affirmo, quòd vobis conducibilius sit, me ex terris discedere, quàm diutius vobiscum versari, quoad huius corporis præsentiam. Vt enim & vos ad destinatum vobis munus instruamini, & regnum meum latius extendatur, spiritum mitti oportet, quem vobis aduocatum & patronum fore promisi. At nisi ego abiero, aduocatus ille non veniet ad vos. Vt primùm autem hinc profectus fuero ad cœlestes sedes, eum ad vos mittam. Quantum ergo spiritus sancti virtus & gratia externã corporis præsentiã superat, qua impij quoq; frui possunt, tantò vtilior erit mea abitio, quàm consuetudo hæc externa, quam tanto desiderio expetitis. Fortiter igitur animo doloreꝫ istum superate & quid vtile atq; salutare sit potius, quàm quid carni iucundum, respicite, &c.

Spiritus sancti donum necessarium est.

Hic autem obseruatu dignũ est, quòd ait: Expedit vobis. Poterat enim dicere, Expedit mihi, vt assidua hac malorum palæstra & molestissimis certaminibus liberatus, regno mihi in cœlis destinato fruar. Si ergo me amatis, nolite obstare, quò minus eò perueniam. Sed qui propter nos in mundum venerat, maiorem semper salutis nostræ quàm suæ rationem habuit, & ideo maluit quid ipsis, quàm quid sibi expediat, dicere. Extant huius generis argumenta multa passim, quæ illius erga nos bonitatem nobis commendant: ex quorum consideratione nos illius amorem concipere & in fide eius confirmari decet, ne ipso relicto Antichristũ sequamur, qui nõ quid nobis aut alijs, sed quid sibi suisq; conscribus vtile sit, videt: imò totum potius humanum genus in tenebris perire maluit, quàm suum quæstum amittere, quem artibus plus quàm Simoniacis in ecclesia instituit. Imitentur item hunc Christi affectũ omnis loci & ordinis homines. Nam tunc demũ officio suo rectè fungentur ministri, magistratus, parentes, denique omnes alij, si non quid ipsis vtile sit videant, sed quid ijs expediat, quos

ipsorum fidei Deus commisit. Deinde quia iam moriturus sic loqui voluit Christus, nos quoq; ad hoc nostræ institutioni accõmodemus, si quando moriuntur ij, quorum consuetudo nobis vtile & necessaria fuit. Vt nimirùm non quid nobis, sed quid illis vtile sit spectemus. Quoad nos enim, stare debemus, nos sub Dei protectione esse, cuius veritas atq; potentia nulli mortaliũ alligata est. Quod verò morituros, nihil illis vtilius potest accidere. Liberantur enim huius seculi curis, laboribus atq; periculis, transferuntur autem in cœlestem patriam, vbi dolor nullus est, vbi lachryma omnes absterguntur, vbi deniq; in Dei conspectu fruentur satietate omnis gaudij. Inhumani ergo essent, si sunt, qui hanc illis felicitatem inuident.

Quomodo Christus adsit suæ ecclesiæ.

Imprimis autem hic cõsiderari meretur, quod præcipuum huius loci caput est, quomodo ecclesiæ suæ adsit eamq; regat Christus Dominus. De hoc enim hodie vbiq; disputatur, & multi illum ab ecclesia simul & sacramentis excludi vociferantur, nisi eum corpore suo nobis præsentem adesse dicamus. At sicuti regnum eius spirituale est, ita spiritus virtute & gratia illud administrat, neque ad eam rem corporis præsentia nobis opus est. Docet hoc in præsenti argumento quàm euidentissime. Dicit enim, Expedit vobis vt ego abeã. Quod de corpore intelligi debere necessariò omnes fatentur, nisi quis dicere velit, expedire nobis vt diuinam virtutẽ & spiritum suum à nobis auferat: quod nemo dicet, nisi qui cum vera ratione omnem quoq; pietatis sensum exuerit. Quòd si verò illam abesse vtile fuit, non vtiq; porrò necessaria est corporis eius præsentia, quam nostri aduersarij tam infestis clamoribus propugnant. Potest hoc exemplis probari quæ mortali adhuc corpore indutus interdum edidit. Tunc enim Centurionis famulum è morbo restituit, & aulici illius regij filium cum animi, tum corpore procul ab illis abesset. Discipulos item ad prædicandum emissos gubernauit atq; protexit, ne quid mali paterentur. Num ergo eius nunc minorem virtutem esse putabimus, postquam ad patris dextram considens omnem in cœlo & in terris potestatem accepit? Imò corpus ex hoc mundi in eum beatorum sedes transferri, quas nobis scriptura in cœlis extra hunc corruptibilẽ mundum monstrat, vtile simul atq; necessarium fuit. Primò propter ingenium carnis nostræ, quæ quoad externis præsidijs intenta est, mentem ad cœlestia euehere non potest, & ita neglectis potioribus circa terrenus vtiles occupatur. Voluit ergo corporis sui conspectum & præsentiã nobis auferre Dominus, vt non in hanc, sed in eius meritum respiciamus, & ipsum in cœlesti regno quæramus, eoq; magis in nostra confirmemur, quòd illum cœlesti gloria & potentia instructũ esse, & proinde nobis semper sufficere scimus. Ideo in sequenti Capite discipulos patris tutelæ committit, & Stephano in suum angustijs consolationem adhibiturus non in terris, sed in cœlis se illi videndum exhibuit, vt discerent auxilium & salutẽ, quam ex ipso habemus, nobis nõ ex carnis suæ præsentia, sed eius merito & virtute cœlesti obtingere. Quod Paulus obseruans, se Christum non amplius secundùm carnẽ nouisse docebat. 2. Cor. 5. Deinde corpus suum in cœlos euehere debuit, quia hoc poscebat æternum Dei decretum, vt nimirùm peractis in terra ijs omnibus, quæ ad humani generis redemptionẽ pertinebant, assumptam ex nobis carnem in regni cœlestis gloriã transferret, & inde mitteret spiritum sanctum, quo donati discipuli regnum suum in toto orbe propagarent. Postulabat deniq; hoc ipsum nostræ redemptionis & salutis ratio, vt humanam naturam in cœlos eueheret, & ita nobis cœlorum fores aperiret, quæ propter peccatũ occlusæ erant, adeoq; nos ipsos, quos per carnem assumpserat (vt Christus loquitur) in cœlos collocaret: qua ratione Paulus etiam ait, nos in Christo Iesu vnà excitatos & in cœlis collocatos esse. Ephes. 2. Nulla ergo posthac in terris hisce est carnis Christi vtilitas: quam ipsi in terris agendum erat, abunde præstitit: eandẽ verò ex terris in cœlos transferri, non vtile modò, verumetiam necessarium fuit, vt nobis in cœlesti regno locum faceret, & in in terra adhuc agentes spiritus sui donis instrueret, qui & salutis nostræ arrhabo est, & solus ea in nobis operatur, quæ ad regni Christi administrationem faciunt.

Spiritus sancti effecta.

Et hoc quidẽ ipse Dominus in præsenti docet. Ne enim vulgare quid polliceri videatur, spiritus sancti donum ab effectis commendat, sic dicens: Et cùm venerit ille, arguet mundum de peccato & de iustitia, & de iudicio, &c. Est autem arguendi verbum forense, & idem est, quòd adhibitis rium argumentis conuincere, & ita causam, de qua agitur, cõtra illum obtinere. Voluit autem exmodi verbo vti, quia de regni sui administratione loquitur, in cuius descriptione veteres etiam phetæ similibus locutionibus vti consueuerũt. Huius autem loci hic sensus est: Spiritũ meum

promis

promiss. qui aduocati instar vobis adsit. Quæ promissio non debet vilis aut vulgaris censeri, sed potius animũ addere in quouis tentationis genere. Nec enim otiosus erit spiritus ille, sed efficacissimè omnia ea aget, quæ ad regni mei propagationẽ faciunt, & omnes homines ita intra animos ipsorum conuincet, vt vel mihi sponte cedant, vel inuiti quoq; & reluctantes damnationis sententiam in sese recipiant. Quia verò hæc apostolis dicit, qui spiritus sancti organa futuri erant, omnem ministerij ecclesiastici rationem hoc loco tribus capitibus comprehensam proponit, quæ nobis ex ordine considerãda erunt.

Primò, arguet (inquit) mundum de peccato. Id est, ostendet omnes homines peccatores esse, & eos non verbis modò & externis signis, verumetiam propriæ conscientiæ testimonio conuincet. Expo- 1. Arguit de peccato.
nit autem hoc per causæ redditionem, Quòd non credunt in me. Huius verò meminit, non quòd sola incredulitas peccatum sit, sed quòd nos ab ipso separat, qui solus peccatum mundi tollit, & proinde causa est, vt peccata nobis exitio sint, quæ in illum credẽtibus remittuntur, vel (vt alibi scriptura loquitur) non imputantur. Sensus ergo est, spiritum sanctum per euangelij prædicationem ita penetraturum esse hominum conscientias, vt non modò peccata sua agnoscant, verumetiã sentiant se miseros & mortis reos esse, quoad Christum recipere dedignantur, qui solus illa expiat. Cœpit hoc mox sub initium euangelicæ prædicationis fieri. Cùm enim ipso die pentecostes, quò primùm datus fuit spiritus sanctus, apostoli concionẽ haberent publicam, multi corde suo compuncti sunt, & ab ijs salutis consilium petierunt. qui ipsos summæ iniquitatis accusauerant. Sed & hostes Christi conuictos fuisse ex eo apparet, quòd hoc potissimùm nomine apostolos infectati sunt, quòd se ab illis innoxij sanguinis reos agi sentirent. Etsi enim peccatum nollent agnoscere, conscientiæ tamen stimulos non poterãt effugere, qui ad Christi mentionem omnia ipsis infesta faciebant. Et hunc spiritus Christi effectum adhuc hodie Iudæi sentiunt, quos plerunq; ad nomen Iesu exhorrescere videmus & de illo sibi infesto conqueri. Similiter quosuis alios per euangelij prædicationem intra animos suos argui & conuinci constat, vnde multi hoc dissimulent, & arguentẽ ipsos spiritum sua contumacia protelare aut suffocare conentur. Est ergo hic perpetuus spiritus sancti effectus, quòd per euangelij prædicationem homines peccati conuincit, & simul ijs iram quoq; Dei terribilem ob oculos statuit, qui Christum, vnicam gratiæ mediatorem, contumaciter spernunt. Quod Paulus nõ obscurè testatur, quando de euangelio loquens, quòd potentia Dei sit ad salutem omni credenti, per idem illud iram Dei quoq; è cælo manifestari dicit super omnem impietatem & iniustitiam hominum.

Docet autem hic locus, euangelij prædicationem à peccatorum redargutione inchoari debere. Euangelij prædicatio inchoanda à redargutione peccatorum
Quamsi se peccatores & morti atq; iræ Dei obnoxios esse homines intelligant, de salute sua nunquã seriò cogitabunt, vt neq; ægrotus medicinã quærit, qui morbi sui vim & ex eo imminens periculum ignorat. At peccata nostra ipsi vix agnoscimus, eò quòd fuco mirifico illa satan velare solet, & ex illis ferè voluptatem capit caro, cuius figmenta & cogitationes prauæ sunt. Opus ergo est efficacibus testimonijs, quibus cõuincamur. Et huc quoq; facit, quòd Luc. 24. euangelij doctrinã in pœnitẽtiæ & remissionis peccatorũ prædicationẽ Christus distribuit. Seruatus est hic ordo iã inde ab origine rerũ. Ipse certè Deus primos parentes primùm transgressionis reos egit, deinde eius agnitione consternatis promissionẽ salutis per semen mulieris olim instaurandæ adhibuit. Idem legis per Mosem latæ hunc præcipuum vsum esse voluit, vt per hanc conuicti redemptore sibi opus esse intelligant & promissum Messiam eò constantius amplectantur. Quàm seriò autem prophetæ hominum sui seculi scelera arguerint & accusarint, sermones eorũ euidenter docent. Idq; eos ex Dei mandato fecisse, ex Isaiæ 58. patet, vbi sic ait: Clama ex gutture, ne parcas: exalta instar tubæ vocem tuam, & annuntia populo meo præuaricationem suam, & domui Iacob peccata sua. In nouo autẽ Testamento Ioannes Baptista qui primus in eo verbi minister fuit, ab hoc ipso articulo fecit docendi initium: vt & ipse Christus, cuius ille præcursor erat. Apostolos autem hunc ordinem vbiq; obseruauisse, ipsorum tum conciones tum epistolæ abunde testantur. Seruit hoc ministrorũ institutioni, ne vel canes muti sint, qui omnia dissimulando peccandi licentiam foueant, & puluillos consuant (vt Ezechiel ait) quibus suauiter dormitant, qui ad pœnitentiam debebant excitari: vel hominis vires & liberum arbitrium eueheno confidenti propriæ iustitiæ fiducia eos inebrient, quorum feroces spiritus cognatæ nobis corruptionis sensu erant frangendi. Quia enim spiritus sancti opus est mundum arguere de peccato, non pote-

runt illius ministri aut organa censeri, quicunq; ad omnia conniuent, aut etiam homines inani iusti-
tiæ suæ persuasione decipiunt. Discãt item ex hoc loco singuli patienter ferre ministros, à quibus sua
peccata argui sentiunt, aut liberius accusari. Est enim hoc (vt modò diximus) spiritus sancti opus,
quod impedire aut prohibere nemo tentabit absq; impia & scelerata audacia, quam Deus inuitam
abire non sinit, vt in illorum exemplis apparet, qui olim prophetis frænum inijcere aut dicendi leges
præscribere ausi fuerunt. Meminerint potius omnes, esse hoc summum Dei beneficium, quando fidei
monitores excitat, qui seria peccatorum redargutione ad resipiscentiam nos hortentur, qui alioqui in
sceleribus nostris perituri eramus. Exemplũ huius rei in Dauide habemus, qui procul dubiò perijs-
set funditus, nisi ipsum Nathan libera & graui redargutione in viam reuocasset. Quod ipsum de no-
bis ipsis fatebimur, si in nosipsos descendere libeat, & ingenuè effari quod illic inueniemus. Ideò Chri-
stus apostolos salẽ terræ dicebat, quòd vt sale multa à putredine & corruptione seruantur, ita verbo
libera prædicatio ab interitu eos seruat, qui in sceleribus suis iam putrescebant. Et idẽ Marcinus
suos admonet: Habete salem in vobisipsis, & pacem inter vos mutuò habebitis. Possent hæc infinitis
exemplis confirmari, sed sufficiat, quòd nõ vno loco falsos prophetas Deus accusat, & eos publicorũ
malorum præcipuos authores esse ait, qui instar salis infatuati veram doctrinæ acrimoniam amisi-
rant. Vide Isa. 56. Hos. 9. Ierem. 23. Ezech. 13. &c.

2. Arguit de iustitia.

Videamus nunc secundũ spiritus sancti effectum, qui in ecclesiæ ministerio legitimo sese profert.
Arguet (inquit) mundũ de iustitia. Potest hoc bifariam intelligi, & à Christi instituto non aberra-
bimus opinor, si vtrumq; sensum coniungamus. Primus sensus est, vt de ipsius Christi iustitia locus
hic exponatur, quòd illi testimonium perhibiturus sit spiritus sanctus per apostolos, quando suã vir-
tutem in illis potenter exeret. Quod reuera factum fuisse scimus. Quando enim illi in nomine Christi
signa edebant, dæmonia eijciebant, & admirabili constantia totius mundi furores vincebant, facile
erat videre, illos superna & diuina virtute instructos esse, & Christũ, cuius illi ministri erant, in ce-
lis regnare: sicq; illius iustitia & innocentia asserebatur aduersus eorum calumnias, qui impostorum
fuisse & scelerum pœnas illum dedisse clamabãt. Deinde de nostra iustitia locus hic exponetur, quod
nimirùm spiritus sanctus omnes homines falsæ & fucatæ iustitiæ fiducia ebrios arguat, & rursum
doceat quoq;, quæ nam vera illa iustitia sit, quæ nos corã tribunali Dei tuetur, quis item cultus hic
gratus & acceptus sit. Fauet vtriq; sensui ipsius Christi expositio, quã subijcit. Arguet (inquit) mun-
dum de iustitia, quòd ad patrem abeam, & amplius non videbitis me. Quibus verbis tria dicit: pri-
mùm ostendet spiritus ille iustitiam in hominibus planè nullam esse, qua in Dei iudicio consistere pos-
sint. Omnes enim peccauerunt, & destituuntur gloria Dei. Non est iustus, aut qui faciat bonum, ne
vnus quidem. Et iustitiæ nostræ sunt instar sordidorum centonum. Alterum, vbi nam iustitia vera
inueniatur, docebit. Penes me nimirùm, qui ad patrem abeo. Id est, qui nunc quidem moriar, & mor-
tis meæ merito peccata mundi omnia expiabo: & (vt Daniel prædixit) iustitiam sempiternam reda-
cam, non manebo autem in morte, sed resuscitatus carnem quoq; meam in cœlestem patris gloriã fi-
ueham, & ita iustitiam credentibus conferam omnibus numeris absolutam. Resurrectionem autem
& ascensionem potissimùm allegat, quia in his nostræ iustificationis & salutis complementum est.
Nisi enim resurrexisset, maneremus adhuc in peccatis nostris, vt Paulus ait: qui idem illũ propter
peccata quidem nostra mortuum, propter iustificationem verò nostram resuscitatum esse testatur.

Tertiò, in quo nam cultus Dei iustus & legitimus consistat, spiritum traditurũ ait quando ad-
dit: Et amplius non videbitis me. Quibus verbis omnem cultum tollit, quem in ceremonijs externis
& corporalibus exercitijs homines superstitiosi constituunt. Si enim corpus suũ ita à nobis abstulit,
vt illum ne videre quidem possimus oculis corporeis, nulla certè externa officia ad illum vsq; pertin-
gent. His ergo supra pauperes destinauit, in quos cõferri vult, quæ in ipsum conferre vellemus, si in
terris adhuc ageret. Dei verò cultum in spiritu & veritate nobis monstrat, qui fide potissimùm per-
ficitur, quæ vt mentes nostras ad Christum vsq; euehit, ita nos totos illi consecrat. Alterum ergo præ-
dicationis euangelicæ caput est, vt non modò crassiora peccata arguantur, verumetiam iustitia hu-
mana damnetur, vera autem iustitia monstretur in solo Iesu Christo, qui fide apprehensus nos iusti-
ficat, & simul totos Deo consecrat, vt hunc non inanibus & frigidis ceremonijs, sed in spiritu ac ve-
ritate colamus. His ergo Christi verbis dogma illud apostolicum nititur, Sola fide in Christum ho-
minem

mines iustificari. Quod cùm ad spiritum sanctum authorem ille referat, frustra nobis hodie aduersarij, vt illud confutẽt, Patres, Concilia, Canones & alia huius generis obijciunt. Nos enim salutis mysteria non hominum traditionibus niti scimus, sed Dei verbo, cuius interpres est spiritus sanctus. Ab hoc autem traditam esse eam iustificationis rationem, quæ in nostris ecclesijs docetur, vnanimis totius scripturæ consensus testatur. Huic ergo litem moueant, si quibus doctrina ista displicet: sed caueant ijdem ne dum plus quàm Icario volatu Dei spiritum superare contendunt, non maria modò, sed ipsam quoq; Stygiam paludem lacusq; tartareos suo casu nobilitent.

At quia non ignorabat, multos ex hac doctrina peccandi licentiam capturos, multos item hoc nomine illam calumniaturos esse, tertium adhuc spiritus effectum subijcit: Arguet mundum de iudicio. Intelligit autem iudicij nomine mundi restitutionẽ vel reformationem, quæ ejecto eius principe facta est, & qua ipse humanũ genus in libertatẽ asseruit. Et huic sensui fauet, quod addit: Quia princeps huius mundi iudicatus siue condemnatus est &c. Idem ergo hîc dicit, quod supra Cap. 12. Nunc est iudicium huius mundi, nunc princeps huius mundi ejectus est foras. Id verò reipsa præstitũ esse, spiritus sanctus euidenter demonstrauit, quando per apostolos non modò ex priuatis hominibus mali dæmones ejecti sunt, verumetiam cultus nefarij sublati, oraculis silentium impositum, morum licentia frenata, & totius mundi reformatio facta est. Nunquam enim ista fieri passus esset satan, nisi ipsum constrinxisset prius Christus & ex regno malè occupato deturbasset. Sic ergo vult in præsenti dicere: Etsi humanam iustitiam spiritus sanctus damnabit, me verò vnicum iustitiæ & salutis auctorem esse ostendet: minimè tamen quibuis agendi licentiã hominibus concedet. Nec enim modò hoc mei meriti beneficium prædicabit, sed simul ostendet, diabolum quoq; per me ex mundi imperio deiectum esse. Quod etsi multi nolint agnoscere, spiritus tamen signis & insperata totius orbis reformatione illos conuincet, vt tale quid factum esse non possint negare. Monebit ergo vt se quoq; reformandos præbeant, neq; posthac seruiant diabolo, quicunq; iustitiæ & salutis, cuius ego author sum, consortes esse volunt. Hic mihi totius loci huius sensus simplicissimus & Christi instituto conuenientissimus esse videtur. Quia verò de singulis capitibus alibi fusius est dictum, & nunquam non de illis dicendi occasio occurrit, ea in præsenti breuiter perstrinximus. Nobis autem inter alia hic quoque spiritũ vsus esse debet, vt discamus, quæ doctrina in ecclesijs retineri debeat. Non alia nimirum, quã quæ spiritum sanctum authorem habet. Ea autem tribus hisce capitibus continetur: Quòd omnes homines peccatores & ideo mortis æternæ mancipia sint: Quòd iustitiam nobis Deus in filio offerat, quæ sola fide potest apprehendi: Quòd iustificati in Christo suam dignitatem tueri, neq; posthac diabolo seruire debeant, quem ille ex sua possessione deiecit. Si qui ergo aliud docent, ij anathema sint, etsi angeli è cælo fuerint. Aliud verò docent Papistæ, qui vires hominis extollunt, operum nostrorum iustitiam constituunt, Christi merito Diuos & sexcenta alia coniungunt, quæ & morum licentiam fouent, & tandem desperationis causa sunt, sicq; diaboli regnũ multis modis stabiliũt. Eos ergo audiant, si quibus perire libet. Postremò obseruari debet, quòd etsi de apostolorũ ministerio loquatur, tamen omnia ista spiritui soli tribuit, qui hæc per illos facturus sit. Illi ergo ministri fuerunt, operis autem per illos confecti gloria ei soli debetur, qui incrementum dedit. Est is Christus Iesus, vnicum ecclesiæ caput, quam suo spiritu & verbo vocat, colligit, regit atq; conseruat. Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

3. Arguit de iudicio.

HOMILIA CXLV.

Adhuc multa habeo, quæ uobis dicam, sed nõ potestis portare modò. Cùm autem uenerit ille, spíritus nempe ille ueritatis, introducet uos in omnem ueritatem. Non enim loquetur à semetipso, sed quæcunq; audierit loquetur: & quæ uentura sunt, renũtiabit uobis. Ille me glorificabit: quia de meo accipiet, & renuntiabit uobis. Omnia quæ habet pater, mea sunt: propterea dixi, quòd de meo accipiet, & renuntiabit uobis.

PRæclara admodũ & multa consideratione dignissima est Pauli apostoli sententia, quam in posteriori ad Corinth. cap. primo pronuntiat: *Sicut abundant afflictiones Christi in nobis, sic per Christum abundat & consolatio nostra.* Docet enim, Christum non redemptorem modò & vindicem esse, qui nos semel ab interitu eripuerit, verumetiam fidelem atq; potentem suorum protectorem esse, qui nos non supra vires nostras tentari patiatur, & qui pro diuina sua virtute infinitas habeat nobis consolandi & confirmandi rationes. Inter has autem efficacissima est, quam intra animos nostros Spiritus sanctus efficit, qui & salutis nostræ arrhabo est, & in quouis casu abunde monet quid nobis facto opus sit. Ideo huius promissionem frequenter inculcat Dominus alibi, & eandem in hoc sermone consolatorio, quem iam mortem aditurus apud discipulos vltimũ habuit, multoties repetit. Vt igitur apud eos fieret hoc Spiritus sancti donum, atq; eius consideratione magis cõfirmarentur, nuperius effectus diligenter exposuit, & illic simul omnes apostolici & ecclesiastici muneris partes breuiter complexus est. Quia verò mœstis & solicitis multa occurrunt, quæ illis nouos terrores mouent, nouum quotidie pariunt, promissionem istam amplius illustrat atq; confirmat.

Pleniorem mysteriorum euangelij cognitionem promittit.

Principiò autem, quia tantorum mysteriorũ adhuc rudes, & simul in ijs percipiendis tardiores erant, ipse verò eadem breuius perstrinxerat, nunc præoccupatione breuitatẽ istam excusat, & utilius fore docet, quãdo hæc omnia probè intellecturi sint. Ait enim: Adhuc multa habeo quæ vobis dicam, sed non potestis portare modò, &c. Quasi diceret, Poterant hæc prolixius tractari, & promi hæc etiam multa alia restant, de quibus vos admoneri oportebat: sed quia vos adhuc tardiores & super mœrore atq; tristitia oppressos video, vt ad ea minus nũc sitis attenti, nihil iam addo pretereo. Non tamen vos perpetuò ignorantes esse patiar. Cùm enim paracletus ille toties iam promissus venerit, Spiritus nimirum veritatis, is vos in omnem veritatem introducet, deq; omnibus certiores reddet, quæ vobis cognitu necessaria sunt, &c. Elucet autem in his verbis eximia Iesu Christi bonitas, qui nullum præceptoris optimi & indulgentissimi officiũ intermittit. Primò enim captui discipulorum sese accõmodat, ne illos difficiliorum mysteriorum tractatione oneret, quos tardiores adhuc ad ea minus idoneos esse sciebat: Alienus planè ab eorum ingenio, qui sublimiori volatu & obscuribus disputationibus gaudent, vt apud rudes & imperitos reconditæ & incomparabilis eruditionis laudem acquirant. Deinde rudes & tardos non abijcit Dominus, nec etiam correptione acrimonia ritat, sed potius spe melioris profectus amicè consolatur, ne animum despondeant. Reuera ergo bonus ille doctor est, qui linum fumigans non extinguit, & arundinem quassatam non conterit. Debet hæc eius fides excitare, vt ipsum audiamus, & libenter nos submittamus eius magisterio. Euenit autem, vt qui hunc ferre nolunt, eos sibi sponte accersant, qui suis modò intenti aliorũ salutem negligunt, traditiones inutiles & graues obtrudunt, conscientias horribiliter excruciant, qui in seruitutem adigunt, qui exedunt, qui accipiunt, qui sese insolenter attollunt, qui denig; in faciem cædunt, vt nihil iniuriæ aut contumeliæ genus omittant: quod Corinthijs olim euenisse, Paulus scribit, & vnà in hodie passim huius generis exempla haberemus. Imitentur præterea Christi exemplum munifici omnes ecclesiarum, vt simili modestia & prudentia vtantur in ijs instituendis, quos fidei ipsorum Deus commisit: qua de re cùm nuper sit dictum, eadem hìc repetere non est opus.

Spiritus non docet modò, sed etiam ducit.

Nunc præterea obseruabis, quòd de spiritu sancto loquens, nõ docendi, sed ducendi verbo vtitur. Ille (inquit) introducet vos in omnẽ veritatẽ. Ita enim innuit, nobis nõ institutione modò aut doctrina, sed etiã ductu vel manuductione opus esse. Causa est, quòd et cæci & imbecilli sumus. Proinde facilè offendimus, quàm primũ nos nostro arbitrio Deus permittit. Exẽpla, quibus hoc probetur, in Iudæis & gẽtibus habẽtur, & hodie multa occurrũt in ijs, qui regni Dei mysteria & salutis aternæ causam ad humanæ rationis calculũ reuocant. Nos autẽ ista officij admonere debet, vt simus fidẽtiores simus, & ex nobis ipsis sapere velimus. sed spiritus ductũ sequamur, qui nobis in scriptura quasi manũ porrigit, & Dei vias ceu digito monstrat. Oremus præterea frequenter Dominũ, vt ipse vias suas nobis semper monstrare, & nos per eas ducere dignetur. Fecit hoc Dauid, quando vt alibi: Vias tuas notas mihi fac Domine, & assuefacito me semitis tuis: Duc me in veritate tua. Vnicè viæ meæ parentur, vt custodiã decreta tua: Ne sinas me aberrare à mandatis tuis. Psal. 25. & 119.

Authoritas doctrinæ apostolicæ.

Facit præterea locus hic ad asserendam doctrinæ apostolicæ authoritatem. Authorem huius spiritum sanctum ostendit Dominus, & eum vocat spiritum veritatis, vt ostendat nihil ab illo falsum

aut erroneum prodire posse. Deinde eundem ipsos in omnem veritatem introducturum ait, ne quis spiritum multa cælauisse putet, quod maligni & inuidi præceptores facere consueuerunt. Nihil ergo deest doctrinæ Apostolorum, sed plenè & perfectè omnia continet, quæ ad veram certamq; salutis & regni Dei (quatenus illud in hac carne agentibus manifestari opus est) cognitionem pertinent. Apparet hoc euidenter, si eius argumentum aut capita inspiciamus, vnà cum promissionibus, quibus illam Dominus commendat. Continet enim doctrinam de Deo & voluntate eius, quam fusissimè per omnes partes exponit. Christum item nobis prædicat, in quo tota salutis nostræ ratio continetur. Fidei articulos omnes dilucidè explicat. Adhæc omnes diuini cultus partes comprehendit, & simul mores vitamq; nostram omnem instituit. Effectus verò eius est vita æterna, quam omnibus pollicetur Dei filius, qui illam fide vera apprehendunt. Prædicate (inquit) Euangelium omni creaturæ: Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit. Quis verò ei doctrinæ aliquid deesse dixerit, quæ salutem illis confert æternam, qui eam recipiunt? Quid? annon Paulus veteris testamenti scripturæ hoc tribuit, quòd hominem Dei perfectum & ad omne bonum opus idoneum reddat? Quæ ergo insania fuerit doctrinam Apostolorum imperfectam dicere, quæ prioris illius est complementum? Est ergo hic locus probè obseruandus aduersus omnes, qui vt suas traditiones stabiliant, scripturæ sacræ & Apostolicæ authoritatem conuellunt, & ad hoc Christi verbis violenter detortis abutuntur. Colligunt enim ex illis, non omnia reuelata fuisse Apostolis, & ideò nouas spiritus reuelationes audiri debere, quæ quod in scripturis desideratur sarciant. Olim sanè omnes insipientissimi hæretici (vt Diui Augustini verbis vtar) qui se Christiani dici volebant, audacias figmentorum suorum, quas maximè exhorret sensus humanus, hac ecclesiæ euangelicæ sententiæ colorare conabantur: quasi hæc ipsa essent, quæ Apostoli non potuerunt portare. Sed & sub Apostolorum nomine reuelationes nouas finxerunt, inter quas Pauli Apocalypsim fabulis plenam, idem pater numerat. Nostro autem seculo aduersarij nostri, vt à scripturis sacris omnes auocent, aut saltem quæ his debetur reuerentiam in hominum animis extinguant, hoc potissimùm vrgent apud rudes & imperitos, Apostolos non plenam omnium mysteriorum ecclesiæ cognitionem habuisse, sed multa reseruata fuisse posteris temporibus reuelanda, in quorum numero deinde ea recensent, quæ patrum & Conciliorum authoritate decreta & recepta esse contendunt. Et hoc ipsis argumentum est præcipuum, quo totum illud superstitionum absurdissimarum chaos tuentur. Sed multæ rationes sunt, quibus dolus illorum arguitur. Nam vt demus, quædam reseruata fuisse, quorum cognitio Apostolis perpetuò negari debuerit, quia tamen illa non expressit nominatim Dominus, nimis temerarij sunt, qui hoc vel illud in eorum ordine numerare audent. Quibus enim argumentis id probabunt, si quis contradixerit? Deinde ridiculum est tales fingere Apostolos, qui cùm altiora regni Christi mysteria cognouerint, ea non potuerint ferre, quæ nihil præter ceremonias partim risu dignas, partim impias continent. Sed & ipsius Christi verbis conuincuntur. Nec enim posteris demum temporibus, sed ipsis Apostolis, spiritus ille promittitur, qui eos in omnem veritatem sit introducturus. Et hunc eis datum esse, nemo negare potest, nisi qui & Christum & Lucam Euangelistam mendacij accusare velit. Functus ergo est ille suo officio, neque aliquid eorum Apostolos cælauit, quæ ad salutiferæ illius veritatis cognitionem facunt. Quòd si verò illi quid cælarunt ecclesias, malæ fidei dispensatores fuerint oportet. Sed hoc nemo pius dicet, nos certè istud vel cogitare impium & nefarium esse sentimus. Adde his quod Capite 14. audiuimus, spiritum promitti, non qui noua & prius inaudita dogmata tradat, sed qui ea suggerat, quæ ex Christo quidem audiuerant, non autem memori mente tenebant. At Christus se omnia illis manifestauisse ait, quæ ex patre ipse audiuerit. Plenam ergo & perfectam veritatis & salutis humanæ cognitionem Apostoli habuerunt. Minimè igitur audiri debent infelices illi sarcitores, qui suarum traditionum centones doctrinæ sanæ assuere, & illis totum Christi meritum obscurare solent, vt suo quæstui & honori priuato censulant. Nos potius Apostolorum doctrinæ insistamus, quam ideò in scripta referri voluit spiritus sanctus, vt ad huius canonem omnia alia dogmata examinari possint. Moueat autem nos salutis periculum quo vix aliud præsentius & grauius excogitari potest. Quàm primùm enim à verbo Dei scripto discceditur, mox sataneæ ianua patefit, & occasio illi datur introducendi quæcunque hominum saluti noxia esse nouit. Est enim car-

Tract. 97. in Ioannem.

nis ingenium natura curiosum & audax: facilè ergo sibi indulget, nisi scripturæ cancellis coerceatur. Exempla huius mali in Mahumete, in Monachis & Anabaptistarum prophetis infinita extant, de quibus alibi quoque diximus.

Spiritus sancti descriptio.

Facit ad horum confirmationem quod subijcit. Describit enim spiritus sancti officium, quo ipsos illum fungi oporteat, idq; tribus capitibus comprehendit. Primò qualem doctrinam tradaturus & vnde eam accepturus sit docet, quando ait: Non loquetur à semetipso, sed quæ audierit loquetur. Dicuntur ista humano more, & nostro captui sese accommodat Dominus. Nam legato conferetur sanctum, qui si fidus sit, non sua placita profert, neq; causam agit priuatam, sed ea diligenter ponit & vrget, quæ ipsi in mandatis sunt data. Non ergo de spiritus sancti deitate vel essentia exponi debet, quasi patre & filio minor sit, & ex illis discat: sed de eius effectu & officio, quo ille regitur, & sensus est: Nihil tradet hic spiritus quod non sit diuinum, aut quod à mea doctrina alienum sit. Itaque illi tutò credere & obedire poteritis. Quòd si verò spiritus sanctus hoc nomine commendatur, quòd nihil tradat diuersum à Christo, quam obsecro fidem merebuntur homines, qui suis figmenta nobis obtrudunt, quæ cum Euangelij doctrina ex diametro pugnant? Deinde quid traditurus sit indicat: Et quæ ventura sunt (inquit) renuntiabit vobis. Quod non ita accipi debet, quasi circa futuras modò res spiritum occupari oporteat, sed huius meminit, vt partim ostendat, non aliam fore hunc spiritum, quàm qui olim per Ioelem promissus sit, qui Capite secundo sic scribit: Effundam spiritum meum super omnem carnem, & prophetabunt filij vestri & filiæ vestræ: senes vestri somnia somniabunt, & iuuenes vestri visiones videbunt: partim, vt constet eius doctrinam perfectam & omnibus partibus absolutam fore. Si enim in futurum consulere debuit, nimis stulti sunt, qui illum præsentia neglexisse putant. Cæterùm hoc verè præstitum esse, Apostolorum scripta testantur, in quibus manifesta vaticinia continentur de Antichristo & Antichristianis doctoribus, de fatali mundinatione, de nouissimi seculi moribus, securitate & ingratitudine erga Deum, de imminente domini aduentu ad iudicium. Vide 2 Thessalonicen. 2. 1 Timoth. 4. 2 Pet. 2. 3. 1 Thessal. 4. et 5. Quin huc referri debet totus liber Apocalypseos, qui ecclesiæ perpetuum cursum siue statum vsque ad nouissimum diem describit. Vbirursus euidentissimo argumento eorum temeritas confutatur, qui Apostolis non omnia reuelata esse dicunt, quæ ad fidei & salutis mysteria plenamque eorum cognitionẽ faciunt. Quis enim hæc eos latuisse credat, qui de futuris nos tam diserte admonuerunt? Nos potius Domini bonitatem agnoscamus, & in ista vaticinia intenti simus, ne ijs locum demus, de quibus Apostoli vaticinati sunt. Quia enim iam olim nos spiritus præmonuit, inexcusabiles nè erunt, quicunque se nihilominus decipi & circunduci patientur. Discimus item ex hisce Christi verbis, quæ & qualis futurorum cognitio nobis necessaria sit, & vnde ea peti debeat. Non earum, quam astrologi nugatores & arioli arroganter sibi vendicant (hos enim ad regnum Christi nequaquam pertinere, imò inde eijciendos esse, Micheas Capite quinto apertè dicit) sed quæ in prophetarum & Apostolorum scriptis continetur, quorum author est spiritus ille veritatis, qui neminem fallit, ita non circa res superuacaneas occupatur, vt curiositati nostræ satisfaciat, sed tradit, quorum cognitio ad salutem nobis necessaria est. Imò de bellis, peste, fame & similibus vaticinia proponit vniuersalia, quibus simul monemur, quibus rationibus illa omnia efficacius propulsare possimus. His ergo contenti simus, ne dum nostræ curiositati indulgemus, nobismetipsis in errores adducamus, qui nobis tandem exitium afferant. Tertiò finem huius doctrinæ indicat: Ille me glorificabit. Et mox per causæ redditionem subijcit: Quia de meo accipiet, & renuntiabit vobis, id est, quia meus spiritus & mihi coessentialis est, non habet aliquid, quod non mecum commune habeat, ideoque non potest alium suæ doctrinæ finem constituere, quàm vt me glorificet. Factum hoc bifariam. Primùm, quando publicè de illo testimonium perhibuit, & ipsi omnem nostræ redemptionis gloriam transcripsit. Deinde, quando eius cognitionem in totum orbem diffudit, & illi ex omnibus gentibus discipulos adduxit. In his enim duobus Iesu Christi gloria quoad nos, consistit, vt illum redemptorem nostrum agnoscamus, nosque totos ipsi consecremus. Si verò inter nos curaturum esse spiritum sanctum testatur.

Notæ spiritus sancti & sanæ doctrinæ.

Docet autem totus hic locus, quibus notis spiritus & doctrinas omnes probare possimus, quod factò opus esse Ioannes monet in sua Canonica Capite quarto. Spiritus sancti proprium est, [illegible]

tatem docere, cùm è contra satan mendacij pater sit. Deinde non ex semetipso loquitur spiritus sanctus, sed & nihil nisi diuinum profert. Satanam autem ex suis loqui & propria figmenta obtrudere Capite octauo audiuimus. Postremò spiritus sanctus Christum glorificat, hunc tradit, hunc solum eminere vult, & fortissimè omnia deijcit, quæ aduersus illum excitantur. Ergo qui spiritu sancto ducuntur, ij quoque nihil ex seipsis fingunt, sed ea docent, quæ olim Deus in scripturis reuelauit, fidem de periculis olim prædictis suæ fidei commendatos diligenter admonent. Imprimis verò curant, vt explosis superstitionibus vni Christo cedat vniuersa nostræ salutis gloria. Quò Paulus respiciens in posteriori epist. ad Corinth. Capite decimo scribit: Arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed Dei potestate valida ad subuersionem munitionum: dum ratiocinationes demolimur, omnemq; sublimitatem, quæ extollitur aduersus cognitionem Dei, & captiuam ducimus omnem cogitationem ad obediendum Christo, &c. Hæc quicunque docendo præstant, horum doctrina ex spiritu Dei promanat. At qui his contraria faciunt, hi mendacij spiritu ducuntur, quocunque tandem titulo sese venditent. Quòd si ergo ad ista examines Romanensium doctrinam, qui nobis hodie aduersantur, mox quis illos spiritus agat, intelliges. Nam ex semetipsis & patribus suis alia loquuntur, quàm quæ Dei filius in terris agens docuit, quod omnes videbunt, qui ipsorum traditiones cum huius præceptis conferent. Negant item quæ Christi spiritus ventura prædixit. Si enim ijs fidem haberent, nunquam profectò ea facerent, quæ Apostoli Antichristum & eius coniuratos facturos vaticinantur. Præterea non Christum, sed diuos cœlites, imò seipsos glorificant, quando se huius vicarios esse contendunt, & hominis vires atque meritum ita extollunt, vt sua Christo gloria negetur. Ergo mendacij spiritum sequuntur, neque aliquem moueat, quod Apostolici & ecclesiæ capita seu columnæ haberi volunt, & à multis pro talibus habentur.

Trinitatis mysterium & Christi maiestas.

Cæterùm ne hoc arrogantius dixisse putetur, De meo accipiet, mox eius dicti rationem subijcit: Omnia quæ habet pater mea sunt: propterea dixi quòd de meo accipiet, & renuntiabit vobis. Rursum verò adorandæ in vno Deo Trinitatis mysterium nobis commendatur. Omnia enim habet pater, & legitimum in ea, quæ ipse creauit, dominium obtinet. Quæ autem is habet, simul etiam sunt filij. Atqui eadem suo quasi iure accipit, & quibus vult communicat spiritus sanctus, quem pro suo arbitrio, vbi ipse velit, spirare Christus Capite tertio docuit. Eadem ergo patris, filij & spiritus sancti potestas est: & quia hæc in solum Deum cadit, tres etiam illæ personæ vnus Deus sunt. Quia tamen in Mediatoris persona hîc loquitur Christus, eius dignitas & maiestas nobis hoc loco consideranda venit, vt cogitemus, quis & quantus ille sit, quo seruatore & mediatore gloriamur. Vsus verò huius considerationis esset debet, vt ad illum amplectendum excitemur, & ex eadem consolationem petamus in quauis tentatione. Quæcunque enim pater habet, ea Christi quoque sunt. Habet autem ille iustitiam, veritatem, inuictam potentiam, sapientiam, vitam, salutem & felicitatem veram atque perfectam. Eadem ergo Christum quoque habere, non dubitemus. Rursus Christus se & bona sua omnia suis communicare solet, & eius promissio est, Qui credit in me, in me manet, & ego in eo: & ideò Paulus illum nobis sapientiam & iustitiam factum esse, & propter hunc omnia nostra esse dicebat. 1. Corinth. 1. & 3. Et in ipso vita erat (inquit Ioannes) & vita erat lux illa hominum. Item, Ex eius plenitudine omnes accepimus, &c. Hunc ergo vera fide apprehendant, qui sanctorum bonorum consortes volunt fieri. Et simul ex eo consolationem petant in omni tentationum genere. Cur enim peccatorum conscientiæ succumbant qui Christum habent, in quo suam iustitiam nobis Deus communicat? Cur de Dei promissionibus dubitent, quorum est Christus, qui veritas ipsa est, & in quo illæ omnes sunt, Etiam & Amen? Cur satanæ & mundi potentiam formident, qui Christo coniuncti sunt, qui solus aduersus omnes hostes sufficit, & effugij vias monstrare potest, vbi nostræ rationes omnes deficiunt? Cur famem, inopiam, mortem metuant, qui se in Christo omnis boni satietatem & vitam ipsam habere sciunt? Vides quàm efficacem quàmq; multiplicem consolationem vnum hoc dictum pauculis verbis comprehendat. Simus ergo fortes & confidentes in Iesu Christo, qui vt omnis boni & salutis vnicus est author, ita oues suas perpetuò errare non sinit, & in se credentibus nihil deesse patitur. Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

HOMILIA CXLVI.

Paululum, & non uidebitis me: & rursus paululum, & uidebitis me: quia ego uado ad patrem. Dixerunt ergo quidam ex discipulis eius ad alios: Quid est hoc quod dicit nobis, Paululum, & nõ uidebitis me; & rursus paululum & uidebitis me; & Quia ego uado ad patrem? Dicebant ergo, Quid illud est quod dicit, Paululum? nescimus quid loquatur. Cognouit itaq; Iesus quòd uellent eum interrogare, & dixit eis: De hoc quæritis inter uos, quod dixi, Paululum & non uidebitis me: & iterum paululum, & uidebitis me? Amen amen dico uobis, flebitis & lamentabimini uos, mundus autem gaudebit: uos autem tristes estis, sed tristitia uestra euadet in gaudium. Mulier cùm parit, dolorem habet, quia uenit hora eius: cum autem genuit puerum, iam non meminit afflictionis propter gaudium quòd natus sit homo in mundum. Et uos igitur nunc quidem tristitiam habetis: sed rursum uidebo uos, & gaudebit cor uestrum, & gaudium uestrum nemo tollet à uobis.

MVltis hucusque Iesus Christus de cruce & persecutionibus piorum disseruit, & inter alia consolationis argumenta potissimùm inculcauit promissionem spiritus sancti, cuius officium & effectus simul diligenter exposuit, vt hunc ipsis fidum & sufficientem aduocatum fore scirent, & illius organa libentius præberent. Docent aũt ista, pios non debere in hoc mundo felicitatẽ temporariam & carnis gaudia quærere, sed in hoc potius totis animis incumbere, vt quoad carnẽ mortificati sub cruce Christo seruiant. Cæterùm quemadmodũ discipuli in Christi admonitiones minus intenti ob hoc vnum dolebant, quòd illum corpore abs se discessurum, sibi verò persecutiones & pericula impio mundo certamina imminere intelligerent: ita nobis quoq; durũ & acerbũ est, quicquid de cruce & carnis mortificatione dicitur. Et ferè ipsi quoq; nos à Christo derelictos esse putamus, si non perpetuò manum suam quasi ex cœlo exerit, qua nos iuuet & ex periculis eripiat. Redit ergo Dominus ad institutam consolationem, & eam duobus potissimùm argumẽtis confirmat, Breuitate nimirum afflictionũ, et Diuturnitate vel perpetuitate potius gaudij, quod ipsius beneficio ex illis percipiunt. Vtrũq; verò argumentũ primùm proprio exemplo, deinde parabola mulieris parturientis illustrat.

Consolatur breuitate afflictionum.

Quoad primum, præmittit summam eorum quæ dicturus est, & verbis quidem vtitur, quæ scitu ipsis fore sciebat, vt magis eos excitet, & ad audiendum attentiores reddat. Paululum (inquit) & non videbitis me: & rursus paululum, & videbitis me: quia ego vado ad patrem. Atqui est: Pauculæ adhuc horæ restant, quibus elapsis ego in mortem tradar, & tunc ad dies aliquot me conspectu & mei corporis præsentia carebitis. Sed non diuturna erit hæc mea absentia. Nam tertio die resuscitatus me vobis rursus coràm exhibebo, & ab eo tempore vobis perpetuò præsens, non quidem corpore, sed spiritus mei gratia & virtute, quæ vos nunquam deseret. Rationem huius dicti affert: Quia ego ad patrem vado. Id est, per mortem non abolebor, sed potiùs in cœlestem gloriam transibo, & ideò licet corpore procul à vobis absim, spiritus tamen mei virtutem in vos extendam, quæ vos regat atque tueatur. Ostendit ergo resurrectionis suæ fructũ in ipsos quoq; redundaturum esse, & eam fore in hoc mundo piorum conditionem, vt quàmuis interdum morte abripti videantur, breui tamen melius habeant, & ipsum sentiant suum esse vindicem atq; tutorem. Illa que in posteriori membro Videndi verbum non de corporeo sensu & pauculis illis diebus exponi debet, quibus post resurrectionem suam cum discipulis corporaliter in terris versatus est, vt eos in fide resurrectionis confirmaret: sed potius de fidei contemplatione, qua etiam hodie Christum nobis presentem adesse credimus, & eius non obscura in nobis ipsis experimenta sentimus. Et hoc dicendi genere spiritus præsentiam eos remittit, quos in corporis conspectu hærere videbat. Debet ad huius loci expositionem referri quod postea resuscitatus Mariæ Magdalenæ dixit: Abi ad fratres meos, & dic eis: Ascendo ad patrem meũ & patrem vestrũ, ad Deum meum & Deum vestrum. Id est, Diutius non iam tempus illud adesse, quando ego vos Deo prorsus reconciliabo, vt patrẽ & Deum eumdẽ meum communem

communem habeatis, egoq; vester protector & vindex sim, atq; cœlesti virtute vos protegam. Nos aũt non ocitanter obseruemus, quòd molestiã et luctus acerbitatẽ, quam ex morte eius sensuri erant, temporis breuitate & cœlesti suæ gloriæ, in quã abiturus sit, denuntiatione mitigat. Ea enim ratione decet, quid nos in quauis angustia & afflictione cogitare debeamus: nimirũ nihil quod nobis accidit perpetuum aut diuturnũ esse. Quia enim vitæ nostræ cursus breuis est, impossibile fuerit, vt quæ hũc comitantur aduersa & miseriæ diuturnæ sint. Perpetua aũt & æterna erit, quæ has excipiet felicitas in cœlis, vbi nobis penes se locũ parauit Christus Dominus. Obseruauit hoc Paulus in posteriori ad Cor. cap. 4. quando sic scribit: Etiamsi externus homo noster corrumpitur, internus tamen renouatur quotidie: Momentanea enim leuitas afflictionis nostræ excellenter excellenter æternũ pondus gloriæ conficit nobis: dum non spectamus ea quæ cernuntur, sed ea quæ nõ cernuntur: Nam quæ cernuntur tẽporaria sunt: at quæ non cernuntur, æterna. Cogitemus deinde nos in cœlis habere vindicẽ, qui etsi corpore absit, diuina tamen virtute nos protegat atq; iuuet. Hæc sibi accõmodent singuli & ista meditentur, quoties vel publicè à tyrannis & persecutoribus infestantur, vel priuatim morbos, inopiam, famem & alia huius generis sentiunt, & mirificam inde consolationem accipient.

Discipuli non intelligunt Christi promissionem.

Caterum non intellexerunt hæc Christi verba discipuli, & ideo quidam de illis inter se disputare incipiunt, & aiunt: Quid est hoc quod dicit nobis? &c. Nescimus quid loquatur. Ignorantiæ huius causa est, quòd carnis prudentia decepti, partim in corporalem præsentiam intenti erant, partim in illo regnum terrenum atq; omnigenam huius seculi felicitatem somniabãt. Quæ causæ fuerunt, quòd multa alia quoq; non intellexerunt, quæ à Christo non omnino obscurè dicebantur. Admonemur autem illorum exemplo, hominem ex semetipso mysteria regni Dei non intelligere, sed spiritus illuminatione opus esse, quæ nostræ rationis tenebras discutiat, & affectuum nebulas suo splendore superet. Nemo igitur sui ingenij viribus atq; industriæ confidat, sed Deum orent qui se rudes & ignaros esse sentiunt, vt is suæ sapientiæ lucem in cordibus ipsorũ accendere dignetur. Est autem laude dignissima discipulorum ingenuitas, quæ non vno argumento sese exerit. Primò enim non dissimulant suam ignorantiam, vt superbi & arrogantes scioli facere solent: sed eam inter se ingenuè fatentur. Deinde non accusant Christum, non de eius fide aut industria conqueruntur, neque etiam ab eo discedunt, aut contumelioſe proscindunt quod non intelligebant: sed iam illum interrogare constituerant, quod illos alias non semel fecisse scimus. Imitentur horum exemplum quotquot veri & germani discipuli Iesu Christi censeri volunt. Fateamur ignorantiam nostram, neque nos pudeat de ijs interrogare quæ nescimus. Est enim infelix nimiùm & nocentissima superbia nolle discere, ne quid ignorare videamur. Et qui hac inflati sunt, eos reijcit Dominus, qui humiles & discendi cupidos benignè suscipit vt instituat: quod in præsenti quoq; factum fuisse videmus.

Christus discipulorum quæstionem præuenit.

Nam sciens Christus, quòd ipsum interrogare vellent, eos præuenit, & rem omnem clarius exponit. Virursum diuinitatẽ suam euidenti argumento probat. Solius Dei enim est aliorũ arcana nosse, nisi ea nemo reuelet. Nouit aũt discipulorũ occultos sermones Christus: & ita nouit, vt eorum verba quoq; repetat, quibus de hac re inter se colloquebantur. Et quòd hîc facit, illũ sæpe aliàs fecisse legimus: cuius meminisse debebant, qui hodie dicacitate scurrili ex Christi verbis ludos iocosq; sibi faciunt. Audit enim & nouit ista quoq;, & olim seueriter puniet in illo die quando de quouis verbo otioso rationem reddemus. Est aũt imprimis hîc obseruanda eius bonitas, qua ita nostræ saluti consultũ cupit, vt priusquàm interrogetur, ipse suã illis operam sponte offerat, neq; eos diu dubios & suspensos hærere sinat. Experimur eandem facilitatẽ etiam hodie: sed vtinam tanto discendi studio arderemus, quanto Apostoli flagrarunt. Orditur autem à graui asseueratione Dominus, ne dubitent sibi tristissima quæq; imminere, & proinde in omnem euentum semper parati sint. Amen amen dico vobis, flebitis & lamentabimini vos, mundus autem gaudebit, &c. Nõ temere de istis toties admoneo. Nec enim leuia certamina vos manẽt, sed eiusmodi, quæ lachrymas & eiulatus vobis extorqueant. Nam me in crucem suspenso, impij & mundi studijs dediti, quasi iam parta victoria, triumphos agent, & iam mihi quàm vobis petulanter insultabunt. Quid ergo vobis tunc reliquum erit, quàm vt dolorem ingentem animo vestro concoquatis, quando nemo erit qui illum aliqua consolatione aut consilio subleuet? Attamen non ideò vos desperare decet. Etsi enim in humanis nullum consilium siue auxilium reliquum sit, non tamen ego vobis deero. Et luctus ille vester in gaudium vertetur: quan-

do nimirum me ex mortuis resuscitatum videbitis, & ego in cœlestem gloriam euectus inde spiritum vobis misero, quo ita vos confirmabit, vt de mea victoria & salutis vestræ certitudine, deq; regni mei perpetuitate non amplius dubitare possitis. Tunc adeò non turbabit vos amplius meæ mortis acerbitas atque ignominia, vt potius ex eius recordatione gaudium concepturi sitis, quando per hanc vobis quidem vitam atque salutem partam esse, me verò in regnum cœleste ascendisse cognoscetis, vnde vos tuebor & donis ad retinendam salutem necessarijs liberaliter instruam, &c.

Impleta sunt hæc quoad literam paulò post. Quantus enim discipulorum mœror & quam acerbus luctus fuerit, quanta item animorum consternatio, quando Christum ab hostibus immaniter captum & ignominiosa morte extinctum viderunt, facilè intelliget, qui diligentius expenderit quanto animi desiderio illum antea secuti fuerint. Nec dubium est, quin dolorus acerbitatem vehementer auxerit, quòd se ignauo metu deiectos & ex eius sectatoribus transfugas factos esse viderent. Quanta verò è contra apud impios hostes exultatio fuerit, ex eo patet, quòd neque supplicij dira facies eos exaturare potuit, quò minus in cruce pendentem scurrilibus dictis incesserent, & ea quoq; ei exprobrarent, quæ laude digna erant. At mox istorum omnium vicissitudo facta est. Cum enim illum è morte resuscitatum esse audirent, subito metu perculsi sunt, et qui antea fudam pecuniam corruperant, nunc à militibus quoque silentium, aut potius mendacia, magno pretio redimunt. Discipuli verò intellecta eius resurrectione, cum illum sibi redditum viderent, nouo gaudio perfunduntur, quo omnis prior tristitia absorbetur. Deinde accepto spiritu sancto Hierosolymis Christum prædicant, doctrinam suam signis confirmant, nouos quotidie discipulos colligunt, & tanta cum maiestate tamq; felici successu se in illis exerit spiritus gratia, vt ipsis quoque hostibus terrori fuerint. Et quàmuis multos sibi infestos haberent, multorum insidijs peterentur, persecutionum periricula quotidie subirent, tanta tamen fuit in illis salutis per Christum partæ fiducia, vt has omnia infracto & læto animo pertulerint, & (vt Lucas scribit) gauisi sint eo nomine, quòd Dei filium eos dignos iudicaret, qui propter ipsum ista paterentur. At quod tunc accidit, hoc ipsum postea quoque semper factum est, & hodie passim fieri solet. Quàm primùm enim Christus in membris suis extinctus esse & ecclesiam suam impiorum libidini permisisse videtur, & verbi sui cursum in angustias redigi patitur, mox triumphos agit mundus hic, canunt epinicia impij, rident, iudaizant, & (vt in Apocalypsi scribitur) mutuis donis atque muneribus transmissis sibi inuicem gratulantur: pijs item sub cruce gementibus scurriliter insultant, fidem suam & spem promissionum Dei ijsdem exprobrant, ex eorum afflictionibus argumenta petunt, quibus Christi doctrinam falsam euincant, suas autem superstitiones probent atque confirment. Et cùm communis humanitatis sensus commiserationem in nobis excitet, si quando fures, latrones & quosuis alios sceleratos ad supplicium duci videmus, soli pij digni videntur, quorum cruciatus siccis oculis omnes inspiciant, & quibus extrema angustia constitutis fel atque acetum propinetur. Sunt hæc pijs ipsa morte acerbiora, & tunc multorum fides grauissimè tentatur, vt quemadmodum discipuli promissionum resurrectionis Christi prorsus obliti, illum resurrexisse vix crediderunt, licet nouis subinde testimonijs atque admonitionibus confirmarentur: Ita vix putamus aliquando fore, vt ad suæ ecclesiæ defensionem exurgat Christus, qui hæc tam indigna tamque iniqua fieri patitur. Sed tunc nos non in præsenti rerum statu hærere, sed in ipsum Christum respicere oportet, neque dubitare, quin in nobis quoque locum habeat, quod in illo olim factum est. Multæ enim (vt Psalmo 34. dicitur) piorum afflictiones sunt, sed ex omnibus liberat illos Dominus. Quòd si quando diutius eos exerceri patitur, interim tamen consolationes adhibet efficaces & virtute spiritus labascentes confirmat, vt illis ferendis pares sint sufficere. Neque moueant nos impiorum exultationes & triumphi. Nam non perpetui sunt isti, & quia inimicum sibi habent Deum, horribilis ferè illorum est exitus, sicuti multorum exempla in historijs testantur: piorum verò luctus tandem exitum habet lætum, quando se quidem Deo fideliter liberari atque defendi, impios verò hostes suæ petulantiæ pœnas exoluere videbunt. Tunc enim pedes suos (vt Dauid ait Psalmo quinquagesimo octauo) lauant in sanguine impiorum, id est, exemplis hisce in impios editis suas cogitationes corrigunt & quos ex illorum successibus conceperant affectus eluunt, vt neque impatientius ferant manum Domini, neque aduersus eum amplius murmurent.

Apocalyp. 11.

Ejus-

Est praeterea in eum quoq; finem obseruanda huius mundi & discipulorum Christi comparatio, vt tam illius quàm horum ingenium & mores agnoscere discamus. Gaudet mundus hic, si quando Christi regnum opprimi, veritatis lucem obscurari, & pios in suam potestatẽ redactos extrema quæque pati videat. At hæc pijs dolorem afferunt acerbissimum, non tam quòd ipsi ista patiantur, quàm quòd Dei gloriã in ipsis periclitari sentiunt. E contra gaudent ijdem, quando Deus ad ecclesiæ suæ defensionem exurgit, verbi sui lucem accendit, suos in libertatẽ asserit, & cultum suum antea collapsum instaurat. Id verò mundus hic indignissimè fert, & immani dolore percitus hoc vnum agit, vt Christo & euangelio eius sese opponat, regnũq; illius funditus euertat. Rursum peccandi quoq; licentia gaudet hic mundus, & ex sceleribus summam voluptatẽ capiunt quotquot huic sese addixerunt, quæ pij & in seipsis & in alijs omnibus deplorant, eò quòd his Dei gloriam inter homines obscurari, & quàm plurimos in exitium abripi videant. Sunt ergo diuersissima inter se mundi huius & discipulorum Christi studia & mores: ideoq; inter tam dissimiles cõuenire non potest. Debet hoc in eũ vsum obseruari, ne dissensionibus, quæ nobis cum mundo intercedunt, offendamur: néue velimus cum mundo gaudere, nosq; voluptatũ earum consortes facere, quas ille in rebus prophanis atq; illicitis quærere solet. Errant in hoc multi hodie, qui mundi illecebris se inescari patiũtur. Sed ijdẽ (nisi respiscãt) tandem luctus & doloris æterni socij sient, quo olim Deus infelices huius seculi filios mulctabit.

Mundi & piorum ingenium.

Cæterùm vt consolatio ista maiorem fidem habeat, exemplo suæ parabola ex rerũ natura petita eam confirmat, dicens: Mulier cùm parit, dolorem habet, quia venit hora eius: cùm autem genuit puerum, iam non meminit afflictionis propter gaudiũ, quòd natus sit homo in mundum: Et vos igitur, nunc quidem tristitiã habetis, sed rursum videbo vos, &c. Poterãt hìc multa dici de parturientibus, quæ ad harum consolationem priuatim, & ad publicam nostræ generationis considerationẽ faciunt. Sed quia hæc alterius loci sunt, nos ea modò nũc inspiciemus, quæ ad præsens Christi institutũ pertinent. Vult autẽ docere, non modò breui finem habituram ipsorum tristitiam, quam nũc ex eius discessu & morte sentiant, sed eandem gaudij veri & nunquã transituri materiam atq; causam fore. Ipse enim parabolam exponens ait: Rursum videbo vos, id est reuertar ad vos vbi à mortuis resurrexero, vosq; clementer & benignè respiciam: & gaudebit cor vestrum, id est ex animo & solidum gaudium gaudebitis: & gaudium vestrum nemo tollet à vobis: Itaq; perpetuũ erit, neq; vllis rerum tristium atq; aduersarum vicibus turbabitur. Vt verò hæc in apostolis verè, quoad literã quoq; impleta sint: Ita quotidie implentur in credentibus, quando persecutiones & aduersa huius seculi omnia ipsis ad salutem adiumento sunt, & ex ijs gaudij nunquam finiendi materiam concipiunt. Quia verò in tentationibus vix vlla consolatio nobis sufficit, proderit singulas parabolæ partes, quæ ad huius argumenti tractationem pertinent, excutere.

Confirmatio ab exemplo parturientis.

Primò partus dolores mulieribus non fortuitò incidũt, sed ex Dei decreto & prouidentiæ ipsius consilio dependent. Euæ enim, eò quòd serpentis consilium admisisset, & viro quoq; peccandi author fuisset, dixit Dominus: Multiplicando multiplicabo dolores tuos & conceptus tuos, cum dolore paries filios, &c. Etsi verò dolores isti ex peccato originem ducant, & peccati pœna sint, hoc ipsum tamen multam consolationem parturientibus affert, quòd se in Dei vocatione esse sciunt, qui abs se impositam crucem mitigat & leuiorem reddit, si eam patienter ferant, & in Christum respiciant fide, qui ideo ex muliere homo nasci voluit, vt suæ mortis merito peccatũ omne expiaret, nosq; ex pœnis æternis eximeret. Admonet de hoc Paulus, quãdo de mulieris transgressione loquens, addit: Seruabitur tamen liberos gignendo, si manserit in fide ac charitate, & sanctificatione cum modestia. 1. Timoth. 2. Eadem planè est nostrùm omnium conditio. Est enim vita hæc plena afflictionum, quæ etiam ipsæ ex peccato originẽ ducunt, & similiter nobis certo diuinæ prouidentiæ consilio immittuntur: quod vt consolationem habet dulcissimam ad omnes pertinentẽ, ita eos maximè confirmat, qui in certa Dei vocatione ambulant. Ideo Christus alibi quoq; discipulos ad Dei patris prouidentiam remittit, qui & capillos eorum in numerato habeat, & ne passerculos quidem temere patiatur interire. Et Dauid seipsum eo potissimùm argumento solabatur, quòd fugas suas à Deo numeratas, & omnia sua pericula in eius rationario conscripta esse sciret. Psalm. 56. Nihil ergo nobis quoq; afflictiones nocere poterunt, quoad animam, si in fide constantes perseueremus, quæ nobis in Christo omnia sancta & leuia reddit.

Afflictiones nõ sunt fortuitæ.

Afflictiones suis dispensantur temporibus

Deinde certò etiam tempore aut hora partus dolores mulierem inuadunt, neq; aliquis illos citius poteſt, priuſquam tempus illud conſtitutum veniat. Et huius non obſcurè hîc admonet Chriſtus, cum ait: Quia venit hora eius: innuens ſimul aliter fieri nõ poſſe, quin iſtos patiatur mulier, vbi hora aduenerit. Ita piorum quoq; afflictiones tam publicæ quàm priuatæ ſuis temporibus diſpenſantur, & vt ante tempus nobis à Deo conſtitutũ nemo nocere poterit, ita hoc iam imminente neceſſarium prorendum eſt quicquid nobis impoſuerit ille, ex cuius nutu omnia vitæ noſtræ momẽta dependent. Ideo cit huc, quòd Chriſtus frequenter ſuæ horæ meminit, ita nimirùm ſuo exemplo docens, vt ipſi quoq; in perſecutionibus, in morbis, in fame & egeſtate, in tentationibus conſcientiæ, denique in omnibus aduerſis cogitemus: Hæc eſt hora tua, qua te Deus exerceri vult: quæ vt initium habuit certum, finem quoq; habebit, neq; diuturnior erit, quàm Deo viſum eſt, qui nos ſupra vires tentari non

Afflictiones ſũt neceſſariæ.

Tertiò neceſſarij ſunt dolores illi parturientium, partim quòd ſine illis fœtus in lucem edi poteſt, partim quòd amorem erga liberos vehementer accendunt, quos tanta cum difficultate matres genuerunt. Similiter nos quoq; in hoc mundo affligi, doloribus omnis generis excruciari oportet. Niſi enim hoc fiat, de carnis mortificatione & regeneratione aut innouatione noſtri nunquam cogitabimus, neq; nos vnquam ſerium vitæ æternæ & cœleſtis deſiderium capiet, ad quam contendere ceſſe eſt omnes eos, qui ſalutem in Chriſto conſequi volunt. Cùm enim vita hæc carni tam opera rideat, vt quàmuis ærumnarum atq; calamitatum refertiſſima ſit, eam tamen plerique omnibus bonis præferre ſoleant, quid non futurum eſſet, ſi nihil acerbi aut aduerſi admixtum haberet, & omnia nobis ex animi ſententia acciderent?

Afflictiones nõ ſunt diuturnæ.

Poſtremò acutiſſimi quidem ſunt parturientium dolores, mox verò deſinunt, & fœtu iam gnatus tanto gaudio matrẽ perfundit, vt angustiæ eius porrò non amplius recordetur, quando ex mortis periculo liberatam & puerum in lucem editum eſſe videt. Ita apud pios multa quidem magna eſt doloris acerbitas in afflictionibus, quas in hoc mundo patiuntur: ſed (vt antea diximus) momentaneæ ſunt illæ, & tandem gaudium nobis pariunt verũ & ſolidum, quod nemo hominum tollere, nullus item caſus aduerſus turbare poteſt. In his enim Chriſti conſortes & ſocij ſumus, qui vitæ & regni quoq; ſui ſocios faciet eos, qui cum ipſo affligi & mori ſuſtinent. Quæ fiducia in medijs angſtijs mentes piorum exhilarat, quãdo certos reddit, quòd neq; afflictio, neq; angustia, neq; perſecutio, neq; fames, neq; nuditas, neq; periculũ, neq; gladius nos ſeparare poſſit à dilectione Chriſti, quam complecti ſolet. Olim verò gaudium ſequetur in cœlis, quo omnes lachrymæ abſtergentur, quãdo quidẽ cum Chriſto viuemus, impij verò in tenebras exteriores eijcientur, vbi æternus erit planctus & ſtridor dentium. Debent iſta diligenter cogitari in omni afflictionis genere, imprimis autẽ in mortis articulo. Nam huius quoq; hora certa eſt, & certo Dei conſilio diſpenſatur. Vtq; moriamur neceſſe eſt, eò quòd cœleſtis regni hæreditatem caro noſtra, qualis nunc eſt, adire non poteſt. Vide 1. Cor. 15. Et quàmuis carni terribilis atq; doloris plenus ſit poſtremus ille agon, breui tamen momento peratur, & ex eo animæ rectà ad Chriſtum emigrant, olim ad corpora ſua redituræ, vt in his promiſſo beatitudinis æternæ præmio fruantur. Docet præterea locus iſte nos iudicare de vero gaudio & triſtitia vera: quod vt rectè fiat, valde neceſſarium eſt, eò quòd natura ad gaudium propenſumus, à triſtibus verò & aduerſis abhorremus. Sed meminerimus gaudium nõ mereri dicit, ſed nobis triſtitiæ cauſam præbet. Id verò faciunt ea omnia, quibus hic mundus delectatur, vt nõ immerito dici ſoleat, omnis gaudij finem triſtem atq; amarum eſſe. Rurſum inter triſtia minimè numerandi ſunt quæ cum gaudio ſpiritus coniuncta ſunt, & olim cœleſtis vitæ gaudijs compenſantur: quod ſanctis afflictionibus ſcripturæ omnes promittũt. Has ergo huius mundi gaudijs præferat, qui ſibi beare volunt, & pluris faciant crucem Chriſti, qua mundus & princeps eius deuincitur, quàm impiorum triumphos & immoderatam licẽtiam, qua ſibijpſis interitum accerſunt. Ad hos enim pertinet, quod Lucæ ſexto Cap. dicit Dominus: Væ vobis diuitibus, nam reportaſtis conſolationẽ veſtrã. Væ vobis qui impleti eſtis, nã eſurietis. Væ vobis qui ridetis nunc, nã lugebitis & flebitis. Pijs verò propoſitis fidẽ & pietatis ſtudiũ aduerſa quoq; ferentibus ibidẽ dicitur: Beati pauperes, quia veſtrũ eſt regnum Dei. Beati qui eſuritis nunc, quia ſaturabimini. Beati qui fletis nunc, quia ridebitis, &c. Ita ergo meditemur hodie, & fortes in Ieſu Chriſto eluctemur per aduerſa omnia, vt olim regni eius hereditate

tate æternùm gaudeamus. Illi debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum, Amen.

HOMILIA CXLVII.

Et in illo die me nō rogabitis quicquam. Amen amen dico uobis, quæcunq; petieritis à Patre nomine meo, dabit uobis. Vsq; nunc non petistis quicquam in nomine meo: petite & accipietis, ut gaudium uestrum sit perfectum. Hæc per prouerbia locutus sum uobis: ueniet tempus, cùm iam non per prouerbia loquar uobis, sed apertè de patre meo renuntiabo uobis. In illo die in nomine meo petetis: & non dico uobis, quòd ego rogaturus sim patrem pro uobis. Ipse enim pater amat uos, quia uos me amastis, & credidistis quòd è Deo exiui. Exiui à patre & ueni in mundum: iterum relinquo mundum & proficiscor ad patrem.

OMnes quidem suæ bonitatis thesauros & inæstimabile æterni sui regni gaudium Deus nobis in filio suo Iesu Christo exhibet: sed ea est carnis & ingenij nostri infelicitas, vt pauci admodū eo quo decebat studio ad tanti gaudij & salutis veræ hæreditatem contendant. Causa huius mali est crux perpetua fidei Christianæ comes, & quòd persecutionibus continuis in hoc mundo vexantur, quotquot in Christo piè viuere instituunt. Multùm ergo profuerit, vt omnem crucis atq; persecutionum eiusmodi rationem probè teneamus, & certis firmisq; consolationibus instructi simus. Quapropter non temere factum est, quòd Dominus à suis discessurus summa diligentia exponit, quæ nobis in tota hac causa cognitu & obseruatu necessaria sunt. Docuit enim quid passuri sint, & simul ostendit ipsis non primos esse, quibus ista accidant, neq; eos meliorem sortem sibi debere polliceri, quàm ipsius esse videant. Deinde varijs promissionibus eos est cōsolatus, inter quas ea, quæ de spiritu sancto habetur, facilè primas obtinet. Quia verò nouas subinde curas & cogitationes ipsis pariebat discessus Christi recordatio, à cuius corporali præsentia hucusq; toti pependerant, redit in præsenti ad fructus & cōmoda, quæ ex eo maxima percepturi sint, & quorum author est spiritus, qui non prius quàm ipse ex mundo discederet, dari aut mitti potuit. Sunt autem duo præcipuè, quæ in præsenti illis pollicetur, & quorum promissio æquè ad omnes credentes pertinet.

Primum est certa & solida omniū quæ cognitu necessaria sunt scientia, quæ eos titubare aut fluctuare non patiatur. In illo die (inquit) quando ego ad dextrā patris considens vobis spiritū meum misero, qui mentes vestras illuminabit & donis necessarijs instruet, nō rogabitis quicquā. Quasi dicat: Nunc quidem pleraq; vobis obscura sunt, & quia regni mei conditionē non intelligitis adhuc, circa multa hæsitatis & incerti estis, quomodo res vestras debeatis instituere, vbi ego à vobis digressus fuero. Sed non est, quòd hæc cura vos anxios & solicitos habeat. Tanta enim cœlestis illius lucis, qua spiritus mentes vestras perfundet, virtus erit, vt omnes tenebras discutiat, dubitationi nullum amplius locum relinquat, & proinde non opus sit porrò quæstiones mouere de rebus, de quibus iam dubitatis. Conueniunt ista cum prophetarum vaticinijs, qui similia de regno Messiæ prædixerunt. Apud Ieremiam enim Cap. 31. sic legimus: Inseram legem meam in interiora eorum, & in cor eorum scribam eam, eroq; Deus eorum & ipsi erunt mihi populus. Et non docebit quisquam vltra proximum suum, aut vir fratrē suum, dicens: Cognoscite Dominum: Sed omnes me cognoscent à minimo eorum vsq; ad maximum eorum, &c. Isaias autem Cap. 11. sic ait: Plena erit terra scientia Domini, perinde ac dum aquæ maris inundant. Et huc Paulus respexisse videtur, quando omnes scientiæ & cognitionis thesauros in Christo reconditos & hunc nobis à Deo sapientiā factum esse scribit. Quod verò in præsenti pollicetur Christus, hoc in apostolis verè præstitum esse scimus quoad salutis & fidei doctrinam, atq; pericula quæ eius nomine subeunda fuerunt. Nec minus hodie promissionis istius veritas in credentibus conspicitur, quando homines illiterati, fœminæ item & pueri de fidei articulis differere, ad quæstiones propositas egregiè respondere & quasuis obiectiones confutare possunt, vt illos ex Christiana catechesi plus fructus reportauisse videas, quàm doctores aliquos Seraphicos ex multorum annorum studijs, quos in philosophorum & scholasticorū lectione contriuerunt. Videmus etiam idiotas interdum ex vinculis fidei suæ rationē ita reddere, vt ipsis hostibus admirationi sint. Tunc ergo illud Christi agnoscamus, In illo die non rogabitis me quicquam.

Plena salutis cognitio promittitur.

Interim meminerimus, hoc Christi dicto minimè abrogari prædicationem verbi & docendi munus, quod in ecclesia perpetuò conseruari vult Deus. Est enim hoc necessarium propter carnis nostræ ingenium, quæ spiritui reluctari solet, & mox à veritatis semita deuiat aut subsistit, quàm primum admonitiones & correptiones cessant. Deinde debemus hoc officium Deo, vt quem patrẽ & dominum nostrum dicimus, eiusdem vocẽ audiamus, & ei obtemperemus. Ideo Christus hanc filiorum Dei notam esse dicebat, quòd verbũ eius audiant: & vt id faciamus, nõ vno loco Deus præcipit. Turpiter ergo errant, qui verbũ Dei negligunt, & vt hoc audiant non necesse esse clamant, eò quòd iam animi satis instructi sint, & spiritus sancti suggestionibus ducantur. Nam hoc dicendo non obscurè fatentur, quòd non sint ex filiorum Dei numero: & dum spiritum sine verbo iactant, ferè suis omnibus in errorem abducuntur, quas illi ex spiritu Dei profectas esse arbitrantur. Nemo igitur huius loci authoritate abutatur, quo Christus nos de fidei & salutis nostræ certitudine admonere voluit, non autem abrogare docendi munus, quod æterno decreto in ecclesia sanctũ & amplissimis promissionibus tam veteris quàm noui Testamenti commendatum esse constat. Obseruemus autẽ hoc loco, qualis sit fidei cognitio. Non incerta nimirùm & fluctuans, qualem fingunt qui homines perpetuò de salute dubitare docent: sed certa, solida & stabilis, quæ dubitationem omnem animis eximit, & de salute certos facit eos, qui prius fluctuabant. Neq; alia esse potest, cùm Christo nitatur, qui veritas ipsa est, & ex spiritus sancti reuelatione obtingat, qui sese animis credentium insinuat, aut, vt Apostolo salutis arrhabo dicitur. Hinc est quòd alibi credentes θεοδίδακτοι, id est à Deo docti dicuntur. Seruit ergo hic locus ad confutandum hominum traditiones, quibus verbi diuini doctrina corrumpitur, homines ex spiritus sancti schola abducuntur, & tota salutis nostræ ratio in dubium vocatur. Est autem ingens corruptionis nostræ argumentum, quòd cùm Christus Iesus æterna veritatis doctrinam perfectè, simpliciter & perspicuè tradat, pleriq; tamen inutiles & laboriosas traditiones præferunt, quibus cùm animi tum corpora miserrimè diuexantur.

Nihil defuturũ promittit eorũ, quæ ad salutem facium.

Altera huius loci promissio est, quòd nihil eorum ipsis sit defuturum, quæ ad salutẽ conferendam faciunt. Id verò testatur ijsdem propè verbis, quibus antea precandi fiduciam confirmauit. Amen amen dico vobis, quæcunq; petieritis à patre in nomine meo, dabit vobis, &c. Sensus est: Nihil est quòd alicuius reí necessariæ inopiã metuatis, & ideo animo situs deiecto & nimis anxio. Iam enim ego vobis patrem conciliabo, vt nihil non daturus sit, quæcunq; ab eo petieritis. Hactenus quidem nihil petijstis in meo nomine, id est non opus fuit quicquam aliunde petere, aut meum nomen interponendum prætexere, quia ego abunde vobis prospexi, vt nihil defuerit eorum, quæ ad vitã conseruandam necessaria sunt: & in mea præsentia habuistis desideriorum omnium plenitudinem. Nunc autẽ grauiora certamina & maiores labores vos manent, & pluribus quoq; rebus opus erit, vt officijs meis satisfacere possitis. Sed dabit omnia benignus pater, qui & rogari vult, & suorũ preces propenso clementer exaudit. Petite ergo indubitata fiducia in meo nomine, & dabitur vobis quod petitis: gaudium vestrum sit perfectum, id est vt plenũ & solidum habeatis gaudium, quando vos Deo propitio vti & salutis certos esse sentitis, &c. Docet locus hic, per fidei & gratiæ doctrinã nõ abrogari preces & reliqua pietatis exercitia, vt quidam calumniantur. Sentiunt enim pij suam infirmitatem, quæ eis ex naturæ corruptione inhæret. Et quia spiritus illos salutis suæ certos reddit, simul etiam preces excitat, vt Christo mediatore freti intrepidè ad thronum gratiæ accedant, animi sui desideria liberè exponant, & ex eo ipso voluptatem capiant singularem. Si qui verò omnia securi precibus tum publicas tum priuatas negligunt, ij fide in Christum & gratia Dei frustra gloriantur & semetipsos abunde produnt, quòd neq; suam infirmitatẽ, neq; in Christo exhibitũ beneficiũ adhuc satis intelligant.

Recta & uera precandi ratio.

Simul verò rectã precandi rationẽ nobis hic tradit Dominus, de qua iam sæpe diximus. In qua primum est, vt non alius, quàm vnus Deus inuocetur. Solus enim hic animi nostri desiderium videt, & quidem melius, quam à nobis exponi possint. Solus etiam iuuare potest in quauis necessitate, quia solus est omnipotens. Et ad iuuandum propensus est, cùm nos teneriimè diligat, & salutis suæ eos, quos ad suam gloriam condidit, & in Christo elegit priusquã mundus hic crearetur. Confirmatur hæc doctrina expressis Dei præceptis & sanctorũ exẽplis, quæ in sacris literis plurima occurrunt. Secundò in nomine Iesu Christi preces fieri debent: quod tum fiet, si hunc nobis aduocatũ & mediatorem statuamus. Opus nobis eo est, quia sine illo nobis non patet accessus ad Deum, quem infinitum iu-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

lis offendimus. Sine me (ait ille) nemo venit ad patrem. Hinc ille mos ecclesiæ originẽ habuit, quo fere bona nobis dari aut mala auferri petimus per Dominum nostrum Iesum Christum. Quẽ meritò veteres quoq; non omnino ignorarunt. Etsi enim nondũ illis plenè reuelata fuit eius cognitio, Messiã tamen patribus promissum esse sciebant, qui fœderis cum his facti esset mediator: & ideo inter precandũ semper in illum respicere consueuerunt. Huc enim facit, quòd tam frequenter fœderis & promissionum Dei, patrum item suorum mentionẽ faciunt, quibus promissiones illæ olim datæ fuerant. Quin ipsum quoq; Christum, id est vnctum Domini interdum nominant, vtq; huius regnũ Deus suscitet precantur: sicuti in precatione Annæ matris Samuelis & Psalmis aliquot est videre. Peccant ergo in veras precandi leges, quicunq; Diuis mediatoribus vtũtur, & preces suas propter Diuã virginem aut reliquos sanctos cœlites exaudiri putant: vel etiã in illis suæ iustitiæ merita allegãt, pharisæum scilicet imitati, cuius impiam & hypocriticam confidentiam Christus reprehendit Luc. 18. Accedat autem inter precandum fides certa & indubitata, sine qua nulla erit inuocationis vis suæ authoritas apud Deũ. Vt enim is inuocari se vult, & sua bona nobis liberaliter offert: ita nos de suæ bonitate dubitare non sinit. Ideo Marci 11. Christus ait: Quæcunq; inter orandũ petitis, CREDITE quòd accepturi sitis, & erũt vobis. Et Iacobus nos absq; disceptatione orare iubet. Nã qui disceptat (inquit) similis est fluctui maris, qui ventis agitur & iactatur: neq; existimet homo ille, se quicquam accepturum à Deo. Non debet autem promissio Christi simpliciter & in genere de omnibus accipi, quæcunq; ex carnis affectu petimus: sed ad ea restringi, quæ ad Dei gloriam faciũt, & nostræ saluti sunt vtilia. Minimè ergo seruit illa ijs, qui iniqua & iniusta petunt, aut quæ ab ipsorum vocatione aliena sunt, qualis olim erat filiorum Zebedei postulatio, in Christi regno primas partes petentium: aut eo ea postulãt, quæ Deus dare nõ potest, nisi à suo ingenio discedere, & vel iniustus & iniquus, vel etiam crudelis fieri velit. Faciunt hoc, qui illum precibus suis aduersus hostes suos in vltionẽ accendere conantur, aut ea sibi dari cupiunt, quæ ipsis exitio forent, aut quibus in aliorũ perniciem vtentur ipsi, si ea à Domino acciperent. Preces ergo nostras diuinæ voluntati subijcere, & hîc imprimis filiã obedientiam adhibere oportet, quæ sola omnium actionum nobis regula esse debet. Hic verò apparet, quæ causa sit, cur multorũ preces non exaudiantur: quòd nimirũ aut iniqua & pernicioſa petunt, aut temere Deo præscribunt, dum nulla quidẽ fide instructi, impudẽtia verò & temeritate impulsi in eius conspectũ veniunt. Corrigant isti hæc sua vitia, & mox sentient precibus suis pondus aliquod accedere. Sunt autem hæc simul plena dulcissimæ consolationis, & validissimè eos confutant, qui hodie de corporali Christi præsentia digladiantur. Quid enim præterea requiras, quando spiritus nos ducit in omnem veritatem, & salutis fiduciam seu certitudinẽ in animis nostris efficacissimè confirmat: pater verò propter nomen filij sui preces nostras clementer suscipit, & omnia beniguè largitur, quæ nobis ad salutẽ necessaria sunt? De corporis ergo præsentia litigent, qui meritum Christi & eius effectum ignorant. Nos omissis contentionibus illo vno contenti simus, & cũ fide conjungamus gratitudinem & Christianæ pietatis studium, quæ nos à vero aberrare non patientur.

Quia verò in his multa institutione opus est, vtramq; promissionem diligentius exponit & confirmat Dominus. Quoad priorem sic ait: Hæc per prouerbia locutus sum vobis, veniet tempus cùm iam nõ per prouerbia loquar vobis, sed apertè de patre meo renuntiabo vobis. Quasi diceret, Hactenus quidem de quibusdam obscurius disserui, aut potius vobis obscurior visus fui, quod vobis de multis quærendi occasionem dedit: Sed vbi à mortuis resuscitatus carnẽ meam in cœlos subuexero, tunc spiritum mittam, & per hunc quæcunq; ad patris mei veram cognitionem faciunt apertè explicabo, vt quicquam rogare non sit opus. Finis verò & vsus istius expositionis est, ne propter ignorantiam, quam tunc sentiebant, animum despondeant, sed certa maioris profectus spe animati impositum sibi munus sedulò exequantur. Est autem hic Dei mos, quòd interdum obscurius nobiscum agit: nõ quòd plenioremsalutis cognitionem nobis inuideat, sed quòd singula suo tempore facit, & interea nostræ rudis tatis & inscitiæ sensu nos humiliat, vt eo maiori studio discendi accedamur, quò indoctiores & rudiores nos esse comperimus. Agnoscamus ergo Dei consilium, neq; abijciamus statim ceu inutile & supernaculaneum, quod primo intuitu nõ intelligimus. Erit enim tempus, quando ex illis fructus non vulgaris enascetur. Interim precibus insistamus apud eũ, vt suo spiritu animos illuminet. Imprimis verò obseruabis, quòd ait: Aperte de patre meo renuntiabo vobis. His enim testatur, nihil noui ipsis

Expositio prioris promissionis.

expectandum esse præter eam doctrinam, de qua iam ante dixerat, Doctrina mea non est mea, sed patris qui misit me. Finem verò & vsum eius hunc indicat, quòd ad patrem nos deducat, & cum eo nos coniungat, in quo vno tota hominis felicitas continetur: quando extra Deum nihil inuenire potest quo hominis mens acquiescere possit. Sunt ergo impostores, quicunq; vel noua dogmata ex semetipsis fingunt, vel aliò quàm ad Deum patrem remittunt, & salutem in rebus vanis aut inutilibus constrant. Vendicant hi sibijpsis magnificos titulos, quibus sibi authoritatem cõcilient. At nos cum Apostolo dicimus: Si angelus è cœlo aliud euangelium prædicet, præterquam prædicatum est, anathema esto. Galat. 1.

Alterius promissionis expositio.

Porrò alteram quoq; promissionẽ repetit Dominus, & docet quomodo intelligi debeat, quòd precibus in suo nomine faciẽdis dixit. Poterat enim quis cogitare: Ergo ne vobis irascitur pater propterea quòd vobis apud eum intercessore opus sit? Vel num odit vos, aut saltem miseros & calamitosos contemnit? Subijcit ergo: In illo die in nomine meo petetis: Et non dico vobis, quòd ego rogaturus sim patrem pro vobis: Ipse enim pater amat vos, &c. Sensus est: Iussi quidem orare in meo nomine. Id verò non ita accipi debet, quasi pater vobis infensus sit, aut vos odio implacabili persequatur. Imò amat ille vos, & ideo sine difficultate ab eo impetrabitis quæcunq; vobis necessaria sint. In meo tamen nomine debetis preces vestras ei offerre, quia me ille Mediatorem constituit, & propter meritum meum ijs placatus iam est, qui prius iræ filij erant. Non ergo se suo officio abdicat Christus, aut se intercessorem fore negat pro nobis, sed crassis & ineptis cogitationibus eorum occurrit, qui ista secundum huius seculi morem accipiunt, & patrem perpetuò iratum fingunt, cuius gratiam filius supplex aduoluatur, vt ita fulmina sua in nos librantẽ cõtineat, Quæ vt diuina maiestati indigna sunt, ita Christi meritũ magna ex parte euacuant, ex cuius virtute omnis istius intercessionis ratio dependet. Docet ergo his minimè opus esse, eò quòd suæ mortis & sanguinis meritũ ipsis conciat, & tantæ apud patrem dignitatis sit, vt propter illud nobis perpetuò placatus esse velit. Id addit: Ipse enim pater amat vos, quia vos me amastis, & credidistis, quòd ego à Deo exiui. Et quòd æternus sum Dei filius, qui ab illo missus in mundum veni, vt humanum genus cum illo rursus reducam. Validissimè ergo confutat hoc loco Christus eos, qui Diuorũ intercessionẽ defendunt. Hi enim eo potissimùm argumẽto nituntur, quòd ea nobis apud Deum opus sit, quem illi nobis tum & iam iam pœnas de nobis sumpturum fingunt. At nobis cum eo res est, qui nos amat: imo amat (vt Cap. 3. Christus ait) sic dilexit mundum, vt filium suum vnigenitũ pro nobis tradiderit, vt omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Quæ ergo insania est iratum & nouercem fingere eum, qui se nobis propitiũ exhibet, & qui rectè inuocari nequit, nisi certũ de eius gratia & bonitate spem atq; fiduciam concipiamus? Sed diligenter considerari debet diuini amoris causa, quam Christus in præsenti allegat. Ipse pater amat vos (inquit) quia vos me amastis, & credidistis, quòd ego è Deo exiui. Quæ verba non ita accipi debent, quasi nos Deum amando eius amorẽ meremur. Quomodo enim illũ amabunt, quem ne nouisse quidem possunt homines, nisi ille eos prius ipse & se eis manifestet? Et Ioannes apostolus amoris huius rationem exponens in sua epistola Catholica sic ait: In hoc est charitas, non quòd nos dilexerimus Deum, sed quòd ipse dilexerit nos, &c. Paulus verò nos illi reconciliatos esse scribit, cùm inimici essemus. Rom. 5. Gratuitò igitur suum amorem nobis offert Deus in Christo: quem si nos fide vera amplectamur, iam amorem suum erga nos continuat, & maioribus quotidie beneficijs illum declarat. Ideo hîc simul fidei meminit, quam Dei dilectionem esse, & non sine singulari patris nos trahentis gratia nobis obtingere, omnis scriptura testatur. Itaq; de eo amore loquitur, quem discipuli conceperant, postquam ab illo vocati & eius cognitione illuminati fuerunt. Ita locum hunc D. Augustinus quoq; intellexit, cuius hæc verba sunt: Proprium donum Dei est diligere Deum: quoniam ipse vt diligeretur dedit, qui nõ dilectus dilexit. Quia verò dilectio Dei in nobis nulla esse potest sine fide, neq; hæc illius expers est vnquam, vtrang; simul nobis Dominus hoc loco cõmendat, vt et eos confutet, qui Dei amantes haberi volunt, cùm fide omnino destituantur: & eos arguat, qui fidem profitentur, nulla autem eius experimenta præbent, cùm in Dilectione toti frigeant. Simul verò euertitur hîc omnis nostri meriti gloriatio: quando constat, nobis id esse, cuius ergò diligi mereamur. Solus Christus nostræ cum Deo coniunctionis Mediator, & proinde vnicus salutis nostræ author est.

Qui

Quia verò in mentionem fidei incidit, qua sola à nobis ipse apprehenditur, breui compendio docet quid de se credi debeat. Exiui, inquit, à patre & veni in mundum: iterum relinquo mundum, & proficiscor ad patrem. Primùm quis sit docet, quoad suam essentiam: Verus nimirum Dei filius, qui ante secula ex patre genitus, ipsi coæternus & coessentialis sit: in mundum verò venerit per incarnationem, vt hominem quoq; in personæ vnitatem assumeret. Idem ergo hîc dicit, quod olim Micheas, qui in Bethlehem nasciturum prædixit, cuius exitus sit ab initio & à diebus æternitatis. Deinde officium quoque & fructum totius mysterij exponit, quod ipsi exequendum cõmiserit pater: Iterum relinquo mundum & proficiscor ad patrem, id est, ideò in mundum veni & homo factus sum, non vt in terris hisce vitam degam, aut hîc regnum terrenum cõstituam: sed vt mortis meæ merito peccata expiem, & inde carnem quoque ex mortuis resuscitatam in cœlos eueham, vt in regni cœlestis consortium tota humana natura admittatur. Itaq; paucis hisce verbis, se verum Deum & hominem esse docet, qui mortis suæ merito peccatum expiet, resurrectione mortem vincat, ascensione cœlos aperiat & regnum sibi destinatum in assumpta etiam hominis natura occupet. Continentur his quæcunque ad salutarem Iesu Christi cognitionem faciunt, & in his tota nostræ redemptionis summa cõprehensa est, in qua primùm firmiter tenere oportet, nos redemptorem habere Dei filium, qui non aliam ob causam in mundum venit & homo factus est, quàm vt causam nostram suscipere posset. Idem verò vbi salutis nostræ negotium in terris hisce peregit, ad patrem rediit, à quo nunquam discesserat, & vt reliquit mundum, vt eundem minimè deserat. Nam vt August. ait, exijt de patre, quia de patre est: & in mundum venit, quia mundo suum corpus ostendit, quod de virgine assumpsit. Reliquit mundum corporali discessione, perrexit ad patrem hominis ascensione, nec mundum deseruit præsentia gubernatione. Est hæc summa Christianæ fidei, quam qui firmiter tenent, in illo salutem consequentur: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

Quid de Christo debeat credi.

HOMILIA CXLVIII.

Dicunt ei discipuli eius: Ecce nunc apertè loqueris, nec prouerbium ullum dicis. Nunc scimus quòd scis omnia, nec opus est tibi, ut quis te roget: per hoc credimus, quòd à Deo existi. Respondit eis Iesus: Nunc creditis? Ecce uenient hora, & iam uenit, cùm dispergemini quisq; in sua, meq; solum relinquetis. Sed non sum solus: nam pater mecum est. Hæc locutus sum uobis, ut in me pacem habeatis. In mundo afflictionem habebitis: sed confidite, ego uici mundum.

QVoniam in vno Iesu Christo omnia ea plenissimè continentur, quæ nobis ad salutẽ consequendam seu retinendam necessaria sunt, in aduersis quoq; nihil nobis tam vtile & salutare est, quam vera & certa illius cognitio. Ideò in hisce postremis concionibus suis promissionem spiritus sancti, qui suos in omnẽ veritatem inducturus sit, multoties inculcat, & nuper breui compendio euidenter & perspicuè complexus est, quæcunque ad ipsius cognitionem faciunt. Exiui (inquit) ex patre, nempe verus & illi coæternus atque coessentialis filius. Veni autem in mundum, quando ex patris decreto hominem quoque assumpsi. Rursus verò mundum relinquam per mortem, cuius merito peccatum omne expiabo. Et ad patrem proficiscar, vt assumptam ex vobis carnẽ in gloriam cœlestem eueham, & ibi credentiũ aduocatus & mediator sim apud patrem, olim ad iudicium reuersurus, vt meis quidem promissa vitæ æternæ præmia conferam, impios verò ad ipsis destinata inferorum supplicia transmittam. Continent hæc, quæcunq; alibi de Christo in scripturis prolixè traduntur. Sequitur modò, vt hac doctrina affecti fuerint discipuli, et vt hos suæ infirmitatis admonitos ampliori consolatione instruxerit. Qui locus summam omnium, quæ hucusque dicta sunt, continet, simulq; scopum verum indicat, ad quem omnia debent referri.

Quod discipulos, placet eis Christi doctrina ob perspicuitatem, & qui paulò ante de verborum eius obscuritate conquesti fuerant, nunc illum laudant, & egregiũ diuinitatis ipsius testimonium ferunt. Ecce (inquiunt) nunc apertè loqueris, nec prouerbium vllum dicis. Quæ verba ijs oppo-

Discipuli Christo testimoniũ ferunt.

nunt, quibus ille dixerat: Hæc per prouerbia locutus sum vobis, veniet tempus cùm iam nõ per prouerbia loquar vobis, &c. Perinde ergo est hoc, ac si dicerent: Nõ est quòd in aliud tempus nos reijcias, & maiorem mentis illuminationem pollicearis. Iam nunc enim nobis abunde patet quod dicis, & probè ea intelligimus. Imò scimus iam quòd tu omnia nouisti, neq; opus habes, vt quis te interroget, & sui animi cogitationes tibi proponat, cùm nos ipse præueneris, et nondum interrogatus à nobis tam euidenter omnia dissolueris, quæ nos dubios & incertos tenebant. Quia verò solius Dei est hominum arcana & occultas cogitationes nouisse, tu autem nihil horum ignores, nos iam isto argumento edocti verè credimus, quòd à Deo exiuisti, neque in vulgarium hominum numero censeri debeas. Ita verò ob pleniorem veritatis gustum & consolationis propositæ sensum apostoli exultãt, quod animi pij & egregiè erga Christum affecti euidens argumentum est: at ijdem nimij sunt, quando se iam omnium dictorum Christi cognitionem assecutos esse, & proinde nulla spiritus illuminatione amplius opus habere arbitrantur. Accidit hoc sæpè pijs, vt plus satis se profecisse putent, quando vix dum alphabetarij sunt in schola Christi: & eo nomine postea discipulos reprehendit, & suæ illos infirmitatis admonet, vt mox audiemus. Sed præstat nunc discipulorum verba diligentius excutere. Nunc scimus (aiunt) quòd scis omnia, & Per hoc credimus, &c. Atqui huius rei multa hucusque indicia viderant, quibus illos credidisse eorum confessiones testantur. Dixit enim omnium nomine Petrus de illo: Tu es Christus filius ille Dei viuentis. Item: Ad quem ibimus Domine? tu verba vitæ æternæ habes. Et de Nathanaele audiuimus, quòd filium Dei esse confessus sit, eò quòd se ab illo visum audiret, cùm procul adhuc absens sub ficu aliquid rerum ageret. Cur ergo nunc demum se scire & credere aiunt, quod iam pridem erant confessi? Quia nunc primùm vident, quàm infirma & imperfecta illa fides seu cognitio fuerit, vbi veritatis lucẽ aliquantò propius inspicere cœperunt, licet à perfecta mysteriorũ Christi notitia multis adhuc parasangis distarent. Idem ergo illis euenit, quod scim lasticis, qui suam infantiam & inscitiam priorem tunc demum verè sentiunt, quando in literis aliquem incipiunt progressum facere, mox verò huius quoque fiducia elati se ad summum eruditionis fastigium ascendisse putant, cùm nondum ex primis rectè dicendi & scribendi præceptis emerserint. Seruiat ergo exemplum hoc nostræ institutioni, vt cogitemus, nos quoad in carne viuimus, ad perfectionem cognitionis cœlestis peruenire non posse. Ex parte enim (inquit Paulus) intelligimus, & ex parte prophetamus. Itaque nostræ cõditionis memores, quotidie proficere studeamus, vt olim coram videre liceat ea, quæ nunc in ænigmate & quasi per speculum intuemur.

Christus discipulorum confidentiam reprimit.

Sed Christum audiamus, qui confidentiam discipulorum grauiter retundit, dum illos suæ infirmitatis admonet, & quid ipsis euenturum sit docet. Ait enim: Nunc creditis? Ecce veniet hora, & iam venit, cùm dispergemini quisq; in sua, meq́ue solum relinquetis. Habet autem interrogatio illa acrem reprehensionem, & totius loci hic sensus est. Itáne subitò tantùm profecistis, vt vos mea omnia intelligere & fidem in me profiteri audeatis? Video quidem vos istud magno animo facere: sed videte, ne vos in tanto conatu vires deficiant, eoq́ue turpior sit vester lapsus, quò maior est vestra præsumptio. Qui enim nunc vobis videmini fide certa armati & in omnem euentum instructi esse, vix dum hora ista elapsa metu consternati dispergemini, & dum quisque sibi consulit, me inter hostium crudelissimorum manus solum relinquetis. Conuenit autem cum Christi verbis rei euentus. Nam ea ipsa hora cum eo ad montem oliueti egressi, quando Iudam aduentare & ab hoc deductam cohortem illi manus inijcere viderunt, mox turpi fuga dilapsi sunt, neq; puduit eos hostibus eum relinquere, quem & Dei filium & suum Dominum atque magistrum hucusque professi fuerant. Exprimitur hoc exemplo carnis ingenium, quod in pijs quoque suam aliquando vim atq; naturam exprimit. Quando enim veritatem homines intelligunt, & salutem sibi à Deo offerri sentiunt, nullum autem ex illius doctrina periculum imminet, facilè credunt, & fidem suam non modò profitentur, verumetiam illa superbiunt, seq́ue ad omnia paratos & constantes fore promittunt. Quàm primùm verò tristior aliquis casus incidit, & pericula eos vndique circunstant, qui sibijpsis omnia læta & tuta pollicebantur, subitò deficiunt, & suo lapsu ijs scandalum obijciunt, quos prius suo exemplo excitarant. Exemplum huius rei euidens scripturæ in filijs Israelis proponunt. Cùm enim sub duro & immani Pharaonis imperio agentibus, Deus per Mosem & Aaronem suam opem & liberationem promitteret, hiq́ue Dei promissiones & ministerium suum signis & miraculis confirmarent, omnes

credidisse

credidisse dicuntur, & auditis Dei seruis sese reuerenter incuruarunt. At ijdem postea, cùm res primo conatu non succederet, & Pharao eos grauioribus operis siue laboribus opprimeret, mox viros illos optimè de se meritos, & quorum conatus saltem laudem merebatur, tanquam publicæ pacis turbatores & gentis suæ hostes, ad Dei tribunal citant, & illis amarulenter in faciem dicunt: Videat Dominus super vos, & iudicet, quia fœtere fecistis odorem nostrum in oculis Pharaonis, & in oculis seruorum eius: vt daretis gladium in manum eorum ad occidendum nos. Neque ista tunc modò dicunt, quando seruitij huius tam diri iugum adhuc sustinebant, sed inde magnis signis & portentis edocti, iisdem & similibus conuitijs sanctissimos Dei seruos proscindunt, quoties aliquid ipsis præter expectationem accidit. Fecerunt idem Christo reliqui Iudæi. Qui enim in publico docentem & multis miraculose medentem magno studio secuti fuerant, postea eundem captum & Pilato traditum non modò deseruerunt, sed ad immane crucis supplicium postularunt: & ex tot millibus, qui ipsius beneficentia subleuati fuerant, ne vnus quidem repertus est, qui eius innocentiæ patrocinium ferret. Huius generis exempla nostro seculo multa vidimus. Quis enim nescit, quàm feruida fuerint apud plerosq; fidei initia, cùm euangelij doctrina primùm magno cum successu prædicaretur, & noui quotidie discipuli accederent? Quales verò plerique sint hodie, res ipsa loquitur. Sed neminem offendere debet ista hominũ leuitas, cùm neq; noua sit aut insolens, neq; Christo & regno eius aliquid deroget. Discamus potius cognito carnis, ingenio neq; nobis ipsis neque vlli alij mortalium fidere, sed in vno Deo spem & fiduciam omnem repositam habere. Et ne quid simile nobis contingat, semper cogitemus, non eam esse regni Christi rationem, quam multi sibijpsis imaginantur, qui ex eo diuitias, honores, mundi amicitiam & omnia secunda sperant. Quia enim non est de hoc mundo, nihil huius nobis in eo polliceri debemus, sed nos ad crucem præparare & omnis generis afflictiones, quæ illud perpetuò comitari solent, vt postea audiemus. Deinde ad Christũ accessuri vires nostras examinemus, & nobiscum rationem subducamus, num ijs possimus ferendis sufficere, quæ Christianis accidere solent. Monet hoc diligenter Christus Lucæ decimoquarto capite ex architectura & re militari additis parabolis, quæ totum hoc negotium mirificè illustrant. Addamus huic examini preces ardentes, vt Deus suo spiritu sarciat quod nobis deest, neue nos grauius quàm vires nostræ ferre possint tentari patiatur. Proderit item causam probè nouisse, quæ plerosque mouet, vt Christum relinquant. Notat hanc non obscurè, quando ait: Dispergemini quisque in sua. Defectores ergo & transfugæ sunt, qui ad sua respiciunt, & sibi suisque rebus consultum volunt. Quoad enim priuatis commodis studemus, nihil poterimus pro Christi gloria pati aut facere. Ideò affectus ille omnino exuendus erit, quod ipse etiam Dominus monet, quãdo eos demum ad crucem suscipiendam idoneos fore docet, qui semetipsos abnegauerint.

Christi fiducia quæ fuerit.

Porrò vt magis nostræ institutioni seruiat ista tractatio, docet etiam Christus quo præsidio siue auxilio sulciatur, ne suis dilabentibus, ipse etiam succumbat. Nam quasi per correctionem subijcit: Sed non sum solus, nam pater mecum est. Quasi diceret: Quid me solum dico fore, cùm patrem mihi perpetuò præsentem habeam, cùm quòd filius eius sum, tum quòd ab illo missus eius mandata exequor? Quam rationem supra capite octauo adduxit, pharisæis dicens: Qui me misit mecum est. Non reliquit me solum pater, quia ego quæ placita sunt ei facio semper. Hoc autem non tam sui causa dicit, quàm vt nos consoletur, ne spem omnem abijciamus, si quando nos ab amicis & intimis deseri, vel etiam perfidè prodi videmus. Quod enim de seipso Christus dicit, hoc ad se transferre possunt omnes qui in ipsum credunt. Per hunc enim Deo ita reconciliati sunt, vt is ab illis nunquam discedat, sed aduersus omnes hostes cùm visibiles tum inuisibiles, tueatur eos, quos semel in suam curam & protectionem suscepit. Imò hoc Dei ingenium est, vt tunc maximè se nobis præsentem exhibeat, quando nullum nobis in humanis auxilium est reliquum. Vidit hoc olim Dauid, quando dicebat: Vbi pater meus et mater mea destituunt me, Dominus colligit me. Psal. 27. Quod ipsum nos quoq; firmiter credere debemus, cùm promissiones passim extent, quibus Deũ in omnes credentes eodẽ ingenio præditũ esse docemur. Quid, quòd angelos nobis custodes dedit, qui circa timẽtes ipsum castrametantur? Psal. 34. Neminẽ ergo aut hostium multitudo & rabies, aut amicorum defectio, aut domesticorum perfidia, aut clientum ingratitudo terreat, cum certò constet Deum nobis adesse, et Angelorum præsidio eos tueri, qui se illi totos addixerunt. Neque nos moueat, si quando Dei manus nusquam vide-

tur, & animus noster inter pericula & dolores nos ab illo derelictos esse exprobrat. Idem enim vir Christus expertus est, qui non modò à patre derelictus, verumetiam ab illo puniri videbatur, quando in cruce pependit. Tanta certè fuit in eo doloris acerbitas, vt exclamaret: Deus meus, Deus meus, quare me dereliquisti? At idem mox sensit patris virtutem, qui ipsum ex mortuis resuscitauit, & in cœlestem gloriam euexit. Eadem ergo spe confirmati dicamus cum Apostolo: Si Deus nobiscum, quis contra nos?

Christus solus redẽptor noster.

Interim non temerè factum putabimus, quòd discipuli simul omnes Christum reliquerunt. Nam etsi istud humanæ infirmitatis vitium fuerit, & ipsi hoc nomine reprehendi mereantur, idque tamen hoc ad nostræ redemptionis mysterium pertinet. Quia enim solus ille ab hostibus captus, solus vinctus & postea in crucem suspensus fuit, neque aliorum ex suis tam diri supplicij socium habuit, constat ex eo, ipsi etiam soli omnem deberi nostræ redemptionis gloriam. Minimè ergo audiendi sunt, qui hunc aliò transferunt, dum alios seruatores & redemptores fingunt, quos in necessitatibus constituti inuocant. Faciunt hi & Christo & Diuis iniuriam, dum illum quidem suo honore spoliant, hos verò tales fingunt, qui nunc suam Christo gloriam ereptam velint, cuius olim vindices acerrimi fuerunt. Quia tamen de hoc alibi commodius dici potest, hæc modò paucis attingimus.

Conclusio concionum Christi

Restat concionum istarum omnium conclusio, quæ talis est: Hæc locutus sum vobis, vt in me pacem habeatis: In mundo afflictionem habebitis: sed confidite, ego vici mundum. Primò scopum & vsum indicat omnium eorum, quæ hucusque dicta sunt. Est is, vt in Christo pace & animorum tranquillitate fruamur. Hanc verò assequuntur, qui in vnum illum intenti, ab eius verbo & promissionibus toti dependent, neque eorum similes fiunt, qui nouas quotidie salutis rationes aut noua præsidia quærendo, sibijpsis labores & curas accersunt, & sæpè grauissimorum quoque malorum authores sunt. Hic ergo euangelicæ doctrinæ nobis scopus sit vnicus, vt in vno Christo acquiescamus, qui solus verba vitæ æternæ habet, & in medijs afflictionibus pacem nobis largitur, quæ omnem mundi huius intellectum superat. At ne quis ista de pace huius seculi & felicitate temporaria intelligat, altera parte, quid hîc nobis sperandum sit, docet. In mundo (ait) afflictionem habebitis: sed confidite, ego vici mundum. Est hæc vna ex celeberrimis Iesu Christi sententijs, digna quæ non in paucis modò & priuatis locis, sed omnium animis inscribatur, vt in oculos semper incurrat & diligenti meditatione perpetuò ruminetur. Continet enim quæcunque ad vitam Christianam pertinent, & simul docet vbi spes & fiducia omnis collocari, vnde item consolatio vera peti debeat, qua in omnium tentationum genere confirmemur.

Christiani in mundo afflig̃untur.

Quoad primum, eorum errori medetur, qui sibi in Christo læta omnia pollicentur, & qua Christianorum sors sit in hoc seculo docet. In mundo (inquit) afflictionem habebitis. Ergo in Christum non opes, non honores, non voluptates, non otium & securitas quæri debent, sed ad crucem & omnium generis tribulationes sese præparent, quotquot in illo volunt pie viuere. Nam vt Paulus ait, per multas afflictiones oportet nos ingredi in regnum Dei. Testantur hoc exempla sanctorum ab ipsius ecclesiæ origine, quos omnes diuersis casibus iactatos & tristia multa passos fuisse legimus: & idem hodie experiuntur, quicunque se totos Christo consecrant. Neque aliud sperandum esse res ipsa docet. Nam si mundi huius statum per se consideres, communis hominum vita miserijs & ærumnis referta est, quas per peccatum ingressas esse scripturæ testantur. Et his pij quoque obnoxij sunt propter inhærentes in carne eorum peccati reliquias, quæ in vniuersum expurgari non possunt, quoad in hac mortali vita viuimus. Sed accedunt his aliæ ex mundo, quæ pijs propriæ & peculiares sunt. Quia enim illa lucem veritatis odit, (sicuti supra capite tertio Christus admonuit) eos etiam ferre non potest, in quos illa fulget, & qui eam longè lateque propagare student. Hinc ergo initium sumunt persecutiones, quas non modò exteri hostes mouent, verumetiam domestici, & interdum parentes, fratres, cognati, coniuges deniq; & proprij liberi: qui omnes ferè eò grauiori odio contra pios exardescunt, quo indignius ferunt, quòd ex suis aliquos esse videant, qui ipsis exosam lucem sequantur. Exemplis quotidianis hoc probetur, passim occurrunt, & idem quotidie experimur. Non autem his nos offendi debet, quando Christus illa prædixit. Cogitemus item ista non temerè fieri. Primò enim fidem nostram in afflictionibus, ceu aurum in igne probari oportet. Deinde carnis nostræ petulantiam ita coercet Deus, quæ secundis insolescit & contra spiritum insurgit. Præterea mundi huius fastidium ita gra-

minus, quæ

gunt, & cœlestium bonorum desiderio animos accendunt, qui aliàs terrenis addicti illa facilè negligunt. Quid ergo offendimur afflictionibus, quando in his nihil nouum aut insolens nobis accidit, & illas non sine causis necessarijs Deus immittit?

Quia verò natura infirmi sumus, consolationem adhibet Dominus, & docet, quo argumento fiem & fiduciam nostram in persecutionibus fulcire debeamus, Confidite (inquit) ego vici mundum. Mundi nomine intelligit quicquid saluti piorum aduersum est, ipsum nimirum satanam, huius organa homines impios & sanguinarios, peccatum, mortẽ & inferos. Vicit hæc omnia Christus, quando peccatum mortis suæ merito expiauit, mortem resurrectione sua exarmauit, & ipsum satanam regno suo expulit, vt nunc nihil in nos iuris ipse habeat, neque per suos quid amplius possit, quàm illi Deus permittit. Vis autem argumenti seu consolationis istius in eo est, quòd nobis mundum hunc & eius principem Christus deuicit. Quia enim propter nos homo factus est, & se totum nobis impendit, omnium quæ fecit & passus est fructus ad omnes eos pertinet, qui ipsum fide vera recipiunt. Ideò Ioannes in epistola sua fidem ait esse victoriam nostram, quæ mundum vincit: & Paulus se omnia posse gloriatur in Christo Iesu, qui ipsum corroboret. Et huc referri debent exempla sanctorum vtriusque testamenti, qui & cognatos sibi carnis affectus & aduersariorum horribiles minas vnà cum atris supplicijs superauerunt, quando omnia potius sufferre & perpeti, quàm à Christo deficere voluerunt, in quo sibi salutem & victoriam partam esse sciebant. Crebrò igitur meditemur hanc sententiam Domini, quæ summam omnium, quæ hucusque dicta sunt, continet. Et quoad mundum & huius vitæ curriculum, non aliud nobis polliceamur, quàm crucem & dira persecutionum pericula. Quòd si quando respirare datur, Dei bonitatem agnoscamus, qui nostræ infirmitatis rationem habet, & bene vtamur otio aut pace nobis concessa. Interim armemur fidei constantia, & in quouis certamine firmiter teneamus Iesum Christum, qui vt exemplo suo nobis præiuit, ita suo etiam auxilio aderit, vt omnibus aduersis superiores facti, olim in cœlis cum ipso regnemus, pro cuius nomine nunc iſta patimur. Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.

Christus uicit mundum.

CAPVT XVII.

HOMILIA CXLIX.

HÆc locutus est Iesus, & sustulit oculos in cœlum, dixitq; Pater uenit hora illa: glorifica filium tuum, ut & filius tuus glorificet te: Sicuti dedisti ei potestatem in omnem carnem, ut omnibus, quos dedisti ei, det uitam æternam. Hæc autem est uita æterna, ut cognoscant te solum esse uerum Deum, & quem misisti Iesum Christum.

AVDIVIMVS hucusq; postremas Iesu Christi conciones, quibus suos discipulos instituit simul atq; cõsolatus est. Finem verò & vsum omnium quæ dicta sunt, ipse hunc ostendit, vt quoad in mundo hoc viuere datur, nos ad crucem & omnis generis afflictiones præparemus, pacem verò in ipso habeamus, qui vt mundũ et huius principem vicit, ita salutem certam et omnibus numeris absolutam nobis acquisiuit. His modò precationem subijcit, qua nulla in scriptura præstatior & salubrior habetur. Hac enim doctrinam priorem & huic interpositas promissiones obsignat, & veri Mediatoris officio fungitur, dum Deo patri suo ita nos commendat, vt commendationis huius vis & effectus perpetuò duret, & propter hanc illo propitio fruantur, quotquot ipsum fide vera apprehendunt. Nobis autem initiò statim Christi factum obseruandum venit, quòd nimirum doctrinæ mox preces subiungit, quibus patris gratiam expetit. Ita enim omnibus verbi administris simul & auditoribus exemplum præbet, quod imitentur. Quia enim plantando & rigando nihil proficitur, nisi Deus det incrementum, & efficaci spiritus operatione corda nostra illuminari, trahi

& flecti oportet pro ea assiduè oremus necesse est. Et hinc vetus ille ecclesiæ mos originem sumpsit, quo cœtus & conciones sacras à diuini numinis inuocatione auspicamur, & eadem non sine precibus publicis dimittimus. Obseruant hunc morem diligenter quotquot veræ pietatis & salutis proprio studio ardent. E contra animos impios & prophanos produnt, quicunque preces eius modi negligunt, & vel tardius in cœtum sacrum veniunt, vel sermone finito mox è templo sese proripiunt priusquam Dei gratiam & spiritum inuocarint. Excitet ergo nos Christi exemplum & nostræ corruptionis atq; infirmitatis consideratio, ne id negligamus, quod ab ipso Dei filio, & à Prophetis quoq; & Apostolis tam studiosè obseruatum fuisse audimus.

Modus quem Christus in precando tenuit.

His præmissis Ioannē audiamus, qui quem precandi modum Christus tenuerit, annotat his verbis: Hæc locutus est Iesus, & sustulit oculos in cœlum, dixitq;, &c. Primò oculos in cœlum sublatos dicitur. Quem gestum illi familiarem fuisse apparet, cùm eo alibi quoq; vsus sit, sicuti in Lazari suscitatione vidimus: & eiusdem Matthæus quoq; 14. in quinque panum historia meminit. Exprimit autem gestus hic mentis ardorem & eum inuocandum esse docet, qui vt omnia quæ cœlo continentur creauit, ita in cœlis suam quoque maiestatem & potentiam imprimis exeruit. Huc ergo olim sancti etiam studuerunt, vt in Psalmis est videre, vbi hæc verba leguntur: Leuo oculos meos ad montes, vnde nam veniat auxilium meum: Auxilium meū à Domino conditore cœli & terræ. Psalmo centesimo vigesimo primo. Item Psalmo centesimo vigesimo tertio: Ad te leuo meos oculos, qui habitas in cœlis. Quin ipse Christus hunc gestum præcipere videtur, quando nos inter precandum dicere iubet: Pater noster, qui es in cœlis. Discamus ergo animis ad Deū sublatis orare, & siquæ valetudinem fieri potest, animi pietatem atque fidem gestu etiam externo testemur. Pertinet & hunc manuum quoque expansio in cœlos, qua nos ab vno Deo pendere profitemur, & diuini auxilii desiderium exprimimus. Obseruauit hæc probè Diuus Chrysostomus, qui in homilia quadam vetus Christi exponens, Veri adoratores in veritate & spiritu, & cætera: inter alia sic scribit. Cùm manus expandis, pectus aperis, faciem in cœlum erigis & oculos aperis, quid aliud facis, quàm vt tuum in minem ostendas Deo? & cætera. At qui se totos Deo ostendunt & offerunt, se quoq; in hoc maxime fiduciam habere testantur. Arguit hoc eorum superstitionē, qui oraturi oculos ad imaginem dirigunt, cùm vbiq; nobis cœlorum conspectus pateat, & nusquam non occurrant Dei opificia, qualibus sapientiam, bonitatem & potentiam nobis in mentem reuocare possunt. Deinde aperta & clara voce precatur Dominus. Atqui ea illi minimè opus erat, neque etiam nobis ea opus est apud eum, qui corda hominum inspicit & gemitus atque suspiria suorum exaudit. Quia verò ista precatio discipulorum & piorum omnium consolationem atq; institutionem facere debebat, eam diserte verbis & clara voce fieri oportuit, vt quid nam nostro nomine Christus à patre petierit sciamus, & de possimus certa & firma consolationis argumenta sumere. Interim hoc quoq; nostræ infirmitati bifariàm seruit. Docet enim, vt quacunque ratione animos nostros à vanis cogitationibus reuocemus, quæ ferè nobis inter precandū obrepere consueuerunt. Admonet præterea ne orationis nostræ finem deat inter homines, quam cōfessionis fidei speciem esse scriptura sacra docet, & Martyres omnes intellexerunt, qui ideò ferè omnis generis supplicia perpessi sunt, quòd Deos falsos noluerunt inuocare. Et notum est Danielis exemplum, qui cum prius occultius orare soleret, postea cùm precari omnino regio edicto prohiberentur, apertis fenestris quasi in publico precatus est, ne fidem suam negare aut dissimulare videretur. At quia de his alibi quoq; dictum est, nunc ad reliqua progrediamur.

Precationis Christi argumentum.

Sequitur enim ipsa precatio, cuius tria sunt capita principalia. Primùm pro seipso orat, & causam suam Deo patri commendans. Vbi non opus est disputare, cur orarit Christus, qui pro diuinitate de seipso & rebus suis poterat ex suo arbitrio statuere? Quia enim verum hominem assumpserat, multa fecit, quæ in diuinam naturam non cadunt, facto tamē opus erant propter assumptam carnis infirmitatem. Secundò pro discipulis intercedit, quos duris & grauibus certaminibus exercendos esse, & proinde præsenti auxilio & singulari gratia Dei opus habituros esse sciebat. Tertiò precationem hanc ad omnes extendit, qui in ipsum credunt. Est ergo hæc generalis intercessio, cuius fructus ad nos omnes pertinet, & quæ suo effectu etiam hodie durat, & in finem seculi vsque durabit, sicuti initio diximus. Quoad primum caput, in præsenti nonnulla proponuntur, quæ ex ordine videbimus.

Propter

Propositio primæ partis est: *Pater, venit hora illa, glorifica filium tuum.* Vbi nemo putauerit, Christū de hora aliqua astrologica loqui, quales superstitiosi fingunt, qui homines & humana omnia astris subijcere solent, & horā vnam alia feliciorem auspicatioremq; esse sibi persuadent. Sed tempus illud præfinitum & æterno Dei decreto constitutū intelligit, quo ipse in mundum venire & humani generis redemptionem facere debuit. Ergo sensus verborum est: *Venit iam tempus illud* ô *pater, quo regnū tuum inter homines instaurari, & huius mundi principem ex malè occupata possessione eiici oportet. Quia verò mihi, priusquam hæc fiant, multa ferenda erunt, non dura modò & acerba, verumetiam ignominiosa, tu quæso me glorifica, id est, assere & tuere meam gloriam: vt nimirum omnibus constet, me tuum esse filium & promissum humani generis redemptorem, &c.* Hæc enim Christi gloria est, quam inter homines conseruari oportet, & quam se nemini alij daturum esse apud Isaiam Capite quadragesimo secundo testatur. Verè autem ratas habuit filij sui preces pater. Nam etsi ignominiosam in cruce mortem obierit, mox tamen horrendis signis eius innocentiam atq; Deitati testimonium tulit, quando Solis lumen obscuratum, terra immani motu concussa, petræ cum templi velo scissæ, simul etiam sepulchra patefacta sunt. Secuta est deinde tertio die gloriosa ex mortuis resurrectio, quase mortis victorem esse declarauit. Inde in cœlos subuexit corpus suum, & inde spiritum suum misit discipulis, qui illo instructi regnum & gloriam eius in toto orbe terrarum propagarunt.

Christus se glorificari petit.

Hic verò non oscitanter considerari debet, quòd etsi certæ horæ aut temporis meminit, quo ista secuturæ esse certò sciebat, nihilominus tamen preces fundit, quibus eadem à Deo patre expetit. Suo enim exemplo docet, preces & reliqua pietatis exercitia per Dei prouidentiam & promissiones nequaquam aboleri, vt quidam inepti & superstitiosi humanarum virium & nostrorū operum aestimatores vociferantur: sed in illis potius nos confirmari, vt eò ardentius & maiori cum fiducia oremus, quando de Dei promissis certi sumus & nostram salutem in æterno illius decreto fundatā esse scimus. Neque ratæ esse possunt preces nostræ, nisi ex fide procedant, quæ Dei promissionibus nititur, & ea petamus quæ ipsius voluntati consentanea sunt.

Prouidentia Dei non tollit preces.

Cæterùm petitionem suam rationibus confirmat, & eas potissimùm allegat, quæ ipsum omni ambitionis & gloriæ inanis suspicione liberant. Prima est: *vt & filius tuus glorificet te.* Quasi diceret, Non mihi soli hoc peto, neque volo vt propter me quicquam facias, quod tuæ gloriæ deroget: sed vt huius rationem habeas rogo, & meam gloriam ideo vindices, vt omnes homines per me in tui nominis cognitionē adducantur, te colant & tibi vni seruiant. Vt enim Christi gloria, quoad homines in eo consistit, vt Dei filius & vnicus humani generis seruator esse prædicetur: Ita patris gloria est, si illius bonitatem, misericordiam, veritatem, iustitiam & omnipotentiam omnes agnoscant. At quia hæc in Christo potissimùm elucent, certò constat huius gloriam cum patris gloria coniunctam esse. Altera ratio est: *Sicut dedisti ei potestatem in omnem carnem, vt omnibus, quos dedisti ei, det vitam æternam.* Quibus verbis ita dicere videtur: Tu me orbis dominum constituisti, & mihi gentes dedisti, vt meæ sint hæreditas. Da ergo, vt omnibus, quos dedisti mihi, ego vicissim vitam æternam dare possim: & ne qui eorum meæ crucis infamia offensi à promissæ salutis hæreditate excidant. Dicuntur autem dati Christo à patre, quos alibi scriptura electos vocat, & qui illum fide vera amplexantur. Petit ergo glorificari Christus, partim propter Deum patrem, cuius gloriam ex ipsius cognitione pendere diximus: partim vt nostræ saluti consulatur, cuius ergò ille in mundum venit & homo factus est.

Christus suam petitionem rationibus confirmat.

Vbi discimus quis nobis quoq; precum nostrarum finis & scopus esse debeat, quando persecutionis tempore veritatis doctrina obscuratur, Dei cultus euertitur, & multi deficiunt à fide, eamque vel diserte negant, vel turpiter dissimulant. Hic nobis ante omnia Dei gloria cordi esse debet: quia ad hanc conditi sumus, & eundem patrem nostrum esse profitemur. Admonet nos de hoc Dominus, quando in orationis formula, quam ipse nobis præscripsit, primum locum ei petitioni tribuit, qua postulamus, vt patris nomen sanctificetur. Et hoc potissimùm sanctos olim spectauisse, ipsorū preces testantur, quales sunt: *Non nobis, nō nobis Domine, sed nomini tuo da gloriā. Cur enim dicant in gentibus, Vbi nunc est Deus eorum?* Deinde publicæ hominum saluti studeamus & oremus, vt eam Dominus tueatur & plures quotidie in eius cognitionem adducat. Quia enim hanc cum sua gloria

Precum finis quis esse debeat.

coniunctam esse Deus non vno loco testatur, huius studiosi non poterunt censeri, quotquot illam seru-
rè negligunt. Debet hoc ipsum in priuatis quoque afflictionibus obseruari: vbi admodum turpiter
peccant, qui vlulatu & grunnitu immodico animi sui impatientiam testantur, Deo imperiose præ-
scribunt, precum verò suarum finem atq; scopum vnicum sibi propositũ habent, vt securè voluptuen-
tur & genio suo indulgeant. Hi cùm & fide careant, & aduersus Deum insolenter insurgãt, adeoq;
iniqua & sibijpsis noxia postulent, meritò repulsam patiuntur apud eum, qui vt iustus & sanctus,
ita nostræ salutis studiosissimus est.

Christus orbis totius dominus.

Obseruabimus præterea, quæ de sua potestate hoc loco Christus dicit. Dedisti ei (inquit) pote-
statem in omnem carnem. Est ergo totius orbis Dominus, quod prophetæ passim testantur: & pro-
inde aduersus Deum rebellant, qui ipsum nolũt suum regem agnoscere. In quem verò finem hæc ipsa
potestas data est? Vt vitam æternam det omnibus suis, qui in ipsum credunt. Itaque potestas eius
saluifica est, non qualem tyranni exercent, qui regni sui potentiam & gloriam in populi oppressio-
ne, immodicis exactionibus & quiduis mandandi imperio consistere arbitrantur. Quod autem ver-
bis promittit Christus, hoc res ipsa docet. Nam si omnem eius, quam in terris egit, vitam inspiciat,
hoc vnum ab illo factum fuisse videbis, quòd omnibus benefecit, læsit autem neminem, quodq; docti-
na simul & miraculis quosuis obuios in salutis per ipsum acquisitæ consortium attrahere studuit.
Debent nos ista excitare, vt libenter eius imperio colla nostra subijciamus, ne eius iugum detrecta-
do (quod reuera leue & salutiferum est) satanæ tyrannidi nosipsos exponamus, qui hoc vnum quæ-
rit, vt quos in suam nassam pellexit, miserè perdat. Quia enim vita æterna donum Christi est, quod
solis ijs debetur, qui in ipsum credunt, ab eius societate excludantur oportet, quotquot ipsum reci-
pere & eius imperio atq; legibus subijci nolunt.

Ratio consequendi uitam æternam.

Quia verò in vitæ æternæ mentionem incidit, modum & viam huius consequendæ indicat.
Ait enim: Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum esse verum Deum, & quem misisti Iesum
Christum. Probè autem hæc ijs quæ præcesserunt, conueniunt, adeoq; eorum explicationem & cau-
sæ redditionem pleniorem continent. Perinde enim hoc est, ac si diceret: Cùm in eum finem me mi-
seris ô pater, vt electis tuis dem vitam æternam: hæc autem in tui & mei cognitione potissimùm con-
sistat, opus omnino fuerit, vt meam gloriam vindices, vt me omnes agnoscant, & per me in tui quo-
que cognitionem adducantur. Et Dei cognitionem quidem ipsam vitam æternã vocat, eò quòd ei-
la via & ratio est, qua ad illam peruenitur. Quàm diu enim Dei cognitione destituimur, in tene-
bris & in morte sumus: eò quòd sine illa neque in cultu Dei aliquid certi habere, neque vitæ nostræ
rationem ad illius placitum instituere possumus. Quæ causa est, quòd cùm nostræ salutis studiosissi-
mus sit Deus, hoc potissimùm agit, vt in sui cognitione nos instituat. Hanc enim in fœdere tradit,
quod cum Abrahamo & eius posteris percussit. Ab hac legis suæ promulgationem orditur. Hanc
prophetæ passim prædicant. Imò hic præcipuus omnium Dei operum & iudiciorũ vsus est, vt ipsum
agnoscere, agnitum verò timere, colere & eidem fidere discamus. Sed & gentium sapientes in Dei co-
gnitione præcipuam sapientiam & hominis felicitatem consistere putarunt, & proinde in illa inqui-
renda omnes ingenij vires intenderunt. Quia tamen ijdem vera luce destituebantur, & humanæ ra-
tionis dictata sequebantur, irritum fuit omne illorum studium. Quod non inelegantichria Simoni-
des olim confessus est, vt supra capite decimoquarto, Homilia centesima trigesima secunda diximus.
Cuius modestiam si reliqui quoque omnes secuti fuissent, & hodie etiam sequerentur, qui ex suo cere-
bro de diuinis omnibus temere pronuntiant, minus errorum inter homines cerneretur.

Cognitio Dei in quo consistat

Audiamus ergo Christum, qui veram Dei cognitionem (quanta nimirum nobis ad salutem suf-
ficere potest) breuiter & dilucidè comprehendit. Nam vitam æternam in eo consistere ait, vt pa-
trem cognoscamus solum esse verum Deum. Non debent autem hæc verba sic accipi, quasi se Deum
esse neget Christus, vel à patris substantia seipsum excludat: quo sensu olim Ariani hoc dicto ab-
usi sunt, & nostro seculo aliquos hoc suæ impietatis quasi principium & fundamentum posuisse vi-
dimus, super quod noui Arianismi ædificium superstruere conati sunt. At qui ita exponunt, Chri-
stum sibijpsi contradicentem fingunt, qui antea non vno loco se patri coæternum & coessentialem
esse testatus est. Et ne omnia eius quæ superius audiuimus repetamus, mille testimoniorum instar
potest censeri, quod supra Cap. 10. dixit: Ego & pater vnum sumus. Et in præsenti non obscurè suam

Deitatem

Deitatem asserit, quando se vitam æternam electis dare ait, quam solius Dei donum esse omnes scripturæ docent. Quæ omnia Ioannes apostolus probè considerans de Christo scribit: Hic est verus Deus & vita æterna. Cur ergo sic loquitur ais? Vt cognoscant ô pater te solum esse verum Deum. Respondeo, hîc simpliciter de vero Deo verba fieri, & hunc innumeris gentium Dijs opponi, qui tunc in orbe colebantur. Solum autem hunc cognosci vult, vt reliquos illos omnes excludat. Quem sensum Paulus quoque secutus esse videtur, quando in priori ad Corinth. capite octauo ait: Scimus, quòd nullus est Deus alius, nisi vnus. Etiamsi enim sint qui dicantur Dij & in cœlo & in terra (sicut sunt Dij multi & Domini multi) nobis tamen vnus est Deus, Pater ille, à quo omnia, & nos in ipso. At quando scriptura simpliciter absque personarum respectu de Deo loquitur, patrem quidem nominat, sed in illo filium simul & Spiritum sanctum comprehendit. Nam quæ passim nobis Deum vnũ prædicat, simul tamen Iehouæ nomen & propria filio quoq; & spiritui tribuit, & sic in vna Deitatis essentia tres personas monstrat. Quicunque ergo huius loci authoritate Christum Deitatis gloria spoliant, & eum patre minorem faciunt, ij verba eius violenter in alium sensum atque vsum detorquent. Nec enim hîc inter se & patrem quoad diuinitatis naturã distinguere voluit, sed in Mediatoris persona loquitur, & vnius veri Dei cognitionem nobis commendat, qui est Pater, Filius & Spiritus sanctus. Discamus itaque hanc demum veram & salutiferã esse Dei cognitionem, qua vnus & solus verus Deus agnoscitur, & sic quidem, vt hoc vno contenti simus, omnemque salutis fiduciam in eo vno collocemus. Est hoc religionis & salutis nostræ præcipuum caput, sicuti ex fœdere Dei, ex Decalogo & tota scriptura apparet. Et idem hoc inter fidei articulos primo loco maiores nostri posuerunt: vbi fatemur nos credere in vnum Deum, patrem omnipotentem, creatorem cœli & terræ, &c. Confutat ergo Christus hoc dicto omnes, qui Deos plures fingunt, & quæ apud vnicum illum quæri debebant, in creaturas aut Diuos cœlites transferunt. Si enim vitæ æternæ ratio in eo consistit, vt solum verum Deum agnoscamus, ab ea exorbitabunt procul dubio, quicunque alios illi coniungere, aut in eius locum nouos substituere solent.

Caterùm in veri Dei cognitionem non venitur absque mediatore, qui est filius Dei in carne manifestatus: quod ipse supra testatus est, dicens; Nemo venit ad patrem nisi per me. Ideo addit hoc loco, Et quem misisti Iesum Christum. Missionis meminit vt ipsum in Mediatoris persona loqui intelligamus, & ita simul comprehendit totum suæ incarnationis mysteriũ, cuius hic finis & vsus est, vt per ipsum Deo patri reconciliati seruemur. Ita q; non de vulgari Dei cognitione hîc loquitur Dominus, qualem dæmones quoque habent, qui (vt Iacobus dicit) & Deum esse credunt, & coram illo contremiscunt: sed eam intelligit, quæ ex fide est, & quæ homines per ipsum Deo coniungit, atque eosdem ad Dei imaginem reformat. Commendat hanc Paulus, quando ad Colossen. scribens monet, vt exuto veteri homine nouum induamus, qui renouatur ad agnitionem, secundùm imaginem eius, qui condidit ipsum. Eandem etiam prophetæ intelligũt, quando fore aiunt, vt omnes gentes relictis superstitionibus & idololatria Deum verum cognoscant & ad illum conuertantur. Quod ideo diligenter obseruari debet, ne quis sibijpsi imponat, dum vulgarem illam Dei cognitionem, quam impij quoque cum dæmonibus communem habent, ad salutem sufficere arbitratur. Hîc enim de vera & viua fermo est, quæ solis electis contingit, & quæ cum fide coniuncta homines in filios Dei regenerat. Vnde simul colligitur, salutẽ in sola Christiana religione & fide inueniri, quia sola hæc Deum verum in Iesu Christo agnoscit, & illi per hunc nos conciliat. Imò hæc nos in filios Dei regenerat, & dum hîc viuimus in omni tentationum lucta victores facit: hac autem vita defunctos in cœlestis regni hæreditatem euehit. Huic ergo studeamus, & relictis hominum placitis atque traditionibus, vnum Iesum Christum audiamus, qui vnicus æternæ veritatis doctor & cœlestium bonorum mediator nobis à patre constitutus est. Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

Christus mediator inter Deum & nos.

HOMILIA CL.

Ego te glorificaui super terrã: opus consummaui, quod dedisti mihi ut facerem. Et nunc glorifica me tu Pater apud temetipsum ea gloria,

quam habui apud te priusquam hic mundus existeret. Manifestaui nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi è mundo: tui erant, & mihi eos dedisti, & sermonem tuum seruauerunt. Nunc cognouerunt, quòd omnia quæ dedisti mihi, abs te sũt. Quia uerba quæ dedisti mihi, dedi eis: & ipsi acceperunt & cognouerunt uerè quòd à te exiui, & crediderunt quòd tu me misisti. Ego pro eis rogo, non pro mundo rogo, sed pro ijs quos dedisti mihi: quia tui sunt, & mea omnia tua sunt, & tua mea sunt: & glorificatus sum in eis. Et non sum amplius in mundo, sed ipsi in mundo sunt, & ego ad te uenio.

QVàmuis Dominus noster Iesus Christus precationem, quæ hoc capite describitur, propter nos instituerit, primò tamen de ijs agit, quæ ad ipsius personam pertinent: eò quòd sine illius salute nostra non potest consistere. Petit autem vt pater gloriam suam asserat, ne crucis ignominia & tristitia hac enascente scandalo obscuretur: sed potius veri Dei cognitione omnes illuminentur, & vitam æternam in ipso inueniant. Videmus eo loco quantum & quàm ardens sit Christi studium, quo salutem nostram promotam cupit, & quòd idem generalis omnium seruator sit, qui ipsum vera fide apprehendunt. Sequitur modò præsens hic locus, quo primùm quædam subijcit, quæ ad præcedentium illustrationem atq; confirmationem faciunt: deinde ad alteram huius precationis partem transit, quâ discipulos patri commendat.

Qualem gloriam Christus petat à patre.

Quoad primum, petitionis suæ causam adducit, simulq; docet qualem gloriam sibi dari cupiat. Ego (inquit) te glorificaui super terram: & cætera. Sensus est: Æquum & iustum est, vt qui tantam gloriam prouehunt, vicissim te quoque suæ gloriæ & honoris vindicem habeant: Atqui ego te glorificaui, & me totum tibi impendi. Iure igitur peto, vt me etiam glorifices tu, eoq; iustior est mea petitio, quòd nihil noui aut à me alieni peto: sed vt eam mihi gloriam vindices, quam apud te habui priusquam hic mundus existeret. Fac ergo, vt sicuti tuus sum filius ab æterno, eiusdem tecum essentiæ, maiestatis & potentiæ: ita nunc caro quoq;, quam ex tuæ voluntatis decreto assumpsi, in gloriam illius cœlestis societatem recipiatur, & me talem esse orbi toti innotescat. Itaque apud patrem vult glorificari, ne quis ipsum inanem & caducam huius mundi gloriam quærere arbitretur. Atque hîc nonnulla diligentius consideranda veniunt.

Deus ipsum glorificantes glorificat.

Primùm, quòd se ideo à patre glorificari petit, quia ipse illum glorificauerit. Est hæc perpetua iustitiæ diuinæ regula, quòd suæ gloriæ vindices Deus honore & gloria vicissim exornat. Exempla eius rei passim occurrunt, quæ imprimis illi considerare debent, quos propter munus, quod sustinent, authoritate præ cæteris instructos esse conuenit: quales sunt ecclesiarum ministri, magistratus, iudices, pædagogi, patresfamiliàs & horum similes. Quòd si ijdem aliquando à mundo ingrato indigna suæ pietatis præmia referunt, & multorum odijs expositi sunt, qui eos contumeliose prosequuntur, apud Deum tamen glorificantur, qui huius seculi infamiam æternæ & cœlestis gloriæ præmio leuiciet, & apud posteros quoque nominis ipsorum famam vindicabit. At quia de his alibi quoque actum est, hîc consultò breuiores sumus.

Quomodo Christus patrẽ glorificauerit.

Deinde, quomodo patrem Christus glorificauerit, videamus. Exponit hoc ipse, quando ait: Opus consummaui, quod dedisti mihi vt facerem. Quod verò opus illud fuit, quod filio pater mandauerat? Hoc nimirum, vt miseros mortales ex peccati & diaboli seruitio redimeret, eosque ex errorum & superstitionum tenebris ad veri Dei cultum reduceret, denique Dei patris regnum in terris instauraret. Fecit hæc omnia per doctrinam Euangelicam & miracula, imprimis verò per mortem, qua peccata hominum expiauit: & resurrectionem, qua mortis vires & diaboli imperium fregit: ascensionem item, qua de omni potestate aduersaria triumphauit, humanam carnem in cœlestes æternæ beatitudinis sedes intulit, vt pignus esset totius summæ aliquando illi redigendæ, vt Tertulliani verbis vtamur. Nunc verò opus istud se consummauisse dicit, quia quæ ad eius perfectionem adhuc restabant, iam in foribus erant, & hæc quoque intra paucos dies perficienda esse certò sciebat. Hinc verò generalis doctrina peti debet: Deum obedientia nostra potissimùm glorificari. Vt enim magistratuũ maiestas & gloria in populi ad quæuis parati nostra

hotaria industria maximè elucet, & parentibus ex fidei filiorũ obsequio plurimum gloriæ accedit: Ita Deo tunc demum honorem verum & ipsi longè gratissimum exhibemus, si obedientia nostra & diligenti mandatorũ eius executione illi seruire studeamus. Tunc enim & illius iustitiæ, sapientiæ & veritati testimonium ferimus, & simul nostro exemplo alios ad ipsum glorificandum excitamus: quod vt à nobis fiat, Christus apud Matthæum Capite quinto peculiari præcepto mandat. Et hæc causa est, quòd per Samuelem Sauli dicit Dominus: Melior est obedientia quàm victimæ, & auscultare præstat quàm offerre adipem arietum. Potest autem hæc doctrina latissimè diduci, & debent eam sibijpsis applicare omnis loci & ordinis homines, vt discant, tunc se Deo honorem & cultum gratissimum exhibituros, si in eius voluntatem intenti ea sedulò præstent, quæ ab illo in mandatis acceperunt. Sed probè hîc obseruari debet, eam demum obedientiam Deo probari, quæ in Dei præcepta respicit: imò non mereri obedientiæ laudem eos, qui in rebus agendis nullo certo Dei præcepto nituntur. Seipsos ergo & alios fallunt, qui inanes & arbitrarios cultus ob edientiæ titulo palliant, quam ecclesiæ deberi aiunt. Nec enim ecclesiæ est nouas leges ritusq; nouos condere, sed à Deo accepta fideliter custodire. Omnes ergo illi cultus ad ἐθελοθρησκίαν pertinent, quam vniuersam olim damnauit Deus, quando hominum statutis & traditionibus se nequicquã coli dixit. Deo igitur verum cultum præstant, qui verbum eius audiunt, Christum fide vera apprehendunt, sacramentis rite vtuntur, innocenter viuunt, charitati student: & præterea pro suæ vocationis ratione vel in ecclesia sedulò docent, vel in foro ius dicunt, vel artes manuarias exercent, vel agros colunt, vel liberos sanctè educant, &c. Hæc enim Deus fieri iussit, alia verò ab hominibus partim superstitiosis partim auaris excogitata sunt.

Habemus præterea loco hoc euidens & luculentum æternæ diuinitatis Iesu Christi testimonium. Si enim gloriam habuit apud patrem priusquam mundus crearetur, ipsum quoque ante mundi constitutionem fuisse oportet, & proinde æternus verusque Deus est. Sufficit hoc argumentum pijs aduersus omnes hæreticos, quorum alij Christum ante incarnationem planè nullum fuisse, & in virginis vtero demum cœpisse, alij etsi augustinus de eo sentire videantur, illi tamen principium nescio quod tribuunt, & eundem patre minorem esse contendunt. Nisi enim eum mendacem dicere velimus, illum ante mundi huius creationẽ extitisse, & proinde æternum esse fateri oportet. At cùm hoc verum & solius Dei proprium sit, illum Deum esse constat, patri coessentialem & eiusdem cum illo maiestatis. Quia verò hæc alibi fusius tractata sunt, nunc omissis ijs ad alteram huius precationis partem transeamus, qua pro discipulis siue apostolis suis intercedit. Est ea consideratu dignissima multas ob causas, maxime verò ob eam, quòd inde apparet, quanta apud nos esse debeat doctrinæ ipsorum authoritas. Deitas Christi asseritur.

Orditur autem ab eorum descriptione, & multa præmittit in ipsorum cõmendationem, vt ostendat se hîc quoque iusta & æqua petere. Summa enim omnium est, eos germanos esse discipulos, qui doctrinam verbi Dei ex animo amplexi, & proinde digni sint, quos pater sibi commendatos habeat. Sed multis hoc dicit, vt magis consoletur, ideoq; præstat singula verba inspicere. Primò ait: Manifestaui nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi, &c. Nomen Dei (vt alibi monuimus) in scriptura dicitur omne id, ex quo ipse cognosci potest, vel potius quicquid de illo prædicatur, & à nobis sciri credíq; debet. Vult ergo dicere, eos abs se in veri Dei cognitione probè institutos, & proinde æquũ esse, vt qui soli illum verè nouerunt, ab eodem seruentur. Deinde exprimit de quibus loquatur, cùm addit: Quos dedisti mihi è mundo. Et mox hoc ipsum clarius exponens subijcit: Tui erãt, & mihi eos dedisti. Quorum verborum hic mihi sensus esse videtur: Non ego hos ex priuato carnis affectu mihi delegi instituendos, neque ipsi se mihi temerè iunxerunt, sed cùm tui essent, & iam inde ab æterno in hunc vsum destinati, tu eos mihi dedisti instituendos, & spiritus virtute animos eorum mouisti, vt me vocantem secuti sint, & mihi per omne laborum & periculorum genus comites indiuulsi adhæserint. Aequum ergo est, vt eos cures atque tuearis. Patet autem huius quoque dicti veritas ex apostolorum vocatione, in qua obedientiam eiusmodi videmus, qualem illi nunquam præstituri fuissent, nisi Deus efficaci spiritus sui operatione animos illorum traxisset. Tertiò, & sermonẽ tuum seruauerunt (inquit) & cognouerunt, quòd omnia quæ dedisti mihi abs te sunt. Id est, bonos & fideles discipulos se præbuerunt. Nec enim audierunt modò verbum tuum ex me, verumetiam animo Pro discipulis intercedit.

conceptum seruarunt, & ex eo cognouerunt, quòd omnia mea, non humana, sed diuina sint, & quæ abs te mihi mandata sunt & virtute diuina fiunt. His quartò per expositionem subijcit: Quia verba quæ dedisti mihi dedi eis, & ipsi acceperunt, & cognouerunt verè, &c. Quasi diceret: Ego non humanis figmentis eos imbui, sed tuo verbo ô pater instruxi. Ipsi verò illud seriò apprehenderunt, & ex eò verè didicerunt quis nam ego sim, & quid de me credi oporteat. Quòd nimirum ex te exierim, & potestplendor gloriæ tuæ, verusq; & æternus tuus filius: & quòd tu me misisti, vt nimirum homo factus, generis humani redemptor atq; seruator sim. Et hæc quidem in apostolorum commendationem dicit Dominus, non quidem propter patrem, cui hæc notissima erant, sed propter nos, quorum institutioni & consolationi ista seruiunt multiuariàm: quare diligentius adhuc expendi debent.

Apostolorum dignitas & authoritas.

Primò enim docet, quales censeri debeant apostoli. Vbi primum occurrit, quòd diuinitus electi & ab æterno ad hoc suum officium prædestinati fuerunt. Quod in seipso Paulus quoq; agnouit, quando se ab vtero matris segregatum fuisse ait, vt Christum inter gentes prædicaret. Deinde quòd filio in disciplinam dati sunt. Itaq; non in hominum scholis instituti, sed ipsius Dei discipuli fuerunt. Quod ipsum similiter de se Paulus testatur, quando euangelium, cuius ipse minister erat, se non ab homine accepisse, sed per reuelationem Iesu Christi didicisse scribit. Præterea Christus verba, quæ a patre acceperat, illis tradidit. Ergo non humana, sed diuina est doctrina, quam ex eo didicerunt. Postremò non sine profectu eximio eos in sua schola versatos esse testatur, quando eos verbum suum seruauisse & ex eo cognouisse ait, quæcunque de eius essentia & officio nos scire opus est. Est ergo doctrina eorum non diuina modò (vt diximus) verumetiam certa, perfecta & ad salutem nostram sufficiens. Impij itaque sunt, quotquot ei contradicunt, aut illius veritatem quacunq; ratione in dubium vocãt, quod hodie multi artificiosis planè disputationibus facere audent. Sed meminerint illi sibi non cum hominibus rem esse, sed cum æterno Dei filio, cuius apostoli & legati fuerunt, & qui his hoc tam insigni elogio ornare dignatus est. Confutantur item hoc Christi testimonio, qui apostolorum doctrinam veram quidem esse fatentur, eidem verò multa assuunt, quibus illam partim obscurant, partim abolent & euertunt. Atqui Dei filius non aliud eis tradidit, quàm quod à patre acceperat. Et idem ab illis nihil prædicari voluit, quàm quod ipse tradidisset: sicuti eius mandatum quod Matthæi vltimo habetur, disertè testatur. Adhæc Paulus tam seipsum quàm angelum anathema fore clamat, si euangelium aliud prædicet. Quis ergo non videat intolerabilem esse eorum impietatem & audaciam, qui hodie in ecclesia sibi eam potestatem vendicant, quam ne apostoli quidem datam fuisse scimus, quos orbis totius doctores Christus constituit?

Salutis nostræ ordo & ratio.

Describitur deinde his Domini verbis nostræ salutis ordo & ratio. Nam etsi hîc de apostolis & eorum officio potissimùm sermo fiat, in ijsdem tamen adumbratur, quibus gradibus & quatione singuli ad æternæ salutis cognitionem & hæreditatem perueniant. Huius principium atq; fundamentum est Electio, qua pater suos in Christo elegit priusquam mundus hic conderetur. Ephæos capite primo. Misit autem hunc præfinito tempore, vt in assumpta carne omnia ea perficeret quæ ad generis humani redemptionem pertinebant. Ad hunc vocat per euangelij prædicationem quos olim elegit, vt ab illo erudiantur. Ipsi verò occulta spiritus virtute tacti ad Christum veniunt, audiunt, audito credunt, & eius cognitione illuminati omnem in eo spem atq; fiduciam collocant. sicq; in illo salutem consequuntur. Est hic nostræ salutis ordo simplicissimus & totius scripturæ consensu confirmatur. Huic se accommodant verè pij, neq; eum spinosis disputationibus implicant & obscurant: sed ea potius obseruãt, quæ cognitu necessaria sunt, & quæ fidem nostram fulciunt, nosque ad veræ pietatis officia excitare possunt. Discunt enim ex eo, salutẽ nobis ex gratia obtingere, omnemque hanc laudem vni Deo tribuunt, qui nos priusquam essemus eligere, & postea filio suo merito redimere dignatus est. Deinde Christum amplexi, de salute sua minimè dubitant, quandoquidem constat verè electos esse, quicunque in illo inueniuntur: & illum esse fidum forcemque pastorem, qui oues sibi eripi non finit. Postremò huius gratiæ & tanti beneficij consideratione excitati, studeant vocationem & electionem suam (vt Petrus scribit) firmam facere, dum fidem qua Christo insiti sunt suis effectis testantur, assiduo nimirum verbi studio, inuocatione & precibus, vitæ innocentia, charitate, beneficentia & reliquis virtutibus, ad quas sese per Dei verbum & spiritum excitari sentiunt.

Adamus

Admonet etiam hic locus, quibus capitibus potißimùm constet Christi cognitio & vera in hunc fides. Apostoli enim duo cognouisse & credidisse dicuntur ex verbo Dei. Primum, quòd à Deo exierit, id est, quòd verus & æternus sit Dei filius. At quia idem verus quoq; homo factus est, quod ipsum illis perspectißimum erat, vtiq; Deum simul & hominẽ in vna indiuisa persona agnouerunt. Alterum, quòd à Deo sit missus. Missionis nomine officium significatur, cui illum pater destinauit, & cuius finis erat (vt ante diximus) humani generis redemptio. Talem ergo nos quoq; agnoscere & credere oportet: vt quoad personam eius, non in carne quam assumpsit subsistamus, sed in eius diuinitatẽ intendamus mentis nostræ oculos, Deumq; ipsum in carne manifestatũ esse credamus. Nam nisi id fiat, nullo stabili fundamento fides nostra nitetur, & proinde incerta vacillabit. Quoad verò officium eiusdem, à Deo prædestinatum & præfinito tempore missum credamus, qui nos redimere, regnum Dei in terris instaurare, & æternus ecclesiæ Dei Rex atq; Sacerdos esse debuerit. Et hæc quidem cognitio non aliunde peti debet, quàm ex Dei verbo: eò quòd mysteria hæc carnis ratione cõprehendi non possunt, sed spiritus reuelatione est opus, qui ferè verbo, ceu instrumento ordinario, vtitur. Coniunguntur autem à Christo simul fides & cognitio: eò quòd sine fide nihil de Christo cognoscatur, fidei autem tanta est certitudo, vt cognitio aut scientia dici mereatur, cùm non ex inani mentis speculatione, sed ex certo & in scripturis reuelato Dei verbo dependeat. Sed quia de his quoque alibi plura diximus, sufficiet pijs ea nunc obiter perstrinxisse.

Christi cognitio & fides in quibus consistant.

Redeamus modò ad Christum, qui his præmißis precationem infert, dicens: Ego pro eis rogo: nõ pro mundo rogo, sed pro ijs quos dedisti mihi. Habent autẽ singula verba emphasim. Primò enim dicit se suam personam exprimens, ait, Ego. Quasi diceret: Qui filius ille tuus dilectus, tibi coæternus & essentialis sum, & qui homo factus te inter homines glorificaui, & cuius preces non potes spernere, cùm et benignus pater & iustus remunerator sis. Deinde eos quoque exprimit, pro quibus orat, ne indignos commendare videatur. Non (inquit) pro mundo rogo, sed pro ijs quos dedisti mihi. Intelligit autem mũdi nomine eos, qui in corrupta illa humani generis massa pertinaciter hærent, vt nec ipsi ad Christum accedant, neq; hunc ad se venientem admittant. De his antea dixit, quòd spiritum veritatis non possint accipere, cuius virtute electi regenerantur. Nunc igitur eosdem à suæ intercessionis effectu, & proinde à patris quoq; gratia in vniuersum excludit. Est hoc graue dictum, quo discimus, salutẽ, cuius nobis author est Iesus Christus, ad solos credentes pertinere, qui relicto mundo & huius studijs ad illius ecclesiam transeunt: ab eadem verò excluſos esse omnes, quotquot in mundo hærent, & ab illo discedere aut segregari nolunt. Quod vtinam diligentius expenderent, qui hodie Christum quidem profitentur, interim verò carnis desideria secuti mundo adhærent, huius amicitiam diſertis Dei mandatis præferunt, & ideò huic gratificantur, vt eò liberius voluptuari & carnis genio indulgere queant. Continentur isti adhuc mundi societate, & proinde à Christi intercessione & Dei patris gratia excluſi sunt, quocunq; titulo pallientur. Interim meminerimus, Christi exemplum non temere nobis imitandum esse, vt ipsi quoque aliquos ex priuato affectu damnare & nostrarum precum intercessione indignos iudicare velimus. Alia enim est nostra, alia Christi ratio. Hic enim, quia in sinu patris est, & omnium arcanorum regni Dei conscius, nouerat qui nam curabiles essent, & qui curari nullo modo possent: ideoq; preces suas certo cum discrimine & iudicio insumere potuit. Nos verò istud ignoramus, & fieri potest, vt nunc totus mundo addictus sit, qui tamen ex electorum numero est, & suo tempore ad ecclesiæ & salutis societatem accedet. Habemus præterea Christi præceptum, qui inimicos diligere & pro illis orare iubet, qui nos diris deuouent & execrantur. Huic ergo nos accommodemus, & quæ nostrum sensum exuperant, Dei iudicio relinquamus, qui singulis olim iustè retribuet.

Christus intercessionem suam ad discipulos restringit.

Porrò vt ista intercessione magis confirmarentur discipuli, rationes & argumenta repetit, quæ prius adduxerat. Inter hæc præcipuum est, quod ab electione & prædestinatione æterna desumpsit, & ideò illud ipsum hîc quoque primo loco producit. Nam pro illis rogo (inquit) quia tui sunt, id est, electi & ab æterno in tuorum album ascripti sunt: & quia non alios tibi commendo, quàm quos pro tuis semper agnouisti, illos negligere nullo modo potes. Attamen ne ista temere dixisse, aut de patris voluntate dubitare putetur, mox rationem dicti huius interserit: Mea omnia tua sunt, & tua mea sunt. Quasi diceret: Non sine causa hos tuos esse dixi. Quia enim inter nos est essentiæ, potestatis, glo

Intercessionem argumentis cõfirmat.

riæ, verum demiq; omnium cõmunio, ego autem hos præ cæteris omnibus vocaui, vt mei sint discipuli & familiares: idem certè ea ratione tui quoq; sunt. Neq; etiam ista tam multis vrgeo, quod te illi negligere existimem: sed quia non minus mei quàm tui sunt, meritò mihi curæ sunt, & vt tibi vt commendatissimi sint curare debeo. Hic autem non oscitanter præterire debemus, quòd in æternum patris prædestinationem & gratuitam electionem subinde respicit Christus, & inde argumentatur, quibus preces suas confirmet. Ergo prædestinatio atq; electio neq; preces neq; alia pietatis exercitia abolent (vt quidam superstitiosi humanæ iustitiæ & nostrorum meritorum propugnatores volunt ferantur) sed ad ea potius nos excitant, dum illa Deo grata & accepta esse docent. Sed alterum quoq; rationem consideremus, quam ex discipulorũ persona petit, dicens: Et glorificatus sum in eis. Potest hoc ad anteacta & futura referri. Glorificatus enim iam erat in discipulis Christus, quando soli illi eum secuti sunt, quẽ pleriq; alij hostiliter persequebantur. Secuta verò est maior gloria, quando prædicatione sua totum penè orbem in Christi cognitionem adduxerunt. Eo autem sensu per catachrestallagen factum dicet, quod breui & certò futurũ sciebat. Nos autem rursum obseruabimus, Christum fidelem esse remuneratorem eorum, qui ipsius gloriam atq; honorem prouehunt. Excutere nos eius fides, vt pro eius gloria quidvis faciamus atq; feramus, neque nos eius pudeat, qui pro nobis extremam ignominiam, mortemq; ipsam subire dignatus est. Si enim in principum huius seculi gratiam multa faciunt, qui sese eorum seruitio addixerunt, & ab illis suæ virtutis præmia expectant, turpe fuerit nos his ignauiores deprehendi, qui Christi regis regum serui censeri volumus. Additium quoq; argumentum adijcit à necessario: Non sum amplius in mundo, sed ipsi in mundo sunt, & ego ad te venio. Sensus est: Necesse est vt tibi eos cõmendem ô pater. Ego enim illis posthac non conuersabor vt hactenus, ipsi autem in hoc mundo innumeris laboribus atq; periculis agitabuntur: proinde tuo auxilio & protectione opus habebunt. Hæc autem de corporis discessu & absentia intelligi debere totus verborum contextus indicat, imprimis autem collatio, qua se non amplius in mundo fore, discipulos autem adhuc in eo diutius versaturos esse testatur. Quod ipsum ex veteribus D. Augustinus diligenter obseruauit, qui inter alia patri commendatos ait, quos ipse corporali præsentia relicturus erat. Nos verò discamus, Christum suos neq; deseruisse neq; negligere, licet corpus suum mundo sustulerit. Nam & patri eos cõmendauit, qui nos pupilla oculi sui chariores habet, & sicuti prophetam promittit: & ipse simul nobis adest sua virtute & spiritu, quo ecclesiam & singula membra protegit atq; gubernat. Hoc vt consolationem nobis affert dulcissimam & valde efficacem, ita monet simul ne phanaticorum quorundam exemplo abrepti de eius corporali præsentia cogitemus, quam (vt alibi audiuimus) auferri oportuit, vt toti à Deo & spiritus gubernatione pendeamus. Potius ergo in Apostolorum doctrinam intenti simus, quos Dei filio tantopere cordi fuisse scimus. Prædicarunt hi illum solum, & in illo monstrarunt quæcunque nobis ad salutem conducibilia necessaria sunt. Hunc igitur amplectamur vera fide, & in ipso seruabimur: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

HOMILIA CLI.

Pater sancte, serua eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, ut sint unum, sicut & nos. Cùm essem cum eis in mundo, ego seruabam eos in nomine tuo. Quos dedisti mihi, custodiui: & nemo ex eis periit nisi filius ille perditionis, ut scriptura impleretur. Nunc autem ad te uenio, & hæc loquor in mundo, ut habeant gaudium meum impletum in semetipsis. Ego tradidi eis sermonem tuum, & mundus eos odio habuit, quia non sunt ex mundo, sicut & ego non sum ex mundo.

POstquàm Dominus & redemptor noster, Iesus Christus, seipsum & causam suam Deo patri commendauit, mox altera huius precationis parte pro discipulis suis intercedit, quos prædicationis euangelicæ ministerio destinauerat. Facit autem hoc magno serio, cùm quòd infinitis periculis exagitandos fore sciebat, tum quòd & illos & eorum successores confirmare voluit, ne mœrore ob-

rũ & pericula succumbant: sed cogitent se Deo patri commendatissimos esse, & proinde sub illius protectione tutos fore, quàm diu ipsorum opera ecclesiæ vtilis esse poterit. Nuper autem causas præcipuas exposuit Dominus, cur pro illis oret. His in præsenti ipsam petitionem subijcit, quæ & ipsa rationes aliquot interpositas habet.

Propositio & summa petitionis est: Pater sancte, serua eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, vt sint vnum, sicut & nos. Sensus autem verborum est: Tu qui & pater & sanctus es, & istos in eum finem mihi dedisti, vt eorum ministerio tuum nomen in toto orbe sanctificetur & illustre fiat: serua quæso eos in tuo nomine, vt vnanimi studio & consensu officium faciant, adeoq; vnanimitatis & consensus, qui inter nos est, typum atque imaginem referant. Et ratas fuisse istas preces, Actorum historia testatur. Qui enim prius ambitiosis contentionibus inter se frequenter commissi fuerant, postea vnanimiter cohabitauisse leguntur, quando spiritus sanctus super illos venit, qui eosdem arctiori vinculo constrinxit, vt per illos tota credentium multitudo ita coalesceret, vt vnum cor & vna omnium anima fuerit. Sunt autem verba hæc digna, quæ singula diligentius inspiciantur. Orat vt discipuli vnanimes sint.

Primò patheticè admodum ait, Pater sancte. Et patris quidem nomine comprehendit, quicquid de eius bonitate, gratia, clementia, fide & veritate dici potest. Eundem verò sanctum dicit, vt innuat, eum qui ab omni vitio & prauo affectu alienissimus est, petitionem tam iustam tamque necessariam reijcere nullo modo posse. Suo autem exemplo docet, vt ipsi quoque inter orandum talem animo concipiamus, qui pro paterna sua bonitate nihil eorum nobis negaturus sit, quæ per se æqua & sancta, simulq; nobis ad salutem necessaria sunt. Admonet nos de hoc orationis Dominicæ exordium, quo patrem nostrum inuocamus, qui vt in cœlis regnat & omnibus, quæ sub cœlo sunt, dominatur: ita nullis affectibus terrenis laborat, sed totus sanctus, iustus & bonus est. Et scripturæ nobis passim paternam Dei bonitatem & amorem nobis commendant, quo ille suos prosequi solet. Dauid certè in Psalmo centesimo tertio sic canit: Vt pater miseretur liberorum, ita Dominus eorum miseretur, qui timent eum. Apud Isaiam verò ipsemet testatur, se nos amando eum quoque affectum superare, qui in matribus erga suos liberos tenerrimus & vehementissimus esse solet. Et hoc verè dici, sæpius experimur, quando tunc etiam ille nobis prospicit, cùm à parentibus negligimur. Est autem hæc consideratio vtilissima, imò necessaria, vt fidem nostram fulciat, sine qua precum effectus nullus est. Simul verò officij nos ista admonent, vt quando nobis cum patre, & quidem cum patre sancto negotium est, ipsi filios agamus probos & obedientes, atque sanctimoniam sectemur, sine qua (vt Apostolus ait) nemo videbit Deum. Notũ est enim illud in Lege: Sancti estote, quia ego sanctus sum. Sancti autem erimus, si primò Christum amplectamur, qui nobis à patre sanctificatio factus est, deinde verò actiones nostras omnes Deo consecremus, & innocentiam eam conseruare tueamur, in quam ille nos constituit. Vide quæ de hac re scribuntur 1. Corinth. 5. & 6. Item 1. Thessal. 4. &c. Pater sancte.

Deinde, serua eos (inquit) in nomine tuo, id est, tua virtute, prouidentia, bonitate, veritate & gratia. Diximus enim alibi, nomen Dei esse quicquid de illo prædicatur: & quia idem ipsa est Veritas, nihil de illo prædicant scripturæ, quod ipsi non verè insit. Ita verò loqui voluit Dominus, se ostendat, in mundo nihil præter labores assiduos, pericula & omnis generis aduersa sperari posse. Sumus enim in terris hisce peregrini, & mundus reuera mare malorum est, quod nouis quotidie ventis atque fluctibus turbatur) salutem verò in solo Deo debere quæri, qui solus sua virtute omnibus imperat, & proinde tueri potest vbique locorum, quos semel in suam fidem suscepit. Ideò Dauid in Psalmo nonagesimo primo canit: Qui sedet in abdito excelsi, sub vmbra omnipotentis commoratur: Dicit Domino, asylum meum & arx mea, Deo meo nitar, &c. Et Christus alibi quoque suos discipulos ad Dei patris prouidentiam remittit, qui passerculos & pullos coruorum curat, & capitis nostri pilos in numerato habet. Docet autem nos, quando aduersis premimur, in Dei nomen respicere, vbi multiplex consolatio se nobis offert. Quia enim bonus & misericors dicitur, proculdubio nostris miserijs tangitur: quia pater est, filijs suis consultum volet: quia veritas vocatur, præstare potest: quia sapientia est ipsa, in quauis necessitate viam & rationem salutis facilè inueniet: denique quia iustus & remunerator est, bona fide eos tuebitur qui ipsius gloriam illustrare & Serua eos in nomine tuo.

ipsi fidele obsequium præstare studeant. Latissimè ergo ista patent, & exemplis quoque innumeris probari possunt: quæ omnia nobis in mentem reuocat Christus, quando orat, vt nos pater seruet in suo nomine.

Vt sint unum sicut & nos.

Præterea modum quoq; salutis exprimit, dicens: Vt sint vnum, sicut & nos. Debet autem similitudo hæc non exponi de substantiæ vnitate aut identitate (vt alij dicunt) quæ inter patrem & filium est: quia vt sic vniamur neq; possibile neq; vtile est, multò minus necessarium. Sed in Mediatoris persona loquitur Christus, & simul de fructu nos admonet, qui ex ipso ad nos redundat. Quasi diceret: Quemadmodum ego tibi vnitus sum, vt in me omnes bonitatis, sapientiæ & gratiæ tuæ thesauri contineantur: ita facias velim, vt isti quoque inter se coalescant animis suis, & sub me (qui illis caput factus sum) vnum corpus fiant, sicq; bonorum omnium consortes efficiantur, quæ humano generi per me conferre decreuisti, &c. At hîc probè obseruari debet, quòd salutis modum & rationem nobis in vnanimitate & consensione monstrat. Est ergo hæc non vtilis modò, verumetiam necessaria. Quia nisi in ipso coalescamus, fœda & horribilis dissipatio oritur in fide, in cultu & moribus seu vitæ totius consuetudine. Nam sententiarum de Deo & salutis nostræ ratione diuersitas ipsos quoque animos scindit, ceremoniarum verò dissimilitudo schismata & sectas excitat: & insuper si à corporis ecclesiastici vnitate auellamur, mox carnis affectibus abrepti per omne genus vitiorum vagamur, adeoque indomita libidine in omne scelus ruimus. Deinde Deus, qui vnus Deus est, non nisi ijs sua gratia & spiritu adesse solet, qui vnanimi consensu & studio concorditer se vnitisunt. Ibi enim (vt Psalmus 133. docet) mandauit esse benedictionem & vitam sempiternam. Vnde nos à contrario colligimus, apud eos maledictionem Dei, iram & interitum regnare, qui abrupto Christianæ vnitatis vinculo simultatibus, rixis, & contentionibus indulgent. Itaque ab ijsdem nihil rectè aut feliciter fieri potest. Nam vt ira viri (quæ dissidia nunquam non comitari solet) non operatur iustitiam: sic infeliciter cedant oportet omnia ijs, quos Dei maledictio sequitur. Sunt hæc probata omnium seculorum exemplis, & tam nota sunt omnibus, vt prophani quoque authores dixerint: Concordia res paruæ crescunt, discordia magnæ dilabuntur. Equidem quantas turbas & quàm fœdas dissipationes olim in ecclesia dederint episcoporum dissensiones ac concertationes, nemo ignorat. Et quantum hodie noceant ecclesiæ atque renascentis Euangelij propagationi, qui dogmata diuersa inuehunt & eadem ambitiosis contentionibus fouent atque tuentur, omnes pij vident. De republica verò quid attinet dicere, cuius incolumitatem à magistratuum & ciuium consensu potissimum pendere omnes cordati intelligunt, & experientia quotidiana abundè docet? An verò publicè aliquid rectè aut bene fiat inter discordes, cùm in priuatis ædibus omnia turbentur & in peius ruant, quàmprimùm æmulationibus, odijs, contentionibus atque rixis locus datur? In horum igitur consideratione sæpe & studiosè versentur ecclesiarum pastores, neque inconsiderate illis videatur eam vnitatem scindere, pro qua Christum iam moriturum imprimis solicitum fuisse videmus. Obseruent hoc ipsum qui rempublicam administrant, ne dum priuatas causas pertinacius agunt, publicorum dissidiorum authores sint. Et idem sibi quoque dictum putent patresfamiliâs, ne dum inter suos simultates fouent, rem domesticam simul omnem euertant. Quòd si fidelium omnes alienis exemplis & aliunde petitis rationibus non mouentur, seipsos quæso & corporis sui constitutionem inspiciant. Vt enim in hoc membrorum συμμετρία & concors humorum dispositio principua valetudinis bona causa est & conseruatrix: ita si vel membra phrenetico furore inter se commissa se mutuò lanient, vel humores suis locis deturbati inordinariè misceantur, mox morbi, mutilatio, & tandē mors totiusque corporis interitus sequi solet. Potuit olim Menenius Agrippa similimodi Apologo feroces Romanorum animos mitigare, vt positis dissidijs in concordiam redirent. At hodie tanta vbiq; animorum concertatione pugnatur, vt vix vllæ rationes locum inueniant, quæ certissima mundi ad interitum ruentis nota est.

Vnionis Christianæ ratio.

Cæterùm hîc probè tenendum est, quæ sit vera vnionis & consensionis Christianæ ratio. Eam mirum, quæ ad ipsius Dei exemplar instituitur, & in Christo Iesu radices habet, qui vt nos Deo patri reconciliat, ita suo etiam spiritu connectit, & eiusdem fidei vinculo arctissimè constringit, vt nullas dissidiorum causas admittere possint, qui se in illo vnum corpus factos esse intelligunt. Est autem propter illos obseruandum, qui consensum in superstitionibus & idololatria concordiæ Christianæ minus fa-

minè palliant, et nos ecclesiæ vnitatem scidisse vociferantur, qui toti in hoc sumus, vt relictis superstitionibus & sectis, quæ ex illis enatæ sunt, omnes ad vnum pastorem Iesum Christum colligantur. Et sanè nimium impudentes sunt isti, qui fidei vnitatẽ à nobis scindi queruntur, quæ nulla vnquam inter eos fuit, & quam illi nunquam monstrare poterunt, nisi consensum in erroribus & superstitionibus multum inter se pugnantibus fidei vnitatem dicere velint. Si enim vna & eadem est omnium fides, cur alius Benedicti, alius Bernhardi, alius Augustini sectã colit? cur inter illos factiosa Franciscanorum, Dominicanorum, Iacobitarum, Ioannitarum, Paulinorum nomina audiuntur? cur per diuersas vias ad cælos contendunt? cur Diuos diuersos inuocant? cur vestitu, sacris, ceremonijs inter se differunt? Nemo igitur vel istorum clamoribus & querelis, vel speciosõ vnitatis prætextu moueatur. Multò minus audiri debent, qui collusionem impiorum in sceleratis huius mundi studijs concordiæ titulis commendant, & nos pacis simul & concordiæ publicæ turbatores esse dicunt, quando improbas hominum prophanorum societates verbi prædicatione dissoluimus, omnesq; hortamur, vt relictis impuri mundi studijs Christianæ innocentiæ & charitatis leges custodiant. At quid hîc aliud facimus, quàm quod Christus fore prædixit, quando ait, se non venisse vt pacẽ constituat aut foueat (eam nimirum, qua infelix mundus gaudet) sed gladium, quo impiæ illæ sceleratorum collusiones discindantur? Hunc ergo audiant, & in hoc firmiter per veræ fidei vnitatẽ coalescant, quotquot Christianæ pacis & concordiæ amantes sunt.

Vnionis auctor Deus.

Vnde verò hæc vnitas procedit, aut quibus rationibus ad eam peruenirí potest? In nobis certè illa minimè reperietur, qui vt priuatis affectibus indulgemus, ita nouas quotidie damus turbarum aut dissidiorum occasiones. Ex Deo igitur illa obtingit, qui vt vnus est ipse, ita vnum quoq; facit omnes eos, qui se ipsi verè & ex animo consecrant. Suo enim spiritu nostræ carnis affectus mortificat, & author nobis est, vt idem sentiamus, & mutua charitate incensi, quæ aliorum sunt quæramus, non quæ nostra sunt. Hunc ergo Christus orat in præsenti, vt suos discipulos sui spiritus virtute conspringere velit, vt sancta vnitate inter se coalescant. Et eundem hodie assiduis precibus fatigare debent, qui ecclesiæ dissidijs consultum, aut illa sublata, volunt. Adhæc in eius voluntatem atque verbum omnes inspiciant, & hanc sibi vnicam constituant suæ fidei & vitæ regulam: & mox pax illa vera restituetur, quæ & Deo probabitur, & nobis plurimum momenti ad veram pietatem conferet. Qui verò ista negligunt, ij profectò nimis apertè se produnt, quòd nec gloriæ Dei studio, neq; publicæ aut priuatæ salutis cura tangantur.

Ostendit necessarium esse, ut pater discipulos seruet.

Porro redit Dominus ad rationes, propter quas discipulos patri tam sedulò commendat, quæ ferè à necessario desumptæ esse videntur. Primam his verbis enuntiat: Cùm essem cum eis in mundo, ego seruabam eos in nomine tuo, &c. Sensus est, quòd ipso iam discedente, qui illis antehac fidus patronus & protector fuerit, nunc alio patrono & tutore opus habeant. Et in patris nomine se eos seruauisse ait, non quòd se à patre inferiorẽ aut minorem faciat quoad diuinam naturam: aut quòd omni curæ & gubernationi ecclesiæ suæ in posterũ longum Valere renuntiet: sed in Mediatoris persona loquens, se diuinæ voluntatis ministrum & executorem hactenus fuisse docet, & posthac etiam suam curam & studium illis non obscurè pollicetur. Sic ergo vult dicere: Feci hucusque ô pater studiosè, quicquid mihi ex æterno tuo decreto in mandatis dedisti: & quàm diu in terris versatus sum, mihi concreditos ea fide seruaui & defendi, vt nemo ex eis perierit, nisi filius ille perditionis, Iudas nimirum, qui (vt scripturæ testantur) perditioni deuotus & prædestinatus fuit. Nunc autem ad te venio, id est, nunc tempus instat, vt peracto meo officio, non amplius corporaliter in terris versed assumptam ex hominibus carnem ad te in cælestis vitæ consortium eueham. Priusquàm ergo istud fiat, hæc in mundo loquor: & quidem publicè ipsis audientibus, vt habeant gaudium meum impletum in semetipsis, id est, vt certam & efficacem habeant consolationem, quæ illos de salute per me parta, de tua item bonitate & protectione non patiatur dubitare: & proinde inter media quoque persecutionum pericula in me solidum gaudium gaudere possint. Sic ergo patri eos commendat, vt sese sum minimè excludat, cùm gaudium illud, quo vno pij in hac vita sustentantur, non alibi quàm in seipso monstret. Quapropter idem Christus, qui olim suos seruauit, hodie etiam ecclesiæ suæ & singulorum fidelium propugnator atque protector est. Docet hoc alibi euidentius, quando se pastorem illum bonum esse pronuntiat, è cuius manu oues nemo possit rapere. Item de seipso, quem Petrus con-

fessus erat, loquens ait: Super hanc petram ædificabo ecclesiam meam, & portæ inferorum non prævalebunt aduersus eam. Et rursus, Ego (inquit) vobiscum sum vsque in consummationem seculi. Patri tamen cõmendat, vt nos in carnis suæ præsentiam respicere, aut in vllo præsidio externo confidere prohibeat: sed ab vnius Dei gratia & auxilio pendere doceat, qui suorum protector fidus est, neque externis præsidijs opus habet. In hunc quicunq; respiciunt, ij gaudio vero & solido frumento, cuius nobis author est Christus, & quod nullis huius seculi miserijs extingui potest &c. Humana verò omnia incerta & lubrica sunt. Falluntur ergo, quotquot in illis aliquam spem siue fiduciã collocant. Imò miserrimi & stultissimi sunt mortalium, quicũq; relicto Deo ad alia præsidia confugiunt, quæ quàm vana sint quotidie experimur.

Christus suõrum rationem reddit patri.

Debet præterea diligenter obseruari Iesu Christi exemplum, qui iam moriturus Deo patri tam exactam reddit rationem eorum, quos seruandos & instituendos ab illo acceperat: & ne tunc quidem se omni officio defunctum arbitratur, nisi in posterum quoq; illis prospiciat. Est hoc magnæ fidei & studij præclari argumentum. Imitari autem illum debent omnes ministri ecclesiarum, qui vt illius quoq; speculatorum & pastorum instar constituti sunt: ita ab illis etiam rationem exiget Deus, nec impunè ferent, si quem sua vel perfidia vel negligentia perdiderint. Vide quæ in hanc sententiam dicuntur apud Ezechielem Cap. 33. Item Matth. 25. in talentorum parabola. Quibus planè conueniunt, quæ Paulus in Miletana Synodo Asiæ ministris magna cum grauitate proponit, Act. 20. Vtinam verò istorum meminissent, qui vel ignaui omnia dissimulant, vel etiam ob vile lucrum ecclesias suas deserunt, sicubi pinguioris stipendij spes affulget. Viderint illi, quomodo rationem reddituri sint Deo, cùm nihil minus dicere possint, quàm quod in præsenti de semetipso dicit Christus. Id quod ministris dicitur, hoc ipsum ad principes quoq; et magistratus pertinet, ad patresfamilias, ad & puerorum institutores, ad omnes denique, quorũ fidei & curæ aliqui vel publicè vel priuatim commissi sunt. Cogitent omnes isti, se Dei depositum custodire, & proinde cum sacrilegio coniunctam ignauiam seu perfidiam, qua illi perduntur, qui Deo consecrati esse debent.

Iudæ non profuit Christi industria.

Simul verò nos hîc eius etiam meminisse oportet, quòd etsi omnem industriam atq; fidem in seruandis adhibuerit Christus, perijt tamen Iudas perditionis filius. Et hoc secundùm scripturas factum fuisse dicitur: quod non ita accipi debet, quasi præter animi sui voluntatem violenter in exitium abreptus sit. Illum enim propria malitia peccauisse, & fidas admonitiones impiè contempsisse diximus, quibus eum Dominus ab interitu reuocabat. Quia ergo talem fore præuidit spiritus sanctus, hæc de illo in scripturis prodidit: non autem quia hæc scripta erant, ille peccare & in perniciem ruere coactus fuit. Sed de his alibi abunde dictum est &c. Nunc discamus, non statim damnari debere aut vehementius traduci eos, qui in seruandis & custodiendis suis interdum minus proficiunt: adeò vt si illorum custodia aliqui exorbitent & malè pereant. Accidit hoc olim sanctissimis patribus, Abrahamo, Isaaco, Iacobo, Mosi item & prophetis, & hoc ipsum sibi accidere quoad Iudam, Christus fatetur. Paulus quoq; nonnullorum meminit, qui turpi defectione salutis propriæ iacturam fecerunt. Non ergo desperent, aut studiũ suum Deo minus probari arbitrentur fideles ministri, aut quando alij suum officium bona fide faciunt. Nec enim ipsis fraudi erit incurabilis & deplorata aliorum malitia: sed in ijs culpa perditionis hæret, qui in impietate contumaciter pergunt, illi verò mundi sunt ab omni sanguine, & (vt Ezechieli dicitur) animas suas liberauerunt. Quia tamen pro aliorum & graue est &c, si se operam suam malè perdere videant, proderit in hac etiam parte Christum imitari, & in scripturas respicere: vbi mox intelligent, nihil nouum aut insolens sibi accidere, si ecclesiam semper habere sua zizania, quæ cùm neque corrigi possint, neque sine periculo multorum euelli, ea ferre oportet vsque in diem illum iudicij, quando singulis Dominus digna facti sui premia retribuet. Similiter priuatim quoque singuli scripturas sibi familiares habeant, vt ex illis petant remedia contra scandalum, quod ex multorum defectione, ex indomita & vulgò regnante peccandi licentia, ex turbis & persecutionibus piorum enascitur. Videbunt enim hæc quoque nunc nouata, sed olim à Christo & Apostolis prædicta esse, & ideò ijs non ita facilè offendentur. Quia enim in his experiuntur sacrarum literarum veritatem, non dubitare possunt de ijs, quæ ibidem de vltimo Iesu Christi aduentu, de mortuorum resurrectione, impiorum pœnis, & piorum præmijs habentur: ex quibus consolationem non vulgarem capiunt.

Cæterũ

Cæterùm addit his aliud quoq; argumentum Dominus, quo docet, necessariũ esse vt discipulos pater in suam fidem atq; protectionem suscipiat: eò quòd toti mundo exosi, & proinde multorum iniurijs atq; periculis infinitis expositi sint. Vt autem maior sit argumenti authoritas, causam odij istius diligenter exprimit: Nimirum, quòd non sic mereantur tractari propter sua scelera, sed quia verbi Dei administri sint, sedq; ipsos ab impuri mundi consortio segregarint, vt Deo consecrati esse queant. Ego (inquit) tradidi eis sermonem tuum (vt scilicet hunc in toto orbe diuulgent) & mundus eos odio habuit, quia non sunt ex mundo, sicut & ego non sum ex mundo. Rationem huius odij supra Cap. tertio clarius exposuit, quando dixit, mundum propter opera sua mala veritatis lucem ferre non posse, & ideo eos persequi, penes quos illa lucet, aut qui eam inferre student. Seipsum autem cum discipulis conferens, se ex mundo esse negat. Quod non de carnis essentia exponi debet, quasi illam cuiusmodi attulerit (quod olim Valentini & Apellis sectatores finxerunt) sed ad mores, doctrinam, mentem & vniuersum quod in terris debuit exequi negotium refertur: quæ omnia non terrestria & mundana, sed cœlestia & diuina fuerunt. Discipuli autem ex mundo non erant amplius, quia renati ex spiritu in Dei filios mundum reliquerant.

Discipuli mundo exosi.

Nobis autem hîc rursus obseruandũ venit, doctrinam apostolorum, non humanam, sed verè diuinam, imò ipsissimum Dei verbum esse. Nam ego (inquit) tuũ sermonẽ dedi eis. Quia verò ipsi non aliã quàm quæ à Christo acceperant, prædicarunt atq; scripserunt, Dei sermonẽ esse constat quicquid per illos ecclesiæ est traditum. Procul ergo arceri debent, qui verbum Dei aliquod fingunt non scriptum, cuius nulla sit in apostolorum libris mentio, quos illi inanem & mortuam literã vocant: & ea ratione noua quotidie somnia fingunt, quæ verbi diuini nomine venditant. Simul verò perstringitur hîc mundi infelicis peruersitas, qui & verbum Dei odit, & propter hoc eos etiã persequitur, qui salutis ministri atq; maximorum beneficiorum ipsi authores sunt. Est hoc vetus malum, quod semper in orbe regnauit, vt passim historiæ testãtur. Quò minus nos hodie offendi decet. Discamus potius quàm fallantur, qui de doctrina & fide ex mundi consensu iudicant, & eam doctrinã ab omnibus volunt admitti, quæ maiori hominum parti probatur, adeoq; illis ferè arridet solis, quorum mores & studia abunde testantur eos ex mundo esse, neq; adhuc eius studijs renuntiauisse. Præterea dulcissimam consolationem locus iste continet. Docet enim nos eò magis Deo cõmendatos esse, quò magis nos mũdus odit & infestat. Vt enim boni principes eos præ cæteris amare & suo fauore prosequi solent, quos in suam gratiam periclitari & multorũ odia sustinere sciunt: Ita Deus non potest non amare & tueri eos, qui propter ipsum & verbum eius mundo exosi sunt. Quin debet hinc generalis doctrina peti, humana ope destitutis Dei auxilium ex alto affulgere: quod omnium seculorum exemplis probatum est. Discamus igitur inter quæuis pericula Deo fidere per Iesum Christum, qui nunquã perire sinet eos, quos mortis suæ merito seruauit, & quorum perpetuus apud patrem mediator est. Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

Apostolorum doctrina ex Deo est.

HOMILIA CLII.

Non rogo ut tollas eos è mũdo, sed ut serues eos à malo. Ex mundo non sunt, sicut & ego nõ sum ex mundo. Sanctifica eos in ueritate tua. Sermo tuus ueritas est. Sicut misisti me in mũdum, ita & ego misi eos in mundum. Et pro eis ego sanctifico meipsum, ut sint & ipsi sanctificati in ueritate.

QVemadmodum homo pro carnis ingenio in omnibus externa modò & terrena respicit: sic de diuina etiam ope & protectione secundùm externam faciem rerum iudicat, nec sẽ Deo curæ esse arbitratur, nisi eum sibi visibiliter (vt sic dicã) adesse sentiat. Itaq; diligenti institutione opus est, vt intelligamus nos tunc quoq; à Deo iuuari & protegi, quando omnia fallunt, in quibus aliqua auxilij spes affulgere poterat. Obseruat hoc diligẽter Dominus, cùm alibi in suis cõcionibus, tum in hac sua precatione, qua apostolos patri suo commendans eiusmodi rationibus vtitur, quæ fidem nostram in medijs quoq; periculis confirmare & sustentare possunt. Et nuper quidem summam petitionis præ

misit his verbis: Pater sancte, serua eos in nomine tuo, &c. At quia hoc obscurius dictum videri poterat, exponit modò quis petitionis huius germanus sensus sit, quomodo item & in quem finem ipsos seruari velit. Estq; huius loci doctrina admodũ necessaria. Pleriq; enim (vt modò diximus) se tunc demum seruari putant, si extra omne periculum constituti & omnium malorum immunes sint: & ijdem quàm primùm aliquid aduersi sentiunt, mox de Dei fide conqueruntur, & impatientia superati stationem suam deserunt. Audiamus ergo Christum Dominum, qui de auxilij & protectione diuinæ modo aut ratione sic disserit, vt simul doceat quid nos quoq; in periculis precari deceat, & quem precum nostrarum finem aut scopum constituere debeamus.

Quomodo discipulos suos seruari uelit Christus.

Primò seruandi verbum explicat, sic dicens: Non rogo vt tollas eos è mũdo, sed vt serues eos à malo. Est autem è mundo tolli idem quod liberari aut eximi à cõmunibus molestijs, quæ in hoc mundo viuentibus solẽt accidere, & morte placida atq; honesta ad æternæ vitæ sedes colligi. Malum verò hic κατ' ἐξοχὴν dicere videtur diabolum, qui peccati et omnis ex eo enascentis mali præcipuus author est. Sensus ergo verborum Christi hic est: Precatus sum paulò ante ô pater, vt hosce meos discipulos seruare digneris: Id verò non ita accipi velim, vt à cõmuni piorũ sorte exempti otientur, aut mox transferantur ad cœlestis regni consortium. Prius enim cursum suũ absoluant oportet, & quia ad euangelij ministerium destinati sunt, fieri non potest quin mũdo exosi sint, & proinde multa ferũt incommoda nouisq; quotidie periculis obijciantur, quæ illos patienter ferre conueniet. Peto autẽ vt eos serues à malo illo & publico humani generis hoste, diabolo: ne vel eius insidijs & illecebris circunuenti ad impura mundi huius studia declinent, vel impatientia superati succũbant inter pericula & certamina, quæ illis sustinenda sunt. Docet autẽ his verbis Christus, piorum salutem & incolumitatẽ nõ in otio ignauo & immunitate ab huius seculi molestijs consistere, sed in protectione Dei & spiritus virtute, qua fit, vt aduersa nobis adiumento sint in bonũ, dum illa patienter ferimus, & in fide constantes mundo simul & eius principe diabolo superiores efficimur. Itaq; in præsenti exemplo nobis proponit Dominus, quod imitemur, & secundum quod preces nostras instituamus, si quãdo cruce & afflictionibus premimur. Cogitemus tunc primò, nos in mũdo versari, qui vt totus in malo constitutus est, ita periculorum, laborum & omnis generis calamitatum plenus est, & proinde non mirum esse, si quid huius ipsi quoq; experiamur. Deinde simul in Dei prouidentiam oculos conijciamus, quæ nihil nobis temere euenire sinit, sed ea etiam certo cõsilio regit, quæ nobis fortuita esse videntur, aut ab improbis & malitiosis hostibus immittuntur. Huius ergo voluntati nos patienter submittamus, neq; detrectemus ferre quod ille imponit, qui vt iustè omnia administrat, ita nostri amantissimus est, & saluti nostræ consultum cupit. Quapropter neq; impatienter aduersus illum murmurare, neq; eidem præscribere debemus quid faciat: sed hic nobis precum nostrarum finis sit, vt Dei voluntas in nobis fiat, ipse autem nos contra diaboli insidias tueatur, ne quid à nostra vocatione alienum & saluti nostræ inimicum committamus. Ad hunc modum paulò post Christus orauit ad illum montem, & ita nos ille orare iubet in ea formula, quam discipulis tradidit. Huius ergo meminerint, qui in publico aliquo munere constituti laboribus & periculis quotidie nouis exercentur. Est hic carni molestissimum, & interdum ponderis grauitate oppressi à statione sua discedere & rude donari cupiunt, sicuti in Mosis & Eliæ exemplis est videre. Sed tunc succurrat, non in nostro arbitrio esse vitæ nostræ cursum, & tam diu nos Deo obsequium fidum præstare debere, quàm diu is nostra opera vti dignatur, & nos eam multis alijs vtilem vel necessariam esse videmus. Obseruauit hoc olim diligenter Paulus, quando ex vinculis ad Philippenses scribebat: Coarctor vtrinq; desiderãs dissolui & esse cum Christo: nam id longè optimum est: Sed permanere in carne, magis necessarium est propter vos, &c. Idem dicant & sentiant boni magistratus & fidi ecclesiarũ ministri, si quando grauiori pondere laborum & periculorum vrgentur: Vellemus quidem ô Deus, semel omnes molestias deponere, & hac vita simul & laboribus defuncti tecum in cœlis viuere. Sed quando tibi aliter hucusq; visum est, non hoc petimus, sed vt nos serues ab hostis maligni insidijs, & tuo nos spiritu regas, vt nostræ actiones & studia tuæ gloriæ & multorũ saluti seruiant. Hoc ipsum loquantur & orent parentes, quando in filiorum educatione, curis & laboribus innumeris discruciantur. Singuli deniq; priuatim ita precentur, quando vel egeni esuriũt, vel ex morbis diuturnis decumbũt, vel exilij molestias aut belli pericula sustinent. Qui hoc faciunt, ij & pietatis & veræ fortitudinis laudem merentur: quia & suum

suum Deo obsequiũ præstant, & fortiter ferunt quæ illis incumbunt certamina. At qui pericula & labores detrectant, aut mori cupiunt quàm primùm non omnia ipsis pro voto succedunt, ij certè neq; ipsi neq; fortes sunt, cùm Deo immorigeri sint, & periculis tam facilè succumbant. Erant hæc obseruanda Monachis, qui vt mundum reliquisse & toti spirituales & religiosissimi omniũ mortalium esse videantur, votis nouis sese obstringunt, & in latibula cœnobiorum sese abdunt, vbi vitam viuunt omnis molestiæ & laboris expertem, neq; vllis curis grauantur, quibus reliqui mortales subiacent. Volunt quidem illi mundo mortui videri, sed reuera vix vlli alij magis in mundo viuũt, cùm omnium securi otio suo consulant. Quos enim dabis alios, quibus melius conueniat impiorum descriptio, quæ in Psalmo 73. ad hunc modum habetur? Non sunt eis nexus ad mortem, pingues sunt & præualidi. In labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellantur. Item Psal. 144: Promptuaria illorũ plena, eructantia ex hoc in illud: oues eorum fœcundæ, abundantes in egressibus suis, boues eorum crassæ, &c. Habent certè hæc omnia sancti illi fratres, & tamen Deo simul & hominibus impudenter illudunt, dum hoc suum vitæ genus plus quàm Epicureum egregijs voluntariæ paupertatis, obedientiæ & castitatis titulis exornant. Sed nos relictis illis Christi exemplum imitemur, & in omnem euentum parati simus, fortiterq; feramus quicquid nobis imponit Deus, cui meritò nos obedire conuenit.

Quare discipulos patri commendet Christus.

Redeamus nunc ad Christum, qui preces has ratione eadem confirmat, quam paulò ante etiã adduxit: Ex mundo nõ sunt, sicut & ego non sum ex mundo. Quasi diceret, Non sine causa istos tibi ô pater, tam studiosè commendo. Mihi enim conformes facti, se totos mundi huius studijs subduxerũt, & ideo digni sunt, quos in tuam fidem suscipias, ne mundi principi diabolo iterũ præda fiant. At hîc obiter meminisse oportet, omnia ista non propter Deum dici, qui iã ante illa nouerat, sed propter discipulos, qui institutione & cõsolatione opus habebant. Et sanè repetitio huius argumenti ipsos officij sui grauiter admonere poterat, ne mundi studijs sese addicerẽt, e quo ipsos selegerat Dominus. Eadẽ scandalo quoq; medebatur, ne mirum ipsis & insolens videretur, si quid aduersi accideret in mundo, in quo seexules & peregrinos esse sciebant. Nos autem hîc obseruemus intercessionis huius fructum ad eos solos pertinere, qui mundo mortui sunt, & hoc relicto se totos pietati & Dei seruitio consecrarunt. Frustra igitur nomine Christiano & Christi merito aut intercessione gloriantur, qui mundo placere cupiunt, eius studia sequuntur, cum illo voluptatibus & prauis suis desiderijs indulgent, sicq; factis Christum negant, quem ore profitentur. Sunt hi ex eorum numero, quibus olim dicet: Non noui vos, discedite à me qui operamini iniquitatem, &c. Matth. 7.

In quem finem discipulos seruari uelit.

Porro his finẽ subijcit Christus, ad quem discipuli eius destinati erant, & propter quem illos patri tã commendatissimos esse oportebat. Sanctifica eos (inquit) in veritate tua, &c. Est autem sanctificare, aliquam rem siue personã Deo addicere & huius ministerio totam consecrare. Quo sensu nos sabbatum sanctificare Lex iubet, & Leuitæ eadem ratione sanctificati dicebãtur. Sic ergo vult dicere Dominus: Scis hos in eum vsum destinatos esse, vt euangeliũ in toto orbe prædicẽt, & mihi ex omnibus gentibus populum peculiarem adducant. Tu ergo ô pater eos sanctifica, id est consecra tibi, & à mundi cupiditatibus atq; studijs segregatos præpara atq; idoneos redde, vt huic muneri possint sufficere. Modum verò seu mediũ sanctificationis ostendit, in Veritate, quam Dei verbum esse testatur. Veritatis tamen nomine vtitur, vt doceat, se non de legali sanctificatione loqui, quæ externis ritibus & ceremonijs constet: sed de vera, qua homines ex verbo Dei regenerantur, vt sacris vsibus & Dei seruitio idonei fiant, qui prius carnis & diaboli mancipia erant. At hîc diligenti obseruatione dignũ est, quòd apostolos, quos iam pridẽ euangelij ministerio destinauerat, amplius sanctificari vult Christus. Atqui illos ex electorũ numero fuisse constat, & hoc ipse supra testatus est, quando eos sibi à patre traditos fuisse dixit. Adhæc vocationem habuerunt legitimam, & eandem relictis omnibus suis secuti fuerunt. Præterea Christum audierunt aliquot annis, eiusq; doctrinæ crediderũt, quo nomine eos mundos vocauit. Deniq; ipsimet ab illo emissi docuerunt, & doctrinam suam signis plurimis confirmarunt. Et quòd omnia hæc longè superat, multis alijs deficientibus, ipsi soli cum illo perseuerauerunt, quo nomine eos inter cœnandum magnificè commendauit, Luc. 22. Attamen adhuc petit Dominus habeat. Adhæret enim carni semper sua corruptio, qua fit, vt sanctissimi quiq; interdũ exorbitẽt.

Quod ergo Christus discipulorũ nomine petijt, hoc ipsum singuli pro seipsis petant, & curent ne vi-
suæ vocationis dignitate, vel donorũ præstantia efferantur, vt quasi nullius rei præterea indigi-
curè vitam transigant. Meminerint potius, sibi perpetuò spiritus ductu opus esse, & ideo in precu-
assidui sint, simulq; aliorũ quoq; precibus se iuuari postulent. Quod Paulus diligenter obseruauit, qui
cùm multa in Christi ministerio non sine totius orbis admiratione fecisset, ecclesiarũ tamen intercessi-
one sibi opus esse putauit. Vide Ephes. 6. & c. Elucet præterea hoc loco, quanta sit muneris eccle-
stici dignitas, & quòd illud non temere quibuslibet committi debeat. Si enim olim prophetæ multa pa-
paratione opus habuerunt, & apostolis non satis fuit tã diligens & diuturna Christi institutio, quã
obsecro de illis sperari debet, quorũ inscitia, mores & studia abunde testantur, quàm parũ in Christi
schola profecerint? Et si Dominus tam serijs precibus putauit opus esse, quando docendi munus a-
stolis credere voluit, quam excusationem satis idoneam prætexere poterunt, qui eiusmodi negotium
die per ludibrium tractant, aut dum illa seriò tractare videri volũt, pessimis affectibus indulgent?
Possunt illi hominum oculos fallere, aut etiam inuitis pijs legitimum ecclesiæ ordinẽ turbare: verum
nunquam effugient Dei iudicium, qui prophanationem ministerij abs se instituti inultam non sinet.

Sanctificatio per uerbum Dei fit.

Docet præterea locus hic, sanctificationem veram per verbum Dei conflci, non inanibus cere-
nijs aut superstitiosis precularum anilium aut exorcismorũ demurmurationibus. Quare sancta ma-
seri debent, nõ quæ suffitu, aquæ lustralis asperſione, crucibus & histrionica gesticulatione cõfecta,
sed quæ Dei certo mandato ad vsum sanctum & bonum destinata sunt. Ita loci sancti dicuntur tem-
pla, non propter suffraganeorum theatricas saltationes, quibus in horum consecratione vtuntur, sed
quòd cœtibus sacris, verbi prædicationi, precibus publicis & legitimo sacramentorũ vsui sint dedi-
tata, quæ omnia diuinitus instituta sunt & certis promissionibus cõmendantur. Eadem sanctorum
quoq; dierum ratio est, quos publicis sui cultus exercitijs Deus consecrauit. Et cibi sancti dicuntur
quia illorum esus diserto Dei verbo nobis cõceditur, quo docemur nihil quod per os ingreditur in-
nem polluere, si quidem cum fide & gratiarũ actione sumatur. Confutantur his infinitæ superstitio-
nes, quas sub Antichristi regno homines inepti inuexerũt, & quibus multi dementati sanctitatem
nem in externis gesticulationibus quærũt, & se eò sanctiores esse arbitrantur, quò propius ad hisce
num aut simiarum mores accedunt. Damnantur item, qui nouis ceremonijs res plurimas cõsecrant,
& propter illas sancta censeri volunt multa, quorum nullus in vero Dei cultu vsus est: qualia sunt
sacella, aræ, imagines, ossa mortuorum, cœmiteria, campanæ, aqua lustralis, sal, palmarum ramo-
rei, cuculla & sexcenta alia, quibus enumerandis vix dies totus sufficeret. Quo enim Dei verbo
commendantur? aut vbi nam illa consecrare iussit Deus? Similes his sunt, qui monasticos vitæ
sanctos dicunt propter vestium distrimina & ceremonias, quæ non alio fundamento, quàm humanis
traditionibus nituntur. Sanctum potius vitæ genus est, quod in coniugio pij sequuntur: sancta mi-
nera sunt, quibus pij magistratus, ecclesiarũ ministri, agricolæ & opifices fungũtur. Ea enim man-
dauit Deus, qui altera illa iã olim prohibuit, neq; diuersis regulis eos scindi vult, qui sub vno capite
Iesu Christo in vnum corpus coalescere debent. Discamus ergo sanctificationẽ in solo Dei verbo
rere: quo solo ea veritas traditur, quæ nos Deo cõsecrat, & salutis in Christo participes reddit. Vi-
rursum videmus, quàm miserè fallantur, qui ista in philosophorum scriptis, aut in Thalmudicis &
Mahometicis fabulis quærunt, vel scholasticæ theologiæ eam laudẽ tribuunt, quæ nisi Dei verbo
per prophetas & apostolos, imò per ipsum Dei filium nobis reuelato debetur.

Apostoli à Christo missi sunt.

Cæterùm hic quoq; rationes affert Dominus, quibus petitionẽ istam confirmet. Primam his ver-
bis proponit: Sicut misisti me in mundum, ita & ego misi eos in mundum. Sensus verborum est: Mei
sunt legati, vel tui potius, & eandem mecum vocationem idemq; munus sustinent. Quemadmodum
enim ex tuo decreto in mundum veni & homo factus sum, vt tuam voluntatem prædicem, diaboli
opera destruam, & tibi homines adducam, qui hucusq; diaboli mancipia fuerunt: Ita ego illos mit-
tere institui, vt regnum tuum, cuius ego instaurator sum, verbi prædicatione longè latèq; propagem.
Quia ergo non sponte currunt, sed legitimè mittuntur, æquum omnino est, vt tuis donis eos instruas,
ne tanto oneri impares succumbant. HIC verò rursum generalis doctrina traditur: Eos demũ à Deo
verè sanctificari, & donis necessarijs instrui, qui vocationem aut missionẽ legitimam expectant, &
huic quando tempus est piè obtemperant. Quia enim Deus fidelis & verax est, minimè negligit eos

quos suam vocationem sequi, & in ea fidelem operam nauare videt. Sic olim Mosem dicendi facultate donabat, cùm is infantiam suam prætexeret. Sic Isaiæ labia purgabat, & Ieremiam animi viribus instruebat, cùm eos ad verbi sui ministeriũ vocaret. Quod ipsum de alijs etiam prophetis dici potest. In apostolis verò tanta huius intercessionis virtus eluxit, vt ipsis quoq; sacerdotibus & scribis admirationi fuerint propter scripturarum cognitionem & dicendi peritiam, qui paulò ante à literarum studijs alienissimi opificijs manuarijs vacabant. At nihil huius sperare possunt, qui nõ missi currunt, sed priuatis affectibus abrepti munera suscipiunt viribus suis grauiora. Debent ergo hoc obseruare omnis loci & ordinis homines, vt nec Dei vocationem anteuertant, neque illius gratiæ diffidant, si se ad aliquod opus legitimè vocari sentiunt. Obseruemus præterea hoc loco qualis apostolorũ missio fuerit, & in quem finem illos miserit Dominus. Sicut misisti me in mundum (inquit) ita & ego misi eos in mundum. Videamus ergo quomodo & quare Christus in mundum venerit, & indè constabit, quid de apostolorum functione nos iudicare deceat. At Christum venisse scimus, vt opera diaboli destrueret, filios Dei dispersos in vnam ecclesiam ad Deum colligeret, & regnum Dei inter homines instauraret. In eundem ergo finem missi quoque fuerunt apostoli, & hic ministerij illorum scopus fuit. Et Christus quidem illa præstitit mortis & resurrectionis suæ merito: apostolis verò huius prædicatio commissa fuit, qua filij sui meritum nobis Deus offert, vt per illud seruentur & regni sui cues fiant, quotquot in eum credunt. Ita verò intra sui officij limites sese continuerunt apostoli, vt nullis alijs negotijs se implicuerint: imò pecuniæ sacræ administrationem alijs commiserunt, cùm ea per hanc in suo ministerio impediri viderent. Horum ergo vestigia sequantur, qui apostolici videri & dici volunt. At qui hunc titulum sibi hodie vendicant, ij ferè regna huius seculi affectant, luxu & fastu diffluunt, & regibus ipsis superbè imperant, quos ad pedum oscula inuitant. Vnde satis constat, qui & quales censeri debeant.

Christus seipsum pro suis sanctificans eos patri acceptos reddit.

Sequitur altera ratio, qua suæ mortis meritũ allegat, dicens: Et pro eis ego sanctifico meipsum, vt sint & ipsi sanctificati in veritate. Habent ista præoccupationis speciem, qua diluit quod de discipulorum indignitate obijci poterat. Quasi diceret, Sunt quidem ipsi sua natura indigniores & ad tantum munus minimè idonei. At tu ô pater, potius quid ego propter illos faciam, quàm quales ipsi sint, respice. Ego enim meipsum pro eis sanctifico, id est me tibi consecro & hostiam boni odoris offero in ara crucis: idq; quoad ipsos in eum quoq; finem facio, vt qui nunc suis vitijs obnoxij, & ad cœlestia hac munera nequaquam idonei sunt, sanctificentur in veritate, & ad tuum seruitium idonei fiant. Non patieris ergo meum meritum apud te irritum esse, sed quod peto illis benignè cõferes. Ista verò in apostolorum gratiam sic dicit Christus, vt simul his comprehendat præcipua capita, quæ nobis in toto nostræ salutis negotio consideranda veniunt. Principio enim admonemur, omnes nos natura impuros & proinde à Deo alienos esse, sanctificari autem per Christum, qui non modò peccata nostra expiauit, sed nos quoque ipsos in sua persona patri obtulit, vt hostia ipsi grata & accepta censeamur. Quia enim (vt in epistola ad Hebræos legitur) qui sanctificat & qui sanctificantur, ex vno, id est vnius & eiusdem naturæ sunt omnes (verum enim hominem ille assumpsit) potuit sanè sanctificatio eius in nos redundare, qui per spiritus cõmunionem vicissim corporis sui membra sumus effecti. Ideo Paulus illum nobis à patre sanctificationem factum esse scribit. Deinde docemur quoque, sanctificationem hanc nobis offerri in veritate, id est per verbum euangelij, quod veritatem esse supra dixit. Per hoc enim Christus nobis prædicatur, quin ipse per hoc seipsum cum bonis suis omnibus præsentem fistit, vt ipso fruamur. Quod ipse supra non obscurè docuit, quando discipulos pronuntiauit mũdos esse propter verbum, quod illis prædicarat. Et Paulus de ecclesia per ipsum sanctificata loquens, inter alia ait: Vt eam sanctificaret, purgans lauacro aquæ per verbum. Vnde colligimus, immundos & profanos adhuc esse, quotquot euangelium audire dedignantur. Præterea finem sanctificationis nostræ hic locus ostendit, vt ipsi sancti simus, & relictis huius mundi & carnis operibus toti Deo consecremur. De quo idem apostolus nos admonet, quando nos electos esse scribit in Christo, antequam mundi fundamenta iacerentur, vt essemus sancti & inculpati coram ipso per charitatem. Multum ergo errant, qui huius doctrinæ prædicatione peccandi licentiam inuehi, & illam bonis operibus inimicam esse clamant; quotquot item sub eius prætextu licentiosius viuendo calumnijs eiusmodi occasionem præbent. Et hæc quidem nobis dicta sint in alteram huius precationis par-

tem, qua pro apostolis suis Dominus intercessit, vt aduersus pericula omnis generis animosos & imperterritos redderet. Nobis verò istorum omnium vsus præcipuus est, vt ex ijs apostolici muneris dignitatem agnoscamus, & ab illis traditæ doctrinæ credamus. Prædicarunt autem illi verum hominem Christum. Hunc ergo amplectamur fide firma, & in ipso seruabimur. Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

HOMILIA CLIII.

Non pro eis autẽ rogo tantùm, sed & pro ijs qui credituri sunt per sermonem eorum in me: Vt omnes unum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te, ut & ipsi in nobis unũ sint: ut credat mundus quòd tu me miseris. Et ego gloriam, quam dedisti mihi, dedi eis: ut sint unum, sicut & nos unum sumus: Ego in eis, & tu in me: ut sint perfecti in unum, & ut cognoscat mũdus, quòd tu me misisti, & dilexisti eos sicut me dilexisti.

ABsoluit hucusq; Iesus Christus duas suæ precationis partes, & priori quidem ea petijt, quæ ad Dei patris gloriam & nominis sui illustrationẽ faciebant, vt nos quoq; huius potissimum rationem habere doceat: altera verò apostolos commendauit, quorum ministerio gloriam Dei cunctis propagari oportebat. Et quia omnes homines, quoad suam naturam, indigni sunt, quos in suam fidem & tutelam Deus recipiat, suæ mortis meritum allegauit, & per hoc eos sanctificandos docuit, vt tanto officio idonei fiant. Cæterùm ne quis inde colligeret, Christi meritum & intercessionẽ ad solos apostolos & horum successores restringi, qui euangelium reliquis hominibus prædicant, subinde modò tertiam partem, qua omnibus ista accommodat, qui ipsum vera fide recipiunt. Est itaque ista pars consideratu dignissima, imò necessaria, in cuius meditatione frequenter versemur. Duces enim qui nam in electorum numero censeri debeant, & quæ vera sit Dei ecclesia, quam is bonorũ fucum consortem agnoscere dignatur: adhæc in quouis tentationis genere consolationem exhibet efficacissimam, quæ nos succumbere non sinit, si cogitemus, nos Deo patri commendatos esse à filio suo dilecto, cuius preces ille contemnere aut irritas facere non potest.

Christus suæ intercessionis meritum ad omnes credentes extendit.

Principiò docet, ad quos huius intercessionis meritum pertineat, & sic ait: Non pro eis autem rogo tantùm, sed & pro ijs, qui credituri sunt per sermonem eorum in me. Sunt verba hæc satis aperta & perspicua, quare ipsas res, quæ his continentur, inspiciemus. Vbi se primùm offert admiranda filij Dei bonitas, qui salutem suo merito partam omnibus indifferenter offert, & absq; personarum respectu quosuis credentes apostolis suis cõsociat, quos ipse prius sibi delegit ex peculiari gratia. Et hoc nõ modò in precatione ista, verumetiam quando apostolis in mandatis dat, vt euangelium omni creaturæ prædicent, & ex omnibus gentibus discipulos ipsi adducant. Et hoc enim ita velle apostoli intellexerunt, quando non vno loco testantur, nullum esse personarũ respectum apud Deum, & in Christo non esse Iudæum neq; Græcum, non Scytham neq; barbarum, non seruum neq; liberum, non marem neq; fœminam. Est hæc bonitas incomparabilis & exemplo carens. Quem enim ergo inuenias, qui omnium gentium & cuiusuis ordinis aut loci homines in aulam suam admittat, modò non aliquo manifesto scelere polluti sint? At Dei filius non inter seruos modò, verumetiam inter sui consortium quosuis admittit, qui ipsi sese non ab eo alienos reddunt. Imò quasi indigus nostri brachijs expansis omnes ad se inuitat, quotquot se oneratos esse sentiũt, & omnibus ad se venientibus non procillationem pollicetur. Simul verò hæc illius bonitas vecordiam & contumaciam mundi grauissimo exitio dignam arguit, qua fit, vt plerique mortalium hanc Dei gratiam cõtemnant, & potius mundi huius infelicis, quàm apostolorum & ipsius Christi consortes esse velint. Ruunt illi in propriam perditionem, eoq; magis nobis cauendi sunt, ne eorum exemplo nos quoq; ad interitum abripiamur.

Fide, Christi consortes reddimur.

Videndum tamẽ diligenter, qui huius gratiæ consortes & verè electi atque ecclesiæ suæ germana membra sint. Dicit autem, se pro ijs omnibus orare, qui per sermonem apostolorum in ipsum credunt. Fides ergo requiritur, quæ sola nos Dei filios & regni eius hæredes facit. Non autem de quauis fide hîc sermo est, sed de fide in Christum, & ea quidem, quæ ex apostolorum doctrina addiscitur, & in

& huic omni ex parte respondet. Fide enim Iudæi quoq; & Turcæ gloriantur, at quia ijdem Christo carent, inanis est fidei illius gloriatio. Rursus fidem in Christum multi plenis buccis iactant: quam si ad Apostolicæ doctrinæ regulam examines, non mutilam modò & vitiosam, sed huic omnino contrariam inuenies. Excluduntur igitur hîc omnis generis superstitiones, quas vel aliorum traditiones, vel propriam sui animi intentionem secuti homines colunt, vt in illis salutem inueniant. Et proinde ne vel nobis ipsis vel alijs fucum faciamus inani fidei titulo, qui nam Apostolorum sermo sit videndum erit, de quo hîc Christus loquitur. Est is non alius quàm euangelium: quod etsi reuera ipsius Iesu Christi sit, qui eius argumentum & author est, Apostolorum tamen sermo dicitur, quia (vt D. Augustinus ait) ab illis est primitus & præcipuè prædicatum. Quo sensu Paulus quoq; Euangelium SVVM vocat, non quòd sibi in hoc aliquod ius aut imperium vendicet, sed propter ministerium, quod ipsi creditum erat. Continetur autem sermo hic in ipsorum scriptis & concionibus, quarum aliquot D. Lucas in Actis posteritati mandauit. Summam verò siue epitomen eius nobis Symbolum exhibet, quod Apostolorum vocant, & quod ab apostolis traditum fuisse D. Irenæus, qui illorum temporibus proximus fuit, testatur. Docet nos illud fateri vnum Deum in tribus personis, Patre, Filio, & Spiritu sancto. Et de filio quidem tradit, quòd qui ab æterno vnum est cum patre, præfinito tempore ex spiritu sancto conceptus, & ex Maria virgine homo verus natus sit, quodq; in assumpta hominis natura post innumeros huius vitæ labores sub Pontio Pilato, Romano præside, morti adiudicatus, in crucem suffixus, inde sepultus, ad inferos descenderit, tertio autem die resuscitatus ex mortuis, tandem in cœlos ascenderit, & illic sedeat ad dextram Dei patris, olim inde rediturus ad iudicãdum viuos & mortuos. Tradit præterea Deum habere peculiarem populum, quem Ecclesiam catholicam dicimus, eò quòd ad eius societatem omnium locorum atque seculorum credentes pertinent, penes quam amplissimi illi thesauri, ceu depositum aliquod asseruantur, remissio nimirum peccatorum, spes beatæ resurrectionis, & vitæ æternæ hæreditas. Hæc (inquam) doctrinæ Apostolicæ summa est, quoad Iesum Christum, cuius illi præcones atque testes fuerunt, de quo ita fuit traditerunt, vt in huius solius merito salutem omnem monstrauerint, & disertè testati sint, non esse præter hunc aliud nomen sub cœlo hominibus datum, in quo nos seruari oporteat. Quicunque ergo illum talem ex animo agnoscunt, & illius morte peccata expiata, eiusdem resurrectione mortem vna cum omni potestate inferorum expugnatam, cœlos autem illius ascensione nobis patefactos esse firmiter credunt, neque dubitant de peccatorum remissione, quam ille nobis acquisiuit, ij per fidem hanc ecclesiæ (quæ eius corpus est) membra fiunt, in qua fidem suam ore & legitimo sacramentorum vsu publicè confitentur; & ideo illius spiritu sanctificati in filios Dei regenerantur, hunc colunt obedienter, & eidem in vitæ innocentia & dilectione non fucata seruiunt: & proinde ex eorum numero sunt, pro quibus ille orat in præsenti, & quos vitæ & regni sui cohæredes esse cupit, sicuti infra clarius docebit. Minimè ergo opus est de occulta & æterna prædestinatione Dei curiosas disputationes instituere, aut eius arcana scrutari, vt sciamus num simus ex electorum numero, quorum nomina in librum vitæ inscripta sint. Constat enim in eorum numero censeri omnes, quos Christus pro suis agnoscit, & ad quos suæ mortis meritum vult extendi. Agnoscit autem ille pro suis eos, qui in ipsum credunt, sicuti Apostoli docuerunt. In teipsum ergo descendito, & fidem tuam examina: quam si cum Apostolorum doctrina conuenire videris, ne dubites te Christi membrum esse. Relictis itaque spinosis disputationibus, prædestinationis & electionis doctrina vtamur potius ad fidei nostræ confirmationem & consolationem in tentationibus. Quia enim Christo insitus sumus, qui dilectus ille Dei filius est, non possumus non patri commendatissimi esse, neque fortis ille & fidelis pastor vnquam eos sibi eripi patietur, quos sanguinis sui pretio acquisiuit.

Obseruemus autem præterea, quòd fidei veræ regulam nobis in euangelij prædicatione Dominus monstrat. Facit hoc ad ministerij ecclesiastici & verbi externi commendationem, simulque docet, qua via aut ratione fides acquiri possit. Est ea quidem donum Dei, & frustra verbum vel prædicatur vel auditur, nisi ille incrementum dederit. Habet præterea ille varias rationes, quibus hominum mentes illuminare & trahere potest. Vsitatissima autem & quasi ordinaria est Euangelij prædicatio, quam ipse Dei filius peculiari mandato instituit, quando discipulis dicebat: Ite in orbem vniuersum, & prædicate Euangelium omni creaturæ, &c. Et exempla sunt quæ do- Fidei regula in euangelij doctrina monstratur.

cent, Deum ab hoc suo ordine vix discedere, imò ne tunc quidem discedere, quando peculiari quadam gratia erga aliquos vti videtur: qualia sunt, quæ in Eunucho Aethyope, in Cornelio Centurione, & in ipso Paulo Lucas proponit. Nam licet in istis multa extraordinariè fiant, ministrorum tamen opera vtitur Deus, & per hos verbum illis prædicari vult, quos vocare decreuerat. Rectè ergo Paulus dicebat: Fides ex auditu est, auditus verò per verbum Dei. Ergo qui huius prædicationem contemnunt, ij procul dubio à fide alienissimi sunt, & proinde ad ecclesiæ quoque societatem minimè pertinent. Quid ergo de Romanensibus dicemus, qui ecclesiæ titulum ita sibi vendicant, vt mox hæreticos esse clament omnes eos, qui non omnibus ipsorum dictatis subscribunt? At ijdem illi Apostolorum sermonem non audiunt, sed hostiliter persequuntur: & quamuis in Christum se credere dicant, longè tamen alium fingunt, quàm Apostoli illum prædicarunt. Clament ergo vt velint, & cum titulis laruas quoque Episcopales, Apostolicas, Propheticas, Mosaicas & qualescunque libet proferant, vera tamen & germana ecclesiæ Iesu Christi membra non erunt, nisi in illum credant secundùm Apostolorum doctrinam, quæ vnica veræ & orthodoxæ fidei regula est. Excluduntur itaque à Christo & salutis consortio tam hypocritæ & alienarum superstitionum sectatores, quàm Epicuri de grege porci, qui cum euangelij verbo sacra simul omnia ridere consueuerunt. Neq; isti eos nobis obijciant, qui euangelium quidem audiunt, ex eo autem nihilo meliores fiunt, & ita viuunt, vt à Christi ecclesia ipsos procul vagari constet. Nec enim ipsi eos, qui ita agunt, pro germanis ecclesiæ membris agnoscimus, quàmuis eosdem ferre cogamur, ne importuna resectione totum corpus in periculum adducatur. Et quàmuis certò constet ad ecclesiæ societatē non pertinere eos, qui Christi vocem in Euangelio sonantē non audiunt: non tamen è conuerso omnes vera illius membra sunt, quotquot hanc audiunt. Idem enim hîc accidere solet, quod in semente quando non omnia semina fructum ferunt: non quidem suo vitio, sed telluris in quam decidunt. Vide parabolam Matth. 13.

Christus credentes uult unum esse.

Porrò tempus monet, vt videamus quid potissimùm Christus suis precetur. Vt omnes vnū sint (inquit) sicut tu Pater in me, & ego in te, vt & ipsi in nobis vnū sint, &c. Idem ergo hîc petit quod nuper, quando Apostolorum causam Deo patri cōmendabat. Nos autem diligenter hîc obseruemus, credentium incolumitatem & salutem in eo consistere, vt vnanimi consensu inter se vniantur, & (vt Paulus ad Philipp. loquitur) similiter affecti sint, & vnum idemq; sapiant. Quod vt in omni vita genere, ita in fidei & religionis causa plus quàm necessarium est. Nam vt summa hominū perniciēs ex eo promanat, quòd qui à Deo secedunt, simul etiā inter se dissentiūt & in studia contraria, vel etiam sectas multùm inter se diuersas scinduntur: ita nō aliter salus nostra instaurari potest, quàm si in vnum quasi corpus coalescamus. Quia enim vnica modò est Christi ecclesia, in quam salutis nostræ thesaurum Christus deposuit, fieri nequit, vt vel ecclesiæ huius membra vel salutis consortes sint, quotquot corporis huius vnitatem scindunt, & extra Christum in sectas & religiones diuersas distrahuntur. At quia ad hoc natura procliues sumus, eò quòd tot ferè sententiæ sunt in rebus ambiguis, quot capita, non temere Christus orat, vt Deus suorum animos spiritu suo ad consensionem Christianam inclinet. Quod vtinam diligentius obseruarent, qui hodie leuiculum putant & nulla reprehensione dignum, si ab ecclesijs bene constitutis secessionem faciant, & leuissimas quasq; ob causas schismata excitent inter eos, quorum prius vna erat in doctrina veritatis sententia. Faciunt hi Christi votis & precibus contraria, cui haud dubiè aliquando pœnas dabunt.

Qualis credentium unitas esse debeat.

Sed videamus qualem vnitatem siue consensionem nobis commendet. Vnum sint (ait) sicut tu Pater in me, & ego in te, vt & ipsi in nobis vnum sint. Quibus verbis duo dicit. Primò modum aut regulam vnitatis huius definit, & eam nobis in seipso & patre monstrat. At quia (vt nuper quoque monuimus) vnio talis, quoad essentiam & identitatem, inter nos constitui non potest, satis constat, Christum ista de ea vnione loqui, qua pater ipsi vnitus est quoad Mediatoris personam, quam susceperat: vt simul fructum vnionis & consensionis Christianæ exprimat. Deinde vnionis huius fundamentum siue subiectum exprimit, dum nos in Deo patre & filio (seipso nimirum) vnum fieri cupit. Sicuti ergo Christus quoad Mediatoris personam patri ita vnitus est, vt cum hoc omnia habeat communia, inque ipso omnes diuinæ bonitatis & gratiæ thesauri reconditi sint: sic idem ille bona hæc corpori suo communicat, & ideo nos in se vnum esse vult

vt ipsius

vt ipsius membra facti, ex ipso (qui caput nostrum est) vitam & quæcunq; ad salutem nobis necessaria sunt hauriamus. Vnde certò colligitur, inutilem esse omnem vnitatem, quæ non sub vno capite, Iesu Christo coalescit. Quemadmodum enim diuersorum corporum membra & nõ sub vnum idemq; caput pertinentia, nunquam vniri possunt: Ita frustra eos inter se conciliare conaberis, qui non idem caput habent, Christũ Iesum, qui vnus et solus nobis vitalem spiritum subministrat. Exponit mysteriũ hoc Paulus grauiter admodũ ad Ephes. 4. cap. Monet enim, vt adolescamus in Christum per omnia, qui caput est: ex quo totum corpus coagmentatũ & compactũ per omnes suppeditatas cõmissuras ex vi intus agente pro mensura vniuscuiusq; membri incrementũ capit corpori conueniẽs, ad sui ipsius extructionem per charitatem. Seruiunt hæc ijs confutandis, qui consensum nobis obijciunt, qui olim Papatu regnante passim fuerit, & hodie adhuc inter eos cernatur, qui Romani Pontificis authoritatem agnoscunt. At nos vnanimem consensionem in Papatu vnquam fuisse negamus: neque possibile fuit eos inter se coalescere, qui caput certum non habuerunt. Et res ipsa testatur, illos in sectas innumeras esse diuisos, quæ singulæ alijs præstantiores haberi volunt. Fouet tamen inter illos consensionis speciem satan, quia hanc suo regno vtilem esse videt, & licet diuersis vijs ingrediantur, ad vnum tamen & eundem finem eos dirigit, qui est, vt oppresso Christo & fide in hunc extincta, superstitiones regnent, quæ incautos ad interitum abripiunt. Non alia ergo est, quam illi iactant, consensio, quàm quæ olim inter Pharisæos et Sadducæos atque Herodianos fuit, quos aduersus Christum conturauisse scimus, cùm inter se animis, studijs, moribus, doctrina δὶς δὶα πασῶν (quod dici solet) dissentirent.

Est præterea consideratu dignissimus modus, quo in patre et filio vnimur, vt nõ modò inter nos, verumetiam cum Deo vnum efficiamur. Nexus aut vinculum vnionis istius (quod & D. Cyrillus annotauit) est Christus, nobis quidem vt homo, patri autem vt Deus naturaliter vnitus. Quia verò vna eademq; Christi persona vtriusq; naturæ, diuinæ & humanæ particeps est, necessariò cum ipso Deo coniunguntur, quicunq; per fidem Christo sunt insiti. Vt enim hic carnem ex nobis assumptam sibi sociauit, ita nobis spiritũ largitur, cuius virtute in Dei filios renascimur, & qui ideo spiritus adoptionis dicitur. Et in horum quidem consideratione nos sæpe versari conuenit. Admonent enim de dignitate nostra, quæ nobis in Christo obtigit, vt Deo vniti censeamur, qui propter peccatum ab illo merebamur procul abijci: & ad huius conseruandæ studium nos excitat. Nascitur etiam hinc consolatio dulcissima, quæ omnes afflictiones nobis leues reddit: quando cogitamus eas ad Christum vsq; pertingere: qui etsi nunc in gloria patris residens, in propria persona nullis periculis aut passionibus obnoxius sit, sibi tamen inferri & fieri putat, quicquid in terris hisce membra sua patiũtur. Ideo olim Sauli dicebat: Saul Saul, cur me persequeris? At quia idẽ omnipotens & verè Dominus exercituum est, nullis calamitatibus succumbere patietur eos, quos corporis sui membra esse agnoscit. Quò cum respiciunt fideles, exultabundi cum Paulo clamant: Si Deus nobiscum, quis contra nos? Quis nos separabit à dilectione Dei? Rursum officij quoque hæc consideratio nos admonet, & ad beneficentiæ studium excitat. Quia enim membris suis coniunctus est Christus, in hunc vtique redundabunt quæ in illa conferuntur beneficia: & cùm idem fidelis remunerator sit, non fraudabuntur suo præmio, qui vel poculum aquæ frigidæ vni ex credentibus propter ipsum dederint. Vide quæ ab ipso de hac re dicuntur Matthæi 25.

Modus unitatis uel unionis cum Deo.

Sed finem & fructum quoque huius vnionis attingit Dominus, qui inde ad mundũ & ad quosuis alios sit rediturus, & sic ait: Vt credat mundus, quòd tu me miseris. Mundi nomine homines prophanos & abs se alienos intelligit, & Credendi verbo abusiuè pro Cognoscendi vtitur, sicuti in sequentibus patebit. Sensus ergo est, vnitatem hanc credentium ideo sibi tantopere cordi esse, vt impij quoque & prophani homines reipsa conuicti, velint nolint, intelligant ipsum à Deo missum, & proinde totum hoc fidei & doctrinæ Christianæ negotium, non humanum, sed cœleste & diuinum esse. Nec temere hoc dicit Dominus. Tanta enim est vnitatis huius virtus, vt hostibus quoque non modò admirationi sit, verumetiam timorem incutiat, quando coguntur præsentem summi numinis virtutem & gratiam in ijs agnoscere, quos abs se hactenus contemptos & iniurijs grauissimis lacessitos esse sciunt. Exemplum huius rei Lucas in Actis commemorat. Cùm enim exposuisset vnanimem ecclesiæ consensum, quo factum fuit, vt multi suas facultates in cõmune deferrent, simulq; nar-

Finis & fructus unionis Christianæ.

rasset horribile Dei iudicium, quo Ananias & Sapphira ob fraudulentam charitatis & vnionis fraternæ simulationem grauiter mulctati sunt, mox subijcit: Erant concorditer omnes in porticu Salomonis: reliquorum autem nemo audebat ipsis adglutinari, sed magnificabat eos populus. Etenim igitur in pretio apud omnes, nec temere audebant quiuis se illis coniungere, non quidem quòd sacerdotes modò timerent, sed quòd relucentis inter illos diuinæ virtutis & gratiæ sensu terrerentur. Et huius generis exempla alibi quoque non pauca occurrunt. Imò quia vnionis istius effectus per charitatem sese ad hostes extendit, frequenter his quoque inuitis confessio aliqua veritatis extorquetur, quod olim paulò ante Constantini tempora accidisse scribit Eusebius. Cùm enim Deus piorum sanguinem horribili fame & lue vlcisceretur, & gentiles quidem suis laborantibus omnia charitatis officia negarent, Christiani verò ægrotantes quosque inuiserent, defunctorum cadauera honorifice sepelirent, esurientibus cibos subministrarent, denique nullum nõ beneficentiæ genus in eos exercerent, à quibus paulò ante immanissimè tractati fuerant: cœperunt illi passim testari, apud solos Christianos misericordiæ locum esse, apud solos hos quæ humanitatis & pietatis sunt seruari: nec tam veram religionem, tam sanctam, tamq; in omnibus perfectam vllam esse aliam, neq; esse vllum alium præter Christianorum Deum, &c. Erant hæc ijs obseruanda, qui hodie non necessarijs contentionibus ecclesiæ vnitatem turbant, & in eam rabiem accenduntur, vt eos qui eundem cum ipsis Christum profitentur & docent, propter temere susceptas cum illis lites hostiliter damnent, periclitantibus scurriliter insultent, & (quod olim in barbaris reprehendit Vergilius) exules & profugos hospitio arenæ prohibent, primaque vetant consistere terra. Quid enim hi aliud faciunt, quam quòd tot an Euangelij & renascentis fidei Christianæ causam hostium ludibrijs exponunt, & multos ab ea absterrent, qui facilè adduci poterant ad Christi gregem, si charitatem & consensum maiorem inter nos conspicerent? Videt autem ista iustus Deus, neque inultos dimittet tantorum scandalorum authores.

Lib. 9. cap. 8.

Christus suum meritum interponit pro credentibus.

Cæterùm ad Christum redeamus, qui cùm sciret neminem mortalium hac gratia dignum esse, rursus suum meritum interponit his verbis: Et ego gloriam, quam dedisti mihi, dedi eis: vt sint vnum, sicut & nos vnum sumus, &c. Rursus autem in Mediatoris persona loquitur, quæ ex Deo & homine constat: & quoad hominem assumptum gloriam se accepisse ait, quam supra se habuisse testatus est, priusquàm hic mundus existeret. Accepit autem quando qui in mortali carne inter miseriæ omnis generis viuebat, declaratus est dilectus ille Dei filius: id quod nõ tantùm in testimonio patris cœlitus delato patuit, verumetiam in signis & miraculis, quibus abunde docuit, se homine maiorem & diuina maiestate atq; virtute donatum esse. Quare Ioannem Capite primo dixisse audiuimus: Vidimus gloriam eius, gloriam (inquam) vt vnigeniti à patre. At eandem gloriã ille suis dedit, vt nimirum & ipsi filiorũ Dei nomine censeantur, sicuti eodem in loco Euangelista testatur, dicens: Quotquot eum acceperunt, ijs potestatem dedit, vt filij Dei fierent: nempe ijs, qui credunt in nomen eius. Ad hæc omnia in præsenti respiciens Dominus, ita dicere videtur: Sunt quidem homines indigni, quibus cum nos communionem aliquam habeamus: sed non quales sua natura sint respicias ô Pater, sed quales iam per me facti sunt. Ego enim meam gloriam illis communicaui, vt quemadmodũ ego tuus sum filius vnigenitus & naturalis: ita illi per fidem mihi insiti & fratres mei facti pro tuis filijs habeantur ex gratia. Quia ergo tui filij sunt & dicuntur, minimè permittendum erit, vt tuum nomen in illis prophanetur: quod non alia ratione commodiori caueri poterit, quàm si vnanimi consensu per vnam & eandem fidem in nobis coalescant. Et mox vnionis huius modum siue rationem clarius exponens, addit: Sicut & nos vnum sumus: Ego in eis, & tu in me: vt sint perfecti in vnũ. Fac (inquit) vt cùm ego eis vnitus fuero per spiritus communicationem, tu per me tuam virtutem & dona omnia in illos transfundas. Ita enim perfecti erunt in illa vnione, dum non modò ipsi inter se, verumetiam nobis vnientur. Et hîc quoque rursus causam finalem, siue fructum repetit, qui inde ad omnes alios sit redundaturus: Vt nimirum cognoscat mundus quòd tu me misisti, & eos dilexisti sicut me dilexisti. Quo loco non oportet rigidius vrgere similitudinis notam, quasi nos sibi per omnia æquet Christus. Ea enim (quod D. Augustinus quoque obseruauit) causam potius exprimit, propter quam nos Deus dilexit: nimirum propter filium suum, in quo nos primò quidem elegit ante mundi huius constitutionem, deinde verò in eodem sibi reconciliauit,

cùm

ùm ille homo factus peccatum omne sustulit, quod nos ab eo alienos fecerat. Quia verò hoc nomine credentes patri commendat Christus, quòd gloriam suam illis dederit, docet simul nõ obscurè, eos demum pro Christianis debere haberi, in quibus gloria filij Dei elucet, id est, qui se Dei filios esse certis argumẽtis probant. At tales sunt, in quibus manifesta regenerationis indicia apparent: qualia sunt, inuicta fidei constantia, carnis mortificatio, vitæ innocentia, patientia in aduersis, charitatis & bene faciendi studium, humilitas, modestia & quæ alia sunt huius generis. Quotquot ergo ab his alieni fidem abnegant, carnis desiderijs indulgent, sceleribus sese polluunt, immissam à Deo crucem superbè reijciunt, aut impatienter ferunt, odio & inuidia contabescunt, priuatis modò commodis student, nemini autem benefaciunt, adhæc immani suijpsius & donorum suorum fiducia elati quosuis præ se contemnunt, ij omnes se Christiano nomine indignos esse testantur. Quòd si verò hoc speculum nostri seculi hominibus adhibeas, mox apparebit, quo loco censeri debeant plerique, qui Christianam fidem atq; religionem hodie profitentur. Postremò de salutis nostræ certitudine nos hæc Christi verba admonent. Fundamẽtum enim eius monstrant in dilectione Dei, qua is filium suum vnigenitum complectitur. At hanc tenerrimam & inextinguibilẽ esse nemo dubitare potest. Fieri ergo nequit, quin nos etiam tenerrimè diligat Deus, & salutem nostram fideliter custodiat. Quomodo enim eos negligat, pro quibus filium vnigenitum in mortem tradidit, & quos huic insitos esse videt? Deinde cum gloria Dei salus nostra coniuncta est, quæ eò magis mundo innotescit, quò plures in Christo vniuntur & æternæ salutis hæredes fiunt. At gloriam suam intercidere non sinit Deus, cùm zelotes & illius acerrimus vindex sit: & idcirco nostræ etiam salutis custos & vindex erit diligentissimus. Nos modò verborum Christi memores, in illo vnum simus, vt per illum Deo patri vniti, eius spiritu animemur, qui nos excidere nunquam sinet. Ipsi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

Veri Christiani qui sint.

Certitudo salutis nostræ.

HOMILIA CLIIII.

Pater, quos dedisti mihi, uolo ut ubi sum ego, & illi sint mecum: ut spectent gloriam illam meam, quam dedisti mihi: quia dilexisti me ante iacta fundamenta mundi. Pater iuste, & mundus te non cognouit, ego autem te cognoui, & hi cognouerunt quòd tu me miseris. Et notum feci eis nomẽ tuum, & notum faciam: ut dilectio qua dilexisti me, in ipsis sit, & ego in ipsis.

ETsi Dominus noster Iesus Christus initiò solos Apostolos ex peculiari gratia delegerit, quos in regni cælorum mysterijs institueret, interea tamen reliquos homines minimè neglexit, sed eorum quoque salutem sibi cordi esse multis argumentis probauit. Huc enim debet referri quòd in publico docuit, quòd omnes ad se & salutis consortium inuitauit, quòd neminem vnquam ad se venientem aspernatus est, quòd promiscuè omnibus benefecit. Imprimis verò euidens huius rei argumentum in postrema huius precationis parte habemus. Postquam enim seipsum & causam suam Deo patri commendauit, & inde pro Apostolis precatus est, quos totius orbis doctores constituerat, tandem suæ intercessionis fructum ad omnes extendit, qui apostolorum doctrinam, id est, euangelium audiunt, & ipsum vera fide amplexantur. Quod vt plurimum consolationis affert in omni tentatione, ita simul docet, quales esse conueniat eos, qui salutis beneficio, quam ipse nobis acquisiuit, frui volunt. Restat precationis istius epilogus, quo præcipua eius capita repetit, ne quid ipsi antea temere excidisse putemus.

Et primò quidem, quia de ijs abunde dixerat, quæ pijs in huius vitæ militia certantibus necessaria sunt, nunc de futuri seculi præmijs admonet, quæ in finem vsq; perseuerantibus præparata sunt, vt eorum consideratione confirmati aduersa omnia patienter ferant. Repetit autem Patris vocabulum, vt plus ponderis orationi accedat. Pater (inquit) quos dedisti mihi, volo vt vbi ego sum, & illi sint mecum: vt spectent gloriam illam meam, &c. Sensus est: Non in hoc tantùm seculo & proficiatur: vt nimirum postquã huius vitæ curriculũ feliciter emensi sint, ad me in cœlestes beato-

Præmia futuri seculi proponit.

rum sedes recipiantur, & illic mecum viuant & regnent. Petit autem nunc à patre, quod filius ex
te disertis verbis promiserat (sicuti Capite 14. audiuimus) & petitionem suam mox argumento
quoque grauissimis fulcit, vt in fide magis confirmemur, nec quicquam dubitemus de promissis vi-
tæ æternæ præmijs. Quia verò in his maximè fundata est nostræ salutis fiducia, non inutile fuerit
singula verba diligentius examinare.

Pro electis orat. Occurrit autem primo loco, vt videamus de quibus loquatur, & ad quos precationis istius fru-
ctus pertineat. Vbi eos nominari audimus, quos ipsi pater dedit. Dicuntur hi alio nomine Electi a
Christo. Qui autem intelligi debeant, abunde patet ex ijs, quæ nuper dicta sunt. Orauit enim supra
pro omnibus, qui in ipsum credunt aut credituri sunt secundùm sermonem Apostolorum. Ergo
dem etiam electi illi sunt, quos hîc sibi à patre datos esse dicit. Voluit autem ista locutione, vel potius
definitione vti: vt partim doceat, fidem donum Dei esse, nec quicquam hîc nostris viribus aut me-
ritis tribui debere (Nemo enim venit ad Christum, nisi quem pater traxerit. Ioannis sexto.) partim
verò sui officij credentes admoneat, vt suæ vocationis & conditionis memores sic viuant, vt omni-
bus constet, ipsos instar peculij cuiusdam selectos esse, vt Christo addicti & consecrati sint. Quod
probè obseruandum est, qui electionis titulo quidem superbiunt, & Christiani haberi volunt, in-
interim vitam viuant impuram, quæ illos adhuc mundo immersos & satanæ mancipia esse testatur.
Interea ex ista credentium definitione consolationem petant quotquot se Christo per fidem insitos
sentiunt: neque dubitent petitionem hanc, vel potius promissionem, ad se pertinere, cuius fructum ne-
mo ipsius eripere possit. Quia enim ex æterno patris decreto electi & Christo dati sunt, hinc verò vi-
dem vicissim patri commendatissimos esse vult, salutem ipsis nemo eripiet, nisi qui Deũ prius ex so-
lio & potestate deturbauerit.

Christus de ultima sua uoluntate testatur. Deinde non dicit, Peto aut rogo pater, sed VOLO: quod ipsum emphasim habet, & proprium
negotio quàm maximè seruit. Nam primùm pro suo iure & imperio loquitur, quod ipsi cum patre
tam in cœlo quàm in terris commune est, & ita inter precandum, dum Mediatoris officio fungi-
tur, diuinam suam maiestatem à contemptu vindicat. Præterea quia hæc dicit iam moriturus, ne
imitari voluit, qui testamenta condunt, & quid de rebus suis omnibus fieri velint cum authoritate
testantur. Dicunt illi, Volo vt talis & talis fiat bonorum meorum in istos vel illos distributio. Ego
Hos ergo imitans Christus cùm opes, quas hæredibus legaret, non haberet aliquas, de electis suis
disponit, quos ipsi pater dedit, & iam moriturus ait, VOLO vt vbi ego sum, &c. Habet ergo nos
ista plurimum consolationis. Primò enim, quia omnipotens est Christus, voluntas eius non nu-
ni modò desiderio fertur, sed simul potentiam sibi coniunctam habet, quæ mox effectum dat qui
ille fieri cupit. Verissimè enim de illo etiam dicitur in Psalmo 115: Deus noster in cœlo est, omnia
quæ voluit fecit. Et in euangelio passim occurrunt exempla, quæ voluntatem illius efficacissimam
esse testantur. Leproso enim dicenti, Domine, si vis, potes me mundare: respondit, Volo, mun-
dator: & mox à lepra sua ille mundatus est. Simili ratione alia quoque miracula ab illo facta
fuisse legimus, quòd verba eius, quibus suam voluntatem declarabat, occulta simul virtus com-
itabatur. Quia ergo vult nos secum esse, hoc ipsum ita fiet, vt eius voluntatem nemo sine homi-
sine diabolorum impedire queat. Deinde dubium non est, quin filij sui testamentum pater ratum
habeat. Si enim hominum pacta (vt Paulus ad Galatas scribit) si legitima authoritate confir-
mata fuerint, nemo abolere aut irrita facere potest: multò minus pacto & testamento filij
quicquam detrahi aut derogari poterit. Quia enim ei omnis potestas data est in cœlo & in ter-
licet ei vtique de suis, prout ipse volet, constituere. Nec est, quòd illum quicquam contra pa-
voluntatem testatum esse timeamus, & hoc ideo minus ratum fore. Nam vt alibi diximus, ar-
no patris decreto hoc eius testamentum nititur, neque alios comprehendit, quàm qui Christo
pridem dati, & in illo, priusquam hic mundus crearetur, electi fuerunt. Accedit his, quòd testa-
tum hoc morte sua confirmauit, & huius sigillum dedit in Cœna mystica, in cuius institutio-
de poculo verba faciens, dixit: Hoc poculum est nouum testamentum in meo sanguine, qui pro vo-
bis effunditur.

Postrema Christi uoluntas. Quæ verò illa postrema Christi voluntas est, quam tanta cum authoritate testatam volui? Pa-
vbi sum ego, mecum sint omnes, quos dedisti mihi. Et his mox subijcit expositionis loco: Et ostendi

gloriam illam meam, quam dedisti mihi. Sensus est: Volo vt quicũq; in me credũt, ad me in cœlestes beatorum sedes transferantur, & coràm spectẽt, adeoq; reipsa intelligãt se spe sua minimè falsos esse, quando me verum æternumq; Dei filium regemq; gloriæ esse videbunt: vtq; mecũ æterna regni cœlestis beatitudine fruantur. Non aliud ergo hìc dicit, quàm quod inter cœnandum discipulis promisit: Disponо vobis, sicuti mihi disposuit pater regnum: vt edatis & bibatis super mensam meã in regno meo. Luc. 22. Comprehenditur hac promissione summa hominis felicitas. Constat enim Iesum Christum iam quoad hominem quoq; frui vita æterna, non amplius moriturum: constat eundem in cœlo extra omnem huius corruptibilis mundi fortunam esse constitutũ, & ad Dei patris dextram in sempiterna gloria considere. Quia ergo eos qui in ipsum credũt, secum esse vult, eadem vtiq; illorũ quoq; erit conditio. Itaq; olim resuscitati vitam accipient immortalem, omni corruptione & miserijs liberabuntur, & (vt Isaias ait) abstergẽtur omnes lachrymæ à facie eorum, in cœlis autem gaudio, felicitate & gloria fruentur, qualem non oculus vidit, nec; auris audiuit, & quæ omnẽ hominis intellectum superat. Sunt hæc passim in scripturis cõfirmata, & proinde ampliori demonstratione nequaquam opus habent. Nos potius ista ad verũ vsum accõmodare debemus, qui est, vt patienter feramus huius vitæ molestias, quas olim tantis bonis compensabit Dominus. Imprimis aũt constantes simus in mortis articulo, ne dubitabundi quiritemur eorũ similes, qui sibi quidẽ hinc migrandũ esse vident, quò aũt migraturi sint nesciunt, & ideo suã sortem desperabundi deplorãt. Quod olim Adriano Imperatori iam morituro accidisse historici testantur. Clamabat enim infelix ille: Animula vagula, blandula, Hospes comesq; corporis, Quæ nũc abibis in loca? Pallidula, frigida, nudula, Nec vt soles dabis iocos. Scimus enim nos ex Dei verbo, locum nobis paratum esse in cœlis, vbi Christus ad patris dextram considet. Scimus eò animas transferri quàm primum ex corpore hoc in vera fide demigrãt. Christi enim promissio est: Qui audit verba mea, & credit ei qui misit me, habet vitam æternam: et in iudicium non veniet, sed à morte transiuit in vitam. Olim verò ad eundem locum corpora colligentur, quãdo ad nouissimæ tubæ clangorem resurgemus, & (vt Paulus loquitur) per aerem rapiemur in Christi occursum, vt semper cum illo simus. Et idem ille nostrum πολίτευμα, id est ciuitatẽ, rempub. siue patriam in cœlis esse ait, in quibus corpora nostra glorioso Christi corpori olim cõformia sint futura. Qui ista probè animis suis concipiunt, & in eorũ meditatione sunt assidui, ij nullis terroribus mouentur, sed in ipsa etiam morte spẽ vitæ inconcussam retinent. Hæc ergo constanter teneamus, & quæ his contraria sunt, relinquamus inanium superstitionum sectatoribus, qui perpetuò fluctuari malunt, quam certa salutis spe in Christo acquiescere.

Testamentum suum argumentis confirmat.

Porrò hanc quoque petitionem, vt priores, rationibus & argumentis confirmat Dominus: non quidem quòd his ipsi opus sit apud patrem, sed propter nos, vt certior & firmior sit, quam in ipso habemus, salutis fiducia. Primũ verò argumentũ sumit à propria persona, vel potius ab æterno patris decreto, qui hanc illi personam imposuit. Quia dilexisti me (inquit) ante iacta fundamenta mũdi. Quasi diceret: Tu me ô pater mundo redemptorem destinauisti ab æterno, & me eo etiam nomine dilexisti, adeoq; in me electos omnes paterno amore cõplexus es. Par ergo fuerit, vt me tam iusta & æqua petentem exaudias. Docet autem suo exemplo Christus, vt ipsi quoq; inter precandum in dilectionem Dei respiciamus, qua iam inde ab æterno ipsum Mediatorem nostrum, & propter hunc omnes qui credunt complexus est. Id verò maiori cum fiducia fiet, si cogitemus, totum hoc nostræ in Christo redemptionis mysterium, non nuper inuentũ esse, sed æterno diuinæ prouidentiæ decreto niti. Quia enim Christum ab æterno dilexit Deus, non modò quatenus filius eius est, sed quatenus illum nobis Mediatorem constituerat, æternum quoq; sit oportet nostræ redemptionis consilium, cuius ille executor esse debuit. Testantur idem apostoli Petrus & Paulus: quorum ille quidem Christũ prædestinatum fuisse scribit, priusquam hic mundus conditus esset; hic verò nos in illo electos fuisse ait ante mundi constitutionem. Faciunt ista ad asserendam nostræ salutis certitudinem, & eos conuincunt, qui relicto hoc æterno & stabili patris decreto, nouas salutis consequẽdæ rationes ex suo cerebro fingunt, aut ab alijs excogitatas sequuntur.

A propria persona.

A persona credentium.

Alterum argumẽtum petit ex credentiũ persona, & hos cum mundo prophano & incredulo confert, vt partim rationẽ reddat eius exceptionis, qua nuper mundum à suæ intercessionis fructu excluserat: partim verò suorum fidẽ amplificet atq; illustriorẽ reddat. Est autẽ hic quoq; pathetica planè

oratio. Nam patrem epitheto conuenientissimo compellans ait: Pater iuste, & mundus te non cognouit, ego autem te cognoui, & hi cognouerunt, quòd tu me miseris. Vbi priori quidem loco redundare videtur copulatiua particula ET: sed eadem occultam quandã vim orationi affert, & affectum vehementem exprimit. Nam ita dicere videtur: Quia iustus es ô pater, non poteris eos negligere, qui me fide vera amplexi sunt. Nam vt omittamus æternum tuæ voluntatis decretum, vides pater quæ sit mundi huius conditio. Totus sanè quantus est, tenebris immersus te non agnoscit, neq; agnoscere vult. Ego autem filius tuus æternus sum, qui solus tui cognitionẽ propriã & ex meipso habeo, quam hisce meis communicaui. Nam per me edocti intelligũt, quòd tu me miseris, & ideo per fidem me amplexi sunt, vt tibi coniungantur, à quo mundus hic totus turpissimè defecit. Aequũ ergo iustumq; est vt tibi commendatissimos habeas, qui te soli agnoscunt, & ita quidem colunt, vt ne mundi quidẽ istius exemplo, illecebris, minis, furoribus abs te diuelli queãt. Pulchrè autẽ Christus cognitionis Dei & fidei principium simul & progressum his verbis comprehendit. Quia enim Deum nemo videre quam, nemo etiam eius cognitionem proprijs ingenij sui viribus potest assequi. Solus Christus qui est in sinu patris, eum nouit, sicuti est, & cognitionem hanc non aliunde petitam, sed ex semetipso habet. At hunc nobis pater doctorem dedit, & qui sua natura inuisibilis est, in carne filij manifestari voluit. Qui ergo hunc audiunt, & in ipsum intenti sunt, ij & Dei cognitione vera illuminantur, & ijs donantur, quæ illos Deo conciliat, vt ei filiorum loco sint. Quotquot verò Christum accedere & audire dedignantur, ij & ignorantes manent, & in sua ignorantia miserè pereunt, quantumuis bonum oculatissimi & religiosissimi haberi velint. Imprimis autem multa obseruatione dignum est, quòd credentium salutem Deo patri commendaturus Christus, illius iusticiam allegat. Ex eo enim apparet, salutis nostræ fiduciam non modò in gratia & bonitate Dei, verumetiam eius iustitia esse fundatam. Quia enim iustus est Deus, idem etiam verax est, cùm iustitiam sine veritate consistere sit impossibile. At promisit ille peccatorum remissionem & vitam æternam omnibus, qui se cum peccatores & damnationi obnoxios esse sentiunt, Christũ verò & quam in hoc nobis ille offert iustitiam firma fide apprehendũt. Promissa ergo præstet oportet, & nisi & mẽdax & iniustus haberi velit. Hoc Ioannes apostolus obseruauit, quãdo scribebat: Si confiteamur peccata nostra, fidelis est & iustus, vt remittat nobis peccata nostra, &c. Rursum quia iustus est Deus, peccata non punit, quæ in dilecti morte expiata sunt. Quod Paulus videns dicebat nullam esse damnationem ijs, qui sunt in Christo Iesu. Roman. 8. Adde his, quòd iustitiæ est remunerare eos, qui ex obedientia aut gratitudinis officio labores & pericula subeunt. Non poterit ergo Deus promissa beatitudinis præmium fraudare, qui vt ipsi obtemperent & pro accepto per Christum salutis beneficio sese gratos præstent, in hoc mundo omnis generis labores, odia, pericula sustinent, & plerunq; huius etiã vitæ vsum amittunt. Est hæc omnium efficacissima consolatio, quæ omnes conscientiæ terrores procul pellit, quæ ex diligenti nostrorum peccatorum & iustitiæ Dei consideratione enascuntur. Admonet præterea hic mundi ignorantia, impietate, et furiosis contra Christum eiusq; ecclesiam conatibus nemini debere offendi. Faciũt enim hæc omnia ad fidei nostræ commendationẽ, et eò acceptiores sumus Deo quò magis nos mundus odit atq; persequitur. Possunt ergo ad Christi exemplum suas preces formare omnes pij, vt inter persecutionum tempestates atq; pericula dicant: Pater iuste, non cognouerunt iustes nostri, & tui cognitionem vbiq; terrarum extinctam volunt: nos autem tuum sumus populus, nos te in filio tuo Iesu Christo cognoscimus, nos tui cognitionem longè lateq; diffundi, & tuũ regnum toto orbe propagari cupimus. Adsis ergo nobis pro tua iustitia, & gloriã nominis tui asserã. Cur enim dicant impij, Vbi nunc est Christus eorũ? Vide quæ in hanc sententiam habetur. Psal. 115. fol. 3.

Medetur tentationibus ex infirmitate nostra enascentibus.

Cæterùm solent pij si quid huius accidat, vehementer terreri, si suam infirmitatem atq; imperfectionem sentiant. Metuunt enim ne nõ ex eorum numero censeantur, quibus in præsenti Christus veram Dei cognitionem atq; fidem tribuit. Addit ergo his tertium argumentũ Dominus, quo per Antithophoram cogitationes eiusmodi omnes diluit, dicens: Et notum feci eis nomen tuum, & manifestabo etiam, &c. Quorum verborum hic sensus est: Ego quidem hucusq; meo erga meos hoscè officio functus sum, & fideliter tradidi quæ ad tui nominis cognitionem faciunt. Nec tamẽ inficior, multam adhuc in illis imperfectionem superesse, eò quòd natura infirmiores non potuerunt mysteria omnia capere. At non ideo illos aspernaberis, pater. Si quid enim restat, quod nondum cognouerunt, hoc equidẽ

manifestabo, cùm tempus fuerit: et in hoc annitar sedulò, vt dilectio, qua dilexisti me in ipsis sit, id est in ipsos vsq; redundet, & ego in ipsis viuam, & agam quæcũq; ad hominis Christiani perfectionẽ sunt necessaria. Et hæc quidem impleta sunt quoad apostolos, quando à mortuis resuscitatus eis per quadraginta dies exposuit regni Dei mysteria (sicuti Lucas initio Actorum testatur) postea verò spiritum sanctum misit, cuius virtute illuminati omnia ea subitò intellexerunt, quæ antehac percipere non potuerant. Quoad verò reliquos pios, quotidie ista implentur. Habẽt enim omnes illi cognitionis Dei & veræ fidei principia. Simul verò adest illis Dominus, & tam verbo externo, quàm interna spiritus virtute in illis agit, vt maiores quotidie progressus faciant. Nobis aũt hæc consideratio in eum vsum seruire debet, ne statim animũ despondeamus. si quæ nobis desunt adhuc eorũ, quæ ad fidei & pietatis perfectionem requiruntur. Nec enim fastidit infirmos Dominus, qui (vt Isaias ait) linum fumigans non extinguit, & arundinem quassatam non conterit: & huius longanimitatis exempla in vtroq; testamento multa occurrunt, & huc pertinẽt quæ de Nicodemo & Samaritana suis locis audiuimus. Quin ideo infirmitates nostras in se ille transtulit, vt nostris vitijs ignoscere, & fidũ pontificem agere posset. Hæc modò cura nobis sit, vt proficiamus quotidie in melius. Fiet hoc, si Christũ audiamus, quem nobis à patre doctorem datũ esse supra diximus, & spiritus sancti suggestiones admittamus, quibus hic verbo prædicato intra animos nostros testimonium ferre solet. Si qui hũc ordinem ab ipso Deo constitutum fastidiunt, ij iam nũ infirmi & ægroti, sed contumaces, reprobi & planè deplorati, ideoq; proprij exitij sibi authores sunt.

Est etiam hic obseruandus finis cognitionis Dei & fidei, quem Christus duplicem cõstituit. Primum, vt dilectio, qua pater filiũ complectitur, in nos vsq; redundet, adeo vt nos quoq; propter ipsum diligamur, cui per fidem insiti sumus. Est hic fidei fructus lõge vberrimus, quo fit vt in medijs quoq; afflictionibus animorum pacem certam & salutis spem inconcussam habeamus. Exponit hunc Paulus ad Roman. quinto Cap. his verbis: Iustificati ex fide pacem habemus erga Deum, per Dominum nostrum Iesum Christum: per quem etiam fide habuimus aditum in gratiam hanc, in qua stamus, & gloriamur sub spe gloriæ Dei. Neq; id solùm, sed etiam gloriamur in afflictionibus, scientes quòd afflictio patientiam efficiat, patientia verò experientiam, experientia autem spem: porrò spes non pudefacit, eò quòd dilectio Dei effusa sit in cordibus nostris per spiritũ sanctum, qui datus est nobis &c. Confirmantur hæc patris testimonio, quod cælitus de filio pronuntiauit: Hic est filius ille meus, in quo placatus sum. Ipsum audite, &c. Alterum fidei finem constituit Christus, vt ipse in nobis viuat, & ea agat, quæ professioni nostræ consentanea sunt. Commendat hunc quoq; fidei fructum idem Apostolus, quando de seipso scribit: Viuo iam non ego amplius, sed viuit in me Christus: & vitam quam nunc viuo in carne, viuo per fidem filij Dei, qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me, &c. Vt enim vitalis spiritus ex capite descendens in omnibus membris agit: ita qui Christo capiti per fidem coniuncti & ecclesiæ (quæ eius corpus est) viua membra facti sunt, ijdem eius spiritum accipiunt, qui ea in illis agit, quæ professionem Christianam decent. Sunt hæc præclara admodum fidei elogia. Primùm enim Deo charos & acceptos reddit, ex quo omnis nostra salus dependet. Deinde Christi spiritu nos animat, qui vitæ Christianæ & omnis boni operis in nobis causa est. Ergo falsi cõuincuntur omnes, qui cùm fide & nomine Christiano gloriẽtur, à Dei tamẽ dilectione alieni sunt, & ita viuunt, vt eos diaboli potius quàm Christi spiritu agitari, verisimè dixeris. Et hæc quidẽ in Christi precationẽ nobis dicta sunt, cuius effectus etiamnum hodie adhuc durat, sicuti et mortis suæ meritum, quæ illam proximè secuta est. Didicimus eius exemplo, vt ipsi quoq; in omni necessitate aut periculo ante omnia Dei gloriam quæramus, quæ nobis commendatissima esse debet, cùm ad eam præcipuè conditi simus. Deinde apostolicæ doctrinæ authoritas nobis commendatur: quam qui audiunt & fideli mẽte concipiunt, ij in Christo omnem salutis fiduciam collocant, & in illo in vnum ecclesiæ corpus coalescunt. Quæ causa est, quòd omnibus malis superiores fiunt, adhæc quotidie in melius proficiunt, & tandem ad Iesum Christum collecti cum illo in cœlis viuunt & regnant. Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

Cognitionis Dei finis duplex.

CAPVT XVIII.

HOMILIA CLV.

HÆc cum dixisset Iesus, egressus est cum discipulis suis trans torrentem Cedron, ubi erat hortus, in quem introiuit ipse & discipuli eius. Nouerat autem eum locum etiam Iudas, qui prodebat eum: quia frequenter Iesus conuenerat illuc cum discipulis suis. Iudas ergo cùm accepisset cohortem, & à Pontificibus & Pharisæis ministros, uenit illuc cum laternis & facibus & armis.

IESVS *Christus in mundum venit (sicuti Paulus scribit) vt peccatores saluos faceret. Quia verò humanum genus partim horrendis errorum & superstitionum tenebris immersum, partim propter peccata morti æternæ obnoxium erat, duo potissimùm ad illius redemptionem requirebantur. Primò enim doctrina opus erat, quæ verã Dei & voluntatis ipsius notitiam nobis traderet. Deinde sacrificio, quo peccata expiarẽtur, per quæ miseris nobis satan dominabatur, & quæ mortis atq; damnationis sempiternæ vnica causa nobis erant. Vtrumq; verò ad sacerdotis functionẽ pertinebat, & ideo Messiæ promisso scripturæ passim sacerdotis personam tribuunt. Vtroq; autem officio Christus fideliter & probè functus est. Nam vt vidimus hucusq;, in docendo diligens & assiduus fuit, & doctrinam suam signis atq; miraculis infinitis confirmauit, vt diuinam & cœlestem esse probaret. Restabat alterũ, quod in ara crucis perfecit, in qua ex nobis assumptam carnem & sanguinem Deo patri pro nobis obtulit, & quod legales victimæ nõ poterant hucusq; præstare, vnico hoc sacrificio semel oblato peccatũ mundi sustulit, & (vt Apostolus ait) vnica oblatione in perpetuum et perfectè consecrauit eos, qui ipsum vera fide amplexi sanctificãtur: & quia sacrificij huius meritum atq; effectus perpetuò durat, iteratione nequaquã opus habet. Eam verò historiæ Iesu Christi partem nunc Ioannes orditur, & quàmuis multa prætereat, quæ ab alijs euangelistis iam descripta esse sciebat, diligentissimus tamen est in ijs commemorandis, quibus nostra redemptio imprimis nititur. Nostrum autem fuerit finem & vsum omnium eorum, quæ hic facta sunt, semper ob oculos habere, vt ijs ad vitæ institutionem et fidei nostræ confirmationem vti possimus. Cogitemus ergo hæc omnia propter nos facta esse, quorum peccata aliter expiari non potuerunt. Nam Apostolo teste, sine sanguine non fit peccatorum remissio. Non proderat autem pecudum sanguis, quæ olim ex legis præscripto offerebãtur: sed potius nos peccatores esse, et peccatorũ expiatione opus habere docebant. Neq; etiam inter homines inueniebatur, qui pro peccatis aliorũ satisfaceret, cùm eodem reatu omnes tenerentur. Ergo Dei filium ex æterno patris decreto hominẽ fieri oportuit, vt seipsum pro nobis offerret, & sui corporis sacrificio peccata nostra expiaret, quæ nos à Dei gratia & regni cœlestis hæreditate excludebant. Itaq; nostrum negotium hîc agi cogitemus, & nobis accommodemus, quæcunq; Christum vel fecisse vel passum esse audimus. Quod tunc cõmodissimè fiet, si primò ex his discamus de peccatis nostris iudicare, quæ atrocia & cũprimis horrenda esse oportet, quando non aliter quàm indigna morte filij Dei expiari potuerunt. Est hic magnus ad veram pœnitentiam & tuendam vitæ innocentiam stimulus. Qui enim de hoc seriò cogitant, ij profectò non possunt non vitæ anteactæ flagitia detestari, & ijdem solicitè cauebunt, ne vel in eadem scelera relabantur, vel alijs similibus aut etiam grauioribus locum dent, neq; vnquam admittẽt peccati blanditias aut mundi huius illecebras, quæ nobis præcipua perditionis causa esse consueuerunt. Rursum ne istæ cogitationes nos in desperationem abripiant, ex altera parte immensam & ineffabilem Dei misericordiam agnoscere discamus, qui nullo nostro merito prouocatus, nos cũ filij iræ essemus dilexit, & tanta nos indignos commiseratione prosecutus est, vt vnigenitum & dilectissimum filium potius ignominiosam & acerbam mortem subire, quàm nos in æternum perditos esse voluerit. Ex eo enim more colligemus, impossibile esse vt sibi iam reconciliatos abijciat, qui inimicos tãto amore complexus est. Facit præterea ad fidei nostræ & religionis veræ institutionem ista consideratio: vt nimirũ in solam Dei*

Vsus passionis et mortis Christi.

Dei gratiam & vnius Iesu Christi meritum intenti, nihil admittamus, quod eius merito deroget. Adhæc illum suo exemplo nobis præiuisse cogitemus, vt discamus, quæ nostra in terris hisce sors futura sit, si in ipso pie viuere velimus, vtq; nos in quouis tentationum genere geramus: de quibus omnibus cùm alibi sæpe dictum sit, sufficiat nunc ea paucis perstrinxisse. Accedamus ergo ad huius loci, quem modò recitauimus, tractationem, quo narratur, vbi & à quibus captus sit Christus, & quibus armis hostes fuerint instructi.

De loco, vbi hæc gesta sunt, sic scribit Ioannes: Hæc cùm dixisset Iesus, egressus est cum discipulis suis trans torrentem Cedron, vbi erat hortus, in quem introiuit ipse & discipuli eius. Connectit hac precationi, quam illum inter eundum habuisse audiuimus, & sensus est: Postquam Dominus discipulos suos primùm præceptis necessarijs instruxit, deinde verò eosdem multis consolatus est, & patris tutelæ tandem commendauit, mox in eum locum exiuit, vbi se ab hostibus suis capi debere sciebat, & in eundem discipulos quoque suos eduxit. Est autem in loci huius descriptione admodum diligens Ioannes, eò quòd singulis ferè circunstantijs, quæ hîc attinguntur, quædam insunt, quæ ad nostram faciunt institutionem atq; consolationem. Et primò quidem viam notat, qua illuc vetum fuit. Nam trans torrentem Cedron illum exiuisse ait. Erat autem Cedron vallis media inter vrbem & montem oliueti, quam torrens eiusdem nominis perfluebat. Fit eius mentio alibi etiam in sacris literis. Eundem enim Dauid etiam transiuisse dicitur, quando per Absolonem filium regno ejectus in exilium abijt, & ei typo nunc veritas ipsa respondet. In eodem loco olim idola & superstitionis instrumenta combusserunt sanctissimi reges, Asa & Iosias. Transit nunc eundem verus Dauid, Iesus Christus, quando eam mortem subire voluit, cuius merito totius mundi peccata expiari debebant. Adde his, quòd ibidem Titus postea primas aduersus vrbem munitiones excitauit, cùm tempus illud fatale instaret, quo illam horribili excidio deleri oportuit, vt dignas scelerum & incurabilis contumaciæ pœnas exolueret. Est autem Cedron Hebræa vox, & obscuritatem significat: vnde verisimile est huic loco ex vallis profunditate & arboribus ipsum obumbrantibus nomen istud obtigisse. Sed omnia hæc historiæ huius mysterio pulchrè seruiunt. Est enim vallis ista typus mundi huius & præsentis vitæ, quam ferè vallem obscuritatis & caliginis dixeris, eò quòd errorum, superstitionum, tristitiæ & dolorum, denique malorum & calamitatum omnis generis plena sit. Transit hanc Christus vnà cum discipulis, vt ad montem olueti veniat, quo gratiam Dei significari scimus. Ita verò docet, omnibus qui in ipso piè viuere volunt, per plurimas huius vitæ molestias & infinita pericula eniendum esse, vt ad regnum illud æternum perueniant, quod electis suis Deus ex mera gratia præparauit: quod tum fiet, si ipsum vera fide amplexi, peccatis moriantur, & seipsos Deo sistant hostiam viuentem. Deinde admonet huius loci historia, quid eos maneat, qui sæpius oblatas pœnitentiæ occasiones negligunt, & insuper salutis authorem Christum improbè fastidiunt. Neque enim sine numine factum putabimus, quòd ab eo loco cœpit obsidio & oppugnatio vrbis, in quo tam illustria publicæ reformationis exempla pij reges olim ediderant, & quem ipse etiam Christus præ alijs frequentare solitus fuerat. Sic enim admonemur, impijs & contumacibus ea ferè exitio esse, quæ salutaria esse poterant, si illis vti dignarentur, & frequenter sit, vt tempus, locus & alia multa huius generis ipsorum impietatem arguant, & iustitiæ Dei testimonium ferant.

Locus in quo Christus captus est.

Ioseph. de bello Iud. lib. 6. cap. 3.

Deinde hortum illic fuisse scribitur, nimirum ad montis olearum radicem. Respondet hoc etiam veteri typo. In horto enim paradisi primus Adam peccauit, & ibi cœpit humani generis calamitas. In horto igitur nostræ etiam redemptionis initium fieri oportuit, vt constaret Christum verum esse redemptorem, qui non modò nos seruet, verumetiam eorum vsum nobis denuo consecret, quæ nobis aliquando nostra culpa exitij materia siue occasio fuerunt. Et est hoc obseruatu dignum propter eos, qui temere res per se bonas damnant, & omnium eorum vsum vetitum atq; illicitum esse arbitrantur, quibus aliquos in suam perniciem abusos esse vident. Sed non oportet in bonas Dei creaturas horum culpam reijcere. Abusus est paradisi delitijs Adam, & pomi vetiti iucundo aspectu inescatus peccauit. Christus autem horto bene vtitur ad preces & alia pietatis exercitia, & in eodem salutis nostræ initium facit. Seruit ergo exemplum hoc institutioni nostræ, vt quoties hortos aut quoscunq; locos amœniores ingredimur, non modò in præsentem conspectum & iucundam rerum contemplatio-

Hortus.

nem intenti simus, sed cogitemus interea, quid aliâs vel à nobis ipsis vel ab alijs in hoc aut simili loco factum sit: & ita minus abutemur ijs, quæ nos ad peccandum allicere poterant.

Hortus Iudæ notus fuit.

Præterea locum hunc etiam Iudæ proditori notissimum fuisse Ioannes scribit, & huius notitiæ causam assignat, quòd Christus frequenter eò cum discipulis conuenire solitus fuerit: nimirum vt & ipsos priuatim institueret (quod illi in more fuisse scimus) & orationi liberius vacaret, quæ secessum & locos à publico strepitu remotiores requirit: sed et opus erat, vt assidua meditatione seipsum ad imminens sibi certamen præpararet, ad quod loci conspectus non parũ momenti afferre poterat. Nouerat ergo hortum istum Iudas ex familiari cõsuetudine, quæ ipsi admodum diu cum Christo intercesserat. Portenti autem simile videri posset, quòd cùm illa ipsum ei arctius obstringere deberet, ipse ea ad prodendum Christum abutatur, neq; eius loci conspectu moueatur, in quo illum docentem sæpius audierat, & precantem viderat. Sed non mouentur vllis rationibus, qui corruptis desiderijs abrepti se totos ad impietatem deuouerũt: ex quorum numero Iudam fuisse tam ante vidimus. Illud potius hoc loco obseruemus, nocentissimos Christi & ecclesiæ hostes fieri, qui huic aliquando amici & familiares fuerunt. Vt enim eius mysteria quodam modo degustarunt, ita norunt ferè qui primo expugnandi sint, quibus vtendum artibus, & qua parte vires maximas adhibere oporteat. Exemplum huius rei in hæreticis habemus, qui cùm ecclesiæ societatem relinquunt, ferè horribiles turbas dant, dum ex scripturæ hortis decerptos flores sophisticis artibus contexunt, & infirmis fucũ faciunt, quorum multos suis dolis in errores abducunt. Et inter tyrãnos, qui olim ecclesiam persecuti sunt, nocentissimum fuisse scimus Iulianum, qui à fide defecerat. Sunt hæc nobis in eum finem obseruãda, vt defendamur, si quid huius hodie fiat: neq; etiam attoniti miremur, si quãdo hæretici & impostores diuina dei mysterijs disserunt & scripturas allegant. Norunt enim hortos illos, & sæpe in eos ingrediuntur, non vt Christum & ecclesiam iuuent, sed vt prodant: & ita fit, vt quæ per se salutaria sunt, illis mortifera fiant.

Christus uolens moritur.

Præ alijs autem hîc obseruari debet, quòd Christus sponte sua mortẽ subijt: quod ex eo satis apparet, quòd à nemine alio vel coactus vel persuasus in eum locum abijt, vbi sibi à Iudæ insidias fore eas esse sciebat, quas euadere aut subterfugere non liceret. Atqui illũ aliâs sæpe fugisse & se abscondisse legimus. Id verò tunc fecit, quando nondum erat hora mortis: nunc autem quando ea tam instabat, morti obuiam progreditur, vt patris voluntati sese accõmodet. Id verò duas potissimum ob causas factum est. Primò enim ipsius obedientia nostram inobedientiam expiari oportuit, sicut Paulus ad Romanos quinto Capite testatur. Deinde nobis exemplũ præbuit, cuius vestigia sectemur. Luceat ergo, vt nos quoq; periculis & hostium insidijs subducamus, quando nulla Dei vocatione vrgemur. At vbi hæc vrget, tunc per medios ignes & gladios cursum tenere satius est, quàm vel latum vllum à Dei voluntate deflectere. Certum autem nobis sit, nos ab ipso Deo ad certamen vocari, quando in eas angustias redigimur, vt vel certum periculum subire, vel ab officio discedere oporteat, vbi nos Deus destinauit.

Christus quid in horto fecerit.

Porrò quid in horto fecerit Christus, non scribit Ioannes, quia alij hoc omne describerant. Summa omnium est, quòd pro assumpta humanæ naturæ infirmitate cum mortis terroribus luctam grauissimam sustinuit, quæ eò vsq; progressa est, vt sanguinem sudaret: in ea autem ad preces constans fuit, quibus se totum patris voluntati subiecit, & ab eo per angeli ministerium confirmatus victor euasit. His verò prætermissis Ioannes de Christi hostibus sermonem instituit, quos vnà cum suis armis & artibus ad hunc modum describit: Iudas ergo cum accepisset cohortem, & à Pontificibus & Iudas dux hostium Christi. Pharisæis ministros, venit illuc cum laternis & facibus, & armis. Quo loco Iudas primum consiliarius venit. Fuit is domesticus Christi discipulus, cui familiarissimum fuisse ex eo apparet, quòd is ærarij curam ei commisit. At idem nunc eorum dux siue antesignanus est, qui Christum occisum & perditum volunt. Est hæc horribilis admodum mutatio. Sed tantum in illo potuit satan, postquam eius animum auaritia, omnium malorum radix, occupauit, sicuti Capite vndecimo & duodecimo illi factum est. Accidit hoc omnibus, qui diabolo penes se locum dãt, imprimis autem ijs, qui se totos auaritiæ manciparunt: quia impossibile est, vt quis Deo simul & Mammonæ seruiat. At quia de hoc alibi diximus, nunc sedulam Iudæ industriam & indefessum in concepto scelere studium obseruemus oportet, & cum illo aliorum discipulorum socordiam conferre. Nam etsi Christus prius inter cœnam

dum & postea in ipso horto multa de morte sua & imminenti periculo disseruisset, eosq; ad vigilantiam & preces esset hortatus: non tamen ab eis impetrare potuit, vt vel vnius horæ spatio secum vigilent & tantillum temporis precibus tribuant. At Iudas non vigilat modò, sed hinc inde discurrit, sceleris ministros conquirit, occasionem omnem diligenter obseruat, suos præceptis instruit, signum dat ex quo Christum agnoscant, monet, hortatur vt prudenter & caute rem gerant. Est hoc perpetuum, vt apud pios securitas & socordia regnet, neq; vlla periculorum denuntiatione excitentur, eò quòd ex seipsis alios omnes æstimant, & quia ipsi neminem lædere cupiunt, alios quoq; eodem animo præditos esse arbitrantur. Deinde cùm caro otium & quietem amet, difficulter sese ad labores & curas honestiores excitari patitur. At longè alia est impiorum ratio. Hi enim desiderijs prauis toti æstuant, veritatis lucem oderunt, huius sectatores oppressos volunt, neque se tutos aut saluos putant, nisi illi è medio tollantur. Nulla ergo penes illos pax est, nulla quies, sed dies noctesq; consilia versant cruenta, & pijs insidias struunt, neque vllam occasionem negligunt, quæ illis opprimendis seruire possit. Exempla in scripturis passim occurrunt, inter quæ admodum memorabilia sunt, quæ de Cano & Saule scribuntur. Hodie autem hoc ipsum experimur: & ea passim cernitur securitas, quam olim Satyricus poeta his versibus notauit:

Vt iugulent homines, surgunt de nocte latrones,
Vt teipsum serues, non expergiscèris? &c.

Caterùm videamus, qui & quales aduersus Christum conuenerint. Dicitur Iudas cohortem atq; ministros à Pontificibus & Pharisæis, quos præcipuos huius Tragœdiæ actores fuisse constat. Sed diligentius de his Lucas scripsit. Aliquos enim ex sacerdotibus & senioribus affuisse tradit, vnà cum templi præfecto, qui nimirum sua præsentia reliquis animum adderent, & negotium hoc suo consilio & authoritate iuuarent. Habuerunt hi penes se suos & aliorum sui ordinis seruos. Ne quid verò priuata temeritate agere videantur, quod seditionis speciem habeat, cohortem militum sibi asciscunt, quam à præside Romano illos perijsse certum est, qui illic cum imperio erat, & militum præsidio ad seipsum & publicam pacem tuendam vtebatur. His verò omnibus ducem sese præbuit Iudas apostata. Fuit autem inter hos magna dissimilitudo & ingens studiorum, morum, & professionis diuersitas. Conuenire tamen possunt aduersus Christum, eò quòd omnes impij sunt & veritatis lucem ex æquo oderunt. Et quod hîc factum est, hodie etiam fieri videmus, vt in Christo & ecclesia eius oppugnanda conueniant, qui in cæteris omnibus dissident, aut etiam se mutuò grauissimè oderunt. Sunt hæc nobis in eum finem obseruanda, vt & hostes veritatis agnoscere discamus, & nihil spei aut fiduciæ collocemus in impiorum dissensionibus. Nam vt vt in reliquis dissideant, mox tamen conuenire possunt, quãdo de Christo & Euangelio opprimendo agitur. Plura vide, si lubet, in Marco nostro Homil. 121. Hostes Christi qui & quales.

Postremò videamus, quomodo rem hanc agant, & quibus armis instructi veniant. Prius sæpe cum Christo disputationes instituerunt: & ita quidem fieri debebat, cùm de fide & religione, deque salutis ratione inter illos controuerteretur. Sed insidiosæ erant disputationes illæ, quibus non veritatis cognitionem, sed huius opprimendæ occasionem quærebant. Quia verò illis nihil proficere potuerunt, ad vim manifestam conuertuntur. Et primò quidem cum lucernis & facibus veniunt, ne per tenebras vspiam euadat, vtque tam ipsi quàm discipulis terrorem incutiant. Reliqui verò armis, gladijs nimirum & fustibus instructi sunt. Et simulant quidem se iure & legibus vti, cùm hoc ex præsidis & Senatus, imò Concilij, authoritate faciant: sed Christus apud Lucam eos tenebrarum potestate pugnare ait, & proinde diabolo militare, qui princeps tenebrarum dicitur. Ita verò omnibus seculis aduersus veritatem pugnatum fuisse constat, & non aliam rationem sequuntur, qui hodie nobis propter fidem in Christum negotium faciunt. Quàmuis autem isti multa prætexant, quam tamen impietatem egregiè produnt, & quod sibijpsis male sint conscij. Sciebant enim Christum inermem discipulos similiter inermes secum ducere. Ipsi tamen armis sibi opus esse putant & integra militum cohorte, quæ apud Romanos militibus mille ducentis & quinquaginta constabat. Vnde verò hoc? Ex eo nimirum, quòd malè sibijpsis conscij omnia timent. Est hæc impiorum sors, quòd etsi audomitum furiant, tamen conscientiæ terroribus agitantur, & ab illis etiam sibi timent, quos nullis Quibus armis instructi uenerint.

ad nocendum viribus instructos esse norunt. Et hæc causa est, quòd nullis iniurijs lacessiti cæ-
rore ruunt, & omnes eos extinctos volunt, quos abs se dissentire vident. Non minus autem sua
quoque stultitiam isti produnt, quando Christum armis opprimi posse putant, cuius diuinam po-
tiam toties erant experti. Faciunt ergo quod impios Christi hostes facturos esse, Dauid olim in Psal-
mo secundo prædixerat: & ideò eas pœnas dederunt, quæ ibidem describuntur. Nam etsi Christum
comprehenderint & in cruce suspensum occiderint, eiusdem tamen sceptrum ferreum non multò post
senserunt, quo vt vasa fictilia comminuti sunt. Eueniet idem omnibus, qui hodie illorum vestigia
sequuntur. Sed de hoc in sequenti Sermone locus dicendi erit commodior. Nunc discamus, nemi-
nem debere hostium veritatis conatibus & armis offendi. Viuit enim & regnat Iesus Christus, qui
olim hostibus suis superior euasit, ita potenti manu eos protegit, qui salutis spem in ipso collo-
tam habent, & ei soli seruiunt. Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum.
Amen.

HOMILIA CLVI.

Iesus itaq; sciens omnia quæ uentura erant super se, egressus dixit eis, Quem quæritis? Respondérunt ei: Iesum Nazarenum. Dicit eis Iesus, Ego sum. Stabat autem & Iudas qui prodebat eum, cum ipsis. Vt ergo dixit eis, Ego sum: abierunt retrorsum, & ceciderunt humi. Iterũ ergo rogauit eos, Quem quæritis? Illi autem dixerunt, Iesum Nazarenum. Respondit Iesus: Dixi uobis quòd ego is sum. Si ergo me quæritis, sinite hos abire: Vt compleretur sermo quem dixerat, Ex ijs quos dedisti mihi non perdidi quenquam.

ETsi Dei filium Iesum Christum in morte sua extremè humiliari oportuerit, vt mundi pec-
catum, cuius præcipua causa fuit primorum parentum superbia, expiaret: ita tamen hoc fecit, vt
simul præclara suæ diuinitatis & inuictæ potentiæ indicia ederet, quorum vsus est duplex. Prius
crucis scandalo medentur, ne humilius de illo sentientes, eius promissiones atque doctrinam, atq;
vniuersum nostræ redemptionis negotium, in dubium vocemus. Deinde nobis quoque in afflictio-
bus consolationem certam & efficacem afferunt. Vt enim hostes Christi non potuerunt obstare, quo
minus ille gloriam suam proferret, & tandem ipsa etiam morte superior factus de omni aduersa-
potestate triumpharet: Ita neque nostram gloriam impedire aut obscurare poterunt, quæ nunc
Christo abscondita, olim in magno illo die manifestabitur, quando ille in nubibus cœli veniet ad
dicandum, & pro Dei filijs, fratribus & cohæredibus suis nos agnoscet, qui nunc omnium mor-
lium contemptissimi, & ipsi etiam Deo exosi esse putamur. Et huc imprimis facit præsens hic lo-
quo primus Christi cum hostilibus suis congressus describitur: in quo apparet, quam efficaciter hu-
potentia & diuina virtute vsus sit, tam in sternendis hostibus, quàm in liberandis discipulis, qu
semel in suam fidem atq; tutelam susceperat.

Christus hostibus obuiàm procedit.

Primùm de ipso Christo scribit Ioannes, quòd hostibus ad se capiendum emissis obuiàm pro-
gressus sit, quàmuis sciret omnia quæ sibi euentura erant. Vbi rursus apparet, illum sua sponte
mortem subijsse, nimirum vt patris decreto obediret. Dictum de hoc nuper, quòd eius obedientia
nostram inobedientiam expiari & (vt Daniel ait) iustitiam sempiternam reduci oportuerit: quod
nobis exemplum reliquerit, cuius vestigia sequamur. Ad alterum hoc pertinet, quòd cum omnia ei
uisse dicitur, quæcunque essent euentura, nihilominus tamen se hostibus obuium dedit, ne pro-
situm sibi certamen vllo modo detrectare putaretur. Alia plane est nostra conditio. Nam etsi in-
terdum pericula magna nobis proposita videamus, tamen quid tandem futurum sit nescimus: q
vult nos futura ignorare Deus, vt omissa curiosiori illorum inuestigatione, in suam voluntatem
tenti simus, nosque ad quæuis subeunda aut facienda præparemus. Peccant itaque in Iesu Christi
exemplum, quicunque omisso suo officio, cui ipsos Deus destinauit, futura curiosius inquirunt, qu

quicum

quicquam sibi faciendum putant, nisi de totius negotij euentu certiores facti fuerint. Falluntur hi plerunque suis rationibus, & dum plus sapere volunt, quàm Deus reuelet, ferè inobedientes fiunt, sibique ipsis grauiora pericula accersunt. Quantò rectius Paulus Apostolus, qui cùm Hierosolymis sibi carceres & vincula parata sciret, nec intelligeret, quis istorum omnium finis esset futurus, Christi tamen exemplum secutus, constanter eò perrexit, ne Deo ipsum vocanti reluctaretur.

Hostes Christũ non agnoscunt.

Sed in Christi exemplo pergamus, qui vbi in hostium conspectum venit, prior illos alloquitur, & intrepidus interrogat, quem quærant. Et ita hanc historiam describit Ioannes, vt satis appareat, neminem illorum tunc ipsum agnouisse. Atqui multis antea de facie notissimus fuerat: nec est quòd tenebras nocturnas illis impedimento fuisse dicamus, cùm laternis & facibus instructos fuisse audierimus. Fuerunt ergo illorum oculi detenti, vt quem aliâs probè nouerant, nunc agnoscere non possint. Tale quid Sodomæos olim passos fuisse Moses scribit, quando Lothi domum oppugnare & angelis in ea diuersantibus vim inferre voluerunt. Simile etiam huic est, quod inter Syros milites & Heliseum contigisse sacra historia tradit. 2. Regum sexto. Quibus exemplis docemur, impios non semper posse, quod videntur posse, & Deum ferè per ludibrium conatus & consilia eorum dissipare. Facit autem ad amplificationem huius miraculi, quòd Iudas cum istis affuisse dicitur: qui & discipulus domesticus & œconomus Christi fuit, nec tamen ipse eum agnouit, & nunc ridiculum valde se præbet, qui paulò ante socios grauiter monuerat, ne quem alium prehenderent, quàm quem ipse oscularetur, & in eo deducendo cautos & prouidos sese præberent. Est autem Iudas hic typus apostolorum, qui etsi prius aliquam habuerunt Christi & veritatis cognitionem, eam tamen facta defectione omnino amittunt, vt nihil planè videant siue intelligant, donec horribili iudicio Dei circunuenti & oppressi, ea in mentem aliquo modo reuocant, quæ prius securi nimis contemserunt. Docet hoc Iudæ infelix exitus. Qui enim fidas Christi admonitiones contemserat, & ab illo ad improbos sacerdotes defecerat, nunc illum coràm astantem, loquentem, imò efficaciter operantem non agnoscit, neque vllis signis mouetur. Postea autem, quando in abyssum impietatis demersus Christum capitis damnatum & Romano præsidi traditum esse videt, illum non modò de facie nouit, sed eius admonitiones in mentem reuocat, scelus fatetur, & eius atroci atque immani pondere oppressus, ex desperatione sibijpsi mortem consciscit. Nihil ergo tunc profuit Christi cognitio ei, qui docentem, monentem, corrigentem noluit agnoscere. Idem Iuliano accidit, qui cùm Christi cognitionem, quam habebat, impiè conculcauisset, postea nullam habuit amplius, & in sua ignorantia securus perrexit, donec conto transfixus sensit, quo cum sibi res esset, & tunc demum dictum illud impium & desperationis plenum euomuit: Vicisti Galilæe, vicisti. Accidit hoc ipsum hodie multis, quæ exempla nobis in eum finem seruire debent, ne in mundi huius gratiam à Christo secessionem faciamus, & agnitam veritatem abnegemus. Nam licet quidem nobis, quandocunque volumus, oculis occlusis, vel etiam apertis & videntibus, veritatem dissimulare. Sed sequitur ingratitudinem istam cæcitas & animi caligo tristissima, quam ipsi pro nostro arbitrio excutere non possumus: & si quæ lux nobis denuo affulgere videtur, ea non solatium, sed conscientiæ carnificinam parit, dum & sceleris atrocitatem arguit, & Dei iustum iudicium nobis ob oculos statuit. Fruamur ergo luce, dum eam nobis Deus ex gratia offert, & mox nos in illa proficere sentiemus.

Hostes Christi suum conatum dissimulant & miraculosè ster nuntur.

Quid verò coniuratorum cohors? Respondent, se Iesum Nazarenum quærere. Videntur autem consultò à conuitijs abstinere, quò minus suspecti sint, & ne cui hunc cælandi aut absconden- di occasionem præbeant. Et solent frequenter impij veritatis odium & hostiles aduersus hanc conatus astutè dissimulare, vt quiduis potius aliud quàm huius oppressionem meditari videantur. Ita verò in nassam trahunt incautos, qui tunc demum sua capita peti sentiunt, quando nulla euadendi via superest. Exempla huius generis nostro seculo vidimus, quando qui iam instructos habebant exercitus, quibus ecclesias & in his sonantem veritatem opprimerent, nihil tamen minus quàm hoc tentare volebant videri, donec omnia ad suum nutum parata viderunt. Quò magis nos aduigilare decet, ne nostra socordia ipsas quoque ecclesias & veritatis doctrinam in periculum adducamus. Porrò quoad Christum, non iam tempus erat declinandi periculum, ideò nihil dissimulat,

sed se eum esse fatetur, quem illi quærebant. Ipsi autem hoc audito, mox retrorsum abeunt, quasi eius conspectu territi fugã capere velint, nec tamen hoc consilium illis succedit, eò quòd tam animi quam corporis viribus deficientibus supini concidunt. Elucet hîc rursus euidens & irrefragabile Deitatis Christi argumentum, quod Diuus Augustinus obseruans exclamat: Vbi nunc militum cohors, & ministri principum & Pharisæorum? Vbi terror & munimen armatorum? Nempe vna vox dicentis, Ego sum, tantam turbam odijs ferocem, armisque terribilem sine telo vllo percussit, repulit, strauit. Deus enim latebat in carne, & sempiternus dies ita membris occultabatur humanis, vt lateris & facibus quæreretur occidendus à tenebris, &c. Voluit autem Christus hoc facto primum hostibus suis ostendere, quo cum ipsis res sit, & eosdem planè inexcusabiles reddere. Quid enim sceleri suo prætexent, qui manus violentas in eum inijcere non sunt veriti, cuius solo verbo sese prosterni senserant? Deinde specimen eius præberi oportuit, quod apud Isaiam cap. vndecimo de Messia dicitur, qui terram virga oris sui percussurus, & spiritu labiorum suorum impium interfecturus sit. Adhæc generalis doctrina hîc proponitur, quid Christi hostes & omnes eos maneat, qui aduersus eum cõiurare audent. Ferociunt illi ferè, & confidentia ebrij sibijpsis quiduis pollicentur. Sed ijdem velint nolint intra animos suos Christi virtutem humana maiorem esse sentiunt, & ideò male sibi conscij trepidant. Quia verò nihilominus pergunt, ne manus dedisse videantur, corruunt ferè in suis consilijs, quorum infelicem euentum experiuntur, & cùm incurabili contumacia aduersus Deum luctentur, sempiterni quoque exitij sibijpsis authores sunt. Cuius rei exemplum memorabile olim in Saule præcessit, qui etsi omnia consilia sibi infeliciter cedere videret, non tamen à persequendo Dauide (qui Christi typum gerebat) destitit, donec seipsum miserè perdidit, vt inuitus licet Dauidi regnum relinqueret. Secuta sunt deinceps huius generis exempla multa in Romanis Imperatoribus, qui Christi ecclesiam persecuti sunt, & hodie similia multa fiunt, quibus docemur, eos in pulueren & lutum ignominiose prosterni, quicunque sese aduersus Christum, Regem gloriæ, exaltant. Quid enim aliud expectent, qui cum ipso Deo certamen suscipiunt, cuius æternum decretum abolere conantur? Quod quàm periculosum sit, gentium etiam poetæ intellexerunt, sicuti eorum fabulæ de gigantomachia testantur, quibus fortassis historia turris Babel initium dedit. Omnium verò horum vsus est, vt nos verbo Christi subijciamus, quo (vt Augustinus ait) quotidie adhuc clamat, Ego sum. Docet enim se esse Dei filium, qui propter nos homo factus miserum mortalium genus redemerit. Agnoscamus ergo eum regem & sacerdotem nostrum, & illum timeamus, vt eius verbo salubriter prostrati resurgamus ad vitæ nouitatem, quam olim cœlestis gloriæ felicitas comitabitur. Neque hîc nobis imponat, quòd interdum Christus vires suas quasi abscondit, & suorum seruorum & sui nominis immemor videri queat. Nam quandocunque ipsi visum fuerit, potenti brachio vti potest, & olim in gloria patris ad iudicandum veniet, quando omnes homines ad eius tribunal sistentur, vt in suis corporibus recipiant digna suis factis præmia. Semper ergo huius facti memoria animis nostris obuersetur, & cum D. Augustino dicamus: Quid iudicaturus faciet, qui iudicandus hospicit? Et si impij hostes ad vnicum eius verbum conciderunt, quo se Iesum, id est, promissum illum humani generis seruatorem esse pronuntiauit absq; omni comminatione, quid obsecro fiet, quando grauem illam & horroris plenam sententiam intonabit: Abite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius? Matth. 25.

Hostium Christi contumacia.

Sed redeamus ad impiam hostiũ Christi cohortem, qui (quantum ex historiæ contextu colligere licet) prostrati iterum exilierunt, & ne tunc quidem Christum agnouerunt, cuius potentem manum experti fuerant. Habemus autem in illis exemplum eorum, qui plagis quoque non resipiscunt, vt ad Deum conuertantur: quales hodie multos passim est videre. Fit hoc ferè ijs, qui post oblatum sibi & à se perceptum cognitionis Christi gustum, hostibus eius sese coniungunt, et præsentis seculi commoda futuris & cœlestibus bonis præferunt. Quales fuisse sacerdotum seruos ex ijs apparet, quæ Capite septimo audiuimus. Cùm enim illic ad capiendum Christum emissi in eius concionem incidissent, intra animos suos conuicti sunt, vt illi apud suos heros præclarum ferrent diuinæ veritatis testimonium. Attamen ijdem ventris studium secuti non discedunt ab eorum seruitio, & illis suam operam denuo locant contra Christum. Itaque iusto iudicio Dei excæcantur, vt nunc manum quoque illius potentem non agnoscant, & ex plagis deteriores fiant. Obseruemus autem in his, quàm horribilis

hîc pœna sit excæcatio & induratio, qua Deus impios suos hostes vlciscitur. Solet enim malum hoc rationem & cõmunem sensum in hominibus extinguere, vt brutis animalibus stupidiores fiant, qui creaturas omnes excellere debebant. Etenim agnoscunt aurigarum flagella equi, & boues stimulis incitantur vt opus facere pergant, et (quod Germanico prouerbio dicitur) asini ab ijs itineribus abhorrent, in quibus aliquando cũ periculo lapsi sunt. At qui prauis cupiditatibus habenas laxarunt, & ideò Dei iusto iudicio excæcati sunt, ij neq; flagella Domini agnoscunt, neq; vllis aduersæ fortunæ stimulis mouentur, & si millies corruant, ad eundem tamen lapidem perpetuò offendunt. Talem olim Pharaonem fuisse legimus. Tales etiam fuerũt Saul, Achab, Zedechias, cum multis alijs, quorum impiam & malitiosam contumaciam ad hunc modum Deus puniuit. Et tales hodie multos videmus in religionis negotio, qui etsi se falsos esse multoties senserint, superstitiones tamen mordicus retinent, & scientes volentes seducuntur. Idem multi quoad mores & vitæ consuetudinem faciunt. Quamuis enim egestate, fame, morbis, bellis, exilio & infinitis alijs plagis prosternantur, & prostrati iudicium Domini agnoscant, vt primùm tamen respirandi facultas datur, ad priora studia redeunt, & (vt Paulus de improbis & impostoribus scribit) indies in peius proficiunt. Caueamus ergo pestem hanc, & in tempore cedamus Deo, ne incurabiles facti nobisipsis exitium accersamus.

Porrò Dominus, vbi hostes exilisse videt, iterum interrogat, & rursus se illis cognoscendum præbet, vt minus habeant excusationis. Quasi diceret: An adhuc me ignoratis? annon sentitis vos ab eo prostratos esse, cuius virtus antehac in multorum curatione & sanitate eluxit? Vel num adhuc nescire lubet, quo cum certamen susceperitis? Sed age quando ita lubet, facite quod vultis. Attamen si me quæritis & mei capiendi causa tanto cum apparatu venistis, à discipulis hisce meis manus abstinete, & sinite eos abire. Et hoc vno dicto discipulos defendit, ne quid mali patiantur. Est hoc nouum miraculum, priori non minus aut inferius, quo docemur, Christum tam potentem esse in suis defendendis, quàm potens & seuerus est in puniendis hostibus. Et quia illi in ipsos hominum animos & voluntates imperium esse videmus, eundem Deum verum esse constat. Estque hoc diuinæ potentiæ argumentum eò luculentius, si cogitemus, quàm exosi illis hominibus discipuli fuerint, & quòd Petrus (vt suo loco audiemus) illis nouam & grauem admodum in ipsos sæuiendi causam præbuit. Attamen occulta Christi virtute detenti, nihil in eos hostiliter tentant. Causam verò huius rei Ioannes allegat his verbis: Vt compleretur sermo quem dixerat, Ex ijs quos dedisti mihi, non perdidi quenquam. Sunt hæc desumpta ex oratione, quam in præcedenti Capite habuimus. Non inepte autem ad corporis & vitæ huius periculum transfert Euangelista, quod illic de animarum perditione dictum fuerat. Quia enim tunc temporis infirmiores adhuc erant discipuli, quàm qui tam duris certaminibus sufficere possent (sicuti in Petri lapsu videbimus) non tam corporis quam animæ periculum subituri erant, si eos nunc in certamen deduxisset. Itaque salutis eorum rationem habuit Dominus, quos à patre sibi datos esse sciebat. Subest tamen hîc aliquid etiam profundioris mysterij, cuius consideratio ad fidei nostræ doctrinam facit. Oportuit enim Christum solum capi & mori, vt palàm constaret, illi soli deberi omnem nostræ redemptionis gloriam. Obseruauit hoc Diuus Cyrillus, cuius verba recitare libet, vt veteris ecclesiæ in hac doctrina consensum audiatis: Vnum mori oportuit sufficientem pro vita omnium redemptionem: vt & mortuorum & viuorum imperium acciperet. Ne quis illud ridiculum verum esse putaret, Apostolorum mortem ad destructionem interitus aliquid contulisse: cum liberatis enim ab interitu etiam Apostoli iure connumerantur. Vnius enim nobiscum illos fuisse naturæ constat, in quos imperium mors suum exercuit. Solus ergo qui ex viuo patre est, pro vita omnium carnem tradidit suam, quæ post mortem, coniunctam secum verbi vitam secuta, viam nobis dedit, qua mortis laqueos possimus superare, &c. Vides in his, quàm procul ab ijs abfuerint veteris ecclesiæ doctores, qui hodie Diuorum cœlitum meritis salutem nostram adiuuari clamant, & eo argumento superstitiosum illorum cultum tuentur. Interim boni etiam pastoris officio hîc fungitur Christus, quem se Capite decimo professus est: quando non oues primùm lupis obijcit, sed ipse pro ouibus sese tradit, vt istæ seruentur. Imitentur hoc exemplum non ministri modò ecclesiarum, verumetiam principes, quos antiquitus pastores populorum dictos fuisse scimus. Quo affectu olim Dauid præditus, Dei manum in se & suam domum conuerti, populo autem suæ fidei commisso parci cupiebat. Seruit præte-

Christus se hostibus tradens discipulos liberat & tuetur.

rea multùm consolationi nostræ huius exempli consideratio. Primò enim videmus, quanta sit Christi capitis & regis nostri potentia, cuius vnicum dictum discipulos seruare & sceleratæ hostium manus continere potuit. Defendit eadem olim patriarchas, quando Chananæorum animos cohibuit: Nolite tangere vnctos meos, &c. Psalmo centesimo quinto. Et eiusdem virtute hodie etiam hostes terrentur, vt præter animi voluntatem ab affligenda ecclesia abstineant. Sed non minus consolationis aduersus tentationes conscientiæ nobis locus iste suggerit. Qui enim in præsenti discipulos noluit periculis grauioribus obijcere, ne salutis iacturam facerent: idem nunquam non nostræ infirmitatis rationem habet, neque nos supra vires tentari sinit. Si quid ergo grauioris periculi imminet, ne dubitemus, illum vires subministraturum esse, & iam modum quoque nouisse, quo seruet. Deinde vt rata fuit ea precationis Christi pars, qua Apostolorum saluti consuluit: ita non minus ratum & efficax erit, quòd patri suo commendauit omnes eos, qui Apostolorum doctrinam secuti in ipsum credunt. Et qui paucorum in tali tempore (vt Cyrilli verbis vtar) curam habuit, quomodo innumerabiles fideles non proteget? Hæc meditemur hodie ô fratres, quando pericula vndique imminent: & fortes simus in Christo Iesu, qui suos perire non sinit, quos sanguinis sui pretio redimere dignatus est &c. Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

HOMILIA CLVII.

Simon autem Petrus cùm haberet gladium, eduxit eum, & percussit pontificis seruum, & abscidit auriculam eius dextram. Erat autem nomen seruo Malchus. Dicit ergo Iesus Petro: Immitte gladium tuum in vaginam: Annon bibam poculum, quod dedit mihi pater? Itaque cohors & tribunus ac ministri Iudæorum comprehenderunt Iesum, & vinxerunt eum. Et abduxerunt eum primùm ad Annam: erat enim socer Caiaphæ, qui erat pontifex anni illius. Erat autem Caiaphas is, qui consilium dederat Iudæis, quòd expediret unum hominem mori pro populo.

EVangelistæ in describenda mortis Iesu Christi historia non modò quid ille passus sit, narrant, verumetiam quid interea fecerint illius discipuli: quorum egregiè facta nos imitari conuenit, cauere autem vitia & errores, quos vel confidentia sua decepti vel periculorum metu superati commiserunt. Inter ea autem, quæ ad montem Olueti in horto gesta sunt, primas tenet, quòd Christus cum mortis terroribus luctante ipsi dormierunt, & neque seria Christi adhortatione, neque periculi imminentis denuntiatione sese ad preces & propriæ salutis studium excitari passi sunt. Et hoc carnis ingenium, vt Christo in membris suis periclitante dormiat, & aliorum periculis facilè contemnat, dummodo sibi bene sit, & otio priuato consulere possit. Quod hodie in nobis ipsis simul & multis alijs experimur: quorum exempla nobis in eum vsum seruire debent, vt neque nosmetipsis neque vlli hominum fidamus nimiùm, sed salutis spem omnem in vno Christo collocemus, qui nunquam non pro nostra salute excubat. Cæterum vt discipulos improuisus Iudæ & militum aduentus excitauit: ita plerunque fieri solet, vt verberibus & subitaneis periculis excitentur, quos fidas Dei admonitiones aliquandiu neglexerunt. Quod si fiat, agnoscamus paternam Dei manum, & vel tunc surgamus ex luto peccatorum, vt in ferenda cruce illi fidum obsequium præstemus. Sequitur nunc in Ioanne nostro, quid factum sit, quando hostes vndique circumfusi Christo manus iniijcere cæperunt. Quo loco exemplum priori contrarium opponitur: vt nimirum nimia alacritate & confidentia peccauerint, qui prius nimiùm socordes & somnolenti erant. Quod cùm etiam nobis frequenter contingat, diligenter singula inspici debent, vt quid potissimùm cauere debeamus discamus.

Primùm

Primus hîc Petrus prodit, qui pro Christo in pugnam descendisse dicitur. Quod etsi zelo inconsiderato fecerit, non defuerunt tamen causæ, quæ illum mouerunt, vt affectui suo indulgeret. Primò enim Dominum in Cœna dicentem audierat: Qui nõ habet, vendat tunicã suam & emat gladium. Quia ergo ille extra pugnam nullum alium gladij vsum nouit, affectui & zelo suo accõmodat quod Christus dixerat, ad exprimendam periculi imminentis magnitudinem. Deinde aliorum discipulorum exemplo videtur excitatus fuisse, qui (vt Lucas scribit) irruentibus vndiq; hostibus exclamarunt: Domine, feriemus ne gladio? Tunc ergo Petrus, qui reliquis suapte natura feruentior erat, & inter cœnandum plus alijs promiserat, sibi properandũ putauit, ne quis alius ipsum præueniret: & ita non expectato Christi responso in arma ruit. Potuit etiam ei animum addere Christi dictum, quò hostibus mandarat, vt discipulos illæsos & intactos dimitterent. Ex eo enim colligit, officij ipsorum esse, vt vicißim illum ex hostium manibus eripiant. Prosilit ergo ad pugnã magno animo cum tota militum cohorte & ingenti seruorum turba congressurus. Quod sanè magnum est ardentißimi erga Christum amoris argumentum: at quia carnis zelo ducitur, nec quid Christus velit spectat, ridiculus est admodum conatus tanti euentus. Infelici enim Pontificis seruulo auriculã solam abscindit, à Christo autem grauiter obiurgatur, & qui nunc ita feruet, paulò post ad ancillulæ vocem territus Christum turpiter abnegat.

Petrus pro Christo pugnat

Admonemur itaq; hoc exemplo, quò nos abripiat carnis zelus per se bonus & pius, nisi illum diuinæ voluntatis & nostri officij recordatio moderetur atq; gubernet. Fuit enim Petrus (vt modò dictum est) amantißimus Christi, & omne hoc ex zelo bono atq; sancto egit. Et si factum ipsum consideres, nulla defensio iustior & sanctior cẽseri poterat, quàm quæ pro Christi gloria & vita suscipitur. At quia carnis affectui se totum permittit, multiuariàm peccat. Primò enim diuinæ voluntati reluctatur, de qua illos toties admonuerat Dominus, & quantum in ipso est, olim promissam humani generis redemptionẽ impedire studet. Deinde ad eundem lapidem iterum offendit, quando nunc maioricum audacia facit, cuius nomine aliquando acerrimè fuerat à Christo obiurgatus. Qui enim alibi verbis solummodo eum à cruce subeunda deterrere instituerat, & ideo satan fuerat dictus, nunc manu quoq; illum retrahere, & ex mortis periculo armis asserere conatur. Adhæc gladio vtitur cõtra leges, & quidem contra magistratũ suum, quod à seditionis crimine nõ procul aberat: & eo facto hostium calumnias confirmat, qui Christum multa aduersus Romanum Imperiũ seditiosè moliri dicebant. Præterea Christo inobediens est, dum omisso eo quod ille mandauerat, & quod sine periculo poterat fieri, facit quod nõ iussus fuit à quoquam, & quod cum periculo maximo erat coniunctũ. Neq; se solum periculo obijcit, sed discipulos simul omnes secũ in discrimẽ adducit. Quid enim aliud quàm horribilis omnium illorum cædes exspectari poterat, nisi Dominus occulta sua virtute hostium rabiem cohibuisset? Interim omnibus hisce nõ aliud agit, quàm quod partim risum meretur, partim reprehensione dignum erat. Tales sunt etiã hodie, qui in religionis causa carnis zelo ducuntur. Nam in ipso limine (quod dici solet) impingunt, dum crucem omnem procul repellere student, & ita Deo sese opponunt, qui per hanc carnis nostræ socordiam & petulantiam castigat, & simul in nobis triũphat. Multa item contra leges & ius publicum faciunt, & ita turbarũ & seditionum authores sunt, propter quas euangelij doctrina malè audit. Et dum magno cum periculo tumultuantur, interim quæ magis necessaria magisq; tuta sunt negligunt, & sine quibus salus nostra non consistit, vtpote verbi diuini studiũ, pœnitentiã, preces & quæcunq; sunt alia huius generis veræ pietatis exercitia. Deniq; publicis malis causam præbent, quibus homines rudes & rerum imperiti præter suam culpam implicantur, & sæpe cum fortunis omnibus miserè pereunt. Quibus accedit, quòd dum successu infeliciori vtuntur, & ipsi ferè inter pericula turpiter deficiunt, & simul Christi causam impiorum ludibrijs exponunt. Sunt hæc omnium seculorum exemplis confirmata, & vtinam non multa paßim fierent, quæ hisce fidem facere possunt. Discamus ergo carnis consilia suspecta habere, & non indulgere affectibus per se bonis & pijs: sed in Dei voluntatem respicere, quæ nobis omniũ actionum vnica regula esse debet. Fit enim frequenter, vt opus quidem in se bonum & sanctum sit, peccetur autẽ in agendi modo, & nõ semper in loco & tempore fit, quod tempestiuè factum laudem aliquam mereri poterat.

Carnis zelus quid faciat.

Sed Malchum quoq; videamus, cuius auriculam dextrã Petrus ferro abstulit. Fuit is summi pontificis seruus, & ideo præ alijs in capiendo Christo sedulam operã nauauisse videtur, vt hero suo

Malchi auricula abscinditur.

rem gratam faceret: quæ fortassis causa fuit, quòd hunc primum Petrus petendū putauit. Et quidem huius hic præcipiti et inconsiderato affectu feratur, vt modò diximus, non tamen sine certo prouidentiæ diuinæ cōsilio fit, quòd ea potissimùm corporis parte Malchus mulctatur. Solet enim Deus eas quoque actiones moderari & ad certum finem dirigere, quas nos temere suscipimus, vel etiam fortuitas putamus: quod ipsum hîc etiã accidisse, res ipsas docet. Adumbratur enim in hoc exemplo, qui fere eorum mores & studia sint, qui sese impiorum pontificum seruitio contra Christum & veritatis doctrinam addixerunt, & quid ijsdē ferè accidere soleat. Feruent illi admodum industrij, & vt apud suos, quos sibi pro Dijs adorandos proposuerunt, magnam gratiam ineant, nihil non agunt, vt Christum in verbo & membris suis vinciri & opprimi posse arbitrantur. Et quia plerunq; scienter peccant, dum eos defendūt quorum impostura, libidinem & flagitia nefanda probe cognita habent, & insuper propriæ conscientiæ testimonio nequicquã arguuntur, dextris auribus illos mulctat Deus. Erat autem auris in Lege obedientiæ symbolum, vt alibi dictum est. Amittunt ergo illi obedientiæ piæ & salutaris studium, & in sensum reprobum traditi, ipsum quoq; Dei verbum vel non audiunt, vel non dextris auribus amplius audiunt, sed sinistris. Nam malitioso veritatem oppugnādi studio abrepti, omnia sinistrè accipiunt, bene dicta in malum sensum detorquent, & calumniandi occasionem in ijs quærunt, quibus ad pietatem erudiri poterant, si prauos suos affectus exuerent. Fit hoc die in multis, qui conciones sacras studiosè deuitant, ne quid suis cupiditatibus contrarium cogantur audire, vel etiam ex ijs peiores discedunt, & nouas odij flammas concipiūt. At quia extra Dei verbum nulla animarum medicina reperitur, tales omnino pereant oportet, nisi suam manum citò admoueat Christus, & suo spiritu aures mentesq; eorum aperiat. Præterea Iudaici populi conditionem simul hoc exemplo spiritus sanctus adumbrare voluit. Debebat is Deo seruire in libertate spiritus, & in verum legis sensum respicere, qui Christum veræ libertatis authorem monstrabat. Sed pertinacia sacerdotum traditionibus irretiti & in seruitutem redacti erant, adeò vt in solam literam omnes externa modò sacra obirent, in illis solis hærerent, adeoq; signa pro rebus acciperent, quæ his figurabantur: quam seruitutem animæ miserrimam esse Augustinus scribit. Has ergo seruiles aures spirituali gladio, id est per euangelij prædicationem auferri oportuit, vt excusso pontificum & falsæ doctrinæ iugo ad Legis finem, Iesum Christum contenderent. Quod in multis factum fuisse sumus, eorum mentes postea Christus suo spiritu ad fidei obedientiam attraxit, qua sola Deo placere possumus. Et quod in illis factum est, in omnibus fiat oportet, quicunque Christo ad salutem frui volumus. Quoad enim aures impiorū pontificum traditionibus præbemus, nullus apud nos veritati locus est. Non tamen illos excussisse proderit, nisi simul Christum admittamus, qui suo verbo nos erudiat & spiritus sui virtute nos totos sibi vendicet, vt in eius obsequium intenti simus.

Christus discipulos pugnantes reprimit.

Porrò ipsum Christum de Petri facto pronuntiantem audiamus: vbi ante omnia obseruandum est, quòd qui hostilibus mandauerat, ne quid mali discipulis inferrent, nunc hos quoque in officio continet, vt à vi & iniuria sibi temperent. Exigit hoc iustitiæ & æquitatis lex, quam minimè sequuntur qui ipsi quidem à nemine lædi volunt, cùm ipsi omnibus molesti sint, & quos suis obnoxios omni malorum genere aduersus sese irritent. Rectè ergo & prudenter Christus Petri conatum reprimit, & quidem illi dicit: Immitte gladium in vaginam tuam. Et apud Matthæum præcepto huic rationem adijcit: Omnes enim qui gladium acceperint, gladio peribunt. Quo dicto nō abrogat ius gladij & magistratum politicum. Is enim gladium non priuato affectu arripit, sed à Deo traditum gestat, sicut Paulus ad Romanos capite decimo tertio multis docet. Ad præsens ergo Petri factum & eius similia sunt, hæc verba referri debent, & inde generalis doctrina colligi, quòd neque apostoli neque eorum successores gladio pugnare, neque priuati homines illum ex priuatæ vindictæ cupiditate arripere debeant. Quia enim regnum Christi non est de hoc mundo, nequaquam etiam mundi armis propagatur, & vt Paulus in posteriori ad Corinthios scribit, arma militiæ nostræ spiritualia sunt. Habemus quidem principes ecclesiæ nutritios & protectores à Deo constitutos esse, & hunc frequenter eorum authoritate & armis ad illius defensionem vti (quemadmodum Dauidis, Ezechiæ, Machabæorum, Constantini item, Theodosij & similium exemplа testantur) sed nunc nobis de ecclesiæ ministris sermo est. Habent hi gladium spiritus sibi à Christo traditum, quo postea felicius multo pugnauit Petrus, & quo apostoli simul omnes infinita millia Iudæorum & gentium ad Christi obedientiam

dientiam adduxerunt. Eodem hodie etiam pugnent, quicunq; in ecclesiæ ministerio cum laude & fructu versari volunt. Quoad verò priuatos homines, debent illi iure & legibus agere aduersus eos, quos sibi intolerabiles esse sentiunt. In eum enim finẽ Deus iudicia publica constituit, ne priuatæ vindictæ licentia pacem publicam turbet & confusionẽ inducat bonis omnibus exitialem. At si Petrus meritò reprehenditur, qui pio & sancto zelo deceptus pro Christo pugnauit, cui omnes homines suam vitam & sanguinem debent: quid obsecro de Romanis pontificibus dicemus, qui cùm Petri successores haberi velint, omni armorum genere & bellis horrendis Christi verbum oppugnant, & in eius ipsecra crudeliter sæuiunt? Quid item de illis iudicabimus, qui vel cæcis affectibus abrepti cædes faciunt, vel mercenariam militiam secuti omnes propè terras sanguine innocenti irrigant? Arripiunt illi omnes gladium contra leges à Deo constitutas, & proinde rata in illis erit Christi sententia, qua Petri manum coercet.

Caterùm aliam adhuc rationem Christus subijcit, dicens: Annon bibam poculũ, quod dedit mihi pater? Quibus verbis ostendit defensionem hanc iniustam esse, & cum patris voluntate pugnare. Potest enim eiusmodi argumentum formari: Quodcunq; Deus statuit, hoc patienter ferri, nõ violenter reijci debet: At huius decretum est, vt in cruce moriar, & meæ mortis merito humanũ genus redimam: Ergo huic me obedire cõuenit, tu verò aduersus illud nihil tentare debes. Facit ad huius argumenti confirmationẽ, quod apud Matthæum addit: An putas quòd non possim nunc precari patrem meum, qui præstet mihi plures quàm duodecim legiones angelorũ? Quomodo ergo implerẽtur scripturæ, quæ dicunt quòd sic oportet fieri? Debet hinc etiam generalis doctrina peti, ne ea ferre detrectemus, quæ nobis à Deo immitti certò cõstat. Atqui huius generis sunt quæcũq; nobis in huius vitæ curriculo accidunt. Docent enim scripturæ, nihil absque certo diuinæ prouidentiæ consilio fieri, & non dies modò vitæ nostræ, verumetiam capillos numeratos esse. Ergone (inquis) nefas fuerit in morbis pharmaca sumere, famis tempore annonam conquirere, aut quando bella imminent, de hostium vi arcenda cogitare? Nequaquam ô fratres. Scimus enim hisce medijs olim sanctissimos quosque vsos esse, neque temere ista creauisse Deum, cuius voluntas est, vt nostris vsibus omnia seruiant. Sed vocationis nostræ ratio habenda est. Si enim impendentia nobis mala non aliter auertere possumus, quàm vt aliquid fiat à nostra vocatione alienũ, certò constat Deum velle vt ista feramus. Huius ergo voluntati accommodemus nos, qui nos supra vires tentari nõ sinet, & tentationibus nostris exitum dabit felicem atq; salutiferum. Facit autem ad huius rei considerationẽ, quòd Christus crucem & quæcunq; hanc comitata sunt mala, poculi à patre sibi propinati vocabulo comprehendit. Est Metaphora hæc siue similitudo frequens admodum in sacris literis, & ex vulgi consuetudine desumpta esse videtur. Vt enim boni patresfamiliâs inter domesticos suos potum cibumq; partiuntur, & singulis suum dimensum distribuunt: Ita Deus vitæ huius casus inter homines partitur, & singulis certa cum ratione imponit quod ferant. Multùm verò facit huius considerationis ad consolationem nostram, ne nos impatientia vinci patiamur. Docet enim nihil nobis fortuitum accidere, nec in hominum arbitrio esse vt nos affligant, sed omnia nostra certo Dei consilio dispensari, qui pro sua voluntate nobis plus aut minus infundit. Et huc respiciens Christus, poculũ hoc sibi à patre datum ait, neque aliquam Iudææ aut sacerdotum mentionem facit, quorum ministerio Deus vtebatur. Sic Iob non in Chaldæos & reliquos latrones respexit, sed in vnum Deum, quando dicebat: Dominus dedit, Dominus abstulit, &c. Quod vnum si probè consideretur, omnes murmurandi & quiritandi causas procul è medio tollit. Quis enim adeò impudens & temerarius fuerit, vt aduersus Deum grunnire, & huic litẽ intentare audeat? Magis tamen in fide confirmabimur, si Deum hunc patrem esse cogitemus, & omnia ad salutem nostram dirigere. Ergò quàmuis interdum amaras potiones nobis misceat, non tamen nos perditos cupit, sed fidos medicos imitatur, qui acerbioribus pharmacis morbos grauiores curare consueuerunt. Vt verò ijdem amara dulcibus temperant, quoad eius fieri potest: Ita Deus quoq; læta tristibus miscet, & cum afflictionibus consolationes auget, ne nimio pondere depressi succumbamus. Quoties ergo morbis diuturnis & lentis excruciamur, vel pro fide Christi exilium sustinemus, vel cum rerum inopia & fame colluctamur, aut etiam inter media mortis pericula sumus constituti, semper nobis hoc Christi dictum occurrat: Annon bibes poculum, quod dedit tibi pater? Vtinam verò huius ebriosi meminissent, qui vbi sua intemperantia sibipsis

Christus patris decretum allegat.

morbos, egestatem & calamitates alias accersiuerunt, ferè illa indignissimè ferunt, & de nimio Dei rigore conqueruntur. At cur nõ ex suis moribus quid facto opus sit colligunt? Inciuile illis videtur, si qui combibonibus ingentia vini pocula propinantibus morem gerere detrectent. Qua ergo ratione ijdem Deo responsant, & ogganniunt, quando hic ex suo penu illis lentos podagræ cruciatus, acutissimos calculi dolores, capitis vertiginẽ, lippientes oculos, infestam scabiem, hydropem fœdè fluentem, egestatem & alias huius generis plagas propinat? Cogitent potius, Deo plus in ipsos iuris esse, quàm scelerum socijs: & si his obtemperarunt noxia propinantibus, multò magis Deo parendum esse, qui ipsorum saluti consultum cupit, & ideo ista propinat, vt ad mentem meliorem ipsos reuocet.

Transeamus nunc ad alteram huius loci partem, qua narratur, vt Christus in hostium manus peruenerit, qui captum vinctumq́ abduxerunt. Est in ea Ioannes breuior, eò quòd ab alijs diligenter descriptam sciret: quia tamen hîc multa continentur, quæ nos in fide instituere, in periculis item de rebus agendis admonere & simul consolari possunt, vtile fuerit, si huius loci historiam ex ordine per singulas eius partes inspiciamus: quorum scilicet opera Christus captus sit, quid illi fecerint, qualem hîc se gesserit interea, & ad quos abductus fuerit.

A quibus captus sit Christus.

Quoad primum, Tribunus militum nominatur, qui summus post Præsidem in illis locis tunc magistratus erat, & quem cum tota cohorte adfuisse nuper quoq; audiuimus, cui sacerdotes suos quoque seruos adiunxerant. Addit his Lucas templi præfectum, quem magistratum à Romanis institutum fuisse, in Marco diximus. Nunc ista annotamus, vt Christum ex magistratus authoritate captum fuisse videas. Vbi mirifica sacerdotũ astutia elucet, qui cùm suam causam agerent, ita tamen rem instituere potuerunt, vt in suas partes pertraherent Romanos magistratus, quos ipsi cane & angue peius oderant, & omnem facti huius inuidiam in Christum deriuarent. Solet hoc ipsum hodie etiam fieri. Scimus enim Pontifices & episcopos hoc vnum agere, vt principibus & regibus dominentur, veritatis verò doctrinam & eius ministros hoc tantummodo nomine persequi, quòd hoc conatibus suis obstare vident. Possunt tamen ijdem consilia sua eo astu cælare, vt principes horum executores habeant, & illorum authoritate atq; præsidio subleuentur. Et hi sunt oculi illi hominis, quos Daniel Antichristo tribuit. Iusto autem Dei iudicio fit, vt qui huic parêre nolunt, illorum conatus seruiliter adiuuent, qui regna omnia suæ libidini subijcere instituunt.

Quomodo captus sit Christus.

Sed quomodo captus sit Dominus audiamus, vbi illos negotiũ hoc summo studio egisse patebit, cùm omnes suam operã pro virili conferant. Prodit enim illum Iudas osculo, quo inter salutandum antiquitus vtebantur. Instant sua authoritate sacerdotes cum Tribuno militum & templi præfecto. Reliqui omnes vndique circunfusi, ne qua elabi possit, manus in eum inijciunt, nec contenti sint illum comprehendisse, nisi vinculis quoq; constringant. Quod illos fecisse apparet, partim vt facinorosi speciem præ se ferret, & ita omnibus suspectus fieret: partim quòd cura & diligenti cautione opus esse Iudas monuerat, ne (quod sæpe alias factum fuit) ex manibus eorum euaderet. Ergo quamuis publica authoritate & armis instructi sint, à Christo tamen sibi adhuc metuunt, intra conscientias nimirùm suas conuicti: quod impijs perpetuum esse aliâs diximus. Est autem obseruanda hoc loco indignissima Christi sors. Capitur & vincîtur malefici instar, qui neminem vnquam læsit, omnibus autem benefecit. Interea non liberi modò oberrant, sed in honore & pretio sunt nocentissimi homines, qui carceribus & vinculis coerceri debebant: Quales erant sacerdotes, qui doctrinam corruperant, templum in emporium commutarant, sub religionis prætextu domus viduarũ deuorabant, & ipsas quoque animas venenatis traditionibus occidebant. Accedebant his publicani & fœneratores, qui publicæ inopiæ in populo erant authores. Et vt apud Iosephum legitur, iam tum oberrare incipiebant sicarij, qui in ipsa vrbe cædes faciebant. Adde his omnibus virginũ stupratores & adulteros, quorum numerus iampridem in immensum excreuerat. Attamẽ impune his omnibus grassantibus solus Christus dignus esse visus est, contra quem omnes arma capiant, & qui instar nocentissimæ bestiæ vinculis & catenis constringatur. Quis verò hîc non agnoscat nostri seculi faciem? Nam est hodie quoque mundus hic plenus impostorum, qui & Deo suum honorem eripiunt, & imperitos homines improbè defraudant, & multis exitij authores sunt. Grassantur vbiq; milites mercenarij, quibus quæstus est sanguinem humanum fundere, rapinis, incendijs & cædibus omnia vastare. Crescit indies vsurariorum & monopolarum numerus, qui ex aliorum laboribus delitiantur atque superbiunt,

perbiunt, imò publicorum motuum semina subinde iaciunt. Sunt præterea innumeri, qui stupris & machandi libidine domus quasq; fœdissimè polluunt. At quis princeps aut magistratus illos supplicio dignos iudicat? Soli veritatis euangelicæ præcones, si ista arguant & accusent, digni putantur, contra quos publica authoritate omnes insurgant, & quorum linguæ carceribus, vinculis & diris suppliciis frænentur, ne egregijs istis (si Dijs placet) viris maledicere pergant. Ita perpetuò suum ingenium mundus retinet, vt benefactores quidem suos odio prosequatur, hostes autē publicæ salutis in honore habeat. Imprimis autem vinculorū Christi fructus considerari debet, quæ illum propter nos suscepisse non est dubium. Vincierat omnes nos Satan, quando primos parentes nō peccatores modò, sed peccati seruos fecit. Ex his enim peccatum in omnem posteritatem propagatum omnes homines quasi captiuos constrinxit, vt ex semetipsis ne ad cogitandum quidem idonei sint. Hæc ergo vincula solui oportebat, vt humani generis redeptio fieret. Id verò Christus præstitit, qui vt peccata nostra in se transtulit, ita his expiatis suæ mortis merito simul vincula ista disrupit, diabolū verò constrinxit, tanq; vasa (homines videlicet, quorū opera ille abutebatur) vindicauit, & in libertatē veram asseruit. Hinc ergo consolatio peti debet in tentationibus, quando certum est, nullam porrò condemnationē ijs incumbere, qui sunt in Christo Iesu. Simul verò officij nostri meminerimus, ne tanto pretio partam libertatem iterum prodamus peccandi licentia: sed in hoc simus, vt membra nostra accommodemus Deo, vt iustitiæ arma sint, quæ prius diabolo & iniustitiæ seruierunt; qua de re multis egimus scripturæ, Paulus imprimis ad Roman. 6. cap.

Quid verò inter hæc omnia Christus? Poterat is facilè ista prohibere, & insuper hostes malè perdere, vt digni erant. Sed patienter fert, quæ ex patris decreto accidere sciebat. Non tamen ideo connuet ad illorum iniquitatem, sed eam verbis grauibus arguit. Nam apud Lucam ait: *Vt in latronem existis cum gladijs & fustibus, cùm quotidie fuerim vobiscum in templo, neque extendistis manus in me: sed hæc est hora illa vestra & potestas tenebrarum.* Quod ipsum sibi dictum putare debent, quicunque authoritate sua veritatem & iustitiam oppugnant. Commutant illi à Deo institutum magistratum in potestatem tenebrarum, & quia harum principi militant, cum eo quoque sua sitpudia accipient. Docet autem hoc Christi exemplum, non obstare leges Christianæ patientiæ, quò minus improbi arguantur, modò id sine odio amarulento & vindictæ cupido fiat. Imitemur autem Christum, si quid simile nobis accidat. Etsi enim à vinculis peccati & mortis æternæ liberati simus, reliqua tamen adhuc in nobis est naturæ corruptio, quæ quia frequenter erumpit, nouis vinculis interdum constringenda est. Vtitur ergo ad eam rem Dominus morbis, egestate, periculis improuisis & varijs calamitatibus. Sunt hæc dura carni, sed vincula sunt salutaria, quæ ideo injicit Deus, ne cum mundo pœnitere nescio condemnemur. Simus ergo in his ferendis patientes. Quòd si verò propter Christi fidem nos vinciri contingat, tum nō patientia modò, sed gaudio & exultatione opus est. Qui enim nos vinculorum suorum socios facit, olim regni quoque sui consortes habere dignabitur. Sed & eos ista consolentur, qui propter scelera vincti suppliciū luunt. Nam horum quoq; vincula Christus consecrauit, ne animarum saluti officiant, si ipsum fide amplexi verè pœniteant, & latronem imitentur cum illo crucifixum.

Christus quid fecerit.

Restat, vt videamus, quo illi Christum abduxerint. Primò ad Annam, quod in transitu modò, & honoris ergò factum fuisse constat. Fuit enim hic quoque ex Pontificum numero, & insuper (vt Iosephus scribit) duos filios Pontifices habuit, Eleazarum atque Ionathanum, quibus quartus ex illa familia accessit gener Caiaphas. Fuit ergo illi spectaculum longè gratissimum, vinctum videre eum, cuius doctrina sacerdotij istius quæstus euertebatur. Ne tamen mora aliquid damni afferret, mox ad Caiapham transmittit, penes quem Concilium sacerdotes coegerant, & suorum aduentum expectabant, quos ad Christum capiendum emiserant. Quo loco Caiaphæ descriptionem Ioannes ex Capite vndecimo repetit, non tam vt mortis Christi fructum & causam principalem nobis commendet, quam vt ostendat, ad eos abductum fuisse, quorum odia iam sæpe expertus fuerat, & qui illum iam pridem manifesto præiudicio damnarant. At hìc rursus indigna piorum sors nobis inspicienda proponitur. Quod enim Christo accidit, hoc membris etiam eius euenire solet. Paulus certè in priori ad Corinthios capite quarto de seipso & reliquis apostolis loquens ait: Puto quòd Deus nos vltimos apostolos designarit tanquam morti addictos; nam spectaculum facti sumus mundo, & angelis & ho

Christus ad Pontifices ducitur.

minibus. Neque hoc illum temere scripsisse ex ijs apparet, quæ illi cùm alibi tum maximè inter Iudæos acciderunt, postquam Hierosolymis captus in Romanorum Præsidum manus peruenit. Pati sunt idem reliqui etiam Martyres. Et hodie hoc ipsum multi patiuntur, quos ab extremis regionum finibus impij hostes ad diuersa tribunalia circunducunt, vt tandē in vrbibus illustribus crudele mortis supplicium subeant. Tunc verò pijs ipsa morte acerbius est, quòd se & causam suam eorum iudicijs subijci vident, quos aut huius prorsus ignaros, aut etiam hostes iuratos esse norunt. Sed tunc nobis Christi exemplū succurrat, ne grauius æquo videatur, quod ille prior propter nos sustinuit. Singulari autem consideratione dignum est, quòd in Concilium ille abducitur, vt ibi publica totius ecclesiæ & populi Dei authoritate damnetur. Quod ipsum apostolis quoque euenturum Christus prædixit. Obseruemus hoc in eum finem, vt discamus non nimium tribui debere Concilijs. Olim quidem magnus illorum vsus fuit, quando Imperatores Christiani illis intererant, qui episcoporum contentiones moderabantur, vt positis affectibus causæ cognoscerentur, & ex scripturarum Concilium fieret. At postquam Romani Pontifices omnem potestatem sibi vendicarunt, nullum absque pore Concilium habitum fuisse constat ipsis authoribus, in quo non noui errores in ecclesiam inuecti, aut veteres confirmati fuerint, fructus autem & finis Conciliorum plerunq; fuit, quòd bellis ciuilibus aut exteris impliciti fuerunt, qui prius pace & otio fruebantur. Neminem ergo hac lacrima capiat, sed in vnū Iesum Christum totis animis intenti, in eius fide constanter perseueremus, cui pro nobis vinciri & mori dignatus est, vt nos ex errorum & superstitionum laqueis asserti, ipsi seruiamus in libertate spiritus, & olim cum ipso in cœlis vitæ regnique æterni consortes simus. Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

HOMILIA CLVIII.

Sequebatur autem Iesum Simon Petrus, & alius discipulus: discipulus autem ille erat notus pontifici, & simul introiuit cum Iesu in aulam pontificis. Petrus autē stabat ad ostium foris. Exiuit ergo discipulus ille alter, qui erat notus pontifici, & locutus est ostiariæ, ac introduxit Petrum. Dixit ergo Petro ancilla ostiaria: Num & tu ex discipulis es hominis istius? Dicit ille non sum. Stabant autem serui & ministri, qui prunas congesserant, quia frigus erat, & calefaciebant se. Erat autem cum eis & Petrus stans & calefaciens se.

Cur Petri lapsus describatur.

SPiritus sanctus in scripturis non modò, quæ ab electis Dei seruis præclarè gesta sunt, exponit, verumetiam eorundem lapsus & vitia commemorat. Id verò facit, non vt infames & impios reddat: sed partim vt in eo appareat scripturæ sacræ veritas: partim eò quòd lapsus eorum plurimùm seruiunt nostræ institutioni & consolationi. Primò enim admonent nos de carnis infirmitate, simulq; excitāt, ne vel securi nimis vel confidentiores simus, sed assiduè vigilemus aduersus diaboli insidias, quibus nos circunuenire studet. Deinde consolationem nobis afferunt non vulgarem, quando ex his cōstat, nobis si quando labimur, non aliud accidere, quàm quod olim sanctissimis viris accidit, quos Deus nihilominus clementer respexit, & ad se conuersos in gratiam recepit. Addit etiam & modum pœnitentiæ nobis tradunt, quem tutò & vtiliter sequi possimus. Et hæc quidem omnia in Petri lapsu habemus, quo ille Christum Iesum abnegauit. Accedit autē his omnibus illud quoque imprimis memorabile. Confutantur enim hoc facto aduersarij nostri, qui Petrum ecclesiæ fundamentum esse contendunt, & Romanos Pontifices in causa fidei & religionis errare posse negant, eò quòd cathedram Petri occupent. Si enim ecclesiæ fundamentum est Petrus, illa cum corruerit oportet: quia fundamento euerso ædificium consistere nequaquam potest. At ecclesiam cadere impossibile est. Fundamento igitur alio nitatur oportet: eo nimirùm, quod Paulus vocat fundamentum prophetarum & apostolorum, qui est Christus Iesus, petra illa inuicta, aduersus quam portæ inferorum quidem inferorum pruæualent, & ex cuius cōfessione Simon Petri nomen obtinuit. Quod ne Petri quidem successores illos, facilè cernitur, quàm impudenter Romanis Pontificibus tribuant, quod ne Petro quidem

ipsi contigit. Qui enim in præsenti Christum abnegauit, idem postea quoque nimia Iudæorum observantia deceptus non recto pede incessit secundùm euangelij veritatem, & ideò à Paulo publicè & in faciem reprehensus est. Sunt ergo causæ admodum graues, quæ Euangelistas mouerunt, vt historiam hanc singulari diligentia describerent. Et Ioannes quidem cùm quædam omittat, quæ ab alijs exposita fuerunt, nonnulla vicissim interserit, quæ alij præterierunt, & ipsas quoque abnegationes diligentius quàm reliqui distinguit. Ex his modò primam videbimus, cui multa insunt, quæ diligentem considerationem merentur.

Occasio abnegationis.

Oritur autem ab eo, quod abnegandi occasionem Petro præbuit. Sequebatur (inquit) Iesum Simon Petrus: quod illum eminus & à longè fecisse Matthæus annotauit. In præsenti alterius etiã discipuli sit mentio, cuius nomen non exprimitur. At plerique veterum ipsum Ioannem fuisse sentiunt, qui infra quoque capite vltimo ad eundem planè modum de seipso scribit. Et verisimile videtur quod illi sentiunt. Patet enim ex toto historiæ huius contextu, illum Christo indiuulsum comitem fuisse, adeò vt in cruce pendenti adfuerit, vnà cùm matre virgine. Quod verò nomen suum cælauit, id modestiæ eius tribui debet, qua pij in suis rebus gestis commemorandis vti consueuerunt. Quia enim suæ infirmitatis sibipsis probè sunt conscij, & se nihil proprium habere norunt, diuinæ gratiæ hoc esse sentiunt, si quid laude dignum abs se factum esse vident. Itaq; laudẽ omnem ad vnum Deum referunt, qui boni omnis largitor est, nosq; ad ea idoneos reddit, quæ nostro ingenio & nostris viribus confici nequaquam poterant. Hoc ipsum itaque Ioannes obseruat, & ne sibijpsi inuictæ fortitudinis aut constantiæ laudem tribuere videatur, quando se Pontificis atrium ingressum scribit, mox causam sui facti subijcit. Quòd nimirum non reliquis discipulis fortior, sed Pontifici notus fuerit. Id verò vnde acciderit non exprimitur: mihi tamen hoc neq; absurdum neq; insolens videtur, hominem tenuioris fortunæ & piscatorẽ Pontifici fastuoso & eius domesticis notum fuisse. Idem enim hodie etiam frequenter accidit, vt qui ex piscatione, aucupio, venatione & similibus studijs victum quærunt, ferè in principum quoque maiorum aulis magis noti sint, quàm viri docti & graues, quos ignauæ ventris & otij mancipia non magni faciunt. Vtitur ergo ista occasione Ioannes, & in Pontificis atrium intrepidus ingreditur, foris manente Petro, qui sibi nondũ tantum licere putabat. Vnde apparet, illum ex amore quidem secutum fuisse Christum, amori tamen admixtum fuisse metum, quem nondum excusserat: & fortassis iniuria Malcho Pontificis seruo facta ei adhuc ob oculos versabatur, & ideò maiorem sibi timendi occasionem habebat. Interim non obliuiscitur amici & condiscipuli sui Ioannes, sed ancillam Pontificis ostiariam conuenit, & sua intercessione Petro etiam ingressum impetrat. Quo loco vtriusque discipuli personas propius inspexisse proderit.

Petro nocet confidentia.

Et in Petro quidem videre oportet, quid illi in tota hac actione potissimùm imposuerit. Amat ille Christum ex animo, imò eius amore totus ardet & feruet. Adhæc institutum eius bonum & sanctum est: quando rei totius exitum videre cupit, neque eum in periculo deserere vult, quem doctrina & miraculis clarum hucusque secutus fuerat. Caterùm confidentia, cuius specimina in Cœna paulò ante dederat, adhuc penes eum locum habuit, et Christi admonitionum immemorem fecit: quæ causa fuit potissima, quòd huc venire voluit, vbi Christi professionem cum periculo coniunctam esse non ignorabat. Id verò nunc præter officium facit. Quia enim ipsum Christus de lapsu admonuerat, verbis illius fidem adhibere, & potius in angulum aliquem sese occultare atq; omnia hostium Christi commertia subterfugere, quàm illis se coniungere debebat, qui vel minimam Christi abnegandi occasionem ipsi præbere poterant. Docemur igitur hoc exemplo, ne temerè nos ingeramus rebus non necessarijs, quamuis per se bonæ & licitæ sint, nisi nos sua vocatione Deus vrgeat. Quòd si ille nos vocet, intrepidè eius mandatum sequamur. Qui enim nos tentationum periculis obijcit, idem nobis vires sufficiet, vt illis superiores euadere possimus: sicuti in Christi exemplo apparet, qui cùm à spiritu in desertum deductus esset ad certamen contra satanam, inde victor gloriosus redijt. Quòd si qui confidentiores ex priuata temeritate res nihil ad se pertinentes suscipiunt, ij ferè cum Petro suæ imprudentiæ pœnas dare consueuerunt.

Ioannes et Christi discipulus et Pontifici notus est.

Similiter in Ioanne quoque multa considerandæ veniunt. Fuit is & Christi discipulus, & summo Pontifici notus, qui illius hostis erat acerrimus. Ita sæpè fit, vt pij cum impijs aliquam habeant

consuetudinem & familiaritatem: quæ per se non damnatur, modò nihil sua professione indignũ faciant. Quin elucet in eo virtus Christi, qui hostium animos cohibere potest, vt tales ferant, & interdum illis familiariter vtantur, quorum fidem & religionem in alijs persequuntur. Hic autem attentos esse oportet pios, vt Ioannis exemplum rectè imitentur. Is enim in ipsa Pontificis aula non dissimulat se Christi discipulum esse, sed talis videri vult adhuc, quàmuis illum captum vinctumq; esse cernat. At hodie plerique in principũ aulis fidem turpiter dissimulant, multi non obscure negant, & tamen se sanctorũ exemplis defendi posse arbitrantur. Sed quid de illis debeat iudicari, postea Petri facto videbimus. Deinde author est Ioannes, vt Petrus quoque in domum Pontificis intromittatur. Quod ipsum ex amici officio fecisse non est dubium: peccat tamen in eo per imprudentiam, cùm non ignarus esset eorum, quæ Christus Petro antea dixerat. Ita non rarò sancti sibi inuicem per candi occasiones præbent ex incogitantia, quando nihil minus facere cogitant. Et est hoc nimium frequens hodie apud eos, qui suis in principum & regum aulas viam sternunt, & magno illos beneficio affecisse videri volunt, quando illos eorum seruitijs mancipant, apud quos fidem verã non licet profiteri. Debet autem hoc Ioannis exemplum nos cautos & prouidos reddere, ne quando interitus authores simus ijs, pro quorum salute nos dies & noctes aduigilare oportebat.

Petri abnegatio prima.

Sed ipsum Petri factum videamus, quo Christum abnegauit. Ingredientem in Pontificis aulam interrogat ostiaria: Num & tu ex discipulis es hominis istius? Id verò ex officio fecisse videtur, ne quis alius irreperet quàm ille, quem admitti Ioannes petierat. Et si verba excutiamus, nihil sonant minax aut iniuriosum. Non enim ait: Num & tu Galilæus es, & impostoris huius discipulus? Sed ita loquitur, vt eam cõmiseratione potius ductam, quàm odio aut ira inflammatã fuisse dixeris. Quid autem huic respondit Petrus? Matthæus eum dixisse ait: Mulier, nescio quid dicis. Quæ tergiuersantis & dissimulantis verba esse videntur. Sed Ioannes ea rectè exponens, illum dixisse scribit, Non sum. Etenim hoc vnum tunc quærebat, ne pro Christi discipulo haberetur. Et ipse Dominus, quando eum de lapsu hoc admonebat, dixit fore, vt ipsum ter abneget, priusquam gallus canat. Vnde colligimus, Christi abnegationem fieri, non modò quando disertis verbis ille reijcitur, verumetiam quando fidem in illum & quod ei debemus obsequium, quocunq; modo dissimulamus. Nec ille eos ferre potest, quos sui aut euangelij pudet. Ideò D. Augustinus scribebat: Non ab eo modò negatur Christus, qui dicit eum non esse Christum, sed ab illo etiam, qui cùm sit, dicit se non esse Christianum. Est hoc vitium nimis vulgare hodie: imò hominum sapientissimi putantur, qui fidem in Christum inter impios huius hostes ad hunc modum dissimulare & translationibus mirificis vti possunt, ne de illa cuiquam suspecti fiant. Qui quàmuis abnegatores dici nolint, reuera tamen illum negant, cuius ipsos pudet, & proinde indigni sunt, quos ille pro suis agnoscat, quando olim in gloria patris ad iudicandum veniet. Omnium ergo animis illud Pauli insideat: Non me pudet euangelij Iesu Christi: est enim potentia Dei ad salutem omni credenti.

Quàm facilè ad abnegandũ adductus fuerit Petrus.

Deinde obseruatu dignissimum est, quàm facilè Petrus sese adduci patiatur, vt Christum abneget. Solent ferè, qui in hoc peccant, culpã suam necessitatis legibus prætexere & excusare. At quo obsecro necessitate hic vrgetur? Videt Ioannem tutò versari inter eos, qui eum Christi discipulum esse sciebant. Audiuerat Christũ discipulos simul omnes Patri commendauisse, de cuius fide dubitare non debebat. Audiuerat eundem hostibus dicentem: Si me quæritis, sinite hos abire: & huius dicti effectum præclarum senserat. Ancilla verò amicè & humaniter quis sit scisitatur, nõ vt prodat eũ, sed vt in domũ intromittat. At tamen ad eius conspectum & dictum vnicum corruit, non tam magnificarum promissionũ, quàm omnis sui officij immemor. Imò coram vili & imbelli muliercula ipsum Christi pudet, quem antea Dei filium & promissum humani generis seruatorem esse confessus fuerat, quenque ipsius non puduerat, cùm obscurum & pauperculum piscatorem ageret. Itaque non temerè hoc loco Diuus Augustinus exclamat: Ecce columna firmissima ad vnius auræ impulsum tota contremuit. Vbi est illa promittentis audacia, & de se plurimum præsumentis? At idem postmodum ta huius generis subijcit: Sed quid mirum, si Deus vera prædixit, homo autem falsa præsumpsit? Discamus nos hoc loco, quàm nullæ sint vires nostræ, & quòd nemine etiam nos impellente corruimus, quàm primùm manum suam Deus subducit. Sumus enim infantum similes, qui priusquàm bene

re firmatis poplitibus gressus certos figere possunt, mox concidunt, si sibijpsis relinquantur. Ita nos si suum spiritum paulisper auferat Deus, mox ipsi nobis terrores fingimus & scandala ponimus, qui bus fides nostra labefactatur. Illud autem permittit iusto iudicio Dominus, vt & nostram vlciscatur confidentiam, qua aduersus ipsum superbimus, & nos humiliatos ad suæ gratiæ thronum confugere cogat. Erat hoc ijs obseruandum, qui se αὐτεξουσιους fingunt, & libero suo arbitrio gloriantur: quos ferè omnium mortalium meticulosissimos & ignauissima affectuum mancipia esse videmus, si quæ tentationes grauiores exoriuntur. Nostrum fuerit cum Dauide agnoscere, quòd in peccato concepti & formati, nihil ex nobis ipsis possumus, & proinde spiritus manuductione opus habemus, quã nos à Deo indesinenter postulare conuenit. Et huius nos oratio Dominica admonet, cuius postrema pars est: Ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo.

Typus seruientium in aulis Pontificum.

Præterea hic Petri in aulam Pontificis ingressus typum eorum continet, qui in aulas impiorum antistitum siue principum admitti, & penes illos aliquam functionem obtinere cupiunt. Pollicentur hi sibi de semetipsis magnificè, seque fidem in Christum inconcussam seruaturos aiunt. Sed vt Petrus primum ingressum turpi abnegatione Christi redimit: ita ferè isti in ipso limine offendunt, & ab ijs ipsis ad abnegandum solicitantur, quorum opera & intercessione eò perueniunt. Noti enim sunt eiusmodi hominum sermones, quibus incautos circunueniunt: Est (inquiunt) princeps noster clementissimus & à rixis alienus: nec multùm curat quid quisque credat in corde suo, modò sibi obsequium fidele præstet. At quia idem aulam suam contentionibus & dissidijs turbari non vult, cauendum erit, ne de religione verba facias, neque aliquid agas, quod te illi suspectum reddat. Quòd si quis importunior alijs abs te rationem fidei exigat, facilis & tuta erit responsio, si te disputationes illas doctoribus & viris ecclesiasticis relinquere dicas, neque disputandi causa venisse, sed vt principi illustrissimo inseruias. Ita inuidiam & suspicionem declinare poteris, & amicos tibi parabis, & principe clementissimo vteris. Hi (inquam) ferè sunt hodie eorum sermones, qui in aulis principum ostiarios agunt, & sua intercessione alijs apud eos locum impetrant. Sunt ergo diligenter cauendæ Sirenes istæ, & si quid tale nobis dicitur, meminerimus satius esse, vt in Christi ecclesia extremum angulum teneamus, quàm vt aureis compedibus vincti principum fauorem redimamus veritatis abnegatione.

Petrus calefit cum Pontificijs seruis.

Quid verò Petrus, postquàm Pontificis aulam ingressus est? Stabant serui & ministri, qui prunas congesserant, quia frigus erat, & calefaciebant se: erat autem cum eis & Petrus stans & calefaciens se. Ergo securus nimis nunc illic versatur, & quasi re bene gesta cum impijs Christi hostibus calefit, neq; adhuc peccati sui sensu vllo tangitur. Sed mox prunas istas sibi maioris sceleris causam esse experitur, vt suo loco videbimus. Nunc in hoc exemplo peccati naturam & conditionem nos inspicere oportet. Non sentiunt eius atrocitatem, qui hoc primùm designarunt. Imò plerunque securi sibijpsis placent & blandiuntur, id quòd illis ad grauiora scelera viam sternit. Factum hoc olim in primis parentibus, in Caino, in Dauide: qui omnes paulò post horribiles conscientiæ æstus senserunt, quando sui iudicij terrorem illis Deus ob oculos posuit. Quod Petro etiam accidisse, suo loco audiemus. Nobis autem exemplorum eiusmodi hic vsus esse debet, vt aduersus diaboli insidias vigilemus, neque admittamus peccati blanditias, quæ nobis stuporem illum exitialem inducunt. Obseruabis præterea, quòd nunc in Pontificis aula Petrus friget, qui antea tam feruidus erat, quando cum Christo versabatur. Solet ergo frigidos reddere Christi abnegatio, neque amplius calere possunt, quicunque solem iustitiæ relinquunt, qui solus suo spiritu animos nostros incendit atque fouet. Solent quidem isti vndique prunas congerere, & in eo admodum seduli sunt Pontificum calefactores, Monachi & sacrificuli, dum noua sacra, nouas peccatorum expiationes, nouas salutis rationes quotidie excogitant: & interdum sibi in his mirificè placent, vt cum statuario illo (quem Isaias capite quadragesimo quarto describit) dicãt, Euge caleo, ignem vidi: sed reuera frigidi sunt intra animos suos, & veræ pietatis sensu destituti indies in peius proficiunt. Ergo procul relictis hominum commentis, fortes simus in fide vera & eius confessione, neque nos vllis rationibus auelli patiamur à Christo Iesu, qui lux mundi est, adhæc vita salusque est & salutis præsidium inuictissimum. Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

HOMILIA CLIX.

Pontifex ergo interrogauit Iesum de discipulis suis & doctrina ipsius. Respondit ei Iesus: Ego palàm locutus sum mundo, ego semper docui in synagoga & in templo, quò omnes Iudæi conueniunt, & in occulto locutus sum nihil. Quid me interrogas? Interroga eos qui audierunt quid locutus sim ipsis: ecce, hi sciunt quæ dixerim ego. Hæc autem cùm ipse dixisset, unus ex ministris qui astabat, alapam dedit Iesu, dicens: Ita ne respondes Pontifici? Respondit ei Iesus: Si malè locutus sum, testare de malo: sin bene, cur me cædis? Miserat autem eum Annas uinctum ad Caiapham Pontificem.

DAuid rex & propheta inter multa, quæ de Christo Iesu ex sua posteritate nascituro vaticinatus est, eum prædixit lapidem fore, quem ipsi ædificantes reprobaturi sint. Id autem de illo verè prædictum esse, ex euangelica historia abundè patet, quæ passim docet, non alios acerbiores Christi hostes fuisse quàm sacerdotes, qui tunc in populo Dei primatum tenebant, & ecclesiæ architecti habebantur. Nos verò ista in eum finem considerare decet, ne offendamur, si etiam hodie Christus cum sua doctrina maximè ab ijs damnetur, qui ecclesiæ capita atque columnæ haberi volunt, & summam in ea authoritatem obtinent. Vt enim olim non potuerunt obstare sacerdotes Iudaici, quò minus Christus diuina sua virtute vteretur, à mortuis resurgeret, & in cœlos euectus omnem acciperet potestatem, denique caput anguli fieret: Ita neque hodie obstabunt eius aduersarij, quò minus suam in ecclesia dignitatem obtineat, eam tueatur & ea obeat fidelissimè, quæ ad piorum defensionem atque salutem faciunt. Pertinet autem imprimis ad istam considerationem huius loci historia, qua docetur, quàm iniquè & indignè tractatus sit Dominus in sacerdotũ consessu, & quid ipse fecerit, quando se ab illis dolo simul malo & aperta vi oppugnari videbat. Vbi discimus, quibus artibus veritatis hostes vti soleant, & quid pios facere conueniat, si quando in eorum manus inciderunt.

Christus examinatur de doctrina et discipulis.

Principiò Pontifex Caiaphas Christum de discipulis & doctrina ipsius interrogauisse dicitur. Ea verò inquisitione non obscurè testantur, eum pro schismatico & impostore habendum esse, qui falsam doctrinam disseminarit, & discipulos priuatos colligendo ecclesiæ vnitatẽ sciderit. Et vbi poterant ex officio hoc facere. Est enim antistitum diligenter prouidere, ne populus doctrinis falsis seducatur, neue in sectas scindantur, qui vnius Dei cultores esse & per eandem fidem in vnum corpus coalescere debent. Sed si rem omnem propius inspiciamus, multa vitia hîc simul concurrunt. Primò enim hanc potestatem sibi indignè vendicant, cùm non legitimi sacerdotes essent, licet sacerdotium à Deo institutum occuparent, & successione sanctissimorum hominum, Aaronis, Eleazari, Nathani, Iehosuæ & similium gloriarentur. Hi enim olim ab ipso Deo vocati, legis doctrinam purè sancteque tradiderant, & à Deo instituta sacra ritè administrarant. Isti verò sublata & extincta per Herodem veterum sacerdotum progenie, malis artibus irrepserant, & cùm religionem sibi quæstum fecissent, eundem falsa doctrina tuebantur, atque populum infelicem humanis traditionibus seducebant. Itaque sacerdotij dignitate turpiter abutebantur, & quia publico consensu & multorum annorum consuetudine in suo gradu confirmati erant, doctrina eorum & per illos inuecta religio plerisque orthodoxa, vera & vetus esse putabatur. Plus ergo nunc sibi sumunt, quàm debeant. Imò qui ipsi ad reddendam rationem dudum cogi debuissent, eam potestatem in alios sibi vendicant, & suis inquisitionibus Christum conantur suspectum facere, quem veritatis doctorem esse non ignorabant. Hoc enim testimonium quidam illius ordinis ei perhibuerunt, quando ipsum de censu Cæsari reddendo interrogabant. Præterea ordine etiam vtuntur iniquissimo & ab omni legum & publici iuris specie alieno. Iam ante enim (vt capite vndecimo dictũ fuit) eum damnarunt, imò violenter cœperunt, & vt hominem sceleratissimum vinculis ignominiosè constrinxerunt; nunc verò damnum

num in eius causam inquirunt. Neq; eo contenti, postquàm primum conatum, quem hoc loco Ioannes describit, minus successisse vident, mox falsos testes sistunt, inde eum captiosè adiurant, denique nullum iniustitiæ & iniquitatis genus intermittunt. At si ista cum nostri seculi moribus conferamus, eam tunc inter Iudæos rerum conditionem fuisse patebit, quæ hodie inter Christianos multis in locis inuenitur. Postquàm enim ecclesiæ ministerium, cui ex Apostolorum & veterum patrum sanctitate atque eruditione plurimum dignitatis olim accesit, inuaserunt homines ambitiosi & auari, mox idem suis modò commodis intenti, religionem omnem sibi quæstum fecerunt, doctrinæ simplicem veritatem obscurauerunt, & ecclesiam ceremonijs ineptissimis onerarunt. Et quàmuis ista ab illis excogitata & introducta esse omnes norint, attamen propter publicum consensum & diuturnam aliquot seculorum consuetudinem, illorum doctrina atque religio veteris & orthodoxæ nomen obtinuit, nouitatis verò accusantur, quicunque ecclesiam ab istis sordibus repurgare & doctrinam Apostolorũ reducere student. Imò eò vsq; excreuit istorum dignitas atq; potentia, vt ipsi sibi in quosuis altòs ius & imperium vendicent, hæreticæ prauitatis inquisitores instituant, qui in ipsos etiam principes inquirunt, & omnium dictorum factorumq; rationem ab ijs exigunt, quos de Romanæ sedis dignitate, de receptis traditionibus & ab illis introducto sacrorum vsu minus honorificè sentire suspicantur. Neq; in his ordine legitimo procedunt, sed (vt Iudæorum pontifices olim) ferè præiudicijs ruuntur, & violenter capiunt atque carceribus includunt immerentes, priusquàm examina in illos publica instituant. Testes verò contra illos producunt, aut seipsos sponte offerentes admittunt, quoscunque veritatis inimicos, suæ autem tyrannidis fautores esse nouerunt. Denique hoc vnum agunt, vt vel captiosis quæstionibus circunueniant, vel armis & vi aperta opprimant, quos sibi minus propitios esse vident. Sunt hæc multorum seculorum exemplis confirmata, & hodie tam in publicis Consilijs quàm in priuatis istorum examinibus hoc vnum agi, nemo tam cæcus est qui non videat. Sunt autem hæc nobis in eum finem obseruanda, vt eiusmodi hominum artes cauere discamus, neq; aliud nobis de illis polliceamur, quàm quòd veritatis doctrinam opprimere conentur, vbicunq; locorum illam caput exerere viderint. Nec enim illam ferre possunt, quorum dignitas & regnum mendacibus titulis & inani hominum persuasione nititur.

Sed audiamus Christum, qui Pontifici respondens solius doctrinæ mentionem facit. Non autem eius capita ex ordine commemorat, nec quæ aut qualis illa sit, solicitè exponit. Quia enim non discendi studio tenebantur, sed malitiosè quærebant, vt ex verbis eius nouam calumniandi occasionẽ venarentur, satius erat paucis agere, quàm multa nequicquam dicere, & (quod ipse alibi apud Matthæum Euangelistã prohibet) sanctum canibus proijcere. Ergo multis omissis, quæ hìc dici poterant solummodo vbi & quomodo docuerit exponit, vt fraudis & falsi suspicione se liberet. Sic enim ait: Ego palàm locutus sum mundo, ego semper docui in synagoga & in templo, quò omnes Iudæi conueniunt, & in occulto locutus sum nihil, & cætera. Quibus verbis argumentum eiusmodi subesse videtur: Qui falsa dogmata spargunt & sectas inuehunt, hi clàm obrepere & rudes atque imperitos rerum circunuenire student. Ego autem nihil huius feci, sed docui palàm & apertè: & quidem in synagogis & publicis populi cœtibus, imò in templo, ad quod omnes Iudæi vnà cum Sacerdotibus, Seuoribus, Phariſæis & Scribis vndique conueniunt. Itaque non debeo ex impostorum numero haberi. Et quàmuis ista ad remouendum fraudis suspicionem sufficere possint, tamen vt animum bene sibi conscium declaret, non sine magna dicendi libertate addit: Quid me interrogas? interroga eos qui audierunt quid locutus sim ipsis: ecce, hi sciunt quæ dixerim ego. Est hoc ingens animi magni & intrepidi argumentum, quo ita quorumuis de doctrina sua testimonium admittit, vt simul sese paratum esse ostendat ad respondendum omnibus, qui illam accusare aut reprehendere velint. Debent autem exemplum hoc ad se transferre ministri omnes, ne aliquam animi meticulosi aut non bene sibi conscij speciem præbeant, si quando doctrinæ suæ rationem reddere iubentur. Si enim in reddenda fidei ratione singulos omni tempore paratos esse conuenit, turpe nimis fuerit, eos in hoc segniores & minus animosos deprehendi, qui reliquis exemplo esse debebant. Neque hic aliquem vel aduersariæ partis potentia atque maiestas, vel propria infirmitas terreat. Vt enim simplex est veritatis oratio, ita coniunctam sibi habet vim quandam, quæ hostium quoq; animos penetrat, & au-

Christus doctrinæ suæ rationẽ reddit.

daciſſimos quoſque terrefacit: ſicuti videre eſt, quando homines illiterati, imò pueri, puellæ, mulieres acutiſſimis ſophiſtis negotium faciunt, qui ab eis fidei ſuæ rationem exigunt.

Cur nihil de diſcipulis reſpondeat Chriſtus.

Obſeruemus autem, quòd de diſcipulis & doctrina interrogatus Ieſus, de ſola doctrina reſpondet, & hanc à falſi ſuſpicione liberat. Facit hoc, quia in eo huius quæſtionis cardo verſabatur. Siquidem de doctrinæ veritate ſatis conſtet, minimè reprehendi merentur, qui illam tradunt & diſcipuli ſibi faciunt, qui illam ſequantur. Debet hoc ipſum hodie etiam obſeruari. Accuſant nos aduerſarii & hæreticos atq; ſchiſmatum authores eſſe plenis buccis clamant. Hîc verò minimè opus eſt, vt conuitia hæc in illos regeramus, aut circa diſputationes inutiles & intricatas occupemur: ſed doctrinæ medium producatur vt qualis ea ſit omnes videant. Atqui conſtat, nos eam ex ſacræ ſcripturæ libris deſumere, qui ſoli in eccleſia pro authenticis agnoſci & recipi debent. Scopum item doctrinæ nullum alium conſtituimus, quàm vt homines Deo adducantur, & in ſuum regnum inter illos inſtauret. Modum huius myſterij in vno Ieſu Chriſto monſtramus, qui nobis ab æterno redemptor & mediator deſtinatus eſt, vt eius merito patri reconciliemur. Hortamur præterea, vt hunc vnum omnes recipiant, in hoc vno per fidem veram coaleſcant, illi ſeruiant, & in vitæ innocentia atq; charitate Chriſtiana ambulent. Quid verò in his omnibus impium? quid falſum? quid confictum? quid hereticum? quid ſchiſmaticum cenſeri poteſt? Cùm ergo iſta cum Dei verbo conueniant, & ſalutarem veram tradant, non hæretici neq; ſchiſmatici, ſed orthodoxi, Catholici & verè Chriſtiani ſunt, quicunque doctrinam iſtam tradunt aut ſequuntur.

Veritatis doctrina debet in publico proponi.

Deinde non præteriri debet, quòd tanta diligentia teſtatur Chriſtus ſe palàm & in publico locutum eſſe: nec id modò, ſed ſynagogarum & templi meminit, quæ loca ſacris cœtibus deſtinata fuiſſe ſcimus. Admonemur hoc exemplo, quod ſit veritatis ingenium, & quomodo tradi aut prædicari debeat. Lux eſt, & proinde occultari non poteſt, neque debet. Nemo enim accendit lucernam (vt Chriſtus Matthæi quinto capite ait) vt ponat eam ſubter modium, aut ſub lectum, ſed vt candelabro poſita omnibus in domo agentibus præluceat. Minimè ergo ferendi ſunt tenebriones, qui occulti in familias irrepunt, & ſua blandiloquentia rudes circunueniunt, quales hodie ſunt Anabaptiſtæ & quotquot Arij dogmata hinc inde diſſeminant: quos omnes olim Paulus auerſari iuſſit. Deinde de vſu templorum hic locus nos admonet. Docuit in templo Dominus (vt etiam in ſynagoga) non ſacrificauit, non priuatas res egit, multò minus ſacrorum nundinationem exercuit. Imo cùm multi præter Dei inſtitutum auari ſacerdotes inuexiſſent, ipſe eiectis illis omnibus prædicauit ad ipſum confluenti populo. Erant iſta hodie diligenter obſeruanda, quando horribilis templorum proſtitutio vbique cernitur. In Papatu enim emporiorum inſtar ſunt, & non modò ſacrificuli in illis peregrinas à quibuſuis exigunt, verumetiam idola & infinita alia ſuperſtitionis inſtrumenta in templis fingunt, vt quæſtum vberiorem faciant. Inter nos verò non deſunt, qui ex templis theatra publica faciunt, in quibus otioſi congerrones deambulant, mercatores ſua negotia tractant, pueri domi puellæ ludos ſuos exercent. Sunt hæc non obſcura impietatis indicia, quibus corrigendis ſtudere debent, quicunq; religionem veram reſtitutam cupiunt.

Doctrinæ Chriſti authoritas aſſeritur.

Aſſeritur præterea hoc loco doctrinæ Chriſti authoritas, quando acerrimi hoſtes non habent, quod illi reſpondeant. Gentium ſacra & traditiones olim eiuſmodi fuiſſe ſcimus, vt eas vulgare publicum graue ſcelus putaretur: quod ideò conſtituerant illorum myſtæ, quòd eas partim vanas & dignas, partim verè abominabiles & deteſtandas eſſe ſcirent. Et Iudæos quoque conſtat arcana quædam iactare, & neſcio quod Schem Hamphoras celebrare, cuius virtus ſit ineffabilis. Turcæ vero & Mahumetani omnes de fide & religione diſputationes ſubterfugiunt, eò quòd Alcorani ſui decreta & fabulas nulla ratione firma defendi poſſe vident. In Papatu quoque linguam peregrinam in templa induxerunt, et pleraque ſacra eiuſmodi eſſe fingunt, quorum rationem nemo inquirere debeat. At longè aliter Chriſtus, qui in publico ſemper docuit, qui Apoſtolos ab ipſo traditam doctrinam inſtar præconum ſuper tecta proclamare iuſſit, & eam ſcriptis mandari, inque omnium gentium linguas traduci voluit, ne quis de eius ignorantia poſſet conqueri. Et cùm doctrina hæc in omnium ore & manibus verſetur, & vbique aduerſarios habeat, qui eruditione, ingenij acumine & authoritate omnibus alijs præſtent, nemo tamen vnquam inuentus eſt, qui eam falſi conuincere aut idonea ratione

rationibus confutare potuerit. Nemo igitur hanc suspectam habere debet, horum autem consideratione nos in fide confirmari conuenit, ne nos à Christo abduci patiamur.

Videamus nunc vt hæc Christi responsio accepta fuerit. Quidam ex seruis, qui astabant, ipsi alapam infligit. Fuit hæc ignominia non vulgaris, quam nostri causa sustinuit, vt nos ab æternæ mortis ignominia liberaret. Quò ea etiam debent referri, quæ postea maiori cum petulantia cùm sacerdotum famuli tum milites fecerunt. In præsenti autem nebulo hic aliquam rationem prætexit, dicens: Ita ne respondes Pontifici? Ergo rusticitatis accusat Christum, vel potius impietatis, qui ex profano ordinis sacerdotalis contemptu tam liberè & ingenuè summo Pontifici responderit. Solent enim ad miraculum vsque superbire patres illi, postquam semel suam authoritatem verbo Dei præferre cœperunt. Et quia assentatores facilè inueniunt, qui omnia illorum seruiliter admirantur, & eosdem titulis magnificis & ad ambitionem conflictis inebriant, ita illis assuescunt, vt nihil ferre possint, quod Christianam dicendi libertatem sapit, & in se contumeliosos putant, quoscunque liberius secum loqui audiunt. Sunt autem huius serui similes hodie multi in episcoporum & abbatum familijs: qui vbi semel in animum suum induxerunt heris suis assentari, malignis planè oculis omnes eos obseruant, quos illorum studijs aduersos esse nouerunt, & non contenti calumnias struxisse, insuper temerarij & crudeles fiunt, & priusquam iubeantur temerarias manus in pios injciunt. Quò magis cauere debent eorum commercia, ne quam illis præbeamus aduersus nos sæuiendi occasionem. Obseruabis autem hoc loco Concilij Antichristiani typum euidentissimũ, cuius præsides atque assessores cum astutia, hypocrisi & iniustitia summam quoque inhumanitatem coniunxerunt. Considerant enim isti, vt iudicij legitimi formam referant, imò religionis antistites volunt videri, qui pro publica salute soliciti, in hæreticos, schismaticos & ecclesiæ turbatores inquirant. Interea autẽ absque omni ratione vt immanes belluæ sæuiunt: & præter omne ius atque contra publicum morem gentium hominem innocentem & vinctum in ipso foro percuti sinunt à seruo, qui priuata temeritate tantum sibi permittit, neque in toto hoc consessu aliquis reperitur, qui facinus istud indignissimum reprehendat. Nouerat ergo seruus hic non modò heri sui voluntatem, sed quòd reliquis etiam omnibus rem gratam facturus esset, & ideo iniussus istud facit. Et talia quidem iam seculis aliquot fuisse Concilia Pontificum, historiæ testantur: ideoq; nimium ridiculi sunt, qui sibijpsis hodie aliquid ex illis boni aut æqui pollicentur. Docet item hoc Christi exemplum, quid in hoc mundo ferè ijs accidat, qui veritatem ingenuè profitentur. Obruuntur tales conuitijs, & aperta etiam vi in illos impij grassantur, qui nihil minus quàm veritatis lucem possunt ferre. Experti sunt hoc olim prophetæ, de quibus multa huius generis commemorantur: & quid apostoli passi sint, & qui hos secuti sunt martyres, notius est quam vt commemorari oporteat. Debent autem hæc obseruari, ne offendamur, si quid simile nobis accidat, sed constanti fide armati fortiter feramus pro Christi nomine, quæ ipsum iam ante propter nos tulisse scimus.

Christus à seruo Pontificis percutitur.

Docet hoc nos ille in præsenti. Nam indignè percussus à seruo Pontificis, non cõuitiatur, neq; malè perdit eum, quod facilè poterat, sed verbis modò reprehendit, vt in posterum agat modestius. Si (inquit) malè locutus sum, testare de malo: sin bene, cur me cædis? Quid ista responsione (vt D. Augustini verbis vtar) verius, mansuetius, iustius? Si cogitemus quis acceperit alapam, nonne vellemus eum qui percussit, aut cœlesti igne consumi, aut terra dehiscente sorberi, aut correptum dæmonio volutari, aut aliqua huiusmodi qualibet pœna, vel etiam grauiori puniri? Quid enim horum per potentiam iubere non potuisset per quam factus est mundus, nisi patientiam nos docere maluisset, qua vincitur mundus? Imitemur ergo Christi exemplum, ne dum impatienti priuatæ vindictæ cupiditati indulgemus, non tam aduersarijs nostris quàm nobis ipsis noceamus. At simul verum patientiæ modum Christus nos docet, & proprio exemplo præceptũ suum interpretatur, quo in vnam maxillam percussi alterã obuertere iubemur. Abusi sunt eo multi olim fidei hostes in Christiani nominis & religionis ignominiam: inter quos primatum facilè tenuit Iulianus apostata, qui Christianis de injurijs sibi factis conquerentibus illud petulanter objcere solebat, & eo prætextu illis legum & publicii iuris præsidia negabat. Et hodie reperiuntur, qui dum literam nimis vrgent, iura & leges tollunt, magistratum abolent, & Christianam religionem omnium ludibrijs exponũt.

Christus seruum Pontificis arguit.

Matth. 5.

Sed longè aliam Christi mentem fuisse cùm ista diceret, ex hac eius responsione apparet. Volens nos à temeraria priuatæ vindictæ cupiditate alienos esse, & ad alteram potius iniuriam ferendam propensos, quàm ad malum referendum proclives. Interim non prohibet, quò minus veritati patrocinemur, innocentiam nostram tueamur, imò legum præsidio vtamur in fortunis quoque nostris defendendis. Fecerunt hoc olim sanctissimi quique, & ij quidem, quos mansuetudinis nomine seruatora maximè commendat, & quos ad quæuis ferenda patientissimos fuisse scimus, si quid pro Dei gloria aut publica salute faciendum: quales fuerunt Moses, Dauid, Paulus & plures alij. Quod verò hoc priuatis hominibus licet, quantò magis principes & magistratus aduigilare decet, vt iuste patrocinium ijs negent, qui propter iustitiam & veritatem periclitantur? Discant præterea hinc proterui illi & temerarij piorum hostes, quid expectent, nisi à vi & iniurijs abstineant. Incensurus illos in furore suo Dominus, & sibi factum putabit, quicquid illi sanctis sui nominis cultoribus fecerint. Sed & iudices meminerint, neminem indignius tractandum esse, priusquam causa eius prius cognita & perspecta fuerit. In Iudicijs enim testibus, argumentis idoneis & legibus, nō manibus agi debet. At quia hæc non multùm curant impij, nostrum fuerit nos ad quæuis aduersa præparare, in ferendis iniurijs patientes esse, spem verò inconcussam habere in Iesu Christo, qui non patietur supra vires tentari, & qui olim huius seculi afflictiones cœlestis & æterni regni gaudijs compensabit. Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

HOMILIA CLX.

Stabat autem Simon Petrus & calefaciebat se. Dixerunt ergo ei, Nonne & tu ex discipulis eius es? Negauit ille & dixit, Non sum. Dicit ei quidam ex seruis pontificis, cognatus eius cuius absciderat Petrus auriculam: Nonne ego te vidi in horto cum eo? Rursus ergo negauit Petrus, & statim gallus cantauit.

POstquam euangelista præcipuam summi pontificis & totius Concilij actionem aduersus Christum Iesum exposuit, redit modò ad lapsum Petri, quo is dominum & magistrum suum negauit. In qua narratione præter ea, de quibus nuper dictum est, primùm obseruanda venit euangelistarum fides qua in describenda Iesu Christi historia vsi sunt: quam ita contexunt, vt sua quoque & suorum condiscipulorum siue symmystarum næuos atque lapsus commemorent. Ita Matthæus se publicanum fuisse, & ad telonium sedisse non dissimulat. Idem discipulorum ignorantiam, peruersa de regno Christi iudicia, æmulationem, ambitionem & altercationes non vno loco exponit, quod Lucam quoque & Marcum fecisse scimus. Nunc verò simul omnes Petri peccatum narrant, quo nullum fœdius & grauius committi poterat. Quomodo igitur nobis suspecti esse possunt, qui in Christi gratiam aliquid confinxerint, qui proprios lapsus atque errores reticere noluerint? Deinde magnum diuinæ cùm bonitatis tum virtutis argumentum in eo elucet, si cum discipulorum infirmitate & vitijs ea conferamus, quæ postea ab illis tanto zelo & spiritus feruore, adeò tam insigni cum fructu facta sunt. Qui enim antea terrenis addicti erant, metu & terroribus circunuenti trepidabant, non multò post accepto spiritu sancto ad cœlestis regni hæreditatem tam nimis aspirarunt, & fortes in Domino mundum hunc vniuersum vnà cum suo principe conculcarunt, illoq; inuito regnum Dei per totum orbem propagauerunt. Habet ergo consideratio ista maximum consolationis, ne infirmitatis nostræ sensu territi desperemus, sed spem habeamus inuictā in Domino, qui procul dubio nos quoque nouis viribus armare & inuictos facere poterit, si ipsius voluntatem constanter sequamur.

Petro nocuit impiorum commercium.

Rursus autem ab occasione orditur Ioannes, qua factum est, vt Petrus qui antea labefactatus erat, Christum secundò etiam & tertiò abnegauerit. Stabat autem (inquit) Simon Petrus & calefaciebat se: nimirum cum seruis sacerdotum, qui vt à frigore nocturno sese tuerentur, [illegible]

nas congesserant, sicuti nuper diximus. Nocuit igitur ei, quòd & admonitionis Christi, & eius quod paulò ante passus erat immemor impijs Christi hostibus sese coniungit, interea dum illorum heri de illo occidendo consultant, & captum iam suis fraudibus circumuenire student. Hic enim multiplex peccandi occasio sese offert. Nam non ancilla modò (vt Lucas annotauit) verumetiam famuli circunstantes eum interrogant, annon sit ex discipulorum Christi numero? Itaque maiori quàm antea metu oppressus diserte negat. Neque eo contentus, cùm quidam ex cognatis Malchi, cuius auriculam abscinderat, illum propius vrgeret & abs se in horto visum diceret: sed & plures alij (sicuti in Matthæo scribitur) ex sermonis idiomate Galilæum esse agnoscerent, ille non modò negat Christum, verumetiam diris obtestationibus abiurat. Est autem obseruatu dignissima tanti sceleris occasio. Docemur enim hoc exemplo, quàm noxia sint eorum consortia, qui aduersus Christum conspirauerunt, & eius doctrinam atque fidem oppressam volunt. Nam nostrapte natura infirmi & ad malum proclives, adhæc meticulosi ferè sumus, si quid audendum pro veritate apud eos, quorum amicitiam atque fauorem quærimus. Facilè ergo corrumpimur eorundem commercijs, & tunc impletur, quod sapiens ille dicebat: Qui contrectat picem, inquinatur ab ea. Et eò facilius hoc fieri solet, quòd dum nos frigidi dissimulatores sumus, illi è contra res suas sedulò agunt, & quosuis obuios in suas partes pertrahere conantur. Modò enim promissis pelliciunt quos opis indigos esse vident: modo minis territant eos, qui quod amittant habent: & si nihil horũ faciant, saltẽ importunis quæstionibus terrorem & metum ijs incutiunt, quos vel ineptiores ad respondendum, vel natura meticulosos esse norunt. Multum quoque hîc potes℄ ingens numerus impiorum, qui modò agminatim eos simul oppugnant, qui in illorum manus incidunt: modò per vices certas submittunt assiduè, qui incautos solicitent. Quòd si contemptis omnibus periculis simul atque admonitionibus, nihilominus nos illorum commercijs non necessarijs ingeramus, patitur nos succumbere Deus, partim vt nostram infirmitatem arguat, quam ipsi in nobis agnoscere nolumus: partim vt dignis modis eos multet, qui priuata commoda & mundi huius amicitiam ipsius verbo atque mandatis præferunt. Cur enim sua gratia eos sustentet, qui eam quasi fastidiant, quando suarum virium fiducia elati periculis manifestis sese immergunt, & ad mundi huius sentinam reuertuntur, ex qua ipsos gratia peculiaris seligerat? Et quàm fœdè tales labantur, scripturæ innumeris exemplis docent. Israelitas in deserto Moabiticarum mulierum consortio in idololatriæ societatem adductos fuisse legimus. Et postea ijsdem præcipua superstitionum & defectionis à Deo causa fuit, quòd contra Dei præceptum Chananæorum reliquijs pepercerunt, & cum illis fuerunt permixti. Imò mortalium sapientissimus Solomon, dum sapientia sua fretus mulieres exteras & gentilitias sibi coniungit, ab ijsdem deceptus idololatriæ inter Iudæos author fuit, quæ postea non aliter quàm per scopas Chaldaicas & Assyriacas expurgari potuit, non sine horribili gentis totius & vrbis templiq; excidio. Sed veterum exemplorum commemoratione minimè es℄ opus, quando huius generis multa hodie experimur in ijs, qui culinæ papisticæ nidorem sequuntur, & ad Episcoporum atque Abbatum mensas vt canes famelici accurrunt. Coguntur hi multa audire quæ nollent, & de fide sua requisiti respondere non audent ex animi sententia, dum eos offendere metuunt, quorum amicitiam sibi vilem & quæstuosam esse sentiunt. Primùm ergo fidem suam astutè dissimulant, mox diserte negant, & tandem abiurant quoque, dum sacris vel superstitionibus infidelium communicant. Fit idem ijs quoque, qui coniugijs impijs sese obstringunt, & vel opum vel libidinis ergò ijs coniunguntur, quos à vera fide & recto Dei cultu alienissimos esse non ignorant. Pollicentur hi quoque de semetipsis sibi magnificè, sed quàm primùm ad ignem istum accedunt, omnis officij immemores frigent, & abnegatores fiunt. Non temerè ergo factum putabimus, quòd impiorum coniugijs & fœderibus olim Deus interdixit. Nos verò præceptorum & admonitionum eius semper meminisse conuenit, ne dum nobis de nostris viribus plus quàm de Dei sapientia & paterna cura pollicemur, fidei simul & salutis naufragium faciamus.

Præterea non temerè annotauit Ioannes, inter astantes sacerdotum seruos cognatum Malchi fuisse, cuius auriculam Petrus paulò ante abscinderat, & eum illi notum fuisse dicit, & acceptæ iniuriæ satis memorem, cùm eorum mentionem faciat, quæ in horto contigerunt. Elucet in eo sin- *Petrus inter hostes à Deo defenditur.*

gularis Christi fides & potentia, qua discipulum suum defendit inter medios hostes, & quidem eos, qui illum probè nouerant, & quos innata nobis vindictæ priuatæ cupiditas ad iram poterat inflammare. Fuit ergo rata & efficax eius precatio, qua discipulos simul omnes patris tutelæ atq; fidei commendauit. Factum verò hoc est sæpius, & exempla eiusmodi scripturas legentibus passim occurrunt. Sic patriarchas olim seruatos fuisse scimus inter Chananæos, & Lothum in ipsis Sodomis incolumem vixisse. Et in illorum historia imprimis memorabile est, quod de Iacobo & eius filijs scribitur. Cùm enim Simeonis & Leui temeritate ciuitas Sichem dolose occupata & in eius ciues crudelissimè sæuitum esset, et Iacob præ metu sibi ex ea vicinia migrandum esse putaret, discedentem cum suis nemo Chananæorum insequi ausus fuit, sed terror Domini omnes eos continuit. Sic prophetas suos custodiuit, vt quidam sub impijs & truculentis regibus per multos annos docuerint, & inuitis omnibus idololatriam atque scelera oppugnarint. Quod ipsum sublatis iam è mundo apostolis accidisse, quando Romani Imperatores surgens vbiq; Christi regnum extinguere conabantur, historici ecclesiastici docent. Et huius generis multa hodie videmus, quæ omnia Dauidis vaticinio fidem faciunt, qui Christum inter medios hostes regnaturum prædixit. Nos verò ex his consolationem petere debemus aduersus impios mundi & principis eius conatus, ne horum metu nos ex statione deijci patiamur, in quam nos Dominus collocauit.

Petrus disertè abnegat Christum.

Debebat in horum consideratione Petrus versari & Domini manum protectricem agnoscere, sed facit quod ipsum facturum esse Christus prædixerat, & (vt Diui Augustini verbis vtar) medici impletur prædictio, ægroti autem arguitur præsumptio. Quàm primum enim interrogatur, annon etiam ipse sit ex discipulorum Christi numero, se talē esse disertè negat: & qui ab ostiaria interrogatus frigida dissimulatione vsus fuerat, nunc apertè peccat aduersus fidei leges, quibus Christum ingenuè confiteri iubemur. Mox vbi vrgetur, abiurat quoq;. Vbi multa concurrunt, quæ pio cuiuis horrorem merito incutiunt. Primò enim suæ dignitatis immemor eum abnegat, quem toties professus erat, quo cum diutissimè vixerat, & cui propter innumera beneficia se totum debebat. Deinde salutis etiam propriæ non magnam rationem habet, eum abnegando, in quo vno salutem omnē contineri sciebat. Quid enim aliud facit, quàm quòd seipsum (quantum in se est) vita & salute omni spoliat? Accedit his, quòd semel & iterum lapsus, non modò non sentit quid fecerit aut quid passus sit, sed quasi callo obducto induratur, & maiori licentia in deterius ruit. Sunt hæc à nobis diligenter consideranda, vt discamus, quò nos præcipitet satan, si eius suggestionibus semel locum demus, & à Deo commissam stationem deseramus. Initiò quidem leuius nos tentat, neque horribili cum impetu nos prosternit, sed lapsum nostrum aliquo modo suffulcit, vt excusabilis videatur. At sic agendo hic vnum quærit, vt conscientijs nostris stuporem inducat, ex quo peccati habitus quidam & consuetudo enascatur. Quod si semel obtineat, mox vires suas simul omnes exerit, & miseros vrget, impellit, rotat, vt omnis officij immemores in quoduis scelus ruant, neq; se peccare putent, quando omnes potatis leges transgrediuntur. Est hoc in Petro videre, quem eò deduxit, vt Christum millies negaturus fuerit, si toties de illo fuisset requisitus. Idem Dauidem expertum fuisse alibi diximus: & multa ipsi quotidie patimur, quæ ista verissimè à nobis dici demonstrant. Vsus autem huius doctrinæ fit, vt perpetuò vigilemus, dicta item & facta nostra diligenter obseruemus, eaq; examinemus ad verbum diuini regulam: deniq; vt exhorrescere discamus ad leuissimam quoq; transgressionis speciem: nondum initiò nobis blandimur, idem nobis quod Petro accidat, aut etiam incurabiles facti miseri pereamus. Qui ista ad hunc modum considerant, ijs plurimum momenti ad salutem Petri lapsus afferet, cuius recordatione in omni bono confirmabuntur.

Petri pœnitentia.

Sequitur eiusdem pœnitentia, quam Ioannes vno verbo attingit, quando post tertiam abnegationem illico gallum cecinisse scribit. Quo loco magnum diuinæ bonitatis argumentū elucet. In ipso enim peccati articulo Dominus per galli cantum admonet & excitat securum, vt de salute cogitare discat. Est autem hoc admodum frequens, quod ad interitum ruentibus sese Deus opponit, vt cursum nostrū sistat, nosq; in viā reuocet. Et hæc causa fuit, quòd de galli cantu Petrū in Cœna vltima admonuit Dominus, cùm lapsum hūc ipsi prædiceret: Simile quid in Dauide habemus, qui cū securo & cōfidenti animo ex scelere in scelus rueret, à Nathano propheta, quē ei Deus submisit, exceptus est in viam

in viam reductus est. Et in nobis ipsis huius generis multa experimur, quæ de bona Dei voluntate testantur, qua is saluti nostræ consultum cupit. Id verò nos non modò officij admonet, verumetiã consolatur, ne pœnitentiam nostram inutilem aut Deo minus acceptam fore putemus. Cur enim illam reijciat, cuius ipse in nobis author est? Aut cur in nos grauius animaduertat quàm in alios, qui olim ab ipso in gratiam recepti sunt, quando à peccatis conuersi resipuerunt, & ipsius inuocarunt misericordiam? Etenim si Petri factum excutiamus, nullum supplicij genus excogitari potest, quod ille non meruerit, quando eum abnegauit, quem salutis authorem esse sciebat. Et iam illum grauabat Christi sententia dicentis: Quemcunque mei puduerit coram generatione ista praua & adultera, eius me quoque pudebit cùm venero in gloria patris mei, &c. Attamen non modò ignouit ei Dominus, sed in pristinum quoque gradum restituit, sicuti suo loco audiemus. Et eandem gratiam omnibus nobis offert Deus, quando per Ezechielem ait: Nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat. Quid quòd ipse Christus propter peccatores potissimùm in mundum venit, vt eos saluos faciat? Nemo igitur in peccatis suis quantumuis multis aut grauibus desperet, quando per Christum Iesum aditus ad thronum gratiæ patefactus est omnibus, qui in illo verè resipiscunt, & illum fide vera amplectuntur.

Quo ordine erga Petrum usus sit Dominus.

Sed videamus quo ordine aut ratione vsus sit Dominus, vt Petrum ad veram pœnitentiam adduceret. Primùm gallus cecinit, & fit quod illi antea prædixerat. Deinde ipse eum respicit: nimirũ non tam corporis visu quàm gratiæ & intercessionis suæ merito, quo illum conseruauit, ne totus diabolo præda fieret. Quò referri debet, quòd apud Lucam se pro illo intercessisse ait, ne fides ipsius deficiat. Sunt hæc omnibus nobis necessaria, quicunq; ad veram pœnitẽtiam peruenire volumus. Primò enim quia caro sumus, externis adminiculis opus est, seu stimulis potius, quibus carnis nostræ socordia expellatur. Hos itaq; Deus per verbum suum adhibet, cui ferè signa omnis generis coniũgit quibus excitat, vt verbo locum demus, aut eorum recordemur, quorum obliti sumus. Quæ omnia in præsenti per gallicantum adumbrantur. At quia hæc per se nihil possunt in hominum animis, interiorẽ spiritus sancti virtutem accedere oportet, quæ mentes nostras moueat, trahat atq; innouet. Et in his quidem suo officio Deus probè fungitur, quãdo instar patris fidelissimi nihil eorum omittit, quæ nos ad pœnitentiæ studium excitare poterant, si illius monitionibus locum daremus. At quia pleriq; animis suis callum obduxerunt, vt neq; verbis neq; signis, imò ne pœnis quidem seuerissimis sese moueri patiantur, minimè mirum est, si multi in sceleribus malè pereant.

Quomodo Petrus pœnitentiam egerit.

Sed hic nos in Petrum respicere conuenit, vt eius exemplo discamus, quid nos facere conueniat. Recordatur ille verborum Domini, vtiq; non eorum modò, quæ de abnegatione sui ille prædixerat, verumetiam omnium aliorum, quibus salutis doctrinam illis erat interpretatus. Cum ijs ergo, quæ iam pridem de Christo Dei filio & promisso redemptore audierat, ea conferens, quæ ipse in præsenti aduersus veræ fidei leges designarat, dolorem animo suo immensum & sibi intolerabilem concipit. Agnoscit itaq; peccatum suum, & eius atrocitate offensus, mox ab ijs discedit, qui ipsi eius authores fuerant. Sequitur mox amarus fletus, quo suam miseriam deplorat, & qui ipsi confessionis loco est. Inbis verò omnibus non desperat de gratia Domini, sed cum eo reconciliari cupit, sicuti ea abunde testantur, quæ in Christi resurrectione ab ipso facta itata sunt. Hæ sunt partes veræ pœnitentiæ: peccati nimirum cognitio vera, quæ ex Dei verbo petitur, animi contritio, delictorum emendatio, & inuicta misericordiæ diuinæ fiducia, quæ nos falli nõ sinit. At in omnibus his hodie multiuariàm erratur. Multi enim neque Dei admonitiones admittunt, neque signis excitantur, vt de peccatis & eorum emendatione seriò cogitent. Multi verò ad superstitiones conuersi satisfactiones pro peccatis ex semetipsis fingunt, & ferè circa res inutiles occupantur. Plerique verò alij solo pœnæ metu territi pœnitentiam momentaneam instituunt, & mox ad ingenium redeunt, quando se extra periculum constitutos esse vident. At omnes isti non aliud proficiunt, quàm quòd Dei iram magis contra se inflammant, qui hypocrisim odit, corde autem verè humiliato & contrito delectatur. Nos ergo Petri exemplum nobis imitandum proponamus, & Christum Iesum amplexemur, qui nobis & veræ pœnitentiæ & salutis æternæ vnicus author à Deo datus est. Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.

HOMILIA CLXI.

Ducunt ergo Iesum à Caiapha in Prætorium. Erat autem mane: & ipsi non introierunt in Prætorium, ne polluerentur, sed ut ederent pascha. Exiuit ergo Pilatus ad eos foras, & dixit: Quam accusationem affertis aduersus hominem hunc? Responderunt & dixerunt ei: Nisi iste esset maleficus, non tibi tradidissemus eum. Dixit ergo illis Pilatus: Accipite eum uos, & secundùm legem uestram iudicate eum. Dixerunt ergo ei Iudæi: Nobis non licet occidere quenquam: Vt sermo Iesu impleretur, quem dixit significans qua morte futurum erat ut moreretur.

EXposuit nuper Ioannes, vt sacerdotes & seniores Iesum Christũ de doctrina & discipulis examinauerint. Fuit hæc præcipua Cõcilij illius actio, ex qua satis apparet, quàm iniquè & impudenter sua authoritate abusi sint. Ideo multis omissis, quæ præterea fecerũt, & quæ ab alijs euangelistis descripta sunt, narrat deinceps, vt illum quasi legitimè condemnatũ Romano præsidi Pontio Pilato tradiderint, & quid coram illius tribunali sit gestum. Scimus enim Iudæorum gentem tunc temporis Romanorum imperio fuisse subiectam, qui etsi illis αὐτονομίαν siue libertatẽ aliquam concederent quoad religionem & patrias leges, ijsdem tamen ius gladij ademerant, & proinde Præsidi eos sisti oportebat, quos ipsi morte aut capitali supplicio dignos esse iudicabant. Diligenter autẽ hæc historiæ dominicæ pars ab omnibus euangelistis describitur, eò quòd multa continet, quæ nostræ cum institutioni tùm consolationi seruiunt. Primò enim facit hoc ad redemptionis nostræ mysterium, & Christum vtriusq; populi, Iudæorum scilicet & gentium, redemptorẽ esse docet, nec aliquem propter genus aut nationem contemni siue damnari debere. Deinde ad prophani iudicis tribunal Christus sistitur, vt nos ex terroribus iudicij diuini liberet, aditumq; nobis aperiat ad thronum gratiæ, à quo prius propter peccata nostra reijciebamur. Præterea sic asseri oportuit illius innocentiã, dum apud diuersos iudices causa eius agitur, vbiq; verò iustus & innocens pronũtiatur: Vnde colligimus, eum sufficientem esse pro peccatis totius mundi victimam. Postremò patientiam nos docet suo exemplo, ne vel territi succumbamus, vel aduersus Deum murmuremus, si quid simile nobis accidat. Non enim possunt aduersus veritatem impiorum consilia: & quàmuis nos indignis modis tractari patiatur Deus, nostro tamen bono hoc fit, quorum fidem sic exerceri atque probari oportet: non dormit autem Deus, & suo tempore dignas pœnas sumit de hostibus, qui ipsum in suis membris persequuntur. Factum hoc in Iudæis non multò post. Vt enim ipsi Christum seruatorẽ Romanis tradiderint, ita illos quoque in Romanorum manus tradidit Deus, qui terram omnem crudeliter vastarunt, & post longam calamitosissimamq; obsidionẽ vrbe potiti sunt, quã vnà cum templo solo æquarunt, ipsi licis autem populi reliquias per totum orbem disperserunt, in quibus etiamnum hodie vbique gentium iustæ vindictæ & iræ Dei exemplum videre licet. Quod ipsum omnibus euenturum esse, qui ecclesiam Christi hostiliter persequuntur, prophetarum sermones disertè monent. At quia hæc omnia deinceps suo loco & tempore clarius patebunt, nunc omissa tractatione longiori ad præsentis loci historiam accedemus, cuius partes sunt duæ.

Christus Pilato præsidi traditur.

Prima paucis narratur, Christum ex Caiaphæ domo ductum fuisse in Prætorium, vbi Pilatus præses ius dicebat. Exhibet autem breuis ista narratio quis ferè sit Conciliorum Antichristianorum exitus. Consederunt paulò ante vt proceres & antistites ecclesiæ, Christum de doctrina & discipulis examinarũt, perinde ac si ecclesiæ vnitas & populi salus ipsis quàm maximè cordi sit: interim non sine manifesto scelere falsos testes produxerunt, & tandem insidiosis obtestationibus & impiis diuini nominis abusu ex eius ore confessionẽ veritatis elicuerũt, qua se Dei filium & Messiam patribus promissum esse testatus est: Qua audita, mox illum damnarunt, & seruis suis permiserunt illudendum: nunc summo mane in Prætorium abducunt, & prophano iudici occidendum tradunt. Ab eo ordine & processu iam seculis aliquot Romani Pontifices in suis Concilijs vsi sunt, & hic ferè illorũ

& exitus. Vocantur enim, qui in ipsorum verba iam pridem iurarunt, episcopi & mitrati præsules: & hi ecclesiæ totius nomen atque authoritatem in se transferunt: ijdem verò ad suum quasi forum citant quoscũq; à Romana ecclesia dissentire audiunt: eos examinant, vt schismatis aut hæreseos accusare possint. Quòd si hac ratione nihil proficiant, non pudet illos dolis & mendacijs rem agere. Finguntur ergo falsa crimina, fistuntur falsi testes, quæstiones instituuntur insidiosæ, quibus veritatis confessionem extorquent etiam ab ijs, qui aliquandiu dissimulatione vsi sunt. Quàm primùm verè hanc liberius proferri audiunt, mox hæreticos clamant, ab ecclesiæ societate excludunt, & seculari iudici (vt ipsi loquuntur) occidendos tradunt, quos ipsi morte dignos iudicarunt. Exempla huius generis historiæ nobis proponunt non pauca, & vtinam nihil huius simile nostro seculo accidisset. Sunt ergo stulti nimium (ne quid grauius dicam) qui hodie sibi ex illorum Concilijs meliora pollicentur. Quid enim apud eos fiat aliud, qui reformationem nullam ferre possunt, & apud quos sine periculo præsenti verum profari non licet? Cæterùm singulas huius partis circunstantias excutiamus, quibus multa obseruatu dignissima continentur.

Primò facti huius authores inspiciendi veniunt. Inter quos primatum tenent sacerdotes & scribæ cum senioribus: quorum plerique tunc temporis erant ex Pharisæis. At Lucas populi quoque concursum factum esse scribit, & inde communi omnium consensu Christum ad præsidem Pilatum fuisse abductum. Vnde apparet, sacerdotes noctu per suos emissarios populum solicitauisse, vt minus periculi illis esset, si publico totius ciuitatis consensu damnatus videretur. Quo loco considerandum venit indignissimum facinus sacerdotũ, qui controuersiam de Messia patribus promissõ (qua præcipuam fidei & religionis caput continetur) hominis Romani & à veri Dei cognitione alienissimi iudicio subijciunt. Obseruari quoq; debet vulgi inconstantia & leuitas, quando tam facilè in sacerdotum partes transeunt, vt Christum occidi curent, à quo tam multis tamq; eximijs beneficijs fuerant affecti. At quia de vtroq; in Marci expositione copiosius est dictum, hæc modò attigisse sufficiat. Addamus autem his in præsenti, quantum possint falsi antistites, qui sub religionis prætextu suas res agunt. Isti enim Iudæorũ animos à Christo alienant, & toti populo sceleris immanissimi authores sunt, propter quod non multò post funditus perierunt. Sic postea Romani Imperatores ab idolorũ sacrificis & superstitionum ministris dementati Christianam religionem persecuti sunt: quæ res Romano Imperio interitum attulit. Et hodie multos principes ab episcopis, & monachis, qui illis sunt à confessione, instigari videmus, vt euangelij doctrinam extinguere & ipsum Christũ ex regnis suis ejcere conentur: qua temeritate sibi ipsis Dei iram accersunt, turbas & motus concitant, et in propria viscera seuiunt, dum propter puriorem fidem atq; religionem eos occidũt aut eijciunt, quorum fides ipsis sæpe perspecta fuit. Ea tamen est mundi infelicis cæcitas, & tanta odij contra veritatem concepti vis, vt quamuis Pontificũ proditorias artes iam seculis aliquot reges & principes propè omnes experti sint, paucissimi tamen inueniantur, qui oculos aperiant, et rectius sapere discant. Digni sunt ergo, qui impurissimis hominibus ludibrio sint, & tandem dignas tyrannidis pœnas luant.

Quinam Christum Pilato adduxerunt.

Deinde tempus quoq; diligenter notat Euangelista, & primo statim diluculo hoc factum fuisse scribit. Vnde apparet, sacerdotes & seniores noctem ferè totam in illo examinando & in consultando consumpsisse. Summo autem mane Pilato illum adducunt: nimirum, ne quam occasionem sibi ex manibus elabi patiantur. Sciebant enim ex peregrinis, quorum multi in singulas horas ad festum confluebant, plerosq; Christo egregiè fauere, & eius fauoris specimen viderant, quando venientem cum publico applausu & acclamationibus solennibus exceperũt: qua de re Cap. duodecimo diximus. Volunt ergo præuenire, ne quis ipsorum consilia interturbet, & Christi defensionem suscipiat. Est hæc impiorum sedulitas & industria, cuius exemplum nuper quoque in Iuda & eius socijs vidimus, qui ad capiendum Christum conuenerunt: & huius generis multa passim occurrunt: quæ nos in eum finem obseruare conuenit, vt partim vigilemus, ne nos suis dolis & artibus circumueniant: partim verò nostræ nos socordiæ & ignauiæ pudeat, quam in causa bona & sancta plerunque nobis obrepere patimur. Quid enim turpius est, quàm diaboli mancipia in patrandis sceleribus nihil non tentare, vt suis votis & desiderijs satisfaciant, Christi verò cultores in ijs ignauos & desides esse, quæ cum Dei gloria & propria illorum salute coniuncta sunt?

Sacerdotũ sedulitas contrà Christum.

Iudæi nolunt ingredi Prætorium.

Præterea memorabile quid de Iudæis interseritur: nimirum quòd noluerint ingredi in Prætorium, ne polluerentur, & ita paschatis comedendi occasionem siue facultatem amitterent. Excludebantur enim ab eius esu, qui aliqua legali immunditia polluti erant. At quod isti faciunt, nulla legis authoritate nitebatur. Hæc enim loca iustitiæ sacra nuspiam pro impuris censere iubet, neque etiam prohibet, quò minus aliquis domum hominis ethnici iustis de causis ingrediatur. Vnde apparet, traditionē hanc à patribus acceptam fuisse. Edunt ergo hîc sanctimoniæ fucatæ specimen, quam illis Christus non vno loco exprobrauit. Quid verò ab illis fieri poterat absurdius & inconsideratius? Metuunt ne ex domus contactu polluantur, ex sanguinis autem innoxij effusione pollutionem non metuunt. Et ne traditionem patrum transgrediantur, hoc tempore Prætorium ingredi volunt: ijdem verò Dei legem, qua sanguinem fundere prohibentur, audacter negligunt. Recte ergo D. Augustinus exclamauit: O impia & stulta cæcitas: habitaculo videlicet contaminarentur alieno, & non contaminarentur scelere proprio? Quibus & illud Cyrilli addito: Cauent pollutionem, vt agnum Christi typum comedant, interim in ipsam veritatem insaniunt. Sunt hi mores hypocritarum. Metuunt pollutionem externam, & vt foris mundi videantur diligentissimè student, nihil interim soliciti de animi munditia & morum integritate, sine quibus Deo probari impossibile est. Deinde hominū traditiones anxiè obseruant, Dei verò leges absq; metu omni transgrediuntur. Deniq; in externis ceremonijs nihil non faciunt quod apud superstitiosos receptum vident: vera autem & præcipua cultus diuini exercitia & veræ pietatis capita securè contemnunt. Similis planè est studie monachorū sanctimonia, quibus inexcusabile scelus videtur cibos vetitos gustare, vestitum mutare, aut quacunq; in re aliquid contra ordinis sui statuta facere: at ijsdem lusus iocusq; videtur sortari, toros alienos polluere, inebriari, doctrinam verbi Dei corrumpere, sacramentorum vsum verum abolere, sacra omnia venalia habere, deniq; leges cùm diuinas tum politicas contemnere. Imitantur hos, quicunque eos sibi doctores atq; magistros proponunt. Quibus etiam adnumerari debent, qui toti circa sacramenta occupantur, horum dignitatem extollunt & externum eorundem vsum magnificè commendant (quod per se non præter causam fieri, sed necessarium esse fatemur) interim verò Christi meritum euacuant, dum quod huic vni debetur in illis quærere docent, & ecclesiæ concordiam scindunt, cuius hæc vincula firmissima esse debebant: imò dum pro sacramento corporis & sanguinis Christi pugnare videri volunt, in viua Christi membra hostiliter sæuiunt, pro quibus illi sanguinem suum effudit. Cæterùm vt Iudæi isti hoc suo facto seipsos damnarunt, & à propria conscientia accusati sunt, dum eo tempore sanguinarijs cōsilijs occupantur, quando sanctimoniæ veræ imprimis debebant studuisse: ita omnes illi proprio testimonio sese condemnant, dum religionis & pietatis studium profitentur, vera autem eius officia tam impudenter negligunt. Discamus ergo omissis superstitionibus veram purificationem sectari, quæ ex fide in Iesum Christū dependet, & intra animos nostros spiritu perficitur, atq; inde sese in totā vitam diffundit. Quoad verò externa diuini cultus exercitia & sacramentorum vsum, caueamus diligenter, ne illa temere prophanemus, dum ad ea indignè accedimus. Si enim ad epulum paschale olim accessuris munditia & sanctificatione opus fuit: quantò magis nos his studere debemus, qui in Christo Iesu pascha habemus nihil præstantius & salutarius? Vide in priori ad Corinth. cap. quintum & vndecimum.

Pilatus ad Iudæos egreditur.

Transeamus nunc ad alteram huius loci partem, quæ primam actionem Pilati cum sacerdotibus & senioribus Iudæorum continet, in quam multa incidunt consideratu dignissima. Primus autem ipse Pilatus sese offert, qui ad illos foras exiuisse dicitur: quod magnum est modestiæ argumentum. Poterat enim illos vicissim ipse etiam contemnere & abominari, cùm se illis abominationi esse videret, aut saltem eos in aliud tempus reijcere. Sed patienter fert illorum superstitiones, quarum obseruatores pertinacissimos esse sciebat, & egressus ad eos amicè interrogat, quam accusationem aduersus Christum afferant. Et in hoc quidē boni iudicis officio fungitur, dum neq; insolentius suo abutitur imperio, neq; moras nectit in causa, quam ab illis tanto studio agi videbat: simul verò cauet ne quid præcipiti iudicio agat, & non sine diligenti inquisitione captiuum ad se recipit. Imitentur exemplum hoc omnes, qui in magistratu sunt constituti. Nihil enim est, quod populi animos illis magis conciliet, quàm modestia cum grauitate cōiuncta: qua olim Alexandrū illum magnum suorum mentes imprimis sibi deuinxisse historici testantur. In iudicijs autem inquisitione diligenti

genti quàm maximè opus est, eò quòd multa occurrunt, quibus iudicum oculi excæcantur, nisi in rem præsentem totis animis incumbant. Nam vt aduocatorum artes, munerum corruptelam, lucri priuati spem, veteres inimicitias & infinita alia huius generis omittamus, ipse personarũ conspectus & ex rumore prius audito factum præiudicium, ita sæpe iudicum animos occupant, vt quod in ipsa causa verum & rectum inest videre non possint. Non temere ergo olim Deus in Lege monuit, vt iudices absq; omni personarum respectu causas audiant, tam paruum quàm magnum inquirant, & affectibus ita imperent, vt nulla pauperum quoq; commiseratione tangantur.

Cæterùm conferamus nunc cum Pilato sacerdotes & seniores Iudæorum, quos præ omnibus aliis iustitiæ & iuris publici obseruantissimos esse conueniebat, cùm in Dei populo primatũ tenerent. Quid verò illi Pilato respondent? Nisi iste esset maleficus, non tibi tradidissemus eum. Quod quid aliud est quàm si dixissent: Quid quæstione ista opus est? quin ocyus illum ad crucem rapis? Aut num nostra fides tibi adeò suspecta est, vt iudicij nostri rationem à nobis requiras? Ac quid obsecro insolentius, quid iniquius & iniustius dici poterat? Primò maleficum dicunt, cuius innocentia in Concilio ipsorum pluribus argumentis perspecta fuerat, & cuius innumera extabant in totam Iudæorum gentem beneficia. Ergo illorum iudicio maleficium erat claudos restituere, cæcorum oculos & surdorum aures aperire, mutorum linguas soluere, leprosos mundare, mortuos excitare, ab obsessis & furiosis dæmones eijcere, peccatores in iustitiæ viam reuocare, veritatis doctrinam prædicare, & quorumuis ad se venientium saluti consulere. Deinde superbè & insolenter nimis suam authoritatem vrgent, & hanc absq; ampliori inquisitione recipi, moxque occidi volunt, quem ipsi sua sententia damnarunt. Tyrannidem ergo in eo populo affectant, qui propter amissam primam libertatem & impositos sibi Romanos præsides iam ante plus satis miser erat. Quid enim horum responsio à vulgari tyrannorum dicto differt, Sic volo, sic iubeo, sit pro ratione voluntas? Accedit his impudentia & temeritas intolerabilis, qua Pilato præscribunt, & eo pro lictore abuti volunt, penes quem summum erat tunc temporis in ea gente imperium. Vt enim carnifices mox ducere iubentur eos, quos iudicum sententia damnauit, neque illis aliqua iudicij aut sententiæ pronuntiatæ ratio redditur; ita illi Pilatum suæ sententiæ executorem esse volunt, & iniuriam sibi fieri arbitrantur, quòd in illam inquirat. Ita verò solent impij, quando se in aliquo dignitatis gradu constitutos esse vident. Nec enim vllis rationibus reprimi possunt & intra officij sui limites contineri, qui Dei timorem animis suis excusserunt. Quò magis annitendum est ijs, qui summam in aliquo populo potestatem obtinent, ne tales euehant, aut sua ignauia illos emergere patiantur. Exhibetur autem nobis hìc quoque euindens typus eorum, qui hodie fidei & religionis antistites atque defensores videri volunt, episcoporum & monachorum, quos illi hæreticæ prauitatis inquisitores constituunt. Sumunt hi quoque sibi ius in quosuis, & apud sua tribunalia fidei & doctrinæ rationem reddere cogunt, quoscunque à suis traditionibus dissentire suspicantur. Vt primùm verò aliquos secessionem fecisse vident, mox hæreseos damnatos capitalium causarum iudicibus tradunt: non quidem vt hi in hos diligentius inquirant, sed vt igne aut ferro tollant, quos ipsi morte dignos pronuntiarunt. Quòd si quis causam propius inspici & cognosci velit, illico suam authoritatem illi vrgent, & indignum putant nouam inquisitionem institui. Et vtinam ea esset hodie principum Christianorum æquitas atque moderatio, quæ in Pilato fuit. Is enim non tanti facit istorum dignitatem, vt in hominem ignotum aliquid durius statuat, priusquàm causam ipse cognouerit. At hodie plerique principes tunc demum se Christianos & catholicos (vt ipsi loquuntur) esse putant, si ex iudicibus lictores fiant, & absque vlla inquisitione ad ignes & gladios rapiant, quoscunque personati illi præsules damnauerunt. Quò fit, vt & horum tyrannidem stabiliant, & semetipsos sanguine innoxio polluant, & plerunq; sibi turbarum atque interitus authores sint.

Sacerdotũ insolentia & iniquitas.

Audiamus ergo Pilatum, qui istos cum indignatione & Sarcasmo satis acerbo reijcit, dicens: Accipite eum vos, & secundùm legem vestram iudicate eum. Non autem eo sensu hoc dicit, quòd illis hominem insontem indicta causa occidendi potestatem faciat: sed (vt diximus) rei indignitas illi has voces extorsit, simulq; eorum iniquitatem arguit, qui Lege Dei gloriabantur, & gentibus reliquis sanctiores volebant videri. Sensus ergo verborum est: Video vos causæ vestræ ita fidere, vt in sententiam quam tulistis, inquiri nolitis. Sed non hic Romanorũ mos est, qui causas cognoscere, et

Pilatus sacerdotum insolentiam reijcit.

vtramque partem audire consueuerunt. Quòd si vestra Lex, quam à Deo patribus traditam iactatis diuersum iubet, egregia (si Dijs placet) illa Lex est: & illa fruamini per me licet, ego autem huic subscribere nolim. Nec temere hæc Pilatum dixisse putabimus. Scimus enim Romanos iustitiæ publicæ & iudiciorum in prouincijs vindices seueriſsimos fuisse. Et L. Flaminium natu motum fuisse tradunt historici, quòd iure damnatum securi percussisset, tempore supplicij arbitrium & spectaculum meretriculæ electo. Meritò igitur legum seueritatem Pilatus vertit istorum postulationem reijciendam putauit. Debent autem illius exemplum imitari iudices, ne cuius authoritate se grauari patiantur, neue iudicia temere præcipitent. Turpis enim & immedicabilis error est, qui præcipiti festinatione committitur, quando matura & diligenti deliberatione opus erat. Imprimis verò obseruari debet, quòd legem ipsorum illis tam amarulenter Pilatus reprobrat. Illorum ergo improbitate factum est, vt homo prophanus legis diuinæ ridendæ occasionem haberet. Et ita rursum impletur quod olim per Malachiam questus erat Dominus, nomen suum Iudæis potissimùm prophanari, cùm illud apud omnes gentes honorificum habeatur. Sed quam vitare illud est hodie? Quis enim non videt Iudæos & Turcas ridendi Christiani nominis occasionem ex Papistarum ineptis superstitionibus & crassissimo idolorum cultu arripere? Similiter verus Euangelij & religionis reformatæ titulo sese venditant, eandem occasionem Papistis præbent, dum sub Euangelicæ libertatis prætextu effrænem peccandi licentiã sectantur. Sunt hæc scandala omnes nocentissima, quæ Deus impunita non sinet, nisi ad mentem meliorem conuersi ita viuamus, vt nomen eius per nos & mores nostros glorificetur.

Iudæis non licuit quenquam occidere.

Sed redeamus ad Iudæorum primates, qui Pilato ogganniunt: Nobis non licet occidere quemquam. Sentiunt ergo se ab illo perstringi & pungi, culpam tamen non agnoscunt, quin potius sedulus patrandum paratos fore testantur, modo id per Romanos liceret. Adeò nihil pudet eos, qui totatus veræ sensum semel excusserunt. Interim admonet Ioannes hæc non temere facta fuisse, sed ita fieri oportuisse, vt sermo Christi impleretur, quo prædixerat qua morte ipsum mori oporteret. Prædixerat autem se gentibus tradendum fore, & in cruce moriturum esse. Hæc autem in mentem his reuocat Ioannes, & simul ad æternum Dei decretum remittit, ne crucis ignominia offendamur. Quod vt in præsenti historia semper nobis ob oculos versari debet, ita in nostris quoq; afflictionibus meminisse debemus, nihil nobis sine certo Dei consilio accidere. Obseruemus autẽ hoc loco, vt Deus impiorum consilia ludificare soleat. Voluerunt isti Christum non clàm occidere, sed Pilato crucifigendum tradere, vt crucis infamia eius nomen atq; doctrinam obscurent & exosam reddant. Sed impletur, quod de filio suo Deus statuerat. Asseritur enim multorum testimonijs illius innocentia, ipsorum autem arguitur improbitas: Christus item exaltatus omnes ad se traxit, sicuti Cap. duodecimo prædixerat. Exempla huius generis multa nobis historiæ exhibent. Simus ergo fortem Domino, cuius potentia & misericordia perpetuò durat, & qui suos perire non sinet, quos sanguine pretio acquisiuit. Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

HOMILIA CLXII.

Introiuit ergo rursus in Prætoriũ Pilatus, & uocauit Iesum dixitq; ei: Tu es Rex ille Iudæorũ? Respondit ei Iesus: A te ipso tu hoc dicis, an alij dixerunt tibi de me? Respondit Pilatus: Nunquid ego Iudæus sum? Gens tua & pontifices tradiderunt te mihi. Quid fecisti?

Evangelistæ passionis & mortis Dominicæ historiam sic describunt, vt simul Christi exemplo doceant, quæ piorum in terris conditio sit, & ad quæ certamina illi præparari debeant. Hoc autem imprimis facit actio, quæ coram præside Pilato aduersus illum instituta fuit. Fuerunt in ea (vt nuper audiuimus) actores summi sacerdotes & Seniores Hierosolymitani, qui nomine totius populi illum ceu maleficum & extremo supplicio dignum Romano præsidi tradiderunt. Dictum de his nuper, quòd Pilato capita accusationis requirenti, arroganter suam authoritatem obiecerunt, & absque ampliori inquisitione mox ad mortem abripi voluerunt, quem ipsi in suo Concilabulo iniquissimo

iniquissimis sententijs damnauerant. Habet enim hoc proprium hypocrisis, quòd superbiæ spiritu inflat, & ab omnibus probari vult quodcunque illa semel constituit. At hìc non minus fortiter quàm iustè agit Pilatus, quando non sine stomacho postulationem illorum iniquissimam reijcit. Coguntur ergo accusationem legitimam instituere, & causas proferre, quibus probent illũ mortis supplicium meruisse. Quia autem non habent quod in eo vere accusent, ad mendacia confugiunt, & falsis criminibus eum grauant, sicuti apud Lucam est videre, qui illos in hæc verba locutos esse scribit: Hunc comperimus peruertere gentem, ac vetare tributa dare Cæsari, dicentem se Christum Regem esse. Ergo de duobus grauissimis sceleribus illum accusant, quòd nimirum falsa & erronea doctrina populum seducat, & aduersus magistratum seditiosè insurgat, adeoque ex priuato affectu regnum aut tyrannidem ad se transferre conetur. Elucet autem in his magna Iudæorum impudentia, quando non falsa modò crimina ei intendunt, sed ea ipsa nominare audent, quorum reatu seipsos imprimis teneri sciebant. Quis enim nescit, populum Dei per ipsos nouis traditionibus seductum, in diuersas sectas scissum, & religionem omnem in quæstum fuisse conuersam? Quod verò regni affectationem, commune hoc gentis totius vitium fuit, quòd Romanæ tyrannidis impatientes, illius iugum quouis modo excutere conabantur, & quosuis obuios admittebant, per quos aliqua libertatis spes ipsis offerebatur. Christus autem vt legis doctriuam veterem reducebat, ita ne quam exempli mali aut seditiosi speciem præberet, sub censu nasci voluit, censum ipse persoluit, & de eo interrogatus soluendum esse docuit: imò cùm nonnulli ipsum regem creare vellent, ab eorum conspectu sese subduxit, ne quam publici motus occasionem daret. Erant hæc omnibus notissima: non verentur tamen illi Christum de istis accusare, vt planè constet eos cum pietate omnem pudorem quoque exuisse. Nos autem in Christi exemplo obseruabimus, quibus criminibus eius ministri & cultores fere grauari soleant. Præcipuum ex ijs est, quòd falsa dogmata spargant, hæreses & schismata inducant, & ecclesiam Dei perturbent. At quia de his non multum soliciti sunt principes & viri politici, alia quoque fingunt, quæ istorum quoque animos aduersus veritatem excitent. Seditionis ergo accusantur, quòd magistratus authoritatem conuellant, inobedientiæ publicæ authores sint, pacem publicam conturbent, quodq; ipsi pro suo arbitrio omnibus imperare velint. Sunt hæ veteres calumniæ, quibus olim Mosem, Aaronem, prophetas, & postea Apostolos quoque & sanctos Christi martyres grauatos fuisse scimus. Et hodie ista omnium auribus ingerunt aduersarij nostri: neque pudet eos nobis falsæ doctrinæ & seditionis crimen intendere, cùm omnibus constet, nos solum Christum prædicare, qui ipsissima est veritas, & totos in hoc esse, vt & respublicæ seruentur, & sua magistratibus authoritas salua atque integra maneat. Imò ista nobis obijciunt, qui iam pridem veritatis doctrinam humanis traditionibus corruperunt, & ecclesiæ vnitatem in sectas & monachorum ordines inter se diuersissimos sciderunt, qui denique toti in eo sunt, vt vrbes, populos, principes, adeoq; ipsos reges & Imperatores in seruitutem redigant, & ad pedum suorum oscula compellant. Sed tunc nos ad vetera exempla & ea quæ Christo acciderunt respicere oportet, ne his ceu nouis & insolitis offendamur. Videamus autem quid in ista actione Pilatus, quid item Christus fecerit, & mox tam iudices quàm pij intelligent, quid ipsos in simili casu facere conueniat.

Christus accusatur, quòd seducat populũ, & regnum affectet.

Pilatus Prætorium rursus ingreditur, & Iesum ad se vocat, vt cum eo agat priuatim semotis importunis illis accusatoribus. Quod ideò illum feciisse puto, vt commodius illum de singulis interrogare posset, & ille meliorem haberet sui defendendi & excusandi occasionem. Vt ergo prius Iudæis gratificatus est, dum ad illos exiuit: ita nunc captiui quoque rationem habet, ne aliquorum importunitate obruatur. In hoc autem optimi & æquissimi iudicis exemplum præbet. Decet enim iudices in controuersijs hoc potissimùm agere, vt causæ veritas cognoscatur: ne vel ignorantia decepti, vel prauo aliquo affectu abrepti, sententiam iniquam ferant. Quia autem frequenter fit, vt accusatores sua authoritate multorum oculos perstringant, aut etiam importunis clamoribus & minis reos perterrefaciant, interdum quoque sophisticis & subdolis actionibus circunueniant & rerum incertos reddant: ibi iudices prudentiæ memores esse conuenit, & importunos illos compescere, vel ad tempus excludere, erga reos autem facilitate aliqua & humanitate vti debent, vt omnibus quæ in vtram partem dicuntur, probè cognitis & examinatis, verum facilius depre-

Pilatus Christũ seorsim solus audit.

hendant. Et hoc quidem Pilatus non sine fructu fecit. Ex amica enim ista collatione mox intellexit (sicuti apud Matthæum annotatur) Christum innocentem esse, Iudæos autem omnia ex inuidia & odio agere. Quòd si ad hunc modum perrexisset, nunquam tanto sese polluisset scelere, ex qua sempiternam infamiæ notam sibijpsi accersiuit. Peccant ergo in ipso limine iudices, qui vt primùm accusatores audiuerunt, mox iræ flammas aduersus reos concipiunt, iram fremitu produnt, autem tiam durissima quæq; minantur, vt iam non iudices, sed ex actorum numero videri possint. Vt verò in ipso iudicum cõsessu ista caueri debent, ita imprimis modestia & humanitate eos vti decet, qui quæstionibus præfecti sunt, & scelerum confessionem à reis exigunt. Nisi enim quæstionum seueritas prudenti facilitate temperetur, nimio rigore & comminationibus eos qui natura timidiores sunt facilè terrebunt, vt seipsos falsis criminibus grauent, & pœnas quas nunquam meruerunt in sese suscipiant.

Interrogatur Christus de regni affectatione.

Porrò quoad Pilatum, omissis omnibus alijs, quæ Iudæi importunis clamoribus proposuerant, totius negotij caput aggreditur, & de regni affectatione Christum interrogat. Tu (inquit) es rex ille Iudæorum? Habet autem Emphasim articulus Græcus, quem nos per demonstratiuam particulam ILLE *reddidimus. Vulgò enim omnibus notum erat, Iudæos regem à prophetis olim promissum expectare, qui populi vindex & seruator esset. Errabatur autem in eo, quòd regem hunc putarent fore terrenum, qui eiectis Romanorum præsidijs & destructa imperij Romani tyrannide, Iudæos in pristinam libertatem assereret, & inter eos regnum constitueret victorijs, opibus & splendore externo illustre, quale olim sub Dauide & Solomone fuerat. Quæ opinio Herodi quoque aduersus Christum recens natum sæuiendi occasionẽ præbuit: quòd nimirum regno suo timeret, quo illum Romani donauerant. Et eadem nunc Pilatum mouet, vt Christum de rege illo Iudæorum imprimis examinandum putet. Vbi obseruari debet, quantùm noceant falsæ de Christi regno opiniones. Nec enim ijs modò imponunt, qui his imbuti sub eius nomine terrena commoda quærunt: verum etiam hostibus sinistras suspiciones mouent, quæ interdum publicorum malorum & grauissimarum persecutionum causæ sunt. Sed de regno suo & eius conditione Dominus ipse postea disseret, nunc Pilati exemplum denuo inspiciant iudices, qui eo de duobus obseruatu admodum necessarijs admonentur. Primum est, vt in actionibus forensibus caput totius negotij inspiciant, omissis alijs, quæ alteres inuidiosè admiscent, vt reos ipsis inuisos & exosos reddant. Ita minus falli poterunt, & verum facilius deprehendent, atque causas, quæ initiò inextricabiles videbantur, absque mora & non multo negotio expedient. Alterum, vt diligenter obseruent turbulenta ingenia & seditiosos homines, qui rebus nouis student, & rempublicam temere inuadunt. Sunt hi omnium mortalium nocentissimi, & nisi illis occurratur in tempore, multos etiam non omnino malos suis dolis & pollicitationibus in sceleris societatem trahunt. Exempla passim in historijs occurrunt, quæ docent, eiusmodi ingenia plus semper mali dedisse, quàm hostes exteros, qui aperta vi regna aut respublicas opprimere conati sunt. Prudenter ergo à Romanis factum fuit, qui per prouincias præsidia militum disponere solebant, qui seditiosorum conatus reprimerent, & quosuis in officio continerent. Quod illos in Iudæa singulari studio fecisse constat, eò quòd illam gentem natura ad seditiones procliuem esse scirent. Rectè etiam Pilatus in hoc potissimùm accusationis caput inquirit, quo Iudæi Christo seditionis & affectatæ tyrannidis crimen intendebant.*

Christus Pilatum officij admonet.

Et sanè ipsi Christo hoc eius studium probatum fuisse apparet. Quia enim illum nihil præter officium facere intelligit, amicè simul & grauiter ei respondet. Primò enim non obscurè illum officij admonet, vt eius memor, nõ patiatur se aliò abduci, neq; se alicui seducendum præbeat. Aliam enim quæstionem Pilato opponit, dicens: A teipso tu hoc dicis, an alij dixerunt tibi de me? Quasi diceret: Quid hac quæstione opus est, cùm nihil vnquam à me dictum aut factum sit, cuius ergo in regni affectati suspicionẽ venire debuerim? Velim ergo audire, tune istud ex temetipso finxeris, aut alij suis delationibus hanc tibi mouerint suspicionẽ? Quòd si tu eam temere concepisti, purgatione multa minimè opus est. Scis enim iudices à suspicionibus debere alienissimos esse, neq; eas in consilium admittere, quando de alicuius hominis vita & honore aut fortunis agitur. Quòd si verò alij istud tibi retulerunt, iam illorum fuerit crimen probare, quod mihi intendunt: tuum autem erit videre, ne sua

authoritate

authoritate tibi oculos perstringant, & ne quid facias in illorum gratiam, quod à boni & æqui iudicis officio alienum sit. Hic (inquam) verborum Christi sensus est: Nos autem illius exemplo docemur, licere interdum ijs, qui in iudicio sistuntur, vt liberius ipsos etiam iudices officij admoneant & vel suspiciones temere conceptas diluant, vel somnum & oscitantiã excutiant, quæ interdum illis obrepere consueuit. Et qui verè sapiunt, id non indignè ferunt, quo sibi non rarò opus esse experiuntur. Cuius rei memorabile exemplum in Philippo Macedonum rege habetur. Qui cùm aliquando temulentus pro tribunali cõsedisset, mulierem quandam immerenter damnauerat. Illa verò exclamauit: Prouocaram ad Philippum, sed sobrium. Quo dicto crapulam oscitanti excussit, ebriumq; tandẽ resipiscere & causa diligentius inspecta æquiorem sententiã ferre coegit. Fuit hoc in Philippo animi egregij & honesti indicium, quo si præditi essent quotquot hodie iudicia publica administrant, maior esset legum bonarum authoritas, plusq; in illis præsidij inuenirent optimi quiq; aduersus improborum calumnias.

Cæterùm in hoc peccare incipit Pilatus, qui leni ista Christi admonitiuncula offensus, non sine stomacho respondet: Num quid ego Iudæus sum? gens tua & pontifices tradiderunt te mihi, &c. Ita verò dicere videtur: Tu quidem audacter nimis ista loqueris. Quid enim quærere opus est, an à meipso te de istis interrogem? Num me Iudæum esse arbitraris, qui vestris de Messia vaticinijs aut figmentis aliquid tribuam? Equidem homo Romanus sum, & huic terræ præfectus, non vt vestris superstitionibus me immisceam, sed vt ius dicam, pacem publicam conseruem & seditiosè tumultuantes in officio contineam. Et per me quidem vobis quiescere licebat, neq; tibi ex me aliquod periculum imminebat, qui vestras de doctrina & cultu vestro concertationes non multùm moror. Sed gens tua & qui inter vos sunt sacrorum antistites te mihi tradiderunt. Isti turbæ huius authores sunt, isti te de regno affectato accusant, & te mox ad supplicium abripi volunt. Quid ergo feci? Certè magnum quid designaris oportet, quòd isti omnes in tuum caput conspirauerunt. Ad hoc igitur diserte respondeto, omissis quæstionibus nouis, quæ nihil ad me pertinent. Hæc & alia Pilatum iam animo voluisse apparet, quæ animum cõmotum indicant, & aliqua iam suspicione occupatum. Et hoc illi lapsus grauioris initium fuit. Quàm primùm enim affectibus vel modicum indulgetur, mox viribus nouis augentur, & quod in nobis reliquum erat sanioris mentis paulatim totum extinguunt. Principijs ergo obstare conuenit, & tum minori negotio mala aut scelera grauiora cauebimus. Pilatus Christi admonitione offenditur.

Interim verò non oscitanter expendi debet Pilati dictum: Gens tua & Pontifices tradiderunt te mihi. Nam hoc dicendo, primùm de Christi innocentia testimonium fert, qui ita vixerit, vt ipse nihil de eo coercendo cogitaturus fuerit, si alteri illi quieuissent. Quod vnum omni affectatæ tyrannidis suspicione illum abunde liberat, quando tale quid conantẽ impossibile erat latêre, cùm Romani per omnes propè vrbes præsidia cum suis tribunis & centurionibus disposita haberent, qui si quid huius fieret, mox rem omnem ad summũ eius regionis præsidem referebant. Deinde omnem Christi capti & occisi culpam in Iudæos, & quidem in horum antistites transfert, quos illius acerrimos hostes esse testatur. Ita verò impleri oportebat, quod olim Dauid prædixerat: fore nimirùm, vt ipsi ædificantes vel architecti lapidem illum reprobarent, quem Deus caput anguli constituerit. Facit autem hoc ad asserendam Dei iustitiam, qua non multò post Iudaicæ gentis ingratitudinem atque impietatem punit. Quo enim supplicio non digni fuerunt, qui ex ipsis natum gratiæ mediatorem persecuti sunt, & illum Romanis nihil tale petentibus, imò etiam reluctantibus, crudeliter occidendum tradiderunt? Simul autem obseruabis hoc loco cõmunem sortem piorum, qui ferè hostes sentiunt suos domesticos, conciues & conterraneos, quibus defensoribus potius vti debebant. Exempla huius rei funesta admodum in omnibus propè regnis videre licet, quando multos non pudet exteros hostes in patriæ communis viscera adducere, aut conciuibus suis apud exteros lites mouere nunquam finiendas, vt euangelij doctrinam & eius sectatores extinguant. Sed meminerint illi, Deum non dormitare, & ipsorum perfidiam dignis supplicijs aliquando vlturũ esse. Imò videmus frequenter fieri, vt quæ illi occulta putant, ij in publicum prodant, cum quibus illi coniurauerunt. Et vt in præsenti Pilatus Iudæos accusat, ita interdum exteros de illorum perfidia testari audimus, per quos ad arma euocati sunt. Denique vt Deus Iudæorum impietatem exemplo horribili puniuit, ita nunquam impunitos Christi innocentia.

dimittet eos, quicunq; mores illorum imitantur. Neminem ergo perfidi impiorum conatus terruit. Viuit enim & regnat rex gloriæ Iesus Christus, qui gentium cõsilia solo nutu dissipat, & qui ferro sceptro vt vasa testacea omnes eos conteret, qui suaue ipsius iugum ferre nolunt. Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

HOMILIA CLXIII.

Respondit Iesus: Regnum meum non est ex hoc mundo. Si ex hoc mundo esset regnũ meum, ministri mei certarent ne traderer Iudæis: nunc autem regnum meum non est hinc. Dixit ergo ei Pilatus: Num igitur Rex es tu? Respondit Iesus: Tu dicis quòd Rex sum ego. Ego in hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, ut testimonium dem veritati. Omnis qui est ex veritate, audit vocem meam.

DAuid rex & propheta in Psalmo secundo de filij Dei & redemptoris nostri regno nascituro sic orditur: Quare fremuerunt gentes, & populi meditantur inania? Concurrunt reges terræ, & principes vnà consultant aduersus Dominum & aduersus vnctum eius. Quibus verbis docet, illum quidem regem fore, sed nunquam defuturos esse in hoc mundo, qui regnum eius oppugnent, & illum super se regnare nolint. Et est hæc vnica causa dissidiorum atq; contentionum, quibus orbis terrarum circa fidei & religionis negotium turbatur. Ipso certè in terris agente hæc causa maxime agitata fuit. Cur enim illum extinctum voluerunt pharisæi, scribæ & sacerdotes? Nimirum quia eius sceptro reformari & regi noluerunt. Quin ijdem coram Pilato hoc crimine illum maxime petuant, quòd regnum inter Iudæos affecter, & in hoc potissimùm Pilatus inquirit. Similiter postea Romanis Imperatoribus hæc præcipua omnium persecutionum causa fuit, quòd Christi doctrina regnis suis & publicæ paci aduersam esse plerique putarent. Et hodie de hoc passim cõtenditur, quia alij Christo regnum omne vendicare studeant, quoad nostræ salutis negotium, alij verò hoc illi eripere conantur. Turcæ enim hanc gloriam suo Mahumeti, Iudæi fictitio suo Messiæ tribuunt, qui instar principum huius terræ regnaturus esse fabulantur. Inter eos autem, qui Christiani dici haberi volunt, plerique personatum Christi vicarium fingunt, cui vniuersum ecclesiæ imperium tribuunt, quem adorant & colunt, & apud illum ea quæri debere contendunt, quæ Christus nobis acquisiuit. Ex ijs verò, qui rectius sentire videntur, multi tamen in Christo huius vitæ cõmoda spectant, & in terrena potius quàm cælestia bona intenti sunt. Quæ causa est, quòd aduersariæ partis splendorem & magnificentiam admirantur, offenduntur autem cruce, quæ piorum indiuulsa comes est, proinde à fide turpiter deficiunt. Est ergo multa consideratione dignissima actio Christi coram Pilato, & in ea præsens imprimis locus, quo ipse Dominus regni sui conditionem & mysteria explicat, simulq; docet quid in illo quærere aut sperare debeamus.

Colloquium Christi cum Pilato de regni sui conditione.

Occasionẽ verò huic tractationi dedit Pilatus, quem Christi admonitione nonnihil offensum esse, & non sine stomacho interrogauisse audiuimus, quid nam ipse fecerit, cuius ergo de regni ambitione accusetur. Quàmuis autem non obscurũ animi prophani indicium illic dedisset, non tamen nimium fastidit Dominus, & ne ipse illi sceleris mox ab eo cõmissi occasionem aliquam dedisse videatur, amicè admodũ & diligẽter huius Tragœdiæ causas simul & regni sui mysteria explicat. Regnum meum (inquit) non est ex hoc mundo, &c. Sensus est: Scio me accusari, quòd regnũ inter Iudæos affectem, & tu rectè quidem atq; ex officio in hoc crimen inquiris. Atqui ego regnum mihi debere non nego: id verò non eiusmodi est, quod vel tibi vel Imperatori tuo Tiberio sit formidandum. Nam non est ex hoc mundo, & proinde huius mũdi regnis eorumq; gubernatoribus nihil incõmodat. Hoc autem quod dixit probat argumento, quod ex communi regnorum huius mundi conditione regnum moribus desumit. Habent hi (inquit) suos milites & armata satellitum turba stipati incedũt, quid illis periculi imminet, mox ad arma cõcurrunt, proq; illis pugnant, ne quid ab hostibus patiantur. Si itaq; regnum meum ex hoc mundo esset, aut tale quid affectarem, vtiq; mihi etiam munitum esset & satellites parauissem, qui pro me certarent, & qui nunquam passi fuissent me sine aliqua pugna

motu à Iudæis capi & tibi tradi ad capitis supplicium luendum. At nihil huius factum esse constat, neque aliquis meorum reperitur, qui tale quid tentet. Quis ergo non videat regnum meum non esse hinc, & proinde mihi iniuriam fieri ab ijs, qui me rebellionis & seditionis accusant? Est hæc prima responsionis Christi pars, qua crimen sibi intentatum diluit. At Pilatus regni mentionem fieri audiens, argumentum à Coniugatis ducit & infert: Itaque rex tu es? Quasi diceret. Quisquis regnum habet, idem etiam rex est. Cùm igitur regnum te habere dicas, rex sis oportet, qualecunque sit illud tuum regnum, de quo nunc disputare nolim. Hîc ergo Dominus modestè fatetur, quod Pilatus rectè collegerat. Tu (inquit) dicis quòd rex sum ego, & non ineptè argumentaris. Mox verò alteram suæ responsionis partem proponit, quæ ampliorem huius quæstionis declarationem cõtinet, omnemq; regni sui vsum atque finem exponit. Dicit enim: Ego in hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, vt testimonium dem veritati. Id est, Veritatis rex sum, neq; alium mei regni & administrationis finem mihi propositum habeo, quàm vt veritas regnum obtineat, & abolita tenebrarum atque mendacij tyrannide illam omnes colant eiq; seruiant. Et quia Pilato mirum videri poterat, ipsum plerisque inuisum atque exosum esse, qui quoad cætera innocens, solius veritatis causam ageret, hîc quoque omnem sinistram suspicionem diluit, addens: Omnis qui est ex veritate, audit vocem meã. Quasi diceret, Non offendat te, quòd hostes & aduersarios habeam plurimos, & quidem eos, qui authoritate publica excellunt & sacrorum antistites sunt. Quia enim regnum hoc meum (vt dixi) non est ex hoc mundo, sed cœleste & spirituale est, nunquam se illi subijcient, qui huius mundi spiritu & prudentia reguntur: sed ex veritate regenerentur oportet qui huius ciues fieri voluerint: & hi soli vocem siue doctrinam meam audiunt, & huic sese regendos præbent. At qui nam & quales sint Pontifices illi nostri & quotquot ab eorum authoritate pendent, facilè videbunt qui ipsorum mores atq; ingenia propius inspexerint. Non mirum itaque aut insolens est, quòd me persequuntur & doctrinam meam extinctam volunt. Et hic quidem colloquij istius & tractationis sensus est, qua Christus Iesus sibi intentata crimina purgauit, & omnem sui regni conditionem exposuit. Estq; in eius exemplo diligenter obseruandum, quòd etsi mortis supplicium, cui ipsum pater destinauerat, volens subierit, diligentissimè tamen confutat affectati regni calumniam. Non ergo peccant in patientiæ Christianæ leges, qui hodie etiã ad calumnias hostium respondent & ex illis enatas in multorũ animis suspiciones diluunt. Fecerunt hoc olim prophetæ, & quidem magna cum grauitate, vt Eliæ, Ieremiæ, aliorumq; exempla testantur. Idem apostolos etiam & sanctos martyres factitasse scimus. Et vt id fiat interdum opus est. Quia enim in pijs ipsa veritas oppugnatur, adeoq; per illorum latus ipse Christus petitur, cuius regnum & doctrinam impij euertere student, cauendum omnino est, ne illa propter nos in suspicionem veniat, & cùm ad omnia ferenda nos paratos esse deceat, nihil tamen patienter ferri debet, quod cum gloriæ Christi & publicæ salutis detrimento est coniunctum. At quia de his dicendi locus sæpe occurrit, nunc quod præcipuum huius tractationis caput est excutiendum erit, vt regni Christi conditionem probè cognoscamus.

Hic autem primò obseruari debet, quòd regnum sibi non obscurè tribuit, & se regem esse disertè fatetur. Talem vbiq; describunt sacræ literæ, & talem ipsa Messiæ vox esse docet. Dauid certè in Psalmo secundo patrem de filio Christo sic loquentẽ inducit: Ego constitui regem meum super Zion montem meum sanctum. Et de ipso intelligi debere, quæ Psal. 45. 72. & multis alijs sub regis persona proponuntur, inde patet, quòd de nullo alio exponi possunt. Qualia sunt: Solium tuũ in sempiternum stabit ô Deus: Ferent montes pacem populo, & colles iustitiã. Timebunt te dum sol & luna lucebunt, in omne æuum. Imperabit à mari vsq; ad mare, & à flumine vsq; ad terminos terræ. Adorabunt eum omnes reges, omnes gentes seruient ei. Nomẽ eius perpetuò celebre erit, dũ sol luxerit propagabitur nomẽ eius, & beatos se in eo censebũt omnes populi, &c. Et huius generis multa apud prophetas inueniuntur, quæ ne per Hyperbolen quidẽ de vllo quantùmuis victoriosissimo rege possunt intelligi, in Christo autem Iesu verè impleta sunt. In nouo autẽ testamento admodum memorabile est, quod archangelus Gabriel virgini matri de illo dicit: Dabit illi Dominus Deus solium Dauid patris sui, regnabitq; super domum Iacob in æternum, & regni eius non erit finis. Adde his quod iam discessurus è terris dixit: Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra. Non autem ista inanibus modò titulis de Christo prædicantur, sed idem ille omnia boni & fidelis regis officia sedulò

Christus Rex est.

obit atque exequitur. Suos enim ex pestifera diaboli tyrannide asseruit, iisdem leges dedit veri
tiferas, suos item tuetur, donis ampliss. ornat, & olim iudex omnium hominum in nubibus
veniet, vt singulis digna factis ipsorum præmia retribuat. Verè ergo rex regum est Christus, & do-
minus dominantium. Multùm autem prodest talem agnoscere, inq; eius contemplatione indefes-
ter versari. Ita enim aduersus regum huius seculi minas atque conatus confirmabimur, & quas
pericula intrepidi sustinebimus. Cur enim reges mortales metuant, qui Christo rege nituntur, cui
quem cœli & terræ est imperium? Deinde in tentationibus & in extremo mortis articulo hoc nobis
consolationem dulcissimam affert, si nos regem in cœlis habere cogitemus, qui nos & hîc tuetur, &
quando ipsi visum fuerit in regni sui consortium recipere possit. Latroni certè olim hoc vnicum fi-
tis præsidium fuit, quòd in cruce pendenti dicebat, Memento mei Domine, cùm veneris in regnum
tuum. At quantò maiori cum fiducia nos dicere possumus, Memento nostri Domine, qui deuicta
morte & inferis iam in cœlis regnas? Rursus plurimùm momenti hoc ad vitæ morumq; innocentiam
conferet, si nos nos in tanti regis conspectu viuere cogitemus, quem nihil latet, & ad cuius tribunal
omnes olim sisti oportebit.

Quale sit Christi regnum.

Secundò quale sit Christi regnum scire oportet. Id verò ipse ex hoc mundo esse negat. Vbi ob-
uabis, eundem non negare regnũ suum in hoc mundo esse. Est enim (vt modò diximus) illi data po-
testas in cœlo & in terra, & eundem suæ ecclesiæ regem esse constat, quæ in terris hisce peregrinatur.
Quin in eo elucet inuicta regis nostri potẽtia, quòd in hoc mundo sibi inimicissimo, & (vt Dauid va-
ticinatus est) inter medios hostes regnum obtinet. Quàmuis autem in mundo regnum habeat, illud
tamen non est ex hoc mundo, id est non mundanum aut terrenum est, neque ea est illius, quæ re-
gnorum huius seculi, conditio. Illa enim suã habent initia & terminos, adeoq; certus quasi vitæ
oriuntur & occidunt: at Christi regnum æternum est, vt modò ex Gabrielis archangeli verbis
dicimus. Deinde regna huius mundi humanæ prudentiæ consilijs gubernantur, illud autem Euan-
gelij doctrina regitur, quæ mundo extrema stultitia putatur. In mundi regnis tributa, census, vec-
galia colliguntur, at nihil horum à suis Christus exigit. Illa splendore externo, aulicorum amicorũ
cultu & insano strepitu suam maiestatem ostentant: in Christi autem regno sub crucis vexillo hu-
pertas & humilitas triumphant. Illa armis propagari & defendi solent, hoc verbi prædicatione, Spi-
ritus virtute & sanguine martyrũ retinetur. In illis si quid periculi imminet, omnes arma sumunt,
quibus regem suum tueantur: sed in Christi regno fidei constantia & patientia vincitur. Imò hinc
hîc infelix hominum peruersitas, qui cùm pro rebus leuissimis quotidie inter se digladientur, nihil
Christi causa tuenda ignauissimi sunt & omne periculum detrectant. Vides ergo non temere à Chri-
sto dictum esse, quòd regnum ipsius non sit ex hoc mundo. Seruit autẽ hæc consideratio multum
nostræ institutioni. Primò enim admonet, ne sub Christi & religionis Christianæ prætextu hui
mundi bona quæramus, qualia sunt opes, honores, magnatum amicitiæ, & quæ horum similia hab
tur, sed potius ad crucem ferendam nos præparemus. Nam vt Christi regnum non est ex hoc mu
do, ita non ex mundo sunt amplius quotquot illum vera fide amplexantur. Quò etiam referri de
quod Capite decimo quinto dixit discipulis: Si de mundo fuissetis, mundus quod suum est amar
quia verò de mundo non estis, sed ego elegi vos ex mundo, propterea odit vos mundus. Deinde
mur non indignius ferre, si in persecutionum periculis neminem habeamus, qui causam nostra
dam suscipiat, vel etiam ab ijs deseramur, qui hoc nobis ex officio debebant. Idem enim regi &
mino nostro Iesu Christo accidit, quem vnus ex discipulis prodidit, alij verò in periculo confessio
deseruerunt, & cui præses Pilatus suum quoque patrocinium negauit, ne Iudæorum odium incur-
ret, vt suo loco videbimus. Imò qui hostes Christi nuper cohorte militum munierat, qui illos in ea
piendo iuuarent, nunc officij sui immemor legum & publici iuris præsidiũ innocenti negat. Quod
tem hinc phanatici quidam colligunt, nefas esse religionem & ecclesiam Christi armis tueri, nimis
surdum est. Nec enim hîc docet Christus quid fieri aut non fieri debeat, sed quid facere soleant pi
runq; homines exponit. Neq; hinc generalis doctrina peti debet, quæ magistratus prohibeat milite
defensionem suscipere. Quia enim Christus horam adesse sciebat, qua ex æterno patris decreto mo
retur, & suæ mortis merito genus humanum redimeret, impium fuisset contra patris decretum a
morum præsidio aut etiam legitimi magistratus patrocinio uti. Quæ etiam causa est, quòd cùm Pe-

latum initiò sibi satis æquum & ad se defendendum propensum videret, eius tamen opera minimè uti voluerit. Interea autem ratum manet Dei mandatum, quo ille reges & principes ecclesiæ nutritios constituit, & eosdem iubet, vt filium exosculentur atque debitis officijs colant. Neque Pauli factum spiritus sanctus damnat, qui non semel Romanas leges adduxit, vt seipsum aduersus vim iniustam defenderet, imò centurionis & tribuni opem postulauit, armatoq; militum præsidio se defendi passus est contra eos, qui in ipsius mortem coniurauerant. Non debet ergo exemplum Christi extra suum statum detorqueri, sed ea in illo obseruari debent, quibus in fidei obedientia & patientia Christiana confirmemur. Et si quando pericula imminent, Deo nos cõmittamus, qui si ita opus sit, facilè excitabit aliquos, qui nos & publicã fidei causam tueantur: quod olim eũ fecisse, Constantini Theodosij & similium historiæ docent. Quòd si nullos ex hominibus det nobis vindices atq; tutores, tunc huius dicti memores non offendamur, feramus autem patienter mundi totius perfidiam, quam olim ipse Dei filius propter nos perpessus est: & interea soletur nos, quòd etsi nos solos relinquat mundus, soli tamen non sumus sed Deum habemus protectorem, qui nos supra vires tentari nõ sinet. Habet præterea hic locus dulcissimam consolationem, qua fidem nostrã in publicis & vniuersalibus persecutionum periculis confirmemus, si quando totus mundus in nostram perniciem conspirauisse videtur. Quia enim regnum Christi non est ex hoc mundo, nullis etiam mundi armis expugnari aut euerti poterit: quod multorum seculorum exemplis ita probatum est, vt prolixiori demonstratione nunc non sit opus. Citius certè Solem è cœlo detrahent homines, quàm Christum è throno suo deturbent, in quo illum in æternum vsque regnaturum esse omnes scripturæ testantur. Postremò discimus hic iudicare de Romanis Pontificibus, qui se Christi in terris vicarios esse iactant. Clamat enim hîc, Regnum meum non est ex hoc mundo. Illi verò huius mundi regna sibi vendicant, eadem pro suo arbitrio transferunt, principes ad pedum suorum oscula cogunt, adhæc fastu & magnificentia reges maximos superant, & omne præsidium in armis huius mundi collocatum habent. Non ergo Christi ista, sed eius potius vicarij sunt, qui olim Christo mundi huius regna & eorum magnificentiã ostendens dicebat: Hæc omnia tibi dabo, si prostratus adoraueris me. Quod enim Christus tunc facere renuit, illi sedulo faciunt, dum superstitiones & idololatriam non modò ipsi exercent, verumetiam non sine multa sanguinis effusione tuentur, & quibusuis obtrudere satagunt. Sed de his plura alibi.

Nunc tertium huius tractationis caput videamus, quo Christus sui regni finem indicat. Ego (inquit) in hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, vt testimonium dem veritati. Vbi inquirendum erit, quænam illa sit Veritas, de qua in præsenti agitur. Sunt enim in natura rerum multa veritatis genera: quæ quia non opus habent Dei filio, illud inuestigari oportet, cuius ergò ille in mundum venit. Patebit hoc, si humani generis conditionẽ inspiciamus, quæ nobis ex primo parente quasi hereditario iure obtigit. Quia autem ille per transgressionem peccati mancipium factus est, posteros quoq; omnes sui similes progenuit. Fuimus ergo omnes sub potestate tenebrarum (sicuti de gentibus Paulus scribit) quarum princeps est diabolus, qui ab ipso Christo pater mendacij dicitur. Hîc verò nostri misertus Deus, in ipso statim exordio mundi redemptorem promisit, semen mulieris nimirum, cuius virtute & merito caput veteris serpentis conteri & genus humanum ab interitu asseri oporteat. Quam promissionẽ postea cum patriarchis agens sæpius confirmauit, per Mosem verò typis & figuris innumeris obsignauit, tandem prophetas dedit, qui illa vaticinijs pluribus & copiosis illustrarunt. At quod veteribus promissum & typis seu figuris legalibus adumbratum fuit, hoc in Christo Iesu verè præstitit & reipsa exhibuit Deus, & ita (sicuti primo Capite Ioannes dixit) lex quidem, quæ figuris & vmbris constabat, per Mosem data est, gratia autem & veritas per Iesum Christum facta est. Venit ergo in mundum hunc Dei filius & ex virgine matre homo natus est, vt promissionum Dei veritatem impleret, & promissam humani generis redemptionẽ perageret, nosq; ereptos ex tenebrarũ potestate transferret in regnum Dei, in quo sempiterna veritatis lux animos irradiat. Et ne tantum beneficium nobis ignotum esset, insuper de illo publicè doctrina simul atque miraculis testari debuit. Ideo se ad euangelizandum quoq; venisse dicit: quod vt ipse fideliter fecit quàm diu in terris versatus est, ita deinde apostolos emisit, qui hanc æternæ veritatis doctrinam toti orbi prædicarent. Debet huc referri quod Ioannes in Canonica sua Capite quinto scribit: Scimus quod filius Dei venit, & dedit nobis mentem, vt cognoscamus illum qui verus est. Item illud Pauli

Finis regni Christi.

ad Ephesios quarto: Vos non ita didicistis Christum, si modò eum audistis et per eum edocti fuistis, sicut est veritas in Iesu: Nempe deponere quod ad pristinam conuersationem attinet veterem illum hominẽ, qui deceptricibus cupiditatibus corrumpitur: renouari verò spiritu mentis vestræ, etc. Et hoc illud mysterium est, quod à seculo absconditum nouissimis demum temporibus reuelari debuit, vt non vno loco Paulus apostolus annotat. Facit autem hoc plurimùm ad nostræ salutis certitudinem. Est hæc fundata in promissionibus Dei patris, testem verò vel potius executorem habet Dei filium Iesum Christum, qui ipsissima est veritas & vita. Nunquam ergo fallentur, quicunque illum amplexi fuerint, & quàmuis aduersa multa sustineant, certa tamen & inconcussa stabit salutis fiducia, quæ æterno Dei filio nititur.

Ciues regni Christi.

Restat postremum caput, quo regni sui ciues Christus describit sic dicens: Omnis qui est ex veritate, audit vocem meam. Ex veritate sunt electi, quos alibi Dei filios scriptura vocat. Ideo supra Christum dixisse audiuimus, Qui ex Deo est, verba Dei audit: quibus verbis omnino consentit quod hîc dicitur, & quod alibi de ouibus vocem eius audientibus habetur. Ioan. 10. Ita autem in præsenti loquitur, vt ostendat nos ad tantam dignitatem non proprijs viribus aut nostrapte industria ascendere, sed regeneratione opus esse, cuius semen est (vt Petrus scribit) æternum illud & immortale Dei verbum, quo veritas æterna nobis prædicatur. Obseruauit hoc diligenter D. Augustinus, cuius verba recitare non pigebit propter eos, qui nos hodie nouum quid & antea inauditum dicere putant, quando salutis humanæ fontes in sola Dei gratia monstramus, qui nos absq; vllo nostrorum operum respectu elegit priusquã mundus hic crearetur. Audiant ergo isti Augustinum in hoc Christi verba sic scribentem: Gratiam commendauit, quæ secundum propositum vocat: de quo proposito dicit Apostolus, Scimus quòd diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, his qui secundùm propositum Dei vocati sunt: propositum scilicet VOCANTIS, non VOCATORVM. Quod alibi apertius ita positum est: Collabora euangelio secundùm virtutem Dei saluos nos facientis & vocantis vocatione sua sancta, non secundùm opera nostra, sed secundùm suum propositum & gratiam. Nam si naturam cogitemus, in qua creati sumus, cùm omnes Veritas creauerit, quis non est ex Veritate? Sed non omnes sunt, quibus vt audiant veritatem (hoc est, vt obediant veritati & credant in veritatem) ex ipsa Veritate præstatur, nullis procul dubio præcedentibus meritis, ne gratia non sit gratia. Si enim dixisset, Omnis qui audit meam vocem ex veritate est, ideo dictus ex veritate putaretur, quia obtemperat veritati. Non autẽ hoc ait, sed ait, Omnis qui est ex veritate audit meam vocem: ac per hoc non ideo est ex veritate, quia eius audit vocem: sed ideo audit, quia ex veritate est, id est, quia hoc illi donum ex veritate collatum est. Quod quid est aliud quam DONANTE CHRISTO credit in Christum? Hæc August. qui his verbis non tam suam quàm communem veteris & orthodoxæ ecclesiæ sententiam exposuit. Et huic consentit ipse Dominus, quando salutis nostræ principium in regeneratione constituit, quam nobis oporteat ex superno obtingere. Interim docet nos locus iste iudicare de apertis euangelij hostibus, qui Christi vocem non modò non audiunt, verumetiam hostiliter oppugnant. Non sunt hi ex Veritate, sed ex mendacio, cuius pater est diabolus, & proinde huius ingenium referunt. Quomodo enim lucem veritatis ferant, qui principis tenebrarum filij sunt, & pessimorum suorum studiorum opera tenebris occultare cupiunt? Neminem ergo istorum mores offendant, soletur nos potius quòd hoc nunquã impune facient, & olim, velint nolint, audire cogentur Christi vocem, qui illos æternis inferorum suppliciis addicet. Nos autẽ diligenter obseruemus, quid ab ijs requirat Dominus, qui regni sui ciues esse & illius priuilegijs frui volunt. Audiant vocem eius in euangelio sonantem: neq; audiant modò, sed audiant credant, & veritati dent testimoniũ. Fiet hoc si illum publicè fateantur eum esse, in quo veteres typis cum prophetijs & promissionibus salutis impleti sunt, regem item & sacerdotem ecclesiæ vnicum, seruatorem & mediatorem, qui solus nobis ad thronum gratiæ aditum parauerit. Hæc autem non verbis modò profiteri, sed per fidei obedientiam reipsa testari oportet, dum vitæ nostræ actiones omnes secundùm doctrinæ & præceptorum eius regulam instituimus. Ita fiet, vt sub Christi Iesu regis nostri protectione vitam in hoc mundo tranquillam viuamus, huius autem cursum emensi ecclesiæ regni hæreditatẽ accedamus. Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

Ho-

HOMILIA CLXIIII.

Dicit ei Pilatus: Quid est ueritas? Et cùm hoc dixisset, rursus exiuit ad Iudæos, & dicit eis: Ego nullum inuenio in eo crimen. Est autē consuetudo uobis, ut unum dimittā uobis in Pascha. Vultis ne ergo dimittam uobis Regem Iudæorū? Clamauerunt ergo rursum omnes, dicentes: Non hunc, sed Barrabam. Erat autem ille Barrabas latro.

QVoniam omnes prophetæ Iesum Christum prædicarunt, & hunc regem æternum & inuictū fore docuerunt, non salutare modò, sed necessarium quoq; est, vt qualis sit Rex ille intelligamus, & omnem regni eius statum probè consideremus. Solet enim caro regni & regis mentione audita, mox terrenum quid somniare, & sibi quoad hoc seculum omnia læta polliceri. Quòd si autem spe sua fallatur, offensa de tota salutis per Christum acquisitæ ratione dubitare incipit. Debet ergo diligenter teneri doctrina, quam ipse nuper coram Pilato de regni sui conditione tradidit. Primum eius caput est, quòd regnum suum non sit ex hoc mundo. Ergo non debent in illo quæri bona huius seculi, neque nos offendi decet, si nos propter illud mundo inuisos & exosos esse sentiamus. Deinde fidem eius ostendit, quòd veritatis ergò in mundum venerit: vt nimirum quæ olim Deus promiserat, & quæ typis legalibus fuerunt adumbrata, ipse nobis præstaret, nosque ex regno tenebrarum atque mendacij transferret in regnum veritatis, in quo Deum in spiritu & veritate colamus. Præterea inter cives regni sui eos ascribit, qui ex æternæ veritatis semine renati, ipsius vocē audiunt, et fidem suam officijs obedientiæ testantur. Continentur his ferè omnia, quæ de salutis nostræ negotio dici possunt, & nobis ad hanc consequendā cognitu necessaria sunt. Audiamus nunc, vt hanc doctrinam Pilatus acceperit, & quàm parum ea sit emendatus. Vbi discemus, qui sint filiorum huius seculi mores, & quibus Labiynthis seipsos implicent, qui simplicem veritatis doctrinam sequi dedignantur.

Quòd Pilatum, fuit is quibusdam virtutibus politicis & moralibus præditus, sed quia idem à veri Dei cognitione alienus fuit, nihil apud illum profecit Christi doctrina. Respondet enim. Quid est Veritas? neq; expectato responso Christi, mox se foras proripit, suo nimirum consilio rem hanc executurus, & vt semel abrumpat disputationem, quam ille inextricabilem esse putabat. Vnde apparet, illum non vt disceret quæstionem mouisse, sed quòd Christum contemnendi & ridendi occasionē sibi oblatam arbitraretur in hæc verba erupisse. Vel potius fastidium quoddam & animi indignationem, quæstio hæc & illius subitus ex Prætorio exitus præ se ferunt. Quia enim se venisse dixerat Christus, vt veritati testimonium ferat, neq; alios hoc eius testimonium audire, quàm qui ex veritatis verbo renati sunt, facilè intelligit Pilatus, totum mundum ignorantiæ & errorum atq; mendacij damnari, Christum verò sibi hoc tribuere, quòd veritas per ipsum illucescere debeat, & quòd in erroribus & mendacijs pereant, quotquot ipsum non audiunt. Dolet igitur istud animo ambitioso, & simul hanc veritatis professionem prophano contemptu ridet. Itaq; sic dicere videtur: An ergo us solum veritatem nouisse putas? an solus tu sapis, & reliquis omnibus in errorum caligine constitutis solus quod verum est vides? Quid verò abs te stultius fieri poterat, quàm tale quid tibi arrogare, & insuper propter veritatis professionem teipsum omnium odijs exponere & tantum periculum subire? Quis enim de veritate certiorem te reddet inter tot tamq; diuersas de Deo & eius cultu deq; summo hominis bono sententias, quibus mundus hic scinditur? An nescis omnium sectarum duces veritatis notitiam profiteri, & alios pro cæcis & ignorantibus contemnere? Vel, an tibi non satis est, Iudæos diuersam à reliquis gentibus religionis formam sequi (quod illis hucusque per Romanos ex priuilegio quodam licuit) nisi tu nouæ sectæ author sis, qua & illi & gentes omnes damnentur? Quin potius omissis hisce cogitationibus, eam sequeris cultus diuini formam, quam inter tuos vulgo receptam esse vides, & quæ nullo cum periculo coniuncta est? Hic mihi verborū Pilati sensum esse, & hæ in prophano animo cogitationes obortæ fuisse videntur cùm ista diceret.

Pilatus Veritatis mentionem indignè excipit.

Admonemur nos hoc exemplo, vt veritatis doctrina affici soleant filij huius seculi, quos Dei spiritus nondum illuminauit. Sentiunt quidem illius aculeos in corde suo, & suos errores atq; ignorantiā perstringi intelligunt. Ea enim veritatis vis est, vt illis inuitis quoq; & reluctantibus animos pe-

Vt ueritatis doctrina filij huius seculi afficiantur.

netret, & vitia quæ diu latuerunt arguat. Illi verò aut superbi nimis ignorantiam suam, cuius probè conscij sunt, nolunt argui, multò minus eam fateri volunt: aut toti carnis & huius mundi dijs addicti vel immersi, omnes de religione disputationes superuacaneas esse arbitrantur, et ideo tremæ stultitiæ eos accusant, qui propter illam cum aliquo contendunt, aut periculum aliquod causa subeunt. Vtrinsq; generis exempla passim occurrũt. Scimus enim inter gentes, eos, qui rectiores erant, Apostolis & horũ successoribus hoc argumento imprimis sese opposuisse, quòd ipsis dum & impossibile videretur, maiores ipsorũ tot seculis errauisse, & eam religionẽ falsam esse, orbis totius cõsensu probaretur, & quam Dij ipsi (quemadmodũ ipsi loquebantur) fauore suo et finitis beneficijs confirmassent. Hinc illi Ephesiorũ clamores pro sua Diana aduersus Paulum nantium. Hinc etiam sua argumenta petierunt Demetrianus, Symmachus & alij horũ similes, bus à Cypriano, Augustino, Ambrosio et alijs patribus grauiter responsum est. E cõtra qui aequo & animo moderatiori erãt, illis ridiculũ videbatur propter religionẽ tumultuari, et Christianos propugnatores cõmiseratione potius quàm supplicio dignos putabant, qui sua opinione decepti incerta & dubia sese omnium odijs & tantis periculis exponerent. Ex horum numero post Festus fuit, qui Paulo de fidei mysterijs & Christi morte atque resurrectione coram Agrippa concionanti occlamabat: Insanis Paule, multæ te literæ ad insaniam conuertunt. Talis etiam nius Secundus fuisse videtur, cuius ad Traianum Imperatorem epistolæ extant, quibus de Chri norum innocentia, quoad crimina quæ illis aduersarij obijciebant, testatur quidem, de ipsorum religione & fide satis contemptim loquitur, vt in homine ingenij humanioris animum tamen num facilè agnoscas. Similiter quotquot ex philosophis meliores & modestiores reliqui fuerunt, Christianos risu potius quàm odio prosequendos putarunt: quàmuis ex his quidam ad maiorem pietatem tandem progressi non abstinuerunt à conuitijs: ex quorum numero Lucianus ille impius omnis religionis insectator fuit. Hodie autem vtrumq; hoc genus hominum vbiq; audiuntur enim veteres superstitiones propugnare et mordicus retinere instituerunt, bi tam seipsos quam res nostros alicuius erroris insimulari iniquissimè ferunt, & ne ignorantes videantur, scripturas oppugnant: quasi tolerabilius sit in illis loquentem spiritum sanctum reprehendere, quam manifestos & longo vsu confirmatos errores fateri. Alij verò, qui omnem religionis sensum tam ex animis suis eiecerunt, non nos modò stultitiæ damnant, qui propter incertas opiniones cum litem suscipiamus, sed impudenti scurrilitate Dei verbũ eludunt, scripturarum fidem eleuant, inferos simul & cœlos cumque his omnem vitæ futuræ spem apertè negant. Et hos quidem omnes veritatis cognitionem venire impossibile est &c. Quia enim Christus humilium est doctor, qui eius magisterio animis contritis subijciunt, tales in suam scholam non admittit: quin potius & iusto iudicio excæcat, vt in suis illis persuasionibus malè pereant, vt digni sunt. Discant singuli sibi cauere, neque audiant eiusmodi hominum rationes, quas ex carnis sensu proferunt, enim propter varias & diuersas de religione hominum sententias nihil illa incertius esse videtur.

Christianæ religionis certitudo.

Christiana autem religio sapientibus huius seculi putetur absurdissima esse, eò quòd in homine crucifixo stem salutis collocet, eadem tamen nihil certius aut infallibilius inuenietur, si rem probè inspiciamus. Nititur enim æterno Dei decreto, qui hanc salutis humanæ rationem stituit, priusquam mundi fundamenta iacerentur. Testimonium verò habet in scripturis quarum veritas & fides infinitis argumentis probari potest &c. Conueniunt enim cum natura lus & communi sensu, quæcunque in illis traduntur. Eadem historiam totius mundi à prima rerum origine continent certa temporum ratione & serie confirmatam: qualis apud nullos scriptores habetur. Promissiones verò & prædictiones nemo potest in dubium vocare, cum impletæ sint, & ex ijs certum possit sumi argumentum de reliquis, quæ de fine mundi, mortuorum resurrectione & reliquis prædicta sunt, quæ suo etiam tempore complebuntur. Quibus omnibus cedit Dei Opt. Max. authoritas, qui libros scripturæ sacræ in hunc vsque diem admirabili filio seruauit, & in omnes linguas transferri curauit, vt nullis vnquam tyrannorum conatibus tuerint aboleri. Atqui omnes isti consensu vnanimi de Christo Iesu testimonium ferunt, & humani generis vnicum redemptorem esse docent. Quòd si signa quæras, nullum maius Etrinæ genus tam multis tamque euidentibus & ab omnis doli suspicione alienis confirmatum

quæ

quàm nostrum hoc, quo fides in vnũ Iesum Christum traditur. Et vt multa omittamus, quæ à Christo in terris agente & ab Apostolis horumque successoribus cum totius orbis admiratione facta sunt, quis non diuinæ virtutis opus in eo agnoscat, quòd religio nostra inter multiplices hostium astutissimorum insidias & nefarios tyrannorum crudelissimorum conatus mirabiliter conseruata est in hunc vsque diem, & hodie etiam magis atque magis indies propagatur, multùm reluctantibus ferè omnibus, qui in mundo potentia & existimatione præclari habentur? Neminem ergo impiorum hominum ludibria & sophismata moueant, quibus illi nostræ religionis fidem eleuare conantur. Sentient illi aliquando magno suo malo, quæ sit Veritas illa, quam nunc odiosè & scurriliter nimis proscindunt.

Redeamus nunc ad Pilatum, qui etsi animo à religione alieno sit, Christum tamen commiseratione potius quàm supplicio dignum existimat, & proinde eius seruandi consilium inire incipit. Quia verò vulgi furorem accensum videt, periculum autem nullum subire decreuit pro salute hominis innocentis, non legibus aut iure agit, neque authoritatem suam qua decebat grauitate interponit, sed ad artes conuertitur, quibus populi inuidiam atque odium declinet. Et primò quidem (vt Lucas annotauit) cùm Galilæum esse comperisset, ad Herodem regem Galilææ, qui tunc ob festi celebritatem Hierosolymis agebat, eum transmittit. Vbi nouam actionem aduersus eum sacerdotes instituunt, non autem maiori cum successu, quàm prius coram Pilato fecerant. Nam Herodes quoq; nihil in eo deprehendit, quod supplicium mereatur, & quàmuis ipse etiam risu dignum iudicet eũq; turpiter illudat, non tamen sine luculento innocentiæ testimonio ad Pilatum remittit. Qui primum conatum non successisse videns, ex re præsenti consilium petit, cuius hîc fit mentio. At quia eius rationem in Marco iam ante exposuimus, eandem hîc repetere non est opus. Obseruemus nunc, Pilatum, dum artibus potius quàm legibus agit, nouum iniustitiæ exemplum edere. Quem enim innocentem esse sciebat, non absoluit, sed cum alio facinoroso & scelerato homine confert, vt vulgi fauore atque beneficio seruetur, quem non putabat adeò impudentem fore, vt latronem innocenti & optimè de multis merito anteponeret. Quid enim hoc aliud erat, quàm insontem publica ignominia notare? quod viris grauibus & honestis supplicium est ipsa morte acerbius. Solet ita euenire ijs, qui in officio faciundo minus fortes & constantes sunt: vt nimirum leuius peccatum fugiendo in grauius incidant. Et simul in Pilato exemplum proponitur, in quo principum & magnatum mores agnoscere discamus. Habent illi interdum aliquam veritatis lucem, & quid ipsos facere decet probe norunt. At ijdem veritatem non tanti faciunt, vt pro illius sectatoribus aliquem laborem aut periculum suscipere velint, quæ causa est, quòd suo patrocinio eos destituunt, qui illo maximè opus habebant. Estq; hoc magnum peruersi ingenij argumentum, quòd qui propter res nullius momenti seipsos & suæ fidei concreditos quotidie nouis laboribus & periculis implicant, ferè ignauissimi sunt, si quid pro religione & iustitia, vel etiam pro publica salute est audendum. Et hoc ingenio Pilatum præditum fuisse, multa eius facta testantur. Quàm facilè enim Iudæos contempserit, ex eo apparet, quòd Galilæos inter ipsa sacra aggressus, sanguinem illorum cum victimarum sanguine miscuit, quòd item Cæsaris imagines in templo collocans seditionem excitauit, quæ multo exitio & mox alterius quoque motus author fuit, quando pecuniam sacram in aquæductum insumpsit. Quid? quòd in hac ipsa actione sibi non temperat à petulanti Iudæorum irrisione, quando Iesum subinde illorum Regem dicit, cuius odio illos tam ardenter flagrare videbat. Nunc autem cum de hominis innocentis salute agitur, neminem illorum offendendum esse putat, & hoc quasi beneficio reliquas iniurias sarcire decreuit. Fiunt huius generis multa inter huius seculi magnates, qui non rarò bonorum virorum capitibus perinde vt talis aut tesseris ludunt, vt sibi inuicem rem gratam faciant. Sic olim in Romana republica libertatis patriæ oppressores Triumuiri, Augustus, Antonius & Lepidus, amicorum indignis cædibus inter sese amicitiam sanciuerunt: quando Augustus Antonio Ciceronem, Antonius vicissim illi Lucium Cæsarem auunculum necandum concessit, à Lepido autem Paulus frater ad necem traditus fuit. Et hodie huius generis exempla multa passim eduntur, quando Euangelij ministri vel carceribus mulctantur, vel in exilium relegantur, aut etiam capite plectuntur ab ijs, qui veritatis non omnino ignari sunt, pacem verò huius seculi & impiorum amicitiam illi præferunt. Vides ergo in magistratu non sufficere multarum re-

Pilatus non iure, sed artibus agit.

rum cognitionem & animi prudentis industriam, sed ingenti iustitiæ studio & fortitudine opus esse, ne improborum furoribus facilè terreantur atque succumbant. Ideò Dominus per Iethronem illum sapientissimum Madianitarum monebat olim, vt iudicijs publicis præficiantur viri virtutis (vt Hebræi loquuntur) id est, strenui & fortes, qui laboribus simul atque periculis frendis possint sufficere. Vehementer autem confirmabuntur iudices, si cogitent summum iudicem præsidem esse Deum, qui vt se inter illos medium versari profitetur, ita non deserit bonos, quicium suum fideliter faciunt, punit autem omnes qui ius publicum euertunt, siue id ex ignauia aut aliquo affectu improbo faciunt. Vide Psalmum 82. Meminerint item nihil profici arbitrio consilijs, quæ contra leges instituuntur. Nec enim vllis consilijs flecti possunt, qui animos suos uersus iustitiam & veritatem obstirmauerunt, ideoq; illos legibus & authoritate publica in ordinem redigi necesse est.

Iudæi Barrabã latronem præferunt Christo.

Patet hoc ex euentu consilij istius, quo Pilatus Christum seruare voluit. Vbi enim Iudæi illum cum Barraba conferri, sibi autem quem vellent seruandi potestatem dari vident, mox vnanimes omnes conclamant, & Barrabam quidem sibi donari petunt, Iesum verò ad immane crucis supplicium postulant: quod ex suggestione sacerdotum factum fuisse, alij Euangelistæ scribunt. Effugio iniquarum compositionum exitus est, vt impijs impune euadentibus pij plectantur. Maxime plerunque eorum est numerus, qui affectibus suis ducuntur, quàm qui quod rectum & æquum animo syncero videant. Nihil ergo à magistratu inconsultius fieri potest, quàm si multitudini imperitæ iudicio & voluntati permittat, quod ipse pro sua authoritate deberet decernere. Id enimuero inde est, ac si pater liberorum arbitrio se & familiæ gubernationem permittat, aut equis ad cursum pronis atque lasciuientibus habenæ laxentur. Imprimis autem memorabile est leuitatis & inconstantiæ exemplum, quod in populo Iudæorum proponitur. Qui enim tot tantisq; beneficijs à Christo ornati fuerant, & non semel illi dederant luculentum veritatis testimonium, nunc omnium ore eum ad mortem deposcunt, imò latronem sanguinarium & hominem seditiosum illi præferunt. Et hoc atrox illud facinus patratum, quod illis postea (vt Actorum tertio Capite Lucas scribit) Petrus grauiter exprobrauit, & cuius recordatione quidam toto corde compuncti fuerunt, quos vero Dei timore spiritus sanctus afflauerat. Agnoscunt hoc in illis plerique, & eos quouis supplicio dignos fuisse iudicant. Sed quàm multos hodie est inuenire, qui eodem cum illis reatu tenentur? Quid enim aliud faciunt, qui vt impiorum Christi hostium amicitia possint frui, fidem in illum vel tacendo dissimulant, vel apertè negant? Quotquos item ab eius ecclesia potius discedere, quàm scorta, aut infamem, vsurarias artes, militiam mercenariam, imposturas, & alia teterrima flagitia relinquere volunt? Seipsos igitur inspiciant, & suos mores emendent, qui Iudæorum ingratitudinem pessimam fuisse intelligunt. Deinde ipsum Christum considerare oportet, qui hoc modo extremis humiliatus, & (vt Isaias prædixerat) nouissimus virorum factus est. Id verò exigebat nostra redemptionis & salutis ratio, vt nimirum Christi humiliatione expiaretur peccatũ, quod primi parentes inuexerant, quando diuinitatẽ superbè affectarunt. Hoc autem omne ad suam institutionem & consolationem singuli transferant. Et primò quidem superbiam abominentur, ne fastu suo Christum conculcare, & illi suam ignominiã exprobrare videantur, quam ipse propter nos subire dignatus est. Soletur præterea nos Christi exemplum, si quid simile nobis accidit. Quod enim primo intuitu ignominiosum videri poterat, id reuera ad Christi gloriam plurimùm contulit. Noluit enim illum tam iniquo pretio redimi pater, vt instar malefici alicuius ex gratia vulgi seruaretur, qui maiori cum gloria innocens damnari poterat. Præterea hac ratione Christus exaltatus, & in patrij glorię ingressus est: quod fore olim prophetæ prædixerant. Est eadem planè piorum ratio. Habent enim suæ pietatis testimonium ab impio mundo, qui eos persequitur: & ita ad gloriam illis cedit, quod per se ignominiosum videbatur. Huius autem seculi ignominia ijsdem ad cœlestem gloriam adiumento nit: dum interea impij ex superbo gloriæ huius mundi fastigio ad inferos deturbantur. Simus ergo fortes in Christo Iesu, qui & in huius vitæ palestra certantes seruabit, quoad nobis salutare fuerit, olim verò huius seculi mala æternis & cœlestibus bonis compensabit. Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

CAP.

CAPVT XIX.

HOMILIA CLXV.

TVnc ergo accepit Pilatus Iesum & flagellauit. Et milites coronam è spinis plexam imposuerũt capiti eius, & pallio purpureo circundederunt eum. Et dicebant, Aue rex Iudæorum: & bacillis eum cædebant. Exiuit ergo rursum Pilatus foras, & dicit eis: Ecce adduco eum uobis foras, ut cognoscatis quòd nullum in eo crimen inuenio. Exiuit ergo Iesus foras ferens spineam coronam & purpureum pallium, & dicit eis: Ecce homo. Cùm ergo uidissent eum principes sacerdotum & ministri, clamarunt dicentes: Crucifige, crucifige. Dicit eis Pilatus: Accipite eum uos & crucifigite: ego enim non inuenio in eo crimen.

QVoniam mundus hic pro corrupto suo ingenio lucem veritatis odisse solet, paucos in illo est inuenire, qui veritatis ministros & iustitiæ studiosos suo patrocinio subleuent, & vt par est, tueantur. Etsi enim non desint, qui veritatis doctrinam intelligant, & quid facto opus sit nouerunt: quia tamen (vt Comicus ait) Obsequium amicos, veritas odium parit, huius patrocinium aut omnino deserunt, aut illud frigidè nimis suscipiunt, & ne quem offendant, artibus & mirificis tergiuersationibus vtuntur, vbi constantia & serio studio quàm maximè opus erat. Quæ causa est quòd pij ferè opprimuntur, & causis suis cadunt apud eorum quoque tribunalia, qui iustitiæ publicæ studiosissimi videri volunt. Exemplum huius rei euidens in Pilato proponitur. Noverat is Christum innocentem esse, & certis argumentis iam compertum habebat: sacerdotes iniquo odio & inuidia agitatos hanc aduersus illum actionem instituisse. Sciebat item sui officij esse innocentem tueri, iniuriam omnem prohibere, & iudicia publica sanctè administrare. At quia causam hanc cum multo odio coniunctam esse videt, nullum pro innocente periculum subire vult, & quàmuis seruatum cupiat, non tamen recta via ingreditur, sed ex carnis consilio rationes subinde nouas & iniquissimas excogitat, vt inuidiam omnem abs se deriuet. Primò enim ad Herodẽ regem transmittit, & eo facto, quantum in se est, iunocentem prodit. Deinde cum nouo innocentiæ testimonio adse remissum iniquissima compositione cum Barraba latrone confert, & sic ignominiam illi infert atrocissimam & ipsa morte grauiorem. Sed quando ne hoc quidem consilium succedit, nunc militibus flagellandum & illudendum tradit, quem tueri debebat. Denique quiduis potius faciendum putat, quàm vt pro officio eum absoluat, & contra vim iniustam tueatur. Ita verò dum proximum quodque periculum metuit, nouis subinde laboribus sese implicat, peccatum suum auget, & simul pericula sibi plura & grauiora accersit, quàm si authoritate sua fortiter esset vsus, qua improbos illos Christi accusatores à suo tribunali reijcere & insontem ex illorum manibus liberare ipsi facillimum fuisset. Adeò laboriosa est & infelix seruitus illa, qua hominibus potius quàm Deo gratificari student, qui carnis rationem audiunt & metum aliosue affectus in consilium admittunt, quando veritatis causam ex officio tueri debebant. Rectius autem et maiori cum fructu ista intelligemus ex ijs, quæ deinceps sequuntur. Narrat enim Ioannes quid porrò fecerit Pilatus, quando prioribus istis consilijs se nihil profecisse vidit: vbi multa concurrunt, quæ & eius iniustitiam & Iudæorum crudelitatem arguunt, multa item proponuntur, quæ nos officij admonent, in salutis negotio instituunt, & in aduersis plurimùm consolantur.

Pilatus Christũ flagellandum et illudendum tradit.

Et primò quidem nouum Pilati consilium describitur, qui Iesum acceptum flagellis cædi iubet. Deinde quia regni affectati accusabatur, militibus coronandum & illudendum tradit, vt eum ludibrio potius quàm supplicio dignum esse ostendat. Et hæc illum non sine protestatione fecisse Lucas scribit. Cùm enim de eius innocentia multis testatus esset, subiunxit: Castigatum ergo eum dimittam. Itaque bona fuit Pilati intentio. Sperat enim Iudæorum rabiem hac ratione mitigari, & san-

guinarios eorum animos exatiari posse, ne quid porrò fieri petant. Atqui hoc ipso facto multiplicat peccat. Primò enim iniquum & iniustum iudicem agit, quando ignominiosè flagellat innocentem, & (vt ipse loquitur) castigare iubet eum, qui non castigari, sed defendi debebat. Deinde turpis detestabilis ignauia est, quòd improborum hominum furori tantum indulget, neque authoritatem ad eum reprimendum vtitur. Impiè etiam agit, quòd militibus peccandi occasionem præbet, & plures in sui sceleris societatẽ attrahit. Illi enim (vt solent impij) licentia maiori, quàm iussere in Christum sæuiunt, & petulanti crudelitate nullum ignominiæ genus prætermittunt; nimirum Iudæorum sacerdotibus rem gratam faciant, quibus operam suam locauerant. Non contenti coronam ex spinis contextam capiti illius imposuisse, insuper eum per ludibrium chlamide purpurea & militari vestiunt, in manum verò dant arundinem sceptri loco, deinde cum scurrilis contemptu Regem salutant, bacillis percutiunt & ignominiosè conspuunt. Atqui nihil horum illi facere poterant, si Pilatus officium feciſſet. Neque tamen hîc quoque ille subsistit, sed mox grauiora secuta sunt, vt suo loco audiemus. Nunc quid tam in illo, quàm in militibus & ipso Domino potissimum obseruari debeat, paucis indicabimus.

Pilati imitatores qui sint.

In Pilato exemplũ proponitur eorum, qui aliqua Christi & veritatis cognitione illuminati, non tamen vtuntur Dei dono prout debebant & poterant. Volunt hi nonnunquam Christum in verbo suo & membris suis seruare, sed tunc ferè eum impiorũ ludibrio exponunt, & turpissimè flagellant. Fit hoc circa euangelij doctrinam & externa religionis exercitia: quando aliqua concedunt accipiunt cum Dei verbo pugnantia, vt reliqua retineant, quæ ipsi maioris momenti esse arbitrantur. Ita verò Christi doctrinam fœdè dilacerant, & laniatam impiorum libidini accommodant, quibus plus quiddam audendi occasionẽ arripiunt. Quoad autem membra Christi, non vno modo peccant. Hîc enim reuera Pilatos agunt, qui pios, quos tueri poterant, in hostium gratiam vel infamia qua publica notari, vel fortunis multari, aut etiam in exilium eiici patiuntur. Et hi quidem huius vita hac nihil pretiosius esse putant, egregiè se officio suo functos arbitrantur, si non prorsus occidunant eos, quos sua authoritate tueri debebant. Peiores tamen his sunt, qui hoc ipso præsentium Christi abnegationem cogunt: quasi verò satius sit Christum quàm vitam hanc miseram atque mortalem amittere. Exponunt isti pios ludibrio hostium Christi, qui interea exultant & animos contra veritatem maiores concipiunt, neq; aduersus illam ferocire desinunt, donec pios omnino sublatos extinctos videant. Fit ergo, vt qui Christum in membris & doctrina sua flagellarunt, eundem postremò in crucem quoque suffigere cogantur. Caueant ergo sibi ab ignauis & insidiosis consiliis magistratus, qui Christo nomen dederunt: neque aliquid faciant in hostium Christi gratiam, quo vera confessio aliqua ex parte adulteretur, aut sua pijs libertas eripiatur. Quòd si verò non possint obtinere quod volunt, saltem Iosephum ab Arimathæa imitentur, qui cùm Christi causam in Hierosolymitano senatu tueri non posset, in eius tamen mortem consentire noluit, ipsumque innocentem damnari protestatus est. Debent præterea ex isto exemplo singuli priuatim generalem doctrinam petere, ne quod per se malum esse sciunt faciant, vt inde aliquid boni eueniat. Nisi enim hîc animum probè intendamus, facilè nobis boni specie satan imponet. Peccant igitur, qui vt rei domestice emolumentum (quod per se bonum & sanctum est) militiam mercenariam sequuntur, aut ad impostura artes vsurarias animum appellunt. Peccant similiter, qui in furtis puniendis remissiores sunt, vt latrocinijs committendis detur occasio: qui item scortationem permittunt & lupanaria publica defendunt, vt Sodomiæ & alijs libidinibus illicitus ostium claudatur. Habent isti suas rationes, in quibus sibi mirificè placent: sed firma semperque rata manet Apostoli sententia: Non sunt facienda mala, vt veniant bona. Rom. 3. Neque adeò misera & infelix est iustitiæ & pietatis conditio, vt peccati aut sceleru adminiculis opus habeat. Cumq; Deus leuioribus quoque peccatis suas pœnas constituerit, ista quoque prout par est coerceri debent, ne eorum licentia alicui ad grauiora sternat: quod plerunque fieri videmus, quàm primùm homines sibi aliquid contra Dei legem permittunt.

Non facienda mala, ut eueniant bona.

Milites in Christo Iudæis quoque illudunt.

Deinde in militum actione quædam consideranda veniunt. Voluerunt isti (vt diximus) gratificari Iudæorum sacerdotibus. At quia prophanis animis Deum verum eiusq; sacra contemnunt, sibijpsis temperare non possunt, quin Christo cum publica Iudaici nominis contumelia illudant, Cum enim

enim dicunt, *Aue rex Iudæorum*, non tam Christum deridentes, quàm Iudæis simul omnibus insultant, atq; illis suam de Messia & rege venturo spem exprobrant. Et hoc quidem ab illis patiuntur Iudæi, quorum opera in Christo opprimendo vti voluerunt. Solet hoc ipsum ferè omnibus accidere, qui exterorum ope atque auxilio contra veritatis doctrinam & huius sectatores vtuntur: vt nimirum seipsos simul & communem patriam hostium libidini exponant, & sibijpsis quoq; malum accersant. Vidimus exempla eius rei in nonnullis nostro seculo, qui vt euangelij doctrinam ex Germania eicerent, exteros milites in patriæ communis viscera adduxerunt, à quibus ipsi quoque grauissima quaque passi sunt. Interim in tota hac militū actione apparet, quæ semper in hoc mundo futura sit Christi & regni eius species. Neque enim dubium est, milites hosce communi errore & confidentia deceptos fuisse, vt Romanum Imperium inuictum & æternū putarent. Fuit enim tunc publica hæc persuasio, vt sola Roma Dijs curæ esse crederetur, cuius Imperatores vita defunctos solebant in Deorum numerum referre. Ideo putant illi Christum quauis contumelia & omni illusione dignum esse, qui in Romani Imperij detrimentum aliquid inter Iudæos vel cogitare ausus sit. Itaque in sanguinaria latronum cohorte à turpissimis nebulonibus ridetur, conspuitur & ignominiose vapulat. Solet hoc ipsum hodie etiam fieri. Reges enim suarū virium fiducia ebrij, sese extra omnem fortunæ casum constitutos arbitrantur, neque illis satis esse videtur, si humana omnia pro suo arbitrio vertant, sed in diuinis quoq; omnem sibi potestatem vendicant, & Dei cultum prout ipsis videtur instituunt. Habent autem adulatores suos, qui per se insanientes instigant, & ex illis Semideos faciunt. Itaque variis laudibus ebrij nihil non sibi licere putant: & quia Christum eiusq; doctrinam sibi aduersari vident, illum in suis membris extinctum volunt, & persecutiones instituunt horribiles, vt omnes ab eius professione absterreant. Atqui vinci non potest Christus, cui omnis potestas data est in cœlo & in terra. Interim quasi inter spinas sedet, dum ab omnibus infestatur, ridetur, conspuitur. Et quia vulgò stulti putantur, qui inuitis & reluctantibus magnis illis Monarchis religionis formam propriā sequuntur, passim in illos infelix mundus ludibria sua & conuitia expuit, & omni supplicio dignos iudicat. Gestat ergo adhuc hodie spineam coronam Christus in membris suis, quando quem illum credunt, eius quidem beneficio reges & sacerdotes facti sunt, ijdem tamē mundi iudicio miserrimi omnium mortalium videntur. Sed neminem ista offendant, nec quisquā ideo de Christi regno & potentia dubitet. Nam perijt non multo post Romanum Imperiū, & cùm in Nerone vulnus illud letale accepisset, cuius mentio fit in Apocalypsi, militum fauore in exteros transferri cœpit, tandem verò barbaris nationibus in prædam cessit. Christus autem suum regnum nequicquam reluctantibus Romanorum Imperatoribus per totum orbem propagauit, quod in hunc vsq; diem durat, & perpetuò durabit, neq; eius finis erit vllus, sicuti Mariæ angelus Gabriel promisit. Quod ergo olim in Christi persona accidit, hoc ipsum hodie fieri cogitemus. Agunt quidem triumphos impij, & victoriam penes se esse arbitrantur, ideoq; piorum capitibus petulanter insultant. Sed interea illis foueam parat Dominus, in qua dignas impietatis suæ pœnas exoluant.

Regni Christi species in mundo.

Sed ipsum quoq; Christum videamus, qui cùm ista facilè prohibere posset, propter nos tamen sustinere voluit, vt quod ipsi merueramus supplicium à nobis auerteret. Nam vt Isaias ait, vulneratus est propter transgressiones nostras, & afflictus est propter iniquitates nostras. Omnia itaq; pro nobis suscepit, quæ (vt D. Cyrilli verbis vtar) repulsiuas vires habuerūt, quibus ea repulsa sunt, quæ nobis meritò acciderāt. Meruerat enim primi parentis superbia, qua sese aduersus Deum attollere fuit ausus, vt æternæ damnationis ignominia notaremur. Voluit ergo omne genus cōtumeliæ subire Christus, vt quam ipsi merueramus ignominiā aboleret. Flagellatus ergo iniuria fuit (vt rursum Cyrillus loquitur) vt à vulneribus, quæ iure peccatis nostris perpessi sumus, liberaret. Alapis cæsus & illusus est, vt illusori Satanæ nos illudere possimus, & prævaricationis peccatū fugiamus. Et quemadmodum mors Christi, qui morti non subijciebatur, ad destruendam omniū mortem sufficiebat, sic intelligere ac credere oportet, flagella & dedecora Dominum pertulisse, vt à talibus nos eriperet. Præcipuū ergo in tota hac actione est nostræ redemptionis & salutis mysteriū, quod nos semper ob oculos habere conuenit, vt consolationē ex eo habeamus, quod primo intuitu atrox nimiū & horrendum videtur. At simul de multis alijs obseruatu perquàm necessarijs suo exemplo Christus admonet. Et primò quidem, quia primi parentis superbiam tam atroci filij Dei contumelia expiari

Christus prōpter nos hæc omnia passus est.

oportuit, discimus quàm alieni à fastu & superbia esse debeãt, qui Christi membra fieri & eius mi-
to seruari cupiunt. Qui enim eius nomen profesi luxu & fastu sese ostentant, næ illi parum cogitant,
quanto pretio redempti sint, neq; multùm absunt à militum istorum moribus, dum ipsi etiam Christi
suam illam humilitatẽ atq; propter nos susceptas contumelias quasi exprobrant. At quia de hoc ple-
ra in Marco diximus, consultò hîc breuiores sumus. Deinde vindictæ cupiditatẽ nos restinguere de-
cet Christus, quæ vt omnibus innata est, sic scelera in nobis plurima parit, si illi habenas laxemus.
Facit enim vt aduersus Deum murmuremus, & diris execrationibus illum cupiamus cõtra hos
nostros carnificis munus subire, & quæ illis imprecamur supplicia exequi. In proximum verò nis
non facimus, quod impotens libido & ira effrenis dictat. Causa autem tanti mali est, quòd de nostra
innocentia nimiùm præsumimus, nosq; de illis qui nos lædũt meliora meritos esse putamus. At quam
vanæ sint persuasiones istæ mox patebit, si Christũ intueamur, & nostros simul mores ad verbi diui-
ni regulã examinemus. Fuit ille hominũ innocentissimus, neq; ab iniurijs tantùm abstinuit, verum
etiam in quosuis beneficia contulit innumera. Patienter tamen iniurias & contumelias sustinuit, et
(vt Petrus ait) cùm conuitijs afficeretur non vicissim conuitiatus est. Qua ergo ratione nos exa-
sabimus conuitia & iniurias, quas nobis vindictæ cupiditas extorquet, qui & in homines sæpissime
peccamus, & Dei iram assiduis sceleribus accendimus? Imitemur ergo Iesu Christi mansuetudi-
nem, & ita multis nosipsos curis, laboribus atq; periculis liberabimus, quorum nobis ipsis auctores
sumus, quando cæcis carnis affectibus indulgemus. Postremò martyres suo exemplo confirma Do-
minus, vt impiorum ludibria, contumelias & quæcunq; aduersus illos tyranni crudeles exercent,
patienter ferant, neque suam in hoc mundo conditionem lautiorem esse velint, quàm Christi fuer.
Nam quod ille sæpe monuit, non est seruus maior hero suo. Soletur autem nos inter ignominiosos
mentorum cruciatus gloria, quæ Christi mortem secuta est, vel potius in quam ipse per mortem
gressus est. Vult enim nos ille secum esse, & (vt Paulus scribit) si cum illo affligimur, cum eo
regnabimus: si cum illo morimur, cum eodem etiam viuemus. 2. Tim. 2. Et hæc quidem in primam
huius loci partem dicta sint.

Christus illusus producitur.

Redeamus nunc ad historiam, & videamus quis consilij huius iniquissimi euentus fuerit. Pi-
tus enim Christum flagris concissum, sanguine & sputo fœdatum, adhæc coronam spineam ferreo
& militari veste indutũ ad populum producit, sperans fore, vt miserabili hoc aspectu moueretur.
Quod vt facilius apud eos impetret, rursum de eius innocentia testatur: Ecce (inquit) adduco eum
vobis foras, vt cognoscatis quòd nullum in eo crimen inuenio. Sed & ipse Dominus ad suscitan-
zionem omnes excitans ait, Ecce homo. Quasi diceret, Videte quæso quæ mea sit facies, & quam
perpessus sim, qui propter vos homo fieri dignatus sum. At nihil omnibus istis proficitur apud
tos Christi hostes. Sacerdotes enim cùm ministris hoc viso luporũ instar conclamant, & vt illum
crucis supplicium rapiatur postulant: simulq; suo exemplo populum excitant, vt vna omnium vox
sit, Crucifige crucifige. Vbi rursum illi innocentiæ testimonium Pilatus ferens illorum insanis
palàm accusat, dicens: Accipite eum vos & crucifigite: ego enim non inuenio in eo crimen. Quæ
verbis non quidem illis ipsum crucifigendi potestatem facit, sed vsitata dicendi formula rei indig-
tatem exprimit, & se ab innocentis supplicio toto animo abhorrere docet. Quasi diceret, Si vos
adeo leue facinus videtur insontem occidere, agedum ipsi de hoc crucis supplicium sumite. Ego
hoc nunquam fecero, qui vt ius dicam legesq; bonas tuear in hanc prouinciam missus sum, non vt
straæ libidini aut insaniæ morem geram. Rursum ergo ab homine prophano eorum iniustitia arg
tur, qui veri Dei cultores censeri volebant, imò qui in populo Dei primatum tenebant. Sed in qu
uis supplicio digni, commiseratione autem indignissimi fuerunt, quos neq; tot testimonijs confirma
Christi innocentia, neq; eiusdem miserabilis conspectus mouere potuit, vt crudeles animos exuerent.
Quoties ergo horribilem de istius gentis & vrbis excidio historiã audimus, tunc nobis hæc indolesc
& insatiabilis illorum rabies in mentem veniat, & mox patebit, Deum in illis puniendis non cru-
delem, sed iustissimi iudicis officio functum fuisse. Imò illius gratiã agnoscere cogemur, qui indigna
apostolos dedit salutis præcones, & pœnitentiæ tẽpus concessit, multosq; ad se conuersos benigne
pit. Cæterùm quod præcipuum huius loci caput est, obseruemus in tuenda veritatis causa ani
& consilijs iniquis nihil profici, sed cõstantia & fortitudine opus esse, qua impiorũ ferocia fr
Eam

Ea enim illorum, quæ ferarum aut belluarum natura est. Nam vt hæ non nisi seueriori disciplina cœrcentur, ita qui aduersus Deum semel cristas erigere ausi sunt, nunquã mitescent, nisi se aliqua maiori authoritate premi sentiant. Adumbratur præterea hoc Christi exemplo, quæ piorum & membrorum ipsius in hoc mundo sors sit. Vt enim nulla cõmiseratione ille dignus putatur, sed fœdissimè laniatum ad grauius supplicium Iudæi deposcunt: ita hoc[illegible] in credẽtes immisericorditer & absq; omni humanitatis sensu impij sæuiunt, neq; vllis tormentis pi[illegible]ũ exaturari possunt: adeò vt in vulgo multi carnificibus crudeliores reperiantur, quando diutius excruciari volunt eos, quos illi accelerata morte liberare cupiunt. Sed non dormitat Deus, qui vt olim Iudæorum crudelitatem puniuit, ita procul dubio suorum sanguinem requiret de omnium manibus, qui illam imitantur. Interim Christi exemplo sese consolentur, quicunq; in talium manus incidũt, neq; impatientius ferant, quæ olim Dei filius pro nobis ferre dignatus est.

Porrò nunquam non in auribus nostris sonare debet Christi dictum, Ecce homo: & simul animis semper obuersetur eiusdem miserabilis imago, quam Ioannes singulari diligentia describendã putauit. Admonet enim hæc quanta sit peccati atrocitas, quam nisi rectè agnoscamus, nunquã ad serium pœnitentiæ studium accendemur. Quia enim carni leue videtur peccare, peccati blanditiis facilè admittit, quibus irretiti in grauissima scelera abripimur. At nisi horribilis esset peccati facies coram Deo, nunquã illud tam atroci & miserabili filij Dei contumelia expiari oportuisset. Sufficiat ergo nobis hæc ratio aduersus cupiditatũ illecebras & eorum blandiloquentiam, qui omnem numinis metum nobis excutere & quiduis audendi licentiam persuadere conantur: studeamus autẽ innocentiæ & sanctitati, ne Christi meritum improbè conculcare videamur, dum licenter nimis in quæuis scelera ruimus. Quòd si verò nos interdũ improbo carnis affectu abripi sentimus, non tamẽ idcirco spem salutis nobis excuti patiamur. Sarciet enim defectus nostros Iesus Christus, cuius innocentiã ideo tot argumentis & testimonijs asseri oportuit, vt illum sufficientem pro peccatis nostris victimã esse sciremus. Hunc ergo amplectamur fide cõstanti, qui cum nobis à Deo patre sapientia, iustitia, satisfactio, & sanctificatio factus sit, suo merito solus tueri potest vt iustificati vitam æternã cum illo vinamus. Ipsi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

HOMILIA CLXVI.

Responderunt ei Iudæi: Nos legem habemus, & secundùm legem nostram debet mori: quia filium Dei se fecit. Cùm ergo audisset Pilatus hunc sermonem, magis timuit. Et ingressus est rursus prætorium, & dicit ad Iesum: Vnde es tu? Iesus autem responsum non dedit ei. Dicit ergo ei Pilatus: Mihi non loqueris? nescis quòd potestatem habeã crucifigendi te, & potestatem habeam absoluendi te? Respondit Iesus: Non haberes potestatem aduersus me ullam, nisi tibi datum esset supernè: propterea qui me tradidit tibi, maius peccatum habet. Ex eo quærebat Pilatus absoluere eum. Iudæi autem clamabant dicentes: Si hunc absolueris, non es amicus Cæsaris. Quisquis se regem facit, contradicit Cæsari.

Passionis dominicæ historia non modò redemptionis nostræ mysterium continet, vnà cum multis aliis, quæ ad nostram institutionem atq; consolationem faciunt: verumetiã hostium Iesu Christi exemplo docet, quo ingenio & quibus moribus præditi sint omnes, qui euangelij doctrinã extinctam & Christum in membris suis oppressum volunt. Cõstat autem inter illius hostes primatum tenuisse sacerdotes, quos priuati commodi studium & ambitio extimulauit: ijdem verò Rempub. & Dei gloriam impijs suis conatibus prætexuerunt. Accessit his Pilatus præses Romanus, qui rem omnem statim olfecit, & illos quidem ex inuidia actionem istam suscepisse, Christum verò innocentẽ esse inuexit: sed idem non voluit periclitari propter illum, ex quo nullum commodum sperare poterat. Qua causa est, quòd neque legibus agit, neq; suam authoritatem qua decebat constantia interponit,

sed ad artes & consilia insidiosa conuertitur, de quibus nuper est dictum. Solet hoc ipsum etiam hodie fieri. Præcipui enim syncerioris de Christo doctrinæ hostes sunt purpurati præsules, qui omnem in ecclesia Dei potestatem penes se esse volunt. Non alijs autem causis hi quoq; mouẽtur, quàm quæ olim Iudæorum sacerdotes aduersus Christum excitarunt: quas tamen simili etiam fuco ornare & tegere nouerunt. Et quàmuis non ignorent pleriq; ex principibus, quales illi sint, quia tamen ijdem ferè à religione alieni sunt, stultum illis videtur propter hanc controuersiam periclitari, aut labore aliquos suscipere. Itaq; causam hanc aut omnino à se reijciunt, aut eam ignauiter & fraudulenter agunt, ne aliquem offendant, cuius amicitiam sibi vtilem esse arbitrantur. Tunc verò eorum nos meminisse decet, quæ olim cum Christo acta sunt, ne similibus offendamur, interim verò salutis spem in Domino firmam & inconcussam teneamus, cuius decreta rata erunt semper, vtcunq; mundus hoc cum suo principe ferociat. Et huc præsens etiam locus referri debet, in quo rursus multa concurrunt, quæ nos cautiores reddere & de multis cognitu necessarijs edocere possunt.

Iudæi Christum læsæ maiestatis dininæ accusant.

Iterum autem primi prodeunt Iudæi, qui cùm crimen regni affectati nullis argumentis probare posse, à Pilato autem derideri, atque insuper Christi innocentiam subinde magis patefieri videant, nouam aduersus eum actionem instituunt. Accusant enim impietatis aut læsæ maiestatis diuinæ, quòd se filium Dei dixerit, & ita diuinos honores sibi vsurparit. Et quia sciebant Pilatum vnicuique illius atque veri Dei rationem non vsq; adeò magnam habere, leges suas vrgent, quas illis Romani hucusq; saluas reliquerant. Dicunt ergo: Nos legem habemus, & secundùm legem nostram debet mori, &c. Quasi dicerẽt, Esto, nihil fecerit Romanis legibus vindicandum, attamen in nostras leges peccauit, quas ab ipso Deo latas in hunc vsque diem seruamus, & quas Romani, cùm rerum in hac terra nostra potirentur, minimè abolendas esse censuerunt. Iubent hæ eos morte mulctare, qui Deo nomine abutuntur, aut Deos nouos siue alienos fingunt. Vtrumque verò iste fecit, quando Dei nomen suis figmentis prætexuit, & se Dei filiũ dicendo sibi vendicauit quæ solius Dei sunt. Ad mortẽ ergo abripi meretur, neq; tibi licebit nostras leges abolere, quibus ex Imperatoris Romani beneficio huiusq; saluis & ratis vsi sumus. Hoc (inquam) Iudæorum argumentum est: in quo vtraq; propositio vera est. Quod enim de Lege dicunt, non est dubium: & scimus optimis quibusq; semper abominationi fuisse eos, qui Dei gloriam vel sibijpsis vendicare, vel in alios transferre ausi sunt. Ioram certè Israeliticus rex, etsi in religione non omnino syncerus esset, intolerabilem tamen blasphemiam putauit, quòd à Syriæ rege Naamanum iuberetur à lepra mundare. Rectè ergo legem Dei intellexerunt Iudæi, & quidẽ multò rectius, quàm multi ex Christianis hodie, qui gloriam Dei in creaturas transferunt, & quosuis patientur ferunt, qui quæ solius Dei sunt sibijpsis vendicant. Deinde verum quoque erat, quòd Christus se Dei filium dixisset. Supra enim Capite quinto miraculum die sabbati editum hoc argumento excusat, quòd sibi idẽ liceat quod Deo patri, cuius ipse sit verus filius. Multa insuper etiam octauo & decimo Capite in eandem sententiã ab illo dicta audiuimus. Cæterum in veris propositionibus illi falsum colligunt, quòd nimirum impietatis damnari & occidi mereatur. Vnde verò hoc? Ex eo haud dubiè, quòd non simul expenderunt diligẽtius prophetarum vaticinia, qui Meßiam Dei filium verumq; Deum esse docuerant. Nam in Psalmo secundo ipsum Meßiam loquentem inducit spiritus sanctus: Recitabo decretũ, Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te. Isaias verò Cap. 35. Deus ipse (inquit) veniet, & seruabit nos. Et Cap. nono: Puer natus est nobis, filius datus est nobis, cuius imperium erit super humero eius, & vocabitur nomen eius Admirabilis, Consiliarius, Deus, Heros fortis, Pater æternitatis, Princeps pacis. Ieremias autem Cap. 23. de eodẽ vaticinans inter alia scribit: Et hoc nomen eius, quo vocabunt eum, IEHOVA iustitia nostra. Et huius generis infinita in prophetarum scriptis leguntur, quæ si Iudæi attentiuè inspexissent, haud dubiè minori cum temeritate Legem Dei allegassent. Deinde sola verba Christi vel licant odiosè, non autem facta obseruant, quibus se & Meßiam & Deum verum esse abunde probauerat. Calumniatores ergo sunt, dum eum accusant quòd se Dei filium esse dixerit, improbè autem dißimulant eius opera & argumenta, quibus ipsorũ calumnias non semel validißimè confutauerat. Neq; ex simplici ignorantia hoc faciunt, sed malitiosè, simulq; omnibus alijs fucum facere conantur. Accedit his impudentia turpis, quando Christum eius sceleris accusare non verentur, cuius reatu ipsi tenebantur. Annon enim ipsi sese aduersus Deum efferebant, & in hunc sibi ius atque potestatẽ vendica-

vendicabant, cùm abolitis Dei legibus suas substituerent, sacra pro suo arbitrio mutarẽt & venalia haberent, satisfactionem & remissionem peccatorum vnà cum omnibus, quæ ad hominis salutem faciunt, in suis viribus & suorũ operum meritis constituerent? Qui ergo seipsos solebant Deos facere, cum in omni ipsorum vita diaboli mores & ingenium conspicerentur, Christum accusant & mox ad mortem rapi volunt, in cuius dictis & factis euidentissima veræ diuinitatis argumenta elucebant. Atqui eadem omnino hodie faciunt aduersarij nostri. Frequentes in ore habent scripturæ locos, quibus euincant puniendos & vitandos esse eos, qui in ecclesia hæreses atq; schismata seminant, qui summi Pontificis sententiæ stare nolunt, qui Christi ecclesiam contemnunt, qui sanctos cœlites violant & sacramenta prophano vsu polluunt: Quis verò istud negat? Vbi autem tragicis cõminationibus omnium aures atq; animos oppleuerunt, nos schismatum authores esse, nos hæretica dogmata spargere, nos summi Pontificis decreta conculcare, Christi ecclesiam contemnere, sanctos omnes vnà cum virgine matre violare, sacramenta discerpere & prophanare clamant. Quibus verò rationibus hæc crimina probent, non multùm soliciti sunt: imò quasi sufficiat accusauisse, illico duci volunt omnes eos, quos ipsi tales esse dicunt. Neque pudet improbos illos nobis intentare crimina, quorũ ipsi imprimis tenentur. Quis enim ignorat, per ipsorum traditiones Christianum orbem in sectas innumeras diuisum, & simplicem fidei doctrinam absurdissimis superstitiosissimisq; figmentis esse corruptam? Aut qua fronte nobis summi sacerdotis authoritatẽ diuina lege sancitam obijciunt, qui contra noui Testamenti leges nouum sacerdotium inuexere, & vnicum æternumq; ecclesiæ Pontificẽ, Iesum Christum, è solio suo deijcere non verentur, quoties suas satisfactiones, Missæ suæ sacrificium, opera supererogationis & sexcenta alia ecclesiæ obtrudunt? Quis verò vnquam Christi ecclesiam tam scurriliter contempsit, vt isti qui ludos in illa agunt omnis generis, & suam ingluuiem sub plausibili ecclesiæ nomine saturant? Vel num Diuos cœlites illis cordi esse putabimus, qui illorum doctrinã atq; fidem in terris hostiliter persequuntur? Sacramenta autem quis turpius prophanare & conculcare potuit, quam qui illis ad Christi meritum abrogandum abutitur, & turpissimis scortatoribus vendenda cõmittit? Et cùm hæc illi faciant, seq; in ipso scelere deprehensos sciant, adhuc tamen quasi rẽ bene gesta suam nobis authoritatem obtrudunt, & nos immanissimorum criminum reos agunt, quæ ab ipsis committuntur. Hic ergo oculis & auribus apertis opus est, ne talium clamoribus nos decipi, aut à vero abstherreri patiamur.

Pilatus timet ob mentionem filij Dei.

Porrò Pilatum videamus, qui audita filij Dei mentione timuisse dicitur; nimirùm propter iniuriam, qua ipsum paulò ante affecerat, vt nuper audiuimus. Timoris huius causa fuit, non veri Dei cognitio, sed superstitiosa & falsa de Dijs fictitijs opinio, quæ iam seculis aliquot per multas patrum traditiones erat confirmata. Credebant enim gentes Deos suos interdũ relictis cœlis in terras descendere, & modò caligine aut nebula tectos, modò assumpta hominum forma inter homines versari. Exempla huius persuasionis poetarum fabulæ multa exhibent, & memorabile cumprimis est, quod de Lystrensibus Lucas in Actis narrat, qui miraculosa claudi cuiusdam restitutione per Paulum & Barnabam facta excitati, clamabant: Dij assimilati hominibus descenderunt ad nos. Neq; in eo subsistit infelix superstitio, sed eò vsq; miseros seduxit satan, vt Deos suos hominum amore impuro capi, & cum mulieribus cõgredi crederent, vnde Deorum filij nascerentur, quos illi Semideos dicebant, & quos læsisse nefas esset. Hinc illæ Heroum genealogiæ apud poetas, qui illorum originẽ ad Deos vsq; referunt. Et passim historiæ extant, quàm grauiter multi publicè & priuatim puniti sint, eo quòd ex Dijs progenitos contumeliosius tractauissent. His ergo fabulis deceptus Pilatus in suspicionem venit, Iesum Dei alicuius, quales inter gentes colebantur, filium esse, & malæ erga illum tractationis sibi conscius timet, ne ab ipso sceleris pœnæ exigantur. Ideo rursus eum abducit in Prætorium, & quærit, Vnde es tu? Id est, ex quo nam prognatus es, homo ne ex homine, an ex Deo aliquo originem ducis? Vbi obseruabimus, Pilatum gentilitio errore deceptum fuisse, interim verò habuisse pietatis principia, quibus monebatur, nõ violandos esse Dei filios. Quantò igitur melior fuit multis Christianis, qui cùm Iesum Dei filium Deumq; verum esse profiteantur, nullo tamen eius timore percelluntur, sed quiduis cõtra illũ pro sua libidine designant, perinde ac si nullus in cœlo Deus regnaret? Faciunt hoc, qui illi suum honorem eripiunt, quem vel in seipsos vel in alios transferunt, quos sibi Mediatores & Seruatores fingunt, nequicquam illo clamante: Ego Dominus, hoc est no-

men meum, & gloriam meam alteri non dabo. Eadem audacia peccant, quotquot euangelium impiè contemnunt, sacra eius prophanant eorumq; nundinatione tam ipsi quam ecclesia ipsum illudunt. Peiores his sunt, qui aduersus ecclesiã eius hostiliter insurgunt, illum in membris suis propter veritatis confessionẽ persequuntur, flagellant, conspuunt, imò crudeliter necant. Nec omnino extra horum catalogũ censeri debent homines priuati, qui Dei filios artibus usurarijs circũueniunt, iuris legumq; prætextu opprimunt, fortunis suis spoliant, in periculis constituros proditorie deserunt, & quouis iniuriarum genere grauant: neq; Christum iudicem verentur, qui olim dicturus est: Quod vni ex hisce minimis feceritis, mihi feceritis. Atqui fiunt ista omnia hodie inter eos, qui Christiani esse & haberi volunt. Omnes verò illi Pilato peiores sunt, quem temere oborta de filio Dei suspicio non rere potuit.

Christus Pilatum responso non dignatur.

Cæterùm nullo responso illum dignatur Dominus, & sui silentij rationes habet grauissimas. Primò enim nõ stabat ad eius tribunal vt causam diceret, & sese defenderet, sed vt ex patris decreto damnationis sententiam subiret, & agni instar (vt olim Isaias fore prædixerat) pro peccatoris immolaretur. Deinde indignus erat Pilatus, cui ipse respõderet. Etsi enim in illo reliquæ adhuc essent communia pietatis principia (vt modò diximus) idem tamen prophano contemptu omnem agnoscendæ veritatis studium iam pridem excusserat, & ideo nuper Christo de veritate incipienti fastidiose cum fastidio & indignatione dixerat, Quid est Veritas? Et iam non aliam de Christo fabricationem concepit, quàm quòd eum instar Herculis aut Æneæ ex lasciuo & incesto alicuius Deorum cum muliere mortali concubitu procreatum esse putat. Quid ergo apud eum Christus proficere poterat, etiamsi prolixũ de æterna sua ex patre generatione, de incarnatione ex virgine, deq; redemptionis humanæ mysterio sermonem instituisset? Hæc certè homini prophano Siculis gerris ridenda vel etiam absurdissima visa fuissent, & inde nouam habuisset Christum irridendi occasionem. Quare ergo discipulis præcipit, ne sanctum canibus aut margaritas porcis proijciant, hoc ipsum in præsentia obseruat, & nobis exemplum præbet, vt quando nobis cum apertis hostibus veritatis res est, maturo & graui iudicio vtamur, ne temere quibuis apud quosuis dicendo causam hanc omnem impiorum dedecorijs exponamus. Faciunt hoc multi non sine magno scandalo, quando non requisiti intempestiue de religione disputationes instituunt, aut ne quid ignorare videantur, temere ad quæuis obuia respondent.

Pilatus Christo minatur.

Sed ad Pilatum redeamus, qui se ampliori responso indignum esse nõ obscuro indicio docet. Is enim paulò ante aliquem numinis metum animo conceperat, nunc Christi silentio offensus, quasi is illo contemni putat, in vocem inquisitam & arrogantiæ plenam erumpit, dicens: Mihi non loqueris? nescis quòd potestatem habeam crucifigendi te, & potestatem habeam absoluendi te? Ebrius potestatis fiducia ebrius, omnem Dei timorem simul ex animo eiecit. Cùm enim horrendum mortis supplicium ei minitabundus denuntiet, de cuius innocentia toties iam testatus fuerat, & quem filium dici audierat, quis illum serio numinis metu affectum fuisse arbitretur? Quid enim aliud ostenderet, si Deos simul omnes simpliciter negauisset? Interim tam insolenter suam potestatem iactando seipsum maximè infamat & iniustitiæ extremæ damnat. Cùm enim eum postea damnauerit, quem (vt ipse fatetur & iactat) absoluere poterat, constat hoc illum scientem feciſſe contra iudicium: & seipsum excusatione spoliauit hæc dicendo, quam solam prætexere poterat. Denique cum dicat se potestatem habere occidendi innocentem, non in iudicum, sed latronum & sicariorum numero seipsum censet, qui absq; iuris & legũ respectu quosuis obuios iugulãt. Pilati verò similes sunt tyranni, qui sibi in ipsas leges & iura publica potestatẽ vendicant. Placent hi sibi ipsis in sua arrogantia, & nunquam non plenis buccis iactant suum in terris suis imperium. Sed quò magis illud prædicant, eò magis seipsos infamant, cùm eo nõ fortiter vtantur in puniendis malis & defendendis bonis, ideoq; ferè ab omnibus affligi patiuntur. Ita verò impiorũ superbiam Deus vlciscitur, vt ipsi sibi infames & ignominiæ authores sint.

Christus Pilati arrogantiam corripit.

Equidem Christus quoque in præsenti tantam arrogantiam non fert, sed Pilatum grauiter reprehendit: Non haberes potestatem aduersus me vllam, nisi tibi datum esset superne, &c. Quæ verba tam de magistratus officio exponi possunt, quàm de æterno Dei decreto, qui filium suum in carnem manifestatum ad prophani iudicis tribunal damnari voluit. Sensus ergo est: Multum fallitur, qui

bi tibi quidvis in me licere putas. Etsi enim hîc sis cum imperio & magistratum geras tibi ab Imperatore legitimè commissum: scire tamen debebas magistratus authoritatem non ex hominibus, sed à Deo esse, qui eandem certis legibus circunscripsit. Non ergo tibi quod libet licet, sed quid tui sit officij videre debes. Et quoad me, nisi ita de me iam inde ab æterno statuisset pater, ego nunquam in manus tuas venissem, neque tui ista dicendi occasionem haberes. Sed cùm tu nihil horum intelligas, neq; ex priuato affectu mihi manum inieceris, sed Iudæi huius mali authores sint, qui me insidiosè captũ & iniquis sententijs condemnatum tibi tradiderunt, grauior illorum culpa est, eò quòd non contenti sua malitia insuper tua authoritate & à Deo instituto magistratu pro sua libidine abutuntur. Et hæc dicendo, non modò Pilati arrogantiam retundit, sed simul officij eum admonet, & scelus arguit, quod tam ipse quàm Iudæi in fundendo sanguine innoxio designaturi erant: adeoque ad ipsius Dei tribunal citat superbum hominem, quem Romani Imperij maiestas excæcabat, vt sibi quidvis licere putaret. At simul generalem doctrinam hæc verba continent, magistratus à Deo potestatem accepisse (non est enim potestas nisi à Deo, Rom. 13.) non quidẽ liberam, sed certis legibus limitatã, cuius finis est publica salus, quæ in scelerum correctione & bonorum defensione potissimùm consistit. Docent hoc passim sacræ literæ, quæ iudicium omne Domini esse, & hunc suæ iudicia regibus dedisse testantur. Grauis ergo illorum culpa est, qui diuinitus concessa potestate ad suam libidinem abuuntur, & ideò sibi quidvis licere putant, quòd se in excellentiori aliquo gradu constitutos vident. Grauius tamen illorum scelus est, qui magistratu abutuntur, & iudices falsis criminibus aduersus innoxios prouocant. Vsi sunt eo dolo quondam prophetarum hostes, qui illos apud regum tribunalia accusarunt, quasi res nouas molirentur, & pacem publicam turbarent, vel etiam cum patriæ communis hostibus colluderent. Et hodie in criminibus eiusmodi fingendis mirifici authores sunt Episcopi & Monachi, qui regum aulas sequuntur, & illorum animos aduersus puriorem euangelij doctrinam inflammant. Similiter aduocati peccant, qui in causis priuatis legum authoritate abuuntur, & iudicibus fucum faciunt, vt sententias iniquas ferant, quando se officio suo fidelissimè fungi arbitrantur. Meminerint autem omnes isti, in cœlis Deum regnare, qui iudicum confessibus interesse, sententias eorum audire, & si quid contra ius aut æquum designetur, id prout par est vlcisci consueuit. Est præterea alius quoque verborum Christi vsus, vt piorum consolationi seruiant in aduersis & persecutionibus, quas contra illos impij veritatis hostes instituunt. Furiunt quidem aduersus illos indomitũ tyranni, & suas vires insolenter iactant. Sed nullas habent, nisi quas Deus illis dedit, qui easdem suo fræno gubernat, vt nihil contra nos possint quàm quòd ipsis permittitur ab eo, qui pilos capitis nostri in numerato habet. At nihil ille permittit impijs in suos, quàm quod suæ gloriæ & ipsorum saluti seruire nouit, vt alibi prolixè à nobis est dictũ. Singuli ergo hæc Christi verba ad se transferant, & ea opponant hostiũ cõminationibus, quas hac spe confirmati facilè vincent.

Quid verò ad ea Pilatus? Nouo rursum timore perculsus ipsum absoluendi occasionem quærit. Nouum autem modestiæ exemplum exhibet, qua plerosque Christianos longè superat. Accusauit eum & grauiter corripuit Christus, homo (illius iudicio) miser & qui propter incerta de religione dogmata gentis suæ odium contra se prouocauerat. Poterat hinc nouas iras concipere, & vindictam meditari, vt suam contra illum potestatem declararet. quam ab eo contemni videbat. Sed terretur potius, & nouum eius seruandi consilium quærit. Quàm ergo alienus fuit à Christianorum principũ moribus, qui hodie à suis quoque consiliarijs reprehendi nolunt, & nullam sibi iniuriam atrociorem fieri posse arbitrantur, quàm si quis dicat ipsis non omnia licere? Quid autem de principibus loquor, quando paucos ex fæce vulgi aut rusticis inuenire poteris, qui verbi ministros tam patienter ferant, quam Christum Pilatus tulit? At grauiorem Dei manum omnes illi aliquando sentient, qui veris admoneri nolunt & corrigi. Facit autem Pilati modestia ad arguendam Iudæorum impietatem, quos nulla argumenta mouent, neque etiam hominis prophani metus aut exemplum excitat, vt de vota hac causa diligentius cogitent. Nam ad clamores seditiosos reuersi, Christum ad crucis supplicium poscunt, & addunt rationis loco Si hunc absolueris, non es amicus Cæsaris: Quisquis se regem facit, contradicit Cæsari. Adhuc ergo pro confesso sumunt, quòd regnum in Iudæa Christus affectet, neque pudet eos crimen repetere, cuius vanitatem Pilatus simul & Herodes iam ante deprehenderant. Neque eo contenti, minis eum terrere conantur, cuius potentiam & iudicium ipsi

Pilatus Christi correptione terretur.

timere debebant. Et hoc illud est, quod ex suis artibus & nimia indulgentia Pilatus retulit: quid ludibrio nunc est Iudæis, quibus antea terrori fuerat. Crescunt enim animi sedatiosis & impiis omnibus, quàm primùm sese timeri sentiunt. Quò magis anniti decet eos qui in magistratu sunt, ne sua ignauia & indulgentia præfractiores & contumaciores reddant. Accedit verò hic nouum imprudentiæ argumentum, quòd Iudæi Cæsareæ Maiestatis vindices videri volunt, & Pilatum Cæsaris authoritate vrgent, cùm ipsi de excutiendo Romanorũ iugo dies & noctes cogitarent, & primum inde Cæsarem cane & angue peius odissent. Ita hodie Cæsarum regumq; & reipublicæ nomine contra pios Christi cultores abutuntur Monachi, qui contentionum facibus & pessimorum consiliorum flabellis, persecutionum ignem passim accendunt. Et non pudet eos Imperij & reipublicæ patrocinium aduersus Christum suscipere, quos regnis omnibus inimicos esse, & suam immunitatem contra commune ius & publicas gentium leges pertinacissimè tueri constat, adeò, vt nullos alios magis liceat, qui plures in orbe terrarum seditiones atq; motus concitarint. Vtinam verò ex horum certaminibus infelix illud auitium discerent agnoscere principes, neque illorum clamoribus sese tam facile ad sanguinis innoxij effusionem excitari paterentur. At quia nobis in hoc mundo meliora sperare vix licet, proderit nosmet ipsos ad quæuis pericula præparare, vt fortes simus in Iesu Christo, qui vt pro nobis certamina pro nobis subiuit, ita nunquam deerit ijs, qui vestigia eius piè sequuntur, & horum suorum labores æternæ vitæ præmio compensabit. Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

HOMILIA CLXVII.

Pilatus ergo cùm audisset hunc sermonẽ, adduxit foras Iesum, sedítq; pro tribunali in loco, qui dicitur Lithostrotos, Hebraicè autem Gabbatha. Erat autem parasceue Paschæ, hora verò quasi sexta. Tum dicit Iudæis: Ecce Rex uester. Illi autem clamauerunt: Tolle tolle, crucifige eum. Dicit eis Pilatus: Regem uestrum crucifigam? Responderunt principes sacerdotũ: Non habemus Regem nisi Cæsarem. Tunc ergo tradidit eum illis, ut crucifigeretur. Acceperunt autem Iesum & abduxerunt. Atq; is baiulans crucẽ suam uenit in eum locum, qui dicitur Caluariæ, Hebraicè autem Golgotha. Vbi crucifixerunt eum, & cum eo alios duos, hinc & hinc, medium autem Iesum.

EVangelistæ omnes diligenter admodum narrant, quid apud Pilatum Romanum præsidem Christo Iesu sit actum. Diligentiæ huius causæ sunt: Prima, vt Christi innocentia testimonijs luculentis & sufficientibus probetur, & inde nobis constet, illum potuisse pro nostris peccatis propitium fieri. Altera, vt discamus quæ sint hostium veritatis ingenia, qui item principum horum mores sint, si quid pro veritate agendum est, eoque minus offendamur, si quid huius nobis hodie contingit. Vidimus autem Christi hostes præcipuos fuisse sacerdotes, qui causam hanc partim calumnijs, partim seditiosis clamoribus egerunt. Pilatus verò etsi Christum innocentem esse intelligit, eius tamen salute periclitari non vult: imò Cæsaris authoritate, quam ipsi falsò obiiciebant, sese terreri sinit, vt innocentem in illorum gratiam damnet. Solet vtrunque etiam hodie fieri. Quidnim Christi doctrinam hostiliter persequuntur, ferè cum astutia singulari extremam impudentiam atque audaciam coniungunt. Quò fit, vt calumnias magno artificio contexant, & tamen denique impudenter, & interdum non absque minis, omniũ auribus ingerant. Quamuis verò illorum artes & impudentiam quitatem nonnulli mox deprehendant, plerique tamen non tanti faciunt religionem, vt pro ea periclitandum esse putent. Itaque morem gerunt improbis illis calumniatoribus, & rem bene gestam arbitrantur, si illorum amicitiam sanguine innoxio redimere possint. Sed ad loci recitati explicationem accedamus, quo narratur, vt Dei filius capitis damnatus, & inde mox in locum supplicij destinatum abductus, & illic in crucem suffixus sit. Vbi multa simul concurrunt redemptionis nostræ mysteria cum alijs quibusdam, quæ nos multinariàm erudire possunt.

Principio

Principiò causa indicatur, quæ Pilatum mouit, vt Christum morti adiudicaret. Cùm audisset (inquit Euangelista) hunc sermonem, Si hunc dimiseris non es amicus Cæsaris: mox Iesum adduxit foras, & sedit pro tribunali, nimirum vt sententiam ferat capitalem. Ergo licet aliquo iustitiæ studio teneretur, neq; à Dei timore omnino alienus esset, magis tamen Cæsarem metuit quàm Deum, ideoq; ne à Iudæis accusatus prouincia & magistratu suo spolietur, illorum improbitati cedit, & ita excusso planè, aut saltem magna ex parte sopito timore Dei sciens volensque peccat, vt hominum fauorem demereatur. Patiuntur hoc ipsum hodie multi, qui ne à dignitatibus excidant, aut à muneribus publicis deijciantur, ex quibus quæstum habent vberrimum, cum impijs Christi hostibus colludunt, etiam reluctante multùm propria ipsorum conscientia. Quorũ exempla nos docent, quàm malè inter se conueniant timor Dei & amicitiæ huius mundi studium. Sunt enim hi contrarij prorsus domini, quibus simul seruire impossibile est. Et qui mundo gratificari cupiunt, vt in illo dignitates, honores, opes & amicitias multorum consequantur, hi ferè aureis compedibus vinciuntur, vt in via præceptorum Dei progredi non possint. Ideò Iacobus dicebat: Amicitia huius mundi inimicitia est cum Deo: & proinde necesse fuerit, vt mundi studio planè renunti ent, quotquot Deo seruire & iustitiam sanctè colere instituerunt. Pilatus Cæsaris metu Christum damnat.

Cæterùm narrationi huic loci & temporis descriptionẽ Ioannes interserit. Quoad tempus, parasceuen paschæ & horam quasi sextam fuisse dicit. De diei in horas distinctione in Marco nostro dixi mus, Parasceue autem dies erat, qui proximus magnũ illud sabbatũ paschæ præcedebat. Facit hæc temporis notatio primùm ad resurrectionis Christi historiã, quã (sicuti is prædixerat) tertio à morte eius die factã fuisse hinc constat, vt aliâs apertè satis est demonstratũ. Deinde ad nostræ salutis mysterium pertinet. Ita enim dicebatur dies ille Græco nomine, eò quòd tunc præparabãtur, quæ ad immolationẽ agni & epulum paschale necessaria erant. Voluit igitur eodẽ die nõ modò præparari Christus, verumetiã immolari, vt testaretur, se agnũ illũ Dei esse, qui & mũdi peccata tollit, & mandu catus, id est, vera fide apprehensus animas satiat, & sanguine suo credentes munit, ne aliquid in illis iuris habeat angelus vastator, qui nos tam corpore quàm anima perditos & extinctos cupit. Tempus, quo Christus datus natus est.

Quoad loci descriptionẽ, verbosior est Ioannes. Primò enim Pilatum in eum exiuisse dicit. Fuit ergo extra prætorium sub diu, quò plures cõuenire, & quæ illic agebantur atq; dicebantur videre & audire poterant. Deinde Lithostrotum dictum fuisse scribit Græco vocabulo, nimirum à Romanis, penes quos tunc summa erat inter Iudæos iuris dicundi potestas. Ita verò antiquitus dicebantur loca, quæ pauimentum non vulgare, sed lapidibus artificiosè stratum habebãt. Addit præterea nomen Hebræum vel Syriacum Gabbata, quod excelsum seu altitudinem significat. Quæ omnia docent Romani præsidis tribunal in loco publico & illustri magnificum & sublime fuisse, vt in eo considens index ab omnibus conspici & audiri posset. Fuit autem hæc vetus consuetudo, cuius sacræ literæ non vno loco meminerunt, quando iudices in portis consedisse tradunt. Et voluit nimirum Deus iudicia in publico administrari, vt ea ratione iudicum licentia frænaretur, ne quid ex prauo affectu pronuntiarent, cuius illos in totius populi corona frequenti pudere meritò posset. Et hinc mos ille manauisse videtur, quo adhuc hodie plerisque in locis causæ capitales sub diu in publico aguntur: sancto nimirum & necessario instituto, ne temere sententia feratur in alicuius vitam, qua homo in terris nihil pretiosius habet, & quæ semel extincta nunquam potest restitui. Quoad ergo Pilatum, eò minus excusari potest eius iniquitas, quòd in loco iustitiæ sacro considens sententiam fert iniquissimam, quæ innocentem immani crucis supplicio adiudicat. Facit etiam ad sceleris huius amplificationem, quòd Cæsareæ Maiestatis & Romani Imperij authoritate ad hoc abutitur, cuius no mine magistratum illum suum gerebat. Interim meminerimus, hæc omnia sic fieri debuisse, vt nostræ institutioni & cõsolationi seruiant. Adumbratur enim hoc spectaculo, vbi & à quibus ferè damnatur Christus in suo verbo & membris suis. Ab ijs nimirum, qui summam in terris potestatem obtinent. Debebant quidem Reges exosculari filium (vt Dauid in Psalmo secundo admonet) & ecclesiæ Christi nutritios agere. Quia autem plerunque ambitione & pessimis alijs affectibus abrepti mundo seruiunt, Christi verò regnum non de hoc mundo esse, & insuper studijs suis aduersari uident, hostes fiunt: & ita fit, vt ferè ab aulis regum exulet Christus, & ibi damnetur, vbi potissimum coli atque obseruari debebat. Equidem quod in præsenti factum est, vt Romani Impe- Christus in loco publico damnatur.

rij authoritatè publica Christus damnatus fuerit, hoc ipsum postea quoque factum fuisse scimus. Romani enim Imperatores per annos circiter trecentos cōtinuum cum sanctis (vt Daniel prædixerat) bellum gesserunt, & grauissimarum persecutionum fuerunt authores. Ab his plerique Apostolorum crudeliter occisi sunt. Hi multa Martyrum millia omni suppliciorum genere necarunt. Hi dictis tyrannicis Christum & doctrinam eius proscripserunt. Hi deniq; vires suas omnes intenderunt, vt nascentem Christi fidem in ipsa herba (quod aiunt) extinguerent. Quid? annon hodie adhuc Romani Pontifices sub falso imperij Romani prætextu Christi doctrinam oppugnant, & ijdem Regibus cunctis authores sunt, vt eam extra regnorum suorum fines eijciendam curent? At nemo ista offendere debent. Crescit enim in persecutionibus eiusmodi regnum Christi, eoque latius propagatur, quò magis pij disperguntur. Neque impunè tulerunt olim Romani Imperatores, quòd suam tyrannidem aduersus Christum proferre ausi sunt. Testantur enim historiæ, eos omnes tristia & horrenda vindictæ diuinæ exempla factos fuisse: & quid ipsi Romæ veteri olim acciderit scimus, quam barbaris & ferocissimis gentibus in prædam dedit Dominus vt seruorum suorum sanguinem vindicaret. Et quid noua ista Roma, quæ veteris imagine superba aduersus Christum sæuire pergit, suo tempore passura sit, in Apocalypsi sua idem ille olim prædixit, de cuius fide nemo plus dubitare debet. Ferant ergo Christiani patienter, quæ Christus ipse pro nobis ferre dignatus est, neque exhorrescant regum magnorum tribunalia & in illis minaci vultu considentes iudices. Est enim his omnibus superior Christus, quem Pater Regem regum constituit, qui suos periclitantes tueri, ab illis verò dignas impietatis pœnas exigere solet. Facit præterea ad nostræ redemptionis & salutis mysterium quod hîc accidit. Oportuit enim ad Romani Imperij (quo nullum tunc in orbe terrarum regnum fuit potentius atque illustrius) tribunal Christum damnari, vt ipse noster apud patris tribunal aduocatus fieret, & olim in nubibus cœli iudex adueniens nos à peccati reatu absolueret. Itaq; afflictis conscientijs dulcissimam consolationem exhibet hoc tam triste Christi ad Romanum tribunal producti spectaculum, si non modò in externam rei speciem intenti simus, sed totius negotij causas & fructum penitius inspiciamus.

Pilati pro tribunali sedentis descriptio.

Sequitur ipsa actio iudicialis, quæ sic narratur, vt facilè videas, quàm miserè intra semetipsum distractus fuerit Pilatus. Qui enim tribunal conscenderat, vt Christum damnaret, adhuc nos obscurum de eius innocentia fert testimonium, neque adhuc eius liberandi studium deposuit. Sed & vxoris nuntio admonitum fuisse scribit Matthæus, vt sibi ab hominis innoxij sanguine caueret, quod procul dubio conscientiam eius nouis stimulis exagitauit. Ita in angustias inextricabiles ipsos conijciunt, quicunque deposito Dei timore, mundo seruire volunt, & cæcos carnis affectus consilium adhibent. Exordium verò actionis ridiculum dat, vt solent qui animo perturbato omnia faciunt. Ecce Rex vester, inquit. Neque dubium est, hoc ab eo per ludibrium dictum fuisse, vt ostendat ridiculam & friuolam esse ipsorum calumniam, qui hominem longè miserrimum affinitæ inter ipsos tyrannidis accusent. Illi verò quia causæ diffidunt, & simul populi inconstantiam suspectam habent, moram omnem abrumpere cupiunt, & ideò clamant: Tolle tolle, crucifige eum. Quasi dicerent: Non noua actione opus est, multò minus sannis eiusmodi & ludibrijs: Diximus iam ante quod res est, quin ergo sententiam fers & illum ad crucem abripi iubes? Sed rursus excipit Pilatus: Regem vestrum crucifigam? Vbi non sine numine factum putabimus, quòd ex ipso ludibrium omnia agat homo prophanus, Iudæos tamen potius quàm Christum ridet, & illas Regis nomen subinde ad nauseam vsque inculcat. Solet ita hostes suos vlcisci Dominus, vt eorum ludibrijs sese exponant, quorum opera aduersus ipsum vtuntur: neque vnquam ita opprimitur Veritas, vt non ab ipsis quoque hostibus honorificum testimonium habeat. Nam etsi paulò post Christum damnet Pilatus, prius tamen innocentiam eius prædicat, & eundem Regis titulo dignatur: imò tandem Regis huius potentiam expertus est, quando exilij ignominia mulctatus ipse sibi mortem consciuit. Voluit etiam ista actione docere spiritus sanctus, fore vt regnum Christi impijs eius hostibus semper obstrepat, & inuitos quoque terreat. Cuius rei exempla passim occurrunt. Iulianus certè etsi Christum cum ludibrio Galilæum diceret, eundem tamen volens nolens victorem agnoscere cogitur. Et Iudæos hodie adhuc ad Iesu Christi nomen exhorrescere videmus, deque eo aliquot illorum conqueri scimus, quòd illum sibi infestum esse sentiant. Imò quod maius est, constat inter-

dum

dum tyrannis piorum vultus & memoriam subinde ob oculos versari, quos propter Christi confessionem flammis crudelibus necarunt, vt eorum recordatione territi noctes insomnes ducant, & omnia sibi acerba atq; tristia sentiant. Vt ergo Pilatum Christi præconem audire coguntur Iudæi, qui ipsum salutis doctrinam proponentem audire noluerunt: ita sæpe fit, vt Satan cum suis furijs Christum impiorum conscientijs dies noctesq; obijciat, vt eius cõmemoratione ad desperationem adigantur, qui ipsum suæ salutis authorem noluerunt agnoscere.

Iudæi spem & promissiones de Messia abnegant.

Sed pontifices Iudæorum Pilato respondentes audiamus, vt magis eluceat eius gentis impietas. Cum enim auribus eorum Pilatus Christi Regis nomen subinde ingereret, occlamant illi: Non habemus regem, nisi Cæsarem. Quam vocem si probè expendamus, nihil ab illis indignius, audacius & magis impiè dici potuisse videbis. Nec enim Iesum modò Christum & promissum illum Regem esse negant, sed omnem venturi Messiæ atque redemptoris spem simul abnegant, datas de hoc patribus promissiones abijciunt, prophetarũ oracula falsi accusant: imò istud dicendo amicitiæ & fœderi renuntiant, quod cum illis fecerat Deus, & manifesta rebellione à Deo deficiunt, qui regnũ suum inter illos se instauraturum promiserat. Neque his contenti, in promissi seruatoris locum substituunt Cæsarem Tiberium, monstrum libidinis, & cuius auaram atque crudelem tyrannidem omnes bonæ execrabantur. Et hoc quidem faciunt principes sacerdotum, qui promissionum & vaticiniorum Dei cognitionem præ alijs habere, & populum totum in promissi redemptoris spem excitare debebant. Verè ergo hic impletur, quod futurum Dauid prædixerat, vt nimirum ipsi architecti lapidem illum reijcerent, qui caput anguli esse debuit. Docemur hoc exemplo, quò vsque impietatis progrediantur tandem falsi antistites, qui vt suum regnum tueantur, contra Veritatẽ bellum susceperunt. Nouerant illi de Messia datas promissiones, & omnem populum in illius expectatione esse sciebant. Attamen istud dicunt, quo & publicam totius populi spem damnant, & seipsos promissa salute spoliant. Vnde verò hæc in animis illorũ impietas enata est? Ex eo nimirum, quòd sibi bene erat sub Romanis præsidibus, per quos sacra venalia habere, ex religione quæstum facere, & sub pietatis praetextu populum pecunijs emungere licebat. Facilè ergo communem populi spem negligunt, & eorum vota atq; desideria rident, quorũ infelix conditio ipsis quæstũ vberrimum præbebat. Et quemuis potius admittere voluissent quàm Christum, quem ipsorum falsæ doctrinæ & turpissimæ sacrorum nundinationi aduersari sciebat. Solent hoc ipsum hodie facere episcopi & magni illi Romanæ culinæ Præsules. Vident hi Christianum populum superstitionis & humanarum traditionum onere depressum ad libertatem aspirare, & Euangelij doctrinam animis ardentissimis sitire: audiunt multorum querelas, qui nihil non se facturos promittunt, modò libertate Christiana frui & Christo seruire liceat. Illi verò querelas istas surda aure prætereunt, & multi ex eorum numero sacra potius omnia, adhæc cœlos & inferos negare volent, quàm Christi doctrinam admittere, qua suam illam tyrannidẽ expugnari & euerti norunt. Et inueniunt isti inter principes viros & ignobile vulgus quàm plurimos, qui nescio qua spe quibusue promissionibus inescati, ipsis consentiunt. Intueantur ergo omnes isti hoc speculum, vt seipsos agnoscere discant, simulque Dei iudicium considerent, quo Iudæos simul omnes puniuit. Qui enim Cæsarem promisso seruatori præferre voluerunt, eos Cæsarum armis non multò post debellauit, vt alibi copiosè diximus. Itaque infelici illa & pudendi Messiæ abnegatione seipsos non æterna modò vita & cœlestis regni hæreditate priuarunt, verum etiam in hoc seculo calamitates omnis generis sibi accersiuerunt, quarum finem ne hodie quidem adhuc vllum videre possunt. Accidit hoc ipsum omnibus, qui istorum mores imitantur. Nec enim vel in hoc vel in futuro seculo felices esse possunt, qui vnicum felicitatis veræ authorem, Iesum Christũ, reijciunt. Hunc ergo amplectamur, & eius regno nos subijciamus, qui huius vitæ molestias facilè mitigare potest, & eos etiam animorum libertate donare, qui quoad corpus & reliquas fortunas immanibus tyrannis seruiunt.

Pilatus Christum cruci adiudicat.

Sed ad Pilatum redeamus, qui vbi se nihil proficere videt, tradidit eum illis vt crucifigeretur. Paucis verò dicit Ioannes, quod alij pluribus descripserunt. Matthæus eum non sine protestatione capitalem sententiã protulisse tradit. Cùm enim omnibus spectantibus manus abluisset, dixit: Innocuus ego sum à sanguine huius iusti, vos videritis. Fuit tamen hæc sanctimonia planè pharisaica, & stultè nimis putat aqua elui posse scelus, quod interea sciens ex turpi ignauia committebat. Debent

enim in innocentia manus ablui, vt Psalmo 26. docemur. Et vt ablutio ista atq; protestatio nō ip-
fuit Pilato, sic Iudæis quoq; maioris sceleris occasionē dedit. Ne qua enim mora longior interce-
clamant: Sanguis eius super nos & super filios nostros. Quo dicto nō seipsos modò, sed simul posteros
quoque suos ad exitium & perditionem deuouent. Fuit hæc impietas cum incomparabili audacia
Num. 35. coniuncta. Hoc enim faciunt, qui legem de innoxij sanguinis effusione acceperāt à Deo, & qui tam
illius vindicem esse sciebant. Neque illos terret Pilati exemplum, sed sponte in se transferunt re-
sceleris reatum, à quo hominem prophanum toto animo abhorrere videbat. Et ne quid omittant
pietatis, in natura etiam leges peccant, dum à nemine requisiti posteritatē omnem, quantum in
est, secum in exitium trahunt. Rursum ergo videmus quantum possit veritatis odium, si huic
mel indulgeant homines. Omnē enim pietatis sensum extinguit, salutis propriæ immemores red-
eò deniq; amentiæ adducit, vt nihil non in sese recipiant homines, modò veritatis lucē è medio tolle-
quam suis studijs inimicam esse vident. Discant ergo initijs prauorum affectuū resistere, qui sese
veritatis tentari sentiunt, ne ipsi quoq; tandem incurabiles fiant. Simul autem exemplū hoc inde
terreat, ne quid dent improborum hominum libidini, quæ nullis artibus curari potest: sed veritatis
causam fortiter tueantur, & in eum finem sese à Deo authoritate & potentia armatos esse cognos-
vt temerarios iuris legumq; contemptores coerceant, iustis autem & pijs seriò patrocinentur.

Christus ducitur & crucifigitur. Porrò vbi Pilatus sententiam pronuntiauit, milites Christum ducunt, exutum prius chlamy-
militari, quam hucusque gestauerat, & suis rursus indutum vestibus. Ducunt autem in locum pu-
blicis sontium supplicijs destinatum, quem ab ossibus mortuorum Golgotha, id est, locum Calua-
riæ vulgò dicebant. Et eò quidem exit Dominus, suam crucem humeris gestans aliquò vsque, de-
nec eo multas ob causas defatigato, illi Simonē Cyrenæum ex agro redeuntem subijciunt milites v
alij Euangelistæ tradiderunt. Vbi verò illuc loci ventum est, in crucem eum suffigunt, & medium
ter duos latrones suspendunt, quò magis infamem & omnibus inuisum reddant. Quo loco multa
currunt, quæ diligentem tractationem merentur. At quia de plerisque in Marco diximus, nos
senti cum Ioanne breuitati studebimus, vt ea modò consideremus, quæ nostræ redemptionis mysteria
illustrant. Vbi primum occurrit, quòd extra vrbem ducitur Christus, vt mortis supplicium hau-
spondet hoc veteri typo, vt Paulus ad Hebræos Cap. 13. annotauit. Nam quorum animalium sa-
guis inferebatur pro peccato in sacrarium per Pontificem, horum corpora exurebātur extra castra.
Quapropter Iesus quoq; vt sanctificaret per proprium sanguinem populū, extra portam passus est.
Docet igitur hæc loci circunstantia, in eius morte nos sacrificium habere, quo peccata humanæ ne-
neris expiata sint, vt non amplius imputentur ijs, qui ipsum fide vera apprehendunt. Deinde
facit ad huius mysterij explicationem, quòd crucem suam ipse gestauit extra vrbem. Nam hoc
etiam facti typus olim in Isaaco præcessit, quem ligna portauisse scribit Moses, quibus exuren-
tur, cū illum Abraham ex Dei mandato immolare vellet. Imprimis tamen hīc obseruandum est,
quòd crucis lignum Deus in lege maledictū pronuntiauit. Christus ergo crucem gestauit, vt quam
premebamur maledictionem in sese transferret, & pro nobis maledictum fieret, vt nos à maledic-
ne & æternæ damnationis supplicio liberaremur. Adhæc medius inter duos latrones suspensus
luit, expansis ad vtrunque brachijs, vt suæ mortis meritum ad omnes pertinere sciamus, qui
hoc seculo peccati reatu tenentur, & illius pœnas sustinent. Atqui tales sunt omnes homines: qui
verò non omnes seruantur, ex eo est, quòd plerique Christum neque agnoscunt neque innocentia
eius latrones similes sunt, quem ei scurriliter illusisse Lucas scribit. Docet præterea mors Christi,
quàm grauis apud Deū peccati culpa sit, quando eam tam dira tamq; acerba filij sui vnigeniti mor-
te expiari oportuit. Quod vt eos arguit, qui peccati blanditias admittunt, & sibipsis inter peccandi
delitias faciunt: ita omnes ab hominibus excogitatas peccatorum expiationes confutat. Si quid enim
potuisset excogitari, quod expiandis peccatis sufficeret, nunquam profectò eam rationem instituisset
Deus, quæ filij vnigeniti & dilecti mortē nō minus infamē quàm acerbā exigebat. Postremo com-
datur hīc nobis immensa Dei bonitas, qui filium pro nobis tradere dignatus est, & tam diros cru-
tus illū pro nobis subire voluit. Possumus ex eo cū Apostolo colligere, quòd nihil eorū negaturus sit,
quæ ad salutē nobis necessaria sunt. Nostrū verò fuerit horū consideratione excitari, vt primū quo-
dem Christū Iesum fide cōstanti complectamur, deinde eius amore accensi exemplū ipsius sequamur,
& patien-

& patienter feramus, quæcunque eius nomine ferenda veniunt. Qui enim nos crucis suæ consortes reddere dignatur, olim regni quoque cælestis cohæredes faciet. Ipsi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

HOMILIA CLXVIII.

Scripsit autem & titulum Pilatus, & posuit super crucem: Erat autem scriptum: Iesus Nazarenus Rex Iudæorũ. Hunc ergo titulũ multi Iudæorum legerunt: quia prope ciuitatem erat locus, ubi crucifixus erat Iesus: & erat scriptum Hebraicè & Græcè & Latinè. Dixerunt igitur Pilato principes sacerdotum Iudæorum: Ne scribas, Rex Iudæorum: sed quòd ille dixerit, Rex sum Iudæorũ. Respõdit Pilatus: Quod scripsi scripsi. Milites ergo cùm crucifixissent Iesum, acceperunt uestimenta eius (& fecerunt quatuor partes unicuique militi partem) & tunicam. Erat autem tunica insutilis, à summo contexta tota. Dixerunt ergo inter se: Ne scindamus eam, sed sortiamur de illa cuius futura sit. Vt scriptura impleretur, quæ dicit: Diuiserunt uestimenta mea sibi & super uestem meam miserunt sortem. Et milites quidem hæc fecerunt.

Memorabile & multa consideratione dignum est Pauli dictum, quo ad Corinthios scribens testatur se nihil nouisse præter Christum Iesum, eumq; crucifixum. Nec enim hæc solius Pauli sententia fuit, sed eadem fuit omnium prophetarum atque apostolorum fides, qui etiam ipsi similiter omnes in unum Christum respexerunt, quem promissum illum humani generis redemptorẽ esse sciebant. Debent autem horum exemplanos excitare, vt ipsi quoq; in crucis Christi consideratione diligenter versemur. Quod vt cum fructu fiat, semper meminisse oportet, omnia hæc propter nos facta esse, nec aliquid in tota hac historia tam minutum aut leuiculum in speciem accidisse, quod non certo & singulari Dei consilio factum sit, quò plenior esset nostra redemptio, & nos inde vberiorẽ in omni tentationum genere consolationem haberemus. Obseruemus ergo hoc ipsum in ea etiam parte, quam modò recitauimus quæ duo continet consideratu dignissima: Titulum videlicet crucis Christi gloriosum, & vt illius vestes inter se partiti sint milites, qui illum in crucem suffixerant.

Quod primum, voluit Pilatus ex more inscriptionẽ cruci affigere, quæ causam mortis Christi exponeret. Fuit hic mos laudabilis, & rectè in hodiernum diem vsq; in regnis & rebuspub. bene constitutis obseruatur, vt facinorosorũ, qui ad mortis supplicium ducuntur, delicta toti populo publicè vel scripto aliquo vel præconis voce indicentur, vt inde omnibus constet, quibus sceleribus illi pœnas istas meruerint. Facit hoc partim ad frænandam iudicum licentiam, ne quid temere in alicuius vitam pronuntient, partim spectatorum animos excitat, vt exemplis eiusmodi emendentur. At quoad Christi causam, cum in eo Pilatus crimen nullum comperisset, Iudæorum autẽ improbitate ad damnandum innocentem fuisset impulsus, vt illos vlciscatur, titulum cruci affigit, quo omnis huius supplicij infamia in totam Iudæorum gentem deriuatur. Habuit enim is inscriptionẽ eiusmodi linguis tribus exaratam, Hebraica nimirum, Græca & Latina: IESVS NAZARENVS REX IVDAEORVM. *Et consultò quidem linguis hisce tribus vti voluit, vt inter peregrinos, qui frequentes ad diem festum confluxerant, tam indigni facinoris fama citius & latius diuulgaretur. Et hoc quidem Pilati consilium fuisse apparet. Interim verò maius quiddam & sublimius spectauit Deus, qui priuato hominis prophani affectu ad declarandam filij sui innocentiam & maiestatẽ diuinam vti voluit. Illius enim testimonium est luculentissimum, quòd nullum aliud crimen in cruce pendenti ascribi potest, quàm quod iam ante rationibus solidissimis erat confutatum, & à quo illum Pilatus simul & Herodes post diligentem inquisitionem absoluerant. Maiestatis autem & potentiæ plus quàm humanæ argumentum euidens in eo cernitur, quòd qui in crucem suffixus membrorum omnium vsu destituebatur, Pilati mentem atque manum regere & mouere potuit, vt tanto*

Titulus crucis Christi.

ipsum præconio ornaret, & nec proprij quidem honoris haberet rationẽ, cum eodem scripto illum de se iniustè damnatum esse non obscurè testetur. Seruiunt hæc mirificè consolationi nostræ, ne hostium veritatis conatibus, aut etiam eorum perfidia siue ignauia terreamur, qui suum nobis patrocinium negant. Quod enim tunc fecit Christus, hoc ipsum magis potesᵹ hodie in cœlesti patris gloria considens, vt qui ipsum in membris suis crucifigunt, tandem ipsi suam iniquitatem sponte fateantur. Quotati autem & huius sectatoribus honorificum innocentiæ testimonium deferat. Exempla huius cùm vetera tum recentia passim occurrunt, & semper impletur quod olim Psaltes cecinit: Memoria iusti æterna erit: cui illud Solomonis consentit Prouerb. 10: Memoria iusti laudem habet, impiorum verò nomen sordet. Simul verò altius nos scrutari conuenit actionis huius mysterium, ex qua multa continet, quæ nos in ipsius Christi cognitione instituunt.

Quis & qualis agnosci debeat Christus.

Docet enim breuis iste crucis Christi titulus, quis nam ille sit, & qualis à nobis credi atq; agnosci debeat. Primò Iesum vocat Pilatus, quod illi nomen proprium fuit. At non sine numine hoc nomen impositum fuisse, ex conceptionis & natiuitatis ipsius historia constat. Quia enim Hebræa vox seruatorem significat, nemini hoc nomen rectius conuenire potuit, quàm ipsi, qui populum suum (vt angelus loquitur) è peccatis redimere & saluũ facere debuit. Deinde Nazarenum dicit, à patria nomen habens Nazareth, in qua educatum fuisse scimus. Et videtur vulgo sic dictus fuisse ab aduersarijs, vt ignobilitas (de qua primo cap. diximus) ipsi contemptum conciliaret. At hîc quoq; altius quid latuit spiritus sanctus. In Lege enim Naziræi (à verbo Nazar, quod separare significat) dicebantur qui vt Deo consecrati essent & diuinis liberius vacarent, voto peculiari sese ad arctiorẽ disciplinam obstringebant. Itaq; Naziræi vox à prophanis vsibus separatum & totum Deo consecratum significat. Quis verò nomine isto dignior censebitur, quàm Iesus Christus, qui reuera sanctus ille Dei est, qui suo merito & spiritu in se credentes sanctificat, vt ipsi quoq; Dei peculium sint, & in vera sanctitate ambulent? Tertiò Rex dicitur, quæ vox non imperium modò & gubernandi potestatem habuit, verumetiam populi sui vindicem atq; tutorem esse docet: quod præcipuum Regis officium omnes nouerunt. Postremò Iudæorum regem nominat. Quod Pilatus in eius quidem gentis contumeliam scripsit, vt supra diximus, simul tamen spiritus sanctus testari voluit, qui nam ad salutem Christi regnum pertineant. Iudæi nimirùm veri, qui (vt Augustinus annotauit) promissionis filij sunt, circuncisi corde quoad spiritum, non literam. Hi enim germani illi Iehudim, id est, confessores sunt, qui quam corde conceperunt fidem, non verbis modò, sed factis etiam & totius vitæ conuersatione ad Dei gloriam profitentur. Et hæc quidem de Christo Iesu Pilatus prædicauit, cuius mysterio, ignari licet tantorũ mysteriorum, Deus vti voluit, vt magis eluceat ipsius potentia & spiritus sancti virtus, quando eius effecta in hominibus prophanis cernimus. Oportuit autem in crucifixum ita prædicari, vt constaret eum per hanc triumphare de principatibus & potestatibus hostilibus, quibus antea propter peccatũ subiecti fuimus. Nam opponitur hic titulus chirographo Legis, quæ nos peccati conuincebat, nosq; vindicem habere docet Christum, qui illo abolito nobis iustitiam vitamq; conferat.

Tres linguæ in titulo crucis.

Deinde non temere factum putabimus, quòd titulum hunc tribus linguis Pilatus describi iussit, ijs quidem, quæ tunc in toto orbe celeberrimæ & præ alijs omnibus vsitatissimæ erant. Per hoc enim innuebat spiritus sanctus, regnum Christi non ad vnam modò gentem restringendũ esse, sed in omnes terras extendi oportere, & ad illud pertinere omnes, qui ex quacũq; gente ipsum fide vera apprehenderunt. Quod ipsum prophetæ passim testantur, & Deus ipse olim non obscurè docuit, quando Abrahamum patrem multarum gentium fore promisit, eos nimirùm intelligens, quos ex omnibus gentibus in promissum seruatorem credituros sciebat, vt per fidẽ Abrahami filij & salutis promissæ hæredes fierent. Itaq; inscriptione ista satis apertè innuebat Dominus, iam nunc præ foribus adesse tempus illud, quando Iudæos quidem propter suam contumaciam repudiari, gentes autẽ per euangelij prædicationem ad ecclesiæ societatẽ vocari oporteat. Et cùm olim legem suam in Hebræa modò lingua promulgasset Deus, nunc filij sui prædicationem tribus linguis toto orbe celeberrimis fieri voluit, vt ostenderet illum in omnibus linguis prædicari debere, vt non docti modò & linguarũ periti, verumetiam plebei & idiotæ illum agnoscere & salutis per eum acquisitæ consortes fieri possint. Arguitur ergo Pilati exemplo eorum tyrannis, qui scripturæ sacræ libros, quibus Christi cognitio traditur,

solis doctis legi volunt, & ne in vulgares linguas transferantur prohibent: Proferunt illi sui consilij rationes multas, sed eas omnes Christus suo exemplo confutat, quando euangelium in toto orbe prædicare iussit, & discipulos hanc vnam ob causam linguarum omnium cognitione instruxit, vt vbiq; terrarum salutis mysteria quibusuis prædicare possent. Et Paulus peregrinarum linguarum ambitiosos ostentatores grauiter reprehendit, & se quinque potius verba loqui velle ait, quæ ab omnibus intellecta ecclesiam ædificent, quàm decem millia, quæ barbaro & inutili sono auditorum aures nequicquam feriant. 1. Corinth. 14.

Sacerdotes titulum crucis mutari uolunt.

Cæterum de titulo hoc noua lis oritur. Principes enim sacerdotum eum mutari volunt, quia in vnius Christi persona totam gentem damnari, vel potius derideri sentiunt. Petunt ergo, vt scribatur, quòd ipse regem Iudæorum se esse dixerit. Eo autem facto magnum & insatiabile odium produnt, quando nihil ferre possunt, quod Christo aliqua ex parte honorificum est. Et adhuc illos Christi pudet, quod Iudæis proprium & perpetuum esse Paulus testatur 1. Corinth. 1. Adumbratur autem hoc exemplo, semper fore aliquos, qui suum Christo honorem inuideant, ipsumq; super se regnare nolint. Prædictum hoc olim à Dauide, qui in secundo Psalmo furiosos hostium conatus multis describit: quod ipsum alij quoque prophetæ non vno loco faciunt. Hodie autem passim istud fieri videmus. Pergunt enim in sua contumacia Iudæi, neque vllam maiorem iniuriam sibi fieri posse arbitrantur, quam si quis Iesum, qui ex Maria virgine homo natus est, Messiam esse dicat, quem olim patribus eorum Deus promiserit, & cuius merito ipsos seruari oporteat. Turcæ verò etsi de illo multa magnifice prædicent, cruce tamen offenduntur, & illi suum Mahumetẽ longè præferunt. Inter eos autem, qui nomen Christianum profitentur, duo hominũ genera inuenire licet, quorum vtrũq; Iesum Christum regem suum & salutis suæ authorẽ agnoscere dedignatur. Alterum hypocritarũ est, qui Christi honorem in se transferunt, quando suorum operum meritis tribuunt, quod illi soli debetur. Alterum Epicureorum est, qui cum carnis cupiditatibus toti addicti sint, Christi quidem beneficio frui volunt, seq; eius merito redemptos esse gloriantur, eiusdem verò legibus subesse nolunt, sed disruptis disciplinæ Christianæ vinculis in omnem peccandi licentiam effrenes feruntur. Habet ergo semper Christus, qui ipsum regem & seruatorem suum esse negant, & qui regnum eius inter homines abolere student: sicut alibi quoq; demonstrauimus.

Pilatus crucis titulum ratum uult.

At nemo horum aut similium conatibus offendi siue terreri debet. Nunquam enim quod volũt efficient. Quod ipsum in præsenti spiritus sanctus non obscurè docuit. Pilatus enim, qui antea turpi ignauia peccauit, nunc quasi instauratis animi viribus, non modò nõ cedit Pontificum postulationi, sed eã cum manifesta indignationis significatione reijcit. Respondet enim illis, Quod scripsi, scripsi. Quasi diceret, Quando tandem finẽ habebit vestra improbitas? aut quò vsq; mea patientia abutemini? An parum vobis videtur hominẽ innoxium in crucem suffixisse, nisi me quoq; populi totius ludibrijs exponatis? Facessite ergo procul hinc, neq; me adeò vecordem aut ignauũ putate, qui scriptum publicum in vestram gratiam mutare velim. Nam quod scripsi, scriptum est, idq; ratum & firmum manere volo, &c. Vnde verò hæc noua animi constantia in eo homine, qui paulò ante in causa grauio ritam mollis & ignauus fuerat? Ex Deo nimirum, qui nouis viribus eum instruxit, eò quòd ita exigebat filij dilecti gloria, quã in ipsa cruce à calumnijs asseri oportuit. Seruit hoc plurimum fidei nostræ confirmandæ. Nam ex eo apparet, Christi regnum stabile & omnibus calumnijs superius esse. Et si ratum manere debuit, quod Pilatus scripsit, cuius manu Deus breui momento ad illustrandam filij gloriam vti dignatus fuerat, quantò maior & stabilior erit eorum authoritas, quæ ex spiritus reuelatione scripserunt prophetæ & apostoli, quos sibi totos consecrauit Deus, vt suæ voluntatis interpretes essent? Opponamus hoc argumentum vniuersis hominum traditionibus, Conciliorum decretis, tyrannorum edictis & minis, omnibus denique, quæ infelix mundus aduersus Christi veritatem cõminiscitur. Debet enim hìc nos excitare Pilati exemplum. Noluit is retractare quod ex occulto spiritus afflatu, mysterij tanti ignarus scripserat. Quæ ergo ignauia fuerit, si nos temere eam fidem abnegemus, cuius confessionem sacris scripturis confirmatam aliquando edidimus, & cuius arrhabonem in cordibus nostris habemus spiritum sanctum?

Christi uestes diuiduntur.

Transeamus nunc ad alterã huius loci partem, qua narratur quid de vestibus Christi factum. Eas milites ex more & pro suo iure inter sese partiti sunt. Solent enim facinorosorum vestes, quãdo

capitis pœnas exoluunt, ex veteri consuetudine publicis ministris aut iudicij executoribus relo-
Fuerunt autem quatuor ex militum cohorte delecti, qui Christum crucifixerunt. Ergo ex vestibus
reliquis partes quatuor fecere, vt singulæ singulis darentur. Quo facto restabat adhuc tunica, vestis
nimirum interior, quæ cùm insutilis esset & textura cõtinua constaret, dissui aut scindi non potuit,
quin tota inutilis fieret. Itaque ne periret, sortem pro ea iecerunt. Poterat narratio hæc carnifi-
cio leuicula videri, vt quæ nihil contineat, quod non vulgò soleat fieri, quoties facinorosi aliqui capi-
tis supplicium luunt. Sed ne leue putemus quod hîc agitur, idem olim ex spiritus suggestione præ-
dictum fuisse Ioannes annotat, & hæc sic gesta dicit, vt impleretur scriptura, quæ dicit: Diserue-
vestimenta mea sibi, & super vestem meam miserunt sortem. Addit item: Et milites quidem hæc fe-
cerunt: qua particula admonet, non oscitanter prætereundum esse, quòd milites dum suo assueto
more indulgent, non aliud fecerunt, quàm quod futurum spiritus prædixerat. Rursus ergo Dei vo-
tus hîc elucet, qui impiorum opera tam feliciter vti potest, vt ignari rerum & quidvis aliud cogita-
tes in ipsius decretis exequendis suum illi obsequium præstent. Simul etiam admiratione digna est
militum modestia, inter quos de vestium Christi diuisione tam facilè conuenire potuit, vt sortem
committere voluerint quod absque communi omnium dispendio diuidi non poterat. Quàm multi
enim hodie inuenias fratres germanos, qui cùm paterna hæreditas diuidunda est, in sanas vsque
contentionibus tribunalia omnia fatigant, & totum potius patrimonium malè perire vellent, quam
suo iure latum vnguem cedere. Sunt tales à charitate Christiana alieniſsimi, & quia huius legis
subijci nolunt, digni sunt vt ad carnifices hosce ablegentur, & in eorum schola modestius agere
scant. Quoad verò scripturæ locum, extat is in Psalmo vigesimo secundo, quem in Saulina perse-
tione de semetipso Dauid conscripsit. Queritur inter alia, se & fortunas suas omnes hostibus in pre-
dam datas esse, qui omnem eius domum scrutati sint, & vestes quoq; inter se dispertierint. At
Dauidem Christi typum fuisse constat, multa ille spiritu dictante admiscuit, quæ de solo hoc intelligi
possunt. Testatur hoc ipse Dominus, quando (vt Matthæus scribit) paulò post huius Psalmi
ordio vsus est, vt immensum animi dolorem exprimeret clamando: Deus meus, Deus meus, ut
seruisti me? Voluit autem in re minutiori scripturas adducere Ioannes, vt ostendat in iis etiam re
in speciem contemptiſsima & nullius momenti esse videntur, luculenta Messiæ olim promissi mysteria
inueniri, si ea cum veterum prophetarum oraculis conferamus.

Redemptionis nostræ mysterium.

Et sanè hæc quoq; passionis dominicæ pars non parum facit ad illustrandum nostræ redemptio-
nis mysterium. Scimus enim in Lege Domini inter peccatorum pœnas hanc etiam commemorari,
quòd nostris laboribus parta bona alienis cessura, non autem ad legitimos hæredes rediturus sit. Sic
enim scribitur Deut. 28. Domum extrues, & non habitabis in ea: vineam plantabis, & non
phanabis eam. Bos tuus mactabitur spectantibus id oculis tuis, & tu non comedes ex eo: asinus tuus
rapietur è conspectu tuo, nec reuertetur ad te. Oues tuæ tradentur hostibus tuis, nec erit qui tibi au-
xilium ferat, &c. Dolet ea res vehementer viris bonis & honestis. Cùm enim bonorum animis in
se dolorem pariat, duplicari is solet, si ea hostibus aut improbis cedere videamus. Quia vero hæc
rerum confusionem peccatum inuexit, huic etiam subijci voluit Dei filius, & quasi solas habebat ve-
stes improbis militibus in prædam cessit, vt ea etiam ex parte peccati pœnas exolueret. Nudus enim
in cruce pendere dignatus est, vt nostræ nuditatis turpitudinem tegeret, nosq; sua iustitia vestiret.
Denique extremam ignominiam volens sustinuit, vt nos in Dei conspectu gloriosos & honore ama-
deret. Habet ergo hæc quoq; pars dulciſsimam consolationem, qua in tentationibus conscientias
dem nostram confirmemus.

Luxus vestium damnatur.

At quia Christus simul nobis exemplũ præbuit, cuius vestigijs insistamus, hoc ipsum ad vitæ nos-
stræ institutionem accommodare nos oportet. Proderit hîc Christum in cruce nudum diligenter mi-
ri, vt discamus, quàm procul ab eius exemplo discedant, qui vestitu sumptuoso & ad libidinem ac-
stumq; composito superbiunt. Peccatum in eo est omnibus seculis, vt prophetarum sermones testa-
tur: & quid hodie fiat cum publica Christiani nominis ignominia & priuata rei domesticæ iactura
nemo non videt. Est q; hoc inter corruptionis nostræ argumenta non postremum. Quia enim vestium
peccato originem duxerunt, nosq; nostræ conditionis admonere debebant, nimium certè impudenter
sunt, qui his in Dei conspectu superbire audent. Sunt hi furiosorum similes, qui catenis & vinculis
gaudent.

gendent, quibus se cõstrictos videt. Sed vt nullæ aliæ rationes proferãtur, merito eos suæ petulantiæ pudere debet, qui in Christi nuditate salutis suæ spẽ consistere audiunt. Deinde patientiam nos docet Dominus, si quid simile nobis accidat. Sunt hîc plerique hominũ impatiẽtissimi. Alijs enim dolet quòd quis bonorũ heres ipsis futurus sit nesciãt, aut eos fore sciãt, quos minimè vellent. Alij verò querun tur, quòd sua in hostium manus venire videant, & ideo se iustissimas quiritandi causas habere arbitrantur. Sed Christũ Dominũ omnes isti intueantur, qui quas solas habuit vestes, non matri pauper cule, non Ioanni dilecto discipulo, neq; alicui ex amicis reliquit: sed improbis & sanguinarijs militi bus cessit, qui eas quasi stipendiũ impij laboris, quem in ipso crucifigendo sustinuerant, inter sese partiti sunt. Fert autem id patienter, quia Patri ita placuisse sciebat. Eandem ergo nos quoq; rationem nobiscum ineamus. Vt enim ex nobis ipsis habemus nihil, sed ex Dei liberalitate omnia accepimus: ita nihil eorum amittemus, nisi sic Deo videatur, qui in nos & fortunas nostras ius habet & imperium. Ideo cum Iobo dicamus: Dominus dedit, Dominus abstulit, sit nomen Domini benedictũ. Consolatur item nos, quòd vt hoc argumento Ioannes probat Iesum esse promissum illum & à prophetis prædictum Seruatorem: ita huius generis afflictiones luculenter docent, nos germanos esse Dei filios, quando hic carnem lasciuientẽ disciplina eiusmodi coercet, simulq; Filio suo vnigenito quoad huius sæculi afflictiones, conformes facere dignatur. Vide quæ in hanc sententiam habentur. Hebr. 12. Patientia docetur in amissione bonorum.

Præterea præsumsum fuit hoc facto, quid semper in hoc mundo Christus passurus sit. Dispertiũt inter se vestes eius, qui illum paulò ante in crucẽ suffixerant. Ita qui hodie eius præcipui hostes sunt, non contenti illum in membris suis afflixisse, insuper vestes eius diripiunt & sacrilega audacia fœdè dilacerant. Possumus enim sub vestiũ nomine scripturas sacras intelligere, quibus ille in terris hisce ornatur: opes item ecclesiæ, quæ ad doctrinæ & cultus externi conseruationẽ faciunt. At scripturas adstrapiunt hæretici atq; impostores, & illis impia sua dogmata vestiunt, quibus totum Christi regnum & vniuersa nostræ salutis mysteria conuellere studeant. Factum hoc olim, & hodie idem fieri sentiunt, quicunq; puriorem de Christo doctrinam aduersus tenebriones eiusmodi tuentur. Ecclesiarum autem bona non aperti modò hostes diripiunt, verumetiã qui Christi & euangelij tutores atq; patroni videri volunt: qui ferè eo prætextu Christum spoliant, quòd euangelij ipsius propugnatores atq; defensores sint. Sed reuera militum istorum similes sunt, qui etiam ipsi Christum custodierunt, sed in cruce pendentem. Ita enim ipsi euangelium defendunt, sed quod miris modis laceratum suæ libidini seruire cogunt. At nunquam istud impunè facient, quia fucos eiusmodi ferre nequit, qui ipsa est Veritas. Neminem ergo horum improbitas offendat: quin potius Iesum Christum, qui mundo huc pauper nudusq; apparet, amplexi, eius merito nostræ nuditatis turpitudinem tegamus, & ita ab æternæ damnationis ignominia liberabimur. Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen. Christi sors in hoc mundo.

HOMILIA CLXIX.

Stabant autem iuxta crucẽ Iesu mater eius, & soror matris eius maria Cleophæ, & Maria Magdalene. Cùm uidisset ergo Iesus matrem ac discipulum astantem, quẽ dilígebat, dicit matri suæ: Mulier, ecce filius tuus. Deinde dicit discipulo: Ecce mater tua. Et ex illa hora recepit eam discipulus in sua. Postea cùm sciret Iesus, quòd omnia iam perfecta essent, ut perficeretur scriptura, dicit, Sitio. Vas ígitur erat positum aceto plenum: Illi uerò impleuerunt spongiam aceto, & hyssopo circundatam admouerunt ori eius. Cùm ergo accepisset Iesus acetum, díxit, Consummatum est: & inclinato capite tradidit spiritum.

PRæcipuum quidem in tota mortis Iesu Christi historia caput est, humani generis redemptio, attamen sic ille mori voluit, vt simul suo exẽplo doceret, quid nos in nostræ mortis articulo facere oporteat. Estq; hîc etiam istius historiæ vsus diligenter obseruandus: eò quòd hîc multiuariàm pecca tur, nec temere olim à quibusdam dictum sit, hanc non postremam in veræ sapientiæ studio partem Christi exemplo docemur quid morituri faciant.

esse, vt rectè mori discamus. Sunt enim, qui vt fortes videantur, impij mortis contemptores fiunt belluina quadam temeritate omnem de salute animarum curam abijciunt. Alij rursus amentiam abhorrent, vt eius metu superati ea faciant & loquantur, quæ homine quouis, nedũ Christiano, indigna sunt. Prodest ergo exemplum Christi intueri, de quo diligenter narrant euangelistæ, quæ ijs fecerit quæ ad suam modò personam pertinebant, qualem item erga alios se gesserit, & vt postremò spiritum Deo tradiderit. Quoad primum, hucusq; patientissimum fuisse vidimus, etiamsi (vt scribunt) hostes eius insolita crudelitate nouas ipsi afflictiones subinde adderẽt. Quæ omnia cum innocentissimus sustinuerit, turpe fuerit nos impatientius ea ferre, quæ nostro merito nobis accidunt. Quoad verò alios, quibus cum illi res fuit, Lucas eũ pro militibus, à quibus crucifigebatur, orasse scribit, cùm vt se sacerdotem nostrum esse testaretur, tum vt suo exemplo vindictæ cupiditatem in nobis restingueret, quæ nonnunquam maximorum malorum causa esse solet. Sequitur modò in loco nostro, vt erga matrem Virginem extremo pietatis officio defunctus sit, & mox reliqua eius narrantur, quæ ab illo in ipso mortis articulo facta sunt. Continentur his multa, quæ ad huius doctrinæ illustrationem faciunt, quapropter singula diligentius considerari & expendi debent.

Maria uirgo cruci astat cum alijs quibusdã.

Præmittitur omnibus narratiuncula, quæ occasionẽ continet eius actionis, quæ ipsi cum matre intercessit. Stabant (inquit) iuxta crucem Iesu mater eius, & soror matris, Maria Cleophæ uxor, quàm Iacobi minoris & Iose matrem fuisse ex Marci Cap. 15. apparet: Maria item Magdalene & cum his (vt Lucas tradit) multi ex notis eius, in quorum numero Ioannes quoq; fuit, qui pro more de seipso modestius loquitur, nomenq; suum reticet. Faciunt ista primùm ad declarandam acerbitatem mortis Christi, qui tam dirum tamq; ignominiosum supplicium in dulcissima matris & eorum charissimorum conspectu perpessus est, qui ipsi quidem procul dubio condoluerunt, eundẽ ob propter immanissimorum hostium improbitatem nullo pietatis officio potuerunt subleuare. Vehementer hoc grauiter eius animum, quando se matri charissimæ & notis omnibus non doloris modò sam, verumetiam quoad mundi iudiciũ probro esse videbat. Sed ita fieri oportuit, ve nulla acerbitas eius morti deesset, quæ pro mundi peccatis sacrificium esse debebat: veq; in sua persona susciperet aduersa omnia, quæ credentibus in ipsum solent accidere. Deinde fidem istarum mulierum et amicorũ Christi spiritus sanctus commendat. Scimus enim illas Christum diu secutas fuisse, quum doctrina & miraculis clarebat, & eidem sese in vltima profectione, qua Ierosolymam tendebat, comites adiunxerant. Nunc captum, damnatum, flagellatum, imo crucifixum non deserunt, sed in eo in finem vsque perseuerant. Imitemur nos harum constantiam. Nam si dignum iudicamus qui sequamur, quando per euangelium regnat & triumphat, turpe fuerit eundem in verbo & membris suis periclitantem deserere. Et si mulieres istas prioris consuetudinis recordatio in officio retinuit, cùm nihil aliud quam triste & horrendum crucis spectaculum ob oculos haberent, neque ullam futuram resurrectionem adhuc intelligerent, nulla nobis excusatio reliqua erit, si ab eo defecerimus quem non modò pro nobis mortuum, verumetiam à mortuis resuscitatum esse, & nunc in cœlo regnare profitemur. Non ergo terreat nos miserabilis rerum facies, non impiorum hominum opprobria, non vlla pericula moueant, quò minus cum eo perseueremus, qui similia & his grauiora pro nobis sufferre dignatus est. Et cùm meritò magna sit apud omnes pios Mariæ virginis authoritas, eius exemplum nobis imitandum proponamus. Vidit illa indignam filij sui conditionem, audiuit conuicia militum, sacerdotum, vulgi indignissimas, ob oculos item habuit centurionem cum armata militum cohorte, qui in crucem suffixos custodiebant: neque dubium est, tunc imprimis eo dolore gladium ipsam vulneratam fuisse, quem Simeon eius animam penetraturum esse prædixerat. Non tamen turpi fuga filium dilectissimum deserit, non Deo temere obloquitur, non immodico eiulatu & ululatu muliebris gestibus dolorem animi prodit, nihil deniq; eorũ dicit aut facit, quæ inepti Monachi de ipsius mortis passione finxerunt: sed fidei fortitudine & constantia armata patienter fert quæ ipsi ferenda Deus imposuit, neq; ab eo se diuelli patitur, quem Dei filium & promissum humani generis seruatorem firmiter credebat. Neq; suo fructu fides ista caruit. Nam crucis Iesu Christi consors facta, illum senser protectorẽ eo tempore, quo nihil eius sperare poterat, si carnis rationẽ siue iudicium audire voluisset.

Christus in cruce matrem agnoscit.

Agnoscit enim matrem afflictam Dominus, & quàmuis ipse in cruce pendeat, illam tamen non defendit, ne quid mali ab impijs suis hostibus patiatur: adhæc eandem discipulo suo dilecto commendat.

Matris

Mulier (inquit) ecce filius tuus. Mulierem vocat, non quòd matrem suam esse neget, sed ex commiseratione, & quòd paulò post non amplius mater, sed orba futura erat. Simul tamen eandem amicè consolatur, & alium ostendit, qui eius curam suscipiat. Quasi diceret: Posthac me quoad vitam huius seculi non frueris amplius, neque à me quæ filius matri debet officia expectabis: Sed ecce hunc mihi dilectum discipulum substituo, qui tibi filij loco erit, & qui omne pietatis officium fideliter præstabit, &c. Et mox ad Ioannem quoq; conuersus, eam matris instar habeat præcipit. Est autem actio ista memorabilis admodum, & proinde digna, cuius singulæ personæ propius inspiciantur.

Primam igitur Mariam videamus, quæ cùm ex regia Dauidis stirpe genus duceret, & filij Dei in carne manifestati mater esset, alteri tamen commendatur, qui eius curam suscipiat, eam alat atq; tueatur. Vnde apparet pauperculam & inopem fuisse, cuius rei non obscura indicia Lucas in ipsa Iesu Christi natiuitate nobis proponit. Docet exemplum hoc, paupertatem per se non ignominiosam esse, & vehementer peccare eos, qui vel illam impatientius ferunt, vel aliquem eius causa contemnunt atque fastidiunt. Cur enim de eo conqueratur homo Christianus, quod sibi cum matre Iesu Christi, imò cum eo ipso commune esse videt, quo redemptore gloriatur? Vel cur in aliquo mortaliũ damnetur, quod olim sanctissimi Dei cultores perpessi sunt? Qui pauperi illudit (inquit Solomon) probro afficit factorem eius. Prouerb. 17. Hinc ergo consolationem petant inopes, & à Deo sibi impositum onus patienter ferant, qui non minus ipsis prospiciet, quàm matri suæ Christum prospexisse videmus. Maria paupercula.

Secundò Christum videamus, in quo multa consideratu digna occurrunt. Primum, quòd hunc actum hucusq; distulit, nimirum ea prius exequi volens, quæ ipsi ex patris mandato ad humani generis redemptionem obeunda erant. Quo exemplo docet, nos quoq; potiorem semper eorum rationẽ debere habere, quæ Deus nobis aliquo peculiari mandato iniunxit, ne ea in alicuius hominis gratiam vel omittamus, vel in tempus aliud differamus. Monet hoc ipse, quãdo ne patris quidẽ funeri eum interesse voluit, quem in discipulorum suorum numerum vocauerat. Et alibi discipulis ad prædicandum emissis grauiter præcipit, ne quem inter eundum salutent: nõ quidem humanitatis officia prohibens, sed monens, ne quocunque prætextu se à sua vocatione retrahi patiantur. Deinde non minus obseruari debet, quòd peractis potioribus illis matrem non negligit. Est hoc memorabile pietatis erga parentes exemplum, cuius simile nullum in historijs reperitur. Siue enim dolores, quibus tunc distinebatur, consideres, siue cœlestis regni gloriam expendas, in quam paulò post ingressurus erat, vtrinq; occurrent, quæ illum impedire poterant, ne de matre cogitaret. Vicit tamen omnem carnis affectum pietas, quam Deus in Lege nobis peculiari præcepto commendauit. Nec temerè factum putabimus, quòd qui absque hominum ministerio occulta virtute matri prospicere poterat, tutorem illi dare voluit, & eam rationem sequi, quæ inter homines vsitatissima est. Fecit hoc, vt nobis exemplo esset, & suo facto legem de parentibus honorandis confirmaret. Meminerunt huius frequenter sacræ literæ, & eandem Lex naturæ non gentibus modò, verumetiam brutis quibusdam commendauit, quod in elephantis & ciconijs historiæ naturalis scriptores obseruarunt. Turpissimum ergo fuerit, si ab his sese vinci sinant homines, neq; Christi exemplo moueantur, qui inter acerbissimos crucis dolores, matris tam diligentem curam habuit. Arguuntur igitur hîc nostri seculi mores, quando multi in re lauta parentes negligunt, multi impiè contemnunt, nonnulli etiam ignominiosè tractant, vel eorũ morti ceu vultures aut canes sepulchrales inhiant. Sunt hi reuera ἄστοργοι illi, quos nouissimis temporibus enascituros olim Paulus prædixit. 2. Timoth. cap tertio. Discamus ergo Christi exemplum imitari, & in eo obseruemus, pietatem quam parentibus debemus, non externa reuerentia, gestibus submissioribus, aut etiam titulis honorificis impleri, sed in eo potissimùm consistere, vt de victu, amictu, hospitio & alijs rebus necessarijs fideliter ijs prospiciamus, quibus vitæ nostræ principium debemus, quique in nostri educatione labores & molestias omnis generis sustinuerunt. Præterea hoc etiam non oscitanter prætereamus, quòd non cuiuis temerè obuio matrem Christus commendat, sed Ioanni dilecto discipulo, cuius fidem iam sæpè perspexerat, & qui nunc illius præclarum specimen edebat. Est hoc ijs obseruandum, quorum fidei orphanos & viduas Deus commisit, principibus nimirum & quibusuis alijs qui in magistratu constituti sunt: vt nimirum illis tutores dent spectatæ probitatis & industriæ viros, non impostores, abliguritores, raptores aut saltem ab omni hu- Christus matris curam habet.

manitatis sensu alienos. Peccatur enim in hoc sæpè negligentia, & interdum improbo erga defunctos odio: quæ causa est, quòd ex viduarum & orphanorum bonis illi quidem ditescunt, hi verò ad inopiam rediguntur. At scelus hoc inultum non sinit Deus, qui se viduarum tutorem & pupillorum patrem esse profitetur.

Ioannes Mariã ad se recipit.

Postremò ipse etiam Ioannes inspiciendus venit, qui audita Christi voluntate, ex ea ipsa hora Mariam recepit in sua, id est, ad se, & eam matris loco habuit, vt eam aleret, seruaret & omni pietatis officio prosequeretur. Est hoc ingens magnæ erga præceptorem suum obseruantiæ argumentum. Multa enim prætexere poterat, ne hoc onus in se reciperet: propriam nimirum egestatem & inopiam, rerum omnium incõmoditatem, pericula, de quibus illos Dominus nõ semel admonuerat. Sed contemptis his omnibus, eius monitis obtemperat, cuius discipulum & seruum hucusq; fuerat professus. Imitemur exemplum hoc, vt simili alacritate ipsi quoque eos recipiamus, quos Christus nobis cõmendat, neque audiamus carnis auaræ & ambitiosæ rationes, quas eius præceptis solet opponere. Nam etsi illæ interdum aliquod pondus habere videantur, reuera tamen friuolæ sunt. Obseruabis autem, quòd illam in sua recipit Ioãnes. Ergo non errones fuerunt Apostoli, quales ferè sunt hodie, qui mendicitatem suam horum exemplo tueri student, sed familias suas habuerunt, quibus vt viros bonos decet honestè prospexerunt, & ex his, quando commodum fuit, aliquos secum circunduxerunt (quod de vxoribus quoque eorum factitatum fuisse Paulus disertè testatur 1. Corinth. capite nono) aliquando autem tam has quam reliquos in certis locis deposuerunt apud amicos & fidos hospites, de quorum probitate ipsis constabat. Quòd si qui istud adhuc negant impudenter, ostendant nobis, quomodo Virginẽ matrem in sua Ioannes receperit, aut quàm egregiè matri prospexerit Christus, qui eam mendico & erroni vagabundo crediderit? Magnam ergo & Apostolis & Christo iuriam faciunt, qui mendicitatem, quæ omnis ordinis & disciplinæ maxima pernicies est, illorum exemplo tuentur. SED priusquam ab Ioanne discedamus, hoc etiam imprimis obseruatu dignũ est, quòd etsi Mariam ipsi commendasset Dominus, & ipse haud dubiè fidum illius tutorem egerit, ne quid ignominiosè pateretur, nusquam tamen illam adorare aut aduocatæ loco inuocare docuit. Imo cùm in Epistola sua de intercessione, qua nobis propter peccata apud Deum opus est, verba faceret, vnius Christi Iesu meminit, qui se pro nobis dederit propitiationem, & noster sit aduocatus atque mediator. Quòd si hoc docendo non contumeliosus fuit in Mariam Ioãnes, cur nos hodie in eam contumeliosi dicimur, qui eandem cum Ioanne doctrinam sectamur? Agnoscamus illam singulari Dei organum fuisse, quo is in filij sui incarnatione vti dignatus est, imitemur illius fidem, modestiam, caritatem, patientiam & quas præterea eius virtutes sacræ literæ prædicant: Redemptionis autem & salutis nostræ gloriam soli Christo tribuamus, qui in eius societatem admittit neminem: & ut hunc rectè colemus, simulq; Mariæ virginis memoriam dignè celebrabimus.

Christus sitiens aceto potatur.

Cæterùm tempus est vt ad Christum redeamus, qui cùm matri prospexisset, sciebat iam prædicta esse reliqua omnia, quæ in eius morte euentura prophetæ prædixerant. Præcesserant enim illa actionem conuitia & opprobria, quæ in illum iecerant omnis loci & ordinis homines: senserat enim ex peccatorum nostrorum pœna tentationem grauissimam, quæ ipsi vocem hanc horroris plenam expresserat: Deus meus, Deus meus, cur me deseruisti? Restabat autem quod in Psalmo sexagesimo nono scribitur: Dederunt in cibo meo fel, & cùm sitirem potarunt me aceto. Vt ergo hoc quoque perficeretur, dixit, Sitio. Vbi nemo putet, ipsum sitim simulauisse, vt ea occasione fieret quod olim prædictum fuerat. Verè enim sitiuit, et quidem cum grauissimo dolore, cuius causæ naturales adduci possunt, nox insomnis, cõtinuus animi mœror, neruorum atq; membrorum omnium extensio & sanguinis profusio, qui ex vulneribus iugiter manabat. Nihil ergo finxit Dominus, sed hoc quoque (vt & reliqua omnia) verè passus est, vt verum pro nostris peccatis holocaustum fieret: id quod nobis in eius siti præcipuè est obseruandum. Sed non intelligunt hæc salutis mysteria prophani milites, qui ex eo potius nouam vænantur ipsi insultandi occasionem. Cùm enim illic astaret vas aceto plenum (fortassis pro more ad accelerandam mortem facinorosorum, si ita necessitas postularet) accurrit quidam & ex eo impletam spongiam hyssopo circundat atque calamo impositam ori eius admouet. Alij verò hoc inhumaniores, ne id fiat prohibent, volentes nimirum illum diutius torqueri, simulq; verba eius, Eli eli lama sabachtani, scurriliter in sensum non alienum modò, verumetiam impium detorquent,

detorquent, quasi Eliæ opem atque auxilium implorauerit. Quæ omnia ab aljs copiosius descripta Ioannes breui narratiuncula absoluit, quæ etiam ipsa non pauca habet considerationè dignissima.

Primò Christus sciuisse dicitur quæcunque iam secundùm scripturas perfecta erant, & quæ adhuc perficienda restabant. Ergo præsenti animo dolores crucis grauissimos sustinuit, & inter hos in eorum meditatione diligenter versatus est, quæ de eius morte spiritus olim prædixerat. Cuius rei indicium est, quòd verba Psalmi 22. citauit, quo tota ferè passionis eius historia per singulas partes exponitur. Est hoc plenum dulcissimæ consolationis. Si enim inter acerbissimos mortis dolores eorum non potuit obliuiscì Dominus, quæ ipsum propter nos ferre & facere oportebat, minimè credendum est eum nunc nostri memoriam deposuisse, quando curis atque doloribus liberatus regno fruitur, in cuius hæreditatem nos iam pridem adoptauit. Docet item exemplum Christi quæ nostræ etiam meditationes esse debeant tam in mortis articulo, quàm in alijs aduersis siue afflictionibus. Cogitem usnihil nobis fortuitum accidere, mortẽ verò viam esse omnis terræ, vt scriptura loquitur. Reuocemus ergo in mentem quæ de piorum persecutionibus, de nouissimorum temporum periculis, de ipsa denique morte Christus olim dixerit, & quæ præmia ijs idem promiserit, qui in finem vsque perseuerant. Parient istæ meditationes in animis nostris nouum fidei robur, quo facilè omnes tentationes superabimus.

Christus sciuit quæ essent euentura.

Deinde postremum hunc actum non antea suscipit Christus, quàm omnia alia perfecta esse sciat, quæ ipsi ex patris mandato agenda incumbebant. Est hoc magnum summæ erga patrem obseruantiæ argumentum, idemque illius ardens pro salute nostra studium declarat. Neq; enim dubium est, illum etsi quoad corpus siti ardentissima torqueretur, animo tamen multò magis sitiuisse salutem nostram, quam capite quarto cibum suum esse dixit. Seruiat hoc consolationi in tentationibus, ne nos & salutem nostram ab illo negligi putemus. Qui enim amissam tam anxiè quæsiuit, acquisitam & tanto pretio redemptam negligere non potest. Præterea ad patientiam nos excitet eius exemplum, vt ipsi quoque inter pericula & dolores quosuis constanter pergamus in obedientia, quam Deo debemus. Sibi ergo istud applicent qui carceribus concluſi detinentur, qui exilij molestias sentiunt, qui morbis diuturnis cõtabescunt, qui inter lentos tormentorum cruciatus martyrij coronam accipiunt, denique quotquot aliqua cruce grauantur: & quia nos plerunque nescimus, quando cursus noster impletus sit, perseueremus patienter quàm diu Deo placuerit, qui nos supra vires tentari non sinet, & simul afflictiones nostras consolationibus temperabit, prout nobis opus esse viderit.

Christus patris obseruantiss. et nostræ salutis studiosiss.

Tertiò militum petulantia atque crudelitas obseruari debet, qua mundi huius ingenium exprimitur. Solet is Deo salutem eius sitienti acetum propinare quouis felle amarulentius, quãdo non insolitis modò sceleribus pergit, verumetiam illis noua indies accumulat, & Dei longanimitate petulanter abutitur. Conquestus est olim per Isaiam Dominus de hac Iudæorum ingratitudine sub vineæ parabola, quæ post culturam non minus sumptuosam quàm laboriosam vuarum loco labruscas tulerit. At vtinam vites eiusmodi degeneres non passim hodie haberentur, & quidem in medio ecclesiæ, quæ vinea Domini dicitur. Si cui ergo hæc militum petulantia displicet, caueat diligenter ne Christo per euangelium pœnitentiæ fructum poscenti amaras peccati labruscas obtrudat. Cæterum non aduersus Deum modò mundus hic petulanter insurgit, sed ijsdem moribus erga pios quoq; vtitur. Nam his etiam in cruce pendentibus scurriliter insultat, & nouis subinde afflictionibus eos grauat, qui amica consolatione debebant subleuari. Faciunt hoc qui persecutionum tempore pijs fidem in Christum & euangelij promissiones exprobrant, qui item ex scripturæ verbis, quibus illos aliquando vti audiuerunt, ipsos ridendi occasionem arripiunt, vel etiam eorum preces amarulenter calumniari solent. Fiunt ista frequenter hodie, & ferè laudem eximiam referunt, qui hìc reliquis sunt ingeniosiores. Sed est hoc ingens scelus, quod olim in Amalekitis, Idumæis, Tyrijs, Babylonijs Deus grauiter puniuit, qui nec hodie suo officio deerit in ijs puniendis, qui illorum mores imitantur. Neminem ergo ista offendant: sed meminerint pij, se dum ista patiuntur Christi socios esse, qui olim acetum istud in dulcissimum beatæ immortalitatis nectar conuertet, quod ad eius mensam in cœlis bibent, qui hic cum ipso in tentationibus perseuerauerint.

Mundus Christo aceti̇̃ propinat.

Considerationem præterea ampliorem in hoc militum facto meretur, quòd impij sæpè ignorantes faciunt ea, quibus salutis nostræ mysteria illustrantur. Propinant isti Christo acetum, & poculi

Milites per ignorantiã Christi mortem honorant.

loco vtuntur spongia, qua vix aliud leuius atque abiectius esse videtur. Circundant illam hyssopo, quod qua ratione factum sit multi disputant. At quia prophani milites ex gentibus fuerunt, & Christo petulanter illudere voluerunt, ego illos ad publicum morem respexisse puto, quo gentes in conuiuijs solennioribus pocula coronare solebant. Isti ergo ne quid petulantiæ omittant, postremum hunc Christi potum per ludibrium coronant, non quidem herba aliqua nobiliori, sed hyssopo, quæ & gustu acerbioris est, & in Iudæa omnium contemptißima semper habita fuit, vt videre est 1. Regum capite quarto vbi inter Solomonis libros is quoque nominatur, in quo de stirpibus disseruit, à cedro Libani vsq; ad hyssopum, quæ ex pariete progerminat. Per contemptũ ergo hoc fecerunt milites. Interim verò fructum mortis Christi hoc facto illustrari voluit Spiritus sanctus, & militum petulantia bene abusus est, vt ignari quoque tantorum mysteriorum de illo testimonium ferrent. Constat enim hyssopo purgandi vim inesse, quæ causa fuit, quòd in lege sacrificijs expiatorijs & lustrationibus adhiberetur. At quia nunc eadem postremus ille Christi potus coronatur, non obscurè docuit Spiritus sanctus, hunc esse sacrificium illud, quo mundi peccata expiari oporteat, adeoq; hyssopum illam esse veram, de qua Dauid in Psalmo quinquagesimo primo loquitur, orans: Expia me hyssopo, & mundus ero, &c. promissum haud dubiè redemptorẽ intelligens, quem sacra Legalia adumbrabant. Itaque Christum magnificè celebrant impij milites, dum ei scurriliter illudunt, simulq; seipsos damnant, dum humani generis seruatorem reijciunt. Extant alia quoque huius generis exempla, inter quæ censeri debet quod Capite vndecimo de Caiapha pontifice contra Christum sententiam dicentem audiuimus. Et hodie similia multa fiunt, quæ fortuita quidem videntur, sed non sine numine fiunt, vt ex ijs discamus quanta diuinæ veritatis vis sit, quæ ab hostibus quoq; vel inuitis vel longè aliud cogitantibus testimonium accipit, quo commendetur.

Consummatum est.

Sequitur postremus Christi in cruce actus. Vt enim acetum hoc gustauit, dixit: Consummatum est: & inclinato capite tradidit spiritum. Loquitur autem de eo negotio, quod tunc agebatur. Erat hoc humanæ redemptionis opus. Hoc ergo consummatum esse ait, simulq; iam impleta esse testatur, quæcunque olim patribus priscis promiserit Deus, quæ item typis legalibus adumbrata, & per prophetas ex spiritus suggestione prædicta fuerint. Neque obstat huius dicti veritati, quòd reliqua adhuc erat ipsius ex mortuis resurrectio & gloriosa ascensio in cœlos, quibus nostræ salutis complementum continetur. Scimus enim duo hæc in morte eius includi, vtq; scriptura interdum solius resurrectionis mentionem faciens, mortem subintelligit, quæ illam necessariò præcedit: sic è contra sub mors resurrectio & quæ hanc secuta est ascensio in cœlos comprehenditur. Porrò vsum huius dicti diligenter expendere oportet, qui duplex est. Primò sacrificia externa omnia abrogat, & nos suæ mortis merito plenè & perfectè redemptos esse docet. Damnantur ergo impietatis in Christum, quicunq; noua pro peccatis sacrificia instituunt, aut ipsius Christi sacrificium iterant, quod nimis impudenter Mißifices monachi & sacrificuli hodie faciunt. Si enim consummatum fuit in Christi morte redemptionis nostræ negotium, nihil certè reliquum mansit, quod nos ad eius consummationem faceremus. Et si vetera sacra, quæ diuinitus instituta fuerant, aboleri oportuit, vt Christi merito suum hoc integer maneret, impium fuerit noua substituere, quæ vt ab hominibus auaris excogitata sunt, ac Christum mendacij arguunt, qui iam moriturus omnia consummata esse dixit, quæ ad peccatorum nostrorum expiationem & totum nostræ redemptionis negotium necessaria erant. Deinde confutatur nos hoc Christi dictum in omni tentationis genere. Si enim omnia perfecit Dominus, sublatum est vtique peccatum, neque nobis amplius imputari poterit. Vnde colligitur non posse nobis damno esse quæ ex peccato originem duxerunt. Quid ergo huius seculi incommoda metuimus, quæ credentibus ad bonum cooperantur? Quid mortem timemus, quæ per Christum felix ad vitam transitus facta est? Quid inferos exhorrescimus, quorum portas ille confregit? Quid denique ipsum mundi principem formidamus, qui & exarmatus & regno suo, quod malè occupauerat, eiectus est? Semper ergo sonet in auribus nostris hoc Christi dictum, vt & superstitiones caueamus, quæ illius meritum euacuant, & tentationes omnes vincamus, quibus nos à statione deijcere conatur satan, qui deuictus licet saluti nostræ insidiari non desinit.

Christus tradidit spiritum inclinato capite.

Sed ipsam quoque Christi Iesu mortem videamus, quem inclinato capite spiritum tradidisse Ioannes scribit. Lucas eundem alta voce exclamauisse ait: Pater, in manus tuas commendo spiritum meum.

meum. Concurrunt hîc non obscura diuinitatis argumenta, quæ à Centurione & alijs nonnullis obseruata fuisse alij Euangelistæ testantur. Primò enim virtutem humana maiorem clamor ille & diserta postremorum verborum enuntiatio indicat. Scimus enim morituros ita deficere, vt plerique loqui quidem submissius possint. Deinde Deum patrem dicit, vt verè se eius filium esse ostendat, quem paulò ante hostes ipsi exprobrauerant. Præterea quando vult moritur, adeoque cum authoritate animam deponit, vt se mortis & vitæ Dominum esse indicet, quod euidens diuinæ potentiæ argumentum est. Quis enim (vt Augustini verbis vtar) ita dormit quando voluerit, sicut Iesus mortuus est quando voluit? Quis ita vestem deponit, quando voluerit, sicut se carne exuit quando voluit? Quis ita cùm voluerit abit, quomodo cùm voluit obijt? Rectè autem his infert idem pater: Quanta speranda vel timenda potestas est iudicantis, si apparuit tanta morientis? Prodest igitur diuinam Christi potentiam, quæ in morte tam luculenter se exeruit, diligenter obseruare, vt ex ea spem salutis firmam concipiamus, & eiusdem timore in officio contineamur, neque locum demus affectibus, qui nos plerunq; transuersos abripiunt. Simul verò non temerè factum putabimus, quod gestu dormituri Christus mori voluit. Ita enim mortem corporis obdormitionem esse docet, quæ locutione vetus scriptura sæpè vtitur, & eadem ipse supra vsus est, quando Lazarum dormire dicebat. Facit hoc quoque ad profligandum mortis terrorem, & spem futuræ resurrectionis cõfirmat, sicut alibi fusius diximus.

Sed & animam patri commendat. Quo facto de animarum conditione nos admonet, quæ quoad essentiam suam spiritus sunt, in morte autem neque moriuntur neque obdormiunt, sed ex corporis ergastulo digressæ colliguntur ad locos suos, impiorum quidem ad inferos, piorum verò ad æternæ beatitudinis sedes, vbi cum Christo viuunt & gaudent, olim ad corpora sua redituræ, vbi hæc resuscitata fuerint. Admonet item Dominus, cui nos quoque animas nostras commendare debeamus: Nimirum Deo, qui illas dedit: & suo exemplo eorum superstitionẽ damnat, qui Diuos cœlites animarum suarum tutores siue custodes faciunt, & hos in mortis articulo inuocãt. Vult enim Christus nos secum esse, & suæ mortis merito patrem nobis reconciliauit, vt minimè timendum sit, ne is nos reijciat, aut in fide morientium animas aspernetur: Seruit ergo Christi morientis exemplum confutandis ijs, qui purgatorium ignem finxerunt & sacra pro defunctis instituerũt, quæ vt ipsis quæstuosa facere, ita fidem morientium vehementer labefactarunt. At quia illi nos talia dicentes nouitatis accusant, audiant quæso D. Cyrillum, cuius verbis sermonẽ istum concludere libet: In manus Dei patris animam suam commendauit, quod nobis magnæ spei fundamentum atq; originem præbet. Credere namque debemus, cùm à corporibus sanctorum animæ abierint, tanquam in manus charissimi patris, bonitati diuinæ cõmendari: nec vt quidam infidelium crediderunt, in terris conuersari, quòusque sepulturæ honoribus affectæ sint; nec vt peccatorum animæ ad immensi cruciatus locum, id est, ad inferos deferri, itinere hoc nobis à Christo primùm præparato, sed in manus patris potius euolare. Tradidit enim animam suam in manibus genitoris, vt ab illa & per illam facto initio, certam huius rei spem habeamus, firmiter credentes, in manibus Dei nos post mortem futuros, vitamq; multò meliorẽ ac perpetuò cum Christo victuros: ideò enim Paulus desiderauit resolui, & esse cum Christo, &c. Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

HOMILIA CLXX.

Iudæi ergo, ut non manerent in cruce corpora sabbatho, quoniam erat parasceue (erat enim magnus dies ille sabbathi) rogarũt Pilatum, ut frangerentur eorum crura, ac tollerentur. Venerunt ergo milites, & prioris quidem fregerunt crura, & alterius qui crucifixus fuerat cum eo. Ad Iesum autem cùm uenissent, ut uiderunt eum iam mortuum, non fregerunt eius crura. Sed quidam ex militibus lancea latus eius fodit, & statim exiuit sanguis & aqua. Et qui uidit, testatur & uerum est testimonium eius, & ille scit quòd uera dicit, ut & uos creda-

tis. Facta sunt enim hæc, ut scriptura impleretur: Non confringetur ullum os ipsius. Et rursus alia scriptura dicit: Videbunt quem transfixerunt.

Signa mortem Christi comitata & secuta.

ETsi filius Dei Iesus Christus in hoc mundo pauper & contemptus vixerit, diuinam tamen virtutem signis & miraculis ita declarauit, vt illam plerique ex vulgo potuerint agnoscere. Fuit hoc ipsum sub mortis horam. Qui enim medius inter latrones pendebat & ab omnis loci atq; ordinis hominibus contumelijs & opprobrijs atrocibus obruebatur, interea non obscuris indicijs testatus est se Dei filium, adhæc vitæ mortisque Dominum & humani generis redemptorem esse. Nam vt alij Euangelistæ scribunt, Soli suam lucem eripuit & tenebras toti orbi inuexit, templi velum diffidit, terram omnem immani motu concussit, quo & petræ fissæ & mortuorũ sepulchra patefacta sunt. Quæ omnia vt non potuerunt humanis viribus fieri (quod multi ex astanti turba non sine animorũ consternatione obseruarunt) ita innocentiæ ipsius testimonium tulerunt, adhæc mortis eius fructum adumbrarunt, pœnasq; dignas denuntiauerunt hostibus ipsius, quas non alia ratione effugere possint, quàm vt ipsum seruatorem & Dominum suum agnoscant. Quia verò hæc ab alijs prolixe exposita sunt, Ioannes ijs præteritis vnum modò, quod in eius morte editum est, signum commemorat, cuius ipse testis fuit oculatus: & in eius descriptione diligentiam singularem adhibet, quia in eo præcipua redemptionis nostræ mysteria adumbrata fuerũt, & idem plurimum facit ad fidei nostræ confirmationem, quando ostenditur in Christo impleta fuisse, quæcunque olim spiritus sanctus de promisso seruatore prædixit.

Iudæi petunt ut cadauera ex cruce tollãtur.

Narrandi exordium facit à facti huius occasione, quæ partim ex temporis circunstantia, partim ex lege petita fuit. Erat enim parasceue magni sabbati paschalis, quod singulari solennitate celebrabatur, ideoq; indignum et iniquũ erat illud aliquo fœdo aut miserabili spectaculo violari. Deinde lex erat, ne facinorosorum cadauera diutius quàm ad Solis occasum in cruce relinquerentur: & rationem huic Legi grauem adiecerat Moses: Quoniam maledictio Dei est suspensus, & non polluet terram tuam, quam Dominus Deus tuus dat tibi. Dicitur autem suspensus Dei maledictio, nõ quod talem ille corpore simul & anima perditũ velit, sed quòd Deus execrari & abominari soleat inhumanitatem & crudelitatẽ qua in eorum corpora exanima adhuc sæuitur, qui secundùm leges sceleratorum suorũ pœnas dederunt. Tunc enim (quod prouerbio dici solet) latrociniũ in latrone cõmittitur. Voluit ergo Deus suppliciorũ rigorem moderari, ne in sontibus plectendis modus excedatur. Moue hoc cõmunis humanitatis sensus, vt eos cõmiseratione prosequamur, qui eiusdem nobiscũ naturæ in sortes sunt, & dum illi ducuntur, cogitemus à nobis quoq; nihil humani alienũ esse, et quod illi nũc patiuntur, id nobis accidere posse, si suũ nobis spiritũ Deus subducat. Rectè ergo hoc præceperat Deus, quod Iosue in Chananæis quoq; regibus obseruandũ putauit, ne crudelitate barbara Dei oculos offenderet. Et certè monendi erãt hodie Christiani magistratus, ne in re tanti momenti barbarorũ more imitarentur. Sed ad Iudæos redeamus, qui etsi festi religionẽ & Legẽ Dei prætexerent, longe aliud tamen spectauisse videntur: nimirũ vt Christum secundùm leges pœnas dedisse & ipsi Deo abominabilem esse persuaderent populo, & vt vnà cùm Christi corpore memoriam quoq; eius ex hominũ animis abolerent, quod in frequenti populi cõcursu imprimis faciendũ esse putarunt. Rursus ergo suam produnt hypocrisim & præposterũ religionis studiũ. In eo enim quod minoris momenti erat, legẽ prætexunt, qui prius contra leges sanguinem innoxium effundi curauerant. Solicitè item cauent, ne magnus ille dies festi fœdo & horribili cadauerum in cruce pendentium conspectu violetur: ijdem verò absq; omni numinis metu festi Dominũ & authorem non minus iniustè quàm crudeliter occiderant. Idem ergo faciunt quod nuper, quando prætoriũ noluerunt ingredi, ne in diem festum polluerentur, & (quod de illis Christus dixit) colant culicem, deglutiunt autem camelum. Neq; multùm absimilis est omniũ hypocritarũ sanctimonia, qui propria suorũ operum iustitia nituntur. Cæterùm vt vt ista sese habeãt, hæc fucata Iudæorũ sanctimonia eos arguit, qui cùm Christiani dici et haberi velint, absq; omni animorũ præparatione ad sacra irrumpunt, & ea improbo contẽptu prophanãt. Sublatos quidem scimus ritus Leuiticos, quibus Iudæos olim præparari oportuit, ratæ tamen & firmæ manent Christi leges, qui da verbum suũ animos honestos & discendi cupidos afferre iubet, & per Apostolum mandat,

mandat, vt qui ad mensam suam accedere volunt, seipsos prius probent atq; diligenter examinent, ne indigne edant aut bibant. Sed quàm multos videre est, qui ad prophanum conuiuium maiori cum reuerentia accedunt, quàm ad magna ista & salutaria Christi & ecclesiæ mysteria? Habebunt hi olim Iudæos iudices, qui etsi nimis impij essent, non ita tamen frontem perfricuerãt, quin aliqua præparatione, aut saltem pietatis atq; honestatis simulatione opus esse intelligerent.

Christi mortui latus transfigitur.

Porrò præmissa facti totius occasione, ad signi narrationem Ioannes accedit, & Pilatum Iudæorum postulationi consensisse ait, nimirum sic eius animmum mouente Deo, qui filij sui gloriã illustrare volebat. Franguntur ergo crura duobus latronibus, qui nondũ expirauerãt. At vbi ad Christum ventum fuit, hunc verè mortuum esse vident, & proinde crurum fractione non opus esse existimant. Quidã tamen reliquis vel cautior vel (quod verisimilius est) petulantior atq; crudelior, experimentum de illo facturus, latus eius lancea fodit, ex quo vulnere mox sanguis & aqua effluxerunt. Quo loco primũ consideranda venit Dei prouidẽtia, quæ ea etiã mirificè gubernat, quæ fortuita videntur. Apparet hoc in Pilato primùm, qui cùm natura Iudæis iniquior esset, & eorum improbitate offensus titulum crucis mutare noluisset, imò hoc postulantes nõ sine contumelia reiecisset, hic tam facilem sese præbet, & quod petunt benignè cõcedit. Vnde verò hanc tam subitã animi mutationem in eo obortam fuisse putabimus? Num ex festi religione? Atqui sacra illorum omnia cum templo illum improbè contempsisse scimus. Num ex populi vndiq; confluentis metu? Atqui facilè ipsi erat inermes armatis militibus opprimere, vel omnem huius facti inuidiam in sacerdotes atq; Seniores ipso rũ derivare. Dei ergo hoc opus fuit, in cuius manu regũ quoq; corda Solomon esse testatur. Is prius obstinatũ reddidit, ne cum Christi ignominia inscriptionem mutaret: & idem nunc animum eius mollitum, vt in illud consentiret, quod illius gloriæ erat seruiturum. Deinde eiusdẽ prouidentiæ opus fuit, quòd Christus opinione omnium citius mortuus est, ne militum petulantiæ locus esset, & simul scriptura impleretur, quam postea Ioannes allegabit. Talia frequẽter videmus fieri, vt aliquorũ mors vel morbis vel aliquo casu improuiso acceleretur, ne quid grauius patiantur ab impijs persecutoribus quorum conatus Deus præuidet, aut ne malis communibus implicentur, quibus gentis totius scelera Deus punire constituit. Sic Iosiam prius tolli oportuit, ne miserabile vrbis excidium videret. Et non tum est illud Isaiæ: Colligitur ante malum iustus. Debet hoc diligenter obseruari, & minus offendemur, si vel nos ipsos vel alios mori contingat, qui nobis sæpe viles fuerunt. Idem in alijs quoq; casibus cogitemus, nihil omnino furtuitò fieri, sed certam Deo constare suorum iudiciorum rationem, & ea plerunq; nobis ad salutem cedere, quæ initiò maximè nocitura esse vidẽtur. Quod clarius elucebit si huius facti historiam propius intueamur. Constat enim Iudæos atq; milites hosce nihil minus quàm ea cogitasse, quæ ad prouehendam Christi gloriam et ad mysteriorũ salutis humanæ declarationem pertinebant. Illi enim in hoc toti sunt, vt Christum extrema ignominia obruant: hi verò furoris ipsorum ministros sese præbent, & fortassis lucri causa illis gratificari cupiunt. At quicquid faciũt, hoc omne ad Christi gloriam cedit, qui paulò post honorificè sepelitur, & illustrandis fidei atq; salutis nostræ mysterijs mirificè seruit. Quia enim latus & præcordia Christi transfigit miles, eo facto mortis eius veritas asseritur contra hæreticos, qui putatiuè & imaginariè modò mortuum fuisse tradiderunt: idemq; resurrectionis ipsius gloriam vehementer illustrat. Deinde signum sequitur, quo ipsi salutis fontes quasi ob oculos nobis ponuntur, vt mox docebimus. Tantorum bonorum nobis ministri fuerunt isti milites, non quidem sua voluntate, sed Dei dispensatione, qui illorum petulantia bene vsus est. Agnoscamus nos in eiusmodi exemplis prouidentiæ diuinæ vim, vt ex ea consolationem petamus aduersus impiorum conatus. Nam faciant illi quod volent, non aliud tamen efficient quàm quod Deus fieri decreuit. Huius autem voluntas est, vt æternum seruentur & viuant omnes, quos ille filio suo donauit priusquam mundus hic crearetur. Salutem ergo nostram prouehent hostes, quando nobis vitam hanc mortalem eripiunt, & ignominiosos facere conantur.

Sanguis & aqua ex Christi mortui latere fluunt.

Sed ipsum signum, quod hic factum fuit, videamus. Profluit ex mortui Christi latere sanguis & aqua. Quod aliqui non miraculosè, sed naturaliter factum fuisse putant. At hi ipsius Ioannis authoritate conuincuntur. Quid enim opus erat de hoc tam seriò testari, si non aliud factum fuisset, quàm quod vulgò fieri solet, & in quouis homine fieri potest? Neque tamen ijs contentus quæ hic dixit, postea in epistola sua priori, capite quinto, huius signi authoritate docet Iesum

*Christum nostrum redemptorem esse, eò quòd per aquam & sanguinem venerit. Et hodie ex octi-
rum vulneribus nonnunquam sanguis largior prorumpit, si ad illa adducantur aut sponte accedant
ij, à quibus illi iniquè aut ex insidijs occisi sunt: quod absque miraculo & singulari Dei dispensatio-
ne fieri nemo cordatus facilè dixerit. Miraculum ergo hoc etiam fuit, quo Deus filio suo testimonio-
um ferre, & simul fructum mortis eius adumbrare voluit. Scimus autē sanguinis vsum olim in sa-
crificijs & expiationibus fuisse, quas sine illo fieri non potuisse Paulus ad Hebræos testatur. In sa-
guine etiam vitæ sedem scriptura monstrat, quæ causa fuit quòd olim sanguinis esum Deus prohi-
buit. Aqua verò abluēdis sordibus & recreandis corporibus seruit. Atqui omnia ista in Christi mor-
te nobis hoc signū ostendit. Ipse enim in ara crucis pro mundi peccatis immolatus, illa suæ mortis me-
rito expiauit. Quod apostolus ad Hebræos nono capite diligenti cum veteribus sacrificijs collatione
illustrans, inter alia scribit: Non per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium sangui-
nem ingressus est semel in sacrarium, æternam redemptionem nactus, &c. Idem morte sua vitam
acquisiuit nobis, quam omnibus in se credentibus pollicetur. Quò imprimis referri debet, quod supra
Marthæ Lazari sorori dixit: Ego sum resurrectio & vita, qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit,
viuet. Sanguini autem aqua coniungitur, vt illo nos simul ablui & mundari, adhæc æstuantes con-
scientias ad vitam æternā refici intelligamus. De quo Ioannes nos admonens ait: Sanguis filij Dei
emundat nos ab omni peccato. Et ipse sitientes ad se vocat, & ijs qui ad se veniūt aquam pollicetur,
quæ per fidem hausta animas perpetuò recreat. In eius ergo morte fons ille nobis apertus fuit, quem
olim per Zachariā Cap. 13. promisit, dicens: In die illa fons aperietur domui Dauidis & habitato-
ribus Ierosolymæ ad expiandum peccatū & menstruam immunditiē. Vbi propheta duobus verbis om-
nia comprehendit, quæ sub peccati censum veniunt, tam ea quæ apertè cōtra legem Dei fiunt, quam
innatam nobis corruptionem, quam ex primis parentibus iure hæreditario cōtraximus. Id autē si-
gno hoc demonstrari voluit Deus, cui Sacramenta noui testamenti probè respondent. In baptismo e-
nim peccatorum ablutio & hominis totius innouatio, in Cœna autem per Christi sanguinē facta ex-
piatio partaq; salus obsignantur. At hic diligenter nos meminisse oportet, ea tunc nobis salutaria fu-
re, si non in externis symbolis hæreamus, sed his quasi adminiculis aut fulcris erecti, ex ipso Christo
per fidem hauriamus dona illa salutifera, quæ in illis representantur. Quòd verò Papistæ hinc suum
morem sumpsère, quo vinum in Cœna mystica, vel potius Missa sua, aqua diluunt, adeò friuo-
lum est, vt vix mereatur aliquam confutationem. Si enim ex hoc signo peti debet externus Cœ-
næ ritus, eadē ratione panis ex illa remoueri debebit, qua illi aquā admiscent, & ita illam solo vino
& aqua peragi oportebit, cùm nullam panis ex Christi latere simul prolapsi mentionē euangelistæ fa-
ciat. Quòd si illi nobis Christi institutionem obijcient, qui panem iusserit distribui, nos illam libenter
recipimus, & in reliquis etiam eius formulā retinendā esse sentimus, cùm nulla melior ab homine
cogitari possit. Sed magis ridicula est Monachorū fabula, qui militē istum Longinum quendā fuisse
dicunt, eumq; cæcum fingunt, restitutum autem huius sanguinis & aquæ beneficio, quæ ipsi conuer-
nis ad Christū causa fuerit. Quid enim huius euāgelistæ tradiderūt? Sed voluit satā mortis Christi
historiā figmētis eiusmodi obscurare, vt eadē opera ab eius merito hominū animos auocaret. Et nihil
est eos in Christi cognitione tā miserè cæcutire, qui cæcos ab illo illuminatos olim fuisse fateri cogūtur.*

Ioannis de hoc signo testimonium.

*Cæterùm relictis hisce ineptis fabulatoribus, ad Ioannem redeamus, qui diligentia & grauita-
te admirabili de signo isto testatur, adeò vt vix ipse sibi hic satisfecisse videri possit. Nam qui vidit
(inquit) testatur, & verum est testimonium eius, & ille scit quòd vera dicit, vt & vos credatis.
Primò oculatum testem se esse ait, qui proprijs oculis perspecta, non ex aliorū relatione accepta nar-
ret. Deinde ne quis aliqua imaginatione delusum putaret, addit: Et verū est testimoniū eius. Neq;
eo contentus, quasi parum dixisset, rursus subijcit: Et ille scit quòd vera dicit. Et finem omnium ostendit.
Vt & vos credatis: quem omnium miraculorū Christi, adeoq; totius historiæ euangelicæ finē esse
alibi diximus, & ipse Ioannes circa calcem sequentis cap. annotabit. Asserunt ista fidē & authorita-
tem doctrinæ apostol. simulq; monent, ne in fidei & salutis causa temerè quibusuis credamus, vel nos
quouis vento doctrinæ (vt Paul. ait) patiamur circunferri. Nam ne istud fieret, certos & plus quā
iuratos testes delegit Deus, vt certò nobis cōstaret, quib. fides haberi debeat. Et illi ipsi hac de causa
in ferēdo testimonio tāta grauitate vsi sunt, ne quis ipsos temerè in aerē locutos esse arbitretur. Quod*

enim in præsenti facit Ioannes, hoc ipsum in epistolæ suæ initio facit, quãdo Christianæ doctrinæ summam traditurus sic orditur: Quod erat à principio, quod audiuimus, quod vidimus oculis nostris, quod spectauimus, & manus nostræ contrectarunt de Sermone vitæ: quod (inquam) vidimus & audiuimus, annuntiamus vobis, &c. Simili ratione Petrus apud Cornelium doctrinæ suæ fidem facit eo argumento, quòd ex testium eorum numero sit, quibus cum Christus reduiuius non modò colloqui, verumetiam edere atque bibere dignatus sit. Et in posteriori epistola Capite 1. scribit: Non arte compositas fabulas secuti, notam vobis fecimus Domini nostri Iesu Christi virtutem et aduentũ, sed qui oculis nostris aspeximus illius maiestatem. Neque alia causa Paulum mouit, quando euangelij sui authoritatem contra suos aduersarios tam cõstanter asserit, atq; se illud nõ ab hominibus, sed ex ipso Dei filio didicisse probat. Cauere enim voluit, ne humana putaretur doctrina eius, & ideo minus fidei apud auditores inueniret. Itaq; inexcusabiles planè sunt, qui relictis apostolis ad hominum traditiones & fabulas conuertuntur, quæ nulla scripturarum authoritate probari possunt.

Porrò ne Ioannes de nihilo tanta cum grauitate testari putaretur, facti huius causas altius scrutatur, & eas in veteris scripturæ oraculis monstrat, quas ita impleri oportuerit. Adducit enim duos scripturæ locos, qui duobus quæ hic narrantur, probè respondent. Nam cùm à crurum fractione milites abstinuisse dixisset, causam his verbis subijcit. Facta sunt hæc, vt scriptura impleretur: Nõ confringetur illiũ os ipsius. Extat locus hic Exodi Capite duodecimo: vbi de epulo paschali agitur, inter cuius ritus alios hoc quoque Dominus præcipit, vt agnum totum comedant, nihil ex eo abijciant aut reseruent, ossa denique, quæ comedi non possunt, non confringant, sed igne comburant. Recte autem dictum hoc ad Christum transfert Ioannes, quia epulum istud non modò liberationis ex Ægypto memoriam habebat, sed futuram quoque humani generis redemptionem adumbrabat: quo nomine Baptista quoque Christum agnum Dei esse dixit, & Paulus illum disertè nostrum pascha nominat. Nec parum fidei nostræ confirmandæ seruit, quòd in veterum quoq; ceremonijs Christum figuratum fuisse audimus. Ita enim apparet, illos eandem (vt apostolus ait) nobiscum escam comedisse, neq; nos aliam fidem profiteri, quàm qua olim veteres seruati sunt, quorum pietatem spiritus sanctus tantopere commendat. *Scripturis confirmatur signum in Christi morte æditum.*

At non caret mysterio ritus ille, cuius hic fit mentio, & qui in Christo verè impleri debuit. Debebant enim (vt diximus) agnum totum comedere, ossa autem neq; confringere, neq; (vt ferè fieri solet) cæmibus, aut aliò per contemptum proijcere. Ita verò admonebantur, verum illum agnum Dei, Iesum Christum, totum fide debere apprehendi, qualis nimirũ in scripturis proponitur, ne (quod delicatuli in cibis facere consueuerunt) ea quidem cum applausu recipiamus, quæ carnis cupiditatibus adlubescunt, reijciamus autem quæcunq; illis aduersari sentimus. Faciunt hoc multi hodie in euangelij doctrina, quæ causa est, quòd ipsi quidem nullos in pietate vera progressus faciunt, alijs verò scandalorum authores sunt, & totum fidei Christianæ negotium turpiter diffamant. Diuidunt etiam Christum hæretici, quorum alij diuinam in eo naturam negant, alij humanam, multi vtramque simul euacuant, dum quæ eius merito debentur aliò transferunt. Quia verò multa in Christi mysterijs occurrunt, quæ nostri ingenij captum superant, ea neque curiosius scrutari debemus, neque etiam contemptim reijcere. Confringunt enim Christi ossa, qui ne quid ignorare videantur, arcana quæq; suo acumine inuestigant, & de ijs etiam disputationes instituunt, quæ nobis in alterum seculum reseruata esse scripturæ testantur, vbi Deum & regni eius mysteria facie ad faciẽ videbimus. Rursus ossa illius abijciunt, qui scurrili contemptu quasi consideratu indignum damnant, quicquid non intelligunt. Est vtrumq; vitium graue admodum, vtrique autem medetur fidei obedientia, quæ sensus & affectus carnis omnes verbo Dei subijcit. Præterea fidelium consolationi seruit ista passionis dominicæ particula. Vt enim non permissum fuit militibus ossa Christi frangere: ita piorum quoq; ossa seruat Deus, ne malè pereant in persecutionibus aut quouis alio tentationis genere. Ossa verò illorum dicimus primò fidem, quæ cum Christo nitatur, euerti nõ potest: deinde animas ipsas, in quas nihil iuris habent tyranni, quantùmuis interdum ex Dei permissione in corpora nostra crudelissimè sæuiant. *Ossa Christi non frangenda.*

Alterũ scripturæ locũ de Christi latere transfixo ex Zach. cap. 12. adducit, vbi sic loquitur Dominus: Effundam super domũ Dauidis & habitatorem Ierosolymæ spiritum gratiæ & lamentatio *Locus Zachæ. 12.*

num (qui nimirum eos ad pias lamentationes & preces excitet) & respicient ad me, quem confo-
runt. Quo loco promittit fore, vt qui ipsum diu irritarint immani scelerum licentia, & postremo
cruce etiam transfixuri sint, tandem ad ipsum conuertantur & suam misericordiam implorent. Quod
multos ex Iudæis eo ipso die feciſſe Lucas ſcribit, qui viſis ſignis (quorum initiò mentionẽ fecerat)
cum planctu mœrore & dolore in vrbem Ieroſolymã ſunt reuerſi. Et Petro primã concionẽ habente
poſt acceptum Spiritum ſanctum, multi intra animos ſuos compungebantur, & Chriſtum cum ſibi
apprehendebant. Quæ exempla afflictas ſub peccatorum pondere conſcientias efficaciſſimè conſolan-
tur, & ſimul monent, ne mox de ijs deſperemus, qui ex ignorantia Chriſtum perſequuntur, vel alijs
peccatis ſunt impliciti. Poſſunt enim hi quoq; conuerti, vt eius iugum in ſe recipiant, quod nunc con-
fringere & abijcere conantur. Interim meminerimus, impijs quoque & contumacibus Chriſti con-
temptoribus euenturum, vt olim in magno illo die Chriſtum videant in gloria patris, quem vel lin-
guis mordacibus vel etiam armis & facibus in verbo & membris ſuis confixerunt. Vide quæ de
hac re ipſe dicit Matthæi capite 24: & quæ in libro Sapientiæ capite quinto de piorum oppreſ-
ſoribus ſcribuntur, quales nimirum tunc eorum cogitationes & ſermones futuri ſint. Et hoc ſenſu
rè veteres interpretes hunc locum expoſuerunt: qui ſimul docet, Ieſum Chriſtum aſſumptam ex vir-
gine carnem, in qua paſſus eſt, etiam nunc in cœlis retinere, & in ea venturum eſſe ad iudicandos
viuos & mortuos. Senſit hoc vetus & orthodoxa eccleſia, vt patrum vetuſtiſſimorum libri oſten-
tant. D. Auguſtinus enim de hoc Zachariæ vaticinio loquens ſcribit: Ibi promiſſus eſt Chriſtus in
ea, qua crucifixus eſt, carne venturus. Ante hunc verò Tertullianus in libro de Carne Chriſti non
dubitauit ſic dicere: Idem veniet de cœlis Dominus, qui eſt paſſus, idem omnibus apparebit qui eſt
reſuſcitatus: & videbunt & agnoſcent qui eum confixerunt, vtique ipſam carnem, in quam ſeuie-
runt, ſine qua nec ipſe eſſe poterit, nec agnoſci, &c. Poſſent huius generis teſtimonia multa addi,
quibus confutantur, qui hodie carnem Chriſti deificatam fingunt, eamq; ſuis exutam proprietati-
bus prorſus exinaniunt. At quia de his alibi dictum eſt, iſta obiter monuiſſe ſufficiat. Huius au-
tem loci, quem hucuſque expoſuimus, hic nobis vſus eſto, vt Ieſum Chriſtum agnoſcamus eum eſſe,
qui olim promiſſus fuit, & in quo vno peccatorum expiatio, vita ſalusq; continetur. Eum ergo am-
plectamur, & in eius præceptis ambulemus, vt lætus nobis illuceſcat dies ille, quo olim adueniet
dum in nubibus cœli veniet. Illi debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.

HOMILIA CLXXI.

Poſthæc autem rogauit Pilatum Ioſeph Arimathienſis (qui erat diſcipulus Ieſu, ſed occultus propter metum Iudæorum) ut tolleret corpus Ieſu: quod permiſit Pilatus. Venit ergo & ſuſtulit corpus Ieſu. Venit autem & Nicodemus (is qui uenerat ad Ieſum noctè primùm) ferens miſturæ myrrhæ & aloes libras quaſi centum. Acceperunt ergo corpus Ieſu, & obuinxerũt illud linteis cum aromatibus, ſicut mos eſt Iudęis ſepelire. In eo autem loco, ubi fuerat crucifixus, erat hortus, & in horto monumentum nouum, in quo nondum quiſquam poſitus fuerat. Ibi ergo propter paraſceuen Iudæorum, quòd monumentum illud propè eſſet, poſuerunt Ieſum.

Chriſtus in ipſa morte glorificari cœpit.

Dominus noſter Ieſus Chriſtus iam mortem aditurus dicebat: Pater, venit hora glorifica filium tuum, vt & filius tuus glorificet te. Quia verò dilectus ille Dei filius eſt, tam clementer precibus illius pater annuit, vt inter acerbiſſimos & cumprimis ignominioſos cruciatus diuinæ gloria eius elucere cœperit. Nam qui inter latrones medius pendebat, multa fecit non ſine autoritate ſingulari, quæ illum diuina virtute inſtructum imò verum Dei filium & mundi liberatorem eſſe declararunt. Huius enim opera fuerunt, quòd latroni ſe inuocanti paradiſi conſortium promiſit, quòd ſolis lumine obſcurato tenebras terris inuexit, quod motu immani terrã concuſſit, petras diſtra-
xit, monumẽta aperuit & velũ templi diſcidit, vt omniũ oculis pateret adytũ illud ſanctiſſimũ, quod

nemini mortalium, præterquã summo pontifici hucusque patuerat: quòd item cum clamore alto & diserto animam volens deposuit, & inter hæc omnia spectatorum animos mouit, vt ipsi testimonium ferrent, qui prius crudeli petulantia in ipsum sæuierant. Accedit his omnibus sepultura, quam ipsi honorificam obuenturam esse, olim Isaias prædixerat: & cuius hic præcipuus vsus est, quòd & verè mortuum fuisse docet, & crucis ignominiam abolet, simulq; nos etiam Deo curæ fore ostendit, si quid propter eius nomen patiamur, quod mundo contumeliosum esse videtur. Diligenter ergo eam euangelistæ omnes describunt, Ioannes autem suæ narrationis tria ferè capita constituit, in quorum explicatione breuiores erimus, quia de illis in Marci enarratione copiosius est dictum.

Primò personas producit, quæ illi extremum hunc sepulturæ honorem impenderunt. In his primæ partes debentur Iosepho Arimathiensi: cuius patriam ideo nominari voluit Spiritus sanctus, vt maior esset Hierosolymitanorum ignominia, qui simul omnes Christum neglexerunt, seque in hoc etiam pietatis officio ab homine peregrino superari passi sunt. Solet hoc frequenter fieri, vt in ijs vrbibus, vbi purioris doctrinæ & religionis sedem Deus constituisse videtur, peregrini & exteri plus proficiant quàm ciues nati. Illos enim amor religionis & donorum Dei singularium admiratio attrahit, his autem consuetudo & familiaritas quotidiana satietatem atq; fastidium parit, vt ea non adeò magni faciant, quibus absque labore & impensis frui possunt. Hoc ipsum ergo hîc etiam accidisse videtur. Fuit autem Iosephus, etsi peregrinus esset, ordinis Senatorij (vt alij euangelistæ scribunt) vir honestus, dives & iustitiæ amantissimus: cuius specimen perquam egregium dedit, quando in Christi mortem consentire noluit, cùm de eo occidendo in Senatu aut Concilio ageretur. At omnem aliam commendationem longè superat, quòd discipulus Iesu Christi fuit. Nam etsi in eo aliquid peccarit, quòd hucusque diuitijs & honorum pedicis se retineri passus sit, quò minus illum publicè profiteretur, attamen nunc vitium hoc omne abunde sarcit, quando nouis fidei viribus instructus atque confirmatus, Pilatum intrepidè accedit, & Christi Iesu corpus sibi ad sepulturam dari postulat. Et huius generis multa fiunt quotidie, vt huius mundi illecebræ interdum electos quoq; ad tempus deineant, ne Christo publicè nomen dent: ijdem tamen perpetuò impediri non possunt, vt non tandem spiritu Christi inflammati metum & torporem excutiant, eoq; maiori studio faciant officium, quo diutius se cessauisse vident. Ex horum igitur numero est Iosephus iste, cuius pium conatum Deus mirificè adiuuit. Nam non modò apud Pilatum quod petit impetrat, verumetiam præter omnem opinionem socium laborum, impensarũ & omnis periculi inuenit Nicodemum, quem similis metus hucusq; impedierat, cùm à Christi cognitione alienus non esset, sicuti in Capitis tertij historia vidimus, quam in præsenti quoq; Ioannes allegat.

Christus à quibus sepultus.

Inter multa autem, quæ hic dici poterant, præcipuè nobis inspiciendus est mortis Christi fructus, & quanta eius virtus sit, si intra hominum animos dignè & attentè consideretur. Isti enim, quoad Christum apud vulgus doctrina & miraculis clarum esse viderunt, collegarum suorum potentia & authoritate se perterrefieri passi sunt, vt ignauo metu fidei confessionem dissimularint. Nunc autem quando in cruce mortuum esse & inter latrones medium pendere vident, ita intra animos suos commouentur, vt nihil non sibi faciendum esse putent, vt ex publica ista ignominia illum asserant. Solet ita Spiritus sanctus piorum mentes accendere, vt intelligant pro Christo omnia extendi debere, qui seipsum pro nobis in mortem tradere dignatus est. Si enim ab hominibus acceptorum beneficiorum recordatio generosiores animos excitat, vt se hominis nomine indignos putent, nisi benefactoribus suis gratiam referant: quid non possit apud pios mortis Christi cõsideratio, cuius meritò se redemptos esse intelligunt? Scio quidem Iosephum & Nicodemum mortis huius mysteria dum ratio operari soleat. Vnde apparet, eos Christi beneficium nunquam adhuc dignè expendisse, qui nihil pro illo facere aut pati volunt. Estq; eò detestabilior multorum ignauia, quos Christi in cœlo regnantis inter homines pudet, quem duo isti inter latrones pendentem omni officij genere prosequendum esse putauerunt.

Mortis Christi uirtus apud pios.

Obseruari quoq; debet hoc loco immensa Dei bonitas & mirabilis eiusdem in filij sui regno administrando prouidentia. Bonitatis est, quòd ignauos fidei dissimulatores hucusq; tulit, & nunc sublatis impedimentis omnibus nouo spiritus robore donauit. Singularis autẽ prouidentiæ opus est, quòd

Vt Deus fidei dona inter suos dispenset.

eos nunc forti animo in certamen deducit, quando metu victi & hinc inde dilapsi latent, qui prius discipuli aperti fuerunt. Ex ignauis ergo & meticulosis fortes fecit, fortes verò metu superari passus est. Ita verò agere voluit, vt omnibus constet regnum Iesu Christi non esse de hoc mundo, neque hominum consilijs aut viribus administrari, sed ab æterno prouidentiæ ipsius decreto pendere. Quod vt publicam consolationem affert pijs, ne furiosis tyrannorum conatibus terreantur, ita infirmis omnibus spem facit, ne se à Deo reijci putent, simulque omnes admonet, ne quos temerè damnemus, cum Deo tã facilè sit robustissimos facere ex ijs, qui paulò ante nihil vnquã ausuri vel facturi putabãtur.

Docent præterea istorum exempla, quid Senatorij ordinis viros & quosuis alios deceat, qui in aliquo sublimiori dignitatis gradu constituti sunt. Quoad mores & vitam huius seculi, graues & honesti sint, ne quod de se exemplum malum præbeant. Quoad munus verò quod sustinent, iustitiæ studeant, cuius est suum cuique reddere: & curent imprimis, si quod iustum rectumque est ipsi obtinere non possunt, ne iniquis improborum consilijs consentiant. Interim se à Deo in gradum istum euectos esse cogitent, & proinde huic etiam sua præstent officia. Inter quæ præcipua sunt, vt Iesu Christo sese humiliter subijciant, eius cultum prouehant, & ecclesiam tueantur. Sic enim iubentur in Psalmo secundo: Sapite ô reges, erudimini iudices terræ. Seruite Domino in timore, & exultate cum tremore. Osculamini filium, ne irascatur, &c. Et ecclesiæ apud Isaiam capite quadragesimo nono dicitur: Erunt reges nutritij tui, & reginæ eorum nutrices tuæ: & cætera. In his ergo seduli sint, neque occasionem aliquam præterlabi sinant, quæ faciat ad asserendam Christi gloriam. Quòd si verò officium suum aliquando neglexerunt, admoniti à Deo in viam redeant, & curent vt Christi in verbo & membris suis periclitantis honorem pro virili rursus asserant, & ita honorificè ex cruce tollant, quem suffigi passi sunt.

Quomodo sepultus Christus

Sed alterum huius historiæ caput videamus, quo modus & ratio describitur, quam in sepeliendo Christi corpore isti obseruarunt. Iosephus sindonem emit, quo corpus nudum vestiret. Nicodemus aromata affert, misturam videlicet myrrhæ & aloes quasi libras centum. His ergo inunctũ & sindone inuolutum sepeliunt, sicuti tunc moris erat apud Iudæos. Solebant autem veteres defunctorum corpora condire cum aromatibus, & quasi seruanda reponere, vt inter suos spem futuræ resurrectionis fouerent: neque tunc superuacanea erant eiusmodi adminicula, cùm nondum illis plenè innotuisset Christus, qui & mortem deuicit, & lætæ atque beatæ resurrectionis spem suo exemplo ita confirmauit, vt de ea dubitare nulli posthac liceat. Hodie ergo operosiori & sumptuosiori sepultura minimè opus est. Qui enim ea adhuc vtuntur, ij non obscurè docent, se Christi mortem, resurrectionem, eiusque meritum non satis intelligere. Curandum tamen ne contumeliosius aut negligentius abiciantur corpora defunctorum. Id enim ab humanitatis sensu alienum est, & fidei nostræ aduersatur, quæ docet credentium corpora Spiritus sancti templa esse, quæ is inhabitare dignatur. Absit autem à funeribus superstitio, simulque procul remoueatur pompa & apparatus fastum redolens, ne vel Christi merito detrahamus, vel etiam post mortem adhuc superbire videamur: quod qui faciunt, ij se communi etiam sensu carere docent. Elucet autem in Nicodemo & Iosepho nouum fidei argumentum, quam Paulus per charitatem se declarare ait. Huius enim opus est, quod non mirem laboris & periculi plenam suscipiunt, simulq; gentis suæ odium publicum contra se prouocant, verumetiã immanes sumptus faciunt, vt Christi sepultura dignum honorem habeat. Ita solent, qui Christum verè amant. Pudet enim eos, si in Christo honorando sordidiores sint, cùm mundum hoc nullius sumptus pigeat, qui fœdis voluptatibus & inani ostentationi impenditur. Exemplum simile supra in Lazari sorore Maria habuimus. Horum ergo meminerimus, quando Christi causa aliquid est faciendum. Non opus habet ille posthac, quoad suam personam, vllis externis officijs. Vt autem doctrina eius conseruetur, ibi non labore modò & industria, sed impensis quoq; opus est. Idem ille etiam in membris suis alget, esurit, sitit & ægrotat, imò exulat etiã & sedibus incertis vagatur. Hîc nos officij meminisse decet, vt in eum liberaliter conferamus, quibus illũ opus habere videmus. Fecerunt hoc olim principes pij, qui scholas & ecclesias redditibus annuis donarũt, vt vita subsidia essent doctoribus. Faciunt idem quicunq; Christi pauperes cibo potuq; reficiunt, domũ suam colligũt, aut aliquo alio charitatis officio prosequũtur. In ijs autem præstandis liberaliores erimus, si Christũ illa omnia in suas rationes ascribere & olim cœlestis regni sui bonis compensaturum esse cogitemus.

Sepul-

Sequitur postremum caput, quo narratur vbi Christi corpus isti deposuerint. Hortus fuit propè locum Caluariæ, vbi crucifixus fuerat. In horto autem monumentum nouum fuisse dicitur, in quo nemo vnquam fuerit sepultus. Illic Christi corpus depositum est, & causam, quæ illos mouerit, indicat Ioannes, Parasceuen Iudæorum. Imminebat enim vespera, & mox post Solis occasum Iudæi diem sequentem exordiebantur, qui tunc erat sabbatum magnum paschatis, quo nihil operis facere licebat. Quia ergo tempus moram nullam admittebat, sepulturam accelerant, & ideò in proximo sepulchro illum condunt. Interim longè aliud fuit Dei cõsilium, qui hoc ita fieri curauit, vt filij sui resurrectionem à calumnijs assereret, simulq; nos de mysterijs maximis & obseruatu dignissimis admoneret. Primò enim non modò in cruce illum mori, verumetiam sepeliri oportuit, vt reuera mortuum esse constaret, sicque per mortem eius facta peccatorum nostrorum expiatio firmiori testimonio niteretur. Ideò tam multa narrant Euangelistæ, quæ ad probandam eius mortem faciunt. Sed & Pilatum Iosepho corpus eius non prius concessisse, Marcus scribit, quàm ex Centurione, qui supplicio præfectus fuerat, illum certò expirauisse cognouisset. Deinde in nouum monumentum deponitur, in quo prius nemo iacuerat, ne vel alius eius loco, vel ipse alterius illic antea sepulti virtute resurrexisse putaretur. Quoad verò redemptionis nostræ mysterium, in horto sepelitur Christus, & quidem in nouo sepulchro, vt mortis conditionem illius merito innouatam, & nobis redditum in paradisum rursus patefactum esse sciremus. Simul verò consolationi hoc seruit sub cruce laborantibus, qui & ipsi (si in finem vsque perseuerauerint) ab illa ad felicitatis æternæ locum, in cœlis præparatum, transibunt. In horum igitur consideratione diligenter versemur, vt ipsi quoque Christo consepulti peccato moriamur, resurgamus autem ad vitæ nouitatem, olim cum illo regnaturi & victuri apud patrem, in cuius conspectu gaudij & bonorum omnium satietate fruemur. Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

Locus sepulturæ Christi.

CAPVT XX.

HOMILIA CLXXII.

PRimo autem die sabbathorũ Maria Magdalene uenit mane, cùm adhuc tenebræ essent, ad monumentum, uidetq; lapidẽ sublatum à monumento. Currit ergo, & uenit ad Simonem Petrũ, & ad alterum illum discipulũ quem amabat Iesus, & dicit eis: Sustulerũt Dominum è monumento, & nescimus ubi posuerint eum. Exiuit ergo Petrus & alter ille discipulus, & uenerunt ad monumentũ. Currebant autem hi duo simul, sed alter ille discipulus præcucurrit citius Petro, uenitq; prior ad monumentũ: & incuruatus uidit posita lintea, non tamen introiuit. Venit ergo Simon Petrus sequens eum, & introiuit in monumentum, uiditq; lintea posita, & sudariũ quod fuerat super caput eius, non cum linteis positum, sed seorsum inuolutũ in unũ locum. Tunc ergo introiuit etiã alter ille discipulus, qui uenerat prior ad monumentum uiditq; & credidit: Nondum enim nouerãt scripturã, quòd oporteret illum à mortuis resurgere. Redierunt ergo discipuli domum.

DILIGENTER quidem Euangelistæ totam filij Dei in carne manifestati historiam exposuerunt, singulari tamen diligentia & studio ab omnibus describitur illius ex mortuis resurrectio, & eandem alij quoq; Apostoli in suis scriptis atq; concionibus imprimis inculcant. Fit hoc ex spiritus sancti consilio atque suggestione, eò quòd in illa præcipuum fidei nostræ caput continetur, quod nisi firmum certumq; sit, vitæ & salutis nostræ spes nullo modo consistere possit: quod mox patebit, si præcipuos eius fructus ex ordine consideremus. Primus ex his est, quòd

Resurrectionis Christi fructus.

Christus, dum mortis vincula & imperium disrupit & excussit, reipsa docuit peccatum [illegible] expiatum esse, per quod illa ingressa miseris nobis dominabatur. Quò Paulus respiciens, [illegible] pter peccata nostra traditum & propter iustificationem nostri resuscitatum esse scribebat. Rom. Et idem in priori ad Corinthios aduersus eos disputans, qui mortuorum resurrectionem negabant, inter alia dicit: Si Christus non est suscitatus, inanis est fides vestra, adhuc estis in peccatis vestris & qui obdormierunt in Christo, perierunt. In Christi ergo resurrectione fundatur nostræ iustificationis articulus, quem salutis nostræ & reconciliationis cum Deo fundamentum esse vnanimis [illegible] stolorum consensus testatur. Cohæret huic alter fructus, quòd ex ea apparet, gratiam Dei, cuius bis author & mediator est Christus, perpetuò stabilem esse, neq; vllis satanæ machinationibus [illegible] factari posse. Quia enim æternùm viuit Christus, æternus etiam noster sacerdos est, neque [illegible] perire sinet eos, quos sanguinis sui pretio redemit. Quod idem Apostolus obseruans Actorum [illegible] surrectionẽ Christi eo Isaiæ testimonio probat, quo in hoc promissum fœdus æternum & Dauidis [illegible] stam misericordiam fidelem, id est, perpetuò stabilem & firmam fore pollicetur. Adhæc regnū [illegible] sti æternum & eiusdem potentiam inuictam esse, nullibi euidentius quàm in eius resurrectione [illegible] ret. Quid enim huic officiat, quem ne mors quidem ipsa detinere potuit, cuius legibus potestas etiam Monarchæ subiacent? Præterea hinc peti possunt argumenta firmissima, quibus & animarum immortalitas & nostrorum corporum resurrectio aduersus Epicuræorum & Sadducæorum sophisticam probetur: qua de re alibi fusius diximus. Taceo nunc quæ ad vitæ morumque institutionem faciunt, cum infinitis alijs, quæ in historiæ totius tractatione obseruatu digna occurrent. Non ergo temere factum putabimus, quòd in ijs cõmemorandis tam diligentes fuerunt Euangelistæ, quæ ad resurrectionis Christi certitudinem & veritatem asserendam pertinent. Nos autem illorum diligentia excitare debet, vt non minus diligenter in eorum consideratione versemur, ex quibus vera salutis nostræ ratio dependet.

Argumentum huius capitis.

Quia verò historiam ipsam ab alijs iam ante descriptam esse Ioannes sciebat, ipse omisso eius commemoratione in hoc potius incumbit, vt Christum reuera ex mortuis resurrexisse, testimonijs mortis & fide dignis probet. Itaque hoc Capite quatuor historias ex ordine narrat, quibus illud euidentissimè demonstratur. Prima seipsum & Petrum producit, qui per Mariam Magdalenam vacuum non obscurum resurrectionis huius indicium viderunt in vacuo sepulchro & ibi relictis linteis, quàmuis rem ipsam nondum satis intelligerent. Altera ad ipsam Magdalenam spectat, cui Dominus seipsum non multò post videndum præbuit, & cum ea colloqui dignatus est. Tertia, quæ die sub vesperam discipulos simul omnes (vno Thoma excepto) conuenerit, narratur. Quarta memorabilem actionem Christi cum Thoma continet, cui se non modò spectandum, sed contrectandum quoque exhibuit, cùm illum reliquis tardiorem & ad credendum difficiliorem esse videret. Subiungitur his vltimo Capite etiam alia quædam eiusdem argumenti, de quibus omnibus & singulis quid eo dicetur. In præsenti primam huius Capitis historiam inspiciemus.

Conciliantur Euangelistæ.

Quod vt cum fructu maiori fiat, difficultatẽ primò tollere oportet, quæ in ipso narrationis textu sese offert, quando Euangelistæ minus inter se consentire videntur. Matthæus enim mulieres duas producit, quæ ad visendum & vngendum Christi corpus exiuerint, Mariam scilicet Magdalenam & alteram Mariam, quam Iacobi minoris matrem & Cleophæ vxorem fuisse constat. Ille verò tertiam addit Marcus, Salomen, de qua nihil præterea certi apud Euangelistas inuenio. Lucas Ioannam quoque nominat (quam alibi vxorem Chuzæ procuratoris Herodis fuisse scribit) quæ priores illas vnà cum nonnullis alijs (quarum neque numerus certus neque nomina ab eo exprimuntur) sit comitata. Deinde Marcus illas simul omnes iam exoriente Sole, Lucas autem profundo adhuc diluculo venisse dicit. At Mariam Magdalenam Ioannes solam inducit, quæ cum tenebræ adhuc essent, ad monumentum venerit. In quibus omnibus conciliandis multùm laborant interpretes, neque eadem est omnium sententia. Mihi verò nodi isti omnes commodissimè solui videntur, si Euangelistas rem quidem eandem narrare obseruemus, non autem ijsdem circunstantijs omnes insistere. Conuenerunt ergo mulieres istæ simul omnes multa adhuc nocte, & ad iter sese accinxerunt. Quod etsi breuiusculum esset, facile tamen fuit in re plena periculi moram incidere, quæ [illegible] fuit,

fuit, vt reliquæ oriente demum Sole ad monumentum venêrint. Magdalena autem, cùm illis ferventior esset & magis sedula, præcucurrisse videtur, vt prior omnibus eò peruenerit, & eadem alteri illi iam subsecutis, rursus prior in vrbẽ reuersa Petro & Ioanni quod viderat exposuit, qui eius nuntio excitati mox ad sepulchrum excurrerunt. Quod enim de omnibus discipulis simul cõgregatis Lucas scribit, in secundo Mariæ in vrbem reditu factum est, de quo infra audiemus. Hac ratione (inquam) Euangelistæ mihi optimè conciliari posse videntur, quam alijs quoque nonnullis placuisse scio, qui in hoc argumento non indiligenter versati sunt. Nunc in prima huius loci parte ea consideremus, quæ ad fidei nostræ institutionem faciunt.

Vbi primum occurrit, quòd Christus resurrectionem suam (qua nihil vnquam miraculosius & excellentius orbis terrarũ vidit) pauculis testibus, & ijs quidem contemptissimis atq; nullius inter homines authoritatis, primis innotescere voluit. Oportuit ergo hîc etiam impleri quod Paulus ait, Deum humilia & contempta eligere, vt mundi huius fastum confundat. Quod vt eos vehementer consolatur, qui se à mundo contemni vident: ita non obscurè docet, fidem & salutem nostram non hominum authoritate niti, sed æterna Dei veritate: & proinde ad hanc vnam respiciendum esse ijs, qui in eius cognitione proficere cupiunt. Frustra ergo nobis hodie aduersarij nostri regũ huius seculi splendorem, Pontificum & Cardinalium pompam, Episcoporum authoritatem, scholarum consensum & Doctores bullatos obijciunt. Quid enim isti omnes sentiant iam ante scimus: ab ipsis verò verbum Dei requirimus, cuius solius authoritas in ista causa valere debet. Nam nisi hoc statuamus, ipsa Iesu Christi resurrectio vilescet, quando eius testes fuerunt mulierculæ & piscatores obscuri, ignorantibus illam imò etiam oppugnantibus, sacerdotibus & plerisque alijs, quorum summa tunc erat in illo populo authoritas.

Resurrectionis Christi testes obscuri & contempti.

Deinde Maria hæc Magdalena diligentius inspici meretur, in qua spiritus sanctus fidei præclarę & ardentis exemplum exhibet: quod eò illustrius est, quòd inhærentibus illi vitijs fides illa neque impediri neque obscurari, multo minus extingui potuit. Fuit hæc ex eorum numero, quos Christus à morbis grauioribus & diaboli tyrannide liberauerat. Nam ex ea septẽ dæmonia eiecta fuisse, Marcus & Lucas perhibent. Quod beneficium cùm illa dignè æstimaret, præ alijs multis se Christo gratam præbuit. Apud Lucam enim in earum catalogo numeratur, quæ illum suis impensis aluerunt. Neq; eum in Galilæa modò secuta est, sed Hierosolymam quoq; comitari voluit cum alijs quibusdam, quos idem fidei spiritus propius afflauerat. Et cùm illic caperetur Dominus & post omne contumeliarum genus in cruce suspenderetur, ne sic quidẽ ab illo diuelli potuit. Eminus enim hoc factum indignissimum spectauit, & postea sepulchri locum obseruauit diligenter, vt elapso sabbati die extremum ei honorem impenderet. Id autem tanto studio facit, vt cùm non deessent comites & sociæ omnis periculi atq; laboris, præcurrit tamen, non noctis tenebras, nõ item militum excubias veritа. Prima igitur lapidem à monumento deuolutum & illud vacuum inuenit, et quia rei mysterium adhuc ignorabat, nouo dolore perculsa timet, ne quid in corpus Christi hostes cõtumeliosius designarint. Itaq; festinanter ad discipulos redit, ijs quid inuenerit narrat, & reuerenter admodum de eius corpore loquitur, dicens: Sustulerunt Dominum è monumento, & nescimus vbi posuerint eum. Domini titulo dignatur corpus, quod lacerum & conspurcũ in crucere pendere viderat, & quod in morte adhuc detineri arbitrabatur. Tantùm apud eam potuit accepti beneficij & aliorum miraculorum recordatio. Sunt hæc veræ fidei indicia, nos autẽ exemplo isto docemur, quibus officijs ipsi quoq; fidem nostram declarare debeamus. Sumus enim nos omnes per Christum liberati ex diaboli vinculis atq; tyrannide, & asserti in libertatem filiorum Dei. Debent ergo se gratos illi præbere omnes homines, & animi gratitudinem factis testari. Facient hoc, si eum alant in membris ipsius, si euangelij doctrinam prouehant, qui odor illi est fragrantissimus: si illum per aduersa omnia sequantur, crucis scandalum fide constanti vincant, si eius contumelia doleant, neque dissimulent quæcunque cum eius ignominia siue detrimento coniuncta esse vident, si denique honorem ipsius pro virili prouehant atq; tueantur. Qui ad hunc modum affecti sunt, ij studij sui præmia amplissima recipient, & minus periculi aut laboris subibunt, quàm initiò putarint: quod mulieribus etiam hisce euenisse Marcus testatur. Cùm enim de solo lapide remouendo solicitæ essent, hunc iam deuolutum esse inueniunt, & ab angelo de Christi resurrectione edocentur. At quia hîc plerig; desides & ignaui sunt, fit vt pro Christo

Magdalena fidei præclaræ exemplum.

quidem nihil faciant aut patiantur, sibijpsis autem labores quotidie nouos & grauissima pericula accersant, dum infelici mundo & prauis cupiditatibus seruiunt.

Petrus & Ioannes socij.

Videamus nũc alteram huius loci partem, qua narratur, quid Petrus & Ioannes fecerint audito Magdalenæ nuntio. Vbi ante omnia obseruatu dignissimum est, quòd Petrus quàmuis ex infirmitate Christum abnegauisset, tamen ad cœtum discipulorum eius redijt, ex quibus ecclesia tunc maxima parte cõstabat. Cupiuit ergo cum Christo iterum coniungi, & verum ecclesiæ membrum fieri, quod pœnitentiæ argumentum est cum primis euidens. Rursus, Ioannes qui in Domini passione reliquos omnes fide & amore longè superauerat, & cui ille in cruce pendens Virginem matrem cõmendarat, Petrum non fastidit, sed socium & condiscipulum agnoscit, cuius lapsum melius quàm alij cognitum habebat, vt qui eodem tempore cum illo in Caiaphæ domo fuerat, vt suo loco vidimus. Est hoc memorabile exemplum, quo qui in peccata grauiora prolapsi sunt, admonentur, vt ad Christi ecclesiam citò redeant & cum illa per veram pœnitentiã reconcilientur. Vt enim salus in vno Christo habetur; ita hîc illam suo tantùm corpori, ecclesiæ nimirum confert, neq; salutis vnquam consortes erunt, quotquot ab illa alieni aut auulsi manserint. Pernitiosa ergo & exitialis est eorum contumacia, qui vbi peccarunt & ideò se reprehendi sentiunt, ecclesiæ longum valere dicunt, & illatam sibi iniuriam probè se vltos esse arbitrantur, si prioribus flagitijs colophonem addant, seq; ipsos à Christi corpore auellant, quo nullũ scelus atrocius excogitari potest. Sed miseri isti dum quod alijs dolent facere volunt, sibijpsis exitium accersunt, quod nunquam effugient, nisi in tempore resipiscant. Discunt præterea reliqui in Ioannis exemplo, ne quos aspernentur atq; fastidiant, qui delictorũ suorum pœnitentiam agunt, & in ecclesiæ societatẽ iterum recipi cupiunt. Peccarunt in eo olim grauiter Nouatiani, qui veniam omnem ijs negabant, qui persecutionum tempore fidem negauerant, aut post acceptum baptismum in peccatũ aliquod non vulgare erant prolapsi. Nam hoc suo rigore certamina in ecclesijs maxima excitarunt, & multis fuerunt desperationis authores, quos pijs consolationibus subleuare & ad gremiũ ecclesiæ colligere debuissent. Imitantur hos multi hodie, qui quasi penes se solos scalas cœli habeant, quosuis temere damnant. Conuincuntur hi omnes Christi & discipulorũ exemplo. Vt enim ille Petrum in gratiam recepit, cuius turpem abnegationem non ignorabat, ita hi quoq; non aspernati sunt eum, quem resipuisse & ecclesiæ consortium ex animo ambire videbant. NVNC ad istorum historiam accedamus, cuius singulæ partes consideratione diligentem merentur.

Petrus & Ioannes excurrunt ad sepulchrum.

Primò absq; omni mora festini excurrunt ad monumentũ, vt quid illic gestũ sit, intelligant. Est hoc euidens fidei argumentum, cuius semina intra animos suos hucusq; retinuerunt, quàmuis ex pro metu & dolore suffocata videri potuerint. Estq; hæc illorũ fides eò laudabilior, quòd multa occurrerent, quæ ipsos absterrere poterãt, si suæ rationis iudiciũ audire voluissent. Contemptibilis enim erat Magdalenæ persona, & quàmuis huius nuntium aliarum quoq; testimonio confirmaretur, omnes tamen mulieres erant, quem sexum natura timidum & suspiciosum esse constat. Deinde non carebat periculo ad monumentũ excurrere, cùm propter discipulos potissimùm milites huius custodes essent constituti. Adhæc reliquis discipulis mulieres istæ delirare visæ sunt, & proinde ijsdem non multi plus sapere videri poterãt, qui illarum verbis se tam facilè moueri paterentur. Sed vincit obstacula ista omnia Christi amor, quem fides in ipsorum animis accenderat. Itaq; retineri non possunt, quàm primùm de Christo aliquid præter expectationem audiunt. Suo autem exemplo eos arguunt, qui hodie ignaui & securi desident, etiamsi Christi verbum profligari, pios in exilium eijci, captiuos duci, occidi, & insuper toti ecclesiæ pericula grauissima imminere audiant. Testantur hi se ab ecclesiæ societate vera alienissimos & Christi spiritu planè vacuos esse, quando nulla commiseratione erga eos tanguntur, quos pro fratribus & eiusdem corporis membris agnoscere debebant, &c.

Discrimen inter Petrum & Ioannem.

Deinde cùm duo isti simul currant, præuertit tamen Petrũ Ioannes, & prior ad monumentũ peruenit: Idem verò in illud ingredi nõ audet, sed inclinatus modò obiter inspicit. At Petrus, qui cursu minus potuerat, animi viribus præstantior, mox intrat & suo exemplo Ioannẽ confirmat, vt idem facere ausit. Quo loco videmus inter electos quoq; non pari mensura spiritũ distribui, & dona eius diuersa esse: quæ causa est, quòd non pari pede omnes progrediuntur. Imò frequenter fit, vt qui cursum suũ intrepidi & cõstantes perficiunt, ad ipsam metã anhelent, & nouis viribus opus habeant, quibus quod reliquũ est laboris absoluant. E contra, qui initiò meticulosi & infirmi videntur, & reuera infirmi

firmi sunt, inter progrediendum animos & vires sibi crescere sentiunt, ideoq; cùm ad rem ventũ est, eos multùm superant, qui ipsos prius non paruo interuallo post se reliquerunt. Sunt hæc quoq; exẽpla obseruatu dignissima, vt de nobisipsis modestè sentiamus, neq; temere aliquos contemnamus, qui nobis infirmiores esse videntur. Potest enim illos confirmare Deus, quando ipsi ita visum fuerit: qui si suam manum nobis ad breue momentum subducat, mox vires simul omnes deficere sentiemus.

Lintea resurrectionis Christi indicia sunt.

Terriò, quid in monumento isti inuenerint, narratur: Lintea nimirum, siue sindonem, quem Iosephus emerat, vt eo corpus Iesu inuolueret, & sudarium seorsum suo loco inuolutum. Fuerunt hæ corporis Christi exuiæ, quæ ipsum reuera resurrexisse, non autem furto surreptum, aut alia ratione alio translatum esse testarentur. Nam siue amicus siue hostis tale quid instituisset facere, lintea minimè relicturus, imò ne detracturus quidem erat, cùm res ipsa propter periculum coniunctũ moram nullam admitteret, & commodius esset corpus inuolutum auferre. Nõ temere ergo spiritus sanctus hæc tam diligenter conscribi voluit, quæ primo intuitu minuta, & carnis iudicio ridicula videri poterant: cùm in illis tam euidens & certum resurrectionis Christi testimonium contineatur. Quin in hunc finem spiritus sanctus Ioannis pusillanimitate bene vti voluit, ne si dilectus ille discipulus prior sepulchrum esset ingressus, ipse hæc ita disposuisse videretur, & proinde minor esset totius narrationis siue historiæ authoritas. SVNT tamen ista altiori quoque sensu consideranda. Dum enim Christus vestes sepulchrales exuit & relinquit, docet se non ad vitam mortalem & corruptioni obnoxiam resurgere, in qua vestitu, cibo, potu & externis eiusmodi præsidijs opus sit, sed ad immortalem & cælestem. Nam excitatus à mortuis nõ amplius moritur (ait Apostolus ad Rom. 6. cap.) mors ei non amplius dominatur. Simul verò innuit, qualis nostra etiam resurrectio futura sit. Testatur enim idem Apostolus, nos quo ad corpus hoc mortale similes fore corpori Christi glorioso. Vt ergo hoc ipsum corpus suscitatum est, quod in Virginis vtero ille assumpserat, quod in cruce expirarat & in monumentum fuerat depositum: Ita nos quoque iisdem quæ nunc gestamus, corporibus resurgemus, exuetur autem corruptio & mortalitas, neque ijs indigebimus porrò, quibus huius seculi vitam sustentari oportet. Quod Christus alibi alio exemplo docet, quãdo nos angelorum similes fore ait, non quoad essentiam, sed quoad vitæ rationem à corruptione simul & affectu carnis prauo alienam. Admonemur item, quid eos facere conueniat, qui in Christo renasci & ad vitæ nouitatem cum illo resurgere volunt. Debent illi veterem hominem cum omnibus suis exuuijs deponere (quas alibi scriptura membra peccati vocat) & nouum hominem induere, qui relictis post se terrenis omnibus, Christum sequatur & se Deo totum consecret viuentem hostiam. Pertinent huc quæ de regeneratione & hominis innouatione passim disputantur: quæ item Paulus ad Rom. 6. et Colos. 3. scribit. At cùm ista hodie paucissimi præstent, pauci quoque sunt verè Christiani, neque mirum censeri debet, quòd Deo minus propitio vtamur.

Vt affecti fuerint Petrus & Ioannes.

Quærò indicatur, quomodo his visis animo affecti fuerint. Et de Petro quidem Lucas scribit, quòd admirabundus exierit, incertus nimirum quid crederet. Ioannes autem dicitur credidisse: nimirum quod Maria dixerat, corpus Iesu aliò esse translatum. Causam huius stuporis & insciciæ in præsenti ipse indicat. Nondũ enim nouerant scripturã, quòd oporteret illũ à mortuis resurgere. Itaq; rursùs incerti domum redeunt ad suos. At hîc multiplex error in sanctissimis discipulis cernitur. Communis cum tota Iudæorũ gente illis fuit, quòd scripturas de Christi resurrectione & regno eius æternum passim vaticinantes non intellexerunt. Excusari autem iste poterat, cùm eius causa præcipua in scribis & sacerdotibus hæreret, qui populum minus rectè instituebant. Porrò nullam excusationem admittit, quòd Christi quoq; verborum immemores sunt, & tam manifestis signis excitati ea non in mentem reuocant, quæ non semel de sua morte & resurrectione apud illos cõcionatus fuerat. Erant illa sic nota plerisq;, vt sacerdotes eorum recordatione territi, sepulchro militum turmam adhibuerint, ne quid huius fieret. Turpissima igitur fuit hæc discipulorum oscitantia, qui horum nihil cogitarunt. Interim non parum vtilitatis ista nobis afferunt. Primò enim plurimum facit ad Euangelicæ historiæ commendationem, quòd suos næuos atq; errores Euangelistæ tam ingenuè & liberè testantur. Quod enim hoc loco Ioannes facit, idem alij quoq; fecerunt, quando vitæ prioris conditionem & ineptas atq; ambitiosas discipulorum contentiones, aliaq; eius generis infinita non dissimulant. Quis ergo in Christi aut alterius gratiam eos aliquid finxisse suspicetur, qui sua vitia cælare nolue-

runt? Deinde elucet in hoc exemplo infirmitas nostra, quæ non rarò in sanctis quoque locum ob-
nit: quos interdum labi patitur Deus, vt partim conster salutem nostram omnem ex ipsius gra-
pendere, qui & velle & facere in nobis operatur pro bona sua voluntate: partim vt illorum exem-
plis excitati vigilemus, & cum assiduo Verbi studio preces coniungamus ardentes, ne in tenta-
bus victi succumbamus. Postremò causam omnium errorum hoc loco nobis spiritus sanctus indi-
nimirum scripturæ sacræ ignorantiam, qua Sadducæos quoque deceptos fuisse, alibi Christus ad-
de mortuorum resurrectione absurda & impia cogitarent. Quia enim per has nobis loquitur Deus
& in ijs suam nobis voluntatem reuelat, in tenebris oberrent oportet, quotquot his neglectis suas
tiones audiunt. Ideò postea quoque ex scripturis suæ mortis & resurrectionis mysteria Christus
pulis exponit, cùm post multa testimonia eos adhuc hæsitare cerneret. Vide Luc. 24. Est hoc
obseruandum inter huius seculi nostri controuersias, ne vllis hominum figmentis nos circumduci
tiamur, sed in solas scripturas intenti simus, vt ex ijs discamus veram salutis rationem, quæ
no Iesu Christo habetur, qui vt morte sua peccatum omne sustulit, ita mortem atque inferos re-
ctione sua deuicit, nobisq; reditum in patriam cœlestem aperuit. Illi debetur benedictio, honor, gl
& potestas in æternum. Amen.

HOMILIA CLXXIII.

Maria autem stabat ad monumentum foris flens: cùm ergo fleret in-
curuauit se in monumentum, & uidet duos angelos in albis uestibus
sedentes, unum ad caput, & alterum ad pedes, illic ubi iacuerat corpus
Iesu: qui & dixerunt ei: Mulier, quid fles? Dicit eis: Sustulerũt Domi-
num meum, nec scio ubi posuerint eum. Et cùm hæc dixisset, conuer-
sa est retrorsum, uidit́q; Iesum stantem, nec sciebat quòd Iesus esset. Di-
cit ei Iesus: Mulier quid fles? quem quæris? Illa putans hortulanũ esse,
dicit ei: Domine, si tu asportasti eum, dicito mihi ubi posueris eum,
& ego eum tollam. Dicit ei Iesus, Maria. Conuersa illa dicit ei: Rabbo-
ni, quod dicitur Magister. Dicit ei Iesus: Ne me tangas: nondum enim
ascendi ad patrem meum. Sed abi ad fratres meos, & dic eis: Ascendo
ad patrem meum & patrem uestrum, & Deum meum & Deum uestrũ.
Venit Maria Magdalene annuntians discipulis quòd uidisset Domi-
num, & hæc dixisset sibi.

Vide Homil. in Marcum 135.

SCriptura sacra non temere inter fidei articulos eum præ alijs maximè inculcat, quo mortuorum
resurrectio docetur. Nisi enim hunc probè & firmiter teneamus, in huius modò seculi mise-
renti vitiorũ illecebris facilè cedemus, in mortis autem articulo nulla nobis consolatio relinquet-
qua salutis fiduciam retinere aut terrores inferorũ vincere possimus. At quia resurrectionis hu-
fundamentum atq; basis est ipsius Christi resurrectio, hanc multis argumentis & idoneis testimo-
probari oportuit. Multa ergo eius generis Ioannes congerit, quibus historiam illius ab alijs dis-
ptam confirmet. Primum fuit, quo per exuuias Christi, quas hîc in monumento reliquit, probaret
corpus eius neq; furto sublatum, neq; alia ratione translatum esse, sed reuera resurrexisse.

Cur mulieribus, & quidẽ Magdalenæ, Christus primùm apparuerit.

Sequitur nunc altera huius Capitis historia, quæ Mariæ Magdalenæ testimoniũ continet, quod
priori euidentius & certius est, eò quòd Christum vidit & coram allocuta est. Sed prius quam ad
historiæ explicationem accedamus, considerandum venit, cur mulieribus potius quàm discipulis pri-
mò apparere voluerit Dominus. Item cur ex toto muliebri sexu hanc præ alijs, & quidẽ præ matre
virgine delegerit, cui primæ innotesceret. Quoad primum, docere voluit, se eius quoq; sexum seruato-
rem esse, per quem peccatum atq; mors in mundũ ingressa sunt. Id verò euidenti demonstratione ipse
habebat, eò quòd sexum istum proprijs quibusdam pœnis Deus multauit. Vt ergo ex muliere homo
nasci voluit Dei filius, ita mulieribus passim sese familiarissimum præbuit, neq; verbi modò sui do-
ctrina & miraculis suis eas dignatus est, sed mortis etiam suæ testes esse voluit, & ipsis prima sui
ex mortuis resurrectionem manifestauit, vt sui meriti fructum ad se quoque pertinere sciret. Hinc
igitur

igitur consolationem petant mulieres, qua molestias & labores mitigent, quibus in illis castigandis Deus adhuc vtitur. Sunt enim hæ virgæ paternæ, quæ animarum saluti minimè officient, si Christum amplexæ in eius fide constantes perseuerarint. Quòd verò Magdalenæ prius quàm Mariæ matri apparuit, non temere factum putabimus. Primò enim cauendum erat, ne carnis generatio aliquam in salutis negotio prærogatiuam habere videretur, aut aliquem apud Deum putaremus esse personarum respectum, & inde ad superstitiosum cultum aliquem nos pateremur adduci. Ideo apud Lucam mulieri cuidã clamanti, Beatus venter qui te gestauit, & vbera quæ suxisti: respondit ille, Quin imò beati qui audiunt verbum meum, & faciunt illud. Et nunc ex morte rediuiuus Magdalenæ se primæ omnium conspiciendum offert, quam prius ex diaboli tyrannide liberauerat, cùm eam septem immundi spiritus totam occupassent: vt omne hoc illi ex gratia obtigisse constaret. His præmissis, ad historiæ narrationem accedemus, eiusq; partes singulas ex ordine considerabimus.

Primùm quid Maria fecerit, narratur. Stabat (inquit) ad monumentum foris flens. Ergo cum Ioanne & Petro iterum exiuit, & illis in vrbem reuersis ipsa apud sepulchrum substitit, & corporis Iesu (quod amissum putabat) desiderium lachrymis indesinentibus testata est &c. Fuit hic pius affectus, sed cum errore & superstitione coniunctus. Hæret enim in corporis præsentia, quasi hoc amisso spes quoq; salutis simul omnis interciderit. Deinde verborũ Christi immemor plorat, quando potius gaudere debebat. Quia enim ille toties prædixerat, se à mortuis tertio die velle resurgere, de eo nunc cogitandum erat, quando corpus eius in monumento nullũ comparebat, & cum gaudio spem bonam salutis concipere. Sed frequenter pij quoq; errant, dũ affectibus per se bonis & sanctis indulgent, non autem in Dei verbum respiciunt, quod illos moderari poterat. Et nullus tam frequens error est, quàm quòd tunc dolemus & ploramus, quando nos lætari potius conueniebat. Fit hoc si quando fortunas, amicos, liberos nobis eripit Dominus, vt quam in illis collocatam habebamus fiduciã in se transferat, sicq; nostræ saluti consulat. Tunc enim pauci consiliũ Dei agnoscunt, vt cum Iobo dicant, Dominus dedit, Dominus abstulit, sit nomẽ domini benedictum: sed in fletus, querelas & murmura erumpunt, neq; de amissis modò rebus charissimis, verumetiã de iniuria sibi facta quiritãtur: quasi verò Deus iniustus aut iniquus esse possit, quando quod suum est certo consilio à nobis repetit. Idem fieri solet, quando morbis petulantiam nostram castigat, aut persecutionibus nos ad ardentius salutis studium excitat. Debebamus tunc Dei bonitatem agnoscere & (vt Christus monet) in his gaudere. At tunc quoq; plerique impatienter eiulant, seq; omnino perditos arbitrantur. Similes horum sunt, qui in mortis hora dolent, quando potius cum gaudio sese ad patriæ cœlestis hæreditatẽ capessendam accingere debebant. Discamus ergo affectus istos crebra verbi Dei & promissionum eius meditatione corrigere, & non in præsentem modò rerum faciem respicere, sed ipsum quoq; euentum considerare. Cæterùm etsi Maria carnis affectu decepta errauerit, eadem tamen suo exemplo multorum socordiam arguit, qui Christianissimi videri volunt. Quàm multis enim locis hodie Christus amittitur, imò ignominiosè profligatur? quàm multis etiam sepelitur ab ijs, qui puriorem fidei doctrinam obscurant & traditionum humanarum luto obruunt? Quàm multi autem sunt qui ista siccis oculis intuentur, & dummodo ipsis bene sit, de illo quærendo aut in lucem reducendo nunquã cogitant? Est hæc detestabilis ignauia, quam Deus inultam non finit. Itaq; Mariæ huius exemplum in hoc imitemur, vt ea nobis ex animo doleant, quæ gloriæ Christi officiunt, quæramus item illum indefesso studio, cumq; eo in finem vsq; perseueremus. Hoc qui faciunt, hi eundem cum Maria fructum pietatis colligent. Nam exhilarabit eos Dominus & luctum ipsorum solida lætitia excipiet, quam Christo fruentur. Neq; nos offendat, quòd interdum res differtur. Ita enim nostram fidem exercet Deus, & ardentius salutis desiderium in nobis excitat. Non negligit autem suos perpetuò, sed suo tempore illis propitius affulget: quod in præsenti quoq; factum fuisse modò audiemus. Magdalena flet

Maria enim, vt in magno luctu fieri solet, sepulchrũ denuo inspicit, vt & dolori suo indulgeat, & saltem ex loci contemplatione aliquam consolationem venetur. Hìc verò præter omnẽ expectationẽ duos angelos videt, qui albis vestibus induti illic cõsident, vbi corpus Christi iacuerat, ipsamq; priores compellant. Fuit hoc initium consolationis, quam ei Dominus attulit, & quæ multiplex fuit, si eam diligenter inspicias. Primò enim quæ ab omnibus relicta plorabat, angelos consolatores inuenit. Deinde ita illi sedent, vt custodes corporis videri possint, quod ad remouendã suspicionem de illo Magdalenæ apparent angeli.

furtim sublato plurimùm faciebat. Adhæc vestium colore lætitiam præ se ferunt, & cœlestis gloriæ ministros se esse profitentur. Quibus omnibus verba accedunt, Mulier quid ploras? Quæ cum reprehensione consolationem coniunctam habent. Nam perinde hoc est, ac si dicerent: Cur nunc lachrymas inanes fundis, quando non lachrymandi, sed gaudendi tempus est? Quin potius omissis illis, quid Christus de sua resurrectione aliquoties dixerit, in mentem revocas? At nihil horum Maria intelligit, sed priorem querelam verbis ijsdem repetit: Sustulerunt Dominum meum, nec scio ubi posuerint eum. Tanta affectuum, etiam bonorum, vis est, vt animi oculos rectum verumq; videre non sinant, & proinde efficaci spiritus illuminatione eos profligari oporteat. Quò magis annitamur, ne pravis cupiditatibus locum demus, quæ si semel imperium apud nos obtineant, ad omne scelus & ad ipsum interitum præcipites abripiunt. Oremus ergo assiduè Dominum, vt ipse suo spiritu mentes nostras illuminet, cogitationes & consilia nostra regat, ne à via mandatorum eius deflectamus. Observabis autem hoc loco, angelos Iesu Christi ministros fuisse non modò quatenus ille Deus filius eternus & creatorum omnium dominus est, verumetiam quoad naturã eius humanam. Exemplaria rei multa occurrunt, inter quæ cumprimis illustria sunt, quæ tempore passionis & mortis eius acciderunt. Ad montem olineti enim angelus illum consolatur, cùm acerbissimæ mortis consideratione oppressus sanguine multo sudaret. Neq; resurrectionem modò illius iuuerit, sed adhuc sepulchri eius custodes sunt, vt illi resuscitato testimonium ferant. Quod vt Christi Iesu gloriam atq; maiestatem vehementer commendat: ita nos quoq; plurimùm consolatur. Docet enim quid nobis sperandum sit. Quia enim propter nos in mundum venit Christus, & omnia eius nostra sunt, nostri etiam sunt angeli, quos electorum seruitio destinatos esse scripturæ passim docent, idq; exemplis infinitis probant, quæ alibi adduximus. De his ergo semper cogitemus, imprimis autem in mortis hora, quando amicorum modò officia nihil iuuant, sed sensus quoq; omnes deficiunt. Tunc enim procul dubio circa nos castra sua tenent angeli (vt Psalm. 34. scribitur) & hi à nobis arcent malignos spiritus animasq; hinc migrantes defendunt. Deinde hoc etiam obseruatu dignum est, quòd angelis videntur mulieres solantur, qui impijs militibus (vt Matthæus scribit) paulò ante terrori fuerant. Est hoc perpetuum, vt quæ ad Christi gloriam illustrandam faciunt, pijs consolationem, impijs terrorem & desperationem afferant. Videmus hoc, quando per euangelij prædicationem resurgit qui diu nimis superstitiones & falsæ doctrinæ sordes quasi sepultus iacuerat. Tunc enim impij & hypocritæ fremunt, quia neq; dolos suos neq; scelera alia volunt argui: pij verò gaudent & exultant, eò quòd sanctas scientias suas recreari, & à traditionum laqueis solui sentiunt. Imprimis verò hoc locum habet, quando ad resurrectionis doctrinam, qua nihil iucundius pijs excogitari potest, cùm è contra impijs atrox mentionem intra animos suos contremiscant, vtut illud interdum dissimulent. At quia diem illum nemo subterfugere poterit, Christum vera fide amplectamur, & in illo vitam sanctam ducamus, vt lætus nobis innotescat, qui impijs terrorem, & luctum pariet. Sed plura de hoc in Matthæi explicatione diximus.

Christus Magdalenæ apparet

Sequitur nunc ipsius Christi apparitio, quam à reliquis euangelistis breuius adumbratam ita nonnes diligenter describit. Mariam autẽ, cùm angelis luctus sui causam exposuisset, retrorsum conuersam esse ait, cur verò id fecerit non indicat, neq; vt illud sciamus multùm refert. Si quis tamen hic detur coniecturis, ego occulta spiritus virtute potius quàm vllo angelorũ indicio motam ita putauerim. Iam enim tempus erat, vt de Christi resurrectione certior fieret, & dolore tam acerbo liberaretur. Illum itaq; sibi astare videt, qui ipsam ijsdem verbis alloquitur, quibus antea angelis fuerant. Mulier quid fles? quem quæris? At non agnoscit Dominum Maria, nimirùm quòd ei oculi tenerentur (sicuti de duobus discipulis Emauntem profectis Lucas prodidit) sed hortulanum esse suspicatur, cui horti illius cura cõmendata sit, & ideo ipsum quoq; de corpore sublato interrogat, dicens: Domine, si tu asportasti illum dicito mihi vbi posueris eum, & ego eum tollam. Hæc verò cum diutius suspensam tenet Christus, sed proprio eam nomine compellans, simul oculos & mentem eius aperit, vt ipsum agnoscat. Itaq; ad vocem eius mox à monumenti contemplatione & luctu ad illum conuersa respondet, Rabboni, id est magister. Quo exemplo primùm docemur, Christum non procul ab ijs abesse, qui ipsum pio & syncero animo quærunt, quàmuis interdum vel à tergo nobis stare videatur, vel in specie ignota appareat. Nam ipse idem suiq; similis est semper, nostro autem visu

fit, vt

si, vt eum non semper agnoscamus, dum illi pro affectuũ nostrorum ratione formas subinde nouas affingimus. Qua in re plurimũ hodie peccatur. Alij enim irati faciem ei tribuunt, & (vt olim Iouem suum Poetæ pingebant) fulmine semper armatum fingunt: & hi quia non talem agnoscunt, qualis in euangelio prædicatur, aduocatos & intercessores sibi faciunt Diuos cœlites, in quos illius gloriam transferunt. Alij sub Regis aut Monarchæ terreni specie illum imaginantur, & ea opinione decepti, apud eum victorias, opes, honores & alia huius seculi bona quærunt, præteritis cœlestibus & æternis, quorum ille nobis author est. Sunt qui dum solam eius bonitatem intuentur, indulgentissimum nequitiæ patronum ex eo faciunt, & euangelio ipsius ad peccandi licentiam turpiter abutuntur. Errant hi omnes grauiter, & proinde curare nos decet, vt positis affectibus talem nobis proponamus Christum, qualem scripturæ prædicant.

Deinde veram eius cognoscendi rationem historia hæc quasi in speculo adumbratam proponit. Non agnoscit initiò Christum Maria, quando communi mulieris nomine ipsum compellat, etiamsi cum illo prius familiariter versata esset. At cùm proprio nomine vocatur, mox vocem eius agnoscit, oculos aperit & illum esse videt, quem quærebat. Estq; eadem planè omnium nostrùm conditio. Ex nobis ipsis enim Christum salutis nostræ authorem non agnoscimus, & quàmuis generalẽ illam, quæ in euangelij prædicatione sonat, vocationem audiamus, eam ferè quasi nihil ad nos pertinentem negligimus. At vbi animos nostros Christi spiritus penetrat, & illic nos quasi nomine vocat, tunc demum de nobis agi sentimus, & nobis loquentem Christum videmus, eiusq; meritum ad nos pertinere intelligimus. Et hoc illud est, de quo supra in pastoris parabola concionatus est, quando se oues suas nominatim vocare ait: & apud Lucam suorum nomina in cœlis ascripta esse testatur. Vt ergo in Christi & salutis nostræ cognitionem veniamus, prius ab illo nos cognosci oportet: quod non obscurè Paulus docet, quando in posteriori ad Timoth. Cap. 2. scribit: Solidum stat fundamentum Dei, habens sigillum hoc, Nouit Dominus qui sint sui, &c. Quos autẽ ipse nouit, & priusquam mundus hic crearetur in electorum suorum album ascripsit, eos suo tempore nominatim, id est efficaciter vocat, vt se vocari & illum ad se pertinere intelligant. Obseruari hoc debet cõtra eos, qui vniuersalibus euangelij promissis ad euertendam Dei prædestinationẽ & electionem abutuntur. Nisi enim horum prædicationi externæ singularis spiritus vocatio accedat, nõ plus illa efficient, quàm hic factum fuisse videmus, cùm Mariam cõmuni mulieris nomine Christus compellaret. Neq; propterea nobiscum ludit Deus, quando euangelium prædicatur. Efficax est enim apud electos illius prædicatio per spiritus cooperationem, reprobis autẽ excusationis prætextũ eripit, quem ex ignorantia captare solent. Interim officij nostri meminisse nos oportet, quod in Mariæ exemplo hic adũbratur. Quàm primùm hac se nomine vocari audit, Christi vocem illico agnoscit, & illum magistrum suum esse fatetur. Est hoc proprium Christi ouibus, sicuti supra quoq; admonuit. Ego sum (inquit) pastor ille bonus, & agnosco oues meas, & agnoscor à meis. Item: Oues meæ vocem meam audiunt, & ego cognosco eas, & sequuntur me. Teneamus ergo ab ipso Christo traditam salutis rationem. Audiamus illum nobis in euangelio loquentem, agnoscamus vocem eius, & illum sequendo sub eius obsequium cogamus sensus & affectus carnis nostræ: de quo alibi plura à nobis dicta sunt.

Ratio cognoscendi Christi uera.

Accedamus nunc ad illius orationẽ, quam ex mortuis resuscitatus primam habuit, quæq; multa continet obseruatu dignissima. Ne me tangas, inquit. Et mox rationis loco subijcit: Nondum enim ascendi ad patrem; Sed abi ad fratres meos, & dic eis: Ascendo ad patrẽ meum, &c. Sunt ergo duæ orationis huius partes. Prima intempestiuũ Mariæ affectũ reprimit, quo in ipsius amplexum ruebat. Quia tamen ea pars nonnullis obscurior videtur, diligentius inspicienda erit. Prohibet, ne se tangat. Atqui priusquam moreretur à quibusuis se tangi, imò à turba circumquaq; imminẽte premi, passus est. Post resurrectionem verò discipulis, vt se tangãt, præcipit. Contrectate me (inquit) & videte: nam spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere. Et infra Thomæ dicet: Infer digitum tuum huc, & vide manus meas: & profer manum tuam, & mitte in latus meum. Et ne quis Mariam propter sexus indignitatem reiectam putaret, mulieres à sepulchro redeuntes ipsum attrectasse & pedes eius apprehendisse, Matthæus scribit. Huius ergo loci expositio ex re præsenti debet peti, & ante omnia Mariæ animus est inspiciendus, quam carnis affectu ductã fuisse constat, vt omnem Christi fruendi rationem in corporis præsentia consistere, & illum externis officijs adhuc coli as-

Christi oratio ad Magdalenam.

1. Prohibet, ne se tangat.

que honorari posse putaret. Quare non dubium est, quin magno desiderio in eius amplexum prorumpere rit, & in eo modum quoque excesserit. Vt ergo affectum eius corrigat, remouet eam, & ascensionem ipsi in mentem reuocat, illam adhuc reliquam esse docens, & proinde non hærendum esse in corporis sui præsentia, quasi hæc ad salutem sufficiat. Vult denique carnis affectui tantisper resistat, dum ipse in cœlum profectus spiritum mittat, qui ipsam simul & discipulos omnia edoceat, quæ adhuc reliqua sint. Ergo sensus verborum est: Tu quidem quasi salute iam parta me amplecti & retinere cupis, & tota in corporis mei præsentia atque contactu occuparis. At nequaquam in his salus consistit, sed restat ad eius complementum, vt in cœlos ascendam, illic vobis locum parem, & inde spiritum vobis mittam, quo edocti intelligetis, me non corporaliter prehendi & retineri posse, sed salutis rationem in eo potius cõsistere, vt animis per fidẽ in cœlum erectis me contingatis, adeoq; mutato animi, vt ita iustitiam atque salutem in me veram apprehendatis. Quod cum nondum intelligerent, differ aliquantulum hoc carnis tuæ desiderium, donec me ea ratione attingere possis, quæ sola salutaris est, &c. Hic (inquam) verborum Christi sensus est, quem si sequamur, non multum admodum erit locus hic ab eo, quem Cap. 6. vidimus, vbi eos quoque ad ascensionem in cœlos & spiritus sui recipiendi tutem remittit, qui de corporali carnis suæ manducatione contendebant. Docent hæc, Christum non amplius talem fingi debere, qui nobiscum quoad corpus versetur, & officijs externis opus habeat. Nam etsi corpus illud retinuerit, quod ex Virgine matre assumpsit, illud tamen ab omni corruptibilitate repurgatum in cœlos euexit, neque in terris posthac quæri vel monstrari vult. Vide quæ de illo in hanc sententiam Matth. 24. & Marci 13 dicuntur. Cultum verò requirit spiritualem, qui fide potissimùm confici, aliâs non vno loco diximus. Nihil ergo de Christo carnaliter sentiendum esse docemus, neque illum in terras detrahere, sed (vt Paulus monet) eum in supernis quærere per fidem, qui sola apprehendi potest. Seruiunt hæc ijs confutandis, qui hodie nobis lites mouent de corporis Christi præsentia & eius manducatione, quam impijs quoque tribuunt. Est hæc imaginaria persuasio Antichristi reliquijs multorum animis adhuc inhærens. Huic enim Daniel Deum tribuit, qui auro argento & gemmis colatur, & officijs externis opus habeat: quem panẽ illum Missaticum esse demonstrauimus. Pugnat autem commentum hoc cum æterno Dei decreto, qui filium suũ incarnari quidem & in mundum venire voluit, simul verò statuit, vt idem peracto in terris nostræ redemptionis negotio, assumptũ ex Virgine corpus in cœlos subueheret, quos eum tenere oportet (vt Petrus Actor. 3.) vsq; ad tempus restitutionis omnium. Neq; hæc sententia eius Maiestati & Omnipotentiæ quicquam derogat, quæ eò illustrior est, quòd corporis præsentiæ non alligatur, sed pro libera sua voluntate vbiq; agit.

2 Iubet resurrectionem suam nuntiare discipulis.

Facit ad huius sententiæ confirmationem altera orationis Christi pars, qua mandat, vt illa tribus suis renuntiet. Quo nomine procul dubio apostolos intelligit, cùm alibi (vt Marcus ferè Petrum expressè nominet. Fratres autem nominat propter salutis acquisitæ mysterium (vt paulò audiemus) & vt in se compleri ostendat, quod in Psalmo 22. habetur: Annuntiabo nomen tuum fratribus meis, &c. At si consideremus, quales tunc illi omnes fuerint, defectores nimirum, abnegatores & ignauo metu torpidi, magnum in eo bonitatis suæ argumentum dedit, quòd eos fratres nomine dignatur. Præmium verò fidei suæ amplissimum recepit Magdalena, quando eã sue resurrectionis præconem Christus constituit, simulq; eius exemplo docet, muliebrem quoque sexum suæ gratiæ & resurrectionis merito restitutum esse, quod singulari demonstratione opus habuisse alibi diximus. Nunc audiamus, quid discipulis nuntiari voluerit. Abi (inquit) ad fratres meos & dic eis: Ascendo ad patrem meum & patrem vestrum, & Deum meum & Deum vestrum. Atqui ascensionem non eo die mox factam esse scimus, sed postquam per dies quadraginta prius cum discipulis versatus est. Non ergo quid iam faciat aut facere velit, docet, sed mortis atque resurrectionis suæ effectũ exponit, de quo discipulos probè edoceri necesse erat. Sic ergo vult dicere: Narra fratribus meis, eò iam rem perductam esse, vt omnibus peractis, quæ in terris agenda restabãt, hoc vnum relinquatur sit, vt ad patrem ascendam, in eius domo (sicuti aliàs promisi) vobis mansionem parem, & inde vobis diuina virtute tuear atque protegam. Videtur ergo alludere ad promissionem, quam Capite 16. dixit: Paululum, & non videbitis me: & rursus paululum, & videbitis me (id est me vobis præsentem & fidum protectorem esse sentietis) quia ego vado ad patrem: nimirum, vt quoad humanam naturam

naturam, omnem potestatem in cœlo & in terra accipiam. Emphasim verò habet, quod ait: Ad patrem meum & patrem vestrum: quodq; mox per expositionẽ addit: Ad Deum meum & Deum vestrum. Ita enim docet, se hoc nobis meruisse, vt qui ipsius pater est natura, nobis quoq; pater factus sit ex gratia: adeoq; in Mediatoris persona hæc loquens, eam inter se & nos coniunctionem esse testatur, vt patrem atq; Deum cum illo eundem siue communem habeamus. In ipso enim & ex ipso habemus spiritum adoptionis, in quo clamamus, Abba pater. Plurimùm verò facit hic locus ad asserendam nostræ salutis certitudinem: Quia enim nos pro fratribus agnoscit Christus, filij Dei simus oportet: nec modò filij, verumetiam hæredes, vtpote Christi cohæredes, sicuti Paulus ad Roman. 8. cap. colligit. In Christo igitur nobis libertas, iustitia, sanctificatio, vita deniq; & salus perfecta obtigit. Neq; est, quòd vel mundi vel principis eius insidijs atq; furiosis conatibus terreamur, cùm idem ille Christus nobis protector sit, sub cuius alis tutò degunt, qui per fidem ipsi verè coniuncti sunt. At simul hîc nos officij meminisse decet, vt filiorum instar Deum ex toto animo diligamus, eundem timeamus & præceptis illius obtemperemus: vt item eos quoque fraterno amore & omni Christianæ beneficentiæ officio prosequamur, quos ille nobis confratres & cohæredes fecit. Possent hæc latissimè deduci, & multa reprehensione digna esset nostri seculi ingratitudo atq; socordia: sed pijs de istis cogitandi occasionem præbuisse sufficiat.

Narrat postremò Ioannes, quid Magdalena accepto Christi mandato fecerit. Venit annuntiãs discipulis, quòd vidisset Dominum, & hæc dixisset sibi. Fideliter ergo iniunctum sibi munus obiuit. Quo loco præclarum obedientiæ fidei exemplum proponitur. Quàm multa enim eã terrere & ab officio revocare potuerint, alibi exposuimus. Sed pluris facit Domini præceptum, quàm rationes omnes, quas caro suggerere poterat. Et discipulos quidem illa flentes & lugentes inuenit (vt Marcus scribit) quos ita luctus occuparat totos, vt quod maximè factũ volebant nõ crederent. Reprehendit hanc illorum tarditatẽ Dominus grauiter: & sanè seria reprehensione digni sunt, quicunq; ijs fidem non habent, quæ ab illo prædicta & eius testimonio confirmata sunt. Nos ergo istorum exemplo admoniti, credamus Iesum Christum verè mortuum esse pro peccatis nostris, & eundem verè etiam resurrexisse propter iustificationem nostri, & ea fides nos saluos faciet. Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen. Magdal. Christo obtemperat.

HOMILIA CLXXIIII.

Cùm ergo uespera esset die illo, qui primus erat sabbatorum, & fores essent clausæ illic ubi erant discipuli congregati propter metum Iudæorũ, uenit Iesus stetitq; in medio, & dicit eis: Pax uobis. Et cùm hoc dixisset ostendit eis manus et latus suum. Gauisi sunt ergo discipuli uiso Domino. Dixit ergo eis iterũ: Pax uobis: sicut misit me Pater, ita & ego mitto uos. Et cùm hoc dixisset, flauit in eos, et dixit eis: Accipite spiritum sanctum. Quorumcunq; remiseritis peccata, remittũtur eis: quorumcunque retinueritis, retenta sunt.

Quemadmodum Dei filius, quàm primùm ex Maria virgine homo natus fuit, incarnationem suam omnis loci & ordinis hominibus voluit innotescere: Ita in corporis sui resuscitatione hoc ipsum ab eo factitatum est, vt eius fama quàm ocyssimè diuulgaretur. Et primò quidem testes eius fecit milites, qui illam sacerdotibus & Senioribus annuntiauerunt. Deinde familiaribus suis multa eius argumenta & indicia exhibuit, quando non semel modò & iterum ab illis visus est, sed per dies totos quadraginta cum illis conuersatus omnem ex animis eorum dubitationem exemit. Quod omnino fieri oportuit, quando in Christi resurrectione redemptionis nostræ complementũ maxima ex parte consistit, & eadem efficacissima cõsolationis argumenta in omni tentatione suggerit, dum nostrorum quoq; corporum resurrectionem & vitæ æternæ spem nobis confirmat. Cæterùm inter ea, quæ toto illo tempore facta sunt, primas facilè tenet historia, quam modò recitauimus. Primùm quia nihil eorum hîc omisit Dominus, quæ ad asserendam ipsius resurrectionem, & corporis resuscitati veritatẽ faciunt. Deinde, quia hoc loco apostolos suos ordinauit, & in illis ministerium ecclesiæ Vide Marcum homil. 137.

instituit, per quod regnum eius in terris propagatur, & vera salutis per ipsum cõsequendæ ratio tra-
ditur. Diligenter ergo à duobus euangelistis illa describitur, Luca nimirùm & Ioanne, & eiusdem
Marcus quoque mentionem facit, ita tamen, vt singuli quædam ab alijs præterita aut omissa com-
memorent. Quare in eius expositione quæcunq; ab omnibus illis tradita sunt, inspicere oportebit.

Tempus huius apparitionis.

Orditur autem Ioannes à tempore, & sub vesperam primi diei sabbatorum hæc facta fuisse scri-
bit. Fuit hic idem ille dies, cuius profundo diluculo Dominus resurrexit, & quo Magdalenæ pri-
mùm, deinde reliquis mulieribus, Petro item & duobus discipulis Emauntem abeuntibus apparuit.
At quia non tãta erat istorum omnium apud reliquos discipulos authoritas, vt eum resuscitatum
esse crederent, nunc eodẽ die omnibus illis simul collectis interuenit, & quidẽ tunc, quando præ mu-
fores probè concluserant, ne quid hostile à Iudæis paterentur. Est hoc ingens boni & fidelis pastoris
argumentum, qui ouiculas suas noluit diutius inter spem & metum suspensas tenere, sed eo tempore
momento veram consolationis lucem offert, quando noctis imminentis tenebræ noui periculi terro-
res allaturæ videbantur. Potest hinc generalis consolatio peti, nunquã passurum Christum, vsu-
pra vires tentemur.

Discipuli antea dispersi nunc simul collecti sunt.

Cæterùm quoad discipulos, obseruatu dignũ est, quòd qui prius fœdè dispersi fuerunt (quemad-
modum illis euenturum Christus ex Zacharia prædixerat) nunc rursus in vnum conuenerunt, &
quàmuis illum resurrexisse nondum crederent, adhæc præ metu domus ostium diligenter clausissent,
de eius tamen resurrectione, quæ iam vulgari cœperat, sermones inter se conferunt, vt in Luca est
videre. In illis enim exemplum fidei cum infirmitate nostra luctantis exhibetur. Et ita fere fieri so-
let, quàm diu in carne viuimus, vt terrores metumq; illa nobis obijciat, quando animo præsenti &
constanti fiducia imprimis opus erat. Quod quia olim electis Dei seruis frequenter accidisse constat,
minimè nobis desperandum est, si quid simile in nobis ipsis sentiamus, luctari verò debemus cum
metu & terroribus, quos caro nobis obijcit. Præcipua autem cura sit, vt ex dispersione, quam per-
cutionum tempestates faciunt, iterum colligamur ad cœtus sacros, neq; relinquamus externam ecclesi-
siæ societatem, in qua Dei verbum auditur, & preces fiunt publicæ, quarum maxima apud Dominum
vis est atque authoritas. Commendauit nobis hoc studium spiritus sanctus infinitis promissionibus,
quas omnes Christus summatim complexus est, quando se illis præsentem adesse testatur, qui in suo
nomine congregati fuerint, & illorum preces à Deo patre exaudiri promittit. Quam promissionem
in præsenti confirmatam voluit, quando discipulos iterum in vnum collectos tam benignè inuisit, &
amica salutatione pacem atque benedictionem illis offert, animi terrores metumq; omnẽ disfuit, &
eorum mentes gaudio ineffabili exhilarat. Et horum quidem bonorum, quæ omnem hominis sensum
longè superant, tunc consortes facti sunt, quotquot cœtui huic sanctissimo interfuerũt; solus Thomas
qui vel metu maiori perculsus vel aliqua alia causa detentus abfuit, totis adhuc octo diebus fluctuat
& salutis incertus manet. Quo magis nos anniti decet, ne timori & vitæ huius cupiditati (pessimis
planè consultoribus) indulgendo, diuturnioris cruciatus nobis simus authores.

Discipuli metuunt Iudæorum insidias.

Obseruemus item, quòd latebras quærunt discipuli, & propter Iudæorum insidias fores solidis
claudunt. Atqui nihil fecerant illi, cuius ergò sibi timere deberent, & nota omnibus erat vitæ illo-
rum integritas, ad quam illos Christus vocauerat. Sed quia tunc inter Iudæos primatum tenebant
hostes Christi, cui illi nomen dederant, vndiq; illis pericula imminent, & omnis generis insidias ti-
mere coguntur, interim impunè agentibus aduersarijs, qui quouis supplicio digni erãt. Scimus enim
quales tunc sacerdotes fuerint, qui legis diuinæ doctrinam traditionibus ineptissimis corruperãt, re-
ligionem omnem sibi quæstum fecerant, templum Domini in emporium & latronum speluncam com-
mutarant, opes ecclesiæ sacrilego ausu inuaserant, denique iam annis aliquot perniciosissimi fuerant
reipub. simul & ecclesiæ turbatores. Hæc tamẽ illis in publico et impunè facere licuit, Christi autem
discipulis palàm pijs & bonis esse non licet, sed in latebris hi occultantur, dum illi in templo & fori
indomita temeritate superbiunt, & ex scelere sibi laudem quærunt. Eandem olim prophetarum sor-
tem fuisse alibi diximus, et quid sub Imperatorum tyrannide Christiani passi sint, historici passim do-
cent. Ita verò fieri solet, quando impij homines in ecclesia aut republica locum obtinent. Hodie certè
cùm nullum tam immane fœdumq; scelus sit, quod nõ inter eos designetur, qui Romanæ ecclesiæ pre-
ceres & columnæ sunt, impunè tamen faciunt dicuntq; omnia, cùm interim nunquam non sibi timere
cogantur,

mantur, quotquot vno Christo contenti, secundùm euangelij regulam sanctè & innocenter viuere student. In repub. autem boni vix hisce re audent, quàm primùm improbi legum contemptores dominantur. Debet hoc pios excitare, ne talibus facilè locum dent, & initijs obstent fortiter, ne dum leuis periculi metu sese superarisinunt, postea seipsos & rempub. malis inextricabilibus implicent. Quòd si verò res deplorata fuerit, priuatorum est patienter ferre sortem, quam Dominus dedit, & ab illo precibus assiduis auxilium atq; opem poscere.

Christus uenit clausis foribus.

Cæterùm vt ad historiæ præsentis expositionem redeamus, illis colloquentibus ex improuiso adest Christus, & in medio eorum consistens ait, Pax vobis: quam vulgò vsitatam inter Iudæos salutationis formulam fuisse scimus, imprimis autem hîc locum habebat, cùm metu consternatis pericula omnis generis ob oculos versarentur. Venisse autem dicitur cùm fores essent clausæ, quod nonnulli ad temporis circunstantiam referunt, neque aliud miraculum hîc agnoscunt, quàm quòd vel angeli ministerio vel propria virtute fores patefecerit, vt ad eos ingredi posset: alij verò miraculosè hoc factũ arbitrantur, vt mà cum resurrectione diuinitatis suæ argumentum præberet, & ita efficacior esset consolatio. Quorum sententia vt simplicior atque verisimilior est, sic priscis etiam patribus placuit. Ex ea tamen minimè colligi debet, Christi corpus post resurrectionem veri & naturalis corporis proprietates exuisse, vel duo corpora simul in eodem loco esse posse, quæ nouorum dogmatum portenta Vbiquarij Sophistæ & Transubstantiatores pontificij ecclesijs hodie obtrudũt, vt Christi corpus perinde vt diuinitatẽ vbiq; esse, aut panẽ in illud transubstantiari euincant. Nec enim per clausas fores, sed illis clausis ingressus esse, vel potius cùm illæ clausæ essent, in medio illorũ stetisse dicitur. Miraculum ergo narratur, eius autem modus siue ratio non exprimitur: quam inuestigare inutilis, aut etiã impiæ curiositatis fuerit, cùm miracula omnia humanæ rationis captum excedant, neq; miracula dici possent, si naturali aliqua ratione fierent. Simpliciter ergo hoc ad diuinæ maiestatis & potentiæ declarationẽ referamus, nõ autẽ petamus hinc occasionẽ disputandi de corpore Christi: de quo quid nos sentire & credere conueniat, ipse eodẽ tempore singulari studio docuit: nimirũ illis disputationibus occurrere volens, quas de hac re non sine multorum scandalo exorituras esse præuidebat. Nunc denuo singularẽ Christi bonitatem obseruemus, qua erga discipulos vsus est. Poterat illis exprobrare turpem fugã, qua ipsum iam ab hostibus captũ deseruerant, metum item ignauum, qui illos quasi malè sibi conscios latebras quærere cogebat: adhæc Petrum propter abnegationis scelus accusare & verbis durioribus cõpellare poterat. At nihil horũ miseris & consternatis obijcit, sed amicè salutatis pacẽ, id est incolumitatẽ animi simul & corporis precatur. Soletur exemplũ hoc cõscientias peccatorũ pondere afflictas, ne rigidiorẽ æquò Christũ sibi fingant, quo nihil humanius et mitius vnquam in terris visum est. Rursus pudeat nos nostræ pertinaciæ, qua in retinendis odijs vtimur aduersus eos, qui nos leuicula aliqua iniuria læserunt. Discant item ministri ecclesiarũ non durius increpandos aut exprobrationibus perterrefaciendos esse, qui iam prius satis afflicti consolatione opus habent, ne cũtra Christi exemplũ linum fumigans extinguant, & arundinẽ quassatam cõminuant. Seruit præterea hoc Christi exemplũ consolationi in persecutionibus. Vt enim pacẽ discipulis precatur, qui in humanis nihil quàm triste & inimicũ sibi ipsis polliceri poterant: ita quantùmuis tyranni seuiant, & ecclesiã simul omnẽ euersam velint, pacẽ tamen certã & solidã habent credentes in Christo Iesu, qui & patrẽ nobis placauit, & animorũ tranquillitatẽ largitur, quo nihil iucundius & exoptabilius esse potest in periculis & afflictionibus. Vide quæ de hoc Paulus in epistola ad Rom. Cap. 5. & 8. scripta reliquit. Adhæc tyrannorum quoq; vires & conatus frangit Christus, ne possint semper quod volunt. Est ergo pax illa Christi multiplex, & sola aduersus omnes tentationes nobis sufficit, vt non temere dictum sit ab Apostolo, eam omnem mundi huius intellectum excellere.

Christus uerũ corpus sistit discipulis.

Sequitur vt discipulis apparuerit Dominus seque illis videndum & cognoscendum dederit. In quo describendo breuior est Ioannes, quare cum his ea quoque conferenda erunt, quæ apud Lucam & Marcum habentur. Scribit ille discipulos ad subitam Christi apparitionẽ territos fuisse, eò quòd spiritum aut spectrum esse putarent, nimirum communi superstitiosorum hominum errore decepti, quem inter Iudæos tunc vulgò locum habuisse alibi diximus. Reprehendit ergo illos Dominus quòd non credidissent ijs, qui ipsum resurrexisse dixerant, reprehensioni verò consolationem coniungit, qua metum omnem eximit, & simul manus latusque ostendens ait: Videte manus meas & pedes

meos: nam ego ipse sum. Contrectate me & videte: nam spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere. Adhuc autem illis non credentibus præ gaudio & mirantibus, cibum petijt, & oblatum ipsis videntibus comedit. Et ne quid nouum aut insolens animo conciperent, ex scripturis mysterium hoc omne exponit, & quæ sæpius antea dixerat, illis in mentem reuocat. Hi sunt (inquit) sermones, quos locutus sum ad vos, cùm adhuc essem vobiscum: quòd scilicet oporteret impleri omnia quæ scripta sunt in Lege Mosis & prophetis & Psalmis de me: & his dictis occulta spiritus virtute mentem illorum aperuit, vt scripturas intelligerent. Concurrunt hîc omnia, quæ illum vero suo corpore resurrexisse, & post resurrectionem veri corporis proprietates (quales sunt, visibilem & palpabilem esse, membris suis constare, & loco contineri) retinuisse docent. Nam sensus eorum præcipuus, visum tactumq́, in testimonium adhibet, spectri suspicionẽ confutat, corpus suum diligenti partium enumeratione describit, denique scripturæ veteris authoritate hæc omnia confirmat. Quia verò de his alibi plura diximus, eadem hîc repetere superuacaneum foret.

Apparitionis Christi fructus.

Videamus nunc, quem fructum ista apud discipulos tulerint. Ioannes eos viso Domino gauisos fuisse scribit, & gaudium hoc tantum fuisse modò in Lucæ verbis audiuimus, vt præ illo vix oculis proprijs fidem habere potuerint, quod in rebus præter omnem spem atq́ expectationẽ nobis ex voto obtingentibus fieri consueuit. Iam ergo impleri cœpit, quod Cap. 16. Christus promiserat: Iterũ videbo vos, & gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis. Ista verò fructum mortis & resurrectionis adumbrant, quem ex eius consideratione afflictæ hominũ conscientiæ cõcipiunt. Vident discipuli in Christo vulnerũ vestigia, & tamen non terrentur, sed gaudent potius, cùm illum resurrexisse videant, et in vulneribus eius partæ aduersus peccatum atq́ mortem victoriæ signa agnoscunt. Ita quicunq́ vulnera ipsamq́ Christi mortem fidei oculis intuentur, & eundem deuicta morte atq́ inferis resurrexisse credũt, hi intra animos suos gaudio incredibili exhilarantur, quod nemo illis eripere potest, & quo animati omnes mortis terrores constantissimè vincunt. Simul enim in his paternũ Dei amorem intuentur, quo is nos miseros complexus est, & ideò de salute sua dubitare non possunt amplius, cuius tam multa tamq́ luculenta testimonia inueniunt. Quòd si verò contemplatio ista in mortali corpore adhuc agentibus tantum gaudium affert, quid olim fore putabimus, quando in nubibus cœli cum gloria patris apparebit seruator hic noster, nosq́ in eius occursum per aerem rapiemur, vt cũ illo æternùm viuamus atq́ regnemus? Sensit aliquẽ huius gaudij gustũ Isaias quando Deum diligentibus se ea præparauisse dicebat, quæ oculus non vidit, auris non audiuit, & quæ in cor hominis non ascenderũt. Petrus item, cùm in monte Thabor clarificationis & gloriæ Christi specimen aliquod vidisset, mox omniũ quæ in terris habebat oblitus, exclamabat: Domine, bonũ est nos hîc esse, faciamus hîc tabernacula, &c. Vnde apparet, eos nunquã adhuc in mortis & resurrectionis Christi cõsideratione seriò & verè versatos esse, qui ad mortis mentionẽ & quæuis pericula anxiè cõpidant. Interim officij simul nos admonent discipuli suo exemplo, vt nimirũ ipsi etiã gaudeamus in animo, quando Christum per euangelium in hominum animis resurgere, & regnũ suum in terris instaurare videmus. Quos enim hoc non seriò afficit, ij satis docent, se Christum non magnifacere.

Christus discipulos ordinat euangelij ministros.

Porrò ne gaudij huius fructum ad discipulos suos pertinere putaremus, quibus tunc Christus se videndum & palpandum exhibuit, illos in præsenti ad euangelij ministerium ordinat, & mundo toti doctores destinat. Nam etsi prius quoque illos ad prædicandum emiserit, intra Iudæa tamen terminos subsistere iusserat, neq́ alius tunc prædicationis ipsorũ finis aut scopus erat, quàm vt omnium mentes ad Christum audiendum excitarent, qui tunc ipse in terris officio doctoris fungebatur, cui ipsum pater destinauerat. Nunc verò tempus illud venerat, quo ille mudum hunc corporis sui præsentia relinquere, suæ verò potentiæ sceptrum, id est, euangelij doctrinã, ex Zione (vt prophetæ olim prædixerant) in totum orbẽ emittere, & per hanc inter medios hostes regnũ cõstituere debebat. Quos ergo in eum vsum vocauerat discipulos, nunc ordinat, & ad munus hoc subeundũ non mandatis modò, verumetiam donis necessarijs instruit. Estq́ locus hic multa consideratione dignissimus, eò quòd Christi meritum eiusq́ fructum ad nos quoq́ pertinere docet, & simul veram ministerij ecclesiastici rationem tradit, quo adhuc hodie Deus vtitur in dispensandis regni sui mysterijs. Initio autem repetit salutationem & denuo pacẽ illis precatur, cùm vt præ gaudio & admiratione tantùm non extra se raptos ad attentionem excitet, tum vt animosiores reddat ad suscipiendum munus illud plenum

laboris

laboris atq; periculi. Hac verò præmissa, mox infert: Sicut me misit Pater, ita & ego mitto vos. At hæc dicendo sibi eos surrogat, non quòd ipse ecclesiam suam curare desierit, sed quoad externũ ministerium. Quasi diceret: Ego quidẽ hucusq; docendi munere functus sum in terris, at nunc tempus instat, quo assumptũ corpus me in cœlum subuehere oportet, neq; porrò in terris hisce, vt hactenus feci, versabor. Vt autem me mori & ex mortuis resurgere oportuit, ita non minus necesse est, vt in meo nomine per totum orbem prædicetur pœnitentia & peccatorum remissio. Vos ergo huius prædicationis ministros cõstituo, qui omniũ quæ feci & passus sum testes estis oculati: & mitto vos ea planè authoritate & ratione, qua me pater misit, ad quem nunc peracto meæ legationis cursu reuertor, &c. Quia verò prouincia hæc dura & intolerabilis videri poterat ijs, qui rerum huius seculi rudes atq; imperiti erant, mox flauit in eos, & dixit: Accipite spiritum sanctum, &c. Sensus est: Non terreat vos huius muneris difficultas, & quæ illi cõiuncta sunt pericula. Nam non inermes aut imparatos mittam, sed quem toties promisi spiritũ dabo, qui vobis aduocatus & consultor adsit, vosq; in omnem veritatem deducat. Imò tam nunc illum accipite, ne de mea fide quicquam dubitetis, &c. Acceperũt ergo tunc quadã spiritus dona Apostoli, inter quæ præcipuũ fuit scripturarũ intelligentia, vt paulò ante ex Luca annotauimus, & animi fortitudo, quæ pristinos terrores metumq; omnẽ profligauit, vt postea Domino in cœlos subuecto, publicè in templo Deum glorificarent quotidie, qui hucusq; latebras quæserant, vt idem Lucas sub finem historiæ suæ euangelicæ testatur. Accesserũt his postea in Pentecostes die donum linguarum, miraculorum virtus & quæcunq; alia ad muneris impositi administrationem necessitas requirebat. In præsenti autem mandatũ quoq; dat Christus, quo ministerij totius finem indicat: Quorumcunq; remiseritis peccata, remittuntur eis: quorumcunq; retinueritis, retenta sunt. Et hæ sunt claues regni cœlorum, quas olim Petro promissas omnibus ex æquo tradit, vt eadem omnes potestate & dignitate instructi ad Apostolatum accedant. At quia euangelij prædicatio minimè cum Apostolis intermori aut aboleri debuit, sed eam Dominus ad finem mundi huius in ecclesia sua retineri & nouissimo tempore per totum orbem diuulgari vult, nobis hoc loco tota ministerij ecclesiastici ratio considerãda venit, quæ quatuor potissimùm capitibus continetur.

Author ministerij ecclesiastici.

Primo illius author indicatur, à quo omnis eius authoritas dependet. Est is vnigenitus Dei filius, Iesus Christus, cui omnis potestas data est in cœlo & in terra. Is vt olim Apostolos vocauit, & eos totius mundi doctores constituit: ita nunc quoq; è cœlo spiritus dona inter homines distribuit, & ecclesiæ suæ alios quidem dat Apostolos, alios Euangelistas, alios prophetas, alios pastores, prout hominum saluti conducere viderit. Et quod de primis illis Apostolis Paulus dicit, quòd ipsius Christi nomine legatione fungantur, hoc ipsum ad omnes verbi ministros pertinet, qui ad munus hoc legitimè vocati sunt, & officium bona fide faciunt. Quare de ijsdem etiã illud Christi dicitur: Qui vos audit, me audit. Facit hoc ad asserendam ministerij authoritatem contra eius cõtemptores, qui ideò sibi contra ministros quiduis licere putant, quòd homines esse constet ijsdem, vt reliquos, affectibus obnoxios. Atqui tales olim prophetæ erant, tales seipsum & Barnabã Paulus in Actis profitetur, idemq; de seipso Petrus apud Cornelium Centurionem pronuntiat. Sed vt in illis non quales sua natura fuerint spectamus, sed quales ex gratia fecerit Deus, & quale ministerium illis cõmiserit: Ita hodie etiam non in ministrorũ personis hærere, sed in Dei ordinationem animi oculos intendere oportet. Nisi enim id fiat iam non ipsos modò, sed eadem ratione magistratus, imò parentes quoque contemnemus, cùm hi quoque omnes, quatenus homines sunt, nihil à nobis differant. Vt verò in illis authoritatem, qua eos Deus donauit, agnoscimus: sic in ministris hoc ipsum nos facere conuenit, ne Dei contemptores efficiamur. Quia verò hoc omne ad eos modò pertinet, qui à Domino verè vocati & missi sunt, simul hãc illorum temeritas damnatur, qui non missi currunt, & sub Christi prætextu ventri potius suo quàm ecclesiæ seruiunt. Quos veros euangelij præcones esse Paulus negat, cùm dicit: Quomodo prædicabunt nisi missi fuerint? Rom. 10.

Quomodo ministri mittantur.

Deinde quomodo ministros mittat Christus, docetur. Misi vos (inquit) sicut me misit Pater. At illum missum fuisse scimus, vt mortis suæ merito peccata mundi expiaret, & noster apud Patrem Mediator atque aduocatus fieret. At non ita missi fuerunt Apostoli, neque hodie aliquis mortalium sic ita missum esse, sine sacrilegio dicere poterit, quando constat Christum in suæ gloriæ & honores consortium neminem admittere. Non igitur hoc in genere de toto Christi officio intelligi, sed

ad ea restringi debet, quæ nobis in ecclesiæ ministerio cum Christo communia sunt. Fuit ille missus vt non suam, sed patris voluntatem faceret. Ioan. 6. Item, vt peccatores vocaret ad pœnitentiam. Matth. 9. Adhæc vt contritis corde mederetur per euangelij prædicationem, & finem afferret suarum omnium sibi constitueret, salutem hominum, qui à Deo secessione facta in scelerum lacunis & errorum Labyrinthis oberrabant. Ad hunc modum Apostolos olim misit Christus, quos in exequendis fidelissimos fuisse, ipsorum conciones & epistolæ testantur. Simili ratione hodie eius nomine tuntur ministri, qui fideles & legitimi non erunt, nisi in vnius patris voluntatem intenti sint, quam ille in verbo suo reuelat: peccatores in viam iustitiæ reuocent, afflictas conscientias pijs consolationibus reficiant, denique toti in eo sint, vt pro virili omnium saluti consulant. Confutantur ergo personati illi vicarij Christi & Apostolorum successores, in quibus omnia Christi exempla contraria inuenies. Hi enim non Dei patris, sed suam voluntatem faciunt, dum pro suo arbitrio legem tempora mutant (quod Daniel Antichristi opus fore prædixit) nouos fidei articulos condunt, & illudis rationes quotidie nouas excogitant. Deinde non ad veram pœnitentiam vocant peccatores, sed ad ludicras ceremonias & satisfactiones, in quibus ludum potius theatricum, quàm pœnitentiæ veram citius deprehenderis. Scopum verò hunc vnum sibi propositum habent, vt & ipsi in prædabeantur, & homines pecunijs emungant, quæ ipsorum fastui & libidini possint sufficere: cuius rei primis euidens argumentum est, quòd quas ipsi tulerunt leges, in magnatum gratiam & pecunia accepta dispensant atque mutant.

Quales ordinet Christus.

Tertiò quales ordinet Christus, hèic apparet: Nimirũ spiritu sancto donatos & instructos, non oris proprij flatu docere voluit. Nec enim quisquam putare debet, flatum hunc fuisse spiritum ipsum, aut hunc in eo fuisse inclusum: sed voluit Dominus pro suo more promissionẽ suã symbolo exhibito confirmare: quo certè in præsenti nullum aliud conuenientius excogitari poterat. Alibi enim spiritus flatui & vento confertur, quod liberam & efficacem eius operationẽ significat, qua in euangelij prædicatione sese potissimùm exerit. Deinde proprio flatu hìc vtitur Dominus, vt spiritum sanctum non patris modò, sed suũ quoq; spiritum, adeoq; sibi consubstantialem esse ostendat: quod veteres omnes obseruarunt, & inter hos D. Augustinus imprimis, qui de Trinit. lib. 4. cap. 20. sic scribit. Non enim flatus ille corporeus, cum sensu corporaliter tangendi procedens ex corpore substantia spiritus sancti fuit, sed demonstratio per congruã significationẽ, nõ tantùm à patre, sed & à filio procedens spiritũ sanctũ, &c. Admonet præterea, vt toti ab eius ore pendeant, neq; in ista sua legatione aliud proponant, quàm quod ab ipso in mãdatis acceperint. Quod Matth. vltimo clarius docet his verbis, docete eos seruare omnia, quæ mandaui vobis. Pertinet hoc ipsum ad oês ministros, & olim propterea eadẽ lege astrictos fuisse scimus: quò minus ferendi sunt, qui hodie vel sui capitis figmenta, vel aliorum traditiones ecclesijs obtrudere audent. At præcipuum huius loci caput est, Deum donis variis eos instruere, quos ad res graues & arduas destinat. Factũ hoc in Mose, quẽ animi fortitudine, dicendi facultate et miraculorũ virtute donauit, cùm ad Pharaonẽ pro impetranda populi dimissione illũ mittere decreuisset. Sic Iudices aliquos & postea Saulẽ autq; Dauidem, cum primùm agrestes agasones & vpiliones essent, heroicis donis instruxit, quando illos ad populi sui gubernacula vocabat. Idem in prophetis quoq; factum fuisse, exempla Elizæi, Isaiæ, Ieremiæ & aliorũ abunde docent. Minimè ergo terreri debent, si qui hodie ad functiones laboris & periculi plenas vocantur, si non viri politici sint, siue ecclesiastici. Non deerit enim Dominus pijs eorum conatibus, qui fideles ipsius sequium præstare studeant. Porrò, quòd Episcopi & horum Suffraganei hodie ad Christi imaginem in eos sufflant, quos ad ecclesiæ ministerium, vel potius ad Missificandum, sanctum, vngunt & alia huius generis destinant, non κακοζηλίαν modò, id est, inepta & stulta æmulatio est, sed impia & sacrilega Christi illusio. Primo enim suum illum ritum ordinandi inter Sacramenta numerat, & priuata authoritate Sacramentum instituunt absque Dei verbo, ex quo vno Sacramentorum authoritate omnis dependet. Neq; enim regulam aut ritum hoc loco Dominus præscripsit, quo deinceps ecclesia in ministris ordinandis vteretur: neq; hoc ita intellexerunt Apostoli, qui in ministris & pastoribus ordinandis sola manuum impositione, ex veteri sacrificiorum ritu desumpta vsi sunt, vt Dominus cõsecratos esse debere docerent, qui ad hoc officium destinantur. Isti verò belli homines non contenti Sacramentorum numerum quoad reliqua ad septenarium vsque auxisse, hìc nouum instituerunt, ex quo

ex quo mox septem alia Sacramentula, vt olim Hydræ Lerneæ capita pullularunt. Alijs enim cæremonijs Ostiarij initiantur, alijs Lectores, alijs item Exorcistæ, alijs Acoluthi, alijs rursus Subdiaconi, alijs Diaconi, in Sacerdotibus verò noua planè rituum forma vsurpatur, in qua præcipuũ est, quod Suffraganei in eos sufflant, additis simul hisce Christi verbis, Accipite spiritum sanctum. Sibi ergo tantum tribuunt, vt cum suo anhelitu spiritum sanctum coniunctum esse, & se hunc quibus volunt conferre posse, videri velint. At hoc solius Dei opus esse omnes scripturæ prædicant. Est ergo intolerabilis illa audacia, qua non modò Christi imitatores esse volunt, verumetiam in eius locũ se substituunt, & diuinitatis partes sibi vendicant. Quàm verò infeliciter hoc faciant, experientia docet, quando ferè indoctissimi & ineptissimi hominum, adhæc concubinarij, scortatores, aleatores, helluones & adulteri fiunt, qui per illos consecrantur. Quia tamen ea est mundi cæcitas, vt hæc pauci obseruent, plerique verò inani & imaginario ecclesiastici ordinis titulo sese decipi & seduci patiantur, non inutile est de his rudiores admoneri, vt facilius sibi caueant.

Finis & vsus ministerij.

Quarò finẽ & vsum ministerij Dominus ostendit his verbis: Quorumcũq; remiseritis peccata, remittuntur eis: quorumcũq; retinueritis, retenta sunt. Consentiunt hæc ijs, quæ Matth. 16. ad Petrum dixit: Tibi dabo claues regni cælorum: & quicquid ligaueris in terris, erit ligatum in cælo: & quicquid solueris in terra, erit solutũ in cælis. Clauium nomine potestas domus aut vrbis denotatur, & ideò œconomis claues dantur, vrbiũ verò claues ijs offeruntur, quos incolæ seu ciues suos victores aut dominos agnoscunt. Itaq; administrationem regni sui discipulis heic cõmittit, & (vt Paulus istã interpretatur) eos mysteriorum salutis œconomos siue dispensatores constituit. Cùm autem clauium Metaphora posceret, vt aperiendi & claudendi verbis in eius expositione vteretur, soluendi & ligandi vocabulis vti maluit, quæ hoc loco per remittendi & retinendi verba interpretatur. Sic enim docet quàm infelix sit eorum conditio, quibus cælum clauditur, id est, quorum peccata retinentur: quòd nimirũ peccatorum vinculis ad sempiternas pœnas obstricti maneant, eò quòd Christum fastidiunt, qui vt victos & captos in libertatem assereret, in mundum venit. Innuit etiã quàm felices et beati sint, quibus illa remittuntur, quando hoc nexu omnium miserrimo soluti in libertatem filiorũ Dei asseruntur, & Christi cohæredes fiunt. Non debent autem hæc ita accipi, quasi in alicuius hominis potestate sit, vt pro suo arbitrio aliorum peccata vel retineat vel remittat. Quia enim legis author est Deus, solus hic quoq; ea remittere & condonare potest, quæ aduersus legẽ designantur: quod pharisæos quoq; intellexisse, Matth. cap. 9. testatur. Nouerãt enim, quod Isa. 43. Deus clamat: Ego ego (id est, solus ego) ille ipse sum, qui deleo transgressiones tuas, idq; propter me. Sciebat præterea sanctos patres nũ alibi quàm apud Deũ remissionẽ peccatorũ quæsiuisse, cuius testimonia infinita, vel vnicus Psalmorum liber exhibet. In Apocalypsi autẽ æternus Dei filius de seipso pronuntiat: Hæc dicit Sanctus & Verax ille, qui habet clauem Dauidis, qui aperit, & nemo claudit: claudit, et nemo aperit. Vocat autẽ clauẽ Dauidis eam, qua domus Dauidis reseratur et clauditur, sub cuius nomine Ecclesiam vel regnũ cælorum intelligi omnes norunt, qui in scripturis mediocriter versati sunt. Ergo ex aliorũ locorũ collatione vera huius loci expositio petenda est. Audiatur verò ipse Christus, qui mandatum hoc apud Lucam sic interpretatur: Ita scriptũ est, & ita oportuit Christum pati, & resurgere à mortuis tertio die, & prædicari in eius nomine pœnitentiã ac remissionẽ peccatorũ apud omnes gentes. Et rursum iam discessurus ex hoc mundo (vt Marcus scribit) discipulis dixit: Profecti in mundũ vniuersum, prædicate Euangeliũ omni creaturæ: Qui crediderit et baptizatus fuerit, seruabitur: qui verò non crediderit, cõdemnabitur. Per claues ergo non aliud quàm ecclesiæ ministerium & euangelij prædicatio debent intelligi, quæ pœnitentiã verã & peccatorũ remissionẽ omnibus annunciat, qui Christũ fide vera amplectuntur: iudicij autem & damnationis sententiã ijs intonat, qui illum contemnunt atq; explodunt. Itaq; non nisi ministerij ratione hæc de Apostolis pronuntiat, & dicuntur etiã hodie ministri peccata remittere, quando credentibus illorum remissionẽ in Christo pollicentur: eadem verò retinere, quando incredulis & contumacibus damnationẽ denuntiant. Et hæc apud Deum in cælis rata esse Dominus testatur, non quia ipsi ita volunt, sed quia sententiæ istæ in æterno Dei decreto fundatæ sunt, cuius summam Ioannes Baptista hisce verbis cõprehendit: Pater diligit filium, & omnia dedit in manũ eius: Qui credit in filium, habet vitã æternam: qui verò non credit filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum. Vide supra Cap. 3. circa finem.

Contra claues Rom. Pontificum.

Sunt hæc diligenter obseruanda propter Pontifices, qui clauium prætextu tyrannidem suam tuentur, qua ecclesiam iam seculis aliquot oppresserunt. Vt enim se Petri successores esse clament, ita claues regni cœlorum huic soli promissas & datas esse contendunt, quem ideò claues gerunt, vt olim Ianum suum veteres Romani: & vt claues istas ex successionis iure ad se pertinere euincant, in sua insignia illas retulerunt. Ita verò cum impudenti temeritate inscitiã suam produnt, dum non vident Petrum Matth. 16. fidei suæ confessione omnium discipulorũ nomine edidisse, ideoque eius præmium similiter ad omnes pertinere. Neq; cum promissione ista præsentem locum conferunt, quo diserte ostenditur, discipulis simul omnibus datũ esse, quod prius soli Petro, si verba nuda spectes, promissum videri poterat. Et vt demus penes Romanos Pontifices claues illas regni cœlorum & ligandi soluendiq; potestatem aliquando fuisse, constat tamen his illos tam fœdè & tyrannicè abusos esse, & hodie adhuc abuti, vt ex earũ possessione meritò & iure deijci debeant. Primò enim peccata finxerunt, quæ reuera nulla sunt, sicq; cõscientias hominum vinculis nouis obstrinxêre, de quibus soluendis potius cogitare debuissent. Deinde non in terris modò ligant & soluunt, verumetiam in vita hac defunctos tyrannidem exercent: quod vt aliquo prætextu possent facere, nouum orbem in mundum inuenerunt, insulis recens inuentis fertiliorem, Purgatorium scilicet, in quo animas pro vt ipsis libet detinent. Itaque vltra limites à Christo constitutos potestatem suam extendunt. Praterea non in eum finem clauibus suis vtuntur, vt ad Dei regnum & veræ ecclesiæ consortium homines colligant, sed vt omnes suæ ditionis & iuris faciant. Adhæc non in Christi nomine soluunt ac ligant, claudunt siue aperiunt, sed hoc omne partim pro pecunia faciunt, quæ maxima apud illos regina est, partim propter operum merita, quæ ferè in rebus ridiculis & nullius momenti cõsistunt. Quæ omnia cum fidei Christianæ legibus & Christi instituto repugnent, neminem illorum iam terrere, neque aliquis fiduciam in illis aliquam constituere debet. Adulterinæ enim sunt, quas vibram ecclesiam, neque illis in Dei regnum penetratur, sed in occultos hominum thesauros, quos suis iam seculis aliquot recluserunt & insatiabili rapacitate diripuerunt. Quare omissis his agnoscamus euangelicæ doctrinæ authoritatem, quam in cœlis apud Deum ratam esse Christus statur. Audiamus ergo illam attentis animis, auditæ credamus, & ita verè salutarem penitentiam atque peccatorum remissionem consequemur in Iesu Christo Domino nostro: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

HOMILIA CLXXV.

Thomas autẽ unus ex duodecim, qui dicitur Didymus, non erat cum eis, quando uenerat Iesus. Dixerũt ergo ei alij discipuli, Vidimus Dominum. Ille autem dixit eis: Nisi uidero in manibus eius uestigium clauorum, & mittam digitũ meum in uestigium clauorum, & mittam manum meam in latus eius, nequaquam credam. Et post dies octo rursus erant discipuli eius intus, & Thomas cum eis. Venit Iesus ianuis clausis, & stetit in medio, & dixit, Pax uobis. Deinde dicit Thomæ: Infer digitum tuum huc, & uide manus meas: & profer manum tuam, & mitte in latus meum: & ne sis incredulus, sed credens.

PAulus Apostolus grauiter simul & luculenter ad Romanos cap. 10. scribit: Hoc est verbum fidei quod prædicamus: nempe, quòd si cõfessus fueris in ore tuo Dominum Iesum, & credideris in corde tuo, quòd Deus illum excitauit à mortuis, seruaberis. Quo loco solius quidẽ resurrectionis mentionem fecisse videtur, non quòd mortem & quæ alia propter nos Christus fecit & passus est excludat, sed quòd in illa (vt iam sæpe diximus) salutis nostræ cõplementum habetur. Per hanc enim mortis aculeum abrupit, & eius imperium aboleuit, quod per peccatũ in nobis obtinuerat. At quia non ignorauit Dominus, omnibus seculis exorituros, qui tam suam quàm generalem omnium resurrectionem in dubium vocent, sui corporis resuscitationem apud discipulos, quos huius testes constituerat, multis argumentis probauit. Inter quæ euidentissimum est quod præsens historia nobis exhibet. Neque enim

enim discipulos nimia credulitate in eius fidem cõsensisse putaret, aut hominibus rerum imperitis & ab omni dolo alienis facilè imponi potuisse suspicaretur, Thomam ex duodecim discipulorum numero Ioannes producit, qui de Christi resurrectione non modò dubitat, sed illã diserte negat, imò oppugnat, & isdem planè argumentis vtitur, quibus hodie vti solent, qui vniuersalem omniũ nostrũm resurrectionem negare consueuerunt. Ea autem demonstratione plus quàm ad oculum facta sic ipse Dominus confutat, vt nihil dubitationis sit reliquum, nisi apud eos, qui Christum simul atq; scripturas omnes negare non verentur.

Principiò Thomam & incredulitatem eius Euangelista diligenter describit. Orditur autẽ ab eius causa siue occasione, quando illum cœtui discipulorum non interfuisse dicit, cùm ad illos Christus veniisset. Absentiæ causam nonnulli veterum fuisse putarunt, quòd ex fuga nondum rediisset, quam Christo ad montem oliueti capto factam fuisse audiuimus. Sed incerta hæc coniectura est. Quicquid verò illud sit, certò constat, absentiam istam illi causam fuisse huius contumaciæ, qua nunc Christi resurrectionem negat & oppugnat. Si enim præsens fuisset in discipulorum congregatione, ipse etiam Christum vidisset, neq; vllam habuisset dubitandi occasionem. Quo exemplo docemur, periculosam & noxiam esse omnem secessionem siue emansionẽ ab ecclesia & cœtu piorum. Nam etsi non semper omnino deficiant tales, sed cœtus sacros vel ex socordia aliqua, vel metu aut quamcunq; aliam ob causam negligant, non fit hoc sine aliqua iactura eorum, quæ interea illic discere, aut saltem cum aliquo fructu in mentem reuocare potuissent. Cùm enim in cœtibus ecclesiasticis Christi verbum prædicetur, & ille ipse in suo nomine congregatis medius intersit, fieri non potest, quin donum aliquod spirituale ijs impertiatur, qui ad illos pio affectu accedunt. Et quàmuis non semper fructus subitò appareat, semen tamen aliquod verbi concipitur, quod suo tempore fructum fert nõ pœnitendum. Experiuntur hoc multi, quando in morbis grauioribus aut alijs angustijs eorum recordantur, quæ aliquando audiuerunt, & quæ cùm ea audirent, illis non adeò magni momenti esse visa sunt. Non temere ergo spiritus sanctus ecclesiæ cœtus diligenter cõmendat, & horum studiosissimos fuisse constat omnes eos, quorum pietas in scripturis prædicatur. *Vide Psal. 84.*

Thomæ nocuit abfuisse à cœtu piorum.

Cæterùm reuerso tandem ad discipulos Thomæ narrant illi quid interea factum sit, neque dubium est quin multis ei exposuerint rem omnem, quam Ioannes duobus verbis comprehendit. *Vbi in Thoma laudem meretur, quòd siue meticulosior siue negligentior fuerit, minimè tamen se totum abalienauit ab ecclesiæ consortio, sed vel serò tandem condiscipulis suis sese iterum coniungit. Ex eo enim apparet, illum fidem non abiecisse, sed hanc latuisse modò ad tempus, cùm carnis metu & solicitudine quasi obruta esset.* Quod electis etiam frequenter accidere alibi diximus, idq; multis scripturæ sacræ exemplis probatur: quæ in eum finem obseruari debent, ne de aliquo temere desperemus, & vt si quos non mox omnem salutis spem abijciant, qui huius aliquid patiuntur: curent autẽ vt cum ecclesia reconciliati non negligant salutis occasiones, quas illic Deus offert, & ea etiã in re Thomam imitentur, de cuius reditu ad fidem suo loco dicetur. *In discipulis quoq; reliquis probandum est, quòd Thomam tardius venientem non aspernantur, & contumaciter ipsis contradicentẽ non excludunt, sed ẽ vsq; tolerant, dum ipse etiã plenius instituatur: simulq; fideliter illi narrant, quæ ipsi viderint. Est hoc admodum memorabile exemplum, quo docemur, quid in eiusmodi casibus pij facere debeãt. Laborant interdũ suis vitijs, & procul discedunt ab ea fidei perfectione, quam in nobis Dominus requirit. Manet tamen in cordis recessu semen verbi, quod neq; fidem neq; pietatis studium omnino in illis extingui sinit. Non possunt ergo ab ecclesia totis animis diuelli, & licet instar ouium aliquando euagentur, ad gregem tamen redire & cum pijs iterum colligi cupiunt. In eo autẽ non idem omnium* profectus est, & alij alijs citius atq; felicius promouent. *Attamen ijdem reliquos se infirmiores minimè fastidiunt, muleò minus damnant: sed vel serò subsequentes cum gaudio excipiunt, & quid ipsi interea didicerint illis bona fide exponunt. Quòd si aliquos tunc quoq; adhuc tardiores vel etiam resipiscatores esse videant, tamen ne illos quidem statim pro deploratis abijciunt, sed patienter ferunt eos, si forte Dominus in illis illuminandis atq; corrigendis manum admoueat. Debent ista diligenter considerari hodie, quando in vtramq; partem plurimùm peccatur. Qui enim infirmitate lapsi à fide deficiunt, ferè sibipsis delitias faciunt, & quia peccatum in semetipsis non agnoscunt, minimè etiam quærunt medicinam atq; institutionem, quæ ipsos in viam reducat & in fide confirmet. Et hi plerũq;*

Thomam redeuntem discipuli amicè susciperunt.

cætus sacros negligunt, nec contenti lapsu suo, qui per infirmitatem excusari poterat, apertam quo faciunt ab ecclesia secessionem, & nolunt sibi verba fieri de ijs, quæ cognitu maxime necessaria ne Itaq; ex infirmis obstinati, ex defectoribus aperti hostes fiunt. Rursum, si qui alijs plus profecerunt ij reliquos omnes præ se contemnũt, & dum sibijpsis nimiùm placent, quosuis præcipiti & confidenti audacia excommunicationis telo feriunt, & indignos iudicant, quibus ad ecclesiam reditus concedatur: qua in re Nouatianos olim peccauisse alibi diximus. Oritur ergo passim fœda dissipatio ecclesiarum, de quibus colligendis & in vnitate conseruandis nos potius solicitos esse conueniebat. Discant ergo priores illi Thomam imitari, & quia extra ecclesiam salutis spes nulla est, ad eam redire deant: alteri verò redeuntes benignè excipiant, deq; illis confirmandis cogitent, sicq; fructum verum facient haud vulgarem.

Thomæ incredulitas.

Facit ad huius doctrinæ confirmationẽ quod sequitur. Thomas enim discipulis de Christi resurrectione testantibus nõ credit, sed contumaciter se opponens dicit: Nisi videro in manibus eius vestigium clauorum, & mittam in manũ meam in latus eius, nequaquã credam. Ergo sensibus suis hoc tribuit, quàm verbo Dei & condiscipulis suis, quibus cum iam diu versatus fuerat. Fuit hæc mera sabilis contumacia, & multa simul concurrunt, quæ eius peccatum amplificant. Primò nõ nouum insolens erat dogma de mortuorum resurrectione, cuius frequens fit mentio in veteribus scripturis quod nemo Iudæorum ignorare poterat, cùm de ea pharisæi & Sadducæi quotidie litigarent. Dederat Christum de sua resurrectione sæpius differentẽ audiuerat: quod illum fecisse ita vulgò notum est, vt sacerdotes quoq; verborum eius recordari potuerint, sicuti Matthæi 27. scribitur. Adhæc sciebat Thomas, aliquos iam pridem Christi virtute in vitã reuocatos esse, inter quos recens adhuc & omnibus nota erat Lazari Bethanienſis memoria. Accedebant his signa, quæ in morte Christi edita fuisse audiuimus: quæ vt hostibus metum incusserunt, ita discipulos in vitæ & regni cœlestis spem erigere debuerant. Postremò discipulos simul omnes mendacij & vanitatis accusat, in quibus nihil huius vnquam deprehenderat: adeoq; ipse vnus & solus multorum relationi fidem denegat. Vnde verò tanta peruicacia apud illum enata est, qui tanto tempore ex familiarium Christi numero fuerat? Ex eo nimirum (vt supra diximus) quòd non fidem, sed carnis sensus in consilium adhibet, & horum iudicio, vel potius præiudicio occupatus, neq; scripturas sacras neq; Christi prædictionem mentem reuocat, quæ cum discipulorum narratione probè conueniebãt. Ipse ergo sibi obstaculo fuit, quibus in fide impeditur. Et est hoc carnis ingenium, quòd ex suo sensu omnia metiatur, & iderwbum Dei non admittit, neq; huic credit, nisi quatenus rerum euentus illi per omnia respondeat, aut manu tangitur. Exempla huius generis multa in Israelitis occurrunt, qui tunc etiã de Dei bonaque gratia dubitarunt, quando eam infinitis beneficijs experti erant. In nobis quoq; eiusmodi mala experimur, quàm primùm nobis res non ex voto succedunt. Nusquam tamen hoc frequentius & impudentius fit, quàm in resurrectionis articulo. Etsi enim huius exemplã euidentissima rerum natura ob oculos ponantur, quæ scripturis sacris possint fidẽ facere, non desunt tamẽ, qui vilitate (sicuti futurum Petrus prædixit) omnia in dubiũ vocant, quæ de nouissimo huius seculi fine, de corporũ restitutione & vita æterna dicuntur: neq; alijs argumentis ista oppugnãt, quàm quæ sub sensum cadunt. Quis (aiunt) vnquã arcano Dei consilio interfuit, vt mundũ hunc aliquando periturum esse intellexerit? Quis è cælis aut ex inferis redijt? Quos oculatos eorum testes produci potest, quæ de his dicũtur? Si illa videre coràm & sensu percipere liceret, tũc tuò credi possent. Quod verò non plus quàm insanos dixerit, si quæ in manibus sunt huius vitæ cõmoda propter incertam futurorum spem amittamus? Quid autem isti aliud dicunt, quàm Thomas, Nisi videro in manibus eius vestigium clauorum, & misero digitum meum? &c. Nisi quòd horum contumacia detestabilior est, quòd ille quidem cupiebat verũ esse quod de Christo resuscitato dicebatur: isti verò hoc moliuntur agunt, vt & sibijpsis & alijs persuadeant, vanissima superstitiosorum hominum cõmenta esse, quæcunq; de futura vita traduntur. Solet hoc ipsum in multis alijs articulis fieri, & tanta est plerumque impudentia, vt pro nihilo ducant, si audacter negent, quicquid spiritus sanctus ipsorũ affectibus & libidini contrarium docet siue præcipit. Est hoc magnũ corruptionis & improbæ peruersitatis argumentum, quæ excusationem nullam admittit, quando interea ijdem illi absq; omni controuersia absurdissima quæq; recipiũt, quæ ab impostoribus excogitantur. Fit enim plerunq; vt qui scripturæ audacter

audacter negant, Monachorum fabulis fidem habeant, quas illi de Purgatorio igne, de spirituũ apparitionibus, de miraculis circa imagines & reliquias editis absq; omni scripturæ sacræ & historiarum veterum testimonio confinxerunt. Ita verò decipi & cum manifesta fortunarum atque salutis æternæ iactura circunduci merentur, qui Dei verbo honorem eum, quem debent, deferre nolunt. Interim multa obseruatione dignum est, quòd dubitatio ista apnd apostolos locum habuit. Quod enim in præsenti passus est Thomas, hoc ipsum reliquos omnes similiter passos fuisse, Marcus testatur, cum illis Christi resuscitatio primùm nuntiaretur. Sed & duos illos, qui Emauntẽ profecti sunt, Lucas rerũ dubios & incertos de illo dixisse scribit: Nos sperabamus eum esse illum, qui redempturus esset Israelem. Quibus verbis non obscurè queruntur, se magna ex parte spe sua frustratos esse, & nõ modò eius resurrectionem, sed vniuersum nostræ redemptionis negotium in dubium vocant. Magna igitur cura & vigilanti studio opus est nobis, quando electa hæc Dei organa tam grauiter tentata & concussa fuisse videmus. Et arguitur hisce exemplis illorũ impudentia, qui Romanos Pontifices errare posse negant; cùm apostoli in ijs errarint & dubitauerint turpissimè, sine quibus salus nostra consistere non potest. Discant potius omnis loci & ordinis homines de semetipsis humiliter sentire, & in solum Dei verbum respicere, quod ipsos errare non sinet.

Sequitur altera huius loci pars, quæ ipsam Christi apparitionẽ describit, qua ille incredulitati Thomæ mederi voluit. Cùm enim post octo dies discipuli iterum cõuenissent, eodem quo prius modo ad illos venit, & solita salutatione vsus, mox ad Thomã conuersus, & ad omnia prope eius verba respondens illum inuitat vt propius ad se accedat, probè inspiciat, attingat, denique digitũ in clauorũ vestigia & manum in latus eius immittat, neq; amplius de resurrectione ipsius dubitet. Habet tamẽ eorundem verborum repetitio non obscuram correptionis speciem, qua Christus publicè in toto discipulorum cœtu Thomæ incredulitatem accusat & reprehendit: & meritò quidem, quando ille publicè peccauerat. Iubet hunc morem in ecclesia seruare Apostolus (1. Tim. 5.) vt qui scandali alicuius publici fuerunt authores, publicè corripiantur: vtq; id fiat opus est, vt quàmuis illi incurabiles maneant, alij tamen timore aliquo à mali exempli imitatione reuocentur. Sed insunt huic loco etiam alia quædam, quæ diligentiorem considerationem merentur.

Christus Thomæ etiam sentiendum exhibet.

Primùm occurrit hîc admirabilis boni illius pastoris Iesu Christi fides atq; bonitas, qua ouium suarum saluti consultum cupit. Etsi enim Thomam toto octiduo dubiũ & suspensum teneat, occulta tamen virtute eum in officio retinet, ne ab externo ecclesiæ cœtu discedat, & nunc in tempore adest, & quidem sua sponte, cùm neq; Thomas neq; alius quisquam illum requisiuisset. Neq; eo contentus, simul incomparabili indulgentia hoc illi concedit, quod cõtra fidei leges petierat: vt nimirum corpus suum contrectet, & in vulnerum vestigia digitos inserat. Extant huius generis alia quoq; in scripturis exempla, quæ docent Deum nostræ conditionis rationem habere, & nostræ ruditati se accommodare, vt nos sibi lucrifaciat. Nam vt Dauid in Psalmo 103. ait, nouit ille conditionẽ nostram, recordans quòd simus puluis. Et in nobis ipsis talẽ experimur, quando nemo ex filio aut amicissimo moralia ea patienter audiret, quæ nos in morbis, in egestate, in persecutionibus, inq; ijs periculis quæ ipsi nobis accersimus, aduersus illius bonitatem, iustitiam atq; veritatem impudenter effutimus. Ex his ergo consolationẽ petamus in conscientiæ tentationibus, ne statim desperemus, si nos vel ex infirmitate labi contingat, aut de ijs etiam dubiæ cogitationes nobis oboriantur, in quibus instructissimos esse decebat. Potest enim lapsos excitare clemens Dominus, & idem spiritu suo ignorantiæ & dubitationibus nostris facilè medebitur, modò cupiamus proficere, & illi nos instituendos præbeamus. Debet præterea in exemplum trahi hoc Christi factum, vt ipsi quoq; simili studio aliorum saluti cõsulamus: quod verbi ministros præ alijs obseruare conuenit. Erunt enim planè inexcusabiles, si vel negligentiores vel morosiores quàm par sit, multos oberrare & perire sinant, cùm Christus vnius Thomæ salutem tam studiosè quæsierit.

Bonitatis Christi commendatio.

Deinde obseruari debet in illius exemplo, quòd omnia Thomæ verba repetit, quibus ille eius resurrectionem negarat. Dixerat enim: Nisi videro in manibus eius vestigiũ clauorum, & mittam digitum meum in vestigium clauorum, & mittam manum meam in latus eius, nequaquam credam. Hæc quasi replicans Dominus ait: Infer digitum tuum huc, & vide manus meas: & profer manum tuam, & mitte in latus meum: & ne sis incredulus, sed credens. Ergo quàmuis corpore non præsens

Christus Thomæ uerba repetit.

adfuerit antea, audiuit tamen ista dicentem, neq; aliquid illum latuit eorum, quæ aduersus suam resurrectionem inter discipulos proponebãtur. Similia Cap. primo in Nathanaelis, & Cap. vndecimo in Lazari historia vidimus. Sunt item exempla, quæ illum non verba modò & facta, verumetiam animi cogitationes & arcana nouisse testantur. Est ergo omniscius: quod vt veræ diuinitatis euidens argumentum est, ita multùm facit ad nostram consolationem atq; institutionem. Quia enim pia suarum colloquia audit, non dubium est quin illis medius intersit: quia item gemitus, suspiria, lachrymas nouit, multò magis preces ad ipsius aures penetrant, quas irritas esse nõ patietur. Rursus cogitemus, imò nobis certò persuasum sit, illum audire & nouisse quæcunq; à nobis petulanter, impudicè & impiè fiunt aut dicuntur. Audit ergo lasciua carmina, audit execrationes, audit periuria, audit scurriles Epicureorum de cœlis & inferis sermones: & quia olim de quouis verbo otioso rationem à nobis exiget, inultum non ferent quicunq; in his peccauerint. Poterant hæc latissimè diduci, sed alibi quoq; de ijs diximus.

Finis istius actionis.

Postremò finem siue scopum totius actionis videamus. Comprehendit hunc duobus verbis Dominus, quando ait: Ne sis incredulus, sed credens. Quid verò credere debuit? Quod audiebat, quod videbat, quod tangebat: Christum scilicet resurrexisse à mortuis, & in resurrectione retinuisse corporis sui proprietates naturales, quales sunt membris suis constare, visibilẽ & palpabilem esse, & loco certo contineri. In hunc finem enim vulnerum quoq; vestigia retinere voluit, ne aliud corpus ab illo assumptum esse putarent discipuli, quàm quod in crucem suspensum, & illic clauis atq; lancea vulneratum fuerat. Quærunt hîc nonnulli, quomodo cicatrices & vulnerum vestigia locum habere potuerint in corpore clarificato & glorioso, quod ab omni corruptione liberum esse debuit. At nos quæstionem hanc curiosam potius quàm necessariam esse dicimus, cùm scriptura vtrũq; testetur: quòd cùm rùm Christi corpus à resurrectione clarificatũ fuerit, & simul vestigia illa seruarit. Addimus verò hoc etiam, vulnera hæc Christi non ignominiosa, sed honesta & gloriosa partæ aduersus diabolũ victoriæ signa fuisse. Ergo nulla iusta causa fuit, cur ea ex corpore glorioso remouerẽtur. Ita plerique veterũ senserunt, inter quos Cyrillus non dubitauit dicere, Christum illa in cœlos quoq; intulisse, vt ea angelis & beatorum spiritibus ostenderet. Quod vt ego affirmare aut pertinaciter tueri nolim, cùm illud sacræ literæ nusquam exprimant: ita caput & statum totius historiæ de resurrectione Christi firmiter tenendum esse dico: Quòd scilicet vero suo corpore surrexerit, & corporis propria retinuerit, vt nostrorum corporum resurrectionem certò fore crederemus. Minimè ergo eos audiamus, qui corpus eius exinaniunt & quasi deificant, per dispensationẽ verò factum esse clamant, quod à discipulis videri & contrectari voluerit. Quasi verò qui ipsa veritas est, discipulorũ oculos inani phantasia ædificarit. Et quæ obsecro salutis nostræ certitudo reliqua erit, si resurrectio Christi, quæ eius complementum esse debuit, falsis & imaginarijs argumentis nititur? Aut quæ ratio monet, vt dicamus Christum à discipulis videri & palpari voluisse, vt nunc corpus eius natura inuisibile & impalpabile esse credamus? Nos potius nobis dici putemus, quod hîc Thomæ dicitur, & credamus Iesum Christum verè mortuum pro peccatis, & verè resuscitatum esse propter iustificationem nostri, nunc autem vero suo corpore in cœlis viuere, quò nos quoq; olim ad se recipiet. Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

HOMILIA CLXXVI.

Et respondit Thomas, & dixit ei: Dominus meus & Deus meus. Dicit ei Iesus: Quia uidisti me Thoma, credidisti. Beati qui non uiderunt & crediderunt. Multa igitur etiam alia signa fecit Iesus coram discipulis suis, quæ non sunt scripta in libro hoc. Hæc autem scripta sunt, ut credatis quòd Iesus est Christus ille Filius Dei, & ut credentes uitam habeatis per nomen eius.

NEmo temere factũ existimet, quòd Euangelistæ in resurrectionis Domini nostri Iesu Christi historia, discipulorum eius incredulitatẽ simul diligentissimè describunt. Etsi enim ea non vul-

garem

tarem reprehensionem mereatur, neq; vllo modo excusari possit, habet tamen præclarum vsum, quòd & Christi resurrectionem confirmat, quam ideo pluribus argumentis demonstrari oportuit, & historiæ euangelicæ veritatẽ asserit, ne illam nobis ab hominibus nimiùm credulis & qui facilè decipi poterint, traditam esse putemus. Adhæc discipulorum exemplo docemur, quibus remoris fides nostra maximè impediatur, & quid nos cauere oporteat, ne ad eundẽ lapidem cum illis offendamus. Et huc potissimùm facit, quod de Thoma narratur, quem reliquis omnibus contumaciorẽ fuisse audiuimus. Fuit huic omnis mali causa, quòd scripturarum simul & verborum Christi immemor, carnis rationem in consilium admisit, neq; aliud quàm quod oculis videret aut manibus suis tangeret, credendum esse putauit. Imponit hoc ipsum etiam hodie omnibus, qui fidei mysteria carnis sensu metiuntur. Quia vbi istud fit, ibi multa solent occurrere, quæ non absurda modò sed prorsus impossibilia esse nobis ea persuadent, in quibus salutis nostræ principia continentur. Nihil ergo tam necessarium est, quàm vt in vnius Dei verbum intenti, carnem cum omni intellectu & sensibus suis sub fidei obedientiam redigamus, quæ nos vacillarẽ & labi non sinet. Quod vt facilius fiat, nunc in eodem Thoma, qui super incredulitatis typus fuit, veræ fidei exemplum spiritus sanctus proponit, & quæ hinc peti potest doctrinam ad omnes extendit, qui Christo verè credunt, eiusq; meritum fide firma amplexantur. Est igitur locus hic multa consideratione dignissimus.

Thomæ Confessio.

Quod Thomã non exprimitur, tetigerit ne Christi manus & latus, vel minus. Augustino verisimile videtur, hoc illum non ausum fuisse, nimirùm quòd magistri reuerentia terreretur. Quòd si (vt plerique putant) illum cõrexit, plus quàm belluinus ille stupor fuit, qui neq; venerando ipsius Christi conspectu, neq; vocis iam pridem cognitæ sono, imò non etiam seueriori illa correptione vinci & excuti potuit, qua Christum vsum fuisse audiuimus. Ita verò in peius proficiũt & seipsos magis magisq; indurãt, qui abiecto Dei verbo carnis affectui indulgere incipiunt. Cæterùm vt ut ista sese habeant, iam primùm ad mentem redit Thomas, & quasi ex veterno aut profundissimo somno excitatus exclamat: Dominus meus & Deus meus, scilicet es tu. Quasi diceret. Iam video te reuera nobis redditum esse, teq; agnosco meum esse vindicem & Deum, cuius diuinam virtutẽ vtiq; agnoscere debuissem, cùm tam multa eius documenta in operibus tuis miraculosis viderim. Habẽt ergo verba hæc non simplicem modò fidei confessionem, sed simul adiunctam culpæ admissæ deprecationem. Abrupta autẽ oratione & pauculis verbis vtitur (sicuti in rebus insolitis & stupore plenis plerunq; facimus) quia hoc plus habet vehementiæ, & animi affectum magis exprimit. Apparet item ex confessione ista, fidem eius non omnino extinctam fuisse, quàmuis cæcæ carnis rationibus aliquandiu obruta & quasi sepulta iacuerit. Iam enim signis euidentioribus excitata in flammam erumpit, quæ prius vix tenui fumo sese exerebat: & plus iam fatetur Thomas, quàm prius credere voluerit, imò plus, quàm carnis sensus percipere potuerit. Videbat enim tangebatq; hominem, & confitebatur Deum, quem non videbat neque tangebat. Et qui Iesum ex mortuis resurrexisse credere noluit, iam nõ hoc modò credit, sed in resurrectione simul certa redemptionis humanæ & ipsius diuinitatis argumenta agnoscit. Solet hoc frequenter accidere electis (vt nuper diximus) vt fides in illis perquàm exigua, vel etiã nulla reliqua esse hominibus videatur: sed videt in cineribus delitescentes eius scintillulas Deus, & eas leui occasione excitare potest, vt mox alijs suo exemplo præluceant, qui paulò ante prorsus defecisse putabantur. Nemo igitur temere damnari debet: singuli autem ex Dei bonitate consolationem petant, qua infirmitati suæ medeantur, ne in tentationum palæstra succumbant.

Qualis agnosci debeat Christus

Est autem aliquanto diligentius excutienda hæc Thomæ confessio, vt ex illa discamus, quis & qualis Christus à nobis etiam agnosci debeat. Primò Dominum vocat: qui titulus ferè illi tribuitur propter redemptionis nostræ mysterium. Vt enim qui bello captos seruabant, aut aliquos ære suo redimebant, eorũ domini aut heri dicebantur: Ita Iesu Christo hoc nomen imprimis cõuenit, eò quòd nos ex diaboli potestate asseruit, & iam perituros, vel potius planè perditos, seruauit, & sui sanguine pretio sibi acquisiuit: qua ratione Petrus Christianos populum acquisitum vocat, quem Deus summo iure sibi vindicet. Dicitur præterea Christus in scripturis Dominus, eò quòd promissum redemptorem Pater æterno decreto in eam dignitatem euexit, vt quoad humanam naturam & Mediatoris personam imperium in omnes creaturas obtineat. Huic enim ab æterno dictum est: Sede à dextris mihi, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum: Postula à me, daboq; gentes vt

sint hæreditas tua, & terminos terræ vt sint possessio tua. Et ipse apud discipulos ait: Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra. Quæ omnia Paulus exponens, illi nomen datum esse dicit, quod sit supra omne nomen, & in quo flecti debeat omne genu cœlestium, terrestrium atq; infernorum. Dum ergo Dominum suum esse fatetur Thomas, simul in illo redemptionis beneficiũ agnoscit, & sese imperio eius humiliter subijcit. Deinde Deum quoque suum dicit: quod firmissima argumentatione ex priori sequitur. Fieri enim non potest, vt nos ex peccati laqueis, item ex mortis, inferorum & ipsius diaboli potestate eripiat simulq; plenam atq; liberam in omnes creaturas potestatem habeat, qui non reuera Deus sit. Hæc enim eiusmodi sunt, vt omnes hominis vires & authoritatem longè superent. Adhæc scripturæ veteres Messiam ex Dauidis quidem familia præfinito tempore nasciturum esse prædicunt, eundem verò simul Deum quoq; verum esse docent. Isaias Iehouam se vidisse scribit, cui Seraphim acclamarint: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus exercituum, plena est vniuersa tellus maiestate eius. Quem locum de Christo Ioannes Cap. 12. exposuit. Micheas item illum Bethlehemi nasciturum ait, cuius exitus sit ab initio, à diebus æternitatis. Ieremias verò de eodem vaticinatur, inter alia scribit Cap. 23: Hoc nomen eius, quo vocabunt eum, IEHOVA iustitia nostra. Apud Zachariam Pater eum virum sibi coæqualem aut socium nominat. Quod autem de eius diuinitate scriptura cõcionatur, hoc ille verum esse operibus abunde declarauit, vt de diuina ipsius virtute nemo sanæ mentis dubitare possit. Sunt autem hi loci probè tenendi contra Arianæ hæresis instauratores, qui hodie mirificis expositionibus eludunt, quæcunq; de æterna illius deitate dicuntur. Sed sufficit illis cõuincendis hæc Thomæ cõfessio, quam ille admisit, quod sine impietatis manifesto crimine facere non poterat, si non vera & orthodoxa fuisset. Scimus enim angelos nunquam eos tulisse, qui ipsis diuinos honores exhibere voluerunt. Quis ergo Christum hoc passurum fuisse putet, vt talia de illo Thomas falsò diceret? Est itaq; ille reuera Dominus & Deus noster, adeoq; verus & æternus Deus, patri consubstantialis. Nam nisi hoc demus, vel mendacij Thomas arguetur, vel duos Deos faciemus: ex quibus neutrum sine scelere potest fieri. Porrò fidei certitudinem exprimit Thomas, quando Dominum SVVM & Deum SVVM dicit. In hoc enim fidei & salutis cardo versatur, vt Christum nostrum Dominum & Deum esse & propter nos in mundnm venisse, nobisq; redemptorem & vindicem à patre datum esse credamus. Deum enim & Dominum dæmones quoq; esse nouerunt: sed nihil illis ad salutẽ confert illa cognitio, quia illius meritum nihil ad eos pertinet. Tantum ergo Theologus repente Thomas factus est, vt paucis verbis perfectè comprehendat quæcunq; ad Christi & salutis nostræ cognitionem pertinent, & fidei confessionẽ edat, cuius formulam nos quoq; imitari debemus. Quia enim illa contentus fuit Christus, procul dubio veri atq; orthodoxi Christiani erunt, quicunq; talẽ hodie etiam crediderint & confessi fuerint. Nimiùm verò temerarij sunt (ne quid grauius dicam) qui hodie propter externos ritus & humana commenta eos damnant, quorum Thoma Christum Dominum & Deum suum esse fatentur.

Christus actionis huius fructum ad omnes credentes extendit.

At dicat aliquis: Audio quidem hæc cum Thoma sic gesta fuisse, quid verò ista ad me, qui Christum neq; oculis videre neq; manibus contrectare datur? Excipit ergo illius cõfessionem Christus, & ait: Quia vidisti me Thoma, credidisti: Beati qui non viderunt, & crediderũt. Præteritis loco præsentium vtitur, quod Hebræis familiare esse alibi diximus. Non negat autem Thomam beatum esse, sed eorum fidem illi præfert, qui cùm experimenta eiusmodi non videant coràm, nihilominus tamen in ipsum credunt. Similis locutio Lucæ 11. cap. habetur, vbi cùm mulier quædam doctrinæ eius admiratione abrepta exclamaret, Beatus venter qui te gestauit, & vbera quæ suxisti: respõdit illa: Imò verò beati, qui audiunt sermonem Dei, & custodiunt illum. Quibus verbis Virginem matrem minimè contemnit, sed beatitudinẽ atq; salutem hominis non in officijs externis, sed in fidei obedientia consistere docet. Ita in præsenti Thomæ fidem, quæ tot fulcris atq; adminiculis opus habuit, non damnat: sed superstitioni quorundam occurrit, qui Thomam eo nomine beatum prædicant, quod Christum coràm videre & contrectare potuerit, cùm hoc illius imperfectionẽ potius arguat, & Christi gratiam commendet, qui indignum eò vsq; tulit. Itaque verba hæc obiurgationis speciem habent, quòd contra fidei leges experiri voluerit, quod simpliciter credere debebat. Fidei enim proprium est à solo Dei verbo pendere, & hoc audito ea credere quæ non videntur. Ita hanc definit Apostolus ad Hebræos vndecimo Capite, quando substantiam siue essentiam esse dicit eorum quæ sperantur, & demonstra-

demonstrationem eorum quæ non cernuntur: eò quòd nobis quasi præsentia & oculis spectanda proponat, quæ in expectatione sunt, & solius mentis contemplatione possunt percipi, quæ Dei verbo inuulsè adhæret. Conuenit cum ista definitione Abrahami exemplum, quem idem Apostolus contra spem sperauisse scribit, id est, tunc in Dei promissione spem firmam habuisse, cùm ipsa rerum natura, cum illa pugnare videretur. Et Petrus credentium fidem eo argumento commendat, quòd quem non viderint diligant, & in eo exultent gaudio ineffabili & glorioso, quem nunc oculis cernere non detur. Qui ergo eò vsque profecerunt, ij vtique Thomæ (qualis tunc erat, cùm ista fierent) multùm præferri merentur.

Debet autem ex hisce verbis doctrina generalis peti, Christi non ijs modò salutarem esse, qui illo seculo vixerunt, & quibus illum coràm videre, audire, vel etiam attingere contigit, verumetiã omnibus alijs, qui cùm eum neque videant neque contrectent, credunt tamen ijs, quæ ab Apostolis olim dicta & scriptis mandata sunt, quos ille rerum abs se gestarum testes esse voluit. Confirmatur igitur hoc loco ministerium euangelij, vt supra Cap. 17. vbi se pro omnibus illis orare dixit, qui per Apostolorum doctrinam in ipsum credunt. Et simul omnibus ijs confutandis hic locus seruit, qui homines notos ex altero seculo redire volunt, vt per eos edoceantur: aut carnalem Christi præsentiam nobis necessariam esse contendunt. Sunt enim, teste Christo, beati, qui euangelio credunt, etsi nihil eorum videant quæ illo prædicantur. Ergo miseri & infelices sunt, quicunque huic credere dedignantur. Petitur argumentum hoc ex ipsius Christi verbis, quæ (vt Marcus scribit) in terris hisce vltima pronuntiauit: Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit: qui non crediderit, damnabitur. Neque hîc eos audimus, qui Thomæ exemplo sibi delitias faciunt, cui tantùm Christus indulsit, vt se illi coràm spectandum & contrectandum præbuerit. Tunc enim in terris adhuc ille versabatur, & ex impositio sibi à patre officio istud facere potuit. Nunc verò idem ille in cœlum receptus est, quos (vt Petri verbis vtar) illum occupare oportet vsque ad tempus restitutionis omnium. Igitur frustra in terris eum videre cupimus, qui sola mente per fidem supra cœlos eleuata cernitur. Quòd verò Papistæ hæc Christi verba ad suæ Transubstantiationis figmentum defendendum detorquent, nimis ridiculè faciunt. De ijs enim ille loquitur, quæ verbo Dei disertè exprimuntur. At quæ obsecro in omnibus scripturis sit Transubstantiationis mentio? Scio illos Cœnæ verba adducere. Sed Paulus ita interpretatur illa, vt impudentis peruicaciæ sit corporalem illius præsentiam statuere.

Christus salutaris omnibus qui credunt.

Cæterùm confirmat præcedentem doctrinam Ioannes adiecta coronide, qua verum vsum eorum omnium indicat, quæ hucusque exposita sunt. Ne quis enim fidem Christianam incertis speculationibus niti putaret, eius fundamentum atque regulam in scripturis commonstrat, & ait: Multa equidem etiam alia signa fecit Iesus coràm discipulis suis, quæ non sunt scripta in libro hoc: hæc autem scripta sunt, vt credatis, &c. Quibus verbis totius scripturæ sacræ vsum tradit, & nos ita ad illam remittit, vt simul hominum curiositatem finibus & cancellis certis coerceat, ne extra scripturas vagando noua subinde dogmata fingant, & nouos fidei articulos ex suo cerebro conscribant. Fit hoc frequenter, & vix aliud tam difficile est, quàm eos qui superstitionibus assueuerunt, intra scripturæ limites continere. Hodie certè in tanta restituti euangelij luce non desunt, qui perinde ac si cum spiritu sancto bellum apertum susceperint, libris editis scripturæ sacræ auctoritatem oppugnant, inque illa negant omnia contineri, quæ ad salutem cognitu & creditu necessaria sunt. Hi inter alia hoc etiam argumento vtuntur, quòd Christus Iesus procul dubio totis illis triginta tribus aut quatuor annis, quibus in terris vixit, multò plura dixerit aut fecerit, quàm quæ breuibus hisce Euangelistarum libris potuerint comprehendi: & inde colligunt, esse traditiones non scriptas, quæ per continuam successionem in ecclesia conseruatæ sint in hunc vsque diem, & quas non minus obseruare oporteat, quàm ea quæ in scripturis exprimuntur. Sed istis in præsenti per Concessionem respondet Euangelista, & argumentum in ipsos retorquet. Fatetur enim Christum multa alia signa edidisse, quæ in libro hoc suo non contineantur: at simul ostendit ista quæ scripsit sufficere, vt nos in fide Christi instituant, nosque per hanc deducant ad vitæ æternæ possessionem. Qua ergo fronte dicunt aduersarij nostri, scripturas non omnia complecti, quæ ad salutem hominis necessaria sunt? De veteris testamenti libris Paulus testatur, quòd hominem Dei

Vsus scripturæ sanctæ.

perfectum reddere, & ad omne opus bonum præparare possint. Quæ ergo ratio est, vt scripturarum authoritate ex noui testamenti accessione aliquid decessisse putemus? Cæterùm nos veluti impostoribus, Christi bonitatem & ardens nostræ salutis studium obseruemus, quod hîc argumento duobus declarauit. Primùm, quòd resurrectionem suam, quam nostræ salutis complementum iam sæpe diximus, pluribus signis probare voluit, imò per dies quadraginta cum discipulis uersatus est (vt Lucas Actorum 1. scribit) vt de eius veritate nobis illi certa & comperta dere possent. Deinde, quòd ecclesiam libris pluribus & superuacaneis onerare noluit, sed pa atque breuissimos dedit, in quibus nos exerceamus, & ex quibus omnes circa religionem & tus negotium controuersiæ facilè componi possunt, si honorem quem merentur illis deferamus. consilio mihi factum videtur, vt non modò olim scripta quædam, quorum Moses & historia mentionem faciunt, verumetiam infiniti patrum orthodoxorum libri amissi sint, post temporibus deseruierint. Ita enim ad sacræ scripturæ codicem nos remittit spiritus sanctus, ad huius veram intelligentiam omnia nostra studia conferamus, atque ijs, quæ ibi traduntur, tenti simus.

Scripturæ sacræ finis.

Exponit præterea Ioannes hoc loco totius scripturæ scopum siue argumentum. Versatur circa salutis nostræ rationem, quam ex fide in Iesum Christum pendere, toto hoc volumine dictum. Potest autem huius coronidis doctrina tribus capitibus comprehendi. Primò, quid illo credamus docet, qui ex Maria virgine homo natus ea omnia in terris fecit atque passus de illo in scripturis commemorantur: Nimirum, quòd sit Christus ille Filius Dei. Christi, id Eli nomine eum esse monet, quem venturum esse olim prophetæ prædixerunt, & eodem omnia prehendit, quæ de illo passim traduntur: quòd scilicet Sacerdos ille æternus sit secundùm ordinem Melchizedech, qui vt æternæ veritatis doctrinam plenè & luculenter nobis tradidit, ita corporis & sanguinis sacrificio peccata mũdi expiauit, & fideles apud patrẽ pro nobis intercessor. Quòd item Rex quoque sit, qui nos ex communis hostis tyrannide asseruit, & simul tuetur atq; lestibus regni sui bonis liberalissimè donat & exornat: ideoq; ecclesiæ suæ caput sit vnicum, qui tem dat corpori & omnibus, qui huius membra per fidem facti sunt. At quia hæc eiusmodi sunt, humanas vires longè superent, & proinde ab homine nudo præstari non possint, Filium Dei lum esse credamus, qualem nuper Thomas professus est. Etenim in eo potissimùm nostra certitudo consistit, quòd Iesum Christum, quo seruatore gloriamur, Deum & hominem esse Quia enim Deus est, facilè quoscunque volet seruare & tueri poterit. At quia idem homo natus est, haud dubiè illorum saluti consultum volet quorum infirmitates in se suscepit. Ho tur tota fides Christiana versatur, vt Iesum credamus esse Christum, id est, promissum illum ni generis redemptorem, & verum æternumque Dei filium. Secundò fructum aut præmium huius Ioannes exprimit his verbis: Et vt credentes vitam habeatis. Vitæ nomine Hebræi comprehendit, quæ ad hominis incolumitatem pertinent. Hîc verò simul prioris conditionis admonemur: quòd nimirum iræ filij & per delicta mortui fuimus: vitam verò in vno Christo monstrat, qui peccata nostra sustulit, nos cum patre reconciliauit, & vitæ æternæ fecit hæredes. tiò medium, per quod ista nobis obtingunt ostendit, In nomine eius, id est, propter eius meritum eius virtute. Oportuit autem hoc membrum adijci, partim vt omne nostrorum operum meritum cluderet, partim vt nos remitteret ad euangelij prædicationem, per quam solam nobis Christus rè innotescit. Quia verò de his omnibus alibi prolixè dictum est, hîc consultò sumus breuiores. omnium istorum est, vt procul relictis omnibus alijs doctrinis atque superstitionibus, euangelium audiamus, & ex illo Iesum agnoscamus esse æternum Dei filium & vnicum humani generis torem, sicque per fidem in eius nomine vitam habeamus æternam. Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

CAP.

CAPVT XXI.

HOMILIA CLXXVII.

POstea manifestauit se rursum Iesus discipulis ad mare Tiberiadis, manifestauit autem sic: Erant simul Simon Petrus & Thomas, qui dicitur Didymus, & Nathanael, qui erat à Cana Galilææ, & filij Zebedæi & alij ex discipulis eius duo. Dicit eis Simon Petrus: Abeo piscatũ. Dicunt ei, Imus & nos tecum. Profecti sunt, & ascenderunt in nauigium statim, & illa nocte nihil cœperunt. Mane autem iam exorto stetit Iesus in littore: non tamen cognouerunt discipuli quòd Iesus esset. Dicit ergo eis Iesus: Pueri, nunquid obsonij habetis? Responderunt ei, Non. At ille dicit eis: Mittite in dexteram nauigij partem rete, & inuenietis. Miserunt ergo, & non amplius ualebant illud trahere præ multitudine piscium.

Argumentum huius capitis.

AVDIVIMVS *in præcedenti Cap. vt Dominus noster Iesus Christus post suã ex mortuis resurrectionẽ per octo dies se discipulis adhuc Ierosolymæ agentibus manifestauerit. Sequitur deinceps, vt iisdem in Galilæam reuersis apparuerit. Ex multis autem quæ illic facta sunt, vnam modò historiam Ioannes describit, cuius ipse testis fuit oculatus, & quæ multa continet obseruatu dignissima. Videbimus enim quæ discipulorũ studia siue exercitia fuerint, priusquam spiritus sancti donis sufficienter instructi ad prædicandum exierunt. Vt item illos Christus aduersus pericula & labores confirmarit, & Petrum antea in gratiam receptum, nunc pristinæ etiam dignitati restituerit. Quæ omnia vt discipulos multiuariàm confirmare potuerunt: ita nostræ etiam institutioni seruiunt, quando ex tam multis tamq; euidentibus resurrectionis Christi testimonijs, nos plenè redemptos esse intelligimus, & simul aduersus omnis generis tentationes in fide confirmamur. Est ergo historia dignissima, cuius singulæ partes diligentius inspiciantur.*

Præsentis historiæ status.

Præmittitur historiæ status, quòd nimirum Iesus se rursus manifestauerit discipulis ad lacum vel mare Tiberiadis. Id est, quòd noua & euidenti apparitione ostenderit, se vero suo corpore ex mortuis resurrexisse, iamq; mortis & diaboli victorem mundi totius dominium obtinere. Præcipuus ergo totius narrationis scopus est, Resurrectio Christi, quam (vt iam non semel diximus) pluribus argumentis demonstrari oportuit, eò quòd in illa nostræ salutis fiducia potissimùm fundatur. Nobis autem hinc petenda est consolatio, ne de Dei bonitate desperemus, qua in huius articuli demonstratione illum erga nos vsum esse cernimus, ne qua nobis reliqua esset de salute dubitandi occasio. Semper ergo cogitemus, hæc omnia propter nos facta esse, & ad nos pertinere vniuersum tam mortis quam resurrectionis Christi meritum.

Testes huius apparitionis.

His præmissis testium catalogum contexit Ioannes, quibus illic loci Christus sese manifestauit. Primus in horum numero est Petrus, quem propter abnegationem factam præ alijs confirmari oportuit, vt postea suo loco pluribus dicetur. Sequitur hunc proximè Thomas, cuius testimonium eò plus fidei meretur, quòd eum ad credendum prius difficillimũ fuisse audiuimus. Additur tertio loco Nathanael, vir integerrimus, quem ipse Christus (vt Capite primo dictum est) verum Israelitam & omnis doli expertem vocauit. His accesserunt duo filij Zebedæi, Iacobus & Ioannes huius historiæ scriptor, & rursus alij duo, quorum nomina non exprimuntur, ex discipulorum tamen grege procul dubio fuerunt, cùm Petrus in Actis testetur, Christum se non toti populo, neque quibusuis obuijs promiscuè manifestauisse, sed delectis modò ad eam rem testibus. Fuerunt ergo septem numero, & prorsus sufficientes ad confirmandam historiæ aut facti huius veritatem. Sunt tamen in ista enumeratione etiam quædam alia, quæ obseruauisse prodest. Primùm, quòd in Galilæam reuersi illic egerunt, vnde eos olim Christus euocauerat. Factum hoc non tam commoditatis ergò, quàm quòd sic iusserat Dominus, sicuti Matthæus in resurrectionis historia annotauit. Est ergo hoc obedientiæ

Discipuli reuersi in Galilæam.

exemplum, quam scripturæ sacræ nobis passim commendant, & quam in ijs etiam debemus præstare, quæ non adeò magni momenti esse videntur. Nam vt filij, qui in rebus leuioribus patrem fallere & eorum mandata contemnere assuescunt, tandem cõtumaciores facti omnia eorundem iura impudenter transgrediuntur: Ita qui de minimis Dei præceptis disputare & ea vilipendere discunt, mox audacia sua longius progrediuntur, & tandem immani atq; Cyclopico numinis contemptu in omne scelus ruunt. Exemplum huius rei horrendum in Saule, primo Israelitarum rege, scriptura proponit, qui à leuioribus quibusdam initio facto ad supremum vsque impietatis fastigium euasit, quo tandem in perditionis præcipitium miserè prolapsus est. Ideò in lege sua grauiter monet Deus, ne ab eius mandatis vel ad dextram vel ad sinistram declinemus, neq; faciamus quod nobis bonum videtur, sed quod ipse nobis præceperit. In nouo autem testamento carnis sensus atque affectus abnegare iubemur: quod qui faciunt, ij per fidei obedientiam se totos Deo consecrant, & nefas ducunt vllum latum vnguem à Dei verbo discedere. Deinde obseruatu dignum est, quòd omnes isti simul atque ijsdem studijs occupantur, & (quantùm ex circunstantijs omnibus colligere licet) concordia fruebantur, adeò vt nemo se alijs insolenter præferat, vel alios præ se contemnat. Non gloriantur tumidi Ioannes & Iacobus, quos Christus aliquando tonitrui filios dixerat. Non item Ioannes sibi vllam aliquam prærogatiuam vendicat, quòd solus ex discipulorum numero Christo morienti adfuerit, & hic ipsi matrem Virginem commendauit. Non etiam alios fastidit Nathanael, quo nemo mortalium ampliori præconio vnquam ornatus fuit, vt supra annotauimus. Denique omnes isti nequaquam abnegatorem, neq; Thomam reliquis tardiorem contemnunt, aut suo consortio indignum abdicant. Est hoc ingens argumentum Christianæ charitatis, quæ nunc primùm inter illos cœpisse videtur agere, cùm prius ambitiosuli essent, & ideò contentiones atque rixas inter se quotidianas fouerent. Tantùm in illis potuit periculi metus & tristis illa rerum facies, quæ Christo moriente animos eorum perterrefecerat. Imò tantùm iam apud eos effecit spiritus Christi, quo illos nuper afflatus fuerat ad verbi euangelici ministerium ab eo ordinarentur. Quem crucis & afflictionum vsum bonis etiam nos obseruare conuenit. Frequenter enim Deus aduersis nos exercet, vt vel inuitos cogat reiectis odijs priuatis publicam ecclesiæ concordiam alere, & consiliorum omnium scopum in ipsius gloria habere constitutum. Quod qui non obseruant, sed in prauis suis studijs cõtumaciter pergunt, ij sanctissimi spiritu alienissimos esse testantur, & ferè pœnas graues dant Deo, qui nulla alia re perinde vt ecclesiarum atque fratrum dissidijs offenditur.

Discipulorum concordia.

Discipuli piscantur.

Sed ad Christi discipulos reuertamur, ex quibus Petrus se piscatum abiturum dixit, & nauis mites atq; laboris & fortunæ socios se reliqui sex adiungunt. Vbi non opus est disputare, vrum nauigia, retia, hamos & alia huius generis instrumenta habuerint, qui alibi omnia propter Christum reliquisse dicuntur. Nam ex Monachorum & Anabaptistarum scholis quæstiones ille prodeunt, an Apostolorum exemplo ad suam illam paupertatem voluntariam (qua nihil vanius atque miserius est) & vitæ licentiam tuendam abutuntur. Alibi enim diximus, Apostolos quoad animi voluntatem sua omnia reliquisse, licet rerum possessionem seruarent, quàmdiu cum illis Christus in mundo versatus est. Docet enim historia sacra, Petrum ex quo vocatus fuit in Christi comitatum, domum & familiam habuisse, ad quam interdũ diuertit. Quod ipsum de Matthæo quoq; scriptum. Habuerũt ergo sua adhuc retia, cùm istud fieret quod hîc scribitur. Domus verò vna cũ reliquis omnibus tunc demũ prorsus reliquerũt, quando ex Christi mandato in orbẽ vniuersum digressi sunt, vt euangeliũ vbiq; gentiũ prædicarent. Nõ ergo impostorũ fallacijs moueamur, qui Apostolorum exemplo abuti solent, vt turpe otiũ suum tueantur, & (quod euenturũ esse olim Paulus prædixit) sub religionis prætextu velati in alienas familias subeunt, vt ex alieno viuãt, dum nefas esse dicũt, aliquid propriũ possidere. In Apostolis autẽ contra illos obseruemus, quòd cùm nondũ adesset tempus illud, quo à domibus et artificijs suis discedere debuerũt, interea ad sua reuersi sunt, et ne cui onus essent, molesti essent, manuum labore victum sibi pararunt. Quo exemplo laborem honestum nobis commendant, otium verò damnant, quo nihil nocentius excogitari potest. Qui enim huic priuatim indulgent, plerunq; turpissimarum cupiditatum illecebris inescantur, & à virtutis studio proclines in omne vitium ruunt. Quantum verò malorum ad rempub. ex otiosorum turba redeat, historia omnium gentium testantur. Ideò apud Athenienses olim Areopagitæ in ciuiũ vitã inquirebant, & ad inertiæ

ciabantur,

citabantur, quicunque turpi otio sese addicebant. Massiliensium verò ciuitas, quæ apud veteres summæ honestatis & iustitiæ laudem obtinuit, nemini patebat, qui non artem aliquam nouisset, qua sese honestè posset alere. Quæ leges si hodie inter Christianos valerent, non modò honestius viueretur, verumetiam maius esset apud omnes ordines pacis publicæ studium, quàm nunc sit, quando multos ementitæ nobilitatis persuasio, multos malis artibus accersita egestas, ad furta, ad rapinas, vel (quod illi honestissimum ducunt) ad militiam mercenariam cogit, quam omnis nequitiæ schola esse omnes cordati intelligunt. Sed quia hæc alterius sunt loci & argumenti, obseruemus nunc, quòd septem illi discipuli tota nocte nihil cœpisse dicuntur. Quod haud dubiè sic fieri voluit Dominus, vt postea illustrius esset miraculum, quo se illis manifestare instituerat. At simul ex eo generalis doctrina peti debet, Deum nonnunquam sanctos suorum labores atque conatus non fortunare, vt postea euidentior sit benedictio, qua illos suo tempore dignatur. Estq; hoc factu necessarium: quia Dei gratia & benedictione res suas confici non intelligunt homines, si primus statim conatus illis succedat. Vbi verò aliquandiu frustra laborant, tunc demum successum omnem ex Dei gratia pendere sentiunt, & ita simul ad serium pietatis studium accenduntur. Exempla huius rei quotidie videre licet: quæ in eum vsum nos obseruare conuenit, vt Dei benedictionem precibus assiduis expetamus, in eius verò expectatione tolerantes simus, nec temere deseramus vocationẽ nostram, in quam ille nos constituit. Dat enim singula suo tempore Deus, & si non largitur quantum nos volumus, ea tamen largiri solet, quæ sua sorte contentis possunt sufficere. Feramus interea patienter ab illo impositum laborem, sicuti discipulos hoc loco fecisse cõstat. Nec enim Dei iudicia accusant, qui ipsos inani labore fatiget, tam multis impijs interea otio & victu abundantibus. Non in aliquem mortalium conuitia iaciunt, non cœlum aut astra vel etiam malam suam fortunã impiè deuouent & execrantur: vt multi hodie, quibus cum egestate & labore continuo conflictari contingit. Imò postea ab ipso Christo, quem nondum agnouerant, requisiti amicè & humaniter respondent, vt mox audiemus. Imitentur hos quicunque sibi bene esse volunt. Nam vt patientia & obedientia Deus delectatur, ita mur-mure, querelis & contumaci dicacitate maximè offendi solet, quemadmodum Israelitarum in deserto agentium exempla docent.

Discipuli tota nocte nihil cæpiunt.

Videamus nunc ipsam apparitionem, qua Dominus sese discipulis hisce manifestauit, & quam Ioannes dignam putauit, cuius singulas circunstantias exponeret. Mane facto in littore Iesus constitit, neq; eum primo intuitu discipuli agnouerunt, vel quòd ipsi longius abessent à littore, vel quòd oculi eorum tenerentur, quod alibi factum fuisse scimus. Consultò autem se sub initium cælare voluit Iesus, vt ad miraculum sibi viam commodam sterneret, & ita paulatim sese apud illos insinuaret. Itaq; pro more gentis & quasi aliquid piscium empturus ipsos cõpellat, dicens: Pueri, num quid obsonij habetis? Ipsis verò se aliquid habere negantibus, iubet vt rete eijciant in dextram nauigij partem, vbi certò inuenturos promittit quod capiant. Quod vbi illi faciunt, subitò tantam concludunt vim suo piscium multitudinem, vt huic attrahendæ non sufficiant. Hîc verò primus miraculum obseruat Ioannes, & ex eo Dominum quoq; agnoscit, vt in sequenti Sermone audiemus. Nunc nemo temere factum putet, quòd minuta hæc, & ad rem piscatoriam potius quàm Theologiam pertinentia, Ioannes ex spiritus suggestione tam diligenter describit. Habet enim huius facti consideratio vsum triplicem, quem ex ordine considerauisse plurimum proderit.

Christus discipulis apparet.

Primò consolationis plenum est, quòd Christus in littore stans suos in mari laborantes spectat, & eorundem labores adiuuat. Ita enim illorum cogitationibus occurrit, qui illum vnà cum terris omnem quoq; suorum in terris agentiũ curam reliquisse putant, & ideò in aduersis atq; tribulationibus facile spem omnem abijciunt. Enascuntur cogitationes eiusmodi ex eorũ figmentis, qui Christi virtutem carnali eius præsentiæ astringunt, & nisi hanc illis cõcedamus, nos illum totum ab ecclesia procul auferre vociferantur. At longè aliter se res ista habet ô fratres. Nam euasit quidẽ Dominus ex procelloso huius mundi oceano, & nunc quoad corpus suum in tranquillo æternæ beatitudinis portu consistit, neq; vllis laboribus aut periculis subiacet. Idem tamen suos adhuc laborantes & periclitantes minimè negligit: neq; eos videt modò, vt otiosus aliquis spectator, verumetiã sua virtute protegit atq; iuuat, adhæc spiritu suo illorum labores benedicit, vt ipsi quoq; tandem mare istud non sine lucro emensi ad veræ felicitatis littus appellant. Cõsentiunt cum his promissiones, quas supra audi-

Christus suos laborantes uidet & iuuat.

uimus: Non relinquam vos orphanos, &c. Ecce ego vobiscum sum vsq; in consummationem sæculi. Hæc locutus sum vobis, vt in me pacem habeatis: In mundo afflictionē habetis: sed confidite, ego vici mundum. Quòd si pro missionibus istis hanc quasi imaginem adhibeant quicunq; in hoc mundo pro-riclitantur aut laborant, mox dulcissimam intra animos suos consolationem sentient, quæ ipsis Dei bonitate & fideli præsidio dubitare nō patietur. De istis ergo cogitent qui esuriunt, qui exulant, qui morborum doloribus conficiuntur, aut quocunq; alio afflictionū genere exercentur. Nec tam ex his consolationem modò petamus, verumetiā aduersus Epicuræos hac doctrina nos armemus, qui Deum vt Iouem quendam Homericum nobis obtrudere conantur, qui mortalia non curet, & cui cœli cardines otiosus obambulet. Sed ista fortassis rectius in alterum huius considerationis caput differentur.

Victus noster Deo curæ est.

Nam docet secundo loco historia hæc, Domino nostrum quoque victum curæ esse. Vt enim ille amicè & non sine paterni affectus significatione interrogat, num quid habeant edulij, nihil vero habentibus præter omnem expectationem abunde prospicit: Ita non dubium est, quin omnes homines respiciat, & omnium necessitati similiter consultum velit. Nam vt eius virtute omnia sunt creata, sic eiusdem bonitate & liberalitate omnia seruantur atque aluntur, sicuti Psalmus 104. pulchrè docet. Et Christus alibi patri suo passerculos & coruorum pullos cordi esse ait, ne fame perant, & eiusdem prouidentia flores agri vestiri: hortatur autem, vt exemplis illis excitati, nimiam & anxiam solicitudinem de parando victu & amictu abijciamus. Quis enim credat, hominem abundigi, qui brutis animalibus tam benignè consulit? Siue ergo egeas, siue abundes, non dubitabis sub Dei cura esse, qui (vt Solomon ait) animam iusti fame emori non patietur. Quia autem eius benedictione res domestica (vt & reliqua omnia) dependet, nosque in cassum fatigabimur, nisi ille domum nostram ædificet, hoc ante omnia probè curandum erit, ne nostræ curæ tenebricosis quibusq; ipsa nocte obscuriores sensus secuti piscemur, sed retia nostra in dexterum latus eijciamus, id est, ne nimia habendi cupiditate abrepti, ad fraudes, impostoras, rapinas & eius generis iniustitias conuertamur, sed dextrè & ingenuè agamus in omnibus, secundùm iustitiæ & charitatis regulam, quæ nos errare non sinet. Docet hoc in lege Dominus, quando eos domi forisque felices & beatos fore ait, qui ipsius leges atque præcepta obseruauerint. Idem prophetæ passim admonent, & in Psalmis multa horum sit mentio. In euangelio autem memorabilis admodum est Christi sententia: Quærite ante omnia regnum Dei & iustitiam eius, & reliqua omnia adijcientur vobis. At regnum Dei quærunt, qui in cœlestia & futura bona intenti, hoc potissimùm agunt, vt Deo placeant & eius voluntati obtemperent. Accedat his animus sua sorte contentus, quem cum pietate coniunctum magnum longè maximum esse Apostolus scribit, & quem facilè acquirere poterimus, si nos nihil in mundum intulisse, & ex eo nihil etiam exportaturos esse cogitemus. Inde enim sequitur, nos victu & amictu contentos esse debere, quando huius sæculi bona his solis usui esse possunt. Qui his intenti sunt, ijs feliciter cedunt omnia. Qui verò his neglectis in auaritiæ pelago piscantur, fere labore inani & curis inutilibus seipsos conficiunt, & inter medios opum aceruos semper egent, neque sciunt quibus ista sua congerant, quæ ipsis propria vita chariora sunt. Audiamus ergo Christum, cui cùm ignoti huc tam facilè obtemperauerint discipuli, inexcusabilis erit contumacia, si illum coram & nusquam nobis loquentem audire dedignemur.

Typus ministerij ecclesiastici.

Postremò typum ministerij euangelici hic locus continet, cui discipulos suos Christus iam prius destinauerat, cùm ad eundem lacum sedentibus diceret: Faciam vos piscatores hominum. Erat munus hoc laboris & periculi plenum, & multa in eo passuri erant discipuli, quæ ipsos terrere & ab instituto auocare poterant. Ideò illos diligenter & multis institui atq; confirmari oportuit. Quod cùm sæpe fecisset Dominus, nunc typum quoque proponere voluit, qui omnem huius ministerij rationem quasi in tabula depictam ob oculos poneret, & simul in mentem reuocaret quæcunque prius audierant. Et primò quidem piscibus conferuntur homines, quia in mundo agunt, qui maris instar furunt & æstuat, neque aliquid cum certa ratione agit. Etsi verò homines quoq; incerti vagari in re volantur, nouit tamen suos Dominus, & priusquàm mundus hic crearetur, eos elegit, qui suo quoq; tempore per euangelicū rete ex mundo extrahi debent, vt sibi in edulium parentur, qui nihil permoti nostram salutem esurit, sicuti Capite quarto dictum est. At istos extrahere, magni laboris opus est,

quia

quia & mundo istud maximè dolet, qui tunc ferè fluctus ciet & persecutionum procellis nauiculam ecclesiæ vnà cum euangelij organis omnibus discerpere & euertere conatur: & quod maximè molestum est, sæpe hi ipsi sese pijs ministrorum laboribus aliquandiu pertinaciter opponũt, quorum salus hic potissimum agitur. Vincit tamen omnia obstacula Dei virtus per euangelium se exerens, vt inuito mundo & eius principe capiantur & ad ecclesiæ consortium colligantur omnes, quos æternum illud prædestinationis decretum cõprehendit. Experti sunt hoc apostoli, quos neq; Iudæorũ insuperabilis cõtumacia, neq; gentiũ inueteratæ superstitiones, neq; Romani Imperij immanis potentia impedire potuit, quò minus euangelicum rete per omnes terras & insulas extenderent, & nouos quotidie discipulos Christo congregarent. Non temere autem factum est, quòd rete suum præ piscium multitudine trahere non potuerunt. Eo enim docetur, negotiũ hoc omne vires humanas longè superare, & proinde omnem gloriam vni Deo transcribi debere: qua de re Paulus in priori ad Corinthios multis & eleganter disputat. Indicatur item, quàm difficile sit eos omnes ad fidei obedientiam adducere, & sub disciplinæ legibus in officio continere, qui semel capti & in externæ ecclesiæ cœtum collecti sunt. Obest hic multum ingeniorum varietas, & ipsa etiam multitudo aliquam confusionem pariat: vt tunc maximè laborandum sit fidis ministris, quando res planè confecta esse nonnullis videtur. Hæc & alia huius generis apostoli cogitare debuerunt, vt huius miraculi recordatione postea in suo officio confirmarentur. Simul verò ista communem consolationem continent, & docent mundum hunc nequiquam aduersus euangelij doctrinam tumultuari. Habet enim vbique locorum Iesus Christus electos suos, quos ad ecclesiæ suæ societatem colliget, vt & in hoc seculo ipsum colant, & huius vitæ stadium emensi cum eodem in cœlis viuant atq; regnent. Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

HOMILIA CLXXVIII.

Dicit ergo discipulus ille, quẽ diligebat Iesus, Petro: Dominus est. Simon ergo Petrus cùm audisset quòd Dominus esset, amiculum succinxit (erat enim nudus) & abiecit se in mare. Alij autem discipuli nauigio uenerunt (non enim longè aberant à terra, sed circiter cubitis ducentis) trahentes rete piscium. Vt ergo descenderunt in terram, uident prunas positas, & piscem impositũ, & panem. Dicit eis Iesus: Afferte de piscibus quos modò cœpistis. Ascẽdit Simon Petrus, & traxit rete in terram, plenum magnis piscibus centum quinquaginta tribus: & cùm tot essent, non est scissum rete. Dicit eis Iesus: Venite, prandete. Nullus autem discipulorũ audebat eum interrogare, Tu quis es: cùm scirent quòd Dominus esset. Venit ergo Iesus & accipit panem, & dat eis, & piscem similiter. Hac iam tertia uice manifestatus est Iesus discipulis suis, cùm resurrexisset à mortuis.

NOn temere Ioannes apostolus & euangelista tanta diligentia describit eam Iesu Christi apparitionem, qua is septem discipulis in lacu Tiberiadis piscantibus sese manifestauit. Præter id enim, quòd illa plurimum facit ad asserendam resurrectionis veritatem, multa alia quoq; continet, quorum cognitio ad vitæ institutionem vtilissima, in aduersis autem & tentationibus iucundissima est. Primò enim testatur Christum non modò resurrexisse ex mortuis, sed vnà omnem potestatem accepisse, vt suos alere, tueri & eorundem labores dignis præmijs remunerare possit. Deinde quia discipulos peculiari miraculo ad apostolatum præparare & aduersus huic coniunctos labores atq; pericula in fide promissionum suarum confirmare voluit, simul omnem ministerij euangelici rationem adumbrat, sicq; ministris verbi omnibus animum addit, vt munus suum fortiter & intrepidè obeãt. Accedit his typus euidens & iucundissimus cœlestis vitæ, qua olim cum Christo fruentur, quicunq; huius vitæ stadium constanti fide emensi fuerint. Et de his quidem nõnulla dicta sunt nuper, quædam

verò adhuc restãt, de quibus in præsenti dicetur. Sequitur enim, vt discipuli Dominum agnouerint, vtq; hic illos prandio acceperit, quod interea parauerat, dum illi piscantur.

Ioannes primus agnoscit Christum.

Hîc autem primus prodit dilectus ille discipulus, ipse nimirùm Ioannes, qui Christum primus agnoscit, nimirùm inexspectata & miraculosa pisciũ captura excitatus, & hunc esse Petro indicat. Quo loco admonemur, inter sanctos & electos non eandem fidei & donorum spiritus sancti mensuram esse, sed alios alijs citius & magis proficere in ijs, quæ ad pleniorẽ Iesu Christi & salutis cognitionem pertinent. Apparet hoc euidentissimè in apostolis, qui cùm singulari consilio Dei electi, eodẽ tempore vocati, & ad vnum idemq; munus siue ministerium destinati essent, multùm tamẽ inter se dissimiles vel potius impares fuerunt. Nuper enim Thomam ad credendum difficiliorem & contumaciorem fuisse vidimus, qui paulò post fidei confessione reliquos propè omnes superat. Petrus autẽ, cùm natura feruentior esset, præter omnium expectationẽ in periculo grauiori Christum abnegauit & lapsum turpiorem passus est. Rursus Christo dilectissimus fuit Ioannes, qui crucis tẽpore reliquos omnes fidei fortitudine atq; constantia superauit, quando solus morienti astitit, & virginem matrem in suam tutelam recepit: & idem in præsenti quoq; reliquis oculatior signum hoc, quo se Christus manifestabat, attentius obseruat. Sed eundem fidei feruore vincit Petrus, qui primus omnium per medias nodas (vt mox audiemus) ad Christum excurrit. Prodest diligenter obseruare discrimen hoc, quo sanctissimi quoq; inter se differunt. Primùm enim obstat hoc iniquis quorundam iudicijs, qui eadem ab omnibus exigunt, & temere damnant eos, quos suæ expectationi minus respondere, & in quibusdam imperfectiores esse vident. Excitantur præterea infirmiores, ne mox desperent, si ab alijs se præcellentiores tergo relinqui cernant: simulq; omnes officij admonentur, ne cui inuideant, & ne aliquẽ contemnant, sed potius mutuas operas sibi tradant, & singuli aliorum vitijs pro virili medeantur, atq; cõmunem salutis causam coniunctis (vt ita dicam) manibus adiuuent. His studijs ad dulcissimam illam saluberrimamq; concordiam peruenitur, quam spiritus sanctus in scripturis tantopere commendat, & sine qua ecclesiam consistere est impossibile.

Ex operibus agnoscitur Deus.

Deinde ad diligentiorem operum Dei contemplationẽ nos Ioannis exemplum excitat, & eorundem vsum nobis tradit: qui est, vt horum consideratione illum agnoscamus, deq; eius gratia simul & ira discamus iudicare. Quia enim ex nobis ipsis nihil egregium & laude dignum possumus, certò nobis persuadeamus, illius peculiari fauore fieri, si quid nobis felicius succedit. Quod qui obseruant in successibus suis minus efferuntur, Deo autẽ se magis gratos præbent, & eiusdem beneficijs vtuntur ad gloriæ ipsius propagationem. At qui horum immemores de Deo rarius cogitant, ij fere suæ industriæ acceptum ferunt quicquid ab ipsis cum laude fit, & proinde suis successibus elati proterueant, seq; ipsos fauore Dei spoliant, quo is humiles prosequi, superbis autem resistere solet. Debent ergo exemplum hoc imitari principes, vt quoties regna sua florere & se hostibus terrori esse vidẽt, cogitent Dominus vobis adest, & suo fauore hæc publica bona largitur. Fecit hoc diligenter Dauid, vt Psalmi eius testantur, quibus Dei beneficia publicè celebrare solitus fuit. E contra Nabuchodonosorem à Deo grauiter mulctatum fuisse legimus, quòd regni sui splendore & victoriarũ successu elatus laxisset: Annon hæc est illa Babylon, quam ego feci? Et in Romana historia Augusti dictum insolentius notatur: Vrbem lateritiam inueni, feci marmoream. Neq; etiam diuturnus fuit ille vrbis splendor, quando ex Cæsarum familia non multò post Nero prodijt, qui ignẽ illi immisit, quo ædificia publica & priuata fœdissimè conflagrarunt: vt ea nunc omittamus, quæ postea Gothis & Vandalis irruentibus facta sunt. At quod principibus dicitur, hoc ipsum ad se ecclesiarum ministri transferũt, & quoties aliquem successum in euangelij prædicatione sentiũt, huius authorẽ agnoscant Christum, cuius nomine ipsi legatos agunt: neq; eorum animis vnquã illud Pauli excidat: Gratia Dei sumus, quod sumus. Item, Nihil est qui plantat, neq; qui rigat, sed Deus qui dat incrementum. Idem de se ipso idem Apostolus dicebat: Plus alijs omnibus laboraui: at non ego, sed gratia Dei quæ mecum est. Pertinet eadem consideratio ad rem domesticam & patresfamiliâs. Nam nisi Dominus ædificauerit domum, frustra laborant qui ædificant. Quoties ergo ex laboribus nostris aliquem fructum percipimus, agnoscamus in eo Dei benedictionem, & ea cum gratiarum actione rectè vtamur. Eadem ratio in contrarijs obseruetur. Quia enim certo diuinæ prouidentiæ consilio omnia reguntur, iudicũ illius iustum nos agnoscere decet, si quid nobis infelicius accidit. Cogitemus ergo, illum vel latentem

in nobis

in nobis corruptionem hoc modo coercere, & breui eruptura malitiam disciplina seueriori præuenire voluisse, vel admissam culpam punire. Confert hoc plurimum ad veram pœnitentiam, & simul patientes reddit in aduersis, ne contra Deum murmurando iram eius magis accendamus. Obseruauit hoc quoque Dauid, qui atroces filij Absolonis iniurias & dira Semeij conuitia patienter tulit, quòd in istis Dei iudicium agnosceret, qui ipsius peccata puniebat. At hodie minus plerique proficiunt, quia supini & securi nimis omnia negligũt, & neque fauoris Dei neq; iræ eiusdem indicia, qua decet diligentia, obseruant, Epicuræorum ferè impia deliria secuti, qui Deum mortalia non curare, & omnia fortuitò fieri arbitrantur.

Sed ad Petrum accedamus, qui audito Ioanne mox credit, & fortassis eò facilius, quòd simile quid factum fuisse recordetur, quando primùm à Christo fuit vocatus, vt Luc. 5. scribitur. Nec mora, quia piscatorum more nudus erat, amiculo se succingit (quod pudoris & verecundiæ indicium est) in mare prosilit, & reliquis circa pisces & retia occupatis, magno conatu in Christi occursum contendit. Est hoc memorabile fidei ardentis exemplum. Illum enim piscandi causa egressum fuisse audiuimus. At vbi Christum ad littus stare audit, mox relictis omnibus ad illũ festinat, nec prædæ tam amplæ dulcedine se retineri patitur, quò minus id faciat. Imò non aquæ profunditas, non quod ex vestis madefactione enascebatur incommodum, neque vlla alia ratio eum absterret, omnemq; moram nimiam esse putat, quæ gaudium eius aliquantisper differre videtur. Ita solent electi, quando Dei vocationem & salutis per Christum acquisitæ promissionem audiunt. De Abrahamo patre credentium Moses scribit, quòd Deo ipsum vocante, patriam, cognatos, domum paternam & quæcunq; alia habebat, volens reliquerit. Eodem animo apostolos omnes præditos fuisse, euangelica historia testatur. Paulus certè quæ in mundo eximia habebat, pro stercoribus & damnis duxit, vt Christum lucrifaceret. In quo catalogo Martyres etiam omnes numerari merentur. Neq; aliter possunt, qui salutem omnem in vno Christo contineri sciunt, & proinde omnem salutis suæ fiduciam in eius meritis habent collocatam. Docent autem exempla ista, quid de illis iudicemus, qui pro Christi nomine nihil facere aut ferre, sed illo potius perpetuò carere volunt, quàm vel minimam bonorũ huius seculi iacturam facere. Quid verò de illis dicemus, qui vbi Dominum adesse & verbi sui prædicatione conscientias ipsorum ferire sentiunt, toti exhorrescunt, & de illo procul eijciendo cogitant? Tales hodie vbiq; gentium inueniuntur, qui vt à fide alieniſsimi sunt, ita salutis in Christo consortes nõ sient, nisi totis animis inquirant & se illi obedienter consecrent. Sed vt ad Petrũ redeamus, apparet in eius exemplo, quàm efficax sit Christi intercessio. Dixerat hic illi in vltima cœna: Ego pro te rogaui, ne deficiat fides tua. Nunc verò eam adeò non defeciſse videmus, vt reliquos omnes ardore & fortitudine superet. Simile quid de illis legitur, qui ipsum in crucem suffixerant. Nam pro illis etiam interceſſerat dicendo: Pater remitte eis, neſciũt enim quid faciant. Quas preces similiter exauditas fuisse constat, quando ijdem illi paulò post animis suis cõpuncti sunt, & Dei filium esse agnouerũt, quem antea omni conuitiorum genere prosciderant. Atqui pro nobis etiam orauit Dominus, quando discipulos patri commendans, inter alia dixit: Non pro eis rogo tantùm, sed & pro ijs, qui crediturí sunt per sermonem ipsorum in me. Nemo igitur dubitet, eas quoq; preces apud patrẽ adhuc hodie pondus habere, & illum nobis certò propitium fore, ne tentationũ ponderi succumbamus. Obseruari deniq; debet hoc loco, quòd Petrus per medias vndas & maiori cum periculo, alij autem nauigio in littus perueniunt, vbi illos Christus exspectabat. Adumbratur in eo dispar electorum conditio. Etsi enim omnes ad crucem vocet Dominus, & piorum vita laborum plena sit, alij tamen alijs melius habent, eo quòd afflictiones pro virium nostrarum modulo Deus dispensat, neq; nos magis quàm ferre possimus tentari patitur. Hinc fit, quòd alij grauioribus periculis exercentur, alij placidiori vitæ huius decursu ad cœlestis patriæ possessionem perueniant. Vbi nos vtriq; Domini prouidentiam agnoscere debemus, ne vel nostram sortem impatienter feramus, vel meliorem alijs inuideamus. Sed de hoc plura dicentur postea, vbi de Petro & Ioanne Christus differet.

Petrus relictis omnibus ad Christum contendit.

Sequitur conuiuium, quod illic loci discipulis Christus instruxit, vt nouũ suæ resurrectionis testimonium illis exhiberet. Concurrunt in eius descriptione multa consideratu digniſsima. Primò prunas vident in littore accensas, & illis impositum piscem. Vident præterea appositum panem. Vnde verò illa habuerit Christus, non opus est disputare. Qui enim totam hanc mundi machinam ex ni-

Christus discipulos excipit conuiuio.

hilo creauit, qui Ionæ in mare proiecto lamiam adduxit, quæ suis faucibus illum exciperet, qui pis-
quem Petrus capturus erat, didrachma in os posuit, qui denique alibi pauculos panes atq; piscicu-
virtute sua multiplicare potuit, vt multis millibus alendis sufficerent: huic facile fuit panem & pi-
scem inuenire, & in littore ignem accendere, vt mensam suis discipulis instrueret. Nos potius ex-
colligamus, illum totius creaturæ dominum esse, & hinc petamus consolationem, qua nos ipsos in ten-
tationibus confirmemus. Docet enim hoc facto Dominus, se de victu & omnibus necessarijs abun-
prospicere velle omnibus, qui suam vocationem sequuntur, & in ea constanter pergunt. Promiss-
nes, quæ huc faciunt, scriptura passim proponit, & nuper aliquas adduximus. Paulus certè pie-
tem cùm præsentis tum futuri seculi promissionibus suffultam esse testatur. Confirmantur autem h-
exemplis infinitis, quorum consideratio ad fidem nostram confirmandam vtilissima est. Israelita-
sanè suam vocationem sequentes in deserto totis annis quadraginta absq; illorum labore & impen-
aluit atque vestiuit mirabiliter, vt rerũ necessariarũ nihil eis defuerit. Prophetis item sub Abdi-
& Iezabelis tyrannide periclitantibus nutritium dedit Abdiam, eodemq; tempore Eliæ partim p-
coruos, partim per viduam Sareptanam miraculosè prospexit. De apostolis verò quid opus est di-
cere, qui (vt Lucas scribit) in vltima cœna confessi sunt, sibi nihil vnquã defuisse, quando sine pera
& commeatu ab illo in ministerium fuerunt emissi? Attamen prioribus beneficijs hoc nouum ad-
dere voluit, vt hunc fauorem eius scirent continuum fore, & destinatum sibi munus maiori constan-
tia subirent. At quia hæc exemplis quotidianis confirmantur, debent doctrinam hanc ad se trans-
ferre omnis loci & ordinis homines, ne inopiæ aut famis metu officium negligant, cui ipsos Domin-
destinauit. Quin potius illud Dauidis probè expendant: Iuuenis fui, & nunc senui, nec vidi iustum
derelictum, aut posteros eius mendicantes panẽ. Item: Reueremini Dominum ô vos sancti eius, qu-
niam nihil deest his, qui eum timent. Leunculi penuria & fame laborant, qui autem Dominum in-
quirunt nullo bono destituuntur. Psalm. 37. & 34. Adumbratur præterea hoc facto finis laborum
huius seculi, quoad pios & electos. Vocabit tunc eos ad se dominus, vt ad suam mensam edant & ti-
bant, id est eiusdem regni & gaudij secum consortes sint, qui cum ipso in tentationibus eius perse-
rauerunt. Et huius quidem felicitatis hæreditatem animæ adeunt, quàm primùm ex carcere corpo-
ris huius in vera fide emigrant. Corpora verò (vt in Apocalypsi dicitur) requiescunt à laboribus
suis, donec ipsa quoq; in magno illo die aduentus Domini resuscitabuntur, & suis animabus rursum
sociata Christo per aerem obuia rapientur, vt cum illo viuant & regnent. Quod vnum qui recte ex-
pendunt, ij se in pietatis studio mirificè confirmari sentient, & simul consolationem inde habebunt
efficacissimam, qua animati omnes huius vitæ labores, pericula, molestias, ipsam denique mortem
facilè vincent.

Petrus rete in littus extrahit.

At non cõtentus Dominus ijs, quæ ipse parauerat, ex ijs etiã piscibus aliquos afferre iubet, quos
ipsi tunc cœperant: partim quidem, vt ea occasione illorum numerus cognoscatur, & ita miraculum
fiat illustrius: partim, ne quis facto huic aliquem fucum aut magicas præstigias subesse suspicetur.
Itaq; Petrus hîc quoq; pro suo more feruẽtior mox in nauim ascendit, rete in littus extrahit plenum
magnis piscibus centum quinquaginta tribus. Vbi duo cõcurrunt quæ ad miraculi amplificationem
faciunt: alterum multitudo piscium vno iactu præter omnem expectationem captorũ: alterũ, quod
tanto oneri sustinendo rete sufficere potuit, ne scinderetur. Vbi docemur, Deum non modò benedicere
suorum labores, verumetiã honestis & iustis rationibus acquisita tueri, ne dissipentur. Quod quidem
necessarium sit, abundè sentiũt qui ex laboribus suis fructum nullum recipiunt, eò quòd in sacculum
pertusum (vt Hagg. 1. legitur) sua reponunt. Quoad verò allegoriam ministerij euangelici, di-
scunt ministri ad Christũ omnes eos debere adduci, qui per euangelici doctrinã capiũtur: quod apostolos
los summo studio obseruauisse cõstat. In eo aũt pseudoprophetæ & mercenarij peccant, quòd de seipsis
pascendis potissimùm soliciti, Dominum gregis non respiciunt, sed (vt Ezechiel ait Cap. 34.) crassum
sum & pingue ipsi mactant atque comedunt, ouiumq; lana vestiuntur, illis interim miserè perenniti-
bus. Peccant etiam, qui ad Diuos cœlites, vel ad personatum Christi vicarium omnes remittunt,
quos vni & soli Christo lucrifacere debebant. Cogitent ergo ministri, se in Domini opere versari, &
huius esse (vt Paulus ad Corinthios scribit) istam ædificationem, agricolationem atque piscatio-
nem, & proinde fructum omnẽ ad hunc referri debere. Adhæc euangelij virtutem atque efficaciam

hæc

hæc pars nobis commendat: quòd nimirum non modò capiat homines, verumetiam illis retinendis sufficiat, quantùmuis infirmum & mundi iudicio contemptißimum esse videatur. Exempla huius rei veteres historiæ exhibent, quæ testantur ecclesiæ societatem & disciplinæ Christianæ vincula nullis tyrannorum edictis dissolui, nullis persecutionum machinationibus dißipari potuisse. Quod ipsum hodie etiam fieri videmus. Etsi enim aduersarij hunc sibi omnium consiliorum scopum propositum habeant, vt Christi vincula abrumpant, ecclesiæ societatem dißipent, disciplinæ ordinem euertant, illa verò omnia non alijs fulcris siue retinaculis quàm simplici & apud plerosq; contemptæ euangelij prædicatione nitantur: fit tamen occulta Dei virtute, vt ista illis conseruandis sufficiat, neque eorum societas dissoluatur, qui semel in Christo Iesu verè coaluerunt. Exeunt quidem ex illa interdum aliqui, qui in eam primùm irrepserant. Sed hi (vt Ioannes ait) non erant ex nobis, neque vnquam ad veram ecclesiæ societatem pertinuerunt: & quàmuis ipsi ad mundum redeant, vel etiam hostes fiant aperti, manet tamen integrum rete illud euangelij, quo pij ad Christum in fidei vnitate colliguntur. Vide 1. Iohan. 2.

Sed Christum videamus, qui discipulos accedere & prandere iubet: simul verò ipse etiam accedit, & panem pro suo more inter illos distribuit. Hæc autè tam euidenter facit, vt nemo ausus fuerit eum interrogare, ne scilicet illi iniuriam insignem facerent, si de eo dubitarent, qui seipsum tot signis atque indicijs manifestauerat. Itaq; non tam pudore quàm religione & ipsa rei veritate ab interrogando absterriti fuerunt. Qua parte rursum admonemur, nos ex Domini manu victũ & quæ uis necessaria accipere, adeoq; illius conuiuas nos esse, quoties ad mensam accedimus: cuius nos memi nisse oportet, ne ingratitudine & intemperantia nobis exitialia faciamus Dei dona, quæ nobis salutaria esse debebant. Sed imprimis hoc loco vitæ cœlestis imaginem intueri conuenit. Ad Christi pran dium accubuerunt discipuli, & ex eius manu cibum accipiunt, eumq; probè agnoscunt, ex quo haud dubiè gaudium ineffabile animis suis perceperunt. Ita olim ad Christi mensam accumbemus cum Abrahamo, Isaaco & Iacobo atq; omnibus sanctis, quotquot vnquam fuerunt & in posterum futuri sunt. Illic ex Christi manu sumemus beatæ immortalitatis ambrosiam & gaudij æterni nectar. Et quia tunc quoq; restituetur lux illa rationis, quam peccatũ in nobis maxima ex parte extinxit, nullus præterea erit locus ignorantiæ, neq; vt quicquam interrogemus opus erit. Nam vt Christum tũc omnes coràm videbunt & agnoscent: ita in illo agnoscent simul omnes, quorum cohæredes per illum facti sunt. Typus huius rei in Adamo præcesßit, qui vt animalia omnia primo intuitu certis nominibus distinguere potuit, ita Euam non antea visam ex sua carne & suis ossibus desumptã fuisse intellexit, quàm primùm hanc in eius conspectũ Dominus adduxit. Et discipulos tres, quos suæ clarificationis testes Christus habere voluit, Mosem & Eliam mox agnouisse scimus, cùm illos viderunt. Faciet hoc olim plurimum ad felicitatis & gaudij illius cœlestis perfectionem. Prædicantur magnificè in historijs Mithridates & Cyrus, quorum ille duarum & viginti gentium, quibus imperabat, linguas calluit, vt sine interprete cũ quibusuis colloqui posset: hic verò milites suos omnes ex facie nouit, & singulos suis nominibus cõpellare potuit. At quàm parum hoc fuerit, si cum electorum conditione in cœlis conferatur, qui vt omnes se mutuò internoscent, ita vno ore & vna lingua Deo psallent, & dulcißimo consensu eorum bonorum hæreditatem simul posßidebunt, quæ oculus non vidit, & auris non audiuit, neque in mentem homini venerunt? Felices qui horum consideratione intenti circa carnis cupiditates & infelicis mundi studia minus occupantur.

Christus discipulos inuitat.

Imago vitæ cœlestis.

Sequitur loci huius conclusio: Hac iam tertia vice manifestatus est Iesus discipulis suis, cùm resurrexisset à mortuis. Tertiam dicit hanc apparitionem, quòd sub vna comprehendat, quicquid toto aliquo die factum fuit. Scimus enim illum ipso resurrectionis die sæpius visum fuisse, Mariæ nimirum Magdalenæ, Simoni Petro, duobus Emauntem proficiscentibus, & tandem decẽ discipulis simul congregatis. Sed (vt diximus) omnia eius diei acta sub prima apparitione Ioannes comprehendit. Alteram facit, qua octauo die post Thomæ se videndum & contrectandum præbuit. Tertia ergo fuerit, quam modò audiuimus, & quæ haud dubiè prima fuit inter eas, quæ in Galilæa factæ fuerunt, quas plures fuisse ex alijs locis colligitur. Voluit enim sæpius & per interualla se illis manifestare, vt certior esset rei fides. Ioanni verò tres istæ apparitiones visæ sunt sufficere, vt nos in huius articuli fide confirment. Erunt ergo inexcusabiles, qui vel plures requirunt, vel cùm reliqui

plures alias descripserint credere tamen dedignantur. Maior tamen illorum culpa est, qui de tot euangelij negotio quotidie infinitis experimentis edocentur, nihilominus tamen ei impudenter oggeniunt. Nos constanter in ea fide perseueremus, qua Christum Iesum pro peccatis nostris mortuum & propter nostri iustificationem à mortuis resuscitatum esse credimus, & sic in illo salutis aeternae haeredes erimus. Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in aeternum. Amen.

HOMILIA CLXXIX.

Cùm ergo prandíssent, dícit Simoni Petro Iesus: Símon Ionæ, dílegís me plus quàm hí? Dícit ei: Etíam Dómine, tu nosti quòd amẽ te. Dícit ei, Pasce agnos meos. Dícit ei rursum secundò: Símon Ionæ, díligis me? Ait illi: Etíam Dómine, tu nosti quòd amem te. Dícit ei, Pasce oues meas. Dícit ei tertiò: Símõ Ionę, amas me? Indoluit Petrus quòd dixísset sibí tertiò, Amas me? Dixítq; ei: Dómine, tu omnia nosti: tu nosti quòd amem te. Dícit ei Iesus, Pasce oues meas. Amem amen dico tibi, cùm esses iunior, cingebas te, & ibas quò uolebas: cùm autẽ senueris, extendes manus tuas, & alius te cínget, & transferet quò non uís. Hoc autem dixit significans qua morte glorificaturus esset Deum.

ETsi Dominus noster Iesus Christus communis omnium seruator sit, qui ipsum vera fide amplexantur, præ alijs tamen hominibus discipulos duodecim sibi elegit, quibus se per doctrinam & miracula familiarius manifestaret, vt hi postea rerum ab ipso gestarum testes essent oculati. Quae causa est, quòd post resurrectionem quoque ijsdem frequenter apparuit, & (vt colligere licet ex euangelistarum scriptis) de tribus potissimùm cum illis egit. Primò se reuera ex mortuis reuixisse & corporis sui proprietates naturales retinuisse, infinitis argumentis & testimonijs probat: quod facto opus erat, vt se mortis victorem esse testaretur, & nos salutis certos redderet. Deinde regni Dei mysteria illis exposuit, in quibus eos diligenter instituí oportebat, vt quam prius habuerant de regno ipsius terreno opinionem deponerent, sed ad cœlestia præpararent. Tertiò euangelij ministerium ipsis commisit, vt per eos alij complures in salutis cognitionem adducerentur. Quo imprimis pertinet, quod Cap. 20. de spiritu sancto ipsis dato & clauium potestate audiuimus. Atqui horum authoritas vehementer labefactata erat, eò quòd Christum turpiter abnegauisset, non contentus quod cum omnibus egerat, nunc cum illo actionem peculiarem suscipit, qua eum in pristinam dignitatem restituit: primùm quidem, vt ipse animum colligeret, & se verè restitutum sciens interpretaretur Domini negotium: deinde, vt doctrinam eius à contemptu vindicaret, ne hac ab aliquo propter factam Christi abnegationem sperneretur. Est ergo huius loci vsus duplex. Docet enim primùm peccatores à Deo non reijci, sed in gratiam benignè recipi quàm primùm à peccatis ad ipsum conuertuntur: quam item rationem nos quoq; in illis recipiendis tenere oporteat. Deinde omnem manifestat ecclesiastici rationẽ tradit, nec officij modò ministros admonet, sed simul docet quid in hoc munere præstare polliceri, & vt se ad crucem ferendam præparare debeant. Itaque ad hæc duo capita historiam hanc accommodabimus.

Argumentum huius loci.

Bonitas Dei erga peccatores.

Quoad primum, antea omnia Christus inspiciendus venit, qui peracto prandio ad Petrum conuersus de eius restitutione agere incipit, & quidem audientibus hoc sex alijs discipulis, quos huius rei testes esse voluit. Vbi diligẽter considerari debet illius bonitas, qua tam facilè & turpiter lapsum in gratiam recipit, & non modò peccatum ei condonat, sed in pristinam quoque dignitatem illum restituit. Confirmantur hoc exemplo promissiones de peccatoribus & remissione peccatorum, quales in scripturis passim occurrunt, vt Ezech. 33. Viuo ego, dicit Dominus Deus, non delector morte peccatoris, sed potius vt reuertatur à via sua, & viuat. Itẽ Isa. 43. Ego ego ille ipse sum, qui deleo iniquitates tuas, idq; propter me, & peccatorũ tuorum non recordabor. Et rursus Isaiæ primo: Si peccata vestra fuerint vt coccus, niue albiora reddentur: si rubeant instar purpuræ, sicut natiua lana fient. Quò imprimis referri debet illud Pauli: Fidus sermo & modis omnibus dignus quem amplec-

Rursum

mur, quòd Christus Iesus in mundum venit, vt peccatores saluos faceret. Ne qui verò peccatorũ suorum vel multitudine vel atrocitate territi, promissiones istas nihil ad se pertinere putarent, non vulgarium modò peccatorum exempla scripturæ commemorant, qui in gratiam recepti sunt, sed eorum etiam, qui in ipsius Christi personam directè & palàm peccarunt: quales scimus milites fuisse, quorum opera in crucem suffixus fuit: & Petrus, qui cùm illum abnegasset, dignus erat cuius Christum quoque perpetuò puderet. Sed vt illorum mentes mox ille perculsit, vt Dei filium agnoscerent, quem paulò ante omni probrorum genere affecerant: ita Petrum quoque benignè respexit, & in Apostolorum gregem rursus eum cooptat, qui ab ecclesiæ cœtu in vniuersum excludi merebatur. Et quia huius generis exempla multa extant, imò hodie etiam sceleratissimos quosque Deus per euangelij prædicationem ad pœnitentiam inuitat, & suam illis gratiam sponte offert, debet hinc generalis doctrina vel consolatio peti, ne in peccatis aut ex horum conscientia enascentibus tentationibus desperemus. Durat enim in æternum (vt regius ille Psaltes ait) bonitas Domini, & misericordiæ eius nõ est finis. Simul verò Christi exemplum nos imitari conuenit, ne in quenquã rigidiores simus quàm par est, néue temere eos abijciamus, quos leniter fouere & amicis admonitionibus in viam reducere conuenit. Vt enim non probantur chirurgi, qui membra affecta temere resecant, priusquàm de illis curandis cogitarint, & incurabilia esse certò deprehenderint: Ita multò minus ferendi sunt, qui Christi corpus, ecclesiam, præcipiti & inconsulta eorum exclusione defœdant, quos ille sui sanguinis pretio redemit.

Qualis fuerit Petrus cùm restitueretur.

At ne quis nimia indulgentia disciplinam simul omnem ex ecclesia tollat, probè expendendum erit, qualis tunc fuerit Petrus, quando illum Christus in gratiam recepit. Vbi nos animo repetere oportet, quæ de eius pœnitentia hucusque dicta sunt. Nam etsi confidentia sua deceptus turpiter peccarit, attamen Christi amorem & reuerentiam ex animo suo nunquam eiecit, quod multa argumenta testantur. Primò enim tanti fecit verba Christi, vt galli quoq; cantũ obseruarit, cuius ille ipsum admonuerat, & illo excitatus omnia eius in mentem reuocauit. Deinde peccati conscientia perculsus amarè fleuit, & quem animo conceperat dolorem lachrymis testatus est. Adhæc mox ad discipulorũ cœtum rediit, ne ab ecclesiæ societate diuelleretur, in quam Christus ipsum cooptauerat. Præterea Christi studio ita flagrauit, vt illius resurrectione audita inter primos ad sepulchrum excurrerit, & eorum de hac disputantium colloquia auidè captarit. Adde his, quòd nuper in medias vndas exiluit, quàm primùm Christũ in littore astare audiuit, vt quàm ocyssimè illi coniungeretur. Sunt hæc luculenta pœnitentiæ non fucatæ indicia: adhuc tamen illum Christus peculiari examine probat, & quasi de illo dubitet, eum iterum atque iterum, num se amet, interrogat. Minimè ergo exemplum hoc ijs patrocinatur, qui pœnitentiam vel nullam vel fucatam & momentaneam agunt, qualem in Israelitis Dominus per Hoseam Cap. 6. accusat. Et debent promissiones gratiæ ad eos restringi, qui eam nõ aspernantur, & vocanti Domino obtemperant. Quod enim de Petro in præsenti dicitur, hoc ipsum in Dauide & multis alijs scriptura prædicat, quos à Deo in gratiam receptos esse scimus. Horum itaque exempla imitentur, quicunque vel cum illo reconciliari, vel in ecclesiæ societatem rursum recipi cupiunt. Nec indignius ferant, si seuerius examinentur. Quia enim ecclesiam falli periculosum est, & multi ex aliorum exemplis peccandi occasionem arripiunt, diligentiam in hac re adhibere debent, quibus ecclesiæ administrationem Deus cõmisit, ne sua negligentia publici alicuius scandali authores sint.

Christus Petrũ examinat.

Videamus nunc ea, quæ ad alterum huius loci vsum pertinent, & ministerij ecclesiastici rationem omnem comprehendunt. Vbi rursus primo loco nobis Christus occurrit, qui ad Petrum conuersus ait: Simon Ionæ, diligis me plus quàm hi? Quæstionem verò hanc ter repetit, quia ille ter ipsum abnegauerat, vt (quod Augustinus obseruauit) trinæ negationi trina reddatur confessio, neque minus amori lingua seruiat, quàm timori. Et quia non simpliciter quærit, num se ámet, sed discipulos alios in comparationem adducens, ait, Diligis me plus quàm hi? non obscurè suam confidentiam illi in mentem reducit, qua in vltima Cœna se reliquis discipulis omnibus præferebat, dicendo: Etiamsi omnes offendantur in te, ego tamen nunquam offendar. Ita verò cum fidei & amoris confessione simul modestiæ etiam argumentum ex eo elicere voluit, vt exemplum hoc omnium institutioni melius seruiat. Imprimis verò hîc obseruari debet, quòd ab ista quæstione

Christus exordium sumpsit, neque prius dignitati suæ pristinæ Petrum restituit, quàm is suum amorem apertè professus fuit. Ex eo apparet ad ecclesiæ gubernationem idoneum esse neminem, nisi qui Christum verè & ex animo diligit. Est enim munus hoc per se laboriosum & carni ingratum, eò quòd hominem totum sibi vendicat, neque locum aliquem ijs studijs relinquit, quibus caro quam maximè delectatur. Et in ipsis ouibus, id est, fidelibus Christi multa sunt, quæ odium merentur & pastoribus fastidium mouent, quando multos aduersus propriam salutem pugnare, & interdum hircorum instar proteruire vident. Accedunt his pericula, quæ satan obijcit, qui aduersus ecclesiæ ministros potissimùm tyrannos excitat, vt ab illis plerunque persecutionis initium faciant. Nec ergo pastores in Christum respiciant, & hunc ex animo diligant, ista nunquam superabunt, sed omnes huic succumbent, quando fide, constantia & fortitudine imprimis opus erat. Vt enim cōiugij & educationis liberorum molestias solus amor vincit, quò coniuges tam se inuicem quàm ex se progenitos prosequuntur: Ita Christi amor ministros accendit & vrget, vt quiduis potius ferre & facere velint, quàm eos negligere, quos eius sanguine redemptos esse sciunt. Ideò passim ad Christum, ceu ecclesiæ dominum & ministerij authorem remittuntur ministri, vt ab illo se ordinatos & constitutos esse intelligant. Admonet de hoc Asiæ doctores grauiter Paulus Acto. 20. Attendite vobisipsis & vniuerso gregi, in quo vos spiritus sanctus constituit episcopos, ad pascendam ecclesiam Dei, quam acquisiuit suo sanguine, &c. In quam sententiam Christus quoque parabolam dispensatoris adducit Matth. 24. Rursus verò Apostolus falsis pastoribus & seductoribus hoc quasi proprium tribuit, quòd Christum non ament, sed priuatis modò commodis intenti sint. Quotquot ergo ad ecclesiæ ministerium accedere instituerunt, ante omnia seipsos probè examinent, num syncero amore Christi ardeant, & ijs ferendis sufficiant, quæ huic functioni coniuncta sunt. Quapropter in ipso limine (quod dici solet) impingunt, qui nulla Christi & gregis ecclesiastici ratione habita, ad ministerium hoc priuati commodi studio contendunt, & sese non artibus modò Simoniacis, verumetiam obsequijs turpibus insinuant, & seruiliter omnibus blandiuntur, quorum suffragijs se iuuari posse arbitrantur. Et deinde ignauè & perfidè omnia agunt, & si vel lucri maioris spes, vel periculi grauioris metus obseruiatur, turpiter deficiunt, & tam sibijpsis quàm alijs exitij authores sunt. Fit ergo illis, quod de Bonifacio octauo Papa Romani scriptores prodiderunt: Ingressus est vt vulpes, sedit vt lupus, mortuus est vt canis. Itaque in eorum meditatione assidui sint ecclesiæ pastores, quæ Christi amorem in animis ipsorum accendere possunt, & officij sui dignitatem rectè æstiment. Interim communi omnium piorum consolationi seruit locus iste. Docet enim, quanti faciat salutem nostram Dei filius, quando gregis sui curam non alijs, quàm sui amantissimis committit, se autem tunc verè amari existimat, si fideliter pascantur isti, quos ipse semel in ouium suarum numerum adoptauit. Quis ergo se ab illo negligi putet? Cessant quidem non rarò in suo munere pastores ecclesiastici, & ideò pœnas dant graues gregis domino: at idem ille interea ouium curam gerit, neque aliquam sibi ex manibus suis eripi patitur.

Petrus amorem Christi profitetur.

Sed Petrum audiamus, qui Christo sic respondet: Etiam Domine, tu scis quòd amē te. Etenim hoc secundò dixisset, non autem desineret interrogare Christus, ipse tristior factus cum maiori & vehementiori affectu ait: Domine, tu omnia nosti, tu nosti quòd amem te. Ergo amorem Christi non verbis modò, sed reipsa testatur, quando ad quæstionem hanc toties repetitam toto animo commouetur. Ita tamen respondet, vt summam modestiam cum amore Christi coniungat, & non obscuro argumento doceat, quantum in Christi schola post lapsum suum profecerit, qui prius nimia suijpsius fiducia peccauerat. In vltima enim Cœna Christo ipsum de futura abnegatione admonenti insolenter responsarat, & fratres simul omnes præ se contempserat. Nunc autem Christi iudico sese submittit, hunc sui amoris testem sistit, & quàmuis ab eo reliquos discipulos in comparationem adduci audiat, nihil tamen de illis pronuntiat, sed eo contentus est, si de suo amore respondeat. Imò dolorem nouum animo concipit ex tam serio amoris sui examine, non quòd illud indignius ferat, sed quòd prioris culpæ adhuc memor timet, ne quid simile Christus in ipso præuideat, & ideò ipsum tam diligenter interroget. Et quàmuis se ad euangelij ministerium denuo admitti audiat, non tamen ea dignitate effertur, sed carnis suæ infirmitatem, quam expertus erat, adhuc suspectam habet. Debent modestiam hanc imitari omnes ministri, ne quid sibijpsis & proprijs viribus tribuant,

tribuant, sed meminerint, se ex semetipsis ad nihil idoneos esse (vt Paulus ait) omne verò hoc quod sint & quod habent, ex gratia Dei accepisse, qui ex miseris mortalibus quos vult deligit, & spiritus sui donis exornat, vt mysteriorum regni sui dispensatores fiant. Simul verò discant omnes homines ita se gerere, vt Dominum suæ fidei & amoris testem habeant. Nec enim prodest quicquam, si ipsi nostras virtutes verbis magnificis prædicemus, sed Dei iudicio nos probari oportet, qui (vt Petrus fatetur) omnia nouit, neque vllo fuco externo fallitur. Qui autem hunc fidei & pietatis suæ testem habent, hi & conscientiæ tentationes facilè vincunt, & hominum iniquis iudicijs non multum commouentur.

Pasce agnos meos.

Porrò Christi mandatum paulò attentius considerare oportet, quo Petrum suæ functioni restituit, dicens: Pasce oues vel agnos meos. Detorquent enim verba hæc aduersarij nostri, vt Romanum Pontificem vniuersalem totius ecclesiæ per totum orbem dispersæ, adeoque singulorum qui Christo nomen dederunt, pastorem esse euincant. Et extat in iure Pontificio Canon Bonifacij VIII. (cuius paulò ante mentionem fecimus) in quo inter alia sic loquitur Bestia: Dicente Domino ipsi Petro, Pasce oues meas: Meas, inquit, & generaliter, non singulariter has vel illas: per quod commissæ sibi intelligitur vniuersas. Siue ergo Græci, siue alij dicant, se Petro eiusq; successoribus non esse commissos, fateantur necesse est, se de ouibus Christi non esse, dicente Domino in Ioanne, vnum ouile & vnicum esse pastorem. Et post multa huius generis tandem concludit: Porrò subesse Romano Pontifici omnem humanam creaturam declaramus, dicimus, definimus (obserua os illud apud Danielem loquens grandia) & pronuntiamus, omnino esse de necessitate salutis. Habent ista apud rudes atq; imperitos aliquam veri apparentiam, sed ea facilè abstergitur, si rem ipsam propius inspiciamus. Primò enim manifestus error est, quòd ad vnum Petrum restringunt pascendi munus, quod Apostolis omnibus ex æquo Christus commisit. Qui enim hîc Petro dicit, Pasce oues meas, supra discipulis omnibus dixit: Accipite spiritum sanctum, Quorumcunque remiseritis peccata, remittuntur ea, &c. Et rursum iam discessurus: Ite in orbem vniuersum, & prædicate euangelium omni creaturæ, &c. At quid de Apostolis dicere attinet? quando ministros ecclesiarum omnes pastoris titulo spiritus sanctus exornat, quem falsum dicere oportebit & inanem, si non ad singulos eorum pascendi munus pertinet. Paulus certè (vt supra annotauimus) Asiæ ministros à spiritu sancto constitutos ait, vt pascant ecclesiam Dei. Idem ad Ephesios docet, Christum dona sua ex alto inter homines distribuere, & alios quidem dare Apostolos, alios prophetas, alios Euangelistas, alios autem pastores & doctores. Sed & ipse Petrus in priori sua epistola Senioribus ecclesiæ omnibus præcipit: Pascite gregem, qui penes vos est, &c. Nimium ergo iniqui sunt Petro Romanenses, qui eius solius humeris onus illud imponunt, quod Christus pro donorum suorum ratione inter Apostolos omnesque horum successores distributum esse voluit. Deinde de suo assuunt, quòd in genere oues Christi omnes vni Petro commissas esse aiunt. Nec enim ita Christus loquitur, & si ea fuisset eius sententia, non posset sese ab officij male administrati crimine Petrus liberare, qui non totum orbem terrarum peragrasset, & omnibus gentibus prædicauisset, sed in eo se passus fuisset superari à Paulo, qui postea quasi extraordinarius quidam ad Apostolatum vocatus est, & plus omnibus alijs laborauit. Tertiò suum reliquis Apostolis omnibus honorem eripiunt, qui aut otiosi à suo officio cessare, aut Petro seruire debuerunt: & ita dum vnum Petrum altius euehunt, reliquos omnes in lutum deprimunt, & inter Apostolos primatum vel principatum stabiliunt, quem toties damnauit Christus, quoties illi ante acceptum spiritum sanctum de illo ambitiosè contenderunt. Quartò Christi verbis, quæ Capite decimo audiuimus, non sine sacrilegio Bonifacius abutitur, quando ad Petrum & huius personatos successores, Romanos Pontifices, restringit, quod ille de seipso vnico summo ecclesiæ pastore pronuntiat. Postremò totus huius loci contextus illorum impostura & fallacias arguit, ex quo apparet (quod D. Augustinus quoque & Cyrillus obseruauerunt) actionem hanc non aliam ob causam cum Petro institutam fuisse, quàm vt eius authoritati consuleretur, quam abnegatio Christi turpiter labefactarat, & ipsum Apostolorum ordini restitutum, non autem principem illorum factum esse, omnibus constaret. Neminem ergo istorum hominum fallaciæ & violentæ scripturarum allegationes moueant. Pastorem autem ecclesiæ vniuersalem, & (vt ipse Petrus loquitur) ἀρχιποίμενα, id est, pastorum principem agnoscamus Iesum Christum, qui cùm ipse

Extra com. Ca de Maioritate & obed.

ab ecclesia sua nunquam discedat, Vicario minimè opus habet, cooperarios autem sibi assumit ex minibus, quorum ministerio ex gratia vtitur in verbi prædicatione & sacramentorum administratione, vt nostræ carnis infirmitati sese accommodet. Si qui verò ista dignitate nõ contenti ad altiora aspirant, ij non Christi, sed Antichristi serui, aut etiam ipsi Antichristi sunt: quod non primus nos dicimus, sed dicti huius suffragatorem habemus Gregorium Magnum, qui ante annos nongentos & sexaginta, quando infelix illa de episcoporum primatu contentio primùm cœpit, non dubitauit Mauricium Imperatorem scribere; Antichristi præcursor est, quisquis appellari cupit vniuersalis episcopus.

Pascere quid sit.

Et hæc quidem præmittenda fuerunt, vt Christi dictum aduersarijs extorqueremus, quo suam tyrannidem stabiliendam abutuntur. Nunc singula Christi verba excutiamus. Primum sce, inquit. At quod vno verbo Latini interpretes reddiderunt, Ioannes in Græco sermone duobus expressit, βόσκε καὶ ποίμαινε, quorum illud quidem de sola pastura exponi potest, hoc verò totius gregis totius ouiumq; singularum gubernationem comprehendit. Verumq; per verbum admonetur, sed diuersa ratione. Pascuntur enim, qui de Dei bona voluntate edocentur, & de Christi promissis edocti salutis suæ certi fiunt. Hi enim intra animos suos saturi nihil præterea esurium & sitiunt. Ad alterum verò cum doctrina simul etiam admonitione, hortatione, correptione, increpatione adeoque disciplina publica opus est, quæ sub vno capite Iesu Christo contineantur, qui illi nomen inderunt. Et quia doctrinæ appendices promissionumque Dei sigilla sunt sacramenta, horum quoque administratio pastoribus commissa est, in qua primam illorum institutionem vnicè respicit, ex ijs patet, quæ Paulus de Cœna Dominica ad Corinthios tradidit. Nunc autem obserua Christum hisce verbis non imperium aut dominium in ecclesia constituere, quale sibi Papa vendicat, sed ministerium, cuius finem Paulus esse docet ædificationem ecclesiæ & corporis Christi consummationem. Imò, quia pascendi officium Apostolis & horum successoribus Dominus commisit, perfidiæ summæ & crudelis veneficij conuincuntur, qui in ecclesia pro sua libidine omnia instituunt, & humanarum traditionum toxica ijs miscent, quos in læta verbi Dei pascua deducere, & euangelicarum promissionum fluentis recreare & consolari debebant. Deinde agnos & oues nominat Christus quibus vocabulis credentes aut fideles intelligi, supra Cap. 10. didicimus. In præsenti tamen nominibus distinguuntur, quia non eadem apud omnes fidei & donorum spiritus sancti mensura est. Sunt enim alij nouitij adhuc, & agnorum instar teneri atque imbecilli. Alij verò vlterius progressi vires aliquas collegerunt, & hi quoque non omnes in eodem perfectionis gradu sunt constituti. Quam differentiam Paulus ad Corinthios & Ephesios infantium & virorum iam adultorum nomine exprimit. Prophetæ verò inter oues alias quidem iuueniles & lasciuientes faciunt, alias rursum cras & infirmas, alias saucias & confractas, alias errantes, alias rursum stantes & robustas. Vide Zach. 11. Ezech. 34. Quæ discrimina omnia Christus agnorum & ouium nominibus comprehendit. Hîc autem diligenti cura & obseruatione pastores vti conuenit, ne erga aliquem suo officio desint, sed singulorum moribus & naturæ sese accommodent, & eam docendi rationem sequantur, quam numquenq; opus habere vident. Sic Paulus lacte eos cibabat, qui adhuc infantes erant, & cibum solidiorem non poterant admittere. Et Christus alibi cibum hunc spiritualem in tempore apponendum iubet, vt singuli habeant id, quo illis maximè opus est. Apud prophetas autem hi demum probantur, qui ouem perditam requirunt, propulsatam reducunt, confractam obligant, infirmam roborant, pingues verò & ferociores disciplina iusta coercent, denique totum illud munus pastoritium cum iudicio obeunt. Quæ omnia Christus in præsenti pascendi verbo comprehendit. Postremò, ΜΕΟΥΣ agnos & ΜΕΑΣ oues, ait Christus, vt ostendat dominium hoc gregis totius sibi integrum manere, neque se vnquam cessurum possessione huius peculij, quod pater ipsi tradidit. De quo etiam Capite decimo plura diximus, vbi rursus Pontificum tyrannis arguitur, qui in ecclesia quasi pro suo arbitrio agendi potestatem sibi sumunt. Arguit hos ipse Petrus, quando pastores monet, vt gregem Domini pascant, non autem illi cum imperio dominentur, & venturum eum admonet, vt gregem principem illum pastorum, qui fidis seruis præmium daturus, de perfidis autem & tyrannicis ecclesiæ oppressoribus pœnas sumpturus sit, quas illorum improbitas meretur. Horum confideratio nõ modò ministros excitat, vt in officio suo strenui sint, verumetiam quosuis alios admonet, vt Christi

Agni & oues.

vt Christi verbo se gubernari sinant, & ita testentur se ex ouium numero esse, quas ille olim ad æternæ vitæ pascua colliget. Consolatur præterea pios, quibus pastores aut ignaui aut perfidi & crudeles obtigerunt. Quia enim oues pro suis perpetuò agnoscit Christus, non poterit eos relinquere, sed suo tempore in libertatẽ asseret suos, de illis verò pœnas sumet, qui in eius peculiũ tyrannidẽ exercent.

Petro prædicitur martyriũ.

Cæterùm non modò pascendi officium Petro committit Christus, verumetiam mortis supplicium prædicit, quod aliquando subiturus sit, dum in illo fidelis esse studet. Amen amen dico tibi (inquit) cùm esses iunior, cingebas te, & ibas quò volebas, cùm verò senueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & transferet quò non vis. Et hæc illum de mortis genere dixisse, quo Petrus Deum glorificaturus erat, Ioannes exponit. Vtitur autem parabolicis locutionibus, quas ex Orientalium moribus desumit. Solent hi vestitu laxiori & ad talos vsque demisso vti, ideoque iter facturi sese succingunt. Sensus ergo verborum est: Olim quidem liberius viuebas, & pro tuo arbitrio instituebas res tuas. Sed quia mihi iam consecratus es, non tibi posthac libertas illa concedetur: neque pericula modò & omnis generis aduersa te manent, quoad ministerium hoc obieris, sed vbi ad senectam ventum fuerit, tunc grauius tibi certamen incumbet. Extendes enim manus tuas, & alius te loris aut funibus ligatum transferet quò non vis. Ostendit ergo illum violenta morte moriturum esse, quod ita illi accidisse Egesippus testatur, qui eum Romæ inuerso ad terram capite crucifixum esse scribit. Cuius historiam ego non libenter negauerim, cùm constet illum Apostolorum temporibus vicinum fuisse, vt qui circa annum à nato Christo centesimum septuagesimum floruit. Et crucis supplicium non obscurè innuit manuum extensio, cuius hîc meminit Christus. Neque tamen ideò fabulosum illum librum, qui sub Lini titulo circunfertur, & eorum commenta admittimus, qui Petrum Romæ sedisse, & ecclesiæ illius episcopatum constituisse fabulantur, cui annis viginti quinque præfuerit. Confutantur enim hi annorum & temporum serie, quæ ex fide dignis historicis colligitur. Attamen verisimile videtur, quòd senex iam vel spiritu duce, vel (quod Paulo accidit) captus vinctusq; Romam venerit, vt illic martyrij coronam acciperet. Koluit autem de mortis genere illum publicè admonere Dominus, idq; graues ob causas. Primò, vt eius authoritati amplius consuleret inter discipulos, qui suspicari poterant, illum inter grauiora pericula idem facturum forasse, quod in Caiaphæ domo fecerat. Ostendit ergo talem omnino fore, qualem promiserat in postrema Cœna, quãdo se mortem pro Christo subire velle dixit. Deinde diluit his verbis falsam de regno Messiæ terreno opinionem, qua discipulos tunc adhuc detentos fuisse, Lucas Acto. primo Cap. perspicuè docet. Adhæc in genere omnes ministros admonet, ne sibi opes, honores & voluptates huius seculi polliceantur, sed ad crucem & pericula sese præparent, consolationem verò ex eo petant, quòd Christum, cui seruiunt, ipsos & res ipsorum omnes nouisse audiunt. Sed proderit singula Christi verba diligentius inspexisse.

Petrus iam senex occiditur.

Primò, cùm senueris (inquit) alius te cinget. Numerantur autem à morte Christi vsque ad vltimum Neronis annum, quo Petrum in crucem suffixum esse tradunt, anni circiter triginta sex: vnde satis apparet, illum tunc prouectæ ætatis fuisse. Id verò mundi ingratitudinẽ & crudelitatem arguit, qui optimè de se meritos sic odit, vt absque ætatis etiã respectu crudeliter occidat eos, quibus otium & quies iam debebatur, & quos ipsa canities venerabiles reddit. Sic olim Isaiam, Ieremiam & plures alios ex prophetis, crudeliter necatos fuisse scimus, cùm extremæ senectutis metam per inuios labores atque pericula attigissent. At non minus elucet in his Dei potentia atque bonitas, qui inuitis tyrannis seruos suos tam diu tueri potest, neque eos periculis grauioribus obijcit, priusquàm viribus satis instructos esse nouit, vt illis ferendis sufficiant. Est enim fidelis, & suos non supra vires tentari sinit. Consoletur hoc nos in omni tentationum genere: imprimis autem discamus non indignius ferre, si senes iam grauius affligi & exerceri patiatur Deus: quin potius cogitemus, æquum esse, vt qui longo rerum vsu fidei vires maiores collegerunt, grauiora certamina sustineant, & plures alios suo exemplo confirment.

Transferet quò non uis.

Deinde, transferet (inquit) quò non vis. Ergo ne Petrus inuitus & reluctante animo pro Christi nomine mortem sustinuit? Nequaquam. Sed ad carnis ingenium respicit Dominus, & dissidium exprimit, quod in electis quoque inter illam & spiritum intercedere solet. Cupiunt enim illi dissolui & cum Christo esse, vt Paulus de seipso ad Philippenses scribit. At rursum caro præsenti hac

vita delectatur, & ipsa natura dissolutionem illam corporis & animæ horret atque formidat: vt D. Augustinus ait) tam naturalis est affectus ille, vt nec senectute aboleri possit. Exemplis nobis quotidie videmus, qui cùm omnibus membris debilitati, neque sibijpsis neque alijs molesti tamen in perpetua fastidia spiritum ægrum potius trahere, quàm illum in Christi manus deponere volunt. Quamuis autem vitiosus sit affectus iste, vsus tamen eius magnus est. Obstat enim præ rarum & malorum huius vitæ pondere superati, nobis ipsis mortem consciscamus: quod procul dubio multi facerent, nisi isto naturali metu atque horrore absterrerentur. Prodest autem illos sæpe diligenter meditari, vt primò quidem nostræ infirmitatis memores, carnis cupiditatibus fortius resistamus, & luctantem cum hac spiritum precibus assiduis iuuemus: de quo Christus discipulos in monte olueti grauiter admonuit. Deinde consolationem quoque dulcissimam hæc meditatio nobis affert, ne infirmitatis nostræ sensu terreamur aut desperemus, quando constat, hunc non modò iustis Martyribus, verumetiam in Christo Iesu, quoad assumptam carnem, locum habuisse.

Morte sanctorum glorificatur Deus.

Postremò Ioannis verba obseruari debent, qui Petrum morte sua Deum glorificaturum scribit. Ergo sanctorum mors non est misera, sed ad Dei gloriam facit, & ideò pretiosa est in conspectu Domini, vt Psalmus 116. docet. Glorificant autem pij Deum morte sua bifariàm. Primò, quòd ipsos & vitam suam eius gloriæ & verbo postponunt. Deinde, quòd suæ mortis testimonio euangelicam doctrinam confirmant, per quam Dei bonitas & misericordia, iustitia item, veritas, sapientia, omnipotentia maximè illustrātur in Christo, sicut alibi copiosè diximus. Est ergo hoc magnum consolationis argumentum, quo in persecutionibus & ipso articulo mortis fidem nostram confirmemus. Si enim neque turpis mors viro forti (vt Cicero olim dicebat) accidere potest, neq; misera sapienti, quantò magis Christianos homines in morte infracto animo esse conuenit, qui hanc Deo ipsis gloriosam, sibijpsis verò salutarem & certissimum ad cœlestem patriam compendium esse, ex ipsius Christi ore didicerunt? Consideremus ergo diligenter hanc crucis & mortis nostræ gloriam, neque vnquam nobis excidat illud Pauli: Si cum Christo morimur, cum eodem viuemus. 2. Timoth. 2. Atque hinc obseruemus, hoc Ioannis dicto eorum superstitionem confutari, qui gloriam quæ vni Deo debetur Diuos transferunt, quos in periculis constituti inuocant, & ijsdem cultum diuinum exhibent. Excusant se isti eo potissimùm argumento, quòd istos honores mereantur, qui pro Christo dira supplicia subierunt. At nimis præposterè hoc dicunt. Cùm enim ideò sic mori voluerint, vt Deum glorificarent, nimis absurdum est, Dei gloriam nunc propter ipsos obscurari, dum apud illos quæritur, quod non alibi quàm apud hunc inueniri potest. Neque in Deum modò, sed in ipsos etiam Dei iniurij sunt isti homines, quos præcipua mortis suæ gloria spoliant. Nos ergo salutis fiduciam omnem in vno Deo collocatam habeamus per Iesum Christum, qui vt Mediator & salutis autor nobis est vnicus, ita suos & in hac vita ad sui nominis gloriam tueri potest, & eosdem olim regni cohæredes faciet. Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

HOMILIA CLXXX.

Et cùm hoc dixisset, dicit ei: Sequere me. Conuersus autem Petrus uidet illum discipulū, quem diligebat Iesus, sequentē, qui & recubuerat in Cœna super pectus eius, & dixerat: Domine, quis est ille qui tradit te? Hunc ergo cùm uidisset Petrus, dicit Iesu: Dñe, hic autē quid? Dicit ei Iesus: Si eum uelim manere donec ueniā, quid ad te? tu me sequere. Exijt ergo sermo iste inter fratres, quòd discipulus ille nō moreretur. At non dixerat ei Iesus, quòd nō moriturus esset: sed, Si eum uelim manere donec ueniam, quid ad te? Hic est discipulus ille, qui testatur de his, & hæc scripsit: & scimus, quòd uerum est testimonium eius. Sunt enim & alia multa quæ fecit Iesus, quæ si scribantur sigillatim, ne mundum quidem ipsum opinor capturum eos qui scriberentur libros.

Quoniam

QVoniam hominũ salus in eo consistit, vt Iesum Christum vnicum salutis & vitæ authorem, vera fide apprehendant, omnesque vitæ suæ actiones secundùm verbi Dei regulam componant, omnino verbi administris & doctoribus opus est, qui illud prædicent, & non modò salutis rationem verè atque simpliciter tradant, verumetiam segniores vrgeant, & eos qui ab ea exorbitarunt in viam reducant. Ideò Christus Apostolos & horum successores dedit, de quorum officio frequenter disserit. Neque ijs contentus quæ ante mortem suam sæpe monuerat, eadem post resurrectionem diligentius & clarius repetit. Et quia Petrus propter abnegationem à dignitate & functione ista exciderat, ita eum restituit, vt in illo simul commune omnibus ministris exemplum proponat. Primò enim in eius animum inquirit, num vero sui amore teneatur, ita nimirum docens, neminem ad hoc munus idoneum esse, qui non ipsum ex animo diligat. Deinde oues suas illum pascere iubet, quo verbo dominandi cupiditatem prohibet, & simul omnia cõprehendit, quæ ad ecclesiæ legitimam curam atque conseruationem faciunt. Postremò quid ex eo sperare debeat monuit: persecutionem nimirum & mortem ignominiosam. At quæ huic dicuntur, ad omnes verbi administros pertinent, & eandem ferè omnium illorum sortem esse in hoc mundo, quæ Petri fuit, veterum prophetarum & reliquorum quoque Apostolorum exempla testantur. Sequitur modò præsens locus, qui actionẽ hanc Christi cum Petro absoluit, & libri huius conclusionem continet.

Primus autem hic prodit Christus, qui cùm de his omnibus Petrum monuisset, eundẽ præcepto instruit, breui quidem, sed quod vnum ad omnia sufficere poterat. Ait enim, Sequere me. Id verò non de corporis motu vel incessu intelligi debet, sed de exempli in Christo propositi imitatione. Debet autem tam de pastoris officio exponi, cui illum destinauerat Dominus, quàm de morte, quam pro eius nomine erat subiturus. Continet ergo breue hoc dictum generalem doctrinam, quam omnes ecclesiarum ministri siue pastores obseruare debent. Primò quoad munus suum, in Christum respiciant, & huius exemplum sibi proponant imitandum. In eo autem videbunt amorem gregis sui ardentissimum, qui ipsum mouit, vt post infinitos labores atque pericula animam quoque suam pro ouibus dederit. Fidem verò in administranda functione hac omnibus numeris absolutam inuenient, qua patris voluntati ita se accommodauit, vt verè dicere posset: Doctrina mea non est mea, sed eius qui misit me. Studio autem salutis publicæ ita flagrauit, vt nihil vnquam omiserit eorum, quæ illam promouere & tueri poterant: adeò vt iam moriturus testari posset, se neminem ex ijs, quos ipsi pater dederit, amisisse, præter filium illum perditionis, quem propria malitia & deuotus ad impietatem animus in perditionis præcipitium abripuit. Accessit his obedientia, cui ita studuit, vt ne crucis quidem infamia & acerbissimi mortis dolores ipsum absterrere potuerint, quo minus à patre sibi mandatũ munus exequeretur. In hoc igitur exemplũ ministri omnes intenti sint, & simili amore gregem sibi à Domino cõmissum prosequantur, ne mercenarij potius quàm fidi pastores sint. Et quia Christi nomine legationẽ obeunt, nihil dicant aut tradant in ecclesia, quàm quod ab illo in mandatis acceperũt. Neq; gregẽ modò totũ publicè curent, sed singulas oues eius tueri atq; seruare studeant, ne aliqua per ipsorũ incuriam siue negligentiã pereat. Adhæc quam Christo debent obedientiã ita præstent, vt nulla laborũ & periculorum difficultate, nulla hominũ authoritate, nullis cõminationibus ipsi ab officio auocari patiantur, sed semper in ipsorum auribus atq; animis sonet illud Apostolicum: Oportet Deo magis obedire quàm hominibus. Imprimis verò, si quæ crux necessariò ferenda est, Christum intueantur, qui & grauiora tulit, & nobis victoriã peperit, quæ omnibus pro eius nomine periclitantibus vires & animos suppeditare solet. Ita Christũ sequentur ecclesiæ pastores, & tandẽ regni & gaudij æterni cũ illo cohæredes fient. Quod verò illis dicitur, hoc ad se quoq; omnes pij transferãt, vt singuli suam vocationẽ ad Christi exemplũ summa fide & diligentia sequantur, crucẽ verò & omnis generis aduersa patienter ferant, perq; fidem in Christũ vincant ea, quæ carni intolerabilia esse videntur. Et hæc illa cõmunis regula est, quã vniuersis sui nominis professoribus Christus præscribit: Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucẽ suam, & sequatur me. Matth. 16.

Petrus Christum sequi iubetur.

Sed Petrum videamus, vt eius animum ista affecerint. Conuersus videt discipulum illũ, quem præaliis Iesus diligebat, sequentem: miratur ergo quid de illo futurũ sit, & quia eum à Domino peculiari amore foueri sciebat, suspicabatur fortassis illius sortẽ quoad hoc seculũ feliciorem fore. Itaq; interrogat: Domine, hic autẽ quid, scilicet patietur aut feret? Quo loco Petrus, ita suo loco restitutus

Petrus curiositatis nimiæ exemplum.

& germanus Christi discipulus, curiositatis superuacaneæ simul & noxiæ exemplũ præbet, quæ omni nostræ agnata vel naturalis est: & qua fit, vt in aliorum mores atque fortunam magis quam in nosipsos intenti simus. Parit ea deinde pessimos & nocentissimos fructus, quòd nimirum nostræ vocationem negligimus, aliorum fortunam atq; successus æmulamur, inuidia ringimur, neq; illos modo sed ipsum quoq; Deum accusamus, quasi iniquo iudicio bona sua inter homines distribuat. Dum neglectis ijs, quæ ad nos spectant, in aliorum vocationem irruimus & aliena negotia suscipimus tractanda. Fiunt ista hodie vulgò. Priuati enim homines relictis suis negotijs de ecclesiæ ministerio & repub. disputant, & quasi ipsi omni officio probè defuncti sint, doctores simul & magistratus obiurgant, & in illis omnia malitiosè calumniantur. Multi etiam de futuris potius quàm præsentibus soliciti, in illa inquirunt, & tam sua quàm aliorum fata rescire cupiunt, procul interea abiectis præceptis Dei, secundùm quæ vitam & actiones suas omnes instituere debebant. Neq; in his pedem figit hoc curiositatis malũ, sed longius progressum in fidei & religionis causam sese extendit, et occasionem quoq; Dei mysteria scrutari audet. Imò ab hoc iudiciorum suorum rationem exigit, quærens: Cur hos elegerit, illos verò reprobarit? Cur istos per euangelium vocet ad pœnitentiam, alios in ignorantiæ tenebris & peccatis perpetuò volutare sinat? Cur illos quidem efficaci spiritus virtute subito mutet, hos autem contumaciores & præfractiores reddat? Cur in extremo demum vitæ articulo ad conuersos mox in gratiam recipiat, & ijs pares faciat, qui vitam omnem in virtutis studio contriuerunt? Cur alios perpetuis afflictionibus exerceat, alijs interea otio & pace abundantibus? Hæc & multa alia huius generis quærunt hodie curiosi homines, & multi quæstionibus eiusmodi ita occupantur, vt omnem de vera religione cogitationem deponant, & tunc demum se quoq; euangelio credituros dicant, si vel omnes populos simul, vel saltem magnates & potentiores conuersos viderint. Interim alios otiosè expectant, propriæ salutis iacturam faciunt. Patet ergo latissimè malũ hoc, et præsentem perniciem affert, quàmuis primo intuitu leuiculum & vix alicuius momenti esse videatur.

Petrus à Christo corripitur.

Non temere ergo Christus Petrum acriter reprehendit, & quæstionem eius supervacuam non sine indignatione reijcit, dicens: Si eum velim manere donec veniam, quid ad te? tu me sequere. Quasi diceret: Audis quid tibi mandarim, & quæ te in mundo hoc sors maneat. Quin ergo intentus es, meæ autem curæ & prouidentiæ relinquis quæ nihil ad te spectant? Quid enim ad tuum commodi vel incommodi redibit, etsi Ioannem vsque in nouissimum meum aduentum superstitem manere velim? Itaque breui hoc & acri responso Petri curiositatem coercet, simulq; omnes homines admonet, vt suam stationem tueantur, in aliorum verò sortem aut fortunam non inquirant, vt quatenus charitas nos de omnium salute solicitos esse, & eam pro virili tueri aut promouere iubet. Sibijpsis ergo hæc Christi verba accommodent omnes isti, de quibus paulò ante diximus: & quæ inuida alienæ felicitatis æmulatio vrit, sibi dictum putent: Si Deus istos vult opulentos, sanos, ditatos & beatos esse, quid hoc ad te? quin tu tuam vocationem sequere, & tibi impositam crucem patienter feras. Ita qui in aliorum functiones sibi censoriam authoritatem sumunt, animum potius sper ab ea temeritate reuocent, vt sibijpsis dicant: Cùm Deus istos ad ecclesiæ & reipub. gubernacula vocarit, te autem vitam priuatam velit viuere, cur non intra tuæ vocationis limites consistis? cur ea tractanda sumis, quæ nihil ad te faciunt? cur eorum dicta aut facta malitiosè carpis, de quibus non tu, sed ipsi olim Deo rationem reddent? Idem faciant, qui de electione & prædestinatione disputare incipiunt, & multa sibi occurrere vident, quæ carni dura, absurda & iniqua putantur. Ita (inquam) hac Christi admonitione excitati animum recolligant, & hunc ipsis dicere existiment: Si ego hos eligere, illos verò suo exitio relinquere volui, quid hoc ad te? Annon mihi licet de meis facere quod volo? Vel num oculus tuus malignus est, quia ego erga multos indignos bonus sum, multos verò alios, vt digni sunt, æternùm punio? Ita qui per euangelium vocati moras nectunt, & hos vel illos prius expectandos censent, similiter dicant: Cùm te ad se vocet Dominus, quid aliorum refert? vel illos prius expectandos censent, similiter dicant: Cùm te ad se vocet Dominus, quid aliorum refert? Quin tu Christi cere opus est? & quid ad te siue illi quoque accedant ad Christũ, siue ab eo refugiant? Quin tu Christi vocem sequeris, & vocationem atque electionem tuam certam ratamq; facere studes? Est ergo multiplex huius dicti vsus, & multis erroribus atq; vitijs medetur, quæ nos transuersos abripiunt, quàm primùm carnis curiositati locum damus, & eius rationes in ijs admittimus, in quibus Dei solius authoritas valere debebat.

Petrus

Porrò subijcitur actioni isti historiola de nouo discipulorũ errore, quem ex Christi verbis malè intellectis conceperunt. Sic enim scribit Euangelista: Exijt sermo iste inter fratres, quòd discipulus ille non moreretur, id est superstes foret vsq; ad nouissimum Christi aduentum. Est autem hoc memorabile exemplum, quo de nostri ingenij corruptione admonemur, & quàm procliues simus ad errores quoslibet, etiam cùm nulla nobis iusta occasio offertur. Quod enim hîc passi sunt apostoli, hoc illis sæpe alijs in multis alijs accidisse scimus: inter quæ portento simile censeri potest, quòd in regni Christi cognitione post plurimas grauesq; admonitiones turpissimè hallucinati sunt. Et nunc ijdem ex Christi verbis minimè obscuris nouum errorem animo concipiunt. Tales verò sunt, quos Christus sibi ex toto hominum genere peculiariter elegerat, quos publicè & priuatim instituerat, quibus (vt ipse loquitur) tanquam amicis intimis omnia manifestarat, quæcunq; acceperat à patre, de quibus denig; supra testatus fuit, quòd verbum suum seruarint ipsumq; verè cognouerint. Quid ergo miramur, si quid huius fiat hodie inter eos, qui ad eam spiritus mensuram minimè adhuc peruenerunt, qua apostoli donati fuere? Nos potius exemplis hisce admoniti, causas errorum diligenter obseruemus, quas non obscurè nobis Ioannes in præsenti adumbrat. Dum enim se dilectum illum discipulũ fuisse tam diligenter inculcat, simul innuit Petrum Christo affectum affinxisse carnalem, qualis in parentibus cernitur, qui aliquos ex filijs tenerius quàm reliquos amant, & eosdem deinde indulgentius tractant, neq; illos grauioribus periculis & laboribus facilè obijciunt. Ita (inquam) Petrus de Christo iudicauit, & ideo putauit illum Ioanni parsurum esse, ne quid grauius ei accideret. Deinde discipuli simul omnes Christi verba non satis obseruant, & ideo affectum carnis secuti ea in sensum alienum detorquent. Nam vt Ioannes ipse interpretatur, non dixerat ille hunc nunquam moriturum esse, sed de suo in quosuis homines iure & libera potestate concionatus fuerat, vt Petrum à curiositate noxia reuocaret. Hæc igitur errorũ ferè causa atq; origo est, quòd ipsi in manifestã verbi Dei lucem tenebras inferimus, quando Deum singimus longè alium quàm ipse reuera sit, & inde nostris imaginationibus decepti, verbum eius in alienum sensum detorquemus, vt ante cõceptis opinionibus respondeat. Exempla, quibus hoc probetur, hodie passim occurrunt. Faciunt hoc qui Diuorũ intercessionem atq; inuocationem defendunt. Deum enim fingunt, qui instar Regis aut Imperatoris potentissimi in throno magnificè ornato sublimis sedeat, & maiestate sua quosuis ad se accessuros abterreat: ideoq; opus esse putant intercessoribus, quorum commendatione nobis ad illum aditus paretur, & proinde hos etiam inuocandos esse contendũt, vt causam nostram suscipiant. Quo fundamẽto tacto, mox scripturæ locos aliquos violenter detorquent, quales sunt: Inuocetur nomen meum super eos. Item, Laudate Dominum in sanctis eius, &c. Idẽ in Cœnæ dominicæ negotio aduersarij nostri faciunt. Nam horum quoq; animos occupat ex papatu concepta opinio de carnali corporis Christi præsentia & manducatione. Pro hac ergo totis animis contendunt, & ad suum sensum non Cœnæ modò verba, Hoc est corpus meum, &c: sed alia quoq; omnia rapiunt, quæ is de spiritus sui præsentia & virtute, deq; ecclesiæ suæ protectione loquitur. Ad eundem lapidem quoq; impingunt imaginũ defensores. Quia enim sibi persuaserunt, imagines esse laicorum libros, & harum contemplatione animos hominum ad deuotionem maiorem & seriam summi numinis considerationem excitari, mox vndiq; rationes, scripturæ locos & exempla conquirũt, quibus suam opinionẽ tueantur. At facilè huic malo medebimur, si primò animos nostros ab omni cogitatione carnali auocemus, & Deum nobis proponamus qualem scripturæ tradunt. Vbi mox illum per Isaiam clamantem audiemus: Cogitationes meæ non sunt cogitationes vestræ, neq; viæ meæ sunt viæ vestræ: Sed vt cæli terra sublimiores sunt, ita excedunt viæ meæ vias vestras, & cogitationes meæ cogitationes vestras. Quod qui intelligunt, ij rebellis suis imaginationibus sensus suos omnes Dei verbo subijciunt. Neque illud obiter audiunt siue legunt, neque etiam sensum, qui carni primo intuitu plausibilis videtur, statim arripiunt, sed diligenter singula verba examinant, finem siue statũ de quo agitur studiosè obseruant, & simul alios quoq; scripturæ locos cum præsenti conferunt, atq; ea ratione veritatem inueniunt. Hoc si hodie in controuersijs articulis obseruaretur, mox contentionum omnium finem videremus.

Error discipulorum de Ioanne non moriturο.

At simul considerari debet hoc loco Ioannis fides atq; integritas, qui errori iam vulgato & apud plerosq; recepto diligentissimè medetur, & Christum nihil huius dixisse ostendit, quod illi putabant. Noluit ergo cõmuni errore abuti ad priuatam gloriam aut ad stabiliendam falsò de se conceptam

Ioannis fides & integritas.

aliorum opinionem. Est hoc proprium sanctis, quòd suam gloriam facilè negligunt, modò suum Deo honorem asserant, & hominum mentes erroribus liberent. Simile exemplum in Cap. primo & tertio Ioannes Baptista nobis præbuit, cui adnumerari debent, quæ in Actis Cap. 3. 10. & 14. de Petro & Ioanne, Paulo item & Barnaba scribuntur. Vnde colligimus, quàm errent, qui hodie Diuos ceteros inuocatione & honoribus diuinis delectari putant: & impostores esse impudentissimos, qui rudi vulgus vanis de Purgatorio igne, confessione auriculari, excommunicatione & alijs eiusmodi commentis circunducunt, vt ipsi in honore & pretio habeantur. Interim obseruabimus quoq; quanta errorum & illusionum satanicarũ vis sit, cùm inuitis & multùm reluctantibus sanctis obrepant, & in multorum animis stabiliãtur. Quin est hoc peculiare diaboli strategema, vt sub eorũ nomine & præsentia, qui regnum eius fortissimè destruxerũt, nouas superstitiones inducat, quibus illud instauretur. Quod in præsenti factum fuisse, non modò ex Monachorum fabulis, verumetiam vetustissimis & fidelibus scriptoribus constat. Scribit enim D. Augustinus, suo tẽpore fuisse nonnullos, qui cùm Ioannem sepultum esse non possent negare, illum tamen sub terra viuum dormire dicerent. Idem miraculi nomine, quòd pulvis supra eius sepulchrũ moueri solitus fuerit, ex respiratione nimirũ, quam ille sub terra dormiens faceret. Et quàmuis commentum hoc nimis ridiculum sit, ita tamen fidem inuenit multorum testimonio confirmatum, vt illud negare aut confutare Augustinus superuacaneum putarit. Facta sunt huius generis multa circa Diuorum inuocationem, Missam & imagines, quorum falsis signis & miraculis ita confirmauit satan, vt quàmuis scripturæ omnes ista damnent, tamen pullulent in hominũ animis ex illis enatæ superstitiones. Vt ergo omnes priuatim vigilare debent, ita ministros ecclesiarum perpetuò in statione esse conuenit, ne aut noui errores inuadantur, aut iterum succrescãt veteres, qui iam toti radicitus euulsi videbantur. Vt enim terra vrticas & tribulos sua sponte producit, neq; vlla agricolarum industria in ijs extirpandis nimia esse possit: ita ex nobis ipsis errores & superstitiones originem ducunt, quas nunquã euitabimus, nisi indefesso studio carnis nostræ affectus reprimamus, & aduersus satanæ machinationes indesinẽter vigilemus.

Conclusio libri totius.

Sequitur totius libri conclusio, quæ tribus omnino partibus constat. Prima authorem indicat. Hic est (inquit) discipulus ille, qui testatur de his, & hæc scripsit. Ioannes ergo huius operis author est, in cuius commendationem cùm primo Sermone multa dixerimus, eadem repetere non est opus. Obseruari potius debet eius modestia, quæ in alijs quoq; discipulis conspicitur. Ornat eum Dominus titulo magnifico, quo nihil præstantius & illustrius de homine dici potest, quando suum filium vocauit. At non hoc nomine sese iactat Ioannes, sed discipulũ Christi se esse dicit, qui iam multis annis docendi munus felicissimè obierat. Ita Paulus, quem Christus organum electum dixerat, seruum Christi Iesu se nominare solet, in ea nimirùm magis intentus, quæ ad officium ipsius pertinebant, quàm quæ ipsi in hoc seculo honorem & dignitatem siue præclaram existimationem apud homines rerum imperitos parere poterant. Confer cum ista apostolorum modestia eorum insolentiam, fastum, qui titulos magnificos prece & pretio redimunt, imò ex philosophorum scholis eos petunt, & apud rude vulgus sese venditent: & facilè videbis quo spiritu isti agantur. Sunt hi Iudæorum scribæ, quos grauiter accusat Christus, quòd Magistri & Doctores dici vellent. Excusant quidem isti publica & à multis seculis recepta consuetudine, & ipsi ministerio inde aliquam dignitatem accessisse aiunt. Atqui nulla consuetudo Christi præcepto præiudicare debet, qui ne quid huius fiat grauiter monuit, vt alibi demonstrauimus. Deinde seipsos isti accusant, quòd nimium ignaui sint in iure officio, quando pro pastoribus legitimis non agnoscuntur, nisi inanium titulorũ splendor ipsis authoritatem conciliet. Atqui ex Christi voce & imitatione pastor agnosci debet, non ex titulo, qui ambitioni potius deditum, quàm Christi spiritu illuminatum arguit. Quid autem de illis dicemus, qui vbi ecclesiæ iam multis annis seruierunt, sub extremam senectam ad scholas redeunt, vt ibi Doctores creentur, & inde maiori cum fastu ad ecclesiã reuertantur, cui humilitatis & modestiæ exemplum debebant præbere? Sunt hæc indigna Christi ministris, quibus legitima vocatio & publicum ecclesiæ testimonium sufficere debet, cùm his apostoli olim contenti fuerint.

Finis & vsus huius libri.

Secunda parte finem & vsum huius scripti indicat, quando se de Christi factis testari dicit, & mox librum hunc totum testimonij nomine insignit. Id verò non arroganter, sed ex officio facit. Diximus enim apostolos in eum finem electos fuisse, vt Iesu Christi testes essent; de quo sub finem Cap. vi. diximus

diximus. Grauiter autem testimonij sui veritatem asserit, cùm addit: Et scimus, quòd verum est testimonium eius. Nec enim quæ incertis authoribus didicerant scripserunt aut locuti sunt, sed quæ ex ipsius Christi ore audiuerunt, & quorum fuerunt spectatores. Ideo epistolam suã his verbis Ioannes orditur: Quod audiuimus, quod vidimus oculis nostris, quod spectauimus & manus nostræ cõtrectauerunt de Sermone vitæ: quod (inquam) vidimus & audiuimus, id annuntiamus vobis. Petrus autem in epistola sua posteriori sic scribit: Non arte compositas fabulas secuti, notam vobis fecimus Domini nostri Iesu Christi virtutem & aduentum, sed qui oculis nostris aspeximus illius maiestatem, &c. Et in Senatu Hierosolymitano idem ait: Non possumus, quæ vidimus & audiuimus, non loqui. Fuerunt autem non modò oculati & veri testes apostoli, verumetiam intrepida animi constantia & aperto ore ea prædicauerunt, quæ de Christo verè cognouerant, suumq; de illo testimoniũ proprio sanguine & morte tandem confirmarunt. Est hoc probè obseruandum, vt discamus, quanta apud nos esse debeat doctrinæ apostolicæ authoritas, & quàm graue illorũ scelus sit, qui illam aspernantur, aut quacunq; ratione falsi insimulant. Nec enim in apostolis hæc iniuria residet, sed in ipsum Christum redundat, qui illos huic muneri destinauit. Imò in ipsum Deum illi peccant, qui vt eadem cælitus de filio suo testatus est: ita apostolos suo spiritu instruxit, vt officio suo possent satisfacere. Ideo rursus in epistola sua Capite quinto sic scribit Ioannes: Hoc est testimonium Dei, quod testificatus est de filio suo. Qui credit in filium Dei, habet testimonium in seipso: qui non credit Deo, mendacem fecit eum, &c.

Excusat scripti breuitatem.

Postrema parte breuitatem scripti sui Ioannes excusat, & multa abs se omissa esse fatetur, vt suspicionem declinet, ne quid priuato affectui & amori Christi dedisse videatur. Sic enim dicit: Sunt autem & alia multa, quæ fecit Iesus, quæ si scribantur sigillatim, ne mundum quidem ipsum opinor capturum eos qui scriberentur libros. Quo loco hodie abutuntur, qui scripturis omnia cõtineri negãt, quæ nobis seruandis necessaria sunt, & inde argumentum petunt, quo vel suas vel aliorum traditiones stabiliant. Ita enim argumẽtantur: Christus cùm in terris ageret nihil fecit, quod nõ aliquid momenti ad hominum salutem contulerit: At non omnia scribi potuisse quæ ab eo facta sunt, Ioannes fatetur. Ergo scripturis non omnia continentur, quorum cognitio nobis ad salutem necessaria est. At nos consequentiam istam negamus. Nam etsi verum sit quod illi in Maiori dicunt, non tamen omnia scribi necesse fuit. Eiusdem enim generis fuerunt miracula eius omnia, & idem omniũ vsus fuit, vt hunc promissum humanæ salutis authorem esse testarentur. Ita actiones quoq; Christi ad vnũ & eundem finem fuerunt destinatæ, vt vel nostræ redemptioni seruirent, vel nobis exemplo essent. Eadem est concionum eius ratio, quæ omnes eiusdem argumenti & ad vnum eundemq; finem institutæ fuerunt. Nec enim sibi cõtraria docere potuit, qui ipsissima est veritas. Satis ergo fuit nonnulla ex multis annotare, quando etsi omnia scripta fuissent, non alia tamen eorum fuisset vtilitas, quàm quæ ex pauculis istis percipi potest. Et huic sententiæ Ioannes ipse suffragatur, qui in fine præcedẽtis Cap. dixit: Multa etiam alia signa edidit Iesus corã discipulis suis, quæ non sunt scripta in libro hoc: hæc autem scripta sunt, vt credatis, quòd Iesus est Christus ille Filius Dei, & vt credentes vitam habeatis per nomẽ eius. At si quæ scripta sunt, fidẽ in Iesum Christum possunt tradere, quæ nos vitæ æternã consortes facere potest, nihil vtiq; eorũ in scripturis desideratur, quod cognitu & obseruatu necessarium sit. Voluit autẽ hyperbolica locutione Ioannes Dei bonitatem cõmendare, qui (vt alibi quoque diximus) ecclesiam nimia librorũ multitudine onerare noluit, sed ea breui & simplici narratione complecti, quæ nobis ad salutẽ sufficere possunt. At si in eo ita nostræ infirmitati Deus consuluit, vt multa filij sui miracula & eiusdem innumeras conciones intercidere passus sit, quæ (malum) eorum temeritas atque impudentia est, qui sua figmenta ecclesiæ obtrudere non verentur? Fugiamus nos illos vt pestem nocentissimam, & apostolorum doctrinæ insistamus firmiter, quorum calamos spiritus sanctus direxit, vt quæcunq; nostræ saluti seruiunt, simplici & perfecta narratione comprehenderint. Simul autem hoc loco obseruemus, quòd cùm tanta miraculorum innumerabilium maiestate clarus & illustris fuerit Christus, paucissimos tamen ad veram Dei & salutis cognitionem adduxit. Est hoc magnum humanæ corruptionis argumentum, quod aduersus eos obseruari debet, qui euangelij doctrinam hodie hoc nomine suspectam reddere conantur, quòd pauci sint, qui ex ea meliores fiant. Ita verò, quæ in hominibus hæret, culpam in Deum impiè deriuant. Et quem offendat me

ritò hominum noſtri ſeculi contumacia, quando maiorem expertus eſt æternus Dei Filius, cùm doctrinam ſuam ſignis omnem humanum captum ſuperantibus confirmaret?

Perioche & Summa totius ſcripti Ioannis.

Cæterùm quia hîc ſcribendi finem fecit dilectus ille Chriſti diſcipulus, nos quoq; collectis veluti portum redeamus, ſi prius præcipua huius operis capita ſummatim collegerimus. Argumentum tius libri eſt Ieſus Chriſtus quem initiò verum Deum & hominem eſſe docuit: Deum quidem æterno ex patre genitum, hominem verò natum ex Maria virgine, cùm tempus illud præfinitum adueniſſet. Finem ſui in mundum aduentus & incarnationis oſtendit, vt miſeris nobis lucem & tam afferret, qui peccatorum & mortis caligine detinebamur. Priuſquam verò ipſe ſe mundo manifeſtaret, præcurſorẽ habuit à prophetis prædictum, Ioannem Baptiſtam, qui pœnitentia prædicatione populi animos ad illum excipiendum præparauit, & eidem teſtimoniũ tulit multiuarium. Ipſe verò cùm in publicum prodire & mandatum ſibi à patre munus exequi inſtituiſſet, primùm diſcipulos ſibi domeſticos delegit, quos rerum abs ſe geſtarum teſtes haberet. Manifeſtauit autem ſeipſum hominibus per opera miraculoſa & doctrinam. Ex operibus paucula, ſed ſelectiora Ioannes deſcribit, vtpote miraculoſam aquæ conuerſionem in vinum, quam in Cana Galilææ fecit, vt tempus illud feſtium nuptiarum adeſſe doceret, quo turbulentas & amaras tribulationum huius ſeculi aquas in dulciſſimum beatæ immortalitatis nectar oporteret conuerti: paralytici item reſtitutionem ad piſcinam probaticam: epulum ex quinque panibus toti populo exhibitum: cæci nati illuminationẽ & Lazari iam quartum diem in ſepulchro agentis reſuſcitationem ex mortuis. Quibus omnibus animæ adulteræ liberatio, quam Cap. 8. narrari audiuimus. Miraculis doctrinã interpoſuit, modò domi priuatim inſtituens, vt Nicodemum & Samaritanam: modò publicè ad populum cõcionans, modò cum aduerſarijs diſputans & eorũ obiectiones confutans. Doctrinæ autem tam priuatæ quam publicæ ſcopus eſt, ipſum eſſe æternum Dei filium in carne manifeſtatum, promiſſum generis humani redemptorem, fontem gratiæ & ſalutis inexhauſtum, panem vitæ cœlitus datum, vnicum ſiluerum Dei vindicem, paſtorem deniq; olim à prophetis deſcriptum, ad quem omnes in vnius gregis ſocietatem colligi oporteat, qui ſeruari volunt. Tandem ipſum humanæ redemptionis opus aggreſſus eſt, quod totum morte ſua & reſurrectione abſoluit, quam glorioſa in cœlos aſcenſio ſecuta eſt, vt viuis tradiderunt. Morte enim peccata mundi expiauit, reſurrectione mortem vicit, aſcenſione aditum cœlos patefecit, & ibi nunc noſter apud patrem mediator, rex deniq; & ſacerdos eſt ſempiternus. Ipſe verò morti vltimam Cœnam præmiſit, multiplici doctrina & conſolatione refertam: ita poſt reſurrectionẽ quoq; diſcipulos in regni ſui myſterijs & muneris apoſtolici adminiſtratione inſtituit. Horum ſunt autẽ hæc omnia, vt Ieſum hunc, qui ex Maria virgine homo natus eſt, credamus eſſe æternum & patri coeſſentialem Dei filium, atq; promiſſum humanæ ſalutis authorem: qui vt olim in terris peregit quæcunq; ad noſtri generis redemptionẽ pertinebant: ita nunc in cœlis triumphat & regnat. ecclеſiam verò ſuã, adeoq; ſingulos qui credunt, ſuo merito iuſtificat, ſuo ſpiritu regit, diuina ſua virtute protegit, & aduerſus omnes hoſtes tam viſibiles quàm inuiſibiles defendit. Ad hunc ergo nos contendamus, hunc fide vera complectamur, huius ſpiritui & verbo locum demus, vt ab eo renati vitã viuamus, quæ nos germanos Dei filios eſſe teſtetur, & eius curriculum emenſi ad ipſum colligamur in cœleſtẽ patriam, in qua ille nobis manſionem parauit, nullis fortunæ caſibus aut huius ſeculi turbis obnoxiam. Illi debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum.

Amen, Amen.

ARGVMENTA SINGVLORVM
CAPITVM EVANGELII SECVNDVM
Ioannem: quæ adijcere libuit, ne postremæ paginæ inutiliter vacarent.

1 AETERNVM Patris Verbum, Deus ipse perennis,
Ex casta verus virgine natus homo est.
Andream hic fortemq; Petrum magnumq; Philippum,
Atq; dolo expertem Nathanaela vocat.

2 Mutat aquas gelidas in dulcis pocula vini.
Eijcit eq; sacra lucra nefanda domo.
Destruite hoc templum, lux istud tertia reddet.
Hinc multos ad se per sua signa trahit.

3 Diua renascentis naturæ semina pandit,
Et quæri possit qua ratione salus.
Corripit hinc Baptista suos, Ecclesia CHRISTI
Sponsa est, quem solum debet & illa sequi.

4 Ad puteum cupido Samaritis pectore discit,
Quam CHRISTVS sancto prædicat ore, fidem.
Multi illi credunt: curatur regius infans,
Limina qui mortis iam subiturus erat.

5 Conualuit CHRISTI verbo, qui membra solutus
Duxerat in morbo tempora longa graui.
Accusant scribæ, sed se Patris ille tuetur
Exemplo, atq; hostes arguit inde suos.

6 Millia multa cibat, fugit & regalia sceptra,
Et fluidas firmo mox pede calcat aquas.
Seq; animæ panem esse docet credentibus, inde
Deficiunt multi, discipuliq; manent.

7 Sub festum rediens Solymorum ad mœnia CHRISTVS
In templo vitæ mystica verba docet.
Accusant alij, sunt qui illi vincla minentur,
Non habet euentum res tamen ista suum.

8 Turpis adulterij sontem de morte redemit
CHRISTVS, & est mundi luxq; salusq; simul.
Degeneres Abrahæ natos reprehendit: eorum
Effugit & rabiem, qui lapidare volunt.

9 Lumina restituit claro cum luminis vsu
Illi, qui cæco lumine natus erat.
Hunc mox excludunt Pharisæi, CHRITVS at illum
Excipit, & vera credere mente docet.

10 CHRISTVS vt est pastor verus, sic ianua vitæ est,
Vox cuius veras vnica ducit oues.
Est Deus hic idem: lapides rapit impia turba,
Attamen illæso corpore CHRISTVS abit.

11 Lazarus ex tumulo CHRISTI virtute resurgit,
Confundunt stultos talia signa sophos.
Vtiliusq; putant vnum quam perdier omnes:
Immerita hunc ergo tollere morte student.

12 Maria cœnanti fragrantia balsama fundit.
Proditor infelix murmura iniqua mouet.
Ingreditur Solymas consensa CHRISTVS asella.
Quæritur à Graijs vita salusq; viris.
Vox delapsa polo confirmat verba docentis.
Multorum turbat gloria vana fidem.
13 Discipulis lauat inde pedes, animosq; superbos
Deprimit exemplo, quod dedit ille, suo.
Arguit & Iudam, fraternum suadet amorem,
Atq; Petro lapsum prædicat inde suum.
14 Maxima proponit cœlestis præmia regni,
Si superent forti tristia quæq; fide.
Insuper æthereis promittit numinis auram,
Quæ doceat, moneat, roboret, atq; regat.
15 Insitus vt viti palmes fert tempore fructus;
Sic in me vera qui manet vsq; fide.
Annuet atq; Pater precibus: Contemnite mundum.
Quod vobis faciet, fecit is ante mihi.
16 Iam vos probra manent, & dira pericula mortis;
Officium at faciet spiritus vsq; suum.
Ferte graues igitur patienti corde dolores:
Vici ego, & hinc vobis vincere posse datur.
17 Glorifica natum Pater, & nunc hosce tuetor,
Qui me sublato tristia multa ferent.
Ipse vbi sum, mecum volo sint qui verba salutis
Admittunt, vera suscipiuntq; fide.
18 Perfide Iuda venis? prosternitur impia turba.
Qui modò pugnabas, postmodò Petre negas.
Examinant CHRISTVM, respondens vapulat, inde
Sistitur inq; domo præsidis Ausonij.
Quærit hic an Rex sit? CHRISTVS mysteria regni
Explicat, iniusto Barraban ore petunt.
19 Mulctatus virgis spinosam fronte coronam
Gestat, Iudæi verba nefanda tonant.
Exuitur, palo sublimis pendet in alto.
Et litem ob titulum gens scelerata mouet.
Commendat matrem, defunctum lancea corpus
Perforat, in duro marmore tumba datur.
20 Magdalidi apparet viuens à funere CHRISTVS.
Mox quoq; discipulis cernitur inde suis.
Pneumaq; dat sanctum: sed tunc fors abfuit vnus
Thomas, qui tacto credit & ipse Deo.
21 Comparet rursus Galilæo in littore CHRISTVS,
Discipulisq; parat fercula digna suis.
Restituit Petrum, cui fata futura recenset,
Et monet vt forti pectore cuncta ferat.


UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


Th
97a

Ad verba Institutionis Coenae
ut a paulo recitantur

Accepi a Dno 3 His verbis sicut in alia,
in Ecclesia authoritate valere quam unius
Dni Chri

Nocte qua traditus est 3 Hac circum
stantia temporis nos admonet de
fine mysterij: nempe ut in nobis
sanaret mortis Christi beneficium.
Poterat n. Dns aliquanto ante hoc
foedus commendare apostolis, sed
expectavit immolationis suae tempus
ut reipsa mox mysterij in eius
corpore cernerent Apostoli quod illis
figuraverat in pane et vino.
Gratijs actis 3 Chrus age patri
gratias de sua erga humanum
genus misericordia et inaestimabili
redemptionis beneficio: nosque suo
exemplo, ut quoties ad sacram
mensam accedimus, erigamur ad
agnitionem immensi erga nos amoris
Dei, et ad veram gratitudinem
accendamur.

Accipite Edite hoc est corpus meum 3
Sensus est communicando in fractione
panis secundum ordinem et ritum a me
praeceptum participes quoque mei corporis
eritis

Accipite: Ergo qui deo offerunt aliud
quam Christum sequuntur anthecedentem neque
in his verbis ad parandum sacri
ficium instituimur.

Hoc est corpus meum 3 Calvinus
existimat sacramentalem hic esse loquendi
modum ubi Dns rei signatae nomen
signo tribuit Et hic ut ideo tum
quoniam sit figura rei signatae sed
magis quia symbolum sit quo res
exhibetur. Ergo panis est Chri corpus
quia certo testetur exhiberi nobis
corpus illud quod figurat: Vel

quia Dns visibile illud signum nobis porrigendo, una dat ille nobis suum corpus: neque n. fallax est Christus qui vacuis figuris nos ludat, quando illud extra controversiam est verbalem hic cum signo suo coniunctum est: sed non minus vere nos quantum ad vim spiritualem attinet participes corporis Christi fieri quam pane vescimur

Quod pro vobis frangitur Calvinus frangi positum interpretatur pro immolari improprie quidem sed non absurde caeterum hic est sedem membrum promissionis Christi quod leviter praetereundum non est

Neque n. simpliciter et sine adiectione Dns corpus suum nobis offert, sed quatenus pro nobis immolatum fuit. prius ergo membrum scilicet nobis corpus exhiberi: hoc sedem exprimit quis inde fructus ad nos perveniat: nempe quod redemptionis suae participes et sacrificii beneficium nobis applicatur

Quare coena speculum est quod Christum crucifixum nobis repraesentat, ut nemo utiliter et cum fructu possit coenam recipere nisi quod Christum crucifixum amplectitur

Hoc facite in mei commemorationem Ergo coena sublevandae nostrae infirmitati instituta est